

NAZIONALE
B. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
43
7 G
5
ROMA



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

PASSERINI
DE
STATIBVS, ET OFFICIIS
HOMINVM
TOMVS PRIMVS.



DE HOMINVM STATIBVS, ET OFFICIIS INSPECTIONES MORALES

Ad vltimas ſeptem Quæſtiones Secundæ Secundæ Diui Thomæ



FR. PETRI MARIAE PASSERINI DE SEXTVLA

Magiſtri, ac Procuratoris Generalis Ordinis Prædicatorum, & in Romana Sapientia S. Theol. Profeſſoris matutini

TOMVS PRIMVS,

In quo de perfectionis Statu in communi; de Statu perfectiſsimo Epiſcopali; de rerum Eccleſiæ adminiſtratione, & alienatione; de Statu Religioſo; & de tribus Votis ſolemnibus Religioſorum accuratiſsime ad extricandos dubiorum nodos diſſeritur.



ROMÆ Typis Nicolai Angeli Tinaſſij. M. DC. LXIII.

Sumptib. Io: Caſonij ſub ſigno S. Pauli. *Superiorum permiſſu.*

Eminentissimo D.

D. PASCHASIO
DE ARAGON

EXCELLENTISSIMORVM DVCVM CARDONÆ, & Segobrica Filio, Archidiacono des los Pedroches, & Canonico Cordubensis Ecclesiæ meritissimo, olim Collega maiori in antiquo S. Bartholomæi Salmanticensi Collegio, Archidiacono de Talauera, & Canonico S. Ecclesiæ Toletanæ dignissimo, Equiti de Alcantara, à Consilijs Catholico Regi, in Supremo Tribunali S. Inquisitionis Fiscali, & in Sacro Supremo Aragoniæ Coronæ Senatu Regenti.

Nunc verò Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali innumeris Titulis meritissimo.



MINENTISSIME PRINCEPS. Quòd ex humili mea officina, primùm rectaq; ad Excelsam Tuæ Protectionis arcem non tàm repant, quàm saliant, euolentq; hi eruditæ pennæ gemelli, ac nouelli partus, mihi animum illis pedes & alas causa plusquàm vnica suffecit. Dicerem, in primis hoc esse tenuissimis atomorum corpusculis ingenium, qui certè non alitèr conspicui fiunt, quàm vbi in aliquem Solis radium sese humo attollunt; proindè non mirum si idem exambiant hi Tomi, quòd illic atomi, vt nonnisi in Tuo gestiant radio spectabiles apparere, neque apud Te denegabitur Tomis, quòd atomis Sol alter indulget, nimirùm attolli vsquè in Tui Nominis lucidam stricturam vt paritèr & ipsi conspicui fiant. Verùm ad rem pressiùs. *De Statibus, & Officijs Hominum* agit Autor, cæterum in ijs quidquid sublime, pulchrum, eximium *ad 7. vltimas Quæstiones Secundæ Secundæ D. Thomæ* congeri huc potuit, id æqualiter in morum Tuorum exemplo, & in huius Voluminis legitur exemplari; Vndè hoc inanime ectypon Tibi viuo Archetypo pone substernendum fuit, ne prælo dissiungerem, quæ materies ipsa ac symboli argumenti præstantissima contessera iubebant compaginari. Ego neutri adulor: de

Sta-

Statibus, & Officijs *Inſpectiones Morales* nullibi fortè profundiùs quàm in *atro* harum paginarum, at certè nuſquàm altiùs, quàm in candore Tuorum Virtutum inueniunt, quod *Inſpiciant*, quod ſuſpiciant, quod Morum candidatis ſpectandum exponant. Quid dico? Tuus in Eccleſia *Status* in Rep. *Officium* EMINENTER includunt, quæcumquè de inferioribus *Hominum Statibus, & Officijs* tùm Sacris, tùm politicis vllus aſſequitur commentarius. Ac mihi quidèm *Status* meus *Officium* impoſuit quò hæc *imprimerem*: Tibi verò, quò *exprimeres* factiſquè repreſentares, dedit Regia Stirpis, Indolis, ac Purpuræ celſitudo: itaquè dùm Opus hisformis impreſſum ad expreſſam in Te formam refero, illas intelligibiles formas (quas vocant) æmulari videor, inter quas aiunt *ſpeciem impreſſam* caligare ſub actus primi nubilo, donec vitali conatu vſque *ad ſpeciei expreſſæ* horoſcopum deducatur. Non auſim de his philoſophari liberiùs, ne *vltra crepidam* proſilijſſe arguar: ſufficit mihi, PRINCEPS EMINENTISSIME, ſi permittis lucubrationem hanc Moralem velut moribus Tuis heroicis tàm germanam ſub purpurea Tui Nominis aurora tutò prodire in meridiem: ſufficit ſingularem Bibliopolæ deuotionem (quæ demùm audet ſe cauſis huius dedicationis innectere:) palam hoc qualicumq; pronæ venerationis obſequio ad humaniſſimam Tuæ Benignitatis aram poſſe procumbere, non quidèm vt reddat quod debet, ſed vt profiteatur deberi quod reddi non poſſit. Ità ſanè literatiſſimus ipſe de literis, ità de literatis, quin & de literarijs cuiuſcumquè ſortis mæreri pergit Tuæ & Dignitatis, & dignationis præſidium, vt huius encomia nequeant alitèr, quàm ipſo literarum interitu obliterari.

Porrò hic finem facio, ne ab his ad ea me digredi oporteat, quæ finem ægriùs admittunt, hoc eſt ad illa beneficia, quæ publicæ Virtuti Tuæ, & *Officijs* accepta refert *Status* vterque tùm Sacræ, tùm ſecularis Monarchiæ, ex quo in vtroq; *Cardo* es. Sat dixi. Supereſt vt diù; & proſperrimè Te Superi valere iubeant, cùm adeò priuatim, publicèq, interſit Te Valere.

Eminentiæ Tuæ

Æternùm deuotus Cliens

Ioannes Caſonius.

Nos Fr Ioannes Baptista de Marinis, Sacræ Theol. Ordinis Prædicatorum Humilis Magister Generalis, & Seruus.

HArum serie, Nostriq; auctoritate Officij tibi Adm. Reu. P. Magistro Fr. Petro Mariæ Passerino de Sextula, Ord. Nostri Procuratori Generali, concedimus quantum in Nobis est, vt Opus à te compositum, cui Titulus *De Statibus, & Officijs Hominum ad vltimas septem Quæstiones Secundæ Secundæ D. Th. Inspectiones Morales* publicis Typis mandare valeas, dummodò prius fuerit reuisum, & approbatum à duobus Nostri Ordinis Theologis, seruatisq; alijs de iure seruandis iuxtà Decreta Sac. Concilij Tridentini, Constitutiones Nostras, & Ordinationes Capitulorum Generalium. In quorum fidem, &c.

Datum Romæ 6. Octobris 1663.

Fr. Io: Baptista de Marinis Magister Ordinis.

Locus ✠ Sigilli

Registrata fol. 160.

Fr. Bernardinus de Venetijs Mag. & Socius.

IVSSV Reuerendissimi Patris Nostri totius Ordinis Prædicatorum Magistri Generalis perlustraui istud geminô Tomo substrictum Opus *Inspectionum Moralium de Statibus, & Officijs Hominum, &c.* nec putem his temporibus quidquam scribi potuisse opportuniùs, dum infelix hoc seculum tam miserè cœcutit in illa, quàm sibimet commentum est *Ratione Status* pseudopolitica, exlege, athea. Prodeat ergo in lucem hæc solida, & erudita de Statibus, Officijsq; Hominum Commentatio, quæ tùm ex Lege Dei, & Ecclesiasticis Canonibus, tùm ex ratione Theologica sincerius tractat statum, officiaq; cùm-primis Antistitum, & Regularium, quos elegit Deus, vt per ipsos errorem auferat ceterorum. Ita nimirum censeo, deberi vtrumq; hunc Tomum vtilitati publicæ, ac neutri quidquam inesse, quod sanæ Doctrinæ, bonis moribus, aut Ecclesiæ Decretis aduersetur. In fidem &c. Romæ jv. Idus Octobris 1663.

Fr. Leonardus Hansen Magister, Prouincialis Angliæ, Ord. Præd.

OPVS intitulatum, *De Statibus, & Officijs Hominum Inspectiones Morales ad vltimas septem Quæstiones Secundæ Secundæ D. Thomæ* compositum à P. Magistro Fr. Petro Maria Passerino de Sextula, Ord. nostri Prædicatorum Procuratore Generali dignissimo enucleatè ad eruditionem cunctorum, & non saniores opiniones eliminandas, quæ animas grassanter ducunt ad perditionem ab omnibus statibus, iussu Reuerendiss. P. N. Fr. Ioannis Bapt. de Marinis Ord. Præd. Mag. Generalis, vidi, & reuerenter legi, & cum honore tractaui, & ad normam suarum conclusionum tanquam purissimæ, & solidioris veritatis nitorem continentium cum gustu recipi, & haberi, prælo non vulgari excudi in calculo meæ relectionis, & solertis discussionis, censui, vt nihil in eo redoleat, ne minimam impuritatem doctrinæ, sed omnia consona fidei, & dogmatibus orthodoxis conformia, Sacræ Congregationis Decretis, & placitis inhærentia, Angelicis assertionibus confirmata, & suo doctissimo Authore, & Mag. celeberrimo dignissima: quod ità attestor in nostra Pœnitentiaria S. Mariæ Maioris de Vrbe, hac die prima Octobris anni 1663.

Fr. Albertus Fleche Magister, & Pœnitentiarius Apostolicus Ord. Præd.

Imprimatur

Si videbitur à Reuerendiss. P. Magistro Sac. Pal. Apostolici.

O. Archiep. Patracen. Vicesgerens.

Imprimatur

Fr. Raimundus Capisuccus Sac. Palatij Apost. Magister, Ord. Prædic.

INDEX



INDEX QVAESTIONVM, ARTICVLORVM, ET DIFFICVLTATVM,

Quæ in hoc Volumine explicantur.

QVÆSTIO CLXXXIII.

De officijs, & statibus hominum.

ARTICVLVS I.

ARTICVLVS II.

ARTICVLVS III.

ARTICVLVS IV.

QVÆSTIO CLXXXIV.

De statu perfectionis in communi.

ARTICVLVS I.

ARTICVLVS II.

ARTICVLVS III.

ARTICVLVS IV.

ARTICVLVS V.

ARTICVLVS III.

ARTICVLVS IV.

ARTICVLVS V.

ARTICVLVS VI.

ARTICVLVS VII.

Tractatus de alienatione bonorum Ecclesiæ,

ARTICVLVS VIII.

QVAESTIO. CLXXXVI.

De ijs, in quibus Religionis status præcipuè consistit in decem articulos diuisa. pag.448.

ARTICVLVS I.

ARTICVLVS II.

ARTICVLVS III.

ARTICVLVS IV.

ARTICVLVS V.

ARTI-

ARTICVLVS V.

ARTICVLVS VI.

ARTICVLVS VII.

De Voto Paupertatis.

ARTICVLVS VIII.

Quid

FINIS.



QVÆ



QVAESTIO CLXXXIII.

De officijs & ſtatibus hominum, in quatuor articulos diuiſa.





ONSEQVENTER Conſiderandum eſt de diuerſitate ſtatuum, & officiorum humanorum. Et primò conſiderandum eſt de officijs, & ſtatibus hominum in generali. Secundò ſpecialiter de ſtatu perfectorum. Circa primum quæruntur quatuor:

Primò, Quid faciat in hominibus ſtatum.

§. *Secundò, Vtrum in hominibus debeant eſſe diuerſi ſtatus, ſiue diuerſa officia.*

§. *Tertiò, De differentia officiorum.*

§. *Quartò, De differentia ſtatuum.*

HVius quæſtionis & tractatus ad præcedentes optimus eſt ordo, & proportionata connexio. Cum enim D. Thom. in ſecunda parte de materia ad mores ſpectante tractet, abſoluta conſideratione in communi eorum, quæ de virtutibus & vitijs, & alijs ad materiam moralem ſpectantibus conſideranda fuerunt, quod præſtitit in prima parte huius ſecundæ partis ſuæ ſummæ, in hac ſecunda ſecundæ partis omnia in ſingulari conſiderare diſpoſuit. Cum autẽ moralium conſideratio ex duplici parte poſſit eſſe particularis, vel ſcilicet ex parte materiæ & actuum virtutis, vel ex parte hominum, quibus conuenit agere ex virtute, qui plures differentias inter ſe habent ex varijs eorum conditionibus ſumptas, abſoluta conſideratione eorum, quæ dicenda erant circa virtutes, tam Theologicas, quam Cardinales in particulari à quæſt. prima vſque ad 170. videnſque quod inter homines triplex differentia præcipuè attendi poteſt, vel ſcilicet ſecundum gratias gratis à Deo illis datas, quia vt dicitur 1. *Cor.* 12. *Diuiſiones gratiarum ſunt, & alijs datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alijs ſermo ſcientiæ &c.* Vel ſecundum diuerſas hominum vitas, actiuam ſcilicet, & contemplatiuam, quæ accipiuntur ſecundum diuerſa operationum ſtudia. Aliud enim eſt ſtudium operationis in Martha, quæ ſollicita erat, & laborabat circa frequens miniſterium, quod pertinet ad vitam actiuam: aliud eſt in Maria, *quæ ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius*, quod pertinet ad contemplatiuam, vt habetur *Lucæ* 10. Vel tertio ſecundum diuerſitatem officiorum, & ſtatuum. Nam dicitur ad Epheſ. 4. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam verò Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores*, quod pertinet ad diuerſa miniſteria prout dicitur 1. *Cor.* 12. Diuiſiones miniſtrationum ſunt; expedito tractatu gratiarum gratis datarum à quæſt. 171. vſque ad 178. incluſiue, & vitarum actiuæ & contemplatiuæ à quæſt. 179 vſq; ad 182. Conſequenter proponit conſiderandum de diuerſitate officiorũ & ſtatuum. Et hunc tractatum diuidens in ea, quæ in communi ſpectant ad hominum ſtatus, & ea quæ pertinent in particulari ad ſtatum perfectorum, circa primum in hac quæſt. 183. quatuor ab ipſo recenſita diſcutienda proponit.

QVAESTIONIS CLXXXIII.

ARTICVLVS I.

Vtrum ſtatus in ſui ratione importet conditionem libertatis, vel ſeruitutis,

Porr. Infr. art. 4. cor. & q. 184. art. 4. cor. & q. 186. art. 6. co. Et quo 1.2. 19. co.

AD primum ſic proceditur, Videtur quod ſtatus in ſui ratione non importet conditionem libertatis, vel ſeruitutis. Status enim a ſtando dicitur: ſed ſtare dicitur aliquis ratione rectitudinis, vnde dicitur Ezec. 2. Fili hominis ſta ſuper pedes tuos, & Gregor. dicit in 6. mor. Ab omni ſtatu rectitudinis diſpereunt, qui per noxia verba dilabuntur: ſed rectitudinem ſpiritualem acquirit homo per hoc, quod ſubijcit, ſuam voluntatem Deo: vnde ſuper illud Pſal. 32. Rectos decet collaudatio, dicit Gloſ. Recti ſunt, qui dirigunt cor ſuum ſecundum voluntatem Dei; ergo videtur, quod ſola obedientia diuinorum mandatorum ſufficiat ad rationem ſtatus.

Eſt Aug. in ſcdione 2. in Pſal. 32. non longe a prin. c. 3.

§. 2. Praeterea, nomen ſtatus videtur importare immobilitatem, ſecundum illud 1. ad Cor. 15. ſtabiles eſtote & immobiles vnde Greg. dicit ſuper Ezec. Lapis quadrus eſt, & quaſi ex omni latere ſtatum habet, qui caſum in aliqua permutatione non habet: ſed virtus eſt quae immobiliter facit operari, vt dicitur in 2. ethi. ergo videtur, quod ex omni operatione virtuoſa aliquis ſtatum adipiſcatur.

Hom. 21. a prin.

Li. 2. c. 1. & 5. to. 5.

§. 3. Praeterea, nomen ſtatus videtur ad quandam altitudinem pertinere. Nam ex hoc aliquis ſtat, quod in altum erigitur: ſed per diuerſa officia aliquis fit altior altero, Similiter etiam per gradus, vel ordines diuerſos diuerſimode homines in quadam altitudine conſtituuntur. Ergo ſola diuerſitas graduum, vel ordinum, vel officiorum ſufficit ad diuerſificandum ſtatum.

Sed contra eſt, quod in Decret. 2. q. 5. dicitur. Si quando in cauſa capitali, vel cauſa ſtatus interpellatum fuerit, non per exploratores, ſed per ſeipſos eſt agendum: vbi cauſa ſtatus appellatur pertinens ad libertatem, vel ſeruitutem: ergo videtur quod non variet ſtatum hominis niſi id, quod pertinet ad libertatem, vel ſeruitutem,

2. q. 5. (vel 6. vt aliqui codices habent) ca. Si quando.

Reſpondetur dicendum, quod ſtatus propriè loquendo ſignificat quandam poſitionis differentiam ſecundum modum ſua natura, quaſi in quadam immobilitate. Eſt enim naturale homini, vt caput eius in ſuperiora tendat, & pedes in terra firmentur &c. membra media conuenienti ordine diſponantur: quod quidem non accidit, ſi homo iaceat, vel ſedeat, vel accumbat, ſed ſolum quando erectus eſt. Nec rurſus ſtare dicitur, ſi moueatur, ſed quando quieſcit: & inde eſſe quod etiam in ipſis actionibus humanis dicitur negotium aliquem ſtatum habere ſecundum ordinem propria diſpoſitionis cum quadam immobilitate, ſeu quiete. Vnde & circa homines ea, quae de facili circa eos variuntur, & extrinſeca ſunt, non conſtituunt ſtatum, puta, quod aliquis ſit diues, vel pauper, in dignitate conſtitutus, vel plebeius, vel ſi quid aliud eſſe huiuſmodi. Vnde & in iure ciuili dicitur, quod ei qui à ſenatu amouetur, magis dignitas, quam ſtatus aufertur: ſed ſolum id videtur ad ſtatum hominis pertinere, quod reſpicit obligationem perſonae hominis, prout ſcilicet aliquis eſt ſui iuris, vel alieni, & hoc non ex aliqua cauſa leui, vel de facili mutabili, ſed ex aliquo permanente: & hoc eſt quod pertinet ad rationem libertatis, vel ſeruitutis. Vnde ſtatus pertinet propriè ad libertatem, vel ſeruitutem, ſiue in ſpiritualibus, ſiue in ciuilibus. Concl. m.

Ad primum ergo dicendum, quod rectitudo inquantum huiuſmodi, non pertinet ad rationem ſtatus, ſed ſolum inquantum eſt connaturalis homini, ſimul addita quadam quiete. Vnde in animalibus non requiritur rectitudo ad hoc, quod ſtare dicantur: nec etiam homines ſtare dicuntur, quantumcumque ſint recti, niſi quieſcant.

Ad ſecundum dicendum, quod immobilitas non ſufficit ad rationem ſtatus, Nam etiam ſedens, vel iacens quieſcit, qui tamen non dicitur ſtare.

Ad

Ad tertium dicendum, quod officium dicitur per comparationem ad actum: gradus autem dicitur secundum ordinem superioritatis, & inferioritatis: sed ad statum requiritur immobilitas in eo, quod pertinet ad conditionem personæ.

S V M M A R I V M.

1 *Status multipliciter dicitur. num.1.*
2 *Textus D. Thom. in duas partes diuiditur. numer.2.*
3 *Status propriè dictus importat rectitudinem, & firmitatem. num. 3.*
4 *Ad statum requiritur quies firma, & aliqualiter immobilis. n.4.*
5 *Perfectionem vitæ & rectitudinem esse de ratione status, aliquorum opinio. nu.5.*
6 *De ratione moralis status non est vitæ rectitudo. num.6.*
7 *Metaphora non est totalis similitudo. n. 6.*
8 *Datur peccati status. num. 6. & 14.*
9 *Seruitus est status. num.6.*
10 *Status moralis diuiditur in statum perfectionis, & imperfectionis. num. 6.*
11 *Status moralis respicit bonum, & finem, sed vel positiuè, vel priuatiuè. n.7.*
12 *Status moralis quomodo connaturalis. n.8.*
13 *Dispositio qualibet immobilis statum constituit. num.8.*
14 *Genus in diffinitione status moralis est dispositio. num.8.*
15 *Ad statum non esse necessariam immobilitatem, quorumdam opinio. nu.9.*
16 *De ratione moralis status est aliqua immobilitas. num.10.*
17 *Metaphora est similitudo in eo, quod est rei proprium. num.10.*
18 *De ratione status non est omnimoda immobilitas. num.11.*
19 *Status actionis, & status personæ. num.11.*
20 *Status actionis est illius terminus. num.11.*
21 *Dignitates & diuitiæ non constituunt statum. numer.11.*
22 *Status personæ importat dispositionem ex causa quantum sit ex se immobili. num.11.*
23 *Status gratiæ & libertatis) immobilis. nu.12.*
24 *Statum moralem non importare obligationem, quorundam opinio. num.13.*
25 *Non omnis moralis status dicit obligationem, licet eam omnis respiciat. n.13.*
26 *Ex eo quod status est immobilis, ideò respicit obligationem legis alicuius, vel confirmantis illum vt sit sui iuris, vel obligantis vt sit iuris alieni. num.14.*
27 *Fundamentum obligationis debet esse aliquod non leue. num.15.*
28 *Seruitus ordinaria non est status. num.15.*
29 *Immobilitas status est ex aliqua lege perpetua. numer.16.*
30 *Status peccati est status seruitutis. n.17.*
31 *Status gratiæ est status libertatis. n.17.*
32 *Status religionis est immobilis. num. 18.19.*
33 *Status varij, sed omnes ex lege immobiles. n.19.*
34 *Status pertinet ad libertatem, & seruitutem. n.20.*
35 *Status moralis propriè & communiter dicitur. num.20.*
36 *Officium, gradus, & status distinguuntur. n.21.*

1 IN hoc articulo constat, quæstionem esse de statu personarum, de quo tractat ius ciuile *lib.1.ff.tit.5.* Nã status nomẽ est æquiuocum, quod propriè, & metaphoricè dicitur, seu etiam physicè, vt est species prædicamenti situs, & moraliter proue est conditio actionum moralium, vel personarum. Sed & status moralis seu metaphoricè dictus cum multipliciter dicatur, dicitur enim status obligationis *l.9.§.1.ff.de duobus reis & l.108.ff. de verb.obligat. status ætatis l. penult.C.quando dies legat.status causa l.8. §.si quis ff. rem ratam hab.* & status hominum, qui est ius personarum, de hoc personarum statu est nostra quæstio.

2 In duas autem partes textus D. Th. diuiditur. Nam primò diffinitur quid sit status propriè, & physicè dictus, secundò ex hac diffinitione respondetur ad quæsitum.

3 Diffinitur autem status propriè dictus, vt sit quædam positionis differentia, per quam res disponitur secundùm quod conuenit suæ naturæ quasi in quadam immobilitate. Continet hæc diffinitio genus & differentiam propriam. Genus est positio, vel situs. Status enim propriè dictus siue metaphorica est species prædicamenti positionis. Ex duplici verò conditione explicatur eius differentia specifica, & vltima. Prima est rectitudo. Status enim est species positionis connaturalis, ideò importat modum essendi in loco connaturalem, & proprium, qui scilicet conuenit stanti secundùm proprietatem suæ naturæ. Ideo quia homini connaturalis est positio recta, vt scilicet caput eius, & corpus supra pedes firmatum ad superiora tendat; ideo status, vt dicitur de homine; importat hanc erectionem seu rectitudinem; & propterea homo sedens, vel in terra iacens non dicitur stare. Vt autem dicitur hic in resp. ad primum rectitudo non est de ratione status absolutè, sed solùm pertinet ad stare hominis, alia verò animalia etiam sine rectitudine stare dicuntur, si sint in loco cum quadam immobilitate. Ideo secunda conditio status est firmitas; quia licet homo dum mouetur erectus sit, non tamen dicitur stare, quia mouetur. Bene ergo *D. Th. quodl.3.art.17.* dixit, quòd status importat rectitudinem, & firmitatem; & in præsenti optimè diffinitur status, quòd sit positionis differentia connaturalis, cum quadam quasi immobilitate.

4 Et verò considerandum, quòd alia est quies, alia est immobilitas, illa enim negat actualem motum, hæc verò etiam potentiam mouendi. Ad statum non est necessaria propria immobilitas. Homo enim stare dicitur, dum non mouetur, licet, & possit se mouere, & ab alijs moueri. Nihilominùs nec sola, ac pura negatio motus sufficit ad statum. Nam homo dum mouetur motu progressiuo inter gressum, & gressum aliquantisper quiescit, maximè si sit claudus, aut podagra laboret, neque tamen stat, & dum homo in motu respirat statim prosecuturus motum non dicitur propriè simpliciter quiescere, vel stare, ideo ad statum requiritur

quies firma, & aliquo modo stabilis, & cum quadam quasi immobilitate, vt nec homo se moueat, nec possit quasi quodammodo se mouere, id est quod se habeat per aliquod tempus firmiter in loco, ac si esset immobilis.

5 Sic igitur natura humani status physicè, & propriè dicti explicata, & iam cognito, quòd ad statum naturalem hominis pertineant rectitudo, & immobilitas, quæri potest primò, an vtraque conditio ad eiusdem moralem statum sit necessaria? Et videtur ita esse dicendum; status enim importat modum positionis connaturalem, sicut verò homini est connaturalis rectitudo physica, quæ est erectio, ità homini in esse morali est connaturalis rectitudo iustitiæ, peccatum enim est contra rationalem naturam *D. Th. par. 1 quæst. 63. art. 1. capit. 11. par. 2. quæst. 21. art. 1.* Cum vero situs sit species positionis connaturalis, videtur, quòd sicut ad statum physicum hominis est necessaria rectitudo, sic ad eiusdem moralem statum sit necessaria rectitudo iustitiæ. Ideò *Suarez tom. 3. de Relig. l. 1. cap. 1. num. 1.* existimat, quòd status moralis importet semper perfectionem in aliqua conditione, vel modo essendi. Ex quo sequitur, quòd status humanus debeat dicere rectitudinem, quæ est humana perfectio. Ideo idem *Suarez num. 10.* ait, videri, quòd status peccati deficiat a ratione status, quia homo peccator potiùs iacet, quàm stet, licet quia peccatum in suo ordine habet consummationem ideo peccati conditio ad genus status reducitur. Immo nec seruitus ex hac eadem causa videtur constituere statum, quia non est secundùm naturam, & propterea videtur, quod serui statum non habeant. *l. 4. ff de cap. minut.* In contrarium verò est, quia D. Th. vbi de statu morali hominum loquitur in hoc articulo, solius immobilitatis considerationem habet, & aliàs communiter conceditur, & asseritur dari statum peccati & seruitutis.

6 Respondetur igitur, ad statum moralem hominis non esse necessariam rectitudinem iustitiæ vel libertatis connaturalis perfectionem. Quod primò probatur, quia quæ dicuntur metaphoricè non est necesse, per omnia assimilari ei, à quo metaphora desumitur, vt bene docet *D. Th. 3. p. quæst. 2. art. 6. ad 1. & q. 8. 1. ad 2. & q. 46. art. 4. ad 1.* sed sufficit, si adsit similitudo in eo, in quo consistit propria ratio rei, cuius nomen ad metaphoram transfertur, vt docet *D. Thom. de ver. quæst. 7. art. 2.* Cum verò rectitudo non sit absolutè de ratione status etiam physici, & propriè dicti, vt dicitur hic ad primũ, & propria ratio status in quiete, & quasi quadam immobilitate consistat, vt ex superioribus patet, ideo status moralis, qui metaphoricè est status, sufficit quòd assimiletur statui propriè dicto in quadam quasi immobilitate, non vero est necesse quòd assimiletur in rectitudine. Secundo probatur. Nam homo peccator metaphoricè est animal irrationale, iuxtà illud *Psal. 105. 20. mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.* & illud *Psal. 31. 9. Nolite fieri sicut equus, & mulus.* Et si ergo peccator non maneat erectus, sed in eo caput spirituale, mens scilicet, cogitatione, & affectu terram respiciat, nihilominus dicitur stare metaphoricè, quia veluti bos, aut mulus in tali positione habet quandam immobilitatem. Quod verò dicitur, quia peccator potius iacet, quàm stet, respondetur, quòd potiùs curuus manet, quàm iaceat mente enim ad terrena respicit, sicuti bos, vel brutum; & quidquid sit de hoc, vbi de metaphoris loquimur, non est inconueniens, quòd opposita de eodem dicantur ob diuersas rationes, & sic peccator quia infirmus & æger in affectu ad terrena quiescit, dicitur iacere, sed quia per peccatum est quodammodo immobiliter peccati seruus non valens se à peccandi necessitate subleuare, nisi à Deo adiuuetur, & moueatur, meritò dicitur stare, & perseuerare in peccato. Seruitutem vero esse statum habetur nedum ex communi consensu, sed expressè ex *l. 1. ff. tit. 5.* nec oppositum colligitur ex *leg. 4. ff. de cap. min.* sed solùm quòd quia seruire imperfectionis & pœnæ est, seruitus non est status perfectionis, sed imperfectionis. Et ità verè distingui debet status moralis in statum perfectionis, & imperfectionis, vel miseriæ, & infelicitatis. Ad primum requiritur libertas, & rectitudo, ad secundum sufficit quies, seu immobilitas.

7 Quòd si quis ex *D. Th. infra art. 3.* vrgeat, quòd status per se respicit hominis perfectionem, at verò ordo hominis in propriam perfectionem est rectitudo, igitur rectitudo est de ratione status moralis. Respondetur quod perfectionem respicit tàm illius consecutio, quàm illius priuatio; Et finem tam respicit conuersio, quàm auersio. Ideo sic verum est, quòd status importat conditionem hominis respicientem hominis perfectionem, sed non necessariò respectu positiuo, sed vel positiuo, vel priuatiuo, & quia vel ad propriam perfectionem conuertitur immobiliter, vel ab ea immobiliter auertitur. Ideò distinguitur status per se, & formaliter in statum perfectionis, vel imperfectionis; vnde de ratione status nec est necessaria rectitudo, vel perfectio.

8 Et si addatur, quòd apud Philosophos situs est positio animali connaturalis, vt habet hic D. Th. & explicat Sotus in logica, vbi de sex vltimis prædicamentis; peccatum verò non est homini connaturale, vnde conditio peccatoris non potest dici status. Respondetur, quòd etiam peccatum est connaturale imperfectioni hominis, & eius defectibilitati. Secundò dicitur ex *Io: de Cruce lib. 1. de stat. perfect. cap. 1.* quod connaturalitas, quæ in statu personarum attenditur est, quòd status sit conditio libera, & non coacta, vnde homini veluti connaturaliter conuenit, quicquid ex sua libertate sibi conuenit. Peccati autem conditio est seruitus libera, seruitus verò coacta, quæ non fundatur super lege iustitiæ, sed penitùs est coacta, non est status moralis propriè dictus. Sic igitur patet quòd status dicitur, non ex eo quod homo perficiatur, sed & imperfectionis conditio statum constituit, si adsit cum quadam immobilitate. Et sic status semper dicitur non ex eo, quod res sit perfecta, vel imperfecta, sed ex eo, quòd ex quo est in termino motus, iam habet, quod habet cum quadam quiete, vel immobilitate, siue id quod habet sit perfectio, siue sit imperfectio. Dicendum igitur est quod sicut genus situs physici, & propriè dicti est positio, ita genus situs moralis, & metaphoricè sumpti est dispositio, quælibet, scilicet conditio per quam homo ordinatur ad operandum propter finem, si tamen hæc dispositio homini cum quadam immobilitate concurrat Propterea *Io: de Cru-*

e de statu Relig. l.1. cap. 1. definit statum, quòd sit dispositio conueniens homini cum quadam immobilitate, & firmitate. Quod idem docuit *Ledesma de stat. perfectionis cap. 1.*

9 Hoc tamen etiam difficultatem continet, & oppositum iudicauit *Henricus quodl. 12. quæst. 19. ad 1.* volens ad statum sufficere negationem vlterioris motus, seu saltem propositum permanendi in genere vitæ. Nam nec in statu gratiæ, nec in statu libertatis homo habet immutabilitatem, quin pro sua libertate possit, vel gratiam reijcere, vel libertatem vendere. Verùm de ratione moralis status esse aliquam immobilitatem cum D. Th. in præsenti docent *Caiet. & D. Anton. 3. p. in Prol. 3.4. Turrecrem. lib. 1 sum. c. 73. Io. de Cruce de stat. rel. l. 1. c. 1. Bellar. lib. 2. de monachis cap. 2. in fine Ledesma de stat. perfect. cap. 1. Soto lib. 7. de iust. quæst. 5. art. 1. concl. 8. Suarez loco cit. tom. 3 de relig. l. 1. cap. 1. num. 3. Sanchez in sum. lib. 5. cap. 1. numer. 12. & 18. Layman. l. 4 tract. 5. cap. 2. num. 2.*

10 Et ita verè dicendum est. Nam primò vt supra dictum est, metaphora importat similitudinem in eo, quod est proprium illi rei, de qua nomen propriè dicitur, cum verò ratio propria status propriè dicti sit positio hominis quiescentis cum quasi quadam immobilitate, etiam status moralis debet assimilari statui physico in quasi quadam immobilitate. Et ad hoc ostendendum energiam habet illud Pauli ad Gal. 5. *State & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* In his enim verbis Apost. hortatur Gal. ad firmam perseuerantiam, vnde apud ipsum hoc est stare, quod est firmiter, & immobiliter perseuerare.

11 Sed considerandum quòd sicut de ratione status physici non est omnimoda immobilitas, ità ad statum moralem non est necessaria metaphysica immobilitas, & inuariabilitas, sed sufficit immobilitas moralis. Immò considerandum vlteriùs quòd cum status metaphoricè sumptus, & per analogiam ad statum physicum multipliciter dicatur, non eadem ratio omninò est secundùm quam dicitur de singulis, nec eodem modo importat immobilitatem. Consideranda verò præcipuè est distinctio status in statum actionis, & actualis motus & statum personæ. Nam status actionis, & actualis motus in eius termino consistit, & sic status importat negationem vlterioris motus, per modum tamen quietis aliqualiter actu immobilis saltem motu, quo mouebatur priùs, licet mobile solùm per instans cesset à motu, & post instans motu contrario, vel diuerso moueatur. Sic status solis consistit in termino ascensionis eius, in quo ad punctum solstitij perueniens est iam immobilis non absolutè, quia immò statim post illud instans, quo attingit punctum illud mouetur motu descensus ab illo puncto, & ascensus versus oppositum, sed est immobilis motus ascensionis ad illud punctum. Similiter status infirmitatis est terminus augumenti eius, in quo est iam immobilis motu augumenti. Et duplex ratio immobilitatis hic repetitur, prima est immobilitas in eodem genere motus, quia nec sol ampliùs potest ascendere, nec infirmitas augeri, secunda est quædam quasi immobilitas moralis per aliquod tempus, quia sol in solstitio tam parùm mouetur vt quiescere videatur. Et infirmitas in termino augmenti, vel verè nec crescit, nec decrescit, vel adeò parùm mutatur, vt stare dicatur. Apparet igitur, quòd etiam in statu actionis status ex aliquali immobilitate denominatur. Sed status personæ non est status actu se mouentis, sed mobilis; ideo status dicit habitum, qui est de difficili mobilis, importat enim dispositionē hominis, vel aliqua causa permanente firmatam ex cōmuni vsu loquēdi. Vnde apud homines, vt D. Th. in corp. docet, nec diuitiæ, nec paupertas, nec dignitas, nec aliquid simile, quod de se non sit immobile constituit statum personæ, sed status personæ importat conditionem de se moraliter immobilem, & ex causa quantùm sit ex se, & ab intrinseco per se permanente prouenientem. Vnde quidquid sit de immobilitate status, prout dicitur de alijs, status non dicitur de personis, nisi quatenus importat conditionem moraliter per se immobilem, & perpetuam. Ideo diffinitur status moralis, vt sit dispositio aliqua moralis, cum quadam immobilitate, & firmitate.

12 Ad ea verò, quæ in oppositum adducuntur, dicitur quòd immò status libertatis, & gratiæ maximam immobilitatem habet. Tum primò quia homo non potest saluo ordine finis ad libitum statum mutare, quia immò obligatur ad non peccandum, & non potest se sua libertate priuare nisi ex iusta causa. Tum secundò quia nullo modo potest homo de statu gratiæ inuitus deijci, vel libertate inuitus priuari sine publica potestate, & causa iusta.

13 Ex eo autem, quòd status importet immobilitatem, infert D. Th. quòd respiciat obligationem hominis. In quo consideranda est veritas consequentis, & veritas consequentiæ. Et quidem quantùm ad primum. Quæstio est, an de ratione status moralis sit obligatio. Hoc enim negat Henricus loco citato, eo quia nec libertas, nec gratia, nec beatitudo, nec peccatum, nec virginitas, nec viduitas, nec Clericatus important obligationem, & tamen constituunt statum, sicuti nec status incipientium, proficientium, & perfectorum secundùm obligationem distinguuntur. Hoc verò Henrici dictum ex parte verum est, nam status, vt hic docet D. Th. & benè explicat *Caiet. quem sequitur Suarez numer. 63.* importat obligationem sub disiunctione, quia dicit, vel dominium, per quod aliquis est sui iuris, vel obligationem per quam est iuris alieni. Ideo vt *Caiet. aduertit, D. Th.* non dixit statum importare obligationem, sed respicere obligationem. Nam tam libertas, quàm seruitus obligationem respiciunt, quam enim obligationem habet seruitus, negat libertas, & qui est sui iuris nulli est obligatus, & qui est alicui obligatus est iuris alieni. Ideo quæ Henricus enumerat, dato quòd singula constituerent statum, (quod non conceditur) vel ad libertatem, vel ad seruitutem spectant. Sic libertas naturalis, gratia, beatitudo, virginitas, vel viduitas ad libertatis statum reducuntur, & tam homo ingenuus, quàm iustus, & beatus, & virgo, & vidua sui iuris sunt, & non obligati vel ad seruiendum alteri, vel ad peccandum, vel ad viuendum miserè, vel ad onera matrimonij. Clericatus verò ad seruitutem pertinet, cum contineat obligationem ad inseruiendum in ministerijs Ecclesiasticis inchoatam per aliquod immobile, & non reiterabile, scilicet per primam con-

tonsorani, & completam per susceptionem ordinum imprimentium indelebilem characterem. Peccatum verò annexam habet durissimam necessitatem ad se ipsum. Nam qui peccat fit seruus peccati. Dixit enim Christus Dominus: *Qui facit peccatum seruus est peccati. Io.* 8. Diuisio autem incipientium, proficientium, & perfectorum non est diuisio statuum, sed graduum eiusdem status perfectionis, qui ad libertatis statum pertinet. Status igitur moralis constituitur ex conditione hominis respicientæ obligationem, per quam conditionem homo est vel sui iuris vel alieni.

14 Sed secundò considerãda est vis consequentiæ, quam facit D. Thom. & quæ est ista: status importat immobilitatem, ergo respicit obligationem personæ. Videri autem potest incerta hæc consequentia. Quare enim hominis conditio non possit esse immobilis independenter ab ordine ad obligationem? Respondetur nihilominus consequentiam optimam esse, & procedere à proprio effectu ad propriam causam. Immobilitas enim moralis non potest non esse effectus alicuius legis, vel absoluentis ab obligatione, vel obligantis. Homo enim liberi arbitrij existens ex vi libertatis, obligationem respicit, tanquam sui iuris, & non iuris alieni; ideò homo, vt homo, quod est dicere homo, vt liber, habet ex lege naturali immobilitatem dominij, & indifferentiæ ad quodcumque voluerit; ab intrinseco igitur non potest habere à se ipso immobilitatem ad aliquam actionẽ, vel modum essendi, viuendi, vel agendi, quia ab intrinseco est dominus ad quæcumque sibi beneuisa indifferens; si ergo immobilitatur, ab extrinseco immobilitatur: Ab extrinseco autem potest homo determinari, vel per violentiam vel per legem Superioris illum obligantem. Ex violentia verò non habetur immobilitas nisi per accidens, quia nullum violentum perpetuum, præterquàquod voluntas in suo actu violentari nõ potest. Ex sola igitur lege aliqua potest homo liberimmobilitari ad determinatum viuẽdi, & operãdi modũ; itaque homo, vt homo non est capax immobilitari in ordine ad aliquam operationem, vel ad aliquem finem, nisi per aliquam legem, per quam vel confirmetur in hoc, quod est esse sui iuris, vel sine præiudicio libertatis suæ obligetur, vt sit iuris alieni, eo modo quo salua naturali libertate homo alteri potest obligari. Itaque ex quo status moralis consistit in immobili conditione hominis, & libertatis sequitur, quod consistat in conditione, per quam vel homo sit, aut perficiatur in hoc, quod est esse sui iuris, vel per quam obligetur ad hoc, vt sit iuris alieni. Et sic status non materialiter seu per accidens, sed formaliter, & per se respicit obligationẽ, vt causam sui, & importat vel absolutionem ab obligatione, vel obligationem, quia aliunde nequit haberi moralis immobilitas.

15 Optima autem ratione in textu adiungitur, quòd esse sui iuris, vel alieni non debeat esse ex causa leui. Neque enim qualibet cõditio libertatis, vel obligationis constituit statum, nã le enim modis homo homini per diuersos contractus obligatur, neque tamen per hoc mutat statum. Nam & seruitus ordinaria, per quam quis salua physica sua libertate alicui famulatur, specialem statum non importat, quia nõ est seruitus de se immobilis. Ideò requiritur, quod conditio obligans, vel eximẽs ab obligatione, sit de se permanens, & immobilis.

16 Quæris verò *Suarez loco citato numer.* 8. quænam sit hæc causa permanens. Et respondet *numer.* 9. non posse in communi assignari huius vnam causam determinatam: Nam, & proptereà D. Thom. & Caiet. nihil de hac determinatione docuerunt, quia immobilitas, quæ est differentia constitutiua status moralis pro conditione materiæ, ex diuersa causa procedit. Dici tamen potest, quod semper est lex aliqua perpetua, per quam homo, vel in sua libertate confirmatur, aut perficitur, vel alteri obligatur immobiliter. Quod inductiuè ostenditur. Nam in naturalibus, & ciuilibus dantur status libertatis, & seruitutis, quorũ prior est immobilis ex lege naturali, per quam homo est sui iuris, & libertatis, & qua libertate priuari nequit per se loquendo, licet per accidens, vel ex publica potestate, vel ex sua libertate possit homo fieri seruus alterius, status verò seruitutis habet immobilitatem moralem, vel ex lege iusti belli, vel ex lege liberæ venditionis, & emptionis, & hoc vel immediatè, vel etiam mediante matre serua, vt habetur in *tit.* 5. *de statu pers. ff. lib.* 1.

17 Status autem peccati est status seruitutis duplici de causa, quam Caietanus tangit. Prima scilicet, quia peccator est obligatus ad peccandum. Aduertit autem Suarez hanc non esse propriè obligationem secundum quam homo dicatur teneri ad peccandum, vel ad permanendum in eo statu, sed est necessitas, scilicet fragilitas, & pronitas ad malũ. Est tamẽ tanta necessitas, vt verè peccatori moraliter sit impossibile viuere diu sine peccato, si non pœniteat, & sanetur per gratiã, hæc enim est illa seruitus ad peccandum, & peccati necessitas, quam S. Augustinus tam sæpe commemorat, præcipuè *lib.* 2. *de nup. cap.* 3. contra Pelagium pro necessitate gratiæ iustificãtis comprobanda. Et licet peccator semper habeat auxilium sufficiens, per quod verè pro singulo momento potest non peccare, si velit; tamen hæc est conditio, & lex infirmitatis, vt infirmus non diu ambulet; & hæc est lex peccati, vt peccatum non deletũ per pœnitentiam ad aliud trahat. Et ità peccator sic verè potest pro sua voluntate, & pœnitere de peccato commisso, & vitare nouum peccatum, quod tamen de facto non diu perseuerat sine noua culpa, & sic sine Dei speciali gratia, nec dolet de præterito, nec vitat nouum peccatum. Secunda causa est, quia homo peccator nedum non potest resurgere proprijs viribus à peccato, sed propter peccatum est ad æternam pœnam obligatus. Vnde non est dubium, quin grauissimum sit peccati iugum.

18 Status verò gratiæ est status libertatis. Addit verò *Suarez num.* 11. eum esse principaliter statum seruitutis Dei, in quo est vera libertas, iuxta illud *Rom.* 6. *liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ*, Et iterum. *liberati à peccato, serui autem facti Deo*. Hoc tamen minus propriè, & formaliter dicitur. Nam licet status gratiæ non sit sine seruitutis obligatione, hanc tamen non fert gratia, & nedum iustus, sed peccator tenetur ad seruiendum Deo, sed immò gratia seruitutem in libertatem amicitiæ eleuat. Deo enim homo absolutè seruire tenetur ex lege naturali, vel etiam supernaturali ex

eo,

eo, quòd Deus hominem ad beatitudinem consequendam ordinauit. Gratia verò superueniens nō seruitutem, sed maximam fert libertatem. Primò enim liberat à seruitute peccati, secundò seruitutem, quam homo habet ad Deum, eleuat in amicitiæ libertatem. Gratia enim est somma participatio diuinæ amicitiæ cōstituens nos non seruos, sed Dei filios, & amicos, & dans ad gloriam ius filiorum, & amicitiæ. Ideò falsum est, quod status gratiæ principaliter sit status seruitutis Dei, quia licet seruitutem contineat, tamen propriè, & principaliter libertatem filiorum Dei importat; *Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Io.1. Si autem filij, & hæredes, Rom, 8. & Io,15. Iam non dicam vos seruos, sed amicos*. Ideò statum gratiæ esse statum libertatis docent *D.August. tract.85. in Io. D.Thom.* hic & communiter scribentes ad illud *cap. 8. Roman. Non enim accepistis spiritum seruitutis, Caiet.* hic, & *D.Anton.3,p.tit.16.cap,1.§ 1,*

19 Sic de alijs statibus apparet, quod status Religionis habet immobilitatem ex lege voti solemnis. Status verò secularis ex lege naturali habet libertatem. Sic etiam status coniugalis habet iugum seruitutis ex lege matrimonij, à qua lege solutus est status virginalis, aut vidualis, seu absolutè status cœlibatus, ex lege naturalis libertatis. Et ita in omnibus alijs statibus facilè est videre immobilitatem haberi semper ex aliqua lege dante perpetuitatem, non quidem metaphysicam, sed moralem. Nam & homo liber potest fieri seruus potest fieri liber. Et iustus potest peccare. Sed nec libertas potest ab inuito tolli nisi aliquando per accidens, vel ex publica potestate, vel ex libertate hominis ex iusta causa. Et seruitus de se moraliter est immobilis, & gratia de se est qualitas perseuerans.

20 Ex his optimè concludit D. Thom. quod status pertinet propriè ad libertatem, & seruitutē. Quæ conclusio habetur ex *cap. si quando 2. q. 6.* vbi causa libertatis, & seruitutis appellatur causa status. Idemque sumitur ex lege *3. & 4. de cap. minut. & ex tot. titul. C. de ingenuis & ff. de statu liberis, & l.3. ff. de statu hom.* sic dicitur *Summa itaque de iure personarum hæc est, quod omnes homines, aut liberi sunt, aut serui*, & hoc idem docent *Caiet.* hic, *D.Anton. 3.par. tit. 16. cap.1. §.1. Soto lib.7. de iust. q.1. art.1. Pax Iordan Prælud.5.num.1, Ledesma de statu perfectionis cap.1. concl.1.* considerandum verò est, illud aduerbium *propriè*, & attēdendum, quod licet status solùm per metaphoram dicatur de statu morali, tamen hæc metaphora ex cōmuni vsu iam in proprietatem transijt, ita quod status moralis diuidatur in statū propriè & cómuniter dictum, vt aduerterunt *Caiet.* hic, & *Bassans v. Religio 1. num. 1.* & tamen status moralis personarum non dicitur talis propriè, nisi sit conditio, per quam ex causa permanente aliquis est sui iuris, & ideò liber, vel iuris alieni, & ideo seruus, sumpta seruitute largè prout sumitur pro quacunque obligatione vnius ad alterum.

21 Responsio ad tertium consideranda est, ex qua habetur formalis distinctio horum trium, scilicet officij, status, & gradus, quia officium respicit actum, & est deputatio ad operandū, gradus respicit ordinem superioritatis, & est id per quod vnus est superior altero, sed status dicitur ex immobilitate, & est conditio hominis immobilis; ideò, vt dicitur infra art.3. ad tertium, stat, quòd idem sit simul officium, gradus, & status, sicuti est Episcopatus, quia Episcopus ad munera Episcopalia deputatur, & est alijs superior, & est in statu perfectionis, vt infra explicabitur.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Ecclesia debeat esse diuersitas officiorum, seu statuum.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod in Ecclesia non debeat esse diuersitas officiorum, vel statuum. Diuersitas enim vnitati repugnat: sed fideles Christi ad vnitatem vocantur, secundum illud Ioan.17. Vt sint vnum in nobis, sicut & nos vnum sumus, ergo in Ecclesia non debet esse diuersitas officiorum, siue statuum. Per 10.1.2.

§. 2. Præterea natura non facit per multa, quòd potest facere per vnum; sed operatio gratiæ est multo ordinatior, quam operatio naturæ; ergo conuenientius esset, quod ea quæ pertinent ad actus gratiæ, per eosdem homines administrarentur, ita quod non esset in Ecclesia diuersitas officiorum, & statuum.

§. 3. Præterea bonum Ecclesiæ maximè videtur in pace consistere, secundum illud Psalm. 147. Qui posuit fines tuos pacem, & 2. ad Cor. vlt. dicitur. Pacem habete, & Deus pacis erit vobiscum: sed diuersitas est impeditiua pacis, quam similitudo causare videtur, secundum illud Eccle. 13. Omne animal diligit simile sibi, & Philosoph. dicit in 7. Politic. quod modica differentia facit in ciuitate dissidium; ergo videtur, quòd non oporteat in Ecclesia esse diuersitatem statuum, & officiorum.

Sed contra est, quod in Psalm 44. ad laudem Ecclesiæ dicitur, quod est circumamicta varietate; vbi glos. dicit, quod doctrina Apostolorum, & confessione Martyrum, & puritate Virginum, & lamento pœnitentium ornatur Regina, idest Ecclesia. Glo. ord. ex Cassiodoro.

Respondeo dicendum, quod diuersitas statuum, & officiorum in Ecclesia ad tria pertinet. Primo quidem, ad perfectionem ipsius Ecclesiæ. Sicut enim Concl. m.

in

in rerum naturalium ordine perfectio, quæ in Deo simpliciter & uniformiter inuenitur, in vniuersitate creaturarum inueniri non potuit, nisi difformiter & multipliciter: ita etiam plenitudo gratiæ, quę in Christo sicut in capite adunatur, ad membra eius diuersimode redundat, ad hoc quod corpus Ecclesiæ sit perfectum. Et hoc est quod Apostol. dicit ad Ephes. 4. Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem pastores, & doctores ad consummationem Sanctorum. Secundò autem pertinet ad necessitatem actionum, quæ sunt in Ecclesia necessariæ. Oportet autem ad diuersas actiones diuersos homines deputari, ad hoc quòd expeditius, & sine confusione omnia peragantur. Et hoc est quod Apost. dicit ad Rom. 12. Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo. Tertio hoc pertinet ad dignitatem, & pulchritudinem Ecclesiæ, quæ in quodam ordine consistit. Vnde dicitur 3. Reg. 10. videns Regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & habitacula seruorum, & ordines ministrantium, non habebat vltra spiritum. Vnde & Apost. dicit 2 ad Timot. 2. quod in magna domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia.

Ad primum ergo dicendum, quod diuersitas statuum, & officiorum non impedit Ecclesiæ vnitatem, quæ perficitur per vnitatem fidei & charitatis, & mutuæ subministrationis, secundum illud Apost. ad Ephes. 4. Ex quo totum corpus est compactum, scilicet per fidem, & connexum, scilicet per charitatem, per omnem iuncturam subministrationis, dum scilicet vnus alij seruit.

Ad secundum dicendum, quod sicut natura non facit per multa, quod potest facere per vnum, ita etiam non coarctat in vnum id, ad quod multa requiruntur, secundum illud Apost. 1. ad Cor. 12. Si totum corpus oculus, vbi auditus? Vnde & in Ecclesia, quæ est Corpus Christi, oportuit membra diuersificari secundum diuersa officia, status, gradus.

Ad tertium dicendum, quod sicut in corpore naturali, membra diuersa continentur in vnitate per virtutem spiritus viuificantis, quo abscedente membra corporis separantur: ita etiam in corpore Ecclesiæ conseruatur pax diuersorum membrorum virtute Spiritussancti, qui corpus Ecclesiæ viuificat, vt habetur Io. 6. Vnde Apost. dicit ad Ephes. 4. Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Discedit autem aliquis ab hac vnitate spiritus, dum quærit quæ sibi sunt propria: sicut etiam in terrena ciuitate pax tollitur ex hoc, quod ciues singuli, quæ sua sunt, quærunt. Alioquin per officiorum, & statuum distinctionem tam mentis, quam ciuitatis terrenæ magis pax conseruatur, inquantum per hæc plures sunt, qui communicant actibus publicis. Vnde & Apost. dicit 1. ad Cor. 12. Quod Deus temperauit nos, vt non sit schisma in corpore, sed pro inuicem solicita sint membra.

SVMMARIVM.

1 *De fide est dari in Ecclesia diuersitatem officiorum, statuum, & graduum. num. 1.*
2 *Qui hæretici hoc negauerint. num. 1.*
3 *Multitudo officiorum, & statuum necessaria ad perfectionem Ecclesiæ. num. 2.*
4 *Creatura non est capax completæ perfectionis nisi in multitudine. num. 2.*
5 *Multitudo officiorum & statuum necessaria ad diuersos actus propter felix gubernium Ecclesiæ. num. 3.*
6 *Et propter Ecclesiæ decorem. num. 4.*
7 *Ecclesia consideranda & vt respublica, & vt Ecclesia. num. 5.*
8 *Statuum multiplex diuisio à num. 5.*
8 *Status seruitutis, & libertatis. num. 5.*
9 *Status Nobilium, & plebeiorum. num. 5.*
10 *Status solutorum, & Coniugatorum. num. 5.*
11 *Diuersæ ætates non sunt propriè status. num. 5.*
12 *Status Patriæ. num. 6.*
13 *In Patria cœlesti non sunt plures status. num. 7.*
14 *Status damnatorum, status infidelitatis. num. 8.*
15 *Infidelitas negatiua in aliquibus damnatis. num 8.*
16 *Purgantes non sunt in statu, sed ad statum salutis spectant. num 9.*
17 *Status dantur etiam in via. num. 10.*
18 *Status innocentiæ. num. 11.*
19 *Status naturæ corruptæ. num. 12.*
20 *Status gratiæ. num. 13.*
21 *Status peccati. num. 14.*
22 *Gratia Dei peccatori non deficit. num. 14.*
23 *Status naturæ, legis, & gratiæ. num. 15.*
24 *Alij plures status. num. 16.*

1 Dari

1 DAri in Ecclesia distinctionem plurium statuum, officiorum, & graduum veritas est certissima & de fide tenenda, quam soli illi haeretici negant, qui ab Ecclesia omnem hierarchicum ordinem de medio tollere contendunt, quales sunt Vualdenses, Anabaptistæ, & nouissimi hæretici, præsertim Puritani. Sed illorum error, cum vnus non sit, quia vel negant Sacramentum Ordinis, vel Ecclesiasticam potestatem, vel statum religiosum, non est hic locus eos impugnandi nisi in communi, probando conuenientissimum esse, quòd in Ecclesia plura ministeria distinguantur, & plures status, & gradus ordinentur.

2 Triplici verò ex capite veritatem hanc probat *D. Thom. in hoc artic.* Et quidem primò ex parte perfectionis Ecclesiæ. Solus enim Deus est in se ipso vno capax completæ perfectionis, Creatura verò in singulis non potest esse perfectè completa; nulla enim creatura est capax omnis bonitatis, cum quælibet creatura ad diffinitum genus, & speciem, & indiuiduum sit limitata, & finita. Sicut igitur in esse naturæ quia nulla creatura est capax adæquatè participandi, & repræsentandi diuinam bonitatem, ideo vt probat *D. Thom. par. 1. quæst. 47. art. 1. & 2.* fuit necesse quòd Deus plures creaturas, & quidem in perfectione inæquales crearet, vt hoc modo & Deus se ipsum communicaret, & Vniuersum esset in se perfectum, & dici posset quòd esset Deus extra se completè diffusus: Propter quod de omnibus rebus in vniuerso ordinatis dixit Sacer textus Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: Ita in Ecclesia sua necesse fuit distincta esse officia, status, & gradus, vt cum impossibile sit in singulis esse omnem perfectionem & modum perfectionis, ex omnibus sic distinctè, & inæqualiter dispositis, & ordinatis Ecclesia tanquam vniuersitas perfectissima resultaret. Quod est id, quod Apostolus Paulus explicuit ad Ephes. capit. 4. dicens de Christo Domino, *Et ipse dedit, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi.* Vt enim ad hunc locum aduertit *Catharinus*, Deus Spiritu implet Ecclesiam, sed gratias diuidendo, & inæqualiter dona sua dispensando. *Diuisiones*, enim, *gratiarum sunt, idem verò Spiritus.* 1. Cor. 12. Et ex hoc Ecclesiæ completur perfectio, quod inæqualiter secundùm multitudinem statuum, officiorum, & graduum, plenitudinem Spiritus Sancti consequitur.

3 Sed & ratio efficax pro horum munerum diuersitate desumitur ex multitudine & diuersitate actionum, quæ ad felix Ecclesiæ gubernium necessariæ sunt, vt enim in Christo fideles nascantur necessaria est doctrina, & prædicatio instruentium infideles in fide, & ministratio baptismi, in quo spiritualis Natiuitas consistit, verùm & instructio necessaria est, sicut & Sacramenta Confirmationis, per quod fideles roborentur, Eucharistiæ per quod nutriantur & crescant, Pœnitentiæ, per quod eorum infirmitates sanentur, Extremæ vnctionis, per quod peccatorum reliquiæ tollantur, ordinis per quod Ministri Sacramentorum instituantur, Matrimonij per quod coniugia sanctificentur. Sed & pro infirmitatibus corporalibus necessaria est ad incrementum fidei gratia Curationum, & pro futuris præcognoscendis gratia prophetiæ. Similiter in Ecclesia necessarij sunt, qui ius dicant, qui iustitiam exequantur, qui mores corrigant; qui delicta puniant, qui virtutem protegant, qui misericordes nedum corporaliter, sed spiritualiter indigentibus subueniant. Et ita in ordine ad bonum commune totius Ecclesiæ pro diuersitate actionum necessaria est distinctio ministeriorum, inter quæ etiam necessarius est ordo, & subordinatio. Sed & respectu singulorum, quia non omnes sunt eiusdem temperamenti, valetudinis, fortitudinis, ætatis, sexus, conditionis, experimenti, assuetudinis, & gustus, conueniens fuit, quod in Ecclesia essent varij viuendi modi, qui essent veluti viæ perueniendi ad perfectionem, per quas alius sic, alius sic iret, secundùm quod sibi magis aptum videretur. Propterea conueniens fuit quod in ordine ad bonum commune essent in Ecclesia plura officia, & respectu perfectionis cuiuscumque plures status. Quod est id, quod docuit *Apost. in 1. ad Cor. 12. Diuisiones verò gratiarū sunt, idem autem spiritus. Et diuisiones ministrationū sunt, idem verò Dominus. Et diuisiones operationū sunt, idē verò Deus. Qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatē. Alij quidem per spiritū datur sermo sapiētiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, &c. alij interpretatio sermonū.* Et pulcherrimè vtens similitudine corporis naturalis, ad cuius perfectionem, & opera exercenda necessaria sunt distincta membra & organa, situ, perfectione, virtute distincta, & inæqualia. Ita in corpore mystico Ecclesiæ, necessaria est plurium ministrorum institutio, qui adinuicem gradu, & potestate distinguantur. *Vos autem*, inquit, *estis Corpus Christi, & membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ?* Sicut igitur in eodem corpore necessaria sunt diuersa membra, sic in Ecclesia distincta officia, & ideò etiam diuersæ fideliū Christi conditiones, status, ac gradus.

4 Tertiò quia ex hac inæqualitate plurium statuum, officiorum, ac graduum habentium inter se ordinem, consurgit admirabilis Ecclesiæ sanctæ pulchritudo, vt cum D. Thom. aduertunt *Caiet. D. Anton. 3. par. tit. 16. cap. 1. §. 1. Sotus lib. 7. de iust. q. 5. num. 1. Pax Iordan. Prælud. 5. num. 1. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 1. cap. 2. num. 6.* Sicut enim vt dicitur 3. *Regum* 10. Regina Saba videns sapientiam Salomonis, & habitacula seruorum, & ordines ministrantium, non habebat vltra spiritum; ita ineffabilis est sanctæ Ecclesiæ pulchritudo, quæ ex ordine fidelium, & proportione illorum consurgit. Et propterea ad Ecclesiæ laudem dicitur Psalm. 44. quod est *circumdata varietate*, quia diuersitate graduum, & statuum, ornatur, & perficitur.

5 Verum cum agere distinctiùs de officijs, ministerijs, potestate, & iurisdictione Ecclesiastica spectet ad tractatum de Sacramento Ordinis, & in præsenti nos de statibus fidelium sermonem habeamus,

mus relictis, quæ de officiis Ecclesiasticis dici possent, rationem diuersorum statuum, qui ad Ecclesiam pertinent assignemus.

6 Sancta igitur Ecclesia considerari potest, vel vt conuenit cum alijs communitatibus, & rebus publicis, & est congregatio hominum temporaliũ, vel secundùm sibi propria, vt est congregatio fidelium. In Ecclesia primo modo sumpta inueniuntur status libertatis & seruitutis; Cõditiones enim libertatis & seruitutis illæ sunt, secundùm quas alij status etiam spirituales distinguuntur, & ideò maximè ad statũ pertinent. Vnde *cap. si quando 2.q.6.* causa libertatis, aut seruitutis dicitur, causa status. Et de huiusmodi statibus pluries tractatur in iure, vt toto, *C. de ingenuis manumiss. & lib. 1. to. 5. ff. de libertinis, & lib. 1. tit. 5. ff. de statu hominum.* Sicut verò antiquitus sub statu liberorum distinguebantur status ingenuorum, & libertinorum, ita modò secundùm *Suarez tom. 3. de Relig. lib. 1. cap. 1. num. 14.* distinguuntur status nobilium, & plebeiorum; sed cum conditio plebeiorum, & nobilium non sit immobilis, multum deficit à ratione status, nisi pro quanto sit aliqua lege immobili stabilita, & firmata. Distinguuntur etiam status solutorum, & coniugatorum. Nam status coniugatorum est status immobilis subiectionis ex lege naturali matrimonij, & iure Canonico, & Ciuili ad onera matrimonij, à quibus liberi sunt qui soluti dicuntur. Distinguit etiã Suarez status maiorum, & minorũ secundũ ætates. Sed hoc minus propriè dicitur, quia hominis ætas talis conditionis est, vt nũquam in eodem statu permaneat, vnde non est status, sed motus sine statu, quia homo *quasi flos egreditur, & statim marcescit, & fugit velut umbra.* De his tamen Ciuilis Reipublicæ statibus non est sermo noster.

7 Considerata verò Ecclesia, vt est fidelium congregatio, sicut diuiditur in Ecclesiã triumphantem in Cœlo, & militantem in terris, sic & distinguuntur spirituales status, patriæ, & viæ. Dari autem statum Patriæ habetur ex *Dionys. lib. de Eccles. Hierar.* quem refert *Grauina lib. 4. Prescrip. Canon. 3. art. 5. ad 8. pag. mihi 132.* Et iure merito nomen status conuenit conditioni Beatorum, quæ æternitate ipsa mensuratur in æternum immobilis duratura. Et est status plenissimæ libertatis iuxta illud *Apost. Rom. 8. 21. Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorũ Dei.* Beati enim liberi sunt, à culpa, à pœna, à miseria, à corruptione, & ab omni malo.

8 At verò sicut in Beatorum multitudine dantur gradus, nam & Angeli Beati in nouem choros sub triplici hierarchia sunt ordinati, vt ex *Dionys. & Greg. tradit D. Thom. 1. par. quæst. 108. art. 1. & 6.* & homines beati ad Angelorum choros eleuantur iuxta inæqualitatem meritorum ex gratia, ita etiam dentur plures status in perfectione essentialis beatitudinis? affirmat *Suarez tom. 3. de Relig. lib. 1. cap. 2. num. 6.* Nam & Beatorum magna est varietas in aureolis, & accidentalibus præmijs. At oppòsitum est asserendum. In patria enim vna est omnium Beatitudo, & eadem omnium Æternitas, atque immutabilitas, & sic inter eos licet sint diuersi gradus, & diuersæ accidentales perfectiones, vna est substantia beatitudinis in Dei visione consistens; &, quod magis ad rem facit, eadem est causa formalis & idem modus immutabilitatis, quia ex diuinæ visionis conditione est, quod beati in æternum immutabiliter Deum videant, & Deo viso fruantur. Nec est eadem ratio de patria, & de via. Ibi enim vna est omnium merces æterna, quæ Deus est, hic verò plures viæ sunt ad Deũ perueniendi, Ibi vna est omniũ immobilitas, hic verò ex diuersis causis cõditiones spiritualis redduntur immobiles. Beatitudinem etiam decet vnitas, sed conditio viæ ex sua imperfectione necessariò admittit distinctionem, & inæqualitatem. Vnus igitur est beatitudinis status, licet secundum inæquales gradus acquisitus.

9 Ad gradus termini, pertinet etiam pœna damnatorum, quorum conditio cum sit æterna, iuxta illud Christi *Discedite maledicti in ignem æternum,* meritò nomen status obtinet. Aduertit verò *Suarez d. lib. 1, cap. 1. num. 15.* quod hic status non potest dici status Christianæ vitæ, quia nec est status vitæ, sed mortis, & quatenus est status vitæ naturalis, non est status vitæ Christianæ. Dicitur verò quòd propriè est status infidelitatis Christianæ, seu status mortis non credentium in Christum fidei vina, iuxta illud Christi Domini *Marc. 16. Qui verò non crediderit condemnabitur.* Et quamuis inter damnatos aliqui sint, in quibus infidelitas fuit negatiua, & ideò non fuit peccatum, nec propter illam damnati sunt; tamen & hi saltem negatiuè infideles, si credidissent non perijssent, & quod non crediderint, & salui facti sint per fidem, fuit ex eorum demerito, & obstaculo. Et sic meritò eorum status ad statum termini infidelitatis pertinet.

10 Conditio autem purgantium, quia non est stabilis propriè non est status, & tamen reducitur quodammodo ad statum beatitudinis, & ipsi propriè sunt in statu salutis propter certitudinem illã obtinendi, licet illa nondum fruantur, sed captiui detineantur. *Suarez d. n. 15.*

11 Iam verò de Ecclesia in statu viæ loquendo, multiplices in ea distingui possunt status. Sed qualiter viæ cõuenit ratio status? quia dari potest immobilis modus iter habendi; sicut igitur dari potest & datur in viatoribus dispositio immobiliter ordinans, vel deordinans illos in statum æternitatis, sic dantur in viatoribus status iuxta capacitatem viatorum. *Suarez ibid.*

12 Status verò Ecclesiæ militantis primò distinguitur in statum innocentiæ, & statum naturæ lapsæ, seu in statum naturæ integræ, & statum naturæ corruptæ. Hanc distinctionem tradidit D. Thom. *1. par. q. 94. art. 2. & prim. 2. q. 109. ar. 2. & 8. & q. 114. art. 2. c.* Quamuis, enim tempus naturæ integræ homini breuissimum fuerit, hoc fuit per accidens, nam aliàs conditio gratuita hominis in illo statu per se multum stabilis erat & permanens, quia cõsistebat in habitu iustitiæ originalis, & alijs supernaturalibus habitibus, ex sua natura permanentibus. Et de huius status conditione fœlici agit D. Thom. *1. par. q. 94. citata, & in 3. d. 29. q. vn. art. 8. q. 1.*

13 Status etiam naturæ lapsæ valdè propriè dicitur status, cum duret adhuc, & sit vsque ad finem mundi duraturus, quando, vt dixit *Apost. Rom. 8. Et ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorum Dei.* Nunc enim etsi credentibus per Christi gratiam remittantur pec-

peccatum originale, & alia etiam peccata in Sacramentorum aut voto, aut actuali susceptione. nihilominùs integritas naturæ non redditur, & vt docet D Th. p.2. q. 109. art.9. c. *licet natura per gratiam sanetur quantùm ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantùm ad carnem, per quam seruit legi peccati, vt dicitur ad Rom.7.* iustitiam enim originalem, quæ integritatem reddat, homo non recuperat, & ideò natura in parte semper corrupta manet, donec perfectè sanetur in statu gloriæ.

14 Hic tamen status naturæ lapsæ distinguitur in statum gratiæ, & statum peccati. Nam gratiæ conditio, vt probatum est artic.1. de se stabilis est, ac firma, licet hic status intantùm à perfectione illatus deficiat; inquantùm est amissibilis ex sola hominis libertate. Nihilominùs status est, quia gratia est de se permanens, nec ab inuito homine potest tolli, vnde est status, libertatis, quantùm libertatis est capax natura corrupta.

15 Sed status peccati status est, quia ab eo non resurgit homo sine Dei gratia, & quia nisi peccator sanetur per gratiam, semper in peius ruit. Et nihilominùs, quia gratia Dei peccatori non deficit sed semper illi adest, potest homo pro sua libertate ad Deum conuerti, Deo ipsum adiuuante.

16 In statu autem fidei & gratiæ plures alij status distinguuntur, nimirum status naturæ, status legis scriptæ, & status legis gratiæ. Primus status fuit hominum ante legem, & secundus fuit hominum sub lege Moysi, & tertius est hominum sub lege Christi. De his statibus multa habet, *S. Aug.l.83. qq. in 66. & in epist. ad Roman. & ad Galatas, in Enchir.cap.118.* Et de secundò & tertiò statu agit *D. Thom. par. 2. q. 101. art.2. c. & q.102. art.3. c. & q.106. art.4. ad primum & 3.p. q.53.a.2 c. & quodl. 17. artic. 15. c.* De primo autem statu naturæ agit in *4. d.1.q.2.artic.2. q.3.* Hæc tamen distinctio non tam est distinctio diuersorum statuum, quàm distinctio modi essendi eiusdem status, sicut est distinctio ætatum hominis. Vnde est quòd *D.Thom.4. d.4. quæst.3. artic.1. quæst.1.c. & d.40.l.* ait, quod diuersi status mundi comparantur diuersis ætatibus vnius hominis.

17 Distinguitur verò status gratiæ in statum christianæ vitæ, & statum perfectionis, & rursus status perfectionis in statum Regularium & Episcoporum, & status Regularium in plures religiones. Aliqui etiam distinguunt statum hunc spiritualem in statum secularium, & clericorum, & alij addunt statum viduarum, virginum, & coniugum. Sed de his distinctionibus agendum est infra, cum in particulari de statibus perfectionis erit sermo.

ARTICVLVS III.

Vtrum officia distinguantur per actus.

In prt 10. AD tertium sic proceditur. *Videtur quod officia, non distinguantur per actus. Sunt enim infinitæ diuersitates humanorum actuum tam in spiritualibus, quàm temporalibus: sed infinitorum non potest esse certa distinctio. ergo per diuersitates actuum non potest esse humanorum officiorum certa distinctio.*

§. 2. *Prat. Vita actiua, & contemplatiua secundum actus distinguuntur, vt dictum est, sed alia videtur esse distinctio officiorum a distinctione vitarum. non ergo officia distinguuntur per actus.* q.179. art. 1.

§. 3. *Prat. Ordines etiam ecclesiastici, & status, & gradus per actus distingui videntur. Si ergo officia distinguantur per actus, videtur sequi, quod eadem sit distinctio officiorum, graduum, & statuum: hoc autem est falsum, quia diuersimode in suas partes diuiduntur. non ergo videtur quod officia distinguantur per actus.*

Sed contra est, quod Isid. in libr. Etym. dicit, quod officium ab efficiendo est dictum, quasi efficium, propter decorem sermonis vna mutata litera: sed efficere pertinet ad actionem. ergo officia per actus distinguuntur. lib.6.c.19 in princ.

Resp. dicendum, quod sicut supra dictum est, diuersitas in membris Ecclesiæ ad tria ordinatur, scilicet ad perfectionem, actionem, & decorem: & secundum hoc triplex distinctio diuersitatis fidelium accipi potest. Vna quidem, per respectum ad perfectionem, & secundum hoc accipitur differentia statuum, prout quidam sunt alijs perfectiores. Alia vero distinctio accipitur per respectum ad actionem, & hæc distinctio dicitur officiorum. Dicuntur enim in diuersis officijs esse, qui sunt ad diuersas actiones deputati. Alia autem per respectum ad ordinem pulchritudinis ecclesiasticæ: & secundum hoc accipitur differentia graduum, prout scilicet in eodem statu, vel officio vnus est alio superior. Vnde & in Psal.47. dicitur secundum aliam literam. Deus in gradibus eius cognoscetur. Ar. Præce Concl. m.

Ad primum ergo dicendum, quod materialis diuersitas humanorum actuum est infinita: & secundum hanc non distinguuntur officia, sed secundum formalem diuersitatem, quæ accipitur secundum diuersas species actuum, secundum quam actus hominis non sunt infiniti.

Ad secundum dicendum, quod vita

dicitur absolute, & ideo diuersitas vitarum accipitur secundum diuersos actus, qui conueniunt homini secundum seipsum. Sed efficientia, a qua sumitur nomen officij, vt dictum est, importat actionem tendentem in alind, vt dicitur in 9. Met. Et ideo officia distinguuntur proprie secundum actus, qui referuntur ad alios: sicut dicitur doctor habere officium, vel iudex, & sic de alijs: & ideo † Isid. dicit, quod officium est, vt quisque illa agat, qua nulli officiant, idest noceant, sed prosint omnibus.

In arg ad oppositu. — Lib.9.tex.10. — Lib 6.ety. c 19. circa princ.

Ad tertium dicendum, quod diuersitas statuum, officiorum, & graduum secundum diuersa sumitur, vt dictum est. Contingit tamen quod ista tria in eodem concurrant, puta, cum aliquis deputatur ad aliquem actum altiorem, simul ex hoc habet & officium, & gradum, & vlterius quendam perfectionis statum propter actus sublimitatem, sicut patet de Episcopo. Ordines autem ecclesiastici specialiter distinguuntur secundum diuersa officia. Dicit enim Isid. in lib. Etym. Officiorum plurima genera sunt, sed pracipuum illud est, quod in sacris, diuinisque rebus habetur.

Art.1 ad 3 — Lib 6 c.19 in princ.

SVMMARIVM.

1 *D. Th. cur expresse quærit solum causam distinctionis officiorum? num.1.*
2 *Distinctio statuum, officiorum, & graduum. numer.2.*
3 *Distinctio statuum desumitur per ordinem ad perfectionem Ecclesiæ. num.4.*
4 *Status moralis spiritualis est conditio respiciens perfectionem Ecclesiæ immobiliter. n.4.*
5 *Immobilitas non est sola differentia status moralis, num.5.*
6 *Status ab officio, & gradu, non per immobilitatem, sed per ordinem ad perfectionem propriam, & Ecclesiæ distinguitur. num.5.8.*
7 *Status non est necessario perfectio, sed respicit perfectionem. num.6.*
8 *Perfectio, actio, & decor sunt causæ distinctionis status, officij, & gradus. num.7.*
9 *Materialiter in eodem coincidunt status, officium, gradus, non tamen semper. n.7.9.*

1 CVm in art. D. Th. quærat causam distinctionis tam statuum, & graduum quàm officiorum, cur quærit expressè solùm an officia distinguantur per actus? Quia distinctio officiorum per actus est magis manifesta, vt per illam etiam possit explicari distinctio statuum & graduum.

2 Hæc verò est articuli huius principalis conclusio, scilicet quòd distinctio statuum est per respectum ad perfectionem, & distinctio officiorum per respectum ad actus, & distinctio graduum per respectum ad decorem, & pulchritudinem vniuersi.

3 Circa distinctionem statuum autem dubium esse potest, an sermo literæ sit formalis, ita vt statuum distinctio formaliter sumi debeat ex distinctione perfectionum in quibus homo stare dicitur. Dubium enim est primò ex eo, quòd status de formali dicit immobilitatem, vnde status formaliter distingui potest solùm per differentias immobilitatis, non verò per differentias perfectionis. Quod secundò confirmatur, quia immò, vt supra probatum est, nec est de ratione status, quòd dicat perfectionem, cum detur status peccati seu status in malo. Ex alia verò parte non videtur dicendum, quòd literæ sermo sit materialis, eò magis quòd officia formaliter distinguuntur per actus, & gradus propter decorem multiplicantur.

4 Respondetur sermonem D. Th. formalem esse. Sed considerandum est, quòd moralis status Ecclesiæ licet quantùm ad id, à quo nomen status desumitur, importet positionem immobilem, tamen quantum ad id, ad quòd nomen est impositum importat conditionem fidelium ordinatam, vel respicientem perfectionem totius Ecclesiæ per modum cuiusdam immobilitatis, & ad hanc eandem perfectionem ordinatur statuum diuersitas, & multitudo, ideo status moralis spiritualis Ecclesiæ per hoc formaliter ab officio distinguitur, quòd statuum diuersitas directè respicit esse perfectionem Ecclesiæ, vt sic dicam formaliter, sed officiorum multitudo respicit actus, & datur ad perficiendos actus, & sic ad perficiendam Ecclesiam veluti effectiuè, sed multitudo graduum respicit Ecclesiæ decorem.

5 Ad primum in oppositum dicitur, quòd res per vnam differentiam non distinguitur formaliter ab omnibus. Nam homo per sensibilitatem non distinguitur a boue, quia etiam bos est sensibilis. Sic quia & officium, & gradus possunt esse immobiles, status per immobilitatem non distinguitur ab officio, & à gradu. Sed per hoc distinguitur, quòd status formaliter est conditio personalis & forma respiciens proximè perfectionem subiecti, & primò perfectionem Ecclesiæ, sed gradus respicit decorem, & officium actionem. Per immobilitatem autem status distinguitur ab alijs conditionibus personalibus, quæ licet perfectionem respiciant, quia non sunt immobiles non sunt status. Et sic status moralis de formali dicit conditionem respicientem perfectionem subiecti immobiliter.

6 Ad secundam obiectionem dicitur, quòd status respicit quidem perfectionem tam personarum in singulari, quàm Ecclesiæ, sed non est necessariò perfectio, sed est vel perfectio, vel imperfectio immobilis. Nec D. Th. dicit, quòd status dicat perfectionem. Sed inquit, & optimè, quòd diuersitas in membris Ecclesiæ ad Ecclesiæ perfectionem ordinatur. Et ex hoc colligit, quòd diuersitas statuum sumitur per respectum ad perfectionem Ecclesiæ. At verò Ecclesiæ perfectionem respicit nedum virtus & gratia, sed etiam peccatum & pœna. Et sic dantur primò status gratiæ, & status pecca-

ti,

ti, & vterque diu idicitur in statum beatorum, & damnatorum; & iustorum, & peccatorum in via. Et omnes isti status dicunt conditionem per quam Ecclesia vel perficitur, vel imperficitur cum quadam immobilitate.

7 Ideo bene *Caiet.* aduertit, hæc *tria status, officium, ordo* non distingui in ordine ad perfectionem, actum, & decorem, vt singula singulis propria sint, nam status simul esse potest officium, & gradus, Episcopatus enim, v. g. & est status, ratione immobilis cõsecrationis in ordine ad Deum, & est officium ratione deputationis ad diuersa mnnia & actiones, spectantes ad regimen Ecclesiæ, & est gradus ratione excellentiæ super alios. Sed hæc tria perfectio, actus, & decor, appropriantur statui, officio, & gradui, vt propriæ rationes distinguendi illos adinuicem.

8 In responsione ad secundam assignatur differentia inter vitam, & officium ex diuersa consideratione actus. Nam actio aliqua considerari potest vel vt est bonum operantis, per quod operans perficitur & fit bonus, vel vt est bonum aliorum, quia scilicet ordinatur ad aliorum vtilitatem & perfectionem. Primo modo sumpta actio non constituit officium, sed pertinet ad vitam, & est quid annexum statui cuiuscumque, Status enim, qui importat cõditionem respicientem perfectionem stantis, quia est stantis conditio, dispositio, & qualitas, nam & operari propter finem est quædam hominis perfectio, ideo status vt est status perfectionis bene importare potest conditionem disponentem hominem ad bene operandum propter finem, vt sic operando bene propter finem, per propria opera perficiatur; & sic status etiam distinguuntur per hoc quód homines ad opera vitæ actiuæ, vel contemplatiuæ immobiliter deputantur. Sed respiciunt opera vt sunt perfectiones operantis sed actiones pertinenead officium vt respiciunt bonum aliorum. Sic Iudex respicit actionem vt est bonum Reipublicæ, quia ordinatur ad dandum cuique quod suum est, & doctor deputatur ad docendum alios.

9 In responsione ad tertium bene aduertit D. Th. contingere, quód concurrant simul in eodem status, officium, & gradus, quia licet hoc sit verum aliquando, non tamen est semper verum Nam v. g. Episcopatus est status, qui est simul officium, & gradus; Episcopus enim simul est & iudex, & dator suæ Ecclesiæ, & dignitate præcedit suos subditos, vnde in Ecclesia habet sublimem gradum in perfectione, & decore. Sed status peccati nec est officium, nec gradus. Pariter nec status Christiani est officium, licet sit gradus. Directè enim, & per se primo homo per baptismum non ordinatur ad agendum in vtilitatem aliorum, sed in propriam vtilitatem & perfectinnem, quámuis per redundantiam ex charitate secundariò ordinetur etiam ad aliorum profectum. Sic esse iudicem, importat officium, & etiam gradum, sed non statum, quia non habet immobilitatem ad statum necessariam.

ARTICVLVS IV.

Vtrum differentia statuum attendatur secundum incipientes, proficientes, & perfectos.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod differentia statuũ non attendatur secundum incipientes, proficientes, & perfectos. Diuersorum enim diuersæ sunt specie differentiæ: sed secundum hanc differentiam inchoationis, profectus, & profectionis, diuiduntur gradus charitatis, vt supra habitum est, cum de charitate ageretur; ergo videtur quod secundum hoc non sit accipienda differentia statuum. Per.per 10. Sup. q. 24. ar 7. lib pf. 24 Et lia. 51. q. 24. ar. 9.

§. 2. Præt. Status, sicut dictum est respicit conditionem seruitutis, vel libertatis, ad quam non videtur pertinere prædicta differentia incipientium, proficientum, & perfectorum. ergo inconuenienter status per ista diuiditur. Art. 2. huius quæst.

§. 3. Præt. Incipientes, proficientes, & perfecti distingui videntur secundum magis & minus, quod videtur magis pertinere ad rationem gradus: sed alia est diuisio graduum & statuum, vt supra dictum est. Non ergo conuenienter diuiditur status secundum incipientes, proficientes, & perfectos. Ar. 2. & 3.

Sed contra est, quod Greg. dicit in moral. Tres sunt modi conuersorum, inchoatio, medietas, atque perfectio. Et super Eze. dicit, quod alia sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. De pœnit. dist. 2. c. Charitas. Hom 15. in Eze. non multũ remote a pri. Ar. 1. huius quæst.

Resp. Dicendum, quod sicut supra † dictum est status libertatem respicit, vel seruitutem. Inuenitur autem in reb. spiritualibus duplex seruitus, & duplex libertas. Vna quidem est seruitus peccati: altera vero est seruitus iustitia. Similiter etiam est duplex libertas. Vna quidem a peccato: alia vero a iustitia, vt patet per Apo. qui dicit ad Ro. 6. Cum serui es-

setis

setis peccati, liberi fuistis iustitia: nunc vero liberati à peccato, serui estis facti Deo. Est autem seruitus peccati, vel iustitiæ, cum aliquis ex habitu peccati ad malum inclinatur, vel ex habitu iustitia inclinatur ad bonum. Similiter etiam libertas à peccato est, cum aliquis ab inclinatione peccati non superatur. Libertas autem à iustitia est, cum aliquis propter amorem iustitiæ non retardatur a malo. Veruntamen quia homo secundum naturalem rationem ad iustitiam inclinatur, peccatum autem est contra naturalem rationem, consequens est quod libertas a peccato sit vera libertas, quæ coniungitur seruituti iustitiæ, quia per vtrumque tendit homo in id, quod est conueniens sibi. Et similiter vera seruitus est seruitus peccati, cui coniũgitur libertas a iustitia, quia scilicet per hoc homo impeditur ab eo, quod est proprium sibi. Hoc autem quod homo efficiatur seruus iustitiæ, vel peccati, contingit per humanum studium, sicut Apost. dicit ibidem. Cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui eius estis cui obedistis siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam. In omni autem humano studio est accipere principium, Concl. *medium & terminum. Et ideo consequens est, quod status spiritualis seruitutis, & libertatis secundum tria distinguatur. Secundum principium, ad quod pertinet status incipientium: & medium, ad quod pertinet status proficientium: & terminum, ad quem pertinet status perfectorum.*

Ad primum ergo dicendum quod libertas a peccato fit per charitatem, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritumsanctum, qui datus est nobis, vt dicitur ad Ro. 5. Et inde est, quod dicitur 2. ad Cor. 3. Vbi Spiritus Domini, ibi libertas: & ideo eadem est diuisio charitatis, & statuum pertinentium ad spiritualem libertatem.

Ad secundum dicendum, quod incipientes, proficientes, & perfecti, secundum quod per hoc status diuersi distinguuntur; dicuntur homines non secundum quodcumque studium; sed secundum studium eorum quæ pertinent ad spiritualem libertatem, vel seruitutem, vt dictum est.

Ad tertium dicendum, quod sicut prius dictum est, nihil prohibet in idem concurrere gradum, & statum. Nam & in reb. mundanis illi qui sunt liberi non solum sunt alterius status quàm serui, sed etiam sunt altioris gradus. In cor. art. & ar. 1. huius quæst. Ar. præce. ad 3.

SVMMARIVM.

1 *Status spiritualis personarum & actionum. numer. 1.*
2 *Charitas incipiens, proficiens, & perfecta. nu. 1.*
3 *Et aliæ virtutes diuiduntur in statum incipientium, & proficientium. num. 2.*
4 *Tam habitualis, quam actualis charitas diuisa in præfata diuisione. num. 3.*
5 *Diuisio ista sufficiens. num. 4.*
6 *Charitas nutrita, roborata, perfecta. n. 4.*
7 *Charitas inchoata, prouecta, magna, & perfecta. nu. 4.*
8 *Diuisio hæc non secundum intensionem, sed secundum extensionem accipienda. nu. 5.*
9 *Plures charitatis diuisiones. num. 6.*
10 *Distinctio incipientis, proficientis, & perfectæ charitatis, penes extensionem eius ad vitanda peccata mortalia, venialia, & ad quietem in Deo. n. 7.*
11 *Eadem distinctio explicata per diuersum modum operandi. n. 8.*
12 *Status diuiditur in statum incipientium, proficientium, & perfectorum. num. 9. 13.*
13 *Habitus quandam seruitutem inducit. nu. 10.*
14 *Seruitus peccati ex habituali concupiscentia. numer. 11.*
15 *Seruitus iustitiæ & libertas a peccato per habitum gratiæ. num. 12. 22.*
16 *Diuisio ista non est generis in species. n. 14.*
17 *Nec sumitur ex diuersitate personarum. n. 15.*
18 *Nec secularium, religiosorum, & Episcoporum. num. 16.*
19 *Nec subiecti in accidentia. n. 17.*
20 *Nec accidentis in subiecta. num. 17.*
21 *Sed est diuisio causæ in effectus; & moti in finem in varios terminos sui itineris; & studentis in varios gradus perfectionis study sui. n. 18.*
22 *Quilibet horum statuum debet habere suam perfectionem. num. 19.*
23 *Perfectio vitæ non excludit omnino progressum. num. 20.*
24 *Religiosus consideret, in quo statu sit & quantum proficiat. n. 21.*
25 *Non dicitur status incipiens, aut proficiens, aut perfectus. n. 23.*

1 STatum dici, & de personis, & de motibus, supra explicatum est; In præsenti verò hoc cōsiderandum est, quòd etiam status spiritualis diuidi potest in statum personarum, & statum actionum, seu virtutum, & præcipuè charitatis in qua principaliter cōsistit perfectio. Nam & D. T. qui hic diuidit statum incipientium, proficientium, & perfectorum, *supra q. 24. a. 9.* distin-

distinxit tres gradus charitatis in incipientem, si licet, proficientem, & perfectam. Et quoniam intelligentia huius distinctionis valde vtilis esse potest, bonum erit; vt antequam ad articuli explicationem accedamus, priùs explicemus sufficientiam diuisionis charitatis in incipientem, proficientem, & perfectam.

Quid sit charitas incipiens, proficiens, & perfecta.

2 Non de sola charitate, sed & de alijs virtutibus consimilem diuisionem tradiderunt P. P. vt videre est apud *Greg. lib. 2. in Ezech. hom. 15. circa illa verba cap. 40. Venit ad portam, & ascendit per gradus. & lib. 22. mor. c. 14. Bernar. lib. de vita solit. parum post princip. Hugonem de S. Victore ser. 1. super Eccles. & Richardum de S. Vict. in duob. opus. de gradibus charitatis.* Vt enim dixit *S. Greg. loco citato l. 22. mor. c. 14. Neque enim repente ad summa peruenitur, sed ad virtutum celsitudinem per incrementa mens ducitur.* Quoniam tamen charitas est virtutum præcipua, ideo præcipue de charitate hęc distinctio traditur.

3 Sed quod nam est diuisum hujus diuisionis? charitas habitualis, vel actualis? De vtraq. intelligi potest hæc diuisio, tamen principaliùs intelligitur de actu charitatis, qui est finis habitus, & in quo consistit perfectio Christianę vitę simpliciter. Vnde charitas incipiens importat actum, qui fit veluti initium motus parum recedens a termino a quo, & charitas proficiens est actus, qui fit veluti medius inter recessum a termino a quo, & accessum ad terminum ad quem; & charitas perfecta est actus qui est tanquam in termino ad quem.

4 Hæc vero diuisio est ne sufficiens? Nam D. Aug. lib. de Natura & gratia cap. 70. diuisionem hanc quadrimembrem ponit, diuidens charitatem in inchoatam, prouectam, magnam, & perfectam. Sed dicitur S. Augustinum dilliminisse substantiam charitatis, quam vocat inchoatam, ab eius motu & augumento, ideo primum membrum nostræ diuisionis dist. nxit in duo, scilicet, in charitatē inchoatam, & prouectam; sed tamē rationabilitce hęc duo membra sub charitate incipiente continensur quæ ncdum continet substantiam charitatis receptam in primo instanti iustificationis, quam S. Aug. vocat inchoatam; sed etiam continet aliquale augumentum illius & prouectum, quo charitas augeri incipit. Cæterùm, quia vt habet D. T. *supra q. 24. a. 9.* in motu est recessus a termino a quo, & accessus ad terminum ad quem, & quies in termino; vel vt dicitur hic, in motu consideratur initium, medium, & terminus, ideo hæc diuisio charitatis est sufficiens, quia charitas incipiens respondet initio motus, qui consistit in recessu á termino, & charitas proficiens respondet medio motus, qui consistit in accessu ad terminum ad quem. Et charitas perficiens respondet termino motus. Ex motu etiā naturalis nutrimēti humani distinctio hæc explicatur ex eo S. Augustini apud D. Th. in arg. sed contra & apud *D. Anton. p. 4. tit. 6. cap. 2. §. 2. Charitas cum fuerit nata nutritur, cum fuerit nutrita roboratur & cum fuerit roborata perficitur.* Sic enim perficitue charitas, quomodo in nutritione vita nutritur, roboratur, & perficitur, vnde est, quòd iuxta dicta *D. Thom. supra q. 24. a. 9. & 3. d. 29. a. 8. quæst. 1.* tres isti gradus charitatis, sunt veluti tres ætates hominis.

5 Cum autem secundùm D. T. q. 24. citata hæc diuisio sit secundum gradus charitatis attendi ne dehet secundùm gradus intensionis? minimè quidem per se loquendo & propriè, tum quia perfectio charitatis, quæ hic consideratur, non attenditur essentialiter & principaliter in intensione, sed in eo quòd charitas vnit Deo, & excludit a nobis peccatum, quod præstare potest etiam charitas non intensa. Tum quia, vt habet *D. T. 3. d. 29. a. 8. ad 2.* charitas circa eosdem effectus magis augeri potest. Vnde charitas v. g. intra lineam incipientis potest magis, ac magis in infinitum augeri. Tum quia cum charitas sit in infinitum augumentabilis, nunquam haberet statum perfectum, quia nunquam habet terminum augumenti. Non ergo hæc diuisio attenditur secundum gradus intentionis, sed potiùs secundùm gradus extentionis.

6 Per qualem autem charitatis extensionē attenditur hæc diuisio? *S. Bonau. tom. 5. Opus. de gradibus virtutum cap. 31.* distinguit 3. gradus charitatis, quorum primus ad amicos tantum, alius ad inimicos in necessarijs, tertius ad inimicos in bonis supererogationis, *In lib. autem apolog. pauperum in p. respons. p. 3. a. 1.* distinguit tres gradus charitatis, quorum prior continet obseruantiam mandatorum, 2. obseruantiam consiliorum, 3. fruitionem sempiternalium iucunditatum. *Sed in 2. resp. p. 5. a. 1.* tertium hunc gradum charitatis ponit in desiderio moriendi pro Christo, & pro salute animarum, quod etiā habet primo loco citato. Pluresque modos alios distinguendi gradus charitatis satis probabiles tradunt *Bernar, Hugo, & Richardus locis supra citatis.*

7 Sed loquendo de distinctione, proue datur per hos terminos *incipientem, proficientem, & perfectam*, eam ex parte extensionis optimè explicat D.T. licet enim hoc pro certo habendum sit, quòd charitas omnis ex sua substantia habet quandam extensionem veluti infinitam, est enim amor, quo diligitur Deus super omnia & ex toto corde, & propter Deum diligitur proximus cum tanta extensione, vt etiam ad inimicos perueniat. Tamen hæc extensio est secundùm affectū, non verò secundùm effectum, sed ad plures ac plures & perfectiores effectus se extendit charitas secundùm quod est magis ac magis perfecta. Ideo tendens ad perfectionem charitatis triplex studium habere potest, & veluti ad triplicem terminum peruenire. vt explicant *D. T. supra q. 24. a. 9. & 3. d. 29. a. 8. q. 5. & D. Anton. p. 4. tr. 6. c. 2. §. 2.* Primum studium est vitandi peccata, & hoc est infimum, & assimilatur recessui a termino á quo. Et huic studio respondet vita purgatiua, quæ est vita pugnantium, quia studium iusti habentis charitatem in principio spiritualis progressus est resistere concupiscentijs & passionibus adhuc non domitis, sed valentibus, & fortibus, ne trahane animum in peccatum. Et hæc est charitas incipientium, quæ conatur, vt animus á peccato recedat, seu est motus per quem homo á peccato recedit proculdubio á peccato mortali, it, quod solum perfecte contrariatur gratiæ, & chari-

charitati. Huius enim incipientis studium est mūdari a præteritis peccatis, & cauere à futuris, in quo consistit recessus à malo. Sed passionibus cōuenienter domitis, ac propterea cum iam homo recesserit satis longè nedum à peccato, sed à peccandi periculo, succedit aliud studium, nimirum augendi charitatem per actus bonos, multiplicandi scilicet bonos actus, & excludendi hoc modo etiam peccata venialia, quæ impediunt charitatis seruorem, & augmentum. Et sic secundum studium principaliter tendit ad hoc, vt per bonos actus charitas augeatur. In hoc verò præcipuè charitas augetur in effectu, quòd non dat locum etiam venialibus peccatis. Cum verò iustus ad hoc charitatis augmentum peruenerit, vt etiam minora peccata vitet, & passiones domuerit perfectè, tertium succedit studium, vt iustus Deo inhæreat, & Deo fruatur, cupiens iam dissolui, & esse cum Christo. Et sic quies ista in Deo, est veluti terminus vltimus motus charitatis, qui tamen non habetur perfectè nisi in patria. Sic ergo tres gradus sunt charitatis desumpti penes diuersa studia, seu penes diuersos modos extensionis charitatis in effectu, quia vel in effectu vitat peccata mortalia, & ad hoc tendit charitas incipiens, vel in effectu multiplicat opera bona & augetur in sua extensione vitando etiam peccata venialia quātùm patitur infirmitas vix, & hoc perficit charitas proficiens; vel extenditur ad perfectam adhæsionem, & quietem in Deo, & hoc spectat ad charitatem perfectam. Et in idem reuoluitur, quod de gradibus charitatis docuit *S.Ber.ser.3. & 4. in Cant.* per oscula pedum, manuum, & oris Christi, *Orig.hom.1 in Cant. & Greg.l.24 mor. cap.7, & hom.15. in Ezech.* quæ loca refert *D.Thom. hic in arg. sed contra*. Optimè quoque *Greg.l.22.mor.cap.14.* hunc charitatis progressum explicauit dum dixit. *Et quia per occultā gratiam ad amorem Dei temperata desuper mensura proficimus, quantò in nobis quotidiè de Dei spiritu virtus crescit, tantò noster spiritus deficit. Qui spiritus erroris, quia non à nobis subitò penitus amputatur, bene paulisper defecisse perhibetur. Tunc verò in Deo plenè proficimus cum à nobismetipsis funditus defecerimus.* Hic ergo terminus huius progressus, in nobis deficere, & in Deo quiescere.

8 Ex modo etiam operandi, hos tres gradus distinguit *Suarez lib.1.de statu perfect.cap.13. nu.8.* scilicet ex modò operandi promptè, & delectabiliter, & cum maiori conatu; Ita vt charitas incipientium sit illa, quæ adhuc à concupiscentijs est impedita ne promptè, & delectabiliter exeat in opera elicita, vel imperata. Secundus verò gradus est, quando excluso periculo maiori peccandi iam animus promptè, & cum delectatione operatur. Et tertius est, cum animus virtutibus assuetus in proprio actu charitatis, qui est Deum diligere cum quiete, & iucunditate se exercet.

9 Secundum igitur hanc distinctionem charitatis, ita status distingui posse secundùm tria, scilicet secundùm principiū, medium, & finem, ideoque & in statum incipientium, proficientium, & perfectorum decernit D.Thom. in hoc artic.

10 Ad hoc autem explicandum reassumit, ex art.1. quòd status importat conditionem libertatis, & seruitutis. Quandam autem necessitatem agendi importat seruitus; seruus enim tenetur operari ad voluntatem Domini. Habitus verò hanc quasi necessitatem serunt, non quia auferant libertatem, quia immò augent voluntarium, cum fortiùs inclinent voluntatem in bonum, vel reale, vel apparens; sed quia voluntatem determinatè ad vnum oppositorum inclinantes, faciunt vt homo potiùs operetur secundum habitum, quam contra illum, & ideò homo suorum habituum est veluti seruus.

11 Cum verò in spiritualibus detur seruitus peccati, & seruitus iustitiæ. Explicat seruitutem peccati, ex eo, quod homo ex habitu inclinatur ad malum, sub nomine verò habitus peccati intelligitur præcipuè infirmitas carnis & peccati fomes, qui est inordinata, & habitualis concupiscentia appetitus sensitiui, *prima.2.qu.82.art.3.* cuius effectus est inclinatio ad malum, & difficultas ad bonum. *3. q.27. a.3.c.* & est lex illa in membris nostris reperta, quæ legi mentis repugnat, & nos in lege peccati captiuat, iuxta *Apost. dictum Rom. 7.* Ex quo etiam habetur necessitas quædam peccandi, non quia auferat libertatem ad singulos actus, sed quia augendo difficultatem simul fert impossibilitatem quandam moralem diu viuendi sine nouo peccato. De qua seruitute loquitur *S. August. lib.2.de nupt.cap.3. & 8. & lib.3.ad Bonif. cap.8. & lib.de spiritu & lit.cap.30. & in Ench.cap.30.* & alibi sæpè.

12 Sed & eodem modo seruitus iustitiæ est ex habitu. Hoc enim valde notandum, quod seruitus iustitiæ, quæ est iuncta libertati à peccato habetur per habitum. Nam ex hoc habetur, quod gratia actualis non est illa, quæ nos simpliciter aut liberat a peccato, aut facit seruos iustitiæ, neque enim sanatur infirmitas ex eo quòd quis aliquod bonū operetur, sed ex eo quod per diffusam gratiam, & charitatem homo inclinatur ad bonum, & sic fit seruus iustitiæ, ad quam per habitus gratiæ virtutum, & donorum determinatur, in seruitute autem iustitiæ consistit libertas à peccato. Ideò gratia, quæ ex infirmitate naturæ veluti ex propria causa est necessaria, est gratia habitualis. Gratia verò actualis, quæ est actualis motio, & directio in bonum est necessaria tanquam ex propria causa ex defectibilitate creati arbitrij, ex infirmitate verò natura lapsæ oritur maior necessitas eiusdem gratiæ.

13 Ex præmissis autem infertur textus conclusio, asserens quod status conuenienter diuiditur in statum incipientium, proficientium, & perfectorū, quia per aliquod humanum studium homo fit liber, vel seruus; in omni autem studio datur principium, medium, & finis. Non eodem tamen modo hæc distinctio explicatur.

Qualis sit hæc diuisio status in statum incipientium, proficientium, & perfectorum.

14 Nam quidam sic intelligunt hanc diuisionem, vt sit veluti diuisio generis in species, eo modo quo numerus diuiditur in plures species quarum vna continet sibi inferiores, & addit vnitatem, vel vnitates ad illa. Et sic etiam

sint

sint tres status, ex quibus status proficientium cōtineat statum incipientium, & status perfectorum contineat statum proficientium. Hic tamen modus explicandi hanc diuisionem deficit. Quia falsum supponit, scilicet, quod per hanc diuisionem diuidatur status perfectionis in plures status, quod quidem impossibile est, quia de ratione status perfectionis est, quod intendat summam perfectionē, ad quam quærendam est obligatus quicumque est in statu perfectionis. Nullus ergo datur status, qui intendat tantum charitatem, vel inchoatam, vel proficientem, & sit status perfectionis, quia perfectionis status ad plenitudinem charitatis obligatur, quam vt proprium finem intendit.

15 Alij autem distinxerunt hos status ex parte personarum, vt status incipientium sit coniugatorum, quod neque admitti debet. Cum matrimonium non constituat perfectionis statum, & bene contingere possit, quod ex coniugatis aliquis ad summum perfectionis perueniat. Tum amplius quia iuxta hunc dicendi modum non possunt alij duo modi distingui.

16 Alij verò statum incipientium assignant ijs, qui extra religionem per votū castitatis, vel aliud simile ad Dei obsequium particulare se astringunt, Religiosis verò statum proficientium, & statum perfectorum Episcopis. Quæ assignatio quoque non admittitur. Quia nec perfectio necessariò deficit virginibus, nec religiosi tales sunt, quod non perueniant ad summum sanctitatis, vnde & sunt simpliciter in statu perfectionis, vt infra ex D. Th. probabitur. Et per huiusmodi differentias solum materialiter distingui potest status.

17 *Suarez lib. 1. de stat. perfect. cap. 13. num. 16.* explicat hanc diuisionem vt sit diuisio, vel accidentis in subiecta, vel subiecti in accidentia. Primò modo vt status distinguatur ex eo, quòd existentiū in statu perfectionis alij incipiunt, alij proficiunt, alij sunt perfecti. Et sic status qui est accidens diuiditur in plura eius subiecta. Vel est diuisio subiecti in accidentia, eo modo quo calor diuiditur in remissum, & intensum, vt sit sensus, quod status diuiditur in inchoatum, proficientem, & perfectum.

18 Melius tamen dicitur, quod hæc est distinctio quasi causæ in effectus, & operantis ex obligatione in plures gradus operationis, seu studij in plures gradus motus à termino à quo ad terminum ad quem, seu ordinati in finem in plures modos illum consequendi. Hic enim essentia status non mutatur; quia tam in incipientibus, quàm in perfectis manet deputatio, & obligatio ad ea quæ sunt perfectionis, seu ad hoc, vt homo se moueat, vel quiescat perfectè in Deum. Et in hoc consistit essentia status perfectionis de cuius ratione, vt patet ex artic. superiori non est, nec quòd homo actu finem obtineat, & in eo quiescat, nec quod exercitè in finem moueatur. Nam & Religiosus peccator & apostata non desinit esse in statu perfectionis, quia semper manet deputatus ad ea quæ sunt perfectionis, & obligatus ad modum viuendi suæ Religionis, & ad tendendum in perfectionem per obseruantiam regulæ. Sed tamen eorum qui sunt in statu perfectionis non omnes eodem modo satisfaciunt suæ obligationi, nec eodem modo currunt, nec omnes brauium consequuntur, nec omnes ex eodem conatu operantur. Ideò non omnino rectè potest explicari hæc distinctio vt sit subiecti in accidentia; sicut status sit subiectū inchoationis, vel prosecutionis, quia nō bene dicitur status inchoatus, aut proficiens. Status enim non est ille qui inchoatur nec ille, qui proficit, sed est homo, qui vel est in principio, vel in progressu, vel in termino motus. Meliùs intelligitur, quod hæc sit diuisio accidentis in subiecta, quia eorum qui sunt in statu alij incipiunt, alij proficiunt, alij sunt perfecti. Ideò in litera non dicuntur tres status in recto, sed in obliquo, ex triplici hominum conditione, scilicet status incipientium, proficientium, & perfectorum. Et infra *q. 186 art. 1. ad tertium dicitur*, quod in religione non omnes sunt perfecti, sed quidam proficientes, quidam incipientes. Sed nihilominus neque satis explicatur hæc distinctio per ordinem ad subiecta, ex quo ordine accidentia materialiter distinguuntur, sed formalis distinctio status desumi debet per ordinem ad perfectionem charitatis ad quam ordinatur. Ideò propriè hæc diuisio est rei vt perfectibilis in plures gradus perfectionis, vel tendentis in finem per propriam operationem, in plures gradus perfectionis suæ operationis, quia vel tendit in finem, quia incipit motum, vel quia motum prosequitur, vel quia finem consequitur, & in eo quiescit. Ac propterea hæc diuisio est aliquo modo diuisio subiecti in accidentia, quia non potest negari, quod moueri, & progredi, & obtinere perfectionem non sit accidens afficiens etiam ipsum statum, & aliquo modo illum denominans, quia ordinationis in perfectionem perfectio est actu moueri, vel obtinere perfectionem ad quam est obligatio. Est etiam diuisio accidentis in subiecta; quia non est ipsius status se mouere in finem, sed subiecti ipsius, & ita status vel est subiecti incipientis, vel proficientis, vel terminantis motum. Sed magis propriè & formaliter est distinctio obligationis & seruitutis, & studij in plures gradus satisfaciendi obligationi, vel seruiendi, vel obtinendi, & exercitè efficiendi, operandi, vel consequendi id, ad quod homo ex vi status ordinatur.

19 Aliqua verò circa huiusmodi statuum distinctionem sunt consideranda. Et quidem primò *ex S. Bernardo tract. de vita solitaria*, pensari debet, quod in quolibet istorum graduum sua perfectio reperiri debet. *Ab omnibus vobis*, inquit, *perfectio exigitur, licet non vniformis, sed si incipis, incipe perfectè; si iam in profectu es, & hoc ipsum iam perfectè age: si autem perfectionis aliquid attigisti, te ipsum, in temetipso metire, & dic cum Apostolo: Non quod iam apprehenderim, aut perfectus sim, sequor autem si quomodo comprehendam, in quo & comprehensus sum: vnum autem, quæ quidem retrò sunt obliuiscens, & ad ea, quæ sunt priora extendens me ipsum ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis in Christo.*

21 Inde est, quòd pro meliori intelligentia distinctionis secundi, & tertij gradus aduertenda sunt verba illa, *Non quod iam apprehenderim &c.* Ex quibus habetur, quod perfectio viæ non excludit omnino progressum, quia immò, vt addit *Sanctus Bernar. perfecta eorum, quæ retrò sunt obliuio, & perfecta in anteriora extensio, ipsa est hominis iusti, in hac vita perfectio.* Et vt habet idem *S. Bern. epist. 253. Indefessum proficiendi studium, & iugis conatus*

C ad

ad perfectionem ○ perfectio reputatur. Quæ est communis sententia PP. & videri possunt. *S. Aug. trac. 4. in 1. epist. Io. & serm. 15. de verbis Apost. & ser. 50. de Temp. & lib. de Cant. nono. cap. 4. Basil. hom. 11. Exam.* ad illud *Crescite &c. Greg. hom. 13. in Ezech. Cassian. collat. 1. cap. 7. & 13.* Quia verò perfectio optimè explicatur ex liberatione à peccato, tunc homo dici potest esse in statu perfectionis, quando ex deliberatione nec venialiter peccat. Ideò *D. Thom. supra art. 2. dixit*, quòd perfecti excedunt, quod excludũt quidquid impedit affectum ne totaliter tendat in Deum, quia ipsi licet peccent venialiter ex infirmitate, non tamen ex deliberatione. Et sic tria sunt studia: primum intendit exclusionem peccati mortalis, secundum exclusionem peccati venialis, tertium perfectam vnionem cum Deo, & sic etiam tres sunt gradus charitatis, per ordinem ad quos distinguitur status in statum incipientium quorum studium est vitare peccata mortalia, proficientium, quorum studium est peruenire ad perfectionem etiam non peccandi venialiter ex deliberatione, & perfectorum quorum studium est vt totaliter Deo adhæreant, & eo fruantur.

21 Et propterea aliud ex eodem *S. Bern. ibid.* est considerandum, nimirum quod *Incipientium status potest dici animalis, proficientium rationalis, perfectorum spiritualis.* Et paulò post. *Et cum ex his tribus hominum generibus constet omnis status religionum, quæ sicut proprijs nominibus distinguuntur, ita dignoscuntur ex suorum proprietate studiorum: debent omnes Filij Dei in die, qui est, semper diligenter prospicere, quid desit sibi, vnde venerit, quousque peruenerint; & in quo proficiendi statu singulis diebus, vel horis, sua se æstimatio deprehendat.* Hoc enim modo faciliùs, & breuiùs vnusquisque ad perfectionem perueniet.

22 In responsione ad primum iterum asseritur quòd libertas à peccato fit per diffusam charitatem, per habitũ scilicet charitatis inclinantis ad Deum amandũ. Et propterea eadem est diuisio charitatis & statuum; quia diuisio statuum quæ est diuisio libertatis à peccato, & seruitutis iustitiæ, attenditur per ordinem ad diuisionem charitatis, vt est explicatum.

23 Et in responsione ad secundum quoque habetur, quòd non dicitur status incipiens, aut proficiens, aut perfectus, sed qui sunt in statu dicuntur incipientes, proficientes, & perfecti.

QVAESTIO CLXXXIV.

De pertinentibus ad statum perfectionis in communi, in octo articulos diuisa.

DEinde *considerandum est de his, quæ pertinent ad statum perfectionis, ad quem alij status ordinantur. Nam consideratio officiorum quãtum quidem ad alios actus, pertinet ad legisppositores: quantum autem ad sacra ministeria, pertinet ad considerationem ordinum, de quibus in tertia parte agetur.*

§. *Circa statum autem perfectorum triplex consideratio occurrit. Primò quidem, de statu perfectionis in communi. Secundò, de his quæ pertinent ad perfectionem Episcoporum. Tertiò, de his quæ pertinent ad perfectionem religiosorum.*

Circa primum quæruntur octo.

1. *Vtrum perfectio attendatur secundum charitatem?*
2. *Vtrum aliquis possit esse perfectus in hac vita?*
3. *Vtrum perfectio huius vitæ consistat principaliter in consilijs vel in præceptis?*
4. *Vtrum quicumque est perfectus, sit in statu perfectionis?*
5. *Vtrum Prælati & Religiosi specialiter sint in statu perfectionis?*
6. *Vtrum omnes Prælati sint in statu perfectionis?*
7. *Quis status sit perfectior, Vtrum Religiosorum, vel Episcoporũ.*
8. *De comparatione Religiosorũ ad plebanos & Archidiaconos.*

ARTICVLVS I.

Vtrum perfectio Christianæ vitæ attendatur specialiter secundum charitatem.

AD *primum sic proceditur. Videtur, quod perfectio Christianæ vitæ non attendatur specialiter secundum charitatem. Dicit enim Apost. 1. ad Corin. 14. Malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti. Sed charitas non pertinet ad sensum, sed magis ad affectum. Ergo videtur quod perfectio Christiana vitæ non consistat principaliter in charitate.*

3. p. q. 26. ar. 1. cō. Et 3. c. G. c. 135. Et quodl. 3. art. 17. Et op. 17. c. 6. & opu. 18. cap. 2. & 3. Et Philip. 3. lect. 2.

§. 2. *Præterea, ad Ephes. vlt. dicitur, Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. De armatura autem Dei subiungit, dicens. State succincti*

lum-

lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, in omnibus sumentes scutum fidei. Ergo perfectio Christianæ vitæ non solum attenditur secundũ charitatem, sed etiam secundum alias virtutes.

§. 3. Præterea, virtutes specificantur per actus, sicut & alij habitus. Sed Iac. 1. dicitur, quod patientia opus perfectum habet. Ergo videtur, quod status perfectionis attendatur magis secundum patientiam.

Sed contra est, quod dicitur ad Coloss. 3. Super omnia charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis: quia scilicet omnes alias virtutes quodammodo ligat in vnitatem perfectam.

Respondeo dicendum, quod vnumquodque dicitur esse perfectũ, in quantum attingit proprium finem, qui est vltima rei perfectio. Charitas autem est quæ vnit nos Deo, qui est vltimus finis humanæ mentis: quia qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, vt dicitur 1. Ioan. 4. Et ideo secundum charitatem specialiter attenditur perfectio Christianæ vitæ.

Ad primum ergo dicendum, quod perfectio humanorum sensuum præcipuè in hoc videtur consistere, vt in vnitatem veritatis conueniant: secundum illud 1. ad Corinth. 1. Sitis perfecti in eadem sensu & in eadem scientia. Hoc autem fit per charitatem, quæ consensum in hominibus operatur. Et ideo etiam perfectio sensuum radicaliter in perfectione charitatis consistit.

Ad secundum dicendum, quod dupliciter potest dici aliquis perfectus. Vno modo, simpliciter: quæ quidem perfectio attenditur secũdum id quod pertinet ad ipsam rei naturam: puta si dicatur animal perfectum, quando nihil ei deficit ex dispositione membrorum, & alijs huiusmodi, quæ requirũtur ad vitam animalis. Alio modo dicitur aliquid perfectum, secundũ quid: quæ quidem perfectio attenditur secũdum aliquid exterius adiacens, puta in albedine, vel nigredine, vel in aliquo huiusmodi. Vita autem Christiana specialiter in charitate consistit, per quam anima Deo coniungitur. Vnde dicitur 1. Ioan. 3. Qui non diligit, manet in morte. Et ideo secundum charitatem attenditur simpliciter perfectio Christianæ vitæ, sed secundum alias virtutes, secundum quid. Et quia id quod est simpliciter, est principalissimũ & maximum respectu aliorum: inde est quod perfectio charitatis est principalissimum, & maximum respectu perfectionis, quæ attenditur secundum alias virtutes.

Ad tertium dicendum, quod patientia dicitur habere opus perfectum in ordine ad charitatem, in quantum scilicet ex abundantia charitatis prouenit, quod aliquis patienter toleret aduersa: secundum illud ad Rom. 8. Quis nos separabit à Charitate Dei? tribulatio, an angustia?

SVMMARIVM.

1 *Ratio quæstionis. nu. 1.*
2 *Perfectio attenditur etiam secundum alias virtutes. num. 2.*
3 *Perfectio attenditur principaliter secundum charitatem. nu. 3. 4. 25.*
4 *Textum D. Th. corrigendum, aliqui putant. numer. 5.*
5 *Perfectionem essentialiter consistere in sola charitate, aliquorum opinio. num. 5.*
6 *Perfectio duplex habitualis, & actualis. n. 6.*
7 *Perfectio habitualis essentialiter in sola gratia consistit. num. 7.*
8 *Perfectio actualis non consistit essentialiter in sola charitate. num 8.*
9 *Fides & aliæ virtutes sunt de essentia perfectionis. num. 9.*
10 *Perfectio actualis formaliter in sola charitate consistit. n. 10.*
11 *Ideoque sic dici potest, quod charitas est perfectio Christianæ vitæ, sicut dicitur quod anima est homo. num. 10.*
12 *Ex qua perfectio tribuitur charitati, non excluditur gratia. num. 11.*
13 *De charitate fit mentio expressa, quia est sermo de actuali perfectione. n. 11.*
14 *Merito D. Th. asserit non quod perfectio essentialiter consistat in charitate, sed principaliter. numer. 12.*
15 *Præmium essentiale respondet sibi charitati, vt propria causa meritoria illius, & tamen ipsa sola non est essentialiter perfectio Christianæ vitæ. num. 13.*
16 *Omnes virtutes spectant ad integritatem essentialem perfectionis. n. 14.*
17 *Charitas vinculum perfectionis. Plenitudo legis. Finis præcepti. n. 15.*
18 *Nullus error in textu. Charitas principaliter est perfectio. n. 16.*
19 *Absolute de charitate dicitur, quod est perfectio Christianæ vitæ. n. 16.*
20 *Sensus dicuntur iudicia humana. n. 17.*
21 *Sensuum perfectio vnitas veritatis. n. 17.*
22 *Sensuum etiam eiusdem hominis perfectio vnitas veritatis, num. 18.*

1 QVoniam vt dictum est *quæst. sup. a.3.* status per respectum ad diuersas perfectiones distinguuntur, ideo D. Thom. vt ad statuum distinctionem explicandam perueniat, priùs quærit quid sit absolute, & in quo consistat perfectio Christianæ vitæ, an scilicet consistat principaliter secundùm charitatem,

2 Si autem vis huius termini specialiter consideretur, habetur, D. Thom. supponere perfectionem Christianæ vitæ, etiam attendi secundùm alias virtutes; quærere verò an attendatur specialiter secundùm charitatem.

3 Vnica, autem conclusio textus est, perfectionem attendi specialiter secundùm charitatem, quia charitas illa est, quæ nos Deo nostro fini vnit, consistit verò nostra perfectio in coniunctione ad Deum.

4 Habetur hæc conclusio definita à Paulo Apost. ad *Coloss.3.* Ibi enim postquàm hortatus fuit Colossenses ad omnium vitiorum fugam, & virtutum exercitium. *Induite, vos ergo*, inquit, *sicut electi Dei, Sancti, & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem &c.* concludit postea. *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Super omnia, idest, vt habet *D. Th. ibidem lect.3.* magis quàm omnia, quia nimirum ad perfectionem Christianæ vitæ maximè est necessaria charitas. Et ratio est, quia ipsa est vinculum perfectionis, quæ omnes virtutes ordinat, vnit, ligat vt sint vna integra perfectio Christianæ vitæ. Et hoc idem probat illud. *Rom.13. Plenitudo ergo legis est dilectio.* Per charitatem enim lex impletur, & perficitur, vt docet ibi *D. Th. lect.2.* & adeo vt actus aliarum virtutum & aliorum præceptorum impletio, si sit sine charitate nec perficit simpliciter hominem, nec illum ducit ad salutem, vt tradit *Apost. 1. Cor.13.* Ideo *S. Aug. lib. de natura & gratia cap.42.* charitatem vocat *verissimam, plenissimam, perfectissimamque iustitiam. Et S. Greg. hom.27. in Euang.* dixit, *Quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur. Et Prosper l.3. de vita contemplat. c.14.* addit. *Nihil boni deesse posse, quibus charitas inest.* Ratio etiam pro conclusione euidens est, quoniam rationalis naturæ rectitudo, & vitæ perfectio consistit in coniunctione ad Deum, qui est eius principium, & finis. Hanc verò vnionem complet, perficit, & maximè facit charitas. *Qui enim manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. 1. Io: 4. Et S. Prosper l.3. de vita contemplatiua cap.13.* charitatem vocat affectionum omnium potentissimam. In hac enim vita nullo perfectiori modo vnimur Deo quàm per charitatem. Ideo certissimum est perfectionem Christianæ vitæ consistere principaliter in charitate. An perfectio consistat essentialiter in sola charitate?

5 Et si verò conclusio literæ sit certa, & Authoris sententia claré proponatur in textu, nihilominùs in sensu obscuritatem habet ex eo, quòd multis non placet terminus ille, *specialiter*, & loco eius substituere volunt essentialiter, sentiunt enim essentiam perfectionis Christianæ vitæ consistere in sola charitate. Vnde *Caietanus* existimat codices esse corrigendos, tum quia *D. Thom. ad 2.* distinguit naturam contra accidentia, & charitatem naturæ comparat, idem verò est natura, quod essentia, seu substantia. Tum quia *D. Thom. art.3.* distinguens esse essentialiter ab esse accidentaliter, expressè fatetur, quòd perfectio essentialiter consistit in charitate. Addit verò *Suarez tom.3. l.1. capit.3.* quòd sicut beatitudo essentialiter consistit in sola Dei visione, licet ad illam multa concurrant; & sicut iustitia seu sanctitas essentialiter consistit in gratia, & charitate, licet aliæ virtutes sint necessariæ, ita perfectio Christianæ vitæ consistit essentialiter in sola charitate. Tum secundò quia sola charitas est, quæ nos vnit Deo. Tum tertiò quia sola charitas est quæ corda sanctificat, & purificat. In oppositum verò est sermo D. Th. semper accuratus, & proprius, & formalis, in quo continetur, perfectionem principaliter quidem, & specialiter tribui charitati, non verò quòd soli illi adscribatur.

6 Respondetur autem, perfectionem Christianæ vitæ duplicem esse, scilicet actualem, & habitualem. Illa quidem consistit in actuali operatione vel operationibus per quas homo Deo vnitur eique subijcitur, vt dicitur in textu, quia perfectio eius quod est à principio, & ad principium consistit in coniunctione ad suum principium & finem propter quem factum fuit, & est. Sed perfectio habitualis consistit in habituali dispositione per quam creatura sit disposita ad hoc, vt per operationes perfectè Deo se vniat.

7 Dicendum igitur est primò, perfectionem habitualem Christianæ vitæ essentialiter consistere in sola gratia sanctificante, consequenter verò in charitate & alijs omnibus virtutibus infusis. Supponit conclusio gratiam realiter à virtute charitatis distingui. Quæ est sententia *D. Thom. p.2. quæst.110. art.3. & 2. d.26. quæst.1. art.4. & ibid. D. Bonau. qu.5. Egid. & Capreoli, Alberti art.11. & 13. & 2. p. sum. tract.16. quæst.161. Alens.3. p. quæst.69. mem.2. art.4. Caiet. prima 2. quæst.110. a.3. & ibid. Medina, Martinez*

nez

nez d. vnico. Serra. Arauj. Zumel. Curiel. Montesino. Fer. 3. contra gen. cap. 151. Seta l. 2. de natura & grat. cap. 27. Et communiter aliorũ discipulorũ *D. Th. Suarez l. 6. de gratia cap. 12.* qua sententia supposita, probatur conclusio. Nam vbi plura ad vnum perficiendum ordinantur, in eo essentialiter consistit illius perfectio, quod ad alia se habet vt essentia & natura ad quam reliqua, tãquam proprietates consequuntur. At verò gratia, quæ est participatio diuinæ naturæ in nobis faciens nos deiformes, & verè & intrinsecè Dei filios adoptiuos, iuxta illud 2. *Petri. 1. Maxima & pretiosa nobis dona donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ*, gratia inquam hæc, se habet ad alias virtutes infusas & dona Spiritus Sancti, sicut natura ad proprietates. vt tradit *D. Th. p. 2. quæst. 110. art. 4. ad 1.* & cum eo eius Discipuli locis citatis. In gratia enim sanctificante cõsistit essentialiter forma perficiẽs, seu constituens hominem in esse habituali perfecto in ordine ad Deum. Licet enim ad hanc perfectionem implendam necessariæ sint aliæ etiam virtutes infusæ, tamen vt *D. Th. ibid. ad 2. & 4. aduertit*. Sicut licet potentiæ animæ sint necessariæ ad hoc, vt homo operando viuat, & tamen ipsę non sunt essentia animæ, sed eius proprietates, ita sola gratia in hoc ordine supernaturalis perfectionis se habet vt essentia & natura. vnde est, quòd est immediatè in essentia animæ vt in subiecto, aliæ verò virtutes sunt veluti potentiæ operatiuæ ad gratiam sicut ad essentiam consequentes. Et sic huiusmodi perfectio nullo modo essentialiter consistit in charitate, licet charitas comparatiuè ad alias virtutes sit præcipua, & veluti potentia & instrumentum præcipuum gratiæ, vnde comparatiuè ad alias virtutes perfectio habitualis consistit principaliter in charitate.

8 Dicitur secundò, quod actualis perfectio Christianæ vitæ non consistit essentialiter in solo actu charitatis, sed in actibus omnium virtutum vt ordinatis, per charitatem. Perfectio enim formalis (de qua nunc loquimur) est actus & forma, qua creatura rationalis denominatur formaliter perfecta. Perfectum simpliciter verò est, cui nihil deest, ideo perfectio est forma, cui nihil deest ad hoc, vt constituat creaturam rationalem coniunctam Deo vel actu vel habitu; At verò hæc forma non est sola charitas, quia ad hoc vt homo perfectè Deo subijciatur, illique coniungatur vt creatura creatori, & vt principiatum principio. & vt filius Patri, & vt famulus Domino, & vt amicus amico, necessaria est obseruantia omnium mandatorum, iuxta illud Christi, *si vis ad vitam ingredi serua mandata. & probat D. Thom. opusc. 17. cap. 6.* Ad hoc ergo vt homo perfectè viuat actu vita Christiana. necesse est quòd cum vrget præceptum, exeat in actus virtutum, de quibus dantur præcepta. Igitur forma per quam homo dicitur perfectus non est vna simplex qualitas, nec est sola charitas, sed in toto virtutum ac donorum cumulo consistit, vnde est vna forma vnitate ordinis. Quod ampliùs ex hoc confirmatur, quòd homo plures habet partes, & potentias secundùm quas omnes, debet perfici in ordine ad Deum, vnde in ratione perfectibilis non est vnus simplex, sed est vnus compositione & ordine, in eo enim pars superior ab inferiore distinguitur, & illa in intellectum & voluntatem diuiditur, ista verò in sensum, & appetitum, & harum partium vnaquæque ad varios actus diuersimodè est ordinabilis, secundùm perfectionem & imperfectionem; igitur forma perfectiua hominis non potest esse vna nisi vnitate compositionis, & ordinis, sicuti hoc modo vnum est subiectum perfectibile.

9 Sed probatur vlteriùs conclusio loquendo in particulari de virtutibus alijs a charitate. De fide enim dicitur ad *Gal. 5. In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Vbi simul iunguntur fides & charitas. & ita vt fides illa sit, quæ dicitur operari per charitatem, quia primò in via nec est, nec esse potest actus proprius charitatis sine actu fidei, cum charitas viæ respiciat Deum vt creditum, & ita omnino est necessaria fides ad hoc vt Deus diligatur. Sed secundò fides illa est, quæ charitatem gignit, & per illam operatur hominis perfectionem. Non ergo fides accidentaliter se habet ad perfectionem, cum nec accidentaliter se habeat ad charitatem, cum in via charitatis actus essentialiter habeat, vt sit ex fide, & fides tantæ præstantiæ sit, vt Christum per eam habitare in cordibus nostris dixerit *Paulus ad Ephes. 3.* qui *ad Galat. 3.* adiunxit. *Omnes filij Dei estis per fidem.* Quæ cum sit mater charitatis sibi quodammodo charitas & eius opera tribuuntur, vnde ipsa est quæ nos perficit per charitatem. Spei etiam sicut ad *Rom. 8.* tribuitur salus nostra, dum dicitur, *spe salui facti sumus*, ita non potest negari quin sit nostra perfectio, & sanctificatio, cum *Io. in p. epis. cap. 3. dixerit. Qui habet hanc spem sanctificat se.* Nam & sine spe non est actus charitatis. Ratio enim amandi Deum etiam amore amicitiæ ex parte nostra est desiderium, & spes supernaturalis beatitudinis. Amicabilia enim quæ sunt ad alterum non sunt sine amicabilibus, quæ sunt ad nos, & ratio amandi ex parte amantis est conuenientia amoris ad amantem. Et licet charitas amet Deum propter se ipsum puro amore amicitiæ, vnde ratio Deum amandi ex parte amoris est Deus ipse finis, & obiectum charitatis. tamen hoc non est sine nostro bono, nam & hic amor conuenit nobis, & eum conuenire nobis est veluti dispositio ex parte nostri, vt demus ei locum, illumque amplectamur. Et sic non est in nobis amor charitatis sine concupiscentia & spe æternæ vitæ. licet charitas nos & omne bonum nostrum ordinet in Deum, vt in finem. Charitas enim est amicitia, sed fundata in communicatione beatitudinis supernaturalis, & est amor quo diligitur Deus vt nostræ beatitudinis obiectũ. *prima. 2. quæst. 65. a. 5. ad 2. & 22. quæst. 23. art. 4. c.* Et ideo supponit in nobis concupiscentiam, & spem beatitudinis, & ex hoc tendit in Deum vt in amicum se ipsum nobis donantem. Sine spe igitur nec charitas habetur, & ideo nedum fides, sed & spes perfectioni puræ viæ sunt essentiales, & non solùm ad hanc essentialem perfectionem accedunt, vt fatetur *Suarez. num. 22.* sed simpliciter sunt de substantia perfectionis viæ. Sed & aliæ virtutes ad integritatem huius perfectionis sunt necessariæ, ideo *S. Greg. l. 2. mor. cap. 26.* loquens de virtutibus cardinalibus assimilat eas quatuor angulis super quibus domus perfectionis erigitur, quoniam *Illæ sunt, quæ solidum nostræ mentis ædificium sustinent.* Tandem quidquid necessarium est & essentiale vnioni ani-

mæ

mæ cum Deo, est essentiale perfectioni, quæ in tali vnione consistit? Nam & D. Th. in hoc articulo ex eo probat perfectionem consistere in charitate, quia qui non diligit manet in morte sed hoc suo modo est verum de omni virtute, nam & intemperans, & imprudens, & iniustus manet in morte, & obseruantia præceptorum spectantium ad quamcumque virtutem est simpliciter necessaria & essentialis vnioni animæ cum Deo; igitur etiam est essentialis perfectioni.

10 Nihilominùs tamen dicitur tertiò quòd cōparatiuè ad alias virtutes in sola charitate consistit formalis actualis perfectio Christianæ vitæ. Adæquata enim perfectio ex pluribus integratur formis, ita tamen, quòd est totum veluti ex materia, & forma integratum, & reliquæ virtutes ad huiusmodi integritatem se habent vt materia, sic enim *D. Thom. quodl. 5. a. 19. c.* aduertit quòd obseruantia aliorum præceptorum dispositiuè se habet ad obseruantiam præcepti charitatis, sicut dispositio vltima & necessaria ad formam. Et est communissimum assertum Theologicum, quòd charitas est forma virtutum, quod probat ex professo *D. Th. supra quæst. 23. a. 8. & quæst. 4. 3. & 3. d. 23. quæst. 3. a. 1. quæst. 1.* Et ratio est, quia ordo ad Deum vt finem propter quem creatura operatur est illud formale quod constituit opus in ratione boni simpliciter, & perfecti. Aliæ ergo virtutes materiam præbent, sola charitas dat formam. Verùm sicuti in alijs compositionibus non sola forma constituit essentiam, sed etiam materia ad id est necessaria, & suo modo essentiam integrat. Ita non sola charitas adæquatè constituit essentiam formæ perficientis spiritualiter hominem, sed ad hoc aliæ virtutes concurrunt, licet illæ materiale quid præbeant, & sola charitas det formam. Ideo in eo sensu in quo nomen compositi tribuitur formæ propter eius principalitatem & excellentiam, & dicitur v. g. quòd homo est anima, vel anima est homo essentialiter, ita dici potest quòd charitas est perfectio Christianæ vitæ. Semper tamen aduertendo, quòd si loquimur de perfectione habituali, potest quidem dici, quòd hæc perfectio comparatiuè ad alias virtutes principaliter consistat in charitate, non tamen essentialiter; quia, vt dictum est, hoc est proprium attributum gratiæ.

11 Propterea autem aduertit *Suarez loco citato num. 5.* quòd dum perfectio tribuitur soli charitati, non excluditur gratia sanctificans, quia in hac præcipuè consistit fundamentum essentiale amicitiæ Dei, quæ per charitatem exprimitur. Gratia enim est proprius effectus diuini amoris, per quem sumus filij Dei, & amici, & gratia illa est, quæ media charitate nos ordinat in Deum, & Deo iungit. Ideo vt docet *D. Th. 2. d. 26. a. 4. ad 5. & q. 27. de ver. a. 2. ad 6.* gratia est forma charitatis, sine qua nec charitas esset perfecta virtus. Hic tamen non fuit opus distinguere gratiam à charitate, quia cum sit sermo de perfectione prout ex actuali operatione resultat, quia est sermo de vita Christiana, viuere verò moraliter est agere, ideo non fuit necesse loqui de gratia vt distincta à charitate, quia ipsa non est habitus immediatè operatiuus, sed media virtute charitatis, & alijs virtutibus per operationes nos perficit. Nedum igitur non excluditur gratia à ratione formæ nos perficientis quia nullus actus etiam charitatis est perfecta virtus nisi quia formatos per gratiam; sed ampliùs illi soli conuenit esse primam formam essentialiter perficientem.

12 Hinc quartò dicitur bene *D. Th. hic, & opusc. 17. c. 6. op. 18. c. 2. & Ledesm. de statu relig. c. 2.* non dixisse perfectionem consistere essentialiter in sola charitate, sed specialiter, seu principaliter, seu simpliciter. Quia adæquata vitæ Christianæ perfectio ex omnibus virtutibus integratur, & non ex sola charitate consistit. Sed quia forma materiæ præstat, & charitas est forma virtutum, illarumque *mater radix p. 2. q. 62. art. 4. c. quæst. 65. a. 5. 2. 22. quæst. 23. a. 8. 2. & mater, 22. quæst. 186. a. 7. 1. & exemplar. 3. d. 27. quæst. 2. art. 4. quæst. 3. p. & 2. & de ver. quæst 14. art. 5. 3.* solaque imperat omni virtuti *par. 2. quæst. 114. art. 4.* Vnde est omnium virtutum potissima *par. 2. quæst. 66. art. 6. 22. quæst. 23. a. 6.* Ideo dicitur meritò, perfectionem Christianæ vitæ consistere specialiter, & principaliter in charitate. Et hoc solum probant ea, quæ in laudem charitatis passim à DD. adducuntur. Et præterea hac etiam ratione meritò D. Th. non dixit quòd in charitate consistat perfectio essentialiter, quia hoc est proprium gratiæ, non verò charitatis vt sit prima essentia, & prima, & propria causa perfectionis Christianæ vitæ.

13 Hinc verò colligitur *Suarez* satis inconsequenter loqui loco citato *num. 19.* dum ex vna parte asserens essentium perfectionis consistere in sola charitate ex alia parte docet præmium essentiale non respondere soli charitati sed alijs virtutibus, & rationem reddit, quia licet opera aliarum virtutum accidentaliter se habeant ad perfectionem, tamen sicut in naturalibus accidentia agunt in virtute substantiæ, substantiam attingunt, ita opera aliarum virtutum ex influxu charitatis attingunt substantiam charitatis, & augent, & ex consequenti præmium accidentale merentur. Nam vel materialiter loquitur de opere meritorio, & causa meriti, vel formaliter & propriè, proprium causam assignando acquisitionis premij essentialis. Si in primo senso loquitur, non est cur contrariam sententiam alicui tribuat; quia nullus est qui neget opera virtutum informata charitate esse meritoria æternæ vitæ. Sed controuersia est in formalitate & proprietate causalitatis. An scilicet præmium essentiale respondeat charitati vt propriæ causæ, & ideo iuxta solam charitatis mensuram mensuretur quantitas præmij essentialis. In quo sensu, si perfectio Christianæ vitæ in sola charitate consistit, per necessariam consequentiam sequitur, quòd sola charitas sit causa propria meritoria cui respondent præmium essentiale, quod certe essentiæ perfectionis vitæ meritoriæ respondet. Et exemplum *Suarez* oppositum probat; quia cum accidentia non attingant substantiam nisi in virtute substantiæ, iam ipsa in hoc materialiter se habent, & per accidens, & sicut sola substantia est per se formalis & propria causa attingendi substantiam, in sola charitas est propria & per se causa attingendi præmium substantiale, alijs verò virtutibus si considerentur per se, & ex proprijs non respondet nisi præmium accidentale, quàmuis per quemlibet actum virtutis vt formatum gratia & charitate mereamur vitam æternam. Ideo hoc est verum non ex eo quòd in sola charitate adæquatè consistat essentia iustitiæ

tiæ, sanctitatis, & perfectionis, sed quia ipsa est omnium virtutum forma, a qua virtutes habent formaliter illud bonitatis, & perfectionis, cui respondet Deus tanquam præmium, amanti enim Deum conuenit Dei possessio.

14 Redeundo igitur ad rem nostram dicitur, omnes virtutes spectare ad integritatem perfectionis, sed tamen ita quòd forma nos perficiens formaliter in operibus nostris est charitas, & sic ipsa inadæquatè est essentia sanctitatis, sed adæquata perfectio integratur ex omnium virtutum obseruantia, quæ respectu nostri forma est, sed quia non præstat nobis nisi perfectionem, quæ respectu eius quod ex charitate habemus materialiter se habet, & nisi sit formatum per charitatem non valet ad vitam æternam, ideo aliarum virtutum obseruantia ad integritatem perfectionis se habet vt materia, & charitas vt forma.

15 Quæ propterea vt supra dictum est iure merito ab Apost. vocatur *vinculum perfectionis Coloss. 3.* Quia est illa virtus quæ omnium virtutum distinctos actus, ac diuersos colligit in vnum, & vt dicitur hic in arg. sed contra, *ligat in vnitatem perfectam*, dum illos in vnum Deum ordinat vt in finem, in quo consistit spiritualis vitæ summa perfectio. Eadem verò ratione charitas dicitur *plenitudo legis Rom. 13.* non quia non sit de essentia legis obseruantia cuiuscumque præcepti, sed quia per nullam virtutem plenè, & perfectè seruatur lex sine actu charitatis. Et sic legis obseruantia ita essentialiter integratur per obseruantiam omnium præceptorum, quod essentialiter perficitur per obseruantiam charitatis, sine qua vt probat ibidem Apost. nullius alterius legis obseruantia valet ad vitam æternam Et propterea etiam Apost. dicit, quod *finis præcepti est charitas*, quia vt docet S. Aug. in *Ench. cap. 121 tunc quæ Deus mandat rectè fiunt, cum referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum*. Et ideo ille est in actu secundò perfectus, qui vrgente lege legem seruat ex Dei amore. Semper tamen aduertendum, quòd id a quo actus nostri formalissimam perfectionem habent est gratia sanctificans, quæ est etiam forma charitatis, & ideo perfectio habitualis essentialiter in sola gratia collocatur, & per virtutes & dona integratur. Et ille est habitualiter simpliciter perfectus, qui per virtutum, & donorum habitus est dispositus vt vrgente præcepto illud seruet ex charitate.

16 Ad ea ergo, quæ in oppositum adducebantur respondetur, & ad *Caietanum* dicitur nullum esse mendum in codice, sed D. Th. ex proposito non esse vsum verbo *essentialiter*, sed verbo *specialiter*, seu *principaliter*, quia essentia perfectionis Christianæ vitæ non in sola charitate consistit, licet cõsistat in ea principaliter. Ita enim *& opus. 17. cap. 6.* dixit: *Patet igitur quòd præcipuè in affectu charitatis ad Deũ perfectio Christiana vitæ consistit. Et opus. 18. c. 1. Consistit autem principaliter spiritualis vita in charitate, quam qui non habet, nihil esse spiritualiter reputatur.* Et licet aliquãdo absolutè dicat quòd perfectio consistit in charitate, *vt 3. p. q. 46. a. 3. c. et 3. c. et 1. contra gen. c. 135. & ad Phil. cap. 3. lec. 2.* circa medium, hoc optimè dicitur, quia formalitas perfectionis est à charitate, vnde ab ea est perfectio principaliter; eo magis quòd ipsa imperat omnis virtutis actum præcepto vrgente, vnde eminenter continet omnium virtutum obseruantiam, & sic est imperatiuè, & finaliter integritas totius obseruantiæ, & perfectionis. Sed vt melius mens D. Th. habeatur, antequam alia obiecta diluantur prius explicandæ sunt eius responsiones ad argumenta.

17 In responsione ad primum per sensum intelliguntur hic humana iudicia, per quæ de rerum veritate iudicamus, hæc verò iudicia materialiter quidem ad intellectum spectant, sed formalis eorum perfectio ex voluntate proficiscitur. Consistit enim in vnitate veritatis, iuxta illud. 1. *Cor. 1. Sitis perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia*. In hoc enim perfecti sumus, quòd numquam ab vnitate veritatis discedimus. Et bene monet *Caiet.* quòd hæc perfectio non consistit in sola vnitate sensuum diuersarum personarum, sed etiam eiusdem personæ, vt scilicet & omnes, & vnusquisque semper in vnitate veritatis persistat dum iudicat. Hanc autem perfectionem charitas præbet, ex qua habetur quod nihil approbetur nisi illud vnum, quod ad Deum refertur, & quòd semper sensus nostri vnum Deum respiciant. Ex quo D. Th. colligit, quòd etiam sensuum perfectio consistit in charitate radicaliter. Quod est considerandum diligenter, hinc enim habetur, quòd iure merito perfectio Christianæ vitæ simpliciter, & absolutè tribuitur charitati, quia ipsa est quodammodo radix totius perfectionis substantialis, nam cum ea nullus substantialis defectus componi potest.

18 Valde quoque aduertendum quòd de mente Apost. perfectio sensuum in vnitate veritatis consistere dicitur iuxta D. Th. expositionem, ex hoc enim habetur, quòd vbi homo in iudicando non recedit ab vnitate veritatis, sed semper habens præ oculis Deum, id solum iudicat quod verè in Deum refertur & secundùm Deum conuenit, est perfectus in iudicando, & non potest propterea esse deficiens in volendo, & operando.

19 In responsione ad secundũ, vim faciebat *Caiet.* nam *D. Th.* distinguens perfectionẽ in perfectionẽ simpliciter & perfectionẽ secundùm quid, explicat distinctionẽ, ex eo quod perfectio simpliciter attenditur secundùm ea, quæ sunt substantialia, sed perfectio secundùm quid attenditur secũdùm accidentia. Postea verò applicans distinctionem ait, quod perfectio Christianæ vitæ simpliciter consistit in charitate, & secundùm quid in alijs virtutibus. Ex hoc enim manifestè sequi videtur, quod aliarũ virtutum perfectio sit accidentalis, quia si esset essentialis esset perfectio simpliciter, non verò secundum quid. Et hanc eandem doctrinam habet *D. Thom. opus. 18. cap. 1.* Sed si huiusmodi sensus huius doctrinæ accipitur, iam D. Tho. est sibi ipsi contrarius, quia infra *art. 3.* absolutè docet, quod perfectio essentialiter consistit in præceptis, & tamen de operibus omnium virtutum dantur præcepta,

20 Sed ad huius responsionis intelligentiam primò considerandum est, quod perfectio rei simpliciter secundum D. Thom. non attenditur solum secundùm prædicata substantialia, sed secundùm omnia tam substantialia, quam accidentalia, quæ sunt secundum naturam, scilicet quæ consequuntur, & sunt annexa per se naturæ. Vnde primò à mente D. Thom. recedit expositio Caiet. & aliorũ volentium D. Thom. hic contradistinguere naturam

ram idest essentiam contra accidentia, & quod perfectio simpliciter sit sola perfectio essentialis, & substantialis. Hoc autem non esse ad mentem D. Thom. probatur ex textu, inquit enim, quod perfectio simpliciter attenditur secundum id, quod pertinet ad rei naturam. At verò ad rei naturam pertinent nedum prædicata substantialia, sed etiam illa omnia accidentia, sine quibus natura non est, ideò Diu. Thom. statim explicans hoc subdit, quod animal dicitur perfectum, si nihil ei deficit ex dispositione membrorum, & alijs huiusmodi. At verò membrorum dispositio accidens est connaturale naturæ, & alia huiusmodi accidentia sunt. Sed hoc clariùs *Diu. Thom. expressit opusc. 18. cap. 1.* Vbi hac eadem doctrina vtitur ad præsens propositum, ibi enim tunc animal esse simpliciter perfectum ait, *cum nihil ei desit ex numero & dispositione membrorum, & debita corporis quantitate, & virtutibus, quibus operationes vitæ animalis perficiuntur*. Euidens enim est, quòd quantitas est accidens, & accidentia sunt potentię & virtutes operatiuæ animalis. Igitur ex D.Thom. perfectio simpliciter attenditur non secundùm sola prædicata essentialia, sed immò etiam secundum illa accidentalia, quæ sunt naturæ connaturalia, & per se ad perfectionem naturæ spectant. Et in responsione D. Thom. contradistinguit naturam cum suis connaturalibus accidentibus & intrinsecis, ad accidentia, quæ per accidens ab extrinseco adiecent.

21 Hoc autem probatur ampliùs, quia *D.Th. 1.p.q 5.art.1. ad primum*, benè docet, quòd aduerbium *simpliciter*, diuersimodè se habet ad ens, & ad bonum. Nam per essentialia ens dicitur simpliciter ens, sed non dicitur simpliciter bonum, sed solùm secundum quid, dicitur verò bonum simpliciter solùm si habeat tam substantialia, quam accidentalia; quia bonum est perfectum, perfectū verò est cui nihil deest. Ideò ad hoc vt ens dicatur bonum simpliciter & perfectum, necesse est vt habeat omnem sui integritatem, & ex consequenti etiam omnia accidentia sibi connaturalia, quæ sibi per se conueniunt, & ad eius perfectionem per se pertinent, & hæc omnia sunt ex illis, quæ pertinent ad naturam rei, quia sine illis natura ipsa non est perfecta, vel in se, vel in suis operationibus. Est igitur falsum, quòd D. Thom. hic comparet naturam ad accidentia omnia tam connaturalia, quam extrinsecus per accidens aduenientia, sed comparat connaturalia quæcumque, seu quæ per se natura petit, siue sint substantialia, siue accidentalia, ad ea quæ extrinseca sunt naturæ, & illi extrinsecus per accidens adueniunt. Vnde perfectio simpliciter attenditur ex integritate omnium quæ sunt secundum naturam, siue essentialia sint, siue accidentalia. Perfectio verò secundùm quid consideratur secundum ea, quæ exteriùs adiacent.

22 Hoc verò supposito circa alteram partem responsionis in qua D. Thom. hanc doctrinam applicat ad propositum. Considerandum valdè est, quod actus aliarum virtutum considerari possunt, vel vt sunt de præcepto, vel vt sunt de consilio. Priori modo per se connexi sunt cum charitate, quæ sine illis deficeret, & sic continentur in charitate per se & comprehenduntur sub illa vt actus per se ab illa imperati, & ordinati, & cum ea connexi. Sed secundo modo accidentaliter charitati, & gratiæ, iunguntur, quia sine illis substantia gratiæ, & charitatis manet. Modò verum quidem est, quod actus aliarum virtutum se ipsis perficiunt solum secundùm quid, quia non ferunt ex proprijs nisi aliquod materiale formabile per charitatem, quod nō est bonum simpliciter, nisi ex charitate, & gratia. Sed tamen isti actus vt sunt de præcepto non possunt assimilari accidentibus contingenter rei superuenientibus. Si enim comparentur ad gratiam, & habitualem charitatem, possunt dici accidentia, nam actus sunt extra essentiam habituum & habitus ipsos, seu hominem per habitus operantem denominant accidentaliter. Sed tamen non possunt non iudicari accidentia connaturalia, cum sine illis nec gratia, nec charitas consistat, quia transgressio præceptorum aliarum virtutū, quæ sit peccatum mortale destruit charitatem & gratiam. Ac propterea actus aliarum virtutum sunt de perfectione simpliciter Christianæ vitæ, sicut & in esse naturæ accidentia cōnaturalia spectant ad rei perfectionem simpliciter. Si verò actus aliarum virtutum, vt sunt de præcepto comparentur ad actum charitatis, non debent dici eius accidentia, sed eius materia necessaria, sunt enim eius obiecta necessariò ex charitate amanda, & imperanda. Et ideò hoc modo nedum pertinent ad perfectionem simpliciter, sed etiam essentialiter, tanquam materia necessaria charitatis, in qua cōsistit forma perfectionis. Semper enim considerandum est, quod actus humanus non est vnus numero, sed est plures actus subordinati, importat enim in proposito nostro electionem charitatis ex fide prouenientem, per quam eliguntur & imperantur actus aliarum virtutum, vt si describere velimus essentialiter actualem perfectionem, dicendum sit eam consistere in fide per charitatem operante. In responsione igitur ad secundum D. Thom comparat charitatem ad actus aliarum virtutum vt sunt de consilio, & hoc modo secundùm quid perficiunt. Et sunt quodammodo superuenientes charitati, & perfectioni accidentaliter, & contingenter. Sed actus virtutum vt sunt de præcepto continentur necessariò imperatiuè, & finaliter in præcepto charitatis, & sic non contradistinguuntur illi, sed sub illa comprehenduntur, & cum illa actualem essentialem perfectionem constituunt.

22 In responsione ad tertium, magis ostenditur, cur aliæ virtutes non perficiant nisi secundum quid. Nam inquit D. Thom. patientia non habet opus perfectum nisi per ordinem ad charitatē, quia nimirū ex charitate prouenit, quod homo patienter aduersa toleret. Sicut igitur materia rei absolutè sumpta, vel nullā dicit perfectionem, vel talem, quæ est secundum quid, & numquā materia habet vt ad integritatem rei concurrat actu, nisi vt ab agente assumitur, & per formam informatur. Ita actus virtutum aliarum absolutè sumpti ex proprijs non sunt nisi materia actus humani perfecti, & ex se non important nisi perfectionem secundū quid, & tamen actu non perficiunt, nisi ex ordine ad charitatem; nec habent vt pertineat ad integritatem perfectionis nisi inquantum sunt ex charitate, & ad finem charitatis ordinantur. Vnde ex proprijs vt contradistinctæ à charitate aliæ virtutes

tes

tes solum materialiter se habent,& important per fectionem secundum quid.

23 Ex hoc de facili alia argumenta soluuntur. Ad secundum enim *Caiet.* dicitur, *D.T hom.in art.3.* comparare charitatem, vt præceptam consilijs, & statuere, quód perfectio essentialis consistit in præceptis, quod verissimum est. Non igitur ibi comparatur charitas alijs virtutibus absolutè,sed comparantur cosis ijs præcepta, & benè dicitur, quód perfectio essentialiter consistit in præceptis, & instrumentaliter in consilijs, & quia inter præcepta principalissimum est præceptum charitatis, quod continet virtualiter alia præcepta, ideò dicitur quod perfectio Christianæ vitæ comparatiuè non ad virtutes, sed ad consilia consistit in charitate.

24 Ad primum Suarez dicitur, longè diuersam esse comparationem visionis Dei ad reliqua spectantia ad beatitudinem, & gratiæ ad virtutes, quàm sit charitatis ad virtutes alias. Nam sola visio Dei est possessio summi boni, & quidquid aliud ad beatitudinem pertinet, vel est via ad visionē, vel ad visionem consequitur, vnde ad visionem spectat illud principium, quod essentia rei est primū, quod rei conuenit,ad quod alia sequuntur,& illud aliud, scilicet, quod beatitudo formalis est consecutio & possessio vltimi finis. Et vlteriùs nullus actus voluntatis potest esse essentia beatitudinis, quia nullus est rectus actus voluntatis, cuius non sit obiectum formale beatitudo, ac proptereà beatitudinis essentia est extra latitudinem actuum voluntatis tanquam illorum obiectum. Sed charitas nō est primum ad quod alia omnia consequantur, licet enim charitas imperet alijs virtutibus, tamen virtutes singulæ ex proprijs per se aliquid habent, quod est materia perfectionis necessaria ad integritatem vitæ Christianæ, cuius, vt bene aduertauit idem *Suarez lib.7.de gratia cap.9.nu.10.* causa non est charitas, quàmuis hoc non pertineat ad perfectionem simpliciter,nisi vt subest charitati. Item gratia est verè participatio diuinæ naturæ, & est veluti natura ad quam omnes virtutes consequuntur tanquam proprietates, ideò essentia sanctitatis in ea sola consistit, charitas verò & virtutes se habent vt eius proprietates, aliæ verò virtutes non sunt proprietates charitatis, ideo nec charitas sola est essentia perfectionis. In quo etiam est aduertendum, quód si loquamur de perfectione habituali, hæc essentialiter non consistit in charitate, sed in gratia sanctificante,licet charitas & aliæ virtutes sint necessariæ ad perfectionem simpliciter dictam; quia vt supra ex D.Thom. dictum fuit, perfectio simpliciter non constat ex sola essentia, sed etiam ex accidentibus connaturalibus,& per se necessarijs. Sed loquendo de perfectione actuali, qualis est perfectio Christianæ vitæ, hæc non consistit in vno actu, quia per vnum actum non attingit homo perfectè suum finem. Immò nec actus humanus est vnus actus numero, sicut nec liberum arbitrium est facultas solius voluntatis, sed est etiam facultas rationis, vnde implicat dari actum charitatis sine actu cognitionis, & charitas viæ est necessariò ex fide, & non est sine spe, quæ ex parte hominis est ratio,seu dispositio ad actum charitatis. Et in iustificatione impij omnino necessarius etiam est motus in peccatum, & pro conditione personarū, locorum, & temporum alij actus omnino sunt necessarij etiā ad actum charitatis habendum. En ergo quód de intrinseca ratione perfectionis actualis nō est vnus actus,sed ordo plurium actuum sub charitate; ideò non in solo actu charitatis, sed in actu charitatis, vt est vinculum perfectionis, seu (quod idem est) in actibus virtutum vt ligatis, & vnitis per charitatem consistit essentia actualis perfectionis Christianæ vitæ.

25 Ad secundū dicitur, quod ex quo sola charitas nos vnit Deo, sequitur quod in charitate consistat principaliter perfectio tamquam in vinculo.

26 Ad tertium dicitur, quod aliæ etiam virtutes suo modo cor purificant; immò ex D. Thom. *quodl.5.a.19.a. puritas & rectitudo cordis &c. consistit in interioribus actibus ai arum virtutum*. Vnde ex eodem *D.Thom.ibid.* conclusum maneat, quód actus aliarum virtutum sunt necessarij ad perfectionem, sicut necessariæ dispositiones ad actum charitatis, & materia per charitatem formata,quod est verum loquendo de illis, vt cadunt sub præcepto, non verò vt sunt de consilio, vt sic enim pertinent ad perfectionem accidentalem,non verò ad essentialem. Et ad quamcumque perfectionem spectent, numquam simpliciter, sed solum ex parte, & secundùm quid perficiunt. Charitas verò licet dici possit aliquo modo perficere secundum quid, quia se sola non perficit totaliter, tamen absolutè meliùs dicitur, quod perficit simpliciter. Tum quia ex ea aliæ virtutes habent, quod sint virtutes simpliciter. Tum quia aliæ virtutes non habent, quod perficiant ad modum formæ, aut accidentis intrinseci gratiæ, & connaturalis, nisi vt sunt sub ordine charitatis: perfectio verò simpliciter ex actibus connaturalibus integratur.

27 Solùm iterum aduertendum est, quód actus aliarum virtutum sic ex proprijs important perfectionem, quæ se sola præcisè sumpta est secundum quid, quod nihilominus vt sunt de præcepto simpliciter perficiunt, quia hoc est proprium etiam accidentium cōnaturalium, quod eorum perfectio comparatiuè ad substantiam sit secundum quid, & tamen quia,vt dicebamus supra ex *D.Tho.p 1.q.5.* bonum est ex integra causa, accidentium est sua bonitate imperfecta perficere substantiam simpliciter. Ita actus aliarum virtutum licet ex proprijs non sonant nisi perfectionem secundùm quid, tamen illis conuenit perficere simpliciter, si considerentur quatenus sunt de præcepto, quia vltimam perfectionem ferunt, & perfectionem integrant, & complent, & ita, vt loquendo de actuali perfectione illius essentiam integram reddant.

ARTICVLVS II.

Vtrum aliquis in hac vita possit esse perfectus?

AD *secundum sic proceditur. Videtur, quod nullus in hac vita possit esse perfectus. Dicit enim Apost.* Pag. q. 24. art. 1. 3. 1. 2. 4. q. 1. art. 1. & Eph. 4. lect. 4.

D 1. ad

co. 1. fin. & Phi. loc. 1. co. 3 & lc. 3 pe & co 6 fin. tex. 64. tex. 2. 1. ad Corinth. 13. Cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Sed in hac vita non euacuatur quod ex parte est: manent enim in hac vita fides & spes, quæ sunt ex parte. Ergo nullus in hac vita est perfectus.

§. 2. Præterea, Perfectum est cui nihil deest, vt dicitur in 3. Phys. Sed nullus est in hac vita, cui non desit aliquid. Dicitur enim Iacobi tertio. In multis offendimus omnes. Et in Psal. 138. dicitur imperfectum meum viderunt oculi tui. Ergo nullus est in
art. prim. hac vita perfectus.

§. 3. Præterea, Perfectio vitæ Christianæ, sicut dictum est, attenditur secundum charitatem, quæ sub se comprehendit dilectionem Dei, & proximi. Sed quantum ad dilectionem Dei, non potest aliquis perfectam charitatem in hac vita habere: quia
Ho. 14. parum a me. vt Gregor. dicit super Ezech. Amoris ignis qui hic ardere inchoat, cum ipsũ quem amat viderit, in amore ipsius amplius ignescit. Neque etiam quantum ad dilectionem proximi: quia non possumus in hac vita omnes proximos actualiter diligere, etsi habitualiter eos diligamus. Dilectio autem habitualis imperfecta est. Ergo videtur, quod nullus in hac vita possit esse perfectus.

Sed contra est, quia lex diuina non inducit ad impossibile. Inducit autem ad perfectionem, secundũ illud Matth. 5. Estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est. Ergo videtur quod aliquis in hac vita possit esse perfectus.

Respondeo dicendum, quod sicut di-
art. prec. ctum est, perfectio vitæ Christianæ in charitate consistit. Importat autem perfectio quãdam vniuersitatem quia,
tex. 64 t. 3. vt dicitur in 3. Phys. perfectum est, cui nihil deest. Potest ergo triplex perfectio considerari. Vna quidem absoluta, quæ attenditur non solum secundum totalitatem ex parte diligentis, sed etiam ex parte diligibilis, prout scilicet Deus tantum diligitur quantũ diligibilis est. Et talis perfectio non est possibilis alicui creaturæ, sed competit soli Deo, in quo bonum integraliter & essentialiter inuenitur. Alia autem est perfectio, quæ attenditur secũdum totalitatem absolutam ex parte diligentis, prout scilicet affectus secundum totum suum posse semper actualiter tendit in Deum: & talis perfectio non est possibilis in via, sed erit in patria. Tertia autem est perfectio, quæ neque attenditur secundum totalitatem ex parte diligibilis, neque secundum totalitatem ex parte diligentis, quantum adhoc, quod semper actu feratur in Deum: sed quantum ad hoc, quod excludantur ea quæ repugnant motui dilectionis in Deum: sicut Au- q. 36. non longe a prin. tom 4.
gustin. dicit in lib. 83. quæst. quod venenum charitatis est cupiditas, perfectio nulla cupiditas. Et talis perfectio potest in hac vita haberi. Et hoc dupliciter. Vno modo, inquantum ab affectu hominis excluditur omne illud, quod contrariatur charitati, sicut est peccatum mortale. Et sine tali perfectione charitas esse non potest: vnde est de necessitate salutis. Alio modo, in quantum ab affectu hominis excluditur non solum illud, quod est charitati contrarium, sed etiam omne illud quod impedit ne affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum, sine qua perfectione charitas esse potest, puta in incipientibus & proficientibus.

Ad primum ergo dicendum, quod Apost. ibi loquitur de perfectione patriæ, quæ non est in via possibilis.

Ad secundum dicendum, quod illi qui sunt in hac vita perfecti, in multis dicuntur offendere, secundum peccata venialia, quæ consequuntur ex infirmitate præsentis vitæ. Et quantum ad hoc etiam habent aliquid imperfectum, per comparationem ad perfectionem patriæ.

Ad tertium dicendum, quod sicut status præsentis vitæ non patitur, vt homo semper actu feratur in Deum, ita etiam non patitur, quod actu feratur in omnes proximos sigillatim: sed sufficit quod feratur cõmuniter in omnes in vniuersali, & in singulos habitualiter, & secundum animi præparationem. Potest autem etiam circa dilectionem proximi duplex perfectio attendi, sicut & circa dilectionem Dei. Vna quidem, sine qua charitas esse non potest, vt scilicet homo nihil habeat in affectu, quod sit contrarium dilectioni proximi. Alia autem, sine qua charitas inueniri potest: quæ quidem attenditur tripliciter. Primo quidẽ, secundum

dum extensionem dilectionis, vt scilicet aliquis non solum diligat amicos & notos, sed etiam extraneos, & vlterius inimicos. Hoc enim, vt dicit Augustinus in Enchirid. est perfectorum filiorum Dei. Secundo, secundum intensionem, quæ ostenditur ex his quæ homo propter proximum contemnit, vt scilicet homo contemnat non solum exteriora bona propter proximum, sed etiam afflictiones corporales, & vlterius mortem: secundum illud Ioan. 15 Maiorem dilectionem nemo habet, quã vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Tertio, quantum ad effectum dilectionis, vt scilicet homo pro proximis impendat non solum temporalia beneficia, sed etiam spiritualia, & vlterius seipsum: secundum illud Apostoli 2. ad Corin. 12. Ego autem libentissime impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.

I. Enchi. c. 73. ca. 1.

SVMMARIVM.

1 *Sensus quæstionis, num. 1.*
2 *Perfectio triplex, num. 2.*
3 *Homini competit in hoc statu perfectio vialis. num. 2.*
4 *Perfectio quomodo consistat in charitate. n. 3.*
5 *Perfectio absoluta & conditionata. n. 4. 5.*
6 *Perfectio necessaria & super necessaria, n. 6.*
7 *Perfectio super necessaria quæ? n. 7.*
8 *Perfectionem consistere in habitu, aliqui volunt, & alij negant. n. 8.*
9 *Perfectio & in habitu & in actu consistit. nn. 9. 10. & 11.*
10 *Profectio consistit in habitibus vt in instrumentis. num. 11.*
11 *Primarius finis status perfectionis est operari perfecte. numer. 12.*
12 *Perfectio actualis consistit in substantia operationum. n. 13.*
13 *Denominatio perfecti vnde sit permanens. n. 14.*
14 *Homo per habitus ad vlteriorem perfectionem tendit. n. 15.*
15 *Perfectio consistit in habitibus antecedenter, in actibus formaliter. n. 16.*
16 *Distinctio iustificationis & perfectionis. n. 17.*
17 *Forma iustificans est gratia operans. n. 18.*
18 *Ad perfectionem esse necessarium certum gradum intensionis actuum, aliquorum opinio. nu. 19.*
19 *Intensio habituum, & actuum materialiter & concommitanter se habet ad perfectionem. numer. 20.*
20 *Potest esse, quod aliquis non diminuta charitate retrocedat à perfectione. n. 21.*
21 *Potest esse quod in hac via homo intensiue sanctior, sit minus perfectus, & quod magis perfectus in via sit minus beatus in patria. nu. 22.*
22 *Sanctitas intensionem, sed perfectio extensionem charitatis respicit. num. 22.*
23 *Non est perfectio sine intensione. nu. 23. 24.*
24 *Ad perfectionem non esse necessarios habitus acquisitos, aliquorum opinio. n. 25.*
25 *Perfectionem non in solo modo intrinseco charitatis, sed in consortio aliarum circumstantiarum consistere, docet Suarez. n. 26. 27.*
26 *Moderatio passionum, & abnegatio sui, quid sit. num. 27. 28.*
27 *Per actus virtutum infusarum generantur in nobis aliquæ dispositiones. nu. 29. 32.*
28 *Fides, & spes non infunduntur ante iustificationem. n. 29.*
29 *Charitas non potest esse informis. n. 29.*
30 *Charitatis actus secundum se potest haberi sine habitu. num. 29.*
31 *Habitus infusus non potest generare habitum seu qualitatem eiusdem rationis. n. 30.*
32 *Moderatio passionum importat habilitatem superandi passiones. n. 31.*
33 *Perfectio requirit exactam victoriam passionum. num. 31.*
34 *Ad perfectionem requiruntur dispositiones acquisitæ. n. 31. 32.*
35 *Huiusmodi acquisita dispositiones sunt dona gratiæ. num. 33.*
36 *Vitare omnia peccata venialia, priuilegium B. Virginis. n. 34.*
37 *Perfectus vitat peccata venialia quæ sunt ex voluntate. num. 34.*
38 *Dilectio proximi essentialis perfectioni. n. 35.*
39 *Dilectio proximi duplex in communi, & in particulari. Et hæc perfectior. n. 36.*
40 *Dilectio proximi duplex necessitatis, & supererogationis. n. 38.*
41 *Dilectio supererogationis est diligere proximum, etiam inimicum amore speciali. n. 38.*
42 *Dilectio supererogationis est vt eidem amato plura conferantur bona. n. 39.*
43 *Extensio amoris per quem eidem plura bona amantur est quædam intensio quia non nisi ex maiori perfectione amoris procedit. n. 39.*
44 *Completa amoris perfectio est, vt prorumpat in effectum. n. 40.*

1 DE perfecto absolutè quærit hic articulus & ita vt simpliciter dici de homine possit, quòd sit perfectus, seu quòd perfectè viuat vita Christiana.

2 In textu autem articuli distincto triplici modo perfectionis, ostenditur quòd homo tertio modo potest esse perfectus, & dicitur quòd non potest esse perfectus perfectione deitatis, nec perfectione creata sed patriæ propria, sed perfectione viali, quæ etiam diuiditur in perfectionem substantialem excludentem peccata mortalia, & longè perfectiorem, & excludentem etiam peccata venialia. Et vtraque conuenire potest viatori. Qui propterea non omnino absolutè dici potest perfectus sed sub conditione, scilicet perfectione viæ.

3 Itaque iterum D. Th. asserit quòd perfectio consistit in charitate nimirum principaliter, specialiter, & simpliciter iuxta dicta in super. art. Absolutè tamen dicitur, quòd perfectio consistit in charitate, quia in ipsa consistit perfectio tota imperatiuè, finaliter, & quodammodò tanquam in

1. ad Corinth. 13. Cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Sed in hac vita non euacuatur quod ex parte est: manent enim in hac vita fides & spes, quæ sunt ex parte. Ergo nullus in hac vita est perfectus.

§. 2. Præterea, Perfectum est cui nihil deest, vt dicitur in 3. Phys. Sed nullus est in hac vita, cui non desit aliquid. Dicitur enim Iacobi tertio. In multis offendimus omnes. Et in Psal. 138. dicitur imperfectum meum viderunt oculi tui. Ergo nullus est in hac vita perfectus.

§. 3. Præterea, Perfectio vitæ Christianæ, sicut dictum est, attenditur secundum charitatem, quæ sub se comprehendit dilectionem Dei, & proximi. Sed quantum ad dilectionem Dei, non potest aliquis perfectam charitatem in hac vita habere: quia (Ho. 14. parum à med.) vt Gregor. dicit super Ezech. Amoris ignis qui hic ardere inchoat, cum ipsum quem amat viderit, in amore ipsius amplius ignescit. Neque etiam quantum ad dilectionem proximi: quia non possumus in hac vita omnes proximos actualiter diligere, etsi habitualiter eos diligamus. Dilectio autem habitualis imperfecta est. Ergo videtur, quod nullus in hac vita possit esse perfectus.

Sed contra est, quia lex diuina non inducit ad impossibile. Inducit autem ad perfectionem, secundũ illud Matth. 5. Estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est. Ergo videtur quod aliquis in hac vita possit esse perfectus.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est (art. præc.), perfectio vitæ Christianæ in charitate consistit. Importat autem perfectio quãdam vniuersitatem quia, vt dicitur in 3. Phys. perfectum est, cui nihil deest. Potest ergo triplex perfectio considerari, Vna quidem absoluta, quæ attenditur non solum secundum totalitatem ex parte diligentis, sed etiam ex parte diligibilis, prout scilicet Deus tantum diligitur quantũ diligibilis est. Et talis perfectio non est possibilis alicui creaturæ, sed competit soli Deo, in quo bonum integraliter & essentialiter inuenitur. Alia autem est perfectio, quæ attenditur secũdum totalitatem absolutam ex parte diligentis, prout scilicet affectus secundum totum suum posse semper actualiter tendit in Deum: & talis perfectio non est possibilis in via, sed erit in patria. Tertia autem est perfectio, quæ neque attenditur secundum totalitatem ex parte diligibilis, neque secundum totalitatem ex parte diligentis, quantum adhoc, quod semper actu feratur in Deum: sed quantum ad hoc, quod excludantur ea quæ repugnant motui dilectionis in Deum: sicut Augustin. dicit in lib. 83. quæst. quod venenum charitatis est cupiditas, perfectio nulla cupiditas. Et talis perfectio potest in hac vita haberi. Et hoc dupliciter. Vno modo, in quantum ab affectu hominis excluditur omne illud, quod contrariatur charitati, sicut est peccatum mortale. Et sine tali perfectione charitas esse non potest: vnde est de necessitate salutis. Alio modo, in quantum ab affectu hominis excluditur non solum illud, quod est charitati contrarium, sed etiam omne illud quod impedit ne affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum, sine qua perfectione charitas esse potest, puta in incipientibus & proficientibus.

Ad primum ergo dicendum, quod Apost. ibi loquitur de perfectione patriæ, quæ non est in via possibilis.

Ad secundum dicendum, quod illi qui sunt in hac vita perfecti, in multis dicuntur offendere, secundum peccata venialia, quæ consequuntur ex infirmitate præsentis vitæ. Et quantum ad hac etiam habent aliquid imperfectum, per comparationem ad perfectionem patriæ.

Ad tertium dicendum, quod sicut status præsentis vitæ non patitur, vt homo semper actu feratur in Deum, ita etiam non patitur, quod actu feratur in omnes proximos sigillatim: sed sufficit quod feratur cõmuniter in omnes in vniuersali, & in singulos habitualiter, & secundum animi præparationem. Potest autem etiam circa dilectionem proximi duplex perfectio attendi, sicut & circa dilectionem Dei. Vna quidem, sine qua charitas esse non potest, vt scilicet homo nihil habeat in affectu, quod sit contrarium dilectioni proximi. Alia autem, sine qua charitas inueniri potest: quæ quidem attenditur tripliciter. Primo quidẽ, secundum

dum extensionem dilectionis, vt scilicet aliquis non solum diligat amicos & notos, sed etiam extraneos, & vlterius inimicos. Hoc enim, vt dicit Augustinus in Enchirid. est perfectorum filiorum Dei. Secundo, secundum intensionem, quæ ostenditur ex his quæ homo propter proximum contemnit, vt scilicet homo contemnat non solum exteriora bona propter proximum, sed etiam afflictiones corporales, & vlterius mortem: secundum illud Ioan. 15 Maiorem dilectionem nemo habet, quã vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Tertio, quantum ad effectum dilectionis, vt scilicet homo pro proximis impendat non solum temporalia beneficia, sed etiam spiritualia, & vlterius seipsum: secundum illud Apostoli 2. ad Corin. 12. Ego autem libentissime impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.

Enchi. c. 73 to. 3.

SVMMARIVM.

1 *Sensus quæstionis, num. 1.*
2 *Perfectio triplex, num. 2.*
3 *Homini competit in hoc statu perfectio vialis. num. 2.*
4 *Perfectio quomodo consistat in charitate. n. 3.*
5 *Perfectio absoluta & conditionata. n. 4. 5.*
6 *Perfectio necessaria & super necessaria. n. 6.*
7 *Perfectio super necessaria quæ? n. 7.*
8 *Perfectionem consistere in habitu, aliqui volunt, & alij negant. n. 8.*
9 *Perfectio & in habitu & in actu consistit. nu. 9. 10. & 11.*
10 *Perfectio consistit in habitibus vt in instrumentis. num. 11.*
11 *Primarius finis status perfectionis est operari perfecte. numer. 12.*
12 *Perfectio actualis consistit in substantia operationum. n. 13.*
13 *Denominatio perfecti vnde sit permanens. n. 14.*
14 *Homo per habitus ad vlteriorem perfectionem tendit. n. 15.*
15 *Perfectio consistit in habitibus antecedenter, in actibus formaliter. n. 16.*
16 *Distinctio iustificationis & perfectionis. n. 17.*
17 *Forma iustificans est gratia operans. n. 18.*
18 *Ad perfectionem esse necessarium certum gradum intensionis actuum, aliquorum opinio. nu. 19.*
19 *Intensio habituum, & actuum materialiter & concommitanter se habet ad perfectionem. numer. 20.*
20 *Potest esse, quod aliquis non diminuta charitate retrocedat à perfectione. n. 21.*
21 *Potest esse quod in hac via homo intensiue sanctior, sit minus perfectus, & quod magis perfectus in via sit minus beatus in patria. nu. 22.*
22 *Sanctitas intensionem, sed perfectio extensionem charitatis respicit. num. 22.*
23 *Non est perfectio sine intensione. nu. 23. 24.*
24 *Ad perfectionem non esse necessarios habitus acquisitos, aliquorum opinio. n. 25.*
25 *Perfectionem non in solo modo intrinseco charitatis, sed in consortio aliarum circumstantiarum consistere, docet Suarez. n. 26. 27.*
26 *Moderatio passionum, & abnegatio sui, quid sit. num. 27. 28.*
27 *Per actus virtutum infusarum generantur in nobis aliquæ dispositiones. nu. 29. 32.*
28 *Fides, & spes non infunduntur ante iustificationem. n. 29.*
29 *Charitas non potest esse informis. n. 29.*
30 *Charitatis actus secundum se potest haberi sine habitu. num. 29.*
31 *Habitus infusus non potest generare habitum seu qualitatem eiusdem rationis. n. 30.*
32 *Moderatio passionum importat habilitatem superandi passiones. n. 31.*
33 *Perfectio requirit exactam victoriam passionum. num. 31.*
34 *Ad perfectionem requiruntur dispositiones acquisitæ. n. 31. 32.*
35 *Huiusmodi acquisitæ dispositiones sunt dona gratiæ. num. 33.*
36 *Vitare omnia peccata venialia, priuilegium B. Virginis. n. 34.*
37 *Perfectus vitat peccata venialia quæ sunt ex voluntate. num. 34.*
38 *Dilectio proximi essentialis perfectioni. n. 35.*
39 *Dilectio proximi duplex in communi, & in particulari. Et hæc perfectior. n. 36.*
40 *Dilectio proximi duplex necessitatis, & supererogationis. n. 38.*
41 *Dilectio supererogationis est diligere proximum, etiam inimicum amore speciali. n. 38.*
42 *Dilectio supererogationis est vt eidem amato plura conferantur bona. n. 39.*
43 *Extensio amoris per quem eidem plura bona amantur est quædam intensio quia non nisi ex maiori perfectione amoris procedit. n. 39.*
44 *Completa amoris perfectio est, vt prorumpat in effectum. n. 40.*

1 DE perfecto absolutè quærit hic articulus & ita vt simpliciter dici de homine possit, quòd sit perfectus, seu quòd perfectè viuat vita Christiana.

2 In textu autem articuli distincto triplici modo perfectionis, ostenditur quòd homo tertio modo potest esse perfectus, & dicitur quòd non potest esse perfectus perfectione deitatis, nec perfectione creata sed patriæ propria, sed perfectione viali, quæ etiam diuiditur in perfectionem substantialem excludentem peccata mortalia, & longè perfectiorem, & excludentem etiam peccata venialia. Et vtraque conuenire potest viatori. Qui propterea non omnino absolutè dici potest perfectus sed sub conditione, scilicet perfectione viæ.

3 Itaque iterum D. Th. asserit quòd perfectio consistit in charitate nimirum principaliter, specialiter, & simpliciter iuxta dicta in super. art. Absolutè tamen dicitur, quòd perfectio consistit in charitate, quia in ipsa consistit perfectio tota imperatiuè, finaliter, & quodammodò tanquam in

exemplari & in forma extrinseca, & quia aliæ virtutes non perficiunt simpliciter, nisi vt stant sub ordine charitatis.

4 Hoc verò stante distinguitur triplex perfectio, quarum prima dicitur perfectio absoluta, quæ est sine conditione aliqua diminuente, vnde habet omnimodam totalitatem, tam ex parte diligentis Dein, quàm ex parte diligibilis, quæ consistit in amore, quo Deus diligitur tanta perfectione, quanta est diligibilis. Hæc verò perfectio increata est, & soli Deo conuenit.

5 Alia est perfectio quæ non est simpliciter absoluta, sed sub aliqua conditione, quantùm scilicet sit ex parte creaturæ diligentis. Et hæc duas conditiones habet. Prima est vt creatura diligat Deum secundum totum suum posse. Secunda ex consequenti est, quòd in actu exercito semper Deũ diligat. Sed hæc perfectio est propria status beatifici. Tertia autem perfectio est magis conditionata, & per se absolutè distinguitur à secunda in hoc, quod hæc non semper tendit in Deum, & sic admittit totalitatẽ aliquam ex parte diligentis, sed non omnem. Admittit aliquam, quia excludit totum id, quod repugnat amori Dei, & sic tota fertur in Deum appretiatiuè, diligens Deum super omne diligibile per exclusionem omnis amoris incompatibilis cum Dei amore, & gratia. Sed non habet omnem totalitatem, quia non semper fertur in Deum, & hæc est perfectio viæ.

6 Distinguitur autem hæc viæ perfectio in perfectionem necessariam & perfectionem supra necessariam. Quia illa præcisè excludit peccatum mortale, vnde homo ex hoc perfectus est, quia cum sit in statu gratiæ & charitatis sic viuit, vt non peccet mortaliter. Et hæc est perfectio essentialis, & necessaria cuilibet Christiano. Sed secunda excludit etiam peccata venialia, quia excludit quidquid impedit ne affectus totaliter ferratur in Deum perfectione viæ.

7 Circa verò hunc modum perfectionis hoc aduertendum, quòd consistit in quadam intensione & extensione charitatis ad omne id, quod est Dei voluntatis, ita scilicet vt homo per affectum ita adhæreat Deo, vt nihil velit, nisi quod sit conforme diuinæ voluntati, & ita vt nedum præcepta obligantia ad mortale, sed etiam quæ obligant sub veniali velit obseruare, & in omnibus id eligere, quod cognouerit esse magis beneplacitum Deo. Hoc enim est tollere impedimenta quæ detinent ne animus totaliter feratur in Deum, auferre scilicet omnem terrenam cupiditatem, & nihil desiderare quod non sit Deus, vel ordinetur in Deum, & hoc est facere omnia in Dei gloriam, hoc est perfectè viuere sine defectu, & querela, & hæc est perfecta iustitia: Itaque de ratione hujus perfectionis est charitatis extensio nedum ad præcepta seruanda, sed quæ cupiditatem perfectè vincat & superet. Charitate enim crescente minuitur cupiditas, vt docet S. Aug. in *Ench. cap. 111. & vt habet idem l. 83. qq. in 36. charitatis perfectio nulla cupiditas*. Hoc verò stante de huiusmodi perfectionis modo nonnulla quæruntur, & quidem primo.

An perfectio consistat in habitu, vel in actu?

8 Svarez enim *lib. 1. cap. 4. num. 5. & seqq.* probat consistere in habitu. Primò quia scopus status perfectionis non respicit ad vnam aliquam simplicem, vel continuatam operationem, sed ad virtutes acquirendas, & frænandos affectus, & tollenda omnia impedimenta (vt etiam in textu dicitur) vt homo perueniat ad statum permanentem, in quo homo quasi connaturaliter suo tempore & Deum amet, & actus virtutum eliciat, & minima etiam peccata vitet. Secundò nam aliquis homo potest esse perfectus licet nullum specialem actum valde perfectum elicuerit, ergo signum est hanc perfectionem consistere in habitu, non in aliquo actu perfectissimo. Antecedens probatur, nam qui cum moderata intensione actuum diu bene operatur, potest de facili esse perfectus sine intensiua actuum perfectione. Tertiò nam aliàs, qui haberet semel actum perfectissimum charitatis, esset perfectus, etiam si talem, vel similes actus non multiplicaret. Quòd si quis dicat esse necessariam continuatam operationem perfectam, contra instatur. Quartò quia denominatio hominis perfecti de se est permanens, & durans etiam dum homo actu non operatur, igitur est denominatio a forma intrinseca & de se permanenti, qualis forma non est actus, sed habitus. Quintò quia Deus potest constituere hominem perfectum sine actuali operatione infundendo habitus omnes, quibus homo perficitur ad perfectas operationes; quomodo perfectam instituit animam Virginis cum primo illam iustificauit & gratia repleuit, in opinione illorum, qui dicunt animam Virginis in conceptu non habuisse aliquam operationem. Tunc enim verè perfecta fuit anima Dominæ nostræ, quidquid sit an tunc aliquam operationem habuerit. Sextò nam licet hæc perfectio consistat in operatione antecedenter, & concomitanter, quia habitualis dispositio ad perfectè operandum non habetur nisi ex actibus, & non nisi ex illis fouetur, & conseruatur, tamen formaliter hæc perfectio consistit in habitibus quod etiam probatur ex *Basilio hom. 10. in exam. circa finem*. Septimò nam iustificationis forma est habitus, scilicet gratia sanctificans, a qua homo efficitur perfectus; igitur eadem ratione forma dans vltimum esse perfectum est habitus, operatio verò est fructus perfectionis.

In oppositum verò alij arguunt, quia beatitudo consistit in actuali operatione vt ex p. 2. patet, ergo & perfectio humanæ vitæ.

9 Respondetur, perfectionem ad quam status perfectionis ordinatur, & à qua speciem sumit, non consistere in solis habitibus, neque in solis actibus sed in vtrisque, ita tamen quod essentialiter consistit in gratia; completiuè verò finaliter, & simpliciter in actibus, in habitibus verò vt in principijs ad operandum perfectè ordinatis. Probatur assertum quantum ad omnes partes. Quòd enim perfectio non consistat in solis habitibus, patet, quia finis status perfectionis est actu adhærere Deo; neque enim in potentia, & aptitudine, sed in actuali

adhærentia, & vnione creaturæ ad Deum vt ad suum principium & finem, vt dicit D. Thom. artic. superiori, consistit perfectio, & felicitas; & charitas, quæ est vinculum perfectionis sine dubio est actus charitatis, qui omnes aliarum virtutum actus simul vnit, & ordinat in Deum. Et de hoc eodem charitatis actu dicitur quòd sit legis plenitudo; quia plenitudo legis in perfecta legis obseruantia consistit, quam præbet exercitia charitas. Nec valet dicere, quòd perfectio huius vitæ est imperfecta, & quòd homo non potest esse in continua operatione, quia hoc solùm probat, quòd summa perfectio ad quam creatura potest peruenire in hac via est operatio moraliter continua, & suis temporibus habita, non verò probat, quòd perfectio, & felicitas non consistat in actuali operatione. Quod ampliùs manifestum est, quia obligatio per quam homo constituitur in statu perfectionis, non est ad posse, sed ad actu operari, & pro fine respicit hoc quod est actu etiam minima peccata vitare. Et ampliùs operatiui habitus sunt propter actus; vt dicitur *prima. 2. qu. 49. art. 3.* igitur habitus non possunt habere rationem finis vltimi, sed medij, perfectio verò est summum, ad quod homo potest & intendit peruenire.

10 Verùm quòd hæc perfectio non consistat in solis actibus, probant argumenta allata pro prima opinione. Quia verè perfectio consistit in exercitio cuiuscumque operationis necessariæ ad excludendum etiam peccata minima, quod exercitium sit & stabile, & continuũ, & delectabile, & iucundũ, & ideo veluti connaturale, dicebat enim. Iac. 1. *Vt sitis perfecti in nullo deficientes.* Ideo perfectio importat formam nedum sed primum modum habendi formam, quia tunc subiectum in nullo deficit, cum actum suum optimo modo habet. Optimus autem modus operandi bonũ est operari illud stabiliter, & cõnaturaliter, & delectabiliter; hic verò modus perfectionis nequit haberi sine habitibus, & esset extraordinaria, & miraculosa Dei prouidentia, si per solam gratiam actualem moueret hominem ad durabile exercitium operandi perfectè, & vitandi etiam peccata minima, sine adiutorio gratiæ virtutum, & donorum connaturalizantis homini talem perfectionem operandi. Conceditur igitur primæ opinioni quòd ad perfectionem sit necessaria gratia habitualis virtutum & donorum proportionata ad hoc vt homo exercitè operetur, tollendo omne quod impedit, ne affectus totaliter tendat in Deum.

11 Et nihilominus tertia pars asserti iam patet, quia gratia quidem se habet vt essentia & natura, sed operatiuus habitus cum sit propter actum, non potest pertinere ad perfectionem vt finis vltimus, & vt vltimus terminus, seu vt vltima forma perficiens, sed vt media forma ad actuales operationes vt ad finem ordinata. Ideo in charitate & alijs virtutibus infusis non consistit perfectio nisi vt in instrumentis, & principijs ad operationes ordinaris. Sed operationes sunt vltima forma, ideo illa, perficiunt finaliter, quia sunt finia virtutum, & simpliciter quia vltimæ formæ est simpliciter perficere. Perfectio igitur adæquatè sumpta est gratia actu fructificans, & operans.

12 Ad primum ergo in oppositum dicitur, quòd immò scopus primarius status perfectionis est operari perfectè, & minima quoque peccata vitare, quàmuis ad hoc acquirendum sint etiam necessarij habitus, qui propterea sunt media ad perfectionem, seu perfectionis instrumenta, sen sunt forma dans perfectionem habitualem, propter perfectionem actualem habendam.

13 Ad secundum & tertium dicitur, quòd perfectio actualis consistit in substantia operationum, ita vt homo victis impedimentis etiam minima peccata vitet, vnde est quòd perfectio maior vel minor operationum intra earum speciem non est de essentia perfectionis, cui sufficit quòd homo adhæreat Deo ex toto corde, & taliter, quòd etiam minima peccata vitet, quantum fragilitas humana patitur.

14 Ad quartum dicitur, quòd denominatio perfecti est permanens, & de se durans, quia supponit habitum, nõ tamen ideo dicitur homo perfectus, quia possit operari, sed quia suo tempore operatur perfectè. Vnde ille perfectus est & dicitur, qui in exercitio mandata Dei custodit eum plenitudine, ita vt voluntariè nec minimum deflectat a Dei voluntate, & ab eisdem amore deficiat, vnde denominatio perfecti est denominatio ab actuali operatione vt existente cum quadam perpetuitate modo sibi proprio, qui modus in hoc consistit, non vt numquam operatio deficiat, sed vt operatio sirdum eam conuenit esse.

15 Ad quintũ dicitur, quòd homo per habitus est perfectus ad operandum, non verò est perfectè operans, in quo consistit finis totius humani studij, & conatus. Itaque Deus dans habitus sine actibus constituit hominem perfectum perfectione habituali, & ad operandum, & ideo ordinatum ad vlteriorem perfectionem. Sed vltimata perfectio hominis consistit in hoc quòd homo actu bene & sine defectu operetur.

16 Ad sextum dicitur iam constare, quòd immò in habitibus perfectio consistit antecedenter, in actionibus verò formaliter, & finaliter & principaliter, & simpliciter, quia sine habitibus non est homo capax vt connaturaliter operetur sine defectu, in quo formaliter consistit hominem esse perfectum in viuendo. Et hoc probat authoritas D. Basilij *hom. 10. exam. dicentis, quia esse ad imaginem* (scilicet Dei) *in ipso puncto creationis obtinuit homo, insigniri autem similitudine Dei relictum est nobis acquirendum, certa autem destinatione, & efficaci, & operatoria actione.* Per similitudinem enim intelligit perfectionem vitæ, quam dicit acquiri operatione non tanquam instrumento, sed tanquam forma in potestate nostra existente.

17 Ad septimum primò negatur consequentia, iustificatio enim peccato habituali opponitur & generationi assimilatur, est enim motus de statu iniustitiæ ad iustitiam, vt dicitur *p. 2. quest. 113. a. 6.* vnde consistit formaliter in habitu tollente formaliter peccatum habituale, & in forma dante esse primum, & ex consequenti perficiente ad operandum, non vero dante vltimam perfectionem, sed forma qua homo dicitur perfectè viuere, dicit necessariò actualem operationem, quia viuere est actu se mouere, & ideo non est simile. Quia immò perfectio de qua loquimur supponit gratiam, & perfectionem habitualem virtutum, & superaddit perfectionem operationum.

18 Et

18 Et nihilominus dicitur secundò quòd supponitur falsum, scilicet quod forma iustificans sit solus habitus. In adultis enim forma iustificans est radix cum fructu, seu gratia vt operans, vnde & operationes eius qui se conuertit in Deum, vt sunt formatæ per gratiam, pertinent ad formam vt sanctificantem in actu secundo, qualis est forma sanctificans adultos. Eodem modo perfectio Christianæ vitæ est gratia sed vt actu operans.

An ad perfectionem sit necessarius certus gradus intensionis habituum, & actuum.

19 AFfirmāt hoc aliqui, quia quò aliquis habet gratiam, & virtutes intēsiores eo est perfectior in sanctitate, & iustitia; ad hoc igitur vt sit perfectus necesse erit, vt habeat habitus & actus intēsos in aliquo certo gradu Deo noto. Secundò nam virtutes exercitio actuum augentur, & crescunt. cum igitur perfectio non habeatur nisi medio diuturno exercitio virtutum, sequitur necessariò, quòd perfectio consistat in habitibus & actibus intensis, & in suo esse valde perfectis.

20 Respondetur, intensionem actus charitatis respectu eiusdem obiecti tam formalis, quàm materialis, & vt distinguitur ab extensione eiusdem actua nedum ad plures personas sed ad plura bona & maiora, quæ eidem personæ amantur materialiter se habere ad perfectionem & ad eam formaliter sumptam per accidens esse, quòd habitus, & actus sint intensi. Nam cum, vt habet *D. Thom. 3. d. 31. quæst. 1. a. 3. c.* minima charitas habitualis valeat ad vincendas quaslibet tentationes; potest homo cum minima charitate in gradu intensionis etiam minima peccata vitare, quo existente iam homo perfectè viuit. Ideo verè sic est, quòd potest contingere, vt homo habens charitatem tam habitualem quàm actualem valde intensam, remissè viuat, & frequentiùs peccet venialiter, & econtra alius cum remissiori charitate perfectiùs viuat. Verum quia, vt docet *D. Thom. loc. cit. 3. d. 31. q. 1. a. 3. c.* charitas quæ est parua in principio tentationum, fit magna in fine Deo protegente, & adiuuante; ideo esse non potest quod aliquis sit perfectus sine magna virtutum intensione; quia perfectio non obtinetur, nisi post longum & valde laboriosum exercitium virtutum, & post obtentas frequētiùs victorias contra impetus passionum, ac propterea sine multiplici & iterato augmento charitatis & aliarum virtutum. Sed hoc ad perfectionem se habet veluti materialiter, seu concommitanter, & per accidens; cum ad perfectionem sufficiat, quòd homo a proprio affectu excludat omne illud, quod impedit ne homo toto ac puro affectu tendat in Deum.

Sed dices, quò dilectio est extensior, eò est perfectior. Ex perfectione enim dilectionis est, quòd homo diligendo Deum diligat proximum & eò est perfectior Dei dilectio, quò propter Deum diligitur nedum amicus, sed inimicus, & quò propter Deum nedum contemnuntur bona temporalia, sed honor, & vita. Cum igitur extensio amoris in amoris intentione fundetur, sequitur quòd si ad perfectionem requiritur extensio, multò magis requiratur intensio. Respondetur propterea & dicitur, quòd verè sic est, quòd amor quò extensior eò est perfectior, si de extensione quadam formali, vel quasi formali loquamur, quia scilicet eidem personæ plura bona amantur, vel ex amore vnius plures diliguntur, vt habetur hic ad secundum, sed hæc perfectio non ab omnibus vocatur intensio, bene autem vocatur extensio, quæ in actu, vel in habitu non est nisi cum maiori intrinseca perfectione actua, vel habitus. Ideo huiusmodi intensiua perfectio, quæ extensionem fundat, sub nomine extensionis, seu perfectionis extensiuæ a nobis comprehenditur: licet etiam dici possit intentio, quia verè actus extensior modo dicto est entitatiuè in se ipso intrinsecè perfectior. Sed alia est perfectio actus merè materialis, quæ oritur ex maiori conatu potentiæ, seu agentis, & quæ est modus redundans in actu ex agente intensiori conatu agente stante eodem obiecto tam materiali, quàm formali. Et hic est modus, qui communiter dicitur intensio, & magis propriè ita vocatur, quia hoc modo sumitur, vt distinguitur à perfectione extensiua. Et de hac intensione loquimur in conclusione posita, & asserimus eam materialiter se habere ad perfectionem. a

21 Inde bene collegit *Suarez nu. 12.* posse esse, quòd aliquis etiam nec amissa nec diminuta habituali charitate à perfectione cadat, ex eo quòd frequentiùs peccata venialia committat; quod sine amissione charitatis fieri potest, quia charitas non tollitur nisi per peccatum mortale, & sine eiusdem charitatis diminutione, quia vt habet *D. Th. supra quæst. 24. a. 10.* charitas minui non potest. Ex eo igitur, quòd aliquis perfectus negligere incipiat, & à feruore charitatis deflectens frequentiùs venialiter peccat, a gradu perfectionis cadit intensione charitatis in sua entitate manente.

22 Colligitur secundò contingere posse, quòd sit homo intensiuè sanctior, & sit aliunde minus perfectus, & econtra posse esse quod magis perfectus in hac vita, sit minùs beatus in alia. Sanctitatis enim, & beatitudinis mensura ex quantitate charitatis desumitur, vt docet *D. Thom. 1. p. q. 12. a. 6. c. & 2. 2. q. 24. a. 12.* Et sic gradus gloriæ gradibus charitatis respondent. Et quia contingere potest, quod habens charitatem intensiorem, simul habeat minùs domitas passiones, quibus frequentiùs venialiter indulgeat, quàm faciat ille, qui minoris intensionis charitatem habet, ideo bene contingere potest, quòd imperfectus aliquis sit & in hac, & in alia vita sanctior aliquo perfecto. Perfectio enim dicit modum sanctitatis, qui non supponit per se maximam sanctitatis quantitatem intensiuam, sed extensiuam, quæ scilicet extendatur ad plura impedimēta tollenda, & plura peccata vitāda.

23 Ad primum igitur dicitur, quod ex quo homo habeat intensiores habitus & actus est sanctior intensiuè, sed perfectio potius respicit extensionem, quia ille est perfectus, qui à corde suo omne tollit, quod impedit ne toto affectu tendat in Deum ex quacunque intensione charitatis hoc proueniat, ideo stare potest, quod intensiuè sanctior sit minùs perfectus.

24 Ad secundum dicitur, quòd verè nequit esse perfectio sine virtutum intensione; sed tamen perfectio formaliter non consistit in intensione virtutum, sed in exclusione peccatorum etiam venialium.

An ad perfectionem sufficiant habitus infusi, vel potiùs sint necessarij habitus acquisiti.

25 Videtur enim non adesse necessitatem habituũ acquisitorum, quia perfectio consistit in actibus virtutum supernaturalium, quæ sunt virtutes infusæ, consistit enim perfectio in actibus a charitate vel elicitis, vel imperatis, & ab alijs virtutibus infusis elicitis, at verò respectu horum actuum nulli dantur habitus acquisiti; quia eorumdem actuum non sunt plures habitus; ad perfectionem igitur nulla est necessitas habituum acquisitorum, sed soli habitus infusi sufficiunt. Secundò nam cum habitus acquisiti sint naturales, & ex hominis industria acquirantur, sequeretur quòd perfectio esset fructus humanæ industriæ, non verò donum gratiæ, si perfectio in habitibus acquisitis consisteret.

In oppositum verò est, quia perfectio non nisi operum exercitio acquiritur, & ex consequenti aliquid importat relictum in nobis ex actibus frequentatis, hoc verò est aliquis habitus, qui est qualitas ex actibus resultans.

26 Respondetur, quòd *Suarez loco citato n. 19.* docet, vltimum perfectionis gradum consistere non in solo intrinseco modo charitatis, sed in consortio aliarum circumstantiarum, & alijs conditionibus personæ. Quod explicat, quia perfectio requirit puritatem, & charitatis habilitatem ad promptè operandum in tota sua materia, siue eliciendo, siue imperando, & ad cauendum etiam ea quæ feruorem illius impediunt. Hoc verò non potest haberi sine consortio aliarum perfectionum, quales sunt moderatio passionum, abnegatio rerum temporalium & similes. Quæ considerari possunt, vel vt sunt formæ afficiẽtes hominem proprio earum modo, vel vt sunt materia charitatis. Et primo modo perficiunt charitatem extrinsecè ex vi consortij cum illa reddentes hominem magis habilem ad perfectum vsum perfectionis. Secundo autem modo augent intrinsecè charitatem quasi extensiuè ex parte obiecti. Et vtroque modo charitati vtiles sunt, ac moraliter necessariæ ad statum perfectionis.

27 Hæc verò doctrina multam continet veritatem, sed non explicat punctum nostræ quæstionis, nec facilè ex ea explicari potest, si prout docet idem *Suarez lib. 6. de gratia cap. vlt. ex Valen.* que sequuntur *Martinez prima 2. q. 51. art. 4. & Ioã à D. Th. disp. 16. art. 7.* ex actibus virtutum infusarum non gignitur aliqua qualitas seu dispositio. Nam quid sunt moderatio passionum, & abnegatio rerum temporalium, & similes perfectiones ex quorum consortio charitas obtinet modum perfectionis? Nam si hæc important actus certum est, illas pertinere ad perfectionem actualem, & esse necessarias tanquam actuales ablationes eius, quod impediret saltem feruorem charitatis. Sed in hoc sẽsu non possunt accipi. Tum quia *Suarez* perfectionem ponit in habitibus. Tum quia nos supponimus quid sit perfectio actualis, quia scilicet est tecta & continua quædam adhæsio mentis ad Deum per exclusionem etiam minimorum peccatorum; quærimus verò, quid sit necessarium ad huiusmodi perfectionem habendam veluti connaturaliter, & sine difficultate, & cum promptitudine. Si verò moderatio passionum, & abnegatio rerum temporalium non important actum, non videtur quid possint importare nisi aliquos habitus, nimirum aliquas qualitates permanentes & perficientes in ordine ad victoriam passionum, & cupiditatum temporalium. In quo sensu, primò non apparet quomodo *Suarez* consequenter loquatur. Cum priùs docuerit perfectionem essentialiter consistere in sola charitate, & nunc ad eam requirat consortium aliorum habituum. Nam huiusmodi non possunt requiri per accidens, sed sunt verè de substantia perfectionis, quæ sine mortificatione passionum, & abnegatione temporalium nequit consistere, aut intelligi; qui & sunt a charitate distincti, nec eorum sola charitas est sufficiens causa, vnde nec ipsa respectu eorum dici potest essentia vel natura, nec ipsi dici possunt eiusdem charitatis proprietates, vnde si sunt necessarij ad perfectionem, non concurrunt vt proprietates charitatis, sed vt suo modo substantiam perfectionis integrantes.

28 Secũdò. Si ex actibus virtutũ infusarum non generantur habitus; quidnã sunt mortificatio passionum, & abnegatio temporalium? Vel enim sunt idem quod virtutes infusæ, & Dona Spiritus sancti. Et sic nihil noui asseritur, quia hæc spectant etiam ad perfectionem necessitatis, & cuicumque Christiano sunt necessaria. Et cum ad perfectionem neque per se formaliter sit necessaria intensio habituum, sequitur quòd hæc moderatio passionum, & abnegatio temporalium non possit importare habitus infusos intensos. Sed neque dici potest, quòd importet acquisitos aliquos habitus, quia ad perfectionem per se concurrunt actus virtutum infusarum, & præcipuè actus charitatis, & ex his perfectio integratur, nihil ergo per se ad perfectionem spectat, quod vel non sit principium actuum supernaturalium, charitatis & aliarum virtutum, vel ad huiusmodi actus non consequatur; At verò, si ex actibus virtutum supernaturalium nullus resultat habitus, omnis alius habitus erit ex actibus non habentibus Deum finem supernaturalem pro obiecto, & fine; & ideo non poterit esse quid per se formaliter spectans ad perfectionem Christianæ vitæ.

29 Dicitur igitur verè negari non posse, quòd ex actibus frequentatis virtutum infusarum non generetur in nobis aliqua qualitas, quæ licet non sit perfectè habitus, est tamen dispositio aliqua ad perfectionem, & augmentum habituum infusorum disponens, iuxta doctrinam *D. Thom. supra q. 24. art. 6. c.* dicentis, quod *quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum, inquantum ex vno actu charitatis homo redditur promptior ad agendum secundum charitatem, & habilitate crescente homo* pro-

prorumpit in actum ferventiorem charitatis, quousque conetur ad charitatis profectum, & tunc charitas augetur in actu. Cum ergo constet, quod ex frequentia exercitij actuum charitatis, & reliquarum virtutum homo redditur promptior, & facilior ad agendum secundum virtutem, & neque tamen ad mentem D.Thom. per quemlibet actum augentur virtutes, dicendum est, actus relinquere in nobis qualitatem aliquam, qua potentiæ redduntur magis habiles, & promptæ ad exercitiũ agendi. Nam & iuxta S.Thomæ mentem, cum fides, & spes non infundantur ante iustificationem primam, cur negetur quód in Cathecumeno ex frequentatis actibus fidei, & spei oriatur aliqua qualitas, qua homo redditur habilior ad credendum, & sperandum? Eadem veró ratione hæc qualitas oritur etiam post iustificationem. Sequitur enim actum secundum substantiam sumptum, secundum quam per se nõ est ab habitu infuso, sed sine illo potest haberi. Nã licet charitas in hoc ordine rerum non possit esse informis, tamen per se simpliciter non repugnat haberi actum charitatis, qui non sit ex habitu, sed immò de facto multi tenent, quod actus charitatis, qui est dispositio ad iustificationem non est ex habitu charitatis. Actus ergo virtutum ex ea ratione, qua secundùm substantiam sumpti non petunt esse ex habitu infuso, habent, quod relinquant aliquam qualitatem, quæ det promptitudinem ad agendum.

30 Hæc tamen qualitas, non est perfectè habitus, quia est quid valdè imperfectum respectu actus virtutis, vt est á virtute infusa, & respectu virtutis infusæ, sed est quædam dispositio, per quam homo ad augmentum actuum, & habituum materialiter disponitur. Et per hoc intelligitur, & explicatur textus *D.Thom. p.2. q.51. a.4. ad tertium dicentis,* quod *actus, qui producuntur ex habitu infuso non causant aliquem habitum. sed confirmant habitum praexistentem,* quod idem docet *q.10. de virt. art.10. ad 19.* Duplici enim ratione hoc dicitur. Primò quia actus supponens habitum non causat nouum habitum. Secundò quia actus, qui est ex virtute infusa non potest causare qualitatem eiusdem rationis cum virtute infusa, quæ ex sui ratione per se infunditur, & excedit virtutem, quam actus habent ex quocumque principio non infuso. Esto veró hi actus generent aliquid, hoc non est habitus, sed dispositio aliqua. Immò duo D. Thom. docet de his actibus. Primum, quòd non generant habitum. Secundùm, quòd confirmant habitum præexistentem, aliquid ergo faciunt, & aliquid relinquunt. Cum enim ex eius doctrina non per omnes actus virtutis infusæ augeatur habitus, & tamen quilibet actus talis confirmat habitum præexistentem, ergo aliquid relinquit distinctum ab habitu, ex quo habitus confirmatur; quia scilicet relinquitur promptitudo aliqua, & habilitas ad similes actus habendos talem secundum substantiam actus, ex qua promptitudine homo redditur habilior ad actus perfectiores eliciendos, per quos obtineat augmentum habitus. Ex frequentia actuum igitur homo redditur habilior ad operandum.

31 In hoc ergo moderatio passionum & cupiditatum consistit, quæ ex parte virtutum infusarũ importat augmentum aliquod, & intensionem, quæ concommitatur diuturnum, & permanens exercitium virtutum. Vel ex parte hominis importat habilitatem, & promptitudinem acquisitam ex frequenti exercitio virtutum. Sed quia bene contingere potest, quod quis in vnius, vel alterius virtutis exercitio emineat, sed interim frequentiùs peccet venialiter circa aliarum virtutum materiam, & sic vnam, vel alteram passionem, seu cupiditatem domitam habeat, non omnes: Ad perfectionem requiritur perfecta victoria passionum, & cupiditatum, illud scilicet, quod ex frequenti, & continuato exercitio virtutum omnium in nobis relinquitur, tam in parte superiori, quàm in parte inferiori, per quod iam ex vsu frequenti promptè, & faciliter Deo actu dirigente passiones quaslibet reprimimus, & superamus cupiditates. Illa nimirum dispositio per quam ex longo vsu, & virtutum exercitio reddimur magis dispositi & habiles, vt á Deo actu moueamur ad vitanda etiam peccata minima, quæ dispositio licet ordinariè non habeatur nisi ex vsu frequenti & labore, tamen haberi posset etiam immediatè á Deo per infusionem.

32 Ad primum igitur in oppositum respondetur, quod respectu actuum, & habituum infusorum, licet non dentur habitus acquisiti, dantur tamen dispositiones aliquæ ex frequentia actuum ortæ, per quas reddimur habiliores ad actuũ exercitium. Ille veró est perfectus, qui est sic dispositus, vt quacumque occasione adueniente promptè, & faciliter possit peccata etiam minima vitare. Nec Dei auxilium actuale ad huiusmodi peccata vitanda est proportionatum, & veluti connaturale, & debitum, nisi illis, qui ad tantam perfectionem sunt habiles, & dispositi.

33 Ad secundum dicitur, quòd immò huiusmodi dispositiones non sunt nisi dona gratuita, cum & supponant habitus infusos, & ad eorum augmentum ordinentur, & oriantur ex actibus, qui nonnisi ex speciali Dei dono habentur. Vnde sunt etiam secundùm substantiam supernaturales, quia super infusis habitibus fundantur, & ad eorum perfectionem ordinantur, & quia enim absolutè sint dona gratiæ, naturæ absolute sumptæ vires excedunt.

34 Ex responsione ad secundum, habemus quod vitare omnia peccata venialia superat conditiones viæ, & est priuilegium soli Matri Dei cõcessum. Peccata enim venialia ortum habent, vel ex infirmitate præsentis vitæ in qua homo habet in membris suis legem repugnantem legi mentis, & captiuantem in lege peccati, vel ex prauitate aliqua voluntatis affecta nimis erga sensibilia, & temporalia, quia scilicet voluntas nondum vicit cupiditates prauas. In homine perfecto sunt peccata venialia ex infirmitate vitæ non vero ex voluntate.

35 In responsione ad tertium, habetur alius quidam modus virtutis ad perfectionem pertinens; qui modus est extensio charitatis etiam ad proximum. Hæc enim extensio est charitati essentialis, vnde non potest non pertinere ad perfectionem, cum dilectio proximi sit in præcepto. Hæc tamen dilectio principaliter respicit Deum, qui solus est obiectum formale, & primarium charitatis, per se primò amandum, in cuius visione beatitudo consistit, & ratione cuius proximi sunt amandi.

36 Be-

36 Bene autem Caiet. aduertit, quod ex duobus modis amandi proximos, vel in communi, vel in particulari habitualiter & secundùm animi promptitudinem, secundus longè melior est primo, & se habet ex additione ad illum. Nam in secundo habetur promptitudo benefaciendi singulis nedum ex ratione communi, quia sunt vel homines, vel ciues, sed quia tales in singulari, vnde sic diligens proximum, est paratus præstare beneficium singulis etiam vt singulis.

37 Est verò considerandum, quod distinctio data in textu de perfectione dilectionis Dei applicatur ad dilectionem proximi. Nam quædam perfectio dilectionis proximi est necessitatis, quæ scilicet ab affectu hominis excludit quidquid est contrarium dilectioni proximi. Hæc igitur perfectio consistit in obseruantia præcepti dilectionis proximi, vt nihil fiat, quod sit contra huiusmodi præceptum.

38 Alterum modum dilectionis, quæ est supererogationis, & consilij explicat ex tribus. Et primò ab extensione dilectionis, vt scilicet homo nedum diligat notos, & amicos, sed etiam extraneos, & inimicos. Quod, vt Caiet. notat intelligitur de amore speciali; Cum enim diligere extraneos, & inimicos in communi sit in præcepto, at verò diligere eos in speciali extra casum necessitatis non est in præcepto, vt dictum est supra q. 25. a. 8. Huius verò perfectionis est nedum in præparatione animi respectu casus necessitatis, sed extra casum necessitatis diligere inimicos, vt singulares personas, & illis benefacere. Charitas igitur perfecta est charitas extensa, & respectu proximi ad omnes homines etiam in speciali.

39 Secundò dicitur amor proximi perfectus ex intensione, quam intensionem actus charitatis explicat D. Thom. per hoc, quòd homo eidem homini plura conferat beneficia, ita vt ex eius amore nedum contemnat exteriora bona, sed etiam corporales afflictiones, & etiã mortẽ. Hic ergo modus perfectionis eandem personam respicit. Et sicut respectu Dei consistit in hoc, quod homo nedum velit seruare eius præcepta, sed etiam consilia, & in omnibus, & singulis se submittere eius voluntati, ita respectu proximi consistit in hoc, quod ex eius amore bona tam exteriora, quam corporalia, & vitam etiam contemnat. Hanc verò charitatis perfectionem, D. Thom. & Caietanus hic intensionem vocant, sed Suarez tom 3. l. 1. cap 4. n. 17. & 18. vocat extensionem, quamuis dicat esse differentiã in æquiuocatione vocis, quia quandoque excellẽtia amoris respectu eiusdem personæ dicitur intensio, & ita loquitur hic S. Thomas, sed ipse intensionem illam vocat, quæ est perfectio consistens in latitudine graduum, & quæ oritur ex maiori conatu hominis. Non est huius loci hanc quæstionem soluere. Sed cum nec sit certum dari latitudinem graduum in habitibus; aliàs verò non nisi ex maiori perfectione indiuiduali, & intrinseca habitus oriatur, quod respectu eiusdem personæ, se extendat ad plura, iure merito perfectio charitatis, per quam eidem personæ plura beneficia conferuntur dicitur intensio, hæc enim charitas in se ipsa est excellentior, & perfectior, & non potest non esse ex maiori conatu diligentis, quod quis propter aliũ etiam vitam donet.

40 Tertiò dilectio dicitur perfecta, quantum ad effectum &c. Constituitur hæc tertia perfectio in hoc quod homini quis nedum temporalia, sed etiam spiritualia beneficia conferat. Meritò autem dubitat Caiet. circa distinctionem huius tertij mẽbri. Nam perfectio charitatis ex eo quòd homo eidem homini plura amet, respicit tam temporalia, quàm spiritualia, & quæcumque bona, quæ homo possit alicui velle, vel conferre; superfluum igitur est tertium membrum, & in secundo continetur. Quia ad secundum membrum spectat quod homo ob proximi amorem bona sua contemnat, & beneficia illi conferat etiam vitam donando. Respondetur verò hæc duo distingui, quia secundum membrum importat voluntatem, & propositũ, sed tertium importat effectum, non enim omnis voluntas prorumpit in actum, ideò formaliter distinguuntur voluntas, & effectus voluntatis. Primus ergo & secundus modus dilectionis in affectu consistunt, sed tertius in effectu; vnde tertius importat vltimum complementum dilectionis, qui est vt nedum affectu, sed effectu homo propter proximũ se & sua contemnens ei conferat & temporalia, & spiritualia, & se ipsum.

ARTICVLVS III.

Vtrum perfectio consistat in præceptis, an in consilijs?

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod perfectio vitæ non consistat in præceptis, sed in consilijs. Dicit enim Dominus Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Sed istud est consilium. Ergo perfectio attenditur secundum consilia, & non secundum præcepta. 2. con. c. 130 & quodl. 4. a. 24. ad 2. & op. 17. c. 6.

§. 2. Præterea, Ad obseruantiam præceptorum omnes tenentur, cum sint de necessitate salutis. Si ergo perfectio Christianæ vitæ consistat in præceptis, sequitur quod perfectio sit de necessitate salutis, & quod omnes ad eam teneantur. Quod patet esse falsum.

§. 3. Præterea, Perfectio Christianæ vitæ attenditur secundum charitatem, vt dictum est. Sed perfectio charitatis non videtur consistere in obseruantia præceptorum; quia perfectionem charitatis præcedit & augmentum & inchoatio ipsius, vt patet per August. super Canonicam Ioannis. Non autem potest charitas inchoari ante obseruantiam præceptorum: quia vt 1. 2. & 2. præc. … tra. 9. declin. ad fin 10. 7.

dicitur Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, Ergo perfectio vitæ non attenditur secundum præcepta, sed secundum consilia.

Sed contra est, quod dicitur Deuter. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Et Leu. 19. dicitur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Hæc autem sunt duo præcepta, de quibus Dominus dicit Matth. 22. In his duobus præceptis pendet lex, & prophetæ. Perfectio autem charitatis, secundum quam dicitur vita Christiana esse perfecta, attenditur secundum hoc, quod Deum ex toto corde diligamus, & proximum sicut nos ipsos. Ergo videtur quod perfectio consistat in obseruantia præceptorum.

Respondeo dicendum, quod perfectio dicitur in aliquo consistere dupliciter. Vno modo, per se & essentialiter. Alio modo, secundario, & accidentaliter. Per se quidem & essentialiter, consistit perfectio Christianæ vitæ in charitate; principaliter quidem, secundum dilectionem Dei; secundario autem, secundum dilectionem proximi, de quibus dantur præcepta principalia diuinæ legis, vt dictum est. Non autem dilectio Dei & proximi cadit sub præcepto secundum aliquam mensuram; ita quod id quod est plus, sub consilio remaneat, vt patet ex ipsa forma præcepti, quæ perfectionem demonstrat, cum dicitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo (Totum enim & perfectum idem sunt, secundum Phil. in 3. Physic.) Et cum dicitur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Vnusquisque enim seipsum maxime diligit. Et hoc ideo est, quia finis præcepti charitas est, vt Apost. dicit 1. ad Tim. 1. In fine autem non adhibetur aliqua mensura, sed solum in his quæ sunt ad finem, vt Philos. dicit in 1. Polit. Sicut, medicus non adhibet mensuram quantum sanet, sed quanta medicina vel diæta vtatur ad sanandum. Et sic patet, quod perfectio essentialiter consistit in præceptis. Vnde August. dicit in lib. de perfectione iustitiæ, Cur ergo non præciperetur homini ista perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habeat? Secundario autem & instrumentaliter, perfectio consistit in consiliis: quæ omnia, sicut & præcepta ordinantur ad charitatem, sed aliter & aliter. Nam præcepta alia à præceptis charitatis ordinantur ad remouendum ea quæ sunt charitati contraria, cum quibus scilicet charitas esse non potest; consilia autem ordinantur ad remouendum impedimenta actus charitatis, quæ tamen charitati non contrariantur: sicut est matrimonium, occupatio negotiorum secularium, & alia huiusmodi. Vnde Aug. dicit in Enchir. Quæcumque mandat Deus, ex quibus vnum est, Non mœchaberis; & quæcumque non iubentur, sed speciali consilio monentur, ex quibus vnum est, Bonum est homini, mulierem non tangere: tunc recte fiunt, cum referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum, & in hoc seculo, & in futuro. Et inde est quod in collationibus Patrum dicit abbas Moyses; Ieiunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt: quia non in ipsis consistit disciplinæ illius finis, sed per illa peruenitur ad finem. Et supra præmisit quod ad perfectionem charitatis, istis gradibus ascendere nitimur.

Ad primum ergo dicendum, quod in illis verbis Domini aliquid ponitur quasi via ad perfectionem, hoc scilicet quod dicitur, Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Aliud autem subditur, in quo perfectio consistit, scilicet quod dicit, Et sequere me. Vnde Hieronymus dicit super Matth. quod quia non sufficit tantum relinquere, Petrus adiungit quod perfectum est, Et secuti sumus te. Ambros. † autem super illud Luc. 5. Sequere me: dicit, Sequi iubet, non corporis gressu, sed mentis affectu, quod fit per charitatem. Et ideo ex ipso modo loquendi apparet, quod consilia sunt quædam instrumenta perueniendi ad perfectionem, dum dicitur, Si vis perfectus esse, vade, & vende, &c. quasi dicat, Hoc faciendo ad hunc finem peruenies.

Ad secundum dicendum, quod sicut August. dicit in lib. de perfectione iustitiæ, perfectio charitatis, homini in hac vita præcipitur: quia non recte curritur, si quo currendum est, nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Cum autem

tem id quod cadit sub pracepto, diuersimode possit impleri, non efficitur transgressor pracepti aliquit ex hoc quod non optimo modo implet, sed sufficit quod quocumque modo impleat illud. Perfectio autem diuinu dilectionit vniuersaliter quidē cadit sub pracepto, ita quod etiam perfectio patriu non excluditur ab illo pracepto, vt dicit † Augu. sed transgressionem pracepti euadit, qui quocunque modo perfectionem diuinu dilectionit attingit. Est autem infimus diuinu dilectionis gradus, vt nihil supra eum, aut contra eum, aut aequaliter ei diligatur. A quo gradu perfectionis qui deficit, nullo modo implet praeceptum. Est autem alius gradus perfecta dilectionit, qui non potest impleri in via, vt dictum est: à quo qui deficit, manifestum est quod non est transgressor pracepti: & similiter non est transgressor pracepti qui non attingit ad medios perfectionis gradus, dummodo attingat ad infimum.

in lib. de perfectione iustitiae ante med. to. 9.

art. prae.

Ad tertium dicendum, quod sicut homo habet quamdam perfectionem sua natura statim cum nascitur, qua pertinet ad rationem speciei, est autem alia perfectio ad quam per augmentum adducitur: ita etiam est quadam perfectio charitatis pertinent ad ipsam speciem charitatis, vt scilicet Deus super omnia diligatur, & nihil contra eum ametur. Est autem alia perfectio charitatis etiam in hac vita, ad quam aliquis per aliquod spirituale augmentum peruenit: vtputa cum homo etiam à rebus licitis abstinet, vt liberius diuinis obsequijs vacet.

SVMMARIVM.

1 *Non dari consilia Euangelica plures haeretici senserunt. num.1.*
2 *De fide est dari consilia Euangelica. n.2.*
3 *Virginitas. num.2.*
5 *Paupertas num.3.*
4 *Obedientia. num.4.*
5 *Licet teneamur diligere Deum super omnia, & omnia nostra illi debeamus, non excluditur, quin multa opera non sint de pracepto, sed de consilio. num.5.*
6 *Nos non teneri ad semper operandum, quorundā opinio. num.6.*
7 *Alij oppositum sentiunt. n.7.*
7 *Ex lege natura si operamur tenemur operari bonum, & in Dei gloriam. n.8.*
8 *Ex lege natura tenemur nunquam male agere. num.9. 10.*
9 *Non datur medium inter bene, & male agere. num.11.*
10 *Verbum otiosum est, quod non est propter bonum finem. n.11.*
11 *Tenemur semper agere ad Dei gloriam. n.11.*
12 *Accedit huius veritatis ratio. n.12. 13. 14.*
13 *Non est necesse operari semper propter Deum explicitè consideratum. n.15. 16.*
14 *Quid sit operari propter Deum implicitè & virtualiter. n.15. 16.*
15 *Tenemur semper agere. n. 18.*
16 *Et hoc ex amore sui, & Dei. n.18. 19.*
17 *Suspendere omnem actionem non habet rationem boni. n.18. 19.*
18 *Hominem non impeditum abstinere ab omni operatione est impossibilè &c. n.20.*
19 *Lex natura non pracipit determinatè omnia opera, sed vage. n.21.*
20 *Non datur libertas ad nihil in vigilia cogitandū, & volendum. n.22.*
21 *Ex recto iudicio non potest homo in vigilia velle suspendere omnem actum. n.23.*

Quid sit Consilium Euangelicum.

22 *Consilium quid sit. n.24.*
23 *Consilium multipliciter dicitur. n.25.*
24 *Consilium vt distinguitur à pracepto est ratio agendorum non necessitans prout est in superiore. num.25.*
25 *Consilium Euangelicum est dictamen Christi dirigentis ad ea, qua non sunt necessaria necessitate salutis. n.25.*
26 *Consilium est meliori bono. n.26.*
27 *Consilium dicitur opus melius non respectu operis vt pracepti, sed respectu operis liberi in eadem materia. n.27.*
28 *Consilium si sit rectum est de meliori bono. n.27. & 28.*
29 *Impossibile est hominem peccare sine defectu consilij. n.29.*
30 *Consilium dupliciter dicitur, formaliter, & obiectiuè. n.30.*
31 *In prasenti potius sumitur obiectiuè. n.30.*
32 *Consilium Euangelicum obiectiuè sumptum est opus non necessarium ad salutem à Christo immediatè, vel media Ecclesia tanquam melius approbatum. n.30.*

An consilium, aliquam leuem obligationem inducat.

33 *Ratio quaestionis. num.31.*
34 *Consilium commune, & singulare. n.31.*
35 *Consilium aliquam leuem obligationem inducere, aliquorum opinio. n.32.*
36 *Consilium nullam inducere obligationem vera sententia. n.33. 34.*
37 *Consilium nullam inducere obligationem probatur. n.34. 35.*
38 *Nolle poenitere, vel esse Religiosum quando sit peccatum. n.36.*
39 *Peccatum veniale est & non est cōtra legem. n.37.*

40 D. Thomas explicatus. n.37.
Scotus explicatus.
41 Praeceptum inducit necessitatem &c. n.38.
42 Sit ne peccatum resistere sanctae, inspirationi. numer. 39.
43 Non esse peccatum, aliquorum sententia. n.39.
44 Oppositum alij sentiunt. & bene. n.40.
45 Eo peccatum est maius, quo magis diuinae inspirationi resistitur. n.41.
46 Inspirationes examinandae vtrum ex Deo sint. num.42.43.
47 Vbi constet inspirationem ex Deo esse, aliquod peccatum est illi resistere. n.44.
48 Non licet extinguere spiritum, aut rebellem esse lumini. n.44.
49 Ingratitudo & iniuria quaedam est, Dei admonitionem abijcere. n.45.
50 Tenetur homo agere quod est melius. n.46.
51 Non est debitum faciendi melius ex genere. n.47.
52 Voluntatem sine peccato posse minus bonum eligere quorumdam sententia est. n.48.
53 Dantur aequalia bona saluo ordine finis honesti. num.49.
54 Voluntatem relicto maiori bono cognito eligere minus bonum est peccatum aliquod. n.49.
55 Homini quia ex bono extrinseco suam beatitudinem accipit, necesse est melius amare. n.49.
56 Deus optimum agit. n.50.
57 Electio minoris boni non est ordinabilis in rectum finem. n.51.
58 Tenetur homo semper inquirere quid sibi in indiuiduo sit melius, licet non teneatur inquirere, vt eligat quod est melius in genere. n.52.
59 Minus bonum in indiuiduo est simpliciter malum. num.53.
60 Resistere sanctae inspirationi ex hoc est malum, quod est reijcere magis bonum. nu. 54.
61 Quot sint consilia Euangelica. n.55.
62 Consiliorum alia sunt talia simpliciter, alia secundum quid. n.56.
63 Consiliorum alia dicuntur generalia, alia particularia. n.57.
64 Haec distinctio non approbatur. n.58.
65 Prior distinctio admittitur. n.58. 59.
66 Cuiuscumque virtutis actus non cadere sub praecepto aliquorum sententia. n.60.
67 Oppositum est verius. n.60.
68 Etiam de magnificentia, liberalitate, & Eutropelia. n.60.
69 Non omnis virtutis actus est ex lege naturali praeceptus. n.60.
70 Consilium locum habere non potest in cauendo malum. n.61.
71 Consilia simpliciter ad tria reducuntur. n.62.
72 Consilium in hoc articulo sumitur, vt contradistinguitur praecepto. n.63.
73 Resolutio articuli. num.64.
74 Perfectio dupliciter consistit in aliquo, essentialiter, & accidentaliter. n.65.
75 Iterum vtroque modo dupliciter vel primario, vel secundario. n.65.
76 Perfectio consistit essentialiter in praeceptis, & primo in dilectione Dei, secundario in dilectione proximi. n.66.
77 Datur praeceptum charitatis licet charitas sit finis praecepti. n.67.
78 Charitas est finis praeceptorum, quia est adhaesio ad Deum. n.68.
79 Charitatis perfectio non cadit sub consilio. num. 69. 73.
80 Hoc aliqui negant. n.70.
81 Affirmant vero alij. n.71.
82 Eorum quae praecipiuntur, aliud praecipitur vt finis, aliud vt medium. n.72.
83 Excellentia charitatis praecipitur vt finis. nu.73.
84 Semper tenemur Deum aliquo modo diligere, quia bonum propter Deum debemus facere. numer.74. 75.
85 Ex charitate ab alio actu charitatis cessamus. num.74.
86 Excitatus non impeditus non potest suspendere actum dilectionis Dei. n.75.
87 Excellentiam charitatis nolle, vel impedire est peccatum. n.76.
88 In iusto nullus est actus, qui non sit ex charitate. num.77.
89 Ad excellentiam charitatis tenemur vt ad finem. num.78.
90 Totalitas perfectionis charitatis est de praecepto. num.79.
91 Charitas est & medium & finis. n.79.
92 Si non pro singulis momentis diligitur Deus, aut operamur propter Deum quantum possumus, peccatum est. n.80.
93 Perfectio consistit essentialiter in praeceptis, D. Th. explicatur. n.81.
94 Perfectio instrumentaliter consistit in consilijs. numer.82.
95 Actus virtutum vt sunt de praecepto sunt de substantia perfectionis. n.81.83.
96 D. Thomas explicatur dum actus virtutum assimilat consilijs. n.83.
97 Consilia non sunt perfectio, sed instrumenta ad perfectionem. n.84.
98 Consilia esse necessaria ad acquirendam perfectionem aliquorum opinio. n.85.
99 Perfectionem addere ad obseruantiam praeceptorum aliquorum opinio. n.86.
100 Non dari in indiuiduo opus quod sit consilij aliquorum opinio. n.87.
101 Actus in indiuiduo melior materialiter, vel formaliter. n.88.
102 Saluo ordine finis honesti saepius nullum medium est melius. 89.
103 Non est obligatio eligendi melius ex genere. numer.89.
104 Obligatio eligendi melius est ex lege charitatis. num.89.
105 Dari potest in indiuiduo opus consilij. n.90.
106 Consilia simpliciter, & secundum quid. Actus virtutum sunt consilia secundum quid. n.91.
107 Perfectio essentialiter consistit in sola obseruantia praeceptorum. n.92.
108 Perfectio non consistit in obseruantia consiliorum nisi instrumentaliter. n.93.
109 Obseruantiam consiliorum fructus, & ornamentum accidentale perfectioni. n.94.
110 Perfectio rei simpliciter non completur per accidentia communia. n.95.
111 Perfectio non exprimitur per illud vade vende, sed per illud sequere me. n.96.
112 Perfectio ad communem vitam addit excellentiorem

tiorem obseruantiam mandatorum. num.96.

113 *In Christo non fuit nisi obseruantia mandatorum.* n.97.

114 *Non est per se verum, quod perfectio ad vitum communem addat obseruantiam consiliorum.* num.98.

115 *Propositio ista, scilicet nisi quis faciat vel aliquid non praeceptum, vel melius quam sit praeceptum non potest perfectionem obtinere, examinatur.* num.99.

116 *Eo forent inutiles quia Deo nihil nostrum damus.* num.100.

117 *Deo reddimus aliquod non debitum ex vi praecepti solum materialiter.* n.100.

118 *Obseruantia consiliorum vtilis est non necessaria ad perfectionem.* n.101. 102.

119 *Paupertas non est perfectio, sed via ad perfectionem.* n.103.

120 *Perfectio quadrupliciter sumitur.* n.104.

121 *Proponuntur quaerenda.* n.105.

122 *Perfectionem consiliorum non contineri in praeceptis quorundam opinio.* n.106.

123 *Oppositum verum.* n.107.

134 *Perfectio consiliorum contradistincta à perfectione praeceptorum non datur nisi materialiter & secundum quid.* n.108.

125 *Perfectio quae acquiritur per consilia est de praecepto.* n.109.

126 *Perfectio est consiliorum finis.* n.110.

127 *Perfectio est praecepta vt finis.* n.110.

128 *Dubium contra resp. ad tertium.* n.111.

129 *Aliquorum responsio.* n.111.

130 *Quod praecipitur vt finis sufficit vt aliquando ponatur.* n.112.

131 *Praefata responsio impugnatur,* nu.113.

132 *Perfectio charitatis extẽsiua & intensiua.* n.114.

133 *Perfectio charitatis substantialis, & accidentalis; & illa vel substantialis viae, vel patriae.* numer.115.

134 *Perfectio substantialis charitatis praecipitur vt habeatur, & illam non habere, est peccatum.* numer.116.

135 *Nulla est lex quae obliget ad exercitè habendam perfectionem accidentalem.* n.117.118.119.

136 *Non dabilis lex quae obliget ad omnimodam perfectionem charitatis.* n.117.

137 *Inaequalitas charitatis in creaturis est de perfectione vniuersi.* n.118.

138 *Praeceptum est tendere in perfectionem, illamque neque excludere, neque impedire.* n.120.

139 *Satisfacit praecepto charitatis, qui nullo modo peccat, & impedimentum non ponit augmento charitatis.* n.121.

140 *Non intendere, & impedire perfectionem est peccatum.* 122.

141 *Perfectio substantialis, & accidentalis, seu specifica & indiuidualis.* n.123.

142 *Consilia per se sunt solum instrumenta perfectionis.* n.124.

1 NOn dari in Euangelica lege consilia plures haeretici senserunt ex diuersis principijs, vt habetur ex *Bellar. lib. 2. de Monach. cap. 8. & Grutina prescrip. lib. 4. de falsis haeres. traditionib.* Quidã enim consilia dixerũt esse praecepta, vt Apostolici, qui dixerũt neminem posse saluari nisi seruato cęlibatu, & paupertate. *Epiphan. haer. 61. Aug. haer. 40.* Quod in parte voluerunt Encratitae, coelibatum esse de necessitate salutis sentientes *Irenaeus lib. 1. c. 30. & Pelagiani*, qui voluerunt neminem saluari, qui non renunciauerit omnibus, quae possidet. *Aug. epis. 89. & 106.* Econtra alij censuerunt consilia nec esse praecepta, nec consilia, sed res indifferentes. Vt Iouiniani, qui eiusdem meriti esse virginitatem & matrimonium dixerunt, nullumque dari, aut praeceptum aut consiliũ continentiae voluerunt. *Hier. lib. 1. in Iouin. & Aug. haer. 82.* Vigilantius, qui idem asseruit de paupertate, melius existimans possidere opes & eleemosynas facere, quam omnia dimittere. *Hier. lib. c. Vigil.* Quod de obedientia senserũt Lampetiani, qui dixerunt Monachos in coenobijs liberos esse debere, nec ex alicuius praepositi arbitrio pendere. *Damas. haer 98.* Sed moderni Nouatores ea, quae nos dicimus consilia, sentiunt nec esse praecepta, nec consilia, sed opera mala, & prohibita, vt videre est in *art. 21. Io. Vuicleph sess. 8. Cõcil. Constant. Luth. in Epithalamio, & lib. de votis Monas. Philippo in locis commun. c. de discrimine praecepti, & Consilij, & in Apolog. Confes. Aug. art. 27. Petro Martyr lib. de coelibatu, Caluino lib. 4. Inst. c. 13. Breuno in confes. Vitemberg. cap. de votis Monas.* Hi enim & alij eorum discipuli sentiunt, superstitionem esse & impietatem, si quis in Dei cultum vitam coelibem, & pauperem sub obedientia alicuius Praelati ducere velit.

2 Contra haeresim hanc optimè disputant *Bellar. loco citato lib. 2. de Monach. a cap. 9. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 1. a cap. 6. Grutina loco citato.* Et ex sacris literis manifestè error iste conuincitur. De virginitate enim dixit *Apost. 1. Cor. 7. De virginibus praeceptum Domini non habeo. consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis.* Et iterum de vidua ait. *Beatior erit, si sic permanserit secundum meum consilium, puto autem, quod & ego spiritum Dei habeam.* Circa quod videri possunt *Aug. lib. de sancta Virg. Basilius lib. de vera virg. Chrys. lib. de virginib. cap. 23. et lib. contra vituperat. vitae Monas. Ambros. lib. de virgin. & viduis. Hieron. lib. contra Heluid. & Iouin. & epis. 22. ad Eustoch.* Et de paupertate dixit Christus, *Matt. 19. Si vis perfectus esse, vade vende omnia, quae habes, & da pauperibus.*

3 Quod enim verba haec non contineant praeceptum, est ex contextu manifestum, & videri possunt *Hier. Beda, Chrys. D. Thomas, Ambros. lib. de viduis, & iterum Hier. lib. c. Vigil. Aug. epis. 89. Caiet. Hugo Carensis & alij Patres & Doctores*, hunc locum non de praecepto, sed de consilio dato à Christo intelligentes. Sed & in verbo illo *sequere me*, obedientia commendatur, sicut & in illo *Matt. 16. qui vult venire post me, abneget semetipsum, & sequatur me*, abnegare enim se, non est nisi relicto proprio iudicio & voluntate alterius directioni se cõmittere.

4 Sed & ratio euidenter demonstrat, multa esse bona, quae non sunt de praecepto, cum maximè hoc sit proprium praecepti affirmatiui, vt non obliget ad semper, vnde in libera hominis potestate relinquitur hic & nunc hoc vel illud bonum facere, vel non facere, quod quidem facere consilij erit, non praecepti.

5 Ne-

5 Neque vel ex eo, quòd debeamus diligere Deum ex toto corde, vel quòd nihil boni facere possumus, quod non teneamur facere propter Deum, sequitur quod omnia ex præcepto faciamus. Nam totalitas quæ est de substantia præcepti charitatis in hac vita est totalitas appretiatiua, quia scilicet diligatur Deus vt summum bonum per se primò, & nihil aliud diligatur nisi propter Deum, Cæterùm nec est præceptum diligere Deum summo conatu, & intensione, nec semper actu eum diligere, nec ex vi præcepti de Dei dilectionem necessitamur ad exercitium omnium virtutum in singulari, nisi quatenus actus virtutum cadunt sub præcepto, vnde magna libertas nobis relinquitur faciendi bonum quod volumus sine præcepti charitatis transgressione. Deo verò totum bonum, quod possumus debemus, non titulo obedientiæ, sed ex lege charitatis, pietatis, & Religionis, & titulo honestatis, & gratitudinis & nihilominùs vbi lex non vrget, liberum nobis est Deo creatori, & summo benefactori reddere hunc vel alium virtutis actum. Et in hoc Christi, & Ecclesiæ, & seruorum Dei sequi possumus consilium. His verò tanquam certis suppositis, antequam ad explicationem textus accedamus, nonnulla quærenda sunt vt naturam consiliorum, ad differentiam præceptorum declaremus. Primò autem Quæritur,

An semper exercitè agere bonum sit de præcepto?

6 EXcipitur casus necessitatis somni, in quo non habetur rationis vsus, vt homo possit humano modo agere; quàmuis & quiescere tunc, cum est quiescendum sit quoddam agere morale, quod habere potest rationem honesti & meritorij. Excipitur etiam quicumque alius casus, in quo homo non habeat liberum vsum rationis, cum tunc homini sit impossibile liberè agere. De homine igitur vt habente liberum vsum rationis quæritur, an ex lege & præcepto teneatur semper bene agere, ita vt non possit omnem actionem suspendere sine peccato. Videtur enim non adesse hanc necessitatem, quia lex naturalis & multo minùs lex positiua non præcipit omnia bona, poterit igitur homo bonum non agere, tunc cum lex non obligat ad agendum. Item homo est liber ad agendum, poterit igitur ex lege naturali suæ libertatis agere, & non agere; aliter non esset liber ad agendum, & non agendum, si esset sibi necessarium semper agere.

7 In oppositum est, quòd nihil agere est contra inclinationem naturæ, quæ per se petit suam perfectionem, quæ in actuali exercitio agendi maximè consistit.

8 Respondetur, quæstionem duplicem hic contineri scilicet primò, an si est operandum, semper sit operandum bonum, & secundò an omnino semper sit operandum, ita vt omnem actionem humanam suspendere manente libero vsu rationis sit inhonestum, & peccatum.

9 Et quidem quantum ad primam partem nō dari legem, quæ nos obliget, vt si operamur, semper operemur bonum tenent *Vasquez. p.2. disp.52.* & alij qui admittunt dari posse in indiuiduo actum, qui nec sit bonus moraliter nec malus, & tamen sit actus liber.

10 Verùmtamen cum communi sententia dicitur hominem ex lege diuina naturali immò & supernaturali teneri numquam agere, nisi bene moraliter agat; ideoque non dari medium, sed in indiuiduo omnem liberam actionem esse aut moraliter bonam, aut malam, quia omnis actio, quæ non est moraliter bona ex hoc est mala. quia legi naturæ contraria, quæ præcipit, vt non nisi bene moraliter operemur. Probatur autem primo ex illo *Apos. 1. Cor. 10. 31. Omnia in gloriam Dei facite. & Colos. 3. omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum.* Duo enim ex Apostolo in his verbis colliguntur, primum est, quòd prohibemur malum agere, seu habere actionem, quæ habeat pro obiecto malum, quia malum non est ad gloriam Dei ordinabile. Secundum quòd præcipitur est vt quodcumq; volumus, aut facimus ad Dei gloriam ordinemus, quod nedum est malum non facere, sed bonum agere; honesta enim est quæcumque actio quæ verè fit & est in gloriam Dei: Et licet aliqui voluerint, verba Apost. continere consilium non præceptum, hoc meritò improbat *D. Th. lect. 3. in cap. 3. epis. ad Colosr.* Licet enim non sit semper necessarium expresè, & explicitè ordinare omnia in Deum, necesse tamen est agere propter finem honestum, & tendere in bonum vt honestum, hoc enim est agere propter Dei gloriam. Ideo ratione probatur assertum, quia ex lege naturali tenemur nunquam malè agere, ergo semper tenemur bene agere si agimus, non enim datur medium inter bonum, & malum morale. Vt enim habetur Ecclesiastes vlt. *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato siue bonum, siue malum illud sit. & 1. Cor 5. 10. omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Duo enim hic habentur, primum quòd nullum est opus, quod non subsit iudicio Dei. Secundum quòd ratio formalis sub qua opus ad iudicium spectat, est bonum aut malum. Vnde si daretur aliquod opus, quod nec esset bonum, nec malum non subderetur iudicio Dei, vel non esset sufficiens illa diuisio siue bonum, siue malum: sed & cum de omni verbo otioso homines reddituri sint rationem in die iudicij, *Mat. 12. 36.* Verbum verò otiosum sit illud, quod non est de malo obiecto, sed solum cum sit de re indifferenti non est prolatum in gloriam Dei, iuxta illud *Origin. hom. 1. in Ps. 38. Est autem sermo otiosus, qui neque boni, neque mali aliquid agit*, bene sequitur quòd omnis actio etsi non de obiecto malo, sed indifferenti, si non sit in Dei gloriam iam est & otiosa, & mala.

11 Et ita inter bonum morale & malum non dari mediū in indiuiduo docuit *S. Aug. in Psal. 18.* dicens. *Qui noluerit seruire charitati necesse est, vt seruiat iniquitati.* Et in *Enchir. cap. 117. Nam qui rectè amat, procul dubio rectè credit, & sperat; qui verò non amat, inaniter credit &c. Regnat enim Carnalis cupiditas, vbi non est Dei charitas.* Huius verò optimam rationem præmiserat ibidem, quia essentialis & formalis ratio bonitatis moralis in

amore

amore Dei consistit. *Cum enim quæritur*, inquit, *vtrum quisque sit homo bonus, non quæritur quid credat, aut speret; sed quid amet.* Si enim rectum finem bonus est, sin minus est malus. Vnde idem *S. Aug. lib. 2. de peccat. merit. cap. 18.* dixit. *Quamquam voluntatem natum si potest in medio quodam ita consistere, vt nec bona, nec mala sit. Aut enim Iustitiam diligimus, & bona est &c. Quis verò dubitet dicere, voluntatem nullo modo iustitiam diligentem non modò esse malam, sed etiam pessimam voluntatem?* Non igitur datur medium; sed homo vel malam, vel bonam habet voluntatem; ideoque vel malè vel benè agit, & ex naturali lege tenetur homo ne malè agat, semper benè agere, quod cum S. Aug. tradiderunt *D. Thom. p. 2. quæst. 18. a. 9. Albert. in 2. distinct. 4. a. 5. Durand. ibid. quæst. 1. Capr. quæst. 1. art. 5. conclus. 1. & ad p. 2. quæst. 18. a. 9. Caiet; Conrad; Medina, Martinez, Aluarez, Curiel, Montesin, Lorca Salas, Araui; Ildephonsus & alij Exposit. D. Thomæ. Nauar. in Manual præl. d. 5. n. 3. & cap. 23. Bellarm. lib. 5. de gratia & lib. arbitr. cap. 2. Azor tom. 1. lib. 2. cap. 5. q. 3. Vigerius cap. 3. 9. 7. vers. 5. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 1. cap. 7. n. 3.*

12 Quæri autem potest, ex cuius virtutis lege in individuo teneatur quisque non nisi bonum agere; *Ildephons. p. 2. disp. 92.* reducit hoc præceptum ad legem naturalem amoris proprij, qua vnusquisque tenetur diligere se ipsum, ideoque ait non pertinere ad aliquod ex præceptis decalogi, sed omnibus illis præsupponi sicut præceptum amandi se ipsum. Ex quo etiam deducit, quod hoc præceptum non operandi otiosè non opponitur alicui virtuti, sed inclinationi naturali operandi ex ratione, quæ nascitur ex amore sui ipsius, qui non est virtus sed est præsuppositum virtutis.

13 Hæc tamen sententia valdè deficit. Tum quia supponit dari actum bonum moraliter, qui nullius virtutis sit actus, & sic quòd virtus non sit virtus, quia cum omnis actus bonus sit faciens bonum operantem, non potest non esse virtus. Secundò supponit dari legem amandi se ipsum, quæ sit lex honesta, & præcipiens bonum morale, & tamen non sit lex præcipiens per prius amare Deum. Amor enim sui, si non sit ex amore Dei scilicet, si homo non amet seipsum propter Deum nec est actus bonus, sed malus, nec est legis naturæ obseruantia, sed transgressio.

14 Et ideò dicitur cum *Curiel. p. 2. quæst. 8. a. 1. dub. 1. & ad 2. Corne. disp. 6. dub. vlt. §. Respondetur hoc præceptum Mont. disp. 25. quæst. 2. §. 5.* quòd præceptum non operandi nisi bene, & nisi in gloriâ Dei redacitur principaliter ad præceptum diligendi Deum. Per hoc enim præceptum per quod obligamur ad diligendum Deum ex toto corde, tota anima, tota mente, & tota fortitudine, simul obligamur ad nihil diligendum nisi propter Deum. Non enim Deum tota fortitudine, & mente super omnia diligimus, si aliquid amamus, & in Deum non diligimus, seu illud propter Deum non amamus; Ideo hoc probat S. Aug. *lib. 9. de Trinit. cap. 7. & 8. sic dicens, nemo enim volens aliquid facit, quod non in corde suo priùs dixerit, quod verbum amore conceptum siue Creaturæ siue Creatoris, idest, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis; Ergo aut cupiditate, aut charitate;* Hæc est assertio supra posita affirmans nullum dari medium inter vitiosam cupiditatem, & laudabilem charitatem, seu quod idem est inter amorem Creaturæ & Creatoris; sed quia hinc consequi videtur Creaturæ amorem malum esse, subdit S. Aug. *Non quod non sit amanda creatura, sed si ad Creatorem refertur ille amor, non iam cupiditas, sed charitas erit. Tunc enim est cupiditas, cum propter se amatur Creatura.* Quotiescumque igitur Creatura non amatur propter Deum, amor iste, cupiditas est vitiosa; quia ex lege amoris Dei tenemur nihil amare nisi Deū, aut propter Deum.

15 *Verum* tamen est, quòd non est necesse quòd semper operemur propter Deum explicitè cognitum sub conceptu Dei, sed cum Deus sit primum verum, honestum, & iustum, quòd amatur, quia est verum bonum, quia est bonum honestum, quia est iustum, quia est legi conforme, amatur propter Deum; Et hoc vniuersalissimè sufficit ad hoc, vt homo obseruet præceptum dilectionis Dei super omnia, quando non vrget præceptum diligendi eum magis expressè. Deum enim esse non est per se omnibus notum, & Deum cognoscentes non tenentur semper explicitè cogitare de Deo; ideo meritò S. Aug. in verbis citatis, vbi intulit, omne quod amatur amari amore aut Creaturæ aut Creatoris, se ipsum explicans, subdit, *Idest aut natura mutabilis, aut incommutabilis veritatis.* Ex hoc explicans amari Creatorem, cum amatur verum bonum, quia est verum bonum, nam tunc amatur incommutabilis veritas, cum verum bonum diligimus. Quòd verò apud S. Aug. amor veritatis & iustitiæ sit Dei amor, & charitas, manifestum est ex *quæst. 67. in Exod. & libr. 8. de Trinit. cap. 3. & 6. & 7. & in Psal. 61. & lib. 3. Confess. capit. 7.* Vbi etiam aduertendum, S. Aug. nomine charitatis vti in sua latitudine communissima ita quod principaliter importat amorem, quo amamus Deum explicitè cognitum vt finem supernaturalem, quod tamen minùs principaliter & communiter dicitur de omni honesto amore, quo amatur bonum quia est honestum, & legi conforme.

16 Hæc etiam est mens. *D. Thom. p. 2. quæst. 89. a. 6. & quæst. 28. de ver. a. 3. ad 4.* Docens enim. *Quòd tenetur quilibet cum primo suæ mentis est compos, ad Deum se conuertere, & in eo finem constituere.* Simul docet, quòd huic debito satisfacit, si conuertatur in bonum iuxta captum suæ discretionis, nimirum si Dei cognitionem non habeat, si se in bonum vt honestum conuertat, & in honestate boni finem ponat, vt explicant ibidem *Caiet. Medina Martinez, & Villoria relect. 13. p. 3. num. 2. & alij communiter.* Et ratio est, quia, qui amat aliquid, quia est honestum & iustum; saltem virtualiter & implicitè amat per priùs, & principaliter Deum, qui est primum honestum & iustum bonum. Et hoc ad minùs vniuersalissimè sufficit ad obseruantiam præcepti amoris Dei super omnia, quo obligamur ad nihil amandum nisi propter Deum, vt docent *Bannes 22. quæst. 10. a. 4. dub. 2. Soto l. p.* de nat. & gratia. *cap. 20. Montes. p. 2. d. 53. q. 4. Medina p. 2. quæst. 18. a. 9. dub. 2. Martinez ib. a. 2. dub. 2. Araujo dub. 1. Ildephonsus contr. 181. num. 66. Lorca 22. quæst. 10. a. 4. num. 14.*

17 Quia enim amare finem est iustum & debitum, fidelis agens aliquod, quia id iustum est, satiam refert illud in finem supernaturalem, quem fides credit, & dictat iustum esse amare. Quarè nunc

nedum

nedum ex naturali, sed ex supernaturali lege tenetur homo nihil agere nisi in gloriam Dei, cui tamen legi satisfacit si homo iuxta captum suæ discretionis propter rectum finem operetur. Nam operando bonum quia illud est iustum & debitum & honestum ex hoc homo intendit satisfacere omni debito suo & à iustitia non discedere, ideoque & intendit ei obligationi satisfacere, qua tenetur bonu agere propter Deum, etiam vt propter finem supernaturalem. Vnde non mirum, si in iusto omnis actus bonus, est vitæ æternæ meritorius etiam si iustus non operetur expressè ex motiuo supernaturali. Non dari enim in iusto actum bonum, qui non sit meritorius docet *D. Th quæst. 2. de mala a. 5. ad 7. & 11. & 2. d. 40. quæst. 1. a. 5. Capreol. ibid. concl. 2. Caiet. p. 2. q. 21. a. 3.* Huius verò ratio est, quia quilibet actus bonus, satis refertur in Deum ab homine iusto, quantùm sufficit & ad bonitatem illius, & ad rationem meriti. Sed de hoc puncto habetur sermo etiam inferiùs in hoc artic.

18 In alio etiam sensu quæstionis dicitur, hominem ex lege naturali teneri semper agere, cum habet vsum rationis liberum, & sic excepta necessaria quiete somni vel infirmitate impediente liberum vsum rationis, in toto alio tempore tenetur semper actu aliquid agere. Et probatur intentum, quia otium de se est malum. iuxta illud *Prouer. 12. 11. Qui autem sectatur otium stultissimus est.* Et ratio ipsa naturalis hoc dictat; Cum enim actualis operatio sit vltima rei perfectio, propter quam vnaquæque res est, & à qua in naturalibus nulla creatura deficit, sed quælibet nisi impediatur, operatur secundùm exigentiam naturæ suæ, contra naturam rei est, atque ideo contra naturæ rationalis inclinationem, quòd homo non impeditus, sed ad operandum expeditus cessat ab actuali exercitio operandi. Et eò magis, quòd in hoc nulla ratio veri boni potest inueniri; Quòd enim impeditus ad operandum non operetur, hoc rationabile est, sed quòd homo ad opus expeditus nolit agere, & velit & otiosus esse contra rationem est.

19 Verùm, nedum ex lege naturali amandi se ipsum, sed multò magis ex lege naturali amandi Deum vnusquisque habens liberum, & non impeditum vsum rationis tenetur semper operari ad Dei gloriam, quamuis hæc obligatio non semper obliget sub mortali peccato. Nam non amat Deú ex tota mente, & ex tota fortitudine, qui in ordine ad Deum inutiliter otiosus manet. Ea igitur obligatione, qua obligamur ad diligendum Deum ex tota mente, & fortitudine nostra, tenemur etiá cum possumus ad Dei gloriam semper operari. Et ideo hanc partem admittit *Suarez tom. 3. de Relig. c. 7. n. 3.* Et probatur *ex Apost. in 1. ad Cor. cap. 15.* dicente. *Itaq. Fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles, abundantes in omni opere Domini semper scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.* quem textum explicans *Caietanus*, inquit: *Exigit Paulus vltra immobilitatem fidei ac spei, abundantiam operum, non carnalium, non humanorum, sed Domini, non ad horam, diem, mensem, aut annũ, sed semper.* Nam nullum momentum est in quo nó obligemur Deo seruire. Quod etiam docuit *S. Ambr. in cap. 17. Lucæ*, ad illud. *Quis autem vestrum habens seruum &c.* vbi hæc habet. *Sicut ergo tu, non solùm non dicis seruo tuo, Recumbe; sed exigit ab eo aliud ministerium, & gratias ei non agis: ita nec in te patitur Dominus vnias vsum esse operis, aut laboris, quia dum viuimus, debemus semper operari.* Sicut enim Deus semper operatur in nobis nos conseruando, & beneficia continuo tribuendo: ita & nos semper debemus illi retribuere laudem, & gratias, in eius honorem operando.

20 Verùm vlteriùs additur, verè impossibile esse, quòd homo expeditus ad operandum abstineat ab omni actione interiori Intellectus, & voluntatis. Experimur enim nos in vigilia numquam cessare ab opere phantasiæ & cogitationis alicuius, & ex consequenti ab aliquo actu appetitus, & voluntatis, quo & voluntariè cogitamus, & de cogitatis vel delectamur, vel tristamur, vel ea desideramus, vel aliquo alio actu in illa ducimur. Et ratio est euidens; Quia voluntas non minùs est natura, quàm sint aliæ potentiæ, vnde non potest non ferri in bonum cognitum per aliquem actum vel amoris, vel gaudij, vel desiderij, vel alterius affectus, sicut quælibet potentia fertur in suum obiectum præsens. Et ita non dari in nobis libertatem, vt collectiuè cessemus ab omni opere optimè docet *Io: à S. Thoma p. 2. quæst. 6. disp. 3. a. 3. §. 2. Suppono & quæst. 13. disp. 6. a. 2. Ad primam confirmationem.*

21 Ad primum igitur in oppositum dicitur quòd lex naturalis non præcipit determinatè omnia opera bona, quoniam hoc etiam est impossibile, sed tamen præcipit semper aliquid operandum ad beneplacitum hominis ad operandum non impediti, & ideo præcipit vt semper bonum operemur.

22 Ad secundum dicitur, non dari in homine libertatem ad nihil cogitandum, & volendum cessante impedimento, sed libertas consistit in hoc quòd homo potest agere hoc, & oppositum, & agere hoc & non agere hoc determinatè.

23 Ex his verò colligitur, quod ex recto iudicio non potest voluntas velle suspendere omnem actum, cum non est impedita ad agendum; immò cum absolutè omnibus pensatis melius sit agere hoc, quam non agere, non potest ex iudicio verò & pleno actum suspendere, quia tunc iudicium verum, & plenum dictat quòd melius est non suspendere actum omnibus pensatis, vnde obijcit suspensionem vt hic, & nunc non bonam, & vt non amabilem. Quamuis possit homo tunc ex alio iudicio non pleno actum illum determinatum suspendere.

Quid sit consilium Euangelicum?

24 EX Cicerone consilium in communi definit *Medina p. 2. q. 108. a. 4.* quod sit aliquid faciendi, aut non faciendi excogitata ratio. Est enim cõsiderandum ex *Syluestr. v. consilium*, quòd hoc nomen *consilium* tripliciter accipi potest, vel scilicet, primo pro inquisitione discursu & examine, quo nos ex pluribus agendis, aut volendis inquirimus quodnam sit melius. Et in hoc sensu consilium sumant Theologi *p. 2. q. 13.* vnde ibid. *D. Thom. art.* pro concludit, quòd consilium sit inquisitio. Et immo sensu dicitur etiam, quòd ante factum consilium inire oportet. *Non. de hæred. & Falc. §. sed*

neque

neque illis, const. 2. Et quod in dubijs necesse est cōsilium accipere, *dis. 20. c. vlt. & 11. q. 3. cap. excellentissimus & 16. q. 2. visis*. Et ab hac significatione translatum est nomen ad significandam multitudinem personarum deputatarum ad examinandum ea, quæ agenda sunt, & non agenda, ita vt & locus ipse ad huiusmodi examen deputatus consiliū nonnunquam dicatur. Sed alio modo consilium importat sententiam ipsam & deliberationem acceptam, per quam decernitur de agendis, quid sit melius, in quo sensu *D. Thom. p. 2. q. 13. a. 1. ad secundum*, tribuit Deo consilium, & ex Cicerone supra dictum est, quòd consilium sit faciendi, aut non faciendi excogitata ratio, est enim iudicium, sententia, ratio, dictamen per quod asseritur, seu statuitur, & dictatur quid sit faciendum. Vnde consilium dare, est decernere quodnam sit vel iustum, vel iniustum, seu melius, & peius, quod quando proponitur per modum persuasionis, & exhortationis, cum quadam maiori proprietate accipitur, & in hoc sensu sæpius sumitur in iure tam ciuili, quam Canonico, quando pœnæ decernuntur nedum aliquod malū exequētibus, sed etiā consiliū dantibus. Sed tertio modo sumitur cōsilium obiectiuè, pro actione, vel re ad quam faciendam, vel fugiendam consilium inducit. In hoc enim sensu, vt etiam *Syluester* aduertit sumitur *14 q. 1. cap. quisquis*, dum dicitur, quod consilium est voluntatis, & præceptū est necessitatis. Et in hoc tertiò sensu præcipuè accipitur hic nomen consilij. Loquimur enim de consilio, vt contradistinguitur præcepto.

25 Diuiditur verò consilium in bonum, & malum. Nam illud respicit bonum morale determinatè. Sed quia bonum morale est duplex, aliud enim est de necessitate salutis, aliud verò non. Nam verbi gratia, non fornicari est de necessitate salutis, sed accipere vxorem, vel ab ea accipienda abstinere liberum est saluo ordine salutis. Inde est, quòd licet hoc nomen *consilium bonum* possit respicere totum bonum & malum morale, quia homo liber est & ad bonum, & ad malum, vnde tam bonæ, quàm malæ actiones cadunt sub consilio, & consilium bonum dare dicitur etiam ille, qui hortatur ad obseruantiam præceptorum, tamen hoc nomen *consilium* appropriatum est, vt respiciat ea, quæ ad salutem nō sunt necessaria, & sic distinguitur à præcepto. Et ratio distinctionis est, quia aliud est loqui de sententia decernente, quid sit agendum prout est in priuatis personis, & prout est in principe, seu in legislatore. Nam ratio agendorum, vt est priuatæ personæ non habet vim coactiuam, aut necessitatem, quia priuata persona nō potest legem ferre, & cogere ad operandum. Sed in legislatore ratio agendorum potest esse lex præcipiens, & necessitans ad agendum. Et ideò ratio agendorum prout est in Principe, aut Superiore conuenienter distinguitur in præceptum, & consilium. Nam respectu eorum ad quæ necessitat, est præceptum, respectu verò eorum, ad quæ non necessitat, est consilium. Consilium verò Euangelicum non importat rationem agendorum, vt est priuatæ personæ, sed vt est Christi, & Ecclesiæ. Ideò Consilium Euangelicum est de illis, quæ non sunt per se ad salutem necessaria, & contradistinguitur contra præcepta, quia præcepta dantur de necessarijs ad salutem, sed consilia sunt in optione eorum quibus dantur, vt ex *Sancto Hier. determinatur 14. q. 1. cap. 3. quisquis*, & docent DD. cum *D. Thom. p. 2. q. 108. a. 4. & 3. c. g. cap. 130.* Consilium igitur Euangelicum formaliter sumptum, vt est in Christo est ratio & dictamen Christi nos dirigentis ad aliquid agendum, quod agere non est per se necessarium ad salutem. Et hoc idem consilium sumptum obiectiuè est actio, vel res ad salutem nō necessaria per se, ad quam tamen Christus consulendo nos inducit.

26 Verùm cum inter bona detur magis, & minus, ideò secundùm communem Doctorum sensum hæc alia conditio requiritur ad consilium, vt sit de meliori bono, quàm sit quodlibet sibi oppositum, & sibi incompossibile. Circa quod tamen aduertendum, quod vnum potest esse melius alio dupliciter, scilicet per se, & per accidēs, seu ex specie, aut ex circumstantijs & in indiuiduo. Nam certè virginitas melior est matrimonio, sed in eo qui continere non potest, vel qui ex necessitate communis boni prolem procurare debet, melius est matrimonium, quàm virginitas. Consilium omne si sit bonum, & prudens semper est de meliori bono. Sed consilium commune, & generale quod proponitur vniuersaliter est de meliori bono per se, & ex specie bonitatis, vnde benè in indiuiduo per accidens & ex circumstantijs contingere potest, vt melius sit agere oppositum huius consilij, sed consilium singulare quod datur in indiuiduo debet esse de eo, quod est in indiuiduo omnibus pensatis melius.

27 Aliqui autem apud *Suarez tom. 3. de Relig. lib. 9. cap. 7. num. 8.* addiderunt esse necesse ad consiliū vt sit respectu operis melioris, quàm sit opus præceptum in eadem materia. Sed hæc conditio necessaria non est, immò falsò innititur fundamento. Tum primò, quia supponit dari posse opus melius opere præcepto, quod esse falsum ex hoc probatur. Quia relinquere opus minùs bonum, & implere meliùs opus prudentia est, vnde si opus præceptum esset minus bonum opere aliquo non præcepto, nedum non esset malum, sed esset bonū, & prudentia relinquere opus præceptū, & implere opus non præceptum, quod esset melius. Quod quidem falsum prorsus est, quia relinquere opus præceptum, illudque non implere semper est malū, & si aliquando non implere aliquod opus alias præceptum non est malum, hoc ideò est, quia tunc illud opus non est præceptum, sed liberum. Nec valet dicere, quod v.g. melius sit non nubere, sed Virginem manere, quam sit solùm non fornicari, quod est præceptum, & quod etiam casti coniuges seruant. Quia non fit recta comparatio, cum virginem esse contineat opus præceptum & addat, vnde non mirum si sit melius simplici opere præcepto, virginem enim esse continet non fornicari, & addit etiam non nubere. Sed præcisè non nubere, nō est melius, quàm nō fornicari, quia immò non nubere non semper est bonum, sed aliquando est malum, sed non fornicari semper est bonum, & fornicari semper est malum. Secundò eadem opinio aliud falsum supponit, nimirum quòd in præsenti opus consilij contraponatur operi præcepto, dum dicitur, quod debet esse de meliori bono. Opus enim consilij genere discernitur ab opere præcepti, & respicit solum opus vt liberum, &

ideo inter opera libera de quibus solis est consiliũ, fit comparatio, vt scilicet consilium sit de opere meliori inter ea, quæ sunt libertatis, vt impleantur, vel non impleantur.

28 Ad probandum autem, quòd consilium sit de meliori bono, vtitur *Suarez num. 7.* ratione valida, & multùm consideranda. *Et ratio, inquit, est facilis, quia consilium de quo agimus, est diuinum, vel reuelatum, vel consentaneum rectæ rationi, quatenus est diuinæ rationis participatio: hoc autem consilium non potest non esse prudens, & ex vero iudicio, seu dictamine procedens; ergo opus consilij semper est tali dictamini consentaneum. At verò consilium prudens & rectum, quod inter duo opposita fertur, semper debet esse de meliori bono, ergo de ratione operis cadentis sub consilio est, vt sit non tantùm bonum, sed etiam melius, quam eius oppositum.* Hæc quidem Suarez, & bene.

29 Sed ex hos colligitur etiam contra eundem quòd absolutè impossibile est hominem peccare sine defectu consilij & intellectus electionem antecedente. Nam iudicium prudens & rectum ex hac doctrina si sit inter opposita est per se de bono meliori: cum verò opus præceptum sit simpliciter melius suo opposito, iudicium prudens, & rectum per se dictat, quòd nedum sit melius, sed quod immò solum opus præceptũ sit præ suo opposito verum bonum, quia veritas est, quod opus oppositum operi præcepto licet sit bonum secundum quid, & apparens, in rei veritate & realitate est falsum bonum simpliciter, & verum malum. Igitur si sine defectu intellectus, seu consilij antecedente electionem potest homo peccare, vnum de duobus erit, vel quòd ex iudicio & consilio prudente & minimè deficiente, sed plenè verò, & absoluto possit homo malè velle, seu quòd ex consilio prudente possit imprudens velle specificari, quod negat idem *Suarez lib. p. de gratia cap. 12. n. 14.* Vel quod simul pro eodem instanti possint in homine esse consilia opposita, scilicet consilium prudens absolutum, & plenè verum sine defectu, & consilium imprudens, quod euidenter est impossibile. Et dato quod esset possibile imperfectionis esset & defectus, & sic homo non peccaret nisi ex defectu consilij, & quia imprudens consilium admitteret.

30 Sed ad punctum nostræ quæstionis redeundo, & iam habito, quod consilium est solùm de opere libero meliori, concluditur, quid sit consilium Euangelicum. Hoc enim cum possit accipi formaliter, & obiectiuè, seu pro actu Christi consulentis, vel pro actu quem Christus consulit; Primò modo est in Christo actus, qui est dictamen, sententia, iudicium, decernens quodnam ex liberis operibus sit eligendum tanquam melius, & securius ad vitam æternam consequendam. Sed secundo modo importat ipsum opus melius, & vt tanquam melius dictatum, & iudicatum à Christo siue immediatè, siue mediatè, per Ecclesiam. Et in hoc secundò sensu potiùs, quàm in primo accipitur hic consilium, cuius tamen ratio analogicè ex consilio primo modo desumitur, & ea ratione opera nostra dicuntur vel præcepta, vel consilia, quia sunt obiecta actus Dei præcipientis, vel consulentis illa. Consilium ergo Euangelicum est opus bonum, quod vt melius quam suum oppositum ad vitam æternam consequendam fidelibus à Christo est propositum, & adiudicatum. Hoc autem opus nũquam in ratione melioris opponitur præcepto, quia si detur casus in quo ex accidenti actus consilij sit oppositus præcepto, iam illud non est consilium, sed est contra consilium.

An consilium aliquam leuem obligationem inducat?

31 QVamuis autem communiter consilium à DD. distinguatur à præcepto, quia præceptum est opus necessarium ad quod homo ex lege obligatur. Consilium verò est opus liberum à necessitate præcepti, & obligationis, hoc non est adeo certum apud omnes, quin aliqui oppositum senserint. Et quoniam consilium duplex est, scilicet commune, quod datur de opere in communi omnibus, vel pluribus, & singulare tam ex parte personæ, quàm obiecti, quod datur hic & nunc huic de hoc opere, & prout venit à Deo dicitur sancta inspiratio, de vtroque quæstio hæc instituitur.

32 Primò ergo loquendo de consilio communi, fuit sententia affirmans esse veniale peccatum non velle consilia, quam tribuunt *Scoto in 2. d. 25. q. 1. & Gabrieli d. 21. q. 1. a. 3. & in 4. d. 16. q. 5. a. 5. not. 1.* cui fauisse *D. Thom. p. 2. q. 88. a. 1. ad primum*, quatenus ait peccatum veniale non esse contra præceptum, vult *Suarez lib. 1. c. 9. num. 22.* quapropter alij apud *Vegam lib. 11. in Trid. c. 2.* dixerunt, consilia esse minima præcepta, juxta illud *Matt. 5. Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in Regno cælorum.* Iuxta ergo hanc sententiam consilium continet obligationem aliquam paruam contra quam faciendo homo venialiter peccat. Et probatur, quia v. g. hominem nolle pœnitere, nolle esse Religiosum, velle non seruare consilia non est bonum, sed est quid rationi dissonum; est igitur ad minus peccatum veniale.

33 Contraria tamen sententia cõmunis est, & vera, quæ docet non eo peccatum veniale distingui à mortali, quòd veniale sit contra consilia, prout cum *D. Thom.* tenent *Caietan. p. 2. q. 72. a. 5. & 22. q. 104. a. 2. & p. 2. q. 88. a. 1.* vbi *Medina, Aluarez, Martinez dub. 3. Montesino, Zumel*, & alij DD. communiter *Sayr. l. 2. c. 13. num. 23. Vasquez p. 2. disp. 143. cap. 4. & Vega l. 14. in Trid. cap. 12. Petrus Soto lect. 6 de peccat. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 1. c. 9. n. 23.* & plures alij quos referunt *Martinez & alij.* Et propterea etiam ex hoc sequitur, quod Consilium nõ importat obligationem aliquam. Quia immò consilium est, opus, quod in optionè ponitur eius, cui datur, vt ex *Sanctis Aug. & Hier.* definitur *14. q. 1. cap. 3. quisquis*, & probat *D. Thom. p. 2. q. 108. a. 4. & 22. q. 43. a. 7. ad 4. & q. 124. a. 3. ad primum, & 3. c. gent. cap. 130. & quodl. 5. a. 19. D. Antonin. 4. p. tit. 12. cap. 2. Caiet. 2. 2. q. 104. a. 2. Medina p. 2. q. 108. a. 4. & ibid. Conradus, Martinez, Bellar. l. 2. de Monach. c. 7. Azor. tom. 1. l. 4. c. 9. q. 15. & l. 5. c. 2. q. vlt. Suarez d. l. p. cap. 9. n. 23.*

34 Respondetur igitur certum esse quod consilium generale, seu commune absolutè sumptum

& per

& per se formaliter nullam importat obligationē, immo nec consequenter, nec concomitanter, quia immò nedum potest esse quod non operari secundum consilium nullum sit peccatū, sed quod peccatum sit seruare consilium. Probatur autem primò ex *Apost. 1. Cor. 7.* dicente, *Si nupserit virgo non peccauit. Si acceperis vxorem non peccasti: Qui matrimonio iungit virginem suam bene facit.* Et tamen matrimonium consilio virginitatis opponitur.

35 Probatur verò etiam ratione à priori hæc communis assertio, quia iudicium de bono al quo in communi, quod licet secundùm se præcisè spectatum sit ex genere melius, tamen non est in ordine ad finem hominis, & humanæ salutis necessarium immò nec est omnino vniuersaliter melius in indiuiduis, sed ex circumstantijs potest fieri malum, immò forsan non est melius respectu vniuersitatis hominum singularium, sed minus bonum, immò & malum, iudicium inquam de tali opere sic in communi & indiffinitè datum, non est regula inducens obligationem, sed solum ostendens, quid secundum se ex genere suo sit melius, & vtilius, & relinquens postea arbitrio hominum in indiuiduo spectatis circūstantijs, quid sibi conueniat, vel non conueniat. Lex enim est de opere necessario ad finem, & de eo, quod communiter & vt in pluribus saltem est melius in indiuiduo ipsis hominibus, & quod habetur vt necessarium ad bonum cōmunitatis promouendum, vt habetur ex *D. Th. p. 2. q. 90. a. 2.* Modò opera de quibus Christus dedit consilium vt sunt paupertas, virginitas, obedientia libera respectu eorum, quæ non sunt de præcepto, nedum non sunt ad salutem necessaria, & nedum in singulari ex circumstantijs possunt esse mala, sed communitati hominum non sunt opportuna, sed ad singularem paucorum perfectionē spectant. Periret enim humanum genus, si omnes virgines esse vellent. Et si non darentur qui res tēporales curarent cum paupertate simul fame genus humanum deficeret. Christus igitur proponendo huiusmodi consilia non habuit voluntatem obligandi, nec proposuit illa vt necessaria, sed vt bona singularia, & specialia, vtilia quidem ex eorum genere, sed vt amplectenda in indiuiduo alijs circumstantijs spectatis ex hominum arbitrio, & libertate, & saluo humani generis vniuersali bono, quod exigit vt vniuersaliùs & in pluribus homines nubant, & propria possideant, & curent; & sub magistratibus per leges necessarias dirigantur.

36 Ad argumentum igitur in oppositum dicitur, quod consilia communia, & generalia nec sunt minima præcepta, & quod velle non pœnitere, vel non esse religiosum, quatenus sit voluntas eius quod cadit sub consilio, vel non proueniat ex contemptu, non est de se peccatum, immo ex recta ratione potest esse melius, immò necessarium. Dictū tamen est primò quatenus opus sit de consilio, quia licet multi vt *Montesinus, & Medina p. 2. q. 88. a. 1.* censeant, quod voluntas hic & nunc non pœnitendi possit esse virtuosa, id non admiserim tam facilè, quia esto pœnitentia exterior possit esse impedimentum alicuius operis necessarij, non tamen pœnitentia interior, quæ in instanti haberi potest. Et eò magis, quòd actus dilectionis Dei super omnia, cum sit amor finis ex natura suā petit esse primus in quocumque negatio, & nedum non impedit, sed est initium omnis boni operis. Qui verò Deum diligit de facili simul peccatum detestatur, quia immò Dei dilectio est eminens quædā, & virtualis peccatorum contritio. Et alias etiam non credo esse sine aliquo peccato, quòd quis in peccato maneat Dei inimicus, quamuis nō sit graue, & speciale peccatum differre pœnitentiam ad aliquod tempus, seu non pœnitere tunc, cum non adest lex aliqua obligans ad exercitium pœnitentiæ. Dictum verò secundò est, vel non proueniant ex contemptu, quia proculdubio consilia Christi contemnere est peccatum mortale, vt docent *Caiet. in sum. verbo contemptus. Syluest. eod. verbo num. 4. Azor. tom. 1. l. 4. c. 9. q. 15.*

37 Quod verò dicebatur ex D. Thom. nullam vim habet, si enim ibidem asserit peccatum veniale non esse contra legem, docet tamen esse præter legem. Et quæstio de voce erit, disputare an peccatum veniale sit vel non contra legem, non enim de re est dubium, sed est certum adesse aliquam obligationem vitandi illud, vnde dici potest, quòd loquendo communiter, peccatum veniale est contra legem, licet magis propriè loquendo dicatur, quòd est præter legem. Sed neque Scotus asseruit, quòd non seruare consilia sit semper peccatum veniale.

38 Hinc colligitur qualis sit differentia à priori & essentialis inter præceptum, & consilium. Dici enim potest primò, quod præceptum datur de necessarijs ad salutem, non verò consilium. Sed hanc differentiam non esse à priori sentit *Valentia tom. 3. d. 10. q. 2. p. 1.* Nam plerumque prius est aliquod esse præceptum, quàm esse necessarium ad salutem. Verùm hæc ratio deficit, & differentia posita subsistit, & vera est. Quia præceptum si sumatur, vt est in præcipiente constituit rem in hoc, quod est eam esse necessariam ad salutem, quod non præstat consilium. Et si præceptum sumatur obiectiuè pro re præcepta, præceptum est res ad salutem suo modo necessaria. Non quia esset necessaria ante præceptum, sed quia est necessaria ex vi præcepti, consilium verò non est necessarium. Aliud discrimen ponitur, quia ad præceptum obligamur, non verò ad consiliū. Sed idem Valentia, hoc etiā arguit, ex eo quòd non sit adæquata differentia. Nam multa bona sunt ad quæ non obligamur, de quibus non datur consilium, vt v. g. matrimonium est bonum, & de eo non est consilium. Sed neque hæc ratio valet. Quærimus enim hîc differentiam consilij non à quocumque ente, sed à præcepto. At verò consilium à præcepto adæquatè distinguitur, quia ad præceptum obligamur, non ad consiliū. Cæterū alias tam præceptum, quam consiliū in hoc conueniunt, quod sunt de meliori bono, & ideò vtrumque distinguitur à bono, quod non est melius, sicuti est matrimonium, quod nec est præceptum, nec consilium. Itaque benè a priori distinguuntur præceptum, & consilium, quod ad præceptum obligamur, & ideò illud est necessarium ad salutem, sed non obligamur ad consilium, illudque Deus non imperat, sed proponit vt melius, liberè tamen eligendum, vnde nec est ad salutem necessarium. Ex his tamen duabus differentijs, primò loco supra posita non est primo prima, quia prius, est præceptum obli-

gate ex vi legis, quàm illud esse necessarium ad salutem. Sed tamen continet veram causam differentiæ inter consilium, & præceptum, licet non primam causam, quia præceptum esse præceptum est vera causa à priori, quòd præceptum sit necessarium, non verò consilium.

An resistere sanctæ inspirationi sit peccatum.

39 IN alio autem sensu quæstio est, an resistere sanctæ inspirationi sit peccatum; sancta enim inspiratio est veluti consiliũ, quoddam particulare, & in indiuiduo, per quod Deus hortatur, vel vocat ad aliquid agendum. Circa quam quæstionem aliqui distinguentes inspirationem Dei vocantis ad opus, quod non est de præcepto, vel ad opus præceptum, dicunt nullum esse peccatum non consentire diuinæ inspirationi, quando opus ad quod vocamur non est aliquo modo sub lege, sed de se possumus sine peccato agere oppositum; cum verò vocamur ad obseruantiam præcepti, licet sit peccatum transgredi præceptum, non tamen est distinctum peccatum ex resistentia ad diuinam vocationem. Vnde inferunt non esse materiam confessionis resistere sanctis inspirationibus, & Confessarios teneri admonere pœnitentes ne huiusmodi proponant in confessione, quæ peccata non sunt. Ita docuit *Sancius in selectis disp.1.& 7. & Tanerus p.2.d.10. dub.4.* quos refert, & non confutat *Diana p.3. tr.4. resol 52. & p. 9. tract.9. res.19. Pelizarius autem in Manual.Regul.tom.1.tract.5.sect.1. n.42. & Cardin. de Lugo disp.16.de pœnit. au.103.* licet contra Sancium probent vtile esse, quòd pœnitentes exponant resistentiam sanctis Inspirationibus in confessione, non hoc docent, quia existiment eam esse peccatũ, sed immò, quia non est necesse, quòd omnia, quæ pœnitens confitetur sint peccatum, sed multa dici possunt ad melius aperiendum statum pœnitentis, vel vt pet pœnitent; am doleatur, si aliquid fuit in eis peccatum; tum qu[illegible] a plura, quæ videntur esse imperfectiones meræ non [illegible] sunt siue aliqua culpa, præsertim attenta comunt [illegible] sententia Thomistarũ, quòd non detur in indiuiduo [illegible] actus moralis, qui non sit vel virtus, vel peccatum.

40 Oppositum sentit *Toletus l.3.c.*[illegible] *n.6.docens,* pe[illegible]catum saltem veniale esse non cõsentu[illegible] diuinis insp[illegible]irationibus.

41 Respondetur & supposita distinctione in[illegible] rationi[illegible], seu excitationis Dei vel ad non peccandum, v[illegible] ad faciendum opus bonum de se necessarium, & [illegible] cuius oppositum non posset fieri sine peccato, d[illegible]icitur primò, peccatum esse aliquo modo maius ea[illegible]eo, quòd peccator diuinæ inspirationi resistit. Ratio est manifesta ex duplici capite. Primò quia sicut i[illegible]gnorantia malitiæ diminuit peccatum, ita illius c[illegible]ognitio peccatum auget. Magis enim cæteris pari[illegible]bus peccat, qui sciens peccat, quàm qui peccat e[illegible]x ignorantia, vt communiter tradunt DD. cum *[illegible] Thom.p.2.quæst.76.a.4.* At verò diuina inspiratio i[illegible]lluminat, & malitiam prodit, & manifestat, atque i[illegible]gnorantiam tantò magis excludit, quò inspiratio [illegible] [illegible] est, atque perfectior i

ergo qui peccat resistendo diuinæ inspirationi, sicuti magis sciens peccat, sic peccat magis. Secundò quia Dei gratiam contemnit, & Deo est magis ingratus. Beneficium enim despicit, qui illud non recipit, nec honorat. Deo igitur misericorditer hominem ad obseruantiam legis excitante, & ad bonum adiuuante, quòd aliquis gratiam contemnat, & reijciat malum est, & quo maiorem gratiam contemnit magis peccat. Immò in hoc triplex ratio mali est. Prima quia sicut infirmitas peccatum diminuit, ita fortitudo peccatum auget; quò verò maiora sunt Dei auxilia ad non peccandum, eò homo validior est, vt non peccet. Secundò ratione ingratitudinis & contemptus auxilij a Deo præstiti, & diuini amoris auxilium dantis. Tertiò magis propriè ex eo quòd resistere diuinæ vocationi, & inspirationi per se est contemptus quidam diuini magisterij, & diuinæ directionis. Deus enim nedum est noster legislator, cui debemus obedientiam sed est noster Pater, amicus, Magister, & Dux, cui obseruantiam & reuerentiam debemus, non potest verò negari, quin per se aliqua sit irreuerentia non audire vocem docentis, & consulentis. Et nullus nostrum est, qui non tristetur, & se contemptum non putet, cum in vanum aliquem ad bonum hortatur. Maius ergo peccatum est peccare contra consilium & doctrinam, & directionem Dei nos hortantis ad bonum.

42 Loquendo verò de inspirationibus respectu operis non necessarij, hoc primo est considerandum non esse tam facile cognoscere an instinctus interni, per quos excitamur ad bonum sint instrumenta Diaboli, vel inspirationes Dei, vt bene aduertit Catherinus super *cap 5. prad Thes.* Nam & Dæmon se transfigurat in Angelum lucis, & sub boni specie tentamenta proponit. Vnde doctè contra hæreticos modernos volentes internum Spiritus sancti afflatum, & internum priuatum spiritum esse regulam credendi & intelligendi scripturas, & operandi disputat, noster Pater Granina, *Præscrip. lib.3.artic.2.* Quare non ex eo dicendum est aliquam inspirationem esse Dei, quia nos excitat ad bonum, secundùm se, immò quia nos excitat ad id, quod ex specie est melius, sed pro nunc in proposito nostro hoc pro regula est habendum, quòd illa sola est Dei excitatio, quæ excitat nos ad id, non quod est melius ex genere, sed quod hic & nunc in indiuiduo omnibus pensatis nobis est melius. Deus enim non excitat ad malum, neque ad id, quod licet in genere sit bonum immò melius, tamen spectatis circumstantijs hic & nunc, vel est malum, vel (quòd in idem redit) est minùs bonum, quia & imprudentiæ est hortari ad minùs bonum in indiuiduo omnibus pensatis, maiori bono relicto.

[illegible] Hoc igitur supposito dicitur primò, obser[illegible]m esse Beati Io: Apos. documentum *1.Io.4.* [illegible] *ui spiritum credere, sed probate Spiritus, si ex Deo sint* [illegible] Primò ergo diligenter aduertendum an Spiritus sit Dei. Et quia hoc ex priuato iudicio sæpius cognosc[illegible] non potest, consilium maiorum est requirendum. Cæterùm si Spiritus est Dei, vel talis est, vt inducat [illegible] euidentiam vel certitudinem moralem talem, quæ a[illegible]d prudentiam sufficiat, per quam certum est id, quo[illegible]d inspiratur esse omnibus pensatis melius in indiuidu[illegible] hic & nunc, & ad id Deum nos excitare, vel si n[illegible]n præbet hanc certitudi-

tudinem præbet sufficiens illius principium, ex quo talis certitudo haberi possit, & in vtroque casu, & maximè in primo, dicitur secundo, esse aliquale peccatum non consentire inspirationi, quia semper est aliqua irreuerentia, & contemptus Dei nos diligentis nolle exequi id quod ex Dei gratia nobis constat esse melius in indiuiduo ? & ad quod Deus nos hortatur.

44 Hoc autem probatur primò ex illo *Apost. in 1. ad Thessal. cap. 5. Spiritum nolite extinguere. Prophetias nolite spernere: omnia autem probate, quod bonum est tenete.* Docet enim Apost. id, quod supra asseruimus, nimirùm inspirationes ipsas probandas esse, & examinandas an ex Deo sint, sed vbi satis nobis constet aliquam esse diuinam inspirationem, quod bonum est tenere debemus, nec Spiritum extinguere. Spiritum verò extinguere dicitur, vel qui feruorem charitatis impedit, vel cum bonum motum in se insurgentem detinet, ne in opus bonum prorumpat. *Sed tamen* (inquit *D. Th. ibid. lect. 2.*) *dicitur quis extinguere spiritum uno modo feruorem eius extinguendo vel in se, vel in alio &c. Cum enim aliquis aliquid boni ex feruore Spiritus Sancti vult facere: vel etiam cum aliquis bonus motus surgit, & ipse impedit, extinguit Spiritum Sanctum.* Nedum igitur cum quis contra Dei excitationem legem transgreditur spiritum extinguit; sed etiam quando ex feruore charitatis aliquid boni supererogationis vult facere, & feruorem impedit, vel quotiescumque surgit in eo aliquis bonus motus, & eum suffocat, eique resistit, dicitur homo Spiritum Sanctum extinguere. Hoc etiam satis manifestè docuit *S. Greg. l. 16. mor. cap. 24. ad illud Iob. 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini*, sic dicens. *Plerùmque peruersi & cognoscunt recta, quæ sequi debeant, & tamen sequi despiciunt, quæ cognoscunt, lumini ergo rebelles sunt, quia sua desideria sequendo, bonum despiciunt, quod nouerunt.* Verè enim sic est, quod cognoscere quod sibi est, & bonum, & melius, & nolle illud agere, est quædam rebellio, qua voluntas lumini contradicit. Vnde ibid. D. Thomas sic textum illum Iob exponit. *Ipsi fuerunt rebelles lumini, scilicet ex proposito agentes contra id, quod eis lumen rationis dictat.* Quamobrem quotiescumque recta ratio, & prudens aliquid dictat, agere oppositum est esse rebellem lumini, omnis verò motus à Deo inspiratus actus est rectæ rationis, vel sufficiens principium illius.

45 Ratione etiam eadem assertio probatur, ex duplici capite. Et quidem primò ex motiuis supra allatis, quia ingratitudo quædam est Dei beneficium non recipere, & eius gratiam cognitam abijcere. Et vlteriùs irreuerentia quædam est diuinum Magisterium non venerari, nolleque habere Ducem, & Magistrum Deum, Patrem, Amicum, & summum benefactorem, sed immò velle oppositum eius agere, quod ipse nos docet esse nobis agendum.

46 Secundò nam id, quod Deus inspirat semper est melius in indiuiduo omnibus pensatis, peccatum verò est non operari id, quod est melius. Verùm quia assumptum huius rationis controuertitur, vt illud magis explicetur, quæritur.

An non facere id quod est cognitum vt melius in indiuiduo omnibus pensatis sit malum.

47 ET pro certo supponitur nullum esse debitum faciendi id, quod est melius ex genere, & secundùm se, sed quæstio est de meliori in indiuiduo omnibus hic, & nunc pensatis. Et quidem est quæstio versata inter Theologos an voluntas possit relicto meliori cognito eligere minus bonum, & id non posse docent magis communiter discipuli *D. Thom. p. 2. quæst. 13. a. 6.* Quorum sententia vera est & euidentior fit, si alio modo proponatur, & dicatur non posse voluntatem ex eo iudicio, quo iudicatur aliquid esse melius in indiuiduo omnibus pensatis eligere minus bonum. In hoc enim sensu euidentiam habet hæc veritas, quia volitio minùs boni non potest specificari ex magis vero & bono iudicio, & ex iudicio dictante bonum non potest eligi malum, seu non bonum, minus verò bonum est non bonum, vt sic & malum, igitur minus bonum præ maiori bono non potest eligi ex iudicio approbante electionem maioris boni, & minoris boni electionem reprobante. Sed quia nihil prohibet, quin homo relicto iudicio plenè vero, obijciente maius bonum, ex alio iudicio minus bonum eligat. Quærimus an in hoc sit aliqua ratio mali moralis? Et cum negari non possit, quin electio voluntaria minoris boni præ maiori sit physicè, & in esse naturæ rationalis imperfectior: quæritur an ex hoc sit etiam ita moraliter imperfecta, vt sit aliquod malum morale?

48 Videtur vero esse dicendum, nullam in hoc esse malitiam: Tum quia Deus sine vllo defectu eligit minus bonum, potuisset enim si voluisset meliorem mundum producere, vt docet *D. Thom. p. p. quæst. 25. a. 6.* Tum secundò quia si esset malum eligere minus bonum, sequeretur quod quilibet teneretur semper inquirere quodnam sit maius bonum, & illud eligere, quod quidem est res difficillima, & vix in valde perfectis reperibilis. Tum tertiò quia eligens bonum non peccat, minus verò bonum non desinit esse bonum, vnde eligens minus bonum eligit bonum, non igitur peccat.

49 Respondetur, & supposito dari æqualia bona saluo ordine finis honesti, & inter bona inæqualia talem sæpe dari inæqualitatem, quæ moraliter non est æstimanda, sed prudenter pro nihilo haberi potest, vnde in his casibus licitum est cuique eligere quod maluerit, loquendo in casu in quo vnum bonum est notabiliter maius altero in indiuiduo hic & nunc omnibus pensatis, dicitur quòd non potest sine aliqua imprudentia vitiosa, & sine aliquo peccato eligi minus bonum. Et hoc probatur primò ex comparatione assumpta in primo argumento. Nam aliud longè est loqui de Deo, qui in se perfectissimus est, & sine alio fine extra seipsum, per seipsum est suus finis; & est summè beatus, & perfectus, & aliud est loqui de creatura, quæ se ipsa imperfectissima est, & solùm per operationes

& me-

& media obtinet suam perfectionem. Nam respectu Dei, qui extra se non agit vt perficiatur, sed vt communicet suam perfectionem, nullum bonum extra se est simpliciter sibi melius, quia nec est simpliciter bonum sibi ad finem necessarium, vnde Deo nec melius est agere, quàm non agere, nec creare hunc mundum, quam alium, quia ex nullo eius perfectio dependet, vel augetur, vel minuitur. Nec valet dicere, quòd melior sit mundus, quàm non mundus, seu mundus perfectior, quàm imperfectior. Quia hoc est verum comparando res creabiles ad inuicem, non verò ad Deum, qui cum perfici aliunde non possit, ideo ad eum nihil est vel bonum, vel melius, ex quo Deus perficiatur, & quod sit illi vel minima exigentia necessarium, vt sit in se bonus, cum sine creatura sit in se ipso infinitè beatus. Sed illi perinde est creare res vel non creare; nec Deus fuisset minùs bonus, & beatus, si nihil creasset, quàm sit modò mundo creato. Manet igitur Deus in plenissimo dominio faciendi, & non faciendi sine aliqua necessitate alicuius legis obligantis illum ad agendum. Sed creatura rationalis, quæ non est perfecta nisi ex propria operatione, & nisi per media obtineat suam perfectioné, ex lege naturæ inclinantis eam in proprium finem, qui est bene & perfectè viuere secundum rationem, sicut tenetur ad operandum, sic tenetur ad operationem per quam simpliciter & æstimabiliter sit perfectior, vel maiorem obtineat perfectionem. Quia non est perfectum, cui aliquid deest, multum verò deest illi qui minus bonum eligit relicto eo, quod est simpliciter & æstimabiliter melius, quia minus bonum quatenus est minus bonum, est non bonum & *imperfectum*, quia ei deest ille excessus perfectionis & illa plenitudo quam habet maius bonum. Irrationabiliter igitur agit, & contra inclinationem rationis, si cognito maiori bono in indiuiduo illud relinquat, & postponat minori bono, & ideo peccat vel mortaliter, vel venialiter iuxta conditionem boni ommissi, & boni prælecti.

50 Ratio ista instauratur ex eo, quòd Deus ipse quia est Deus summè bonus, & sapiens, & potens, si semel præstituat sibi finem, tenetur facere id quod est melius, immò optimum in ordine ad illum finem. Distingui igitur debet opus Dei ad extra, vel nulla facta suppositione, vel facta suppositione electionis creati alicuius boni, quod sit aliorum finis. Nam, vt probatum est, absolutè respectu Dei nullum opus ad extra est melius suo opposito, Deus enim perinde est Deus infinitè perfectus, & beatus, si nihil extra se agat, quàm si in infinitum mundos multiplicet. Sed supposita electione creati boni, cuius conditio est vt eius perfectio ex particularibus entibus integretur, vel impleatur, & à medijs ad finem in executione suæ perfectionis dependeat, Deus quia est Deus summè sapiens, bonus, & potens tenetur ex medijs illa eligere quæ ad finem illum sunt optima. Ideo Deus hoc vniuersum condidit tale quod est optimum. *Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Gen. p. Ideo S. Basilius hom. 1. in Hexam.* postquàm summam bonitatem vniuersi descripsit, dixit, quòd Deus, *Fecit vt bonus, quod vtile est, vt sapiens, quod pulcherimum est: vt potentia præditus, quod maximum est.* Et *S. Aug. l. 3. de lib. arb. cap. 5. Quidquid tibi vera ratione melius occurrit, hoc scias fecisse Deũ, tanquam bonorum omnium conditorem.* Et *lib. de quant. animæ cap. 33. Dei iustitia factum est, vt non modò sint omnia, sed etiam sic sint, vt omnino meliùs esse non possint.* Et *l. 4. de Gen ad lit. c. 16. Quia ergo est omnipotens, & bonus, omnia valde bona fecit.* Et *Chrys. hom. 30. in p. ad Cor. cap. 12.* addit: *Certè enim, quod optimum rectissimumque factu fuit, hoc illum voluisse consentaneum esse debet.* Sed & *D. Th. p. p. q. 25. a. 6. ad 3.* asserit, quòd *vniuersum (suppositis istis rebus) non potest esse melius propter decentissimum ordinem his rebus attributum a Deo, in quo bonum vniuersi consistit.* Sicut igitur Deus ne deficiat a sua bonitate, sapientia, & potentia tenetur facere id, quod ad finem à se prælectum est optimum. Ita homo tenetur & per consilium inquirere quid sibi sit optimum omnibus pensatis in ordine ad finem suæ beatitudinis, & illud inuentum eligere, & si id non faciat insipiens est, & malus, tanquam imprudenter deficiens a recta ratione, & ab ordine bonitatis & propriæ perfectionis.

5a Tertiò hoc idem probatur, quia electio minoris boni præ maiori, quod notabiliter & æstimabiliter excedit minus, non est actio ordinabilis in rectum finem. Actio enim mala est, si sub aliqua sui ratione non sit in rectum finem ordinabilis, quia malum ex vnico defectu oritur; modo electio minoris boni in indiuiduo, & omnibus pensatis, licet quatenus est electio boni sit ordinabilis in rectum finem, non est tamen ordinabilis in rectum finem quatenus est electio minùs boni; quia nihil est ex quo electio illa vt est minoris boni possit dici bona, cum pensatis omnibus pensandis bonum illud sit minus bonum, & ideo vt sic non bonum, & ideo vt sic non ordinabile in bonum. Semper enim aduertendum est, quòd minus bonum ex genere bene potest immò sæpe debet eligi, quia non desunt rationes ex quibus illud fiat in indiuiduo respectu huius singularis personæ maius bonum. Itaque minus bonum ex genere non est minus bonum simpliciter absolutè, & omnibus pensatis, sed immò ex circumstantijs & in indiuiduo potest fieri maius bonum. Sed minus bonum in indiuiduo est minus bonum simpliciter absolutè, nec potest fieri vt non sit minus bonum, quia omnibus consideratis est tale; & ideo omnibus pensatis est absolutè non bonum, vnde eius electio relicto meliori non est in rectum finem ordinabilis, & ex consequenti nec bona moraliter, sed mala.

52 Ad primum igitur in oppositum iam patet ex dictis responsio. Et ad secundum dicitur, quòd immò ex quo semper attendere vt cognoscatur melius & eligatur, est res valde difficilis, & excedés communem hominum conditionem, ideo non est melius in indiuiduo, licet sit melius ex genere; sed hominibus qui nec Dei præcepta obseruant satis magnum est, si teneantur attendere ne Deum offendant. Illi enim conuenit de maiori iustitia sollicitum esse, qui minorem obseruat, iuxta illud *Chrys. apud Catenam Aur. D. Th. Matt. 22. De magno mandato interrogat, qui nec minimum obseruat. Ille debet interrogare de maiore iustitia, qui iam minorem compleuit.* Sed distinctione doctrina hæc fit clarior. Nam inquirere, & inuestigare semper quid sit melius ex genere, vt illud eligatur, res difficilis nedum est, sed sæpissimè improportionata hic

& nunc

& nunc operanti. Qui enim assuetus malo, vix persuaderi potest, vt malo relicto, bonum eligat, non est dispositus; vt de meliori absolutè & secundum se eligendo deliberet, vnde nec tenetur inquirere quid sit melius duplici de causa. Tum primò, quia nulla est obligatio agendi quòd melius est absolutè & ex genere, vt supra probatum est. Tum quia quod ex genere melius est non est hic & nunc melius in indiuiduo illi, qui etiam ad bonum agendum est indispositus, quia hoc non est bonum hic & nunc illi proportionatum. Sed inquirere melius in indiuiduo non est alicui difficile, sed tantum cuicumque est debitum, quantùm quisque tenetur consiliari de agendis, quia consilium non est nisi inquisitio melioris boni, vt tradunt DD. cum *D. Th.p.1.quæst.14.* Nam consilium est inquisitio eius, quod præ alijs sit dignum vt eligatur, solum verò id, quod est melius est dignum vt eligatur præ alijs. Verum quidem est, quòd sæpe difficile est hoc melius inuenire, & prudenter decernere quid sit eligendum, sed tamen ea necessitate qua homo iuxta sapientis dictum nihil tenetur agere sine consilio, *Fili sine consilio nihil facias. Eccles.32. & Prou.13. Qui autem agunt omnia cum consilio reguntur sapientia. & Prou.15. Dissipantur cogitationes, vbi non est consilium.* Ita tenetur semper inquirere, quid sibi sit melius in indiuiduo hic, & nunc, & si hoc est difficile inuenire, faciat homo quod in se est, consulendo pe̅tiores, Deumque exorando vt illuminetur, & Deus præstò erit, vt illum adiuuet, & illuminet, vt decernat, & eligat id, quod sibi magis expedit. Sed si Deo excitante, & adiouante homo in particulari illuminatur vt cognoscat, quid in indiuiduo sit melius hic, & nunc, & excelsus est prudenter æstimabilis, tenetur homo eligere melius, & si hoc non facit imprudenter, & non secundùm rationem agit, sed aliquo modo peccat.

53 Ad tertium dicitur quòd minus bonum absolutè in indiuiduo omnibus pensatis est malum; Quod ampliùs probatur, quia est impedimentum maioris boni.

54 Colligitur igitur ex his multò verius esse, quòd sit peccatum resistere sanctæ inspirationi; quia cum sancta inspiratio sit semper de meliori bono in indiuiduo, qui resistit inspirationi, & contemnit Magisterium Spiritus Sancti eligit malum, ex quo eligit minus bonum. Hæc enim electio non est in rectum finem ordinabilis, tum quia est electio minoris boni, tum quia est electio oppositi eius, quod Deus dictat, & approbat.

Quot sint Consilia Euangelica.

55 CONstito igitur quid sit cõsilium Euangelicum, quia scilicet est opus libertatis quod Christus vt vtilius ad saluté nobis declarauit, proposuit, & suasit, consequenter videndum est, quot & qualia sint huiusmodi Euangelica consilia, dubium verò hic esse potest, quia communiter solum tria assignantur, scilicet virginitas, paupertas, & obedientia, cum tamen videatur quod sint multò plura, quia quilibet actus virtutis prout non cadit sub præcepto, & non est maioris boni impedimentum, est consilium.

55 Respondetur verò, quòd consilia distinguuntur primò in consilia simpliciter, & consilia secundùm quid. Hanc enim distinctionem tradit *D.Th.p.2.quæst.108.a.4.c.* Et ratio distinctionis est, quia opera nostra bona, vel secundùm se & ex genere sunt actus virtutis, vel licet non sint mala, non sunt tamen ex genere actus virtutis, sed nihilominus ad virtutem ordinantur, & ad illum multum iuuant. Prima opera simpliciter loquendo sunt præcepta, non verò consilia; de actibus virtutum enim dantur præcepta, & huiusmodi actus sunt omnibus necessarij ad salutem pro conditione personarum, & temporum, & ita vt per se ex eorum genere sub præcepto cadant, solùm verò secundùm quid cadere possunt sub consilio pro eo tempore pro quo non cadunt sub præcepto, & vel secundùm quantitatem, vt dare maiorem eleemosynam, quam lex præcipiat, vel secundùm modum agendi, vt facere eleemosynam citiùs, vel secundum aliquam aliam circumstantiam non necessariam. Sed opera, quæ ex genere non sunt actus virtutis, & tamen habent, excellentiam, vt sint vtiliora ad virtutum exercitium perfectum, sunt per se & simpliciter de consilio. Non enim ex genere sunt de præcepto, quia non sunt ad salutem necessaria, quia tamen valde ad salutem vtilia, prudens consilium est talia opera exercere, quibus nos expeditiùs, & securiùs virtutum perfectionem obtineamus.

57 Datur verò distinctio hæc sub alijs terminis, distinguendo consilia in consilia generalia, & particularia, Sic enim consilia distinguit *Suarez tom.2.de Relig.lib.p.cap.8.* Et sumit generale secundum causalitatem, vt consilium dicatur generale, quia non datur propter solam suam honestatem, sed etiam propter vtilitatem ad alias virtutes. Et huiusmodi consilia ait antonomasticè esse tria, scilicet consilia continentiæ, paupertatis, & obedientiæ, quibus potest addi quartum quod consistit in modo illorum trium, scilicet votum continentiæ, paupertatis, & obedientiæ, quàmuis votum per omnium virtutum materiam vagari possit. Sed particularia consilia sunt, quæ dantur de opere propter suam particularem honestatem, ratione cuius alijs minùs bonis præfertur.

58 Longè tamen melior est prior distinctio, quam etiam attigit. *Suarez.* Quia sub his terminis, vt ipsemet notat num.6. eadem consilia dici possunt generalia, & specialia. Nam generale consilium dici potest, quod omnibus est accommodatum, & proportionatum, & in omni statu hominum obseruari potest. Et hoc modo consilia de actibus virtutum non necessarijs, quæ supra dicta sunt particularia debent dici generalia, quia omnibus vtilia. Econtra consilia continentiæ, paupertatis, & obedientiæ, quæ dicta sunt generalia dici possunt particularia, quia particularibus quibusdam solum, non verò omnibus conuenientia. Ex generalitate igitur & particularitate non explicatur per se & adequatè differentia consiliorum. Eò magis, quòd consilium non bene dicitur generale quia vtile, & si generalitas dicitur respectu eorum quibus opus est vtile, & dicatur generale, quia vtile ad omnes; si spectemus homines; iam consilia continentiæ, paupertatis & obedientiæ generalia non erunt, quia non sunt omnibus hominibus vtilia, si verò spectemus virtutes, iam & consilia par-

particularia erunt generalia, quia vnus actus virtuosus, & honestus per se ad omnium virtutum concentum conducit, quia virtutes connexæ sunt. Et præterea non eò bene dicitur aliquod consilium particulare, quis cadat sub consilio propter eius particularem honestatem; quia per se loquendo actus ex sui honestate habet potiùs quòd sit de præcepto, quàm de consilio, & potiùs habet quòd sit pars integrans vel essentiam vel augmentum perfectionis, quàm medium vtile ad perfectionem obtinendam. Si loquimur de honestate propriè sumpta, prout honestas importat bonitatem virtutis.

59 Meliùs igitur distinguuntur consilia, in consilia simpliciter & consilia secundùm quid, & illa congruè dicuntur consilia secundùm quid, quæ ex suo genere cadunt sub præcepto, non verò cadunt sub consilio nisi aliquando, & respectiuè, sicut sunt actus virtutum, qui solùm sunt actus consilij, inquantùm non sunt de præcepto, & vlteriùs inquantùm non sunt impedimentum actus perfectioris. Vt est consilium orare, tunc cum non instat opus virtutis perfectioris, vel hic & nunc magis necessarium. In operando igitur ex virtute, vel quantùm ad exercitium actus, vel quantùm ad modum, & circumstantias, potest locum habere consilium secundùm quid, scilicet tunc solùm, cum actus non sunt de præcepto, vel non sunt impedimentum maioris boni.

60 Duo tamen in hac parte quæri possunt. Primò an actus virtutis secundùm substantiam possit esse actus consilij. Nam *Suarez loc. cit. & lib. 2. de legibus cap. 7. num. 11.* tenet, quòd non in omni virtute sit lex naturalis obligans ex genere suo ad mortale, quòd de veritate alias tradidisse docet, & ipse id affirmat de liberalitate, quæ ex se videtur excludere debitum, & de eutropelia, quæ est maximè voluntaria, sed tamen asserit esse probabile, quod nulla detur virtus, quæ aliquando non obliget ad sui vsum sub obligatione peccati venialis. Et quidem hoc ad intentum nostrum in præsenti sufficit, nam obligatio peccati venialis excludit consilium, & sic nulla virtus est, quæ secundum substantiam, seu ex sua specie cadat per se sub consilio, quia nulla est, quæ non obliget saltem sub obligatione peccati venialis ad aliquem vsum sui, & sic quælibet virtus solùm secundùm quid & secundùm aliquem actum suum est materia consilij. Verùmtamen licet nonnulli sentiant, quòd non omnis virtus obliget ex lege naturali obligante sub mortali ad aliquem sui vsum, quod voluit etiam *Caiet. 22. quæst. 104. a. 2.* In prima responsione data ad dubium propositum contra respons. ad primum. Et videtur fauere *D. Th. p. 2. quæst. 94. a. 3.* vbi habet actus virtutum contineri sub lege naturali, in quantum sunt actus virtuosi, non verò si sumantur secundùm speciem. Nihilominùs longè meliùs respondetur cum eodem *Caiet.* in secunda responsione ibidem & cum *Martinez p. 2. quæst. 94. a. 3. Montesino p. 2. quæst. 71. a. 4. n. 72.* Quòd actus virtutis cuiuscumque ex sua specie cadit sub lege obligante sub mortali, & quidem sub lege negatiua, quia numquam licet operari contra virtutem, & vlteriùs sub lege affirmatiua obligante non pro semper, sed pro tempore & casu opportuno; Quia nulla virtus est cuius actus aliquando non sit necessarius secundum rectam rationem, Quod esse verum etiam de magnificentia affirmat ibidem *Caiet.* Et idem dicitur de liberalitate, quæ licet excludat debitum iustitiæ rigorosæ ad alterum, non excludit tamen debitum honestatis respectu operantis. Et similiter Eutropelia quæ ludos respicit, non est adeo voluntaria, vt in casu non possit esse necessaria per se & ex propria ratione, & honestate. Alia verò est quæstio an omnis actus virtutis sit de lege naturali, quod est id, quod quærebat *D. Thom. p. 2. quæst. 94. a. 3.* Ad hoc enim dicitur cum eodem, quòd omnis actus virtutis inquantùm est virtutis est de lege naturali, vnde lex naturalis vt negatiua prohibet quemcumque actũ oppositum virtuti. Sed non omnis actus virtutis secundùm speciem est de lege naturali, quia multi sunt actus, qui sunt actus virtutis non per se ab intrinseco, & ex eorum genere, sed ex humana institutione, & ordinatione, & hi sub præcepto cadunt, & lege humana, & non immediatè sub lege naturali. Et ita semper verum est, & ex eo artic. D. Thomæ probatur, & supponunt ibi expositores, quòd actus virtutis per se inquantùm sunt actus virtutis ex eorum specie sub lege sunt, & negatiua, & affirmatiua respectiuè, vel scilicet naturali, vel humana, vel diuina supernaturali, & solùm secundùm quid, cadunt sub consilio.

61 Secundò autem quæritur an consilium nedum locum habere possit in operando bonum, sed etiam in cauendo malum. Affirmat enim *Suarez loc. cit. numer. 5.* sed statim limitat suam assertionem; quia nimirum vitare malum nunquam est consilium, sed semper est aliquale præceptum, sed consilium est adhibere media non necessaria, sed vtilia ad hoc vt homo à malo abstineat, vt consilium est ieiunare ad domandam concupiscentiam & fugiendam incontinentiam. Meliùs igitur dicitur quòd consilium, non respicit cauere malum, sed per se simpliciter loquendo respicit opus, quod non est præceptum, & tamen est vtilius ad legem seruandam, siue vitando malum semper, siue operando bonum, cum ex lege est operandum.

62 Consilium igitur simpliciter dictum respicit actum, qui de se & per se ex sua specie non est actus virtutis, nec est præceptum, & tamen est vtilior ad legem seruandam. Ideo meritò hoc consilium diuiditur in consilium continentiæ, paupertatis, & obedientiæ. Cuius distinctionis optimam rationem reddit *D. Thom. p. 2. quæst. 108. a. 4. & 3. c. g. cap. 130. & ex eo D. Anton. part. 4. tit. 12. cap. 2.* Omnis enim occupatio hominis, quæ illum abstrahere & impedire possit a virtutum exercitio, & ne toto affectu tendat in Deum, vel est circa se ipsum, vel circa consanguineos, & præcipuè circa vxorem, & filios, vel circa bona temporalia extrinseca. Per votum paupertatis autem liberatur ab occupatione circa temporalia, & per votum continentiæ a seruitute vxoris, & filiorum, & per obedientiam a nimia cura erga se ipsum. Itẽ cum mala cupiditas sit radix omnium malorum, hæc verò ex *1. Io. 2.* sit triplex, scilicet aut concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, carnis concupiscentiam domat votum continentiæ, concupiscentiam oculorum frænat votum paupertatis, & superbiam vitæ humiliat votum obedientiæ. Nedum igitur antonomasticè, sed analogicè tria sunt consilia Euangelica, quia licet materia consiliorum vagetur per omnem materiam virtutum, immò

per omnem materiam indifferentem, quæ sit vtilis ad vitæ perfectionem, tamen omnia consilia ad aliquod ex his tribus reducuntur, quia ad vincendam vel concupiscentiã carnis, vel concupiscẽtiam oculorum, vel superbiam vitæ ordinantur, & consistunt in actibus vel continentiæ, vel despectus exteriorum bonorum, vel in humilitate vitæ. vel ad huiusmodi ordinantur, vel non sunt consilia simpliciter, sed solùm secundùm, quid, sicuti sunt actus virtutum, & maximè Theologicarum inquantum non sunt sub præcepto, & quæ intrinsecè pertinent ad augmentum perfectionis, vnde non tam sunt media ad perfectionem quàm partes eius intrinsecæ vel essentiales, vel ad augmentum eius per se necessariæ.

63 In hoc ergo Articulo accipiuntur consilia, vt sunt opus contradistinctum contra præceptum, vt important opera ad quæ homo ex nulla obligatione tenetur, sed tamen sunt vtilia ad exercitium virtutum. Et licet de omnibus consilijs sit sermo, præcipuè tamen de consilijs Euangelicis, quæ ad tria reducuntur, scilicet ad consilia continentiæ, paupertatis, & obedientiæ, & sic sensus quæstionis est, an perfectio consistat in obseruantia præceptorum, vel potiùs in exercitio consiliorum, & præcipuè obedientiæ, paupertatis, & continentiæ.

64 His præmissis accedendum est ad resolutionem quæstionis, quæ est, quòd perfectio essentialiter consistit in præceptis & quidem primariò in præcepto dilectionis Dei, & postea secundariò in præcepto dilectionis proximi, sed in consilijs consistit instrumentaliter, & accidentaliter.

65 Nam perfectio dupliciter consistit in aliquo, vel scilicet per se, & essentialiter, vel secundariò & accidentaliter. Nam eorum, quæ concurrunt ad perfectionem alicuius quædam sunt partes essentiales, quæ scilicet integrant essentiam rei, & substantiam, cuiusmodi sunt nedum partes quæ dicuntur essentiales vt materia, & forma, sed partes substantialiter integrales, vt in homine caput, manus, cor &c. Sed alia essentiam supponunt & substantiam in suo genere perfectam supponentes, eam adornant, & perficiunt accidentaliter. Et huiusmodi dicuntur perfectiones accidentales. Sed aduertendum, quòd D. Thom. in distinctione ponit alium terminum scilicet per se, & secundariò. Ex quo alia distinctio innoitur, quia ad rei perfectionem quædam per se primò requirũtur, & huiusmodi sine dubio sunt, quæ essentiam integrant; Alia verò secundariò, & huiusmodi sunt, quæ rei accidunt. Sed nihilominùs vlterius per hanc diuisionem prioris diuisionis vtrumque membrum subdiuidi potest. Nam ex integrantibus essentiam per prius requiritur forma, quàm materia. & per prius illæ partes integrantes sine quibus substantia non est, vt ad hominem principaliùs pertinet caput, sine quo non viuit, quàm brachium sine quo homo consistit, licet imperfectus. Et pariter inter accidentia per se primò necessaria sunt quæ consequuntur essentiam, & dicuntur proprietates, secundariò verò alia quæ de foris adueniunt. Ideo D. Thom. sic asserit primò, quòd perfectio consistit essentialiter in præceptis charitatis, & ideo principaliter, quod tamen docet perfectionem principaliter consistere in præcepto dilectionis Dei, & secundariò in præcepto dilectionis proximi.

66 Hac stante distinctione primam hanc conclusionem ponit D. Thomas. *Per se quidem, & essentialiter consistit perfectio Christianæ vitæ in charitate, principaliter quidem secundùm dilectionem Dei, secundariò autem secundùm dilectionem proximi, de quibus dantur principalia præcepta diuinæ legis.* Conclusio ista communis est, quam docuerunt etiam *S. Aug. l. 1. de doct. Chris. cap. 22. & S. Greg. hom. 27. in Euang.* Eamque tradidit nobis Christus Dominus, de præceptis dilectionis Dei & proximi dicens *Matt. 22. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.* In horum enim præceptorum obseruantia summa totius legalis obedientiæ comprehenditur. Sed ad huius conclusionis explicationem D. Th. addit doctrinam valde considerandam, quia nimirum præceptum charitatis obligat nos sine mensura vnde non cadit sub consilio, quia ex præcepto tenemur diligere Deum omni modo possibile, & ita vt etiam summa dilectio qua beati diligunt Deum hominibus sit præcepta. Hæc autem ab aliquibus controuertuntur, & à nobis sunt explicanda, & comprobanda.

67 Dubium autem primò hic oritur, quia cum actus charitatis sit finis præcepti, & finis non cadat sub præcepto, videtur quòd actus charitatis non possit cadere sub lege, cum sit finis legis. Bene respondet *Caiet.* Finem legis non cadere sub ea lege cuius est finis, cum tamen absolutè etiam finis consecutio sub lege cadat. Immò vt docet *D. Th. supra quæst. 44. a. 1.* Id quod primò est debitum, & cadit sub lege est, quod spectat ad finem, scilicet finis consecutio, & possessio, seu adhæsio ad finem; & coniunctio cum illo. Charitas igitur quia est finis aliorum præceptorum sub illis non cadit, cum tamen de charitate dentur principaliora præcepta, cum actus charitatis finem habeat pro obiecto & sit adhæsio, & coniunctio creaturæ ad Deum principium ipsius & finem.

68 Dubium aliud leue mouet *Caiet.* Quoniam id quod præcipitur propter finem non est finis, sed medium ad finem, & ideo subiectum mensuræ, charitas igitur quæ propter finem præcipitur, non erit præcepta sine mensura. Bene verò respondet, quòd charitas ex quo est immediata ipsi fini, est enim adhæsio & vnio per quam voluntas coniungitur immediatè Deo vt vltimo fini, ideo & est aliarum virtutum finis, & habet quòd præcipiatur sine mensura, quia in adhæsione & vnione ad Deum, nulla potest adesse limitatio, vel mensura cum Deus sit infinitum bonum, cui ex hoc solùm non datur infinita adhæsio, quia eius creatura non est capax, sed infra hanc infinitatem sine limitatione, & mensura tenetur homo quantùm potest magis ac magis diligere Deum.

69 In hoc autem quod D. Th. docet, quia nimirum in charitate non datur plus diligere quod non cadat sub præcepto, sed sub consilio, maior est difficultas, quia non approbatur ab omnibus. Ideo quæritur.

An actus charitatis possit cadere sub consilio?

70 VIdetur enim quòd non omnis actus charitatis sit de præcepto, sed multi sint

de consilio. Primò quantum ad exercitium actus, quia lex de Deo diligendo non obligat pro semper, vt expresse docet idem *D. Thom. p. 2. quæst. 100. a. 10.* Nam & in hac vita impossibile est semper actu diligere Deum, vnde præceptum de Deo diligendo retinet vim legis affirmatiuæ non obligantis pro semper. Ergo dum non obligat præceptum charitatis, actus charitatis erit de consilio. Secundò quantum ad intensionem actus, quæ non est in præcepto, ad obseruandum enim præceptum charitatis sufficit dilectio secundum substantiam, etiam si remissa, non verò est necessaria intensior dilectio; igitur de consilio erit diligere Deum intensiùs, & intensiùs. Tertiò quantum ad actus imperatos. Quia non est necesse quòd semper per formalem actum charitatis ordinemus opera nostra in Deum. Vnde hic duplex libertas est; tum respectu actus charitatis, quia sub consilio erit, quod ex actu formali charitatis imperetur actus alterius virtutis, tum respectu actuum imperatorum, quia poterit homo ex charitate imperare, vel non imperare hunc vel illum actum virtutis; & sic hoc erit non de præcepto, sed de consilio, cum alias non vrget præceptum charitatis, & aliarum virtutum. Et ita hanc opinionem tenet *Suarez tom. 3. de Relig. lib. p. de statu perfec. cap. 9. a. n. 16.*

71 In oppositum est auctoritas D. Thomæ, hic *& opusc. 17. cap. 6* quem sequuntur *Caiet. hic & Valentia tom. 3. disp. 10. q. 2. p. 1. ad tertium argumentum.*

72 Respondetur, habendam præ oculis distinctionem, quam in præsenti tradit *Caiet.* & probant idem *Suarez, & Valentia loco citato*, quia nimirum dupliciter contingit aliquem actum esse præceptũ, scilicet, vt finem & terminum quò tendendum, & perueniendum, & vt medium, & viam ad terminũ consequendum. Nam v. g. Imperator militibus imperat, vt pugnent, & vt vincant, illud præcipit vt medium, illud vt finem. Præceptum autem quo præcipitur actus vt finis habet modum præcepti affirmatiui, & obligat in præsenti, sed non omnino obligat pro præsenti. Quia finis habendus est in termino viæ, & non est necesse, quod habeatur in via, Et nihilominus etiam pro præsenti obligat nedum ad non ponendum aliquod contrarium, seu impedimentum simpliciter fini repugnans, sed etiam ad non ponendum impedimẽtum, aut retardans, aut minuens eius quantitatem, & excellentiam. Secundò obligat ad præparationem animi, & ad tendentiam in illum, vt scilicet, homo sit paratus ad illum finem obtinendum, & ex animo ad illum tendat.

73 Distinguitur verò actus charitatis in se ipsum secundum substantiam sumptum, & secundum sui excessum, & excellentiam: nam primo modo est præceptum simpliciter vt medium, seu melius vt terminus vnde incipiat motus, sed charitatis excellentia est præcepta vt finis, vel simpliciter sicuti est excellentia charitatis patriæ, vel vt finis medius, sicuti excellentia charitatis viæ, quę licet comparatiuè ad excellentiam patriæ sit medium, tamen respectu charitatis secundùm substantiam, quæ est veluti terminus à quo, se habet vt finis. Ideo in via excellentia charitatis non est adeò præcepta, vt peccatum sit illam non habere, sed vt peccatum sit illam impedire, nam & impedire feruorem charitatis, est peccatum saltem veniale. *p. 2. q. 71. a. 4. & 22. q. 24. 8. 2.* quod peccatum corrumpit vel impedit actum charitatis, *p. 2. q. 89. a. c. & 22. q. 133. a. 1. secundum.* Tenetur enim homo ita diligere Deum totaliter etiam ex parte sui, vt saltem sit paratus in intentione Deum tali modo diligere, & non impediat excellentiam hanc, & maioritatem dilectionis, sed ad illam tendat, vt ad finem. Ideò nihil charitatis potest cadere sub consilio. Nam quidquid est charitas, vel est substantia, & hæc est de præcepto simpliciter, vel est modus charitatis, & hic si sit in minus non potest cadere sub consilio, quod semper est de meliori bono, si verò sit in plus, semper est præceptum per modum finis, quod sufficit ad exclusionem consilij. Nam ille actus est de consilio, qui stat in optione eius, cui datur consilium, vt docet *D. Thom. p. 2. q. 108. a. 4.* & tradunt *SS. August. & Hier.* vt habetur *14. q. 1. sup. quisques.* At verò non est in optione hominis, vt minus diligat Deum quam proximè possit, sed homo semper aliquo modo peccat, si non diligit Deum tantùm quantum proximè potest. Et cum homo debeat saltem tendere, & non impedire excellentiam charitatis, non est hæc excellentia in eius libera optione, ideò nec cadit sub consilio. Quod confirmatur ex *S. August. lib. de perfec. iust. citato à D. Thom. & l. de spir. & lit. cap. 36.* vbi excellentiam charitatis patriæ ait esse nobis præceptam. Sicut igitur charitas Patriæ non cadit sub consilio, quia est finis ad quem ex præcepto tendere debemus, ita & quęlibet excellentia charitatis in via continetur sub præcepto, tanquam finis, & terminus medius ad quem debemus accedere, vt ad summam patriæ perfectionem perueniamus.

74 Ad primum in oppositum in quo comparatur non exercitium actus charitatis ad exercitiũ eiusdẽ actus, & assumitur quòd non semper diligere actu Deum non est peccatum, & ex consequenti est liberum homini libertate necessitatis præcepti, & ideò est consilium, respondetur quod in hac via semper actu explicito & formali diligere Deum nõ est quidem præceptum vt medium, est tamen præceptum quodammodo per modum finis, & vt habeatur omni modo possibili. Ideò primo manet obligatio semper diligendi Deum aliquo modo, vel formaliter, vel virtualiter, vel explicitè & distinctè, vel implicitè & in confuso; quia tenetur homo non impeditus semper operari ex charitate, seu ex Dei dilectione aliqua, immò siue operetur, siue quiescat totum in gloriam Dei facere debet 1. Cor. 10. Præterea secundo tenetur homo non impedire actum charitatis, vnde non potest ex libito & ex quacumque causa suspendere actum charitatis, sicut potest impedire actum consilij ex sola sua voluntate, & quia non inclinatur in illum, sed solum homo licitè & sine peccato potest vnum actum charitatis, ex alio actu charitatis impedire, Dei enim amor exigit, vt homo viator non attendat semper contemplationi, & ex consequenti formali & explicito amori Dei, ideò charitas ipsa vnum sui actum per alium impedit, vt homo in eo actu se exerceat, qui magis in indiuiduo est, vel necessarius vel vtilis operanti.

75 Ideò quærenti an qui habet à Deo gratiam proximè sufficientem ad exercite diligendum actu Deum, quia nec habet necessitatẽ operandi aliud

neque

neque hic & nunc est melius operari aliud; vnde nullo modo est impeditus ab exercitio diligendi Deum, & aliàs à Deo est ad huiusmodi dilectionẽ excitatus, possit sine peccato quocumque suspendere actum dilectionis. Respondetur non posse, & hoc ex vi legis de Deo diligendo ex toto corde; Quia iste non potest in hoc casu suspendere illum actum ex charitate, & in gloriam Dei, & quia ex lege charitatis tenetur homo ex sola propria voluntate non impedire charitatis actum. Et si forsan dicas, quod homo nec potest impedire actum consilij ex propria voluntate, sine aliqua legitima causa, & nisi ea charitate ordinet actum suum in Deũ. Respondetur, quòd hoc est ex lege charitatis obligantis nos ad non operandum nisi propter Deum, & in Dei gloriam, non verò ex lege aliqua obligante ad actum consilij. Ita quando lex aliarum virtutum non obligat, in libera hominis potestate est cessare ab actu illarum virtutum, & ita vt cessando nihil peccat nec contra, nec præter legem virtutum illarum. Et licet non possit homo sine aliquo peccato cessare ab actu vnius virtutis, nisi actum alterius virtutis exerceat, hoc non est ex lege virtutum aliarum, sed ex lege charitatis, ex qua homo tenetur semper operari, si non sit impeditus, vel quiescere, si impediatur, et taliter operari, vel quiescere, vt tam opus, quam quies ordinetur aliquo modo in finem charitatis. Ex quo magis manifestum est, quod lex charitatis obligat sine mensura, & saltem petit, quòd homo liberè ex propria voluntate scienter actum, vel feruorem, vel plenitudinem actus charitatis non impediat; vnde est quòd actu exercere aliquem actum charitatis non est de cõsilio. Et semper manet euidens ratio D. Thom. Quia vel homo minùs diligit, & hoc non est materia consilij, vel plus diligit, & hoc non est optionis & arbitrij liberi à necessitate legis sed est ex lege charitatis nos obligantis ad diligendum Deum tantùm quantùm possumus. Vnde supposita sufficientia proxima ad excellentiã actus amoris Dei tenemur Deum excellenter amare.

76 Ad secundum iam patet responsio. Nam non intensè diligere Deum non est peccatum, sed tamen est peccatum hanc excellentiam impedire, immò hanc excellentiam directè & scienter nolle est ex lege charitatis per se prohibitum, vnde Deũ intensè diligere non est consilium, sed præceptum.

77 Ad tertium dicitur, quòd vt probatum est *tract. de merito cap. 9. & tract. de necessitate gratiæ habitualis cap. 14.* In iusto nullus est actus bonus, qui non sit ex charitate, & ea formali actu charitatis. Aliud enim est actus formalis charitatis, & aliud est actus charitatis distinctus, & explicitus. Omnis enim amor, quo amatur Deus est actus formalis charitatis ab ea elicitus. Sed non semper amatur Deus cognitus distinctè, & sub explicito conceptu Dei. Nam Deus & est Deus & est summum bonum, & primum honestum. Ideo conceptus honesti primi, seu conceptus finis vt honesti, est conceptus Dei, sed implicitus & confusus, quia est conceptus Dei in communi sub conceptu primi finis honesti, solus enim Deus est finis primus honesti. Item cum aliquis ex charitate & amore Dei etiam explicito incœpit aliquod opus, in prosecutione operis nõ est necesse, quòd maneat ille actus amoris explicitus, manet tamen semper amor confusus, & talis qui sufficiat ad imperandum illius operis complementũ, & ad hoc, vt homo ad aliud opus non diuertat. Neque huiusmodi fiunt sine aliquo actu formali charitatis, si per actum formalem intelligimus actum à charitate elicitum. Sed *Suarez tam loco cit. quam lib. 2. de legib. cap. 18.* supponit falsum, scilicet, quod amor finis honesti in habente fidem, & charitatem non sit actus à virtute charitatis elicitus. Et quia nullus est actus bonus, nisi attingat bonum honestum ad minùs propter honesti finis amorem, ideò nullus actus bonus est in iusto, qui non sit ex amore honesti, qui est actus charitatis, & qui actus sæpiùs in principio operis est explicitus, in progressu verò dicitur virtualiter durare, non quia non duret aliquis actus, sed quia durat confusus, si ergo per actum formalem charitatis intelligimus actum amoris Dei explicitum, & distinctum; hic actus ad bene operandum & non peccandum non est semper necessarius. Sed si per actum formalem intelligimus actum à virtute charitatis elicitum, hic semper est necessarius, & sine hoc actu non datur actus bonus. Quia non datur actualis electio bona, sine actuali bona intentione, seu actualis bona voluntas medij sine actuali bona voluntate finis. Et dum amatur bonum particulare, quia est honestum, vel quia ordinatur ad Deum hic duplex est amor (siue realiter, siue formaliter distinctus, nihil interest) scilicet, amor finis honesti, & amor huius boni propter finem honestum, & primus amor in iusto est actus à charitate elicitus. Semper ergo tenemur amare Deum, vel actu amoris explicito, vel implicito, & nõ nisi ex Dei amore operari. Quòd verò ex charitate hoc, vel aliud faciamus, liberum est quantum sit ex lege aliarum virtutum, quæ non ad semper obligant, sed non est omnino liberũ ex lege charitatis, quæ nos obligat ad id quod est melius in indiuiduo hic & nunc.

78 Præscindendo autem à doctrina huius responsionis, absolutè ad hæc & alia argumenta dicitur, quòd & ad exercitium charitatis, & ad omnem possibilem excellentiam illius tam in eliciendo, quàm in imperando tenemur ex præcepto per modum finis, quod, vt probatum est sufficit ad exclusionem consilij. Neque valet dicere, quod actus charitatis excellens est etiam medium, quia ad exclusionem consilij sufficit, quòd semel sit finis ad quem nos tendere debemus, & quem impedire non debemus.

79 Prout autem supra dicebatur resolutio huius quæst. cõfirmatur ex eo, quòd de mente *S. Aug.* docet *D. Thom.* quòd scilicet, totalitas perfectionis charitatis, quæ est propria beatorũ nobis præcipitur. Sic enim docuit *August. lib. de spiritu & lit. cap. 36. & lib. de perfect. iust. & D. Ber. ser. 20. & 50. in Cant. & D. Thom. supra q. 44. a. 6.* quod bene explicat *Caiet.* de præcepto per modum finis. Obijcit verò *Caiet.* quia nihil præcipitur vt finis. Sed respondet, quod de per se nihil præcipitur vt finis, & quod etiam charitas præcipitur vt medium, sed quia est actus immediatus fini ideò præcipitur etiam vt finis. Addi verò potest, quod aliud est, quod actus sit propter obiectum, vt propter finem, aliud est, quòd actus sit propter alium actum, vt propter finẽ. Id quod præcipitur est propter obiectum, vt propter finem, sed benè potest esse finis

aliorum actuum, ō sit ipsa formalis adhæsio, & cōiunctio ad finem, modò actus charitatis ex quo est ipsa formalis vnio creaturæ ad Deum est finis omnium aliarum virtutum, & ideò præcipitur simpliciter vt finis, & vt medium præcipitur non vt medium ad alium actum, sed vt propter suum obiectum; & quod charitas viæ sit medium ad charitatem Patriæ est per accidens. Hic tamen comparatur charitas ad alios actus virtutum moralium, non verò ad actum diuinæ visionis; Alterius enim loci est inquirere, an visio sit propter charitatem, vel econtra.

80 Considerandum etiam est, quòd occasione istius assertionis S. August. *Suarez loco cit. c. 9. n. 12.* vnū asserit, quod admitti non potest, scilicet nunc non esse aliquod peccatum etiam si non pro singulis temporibus diligatur actu Deus, vel scilicet non semper propter illum operemur quantum possumus. Nam illud *quantum possumus*, politum in fine falsificat antecedentia, & facit quod propositio sit opposita ei quod Deus dicit, scilicet *Matt. 22. Diliges Dominū Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis.* Ex hoc enim habetur, quod homo si non potest, non quidem peccat, si vel non semper diligit Deum, vel non semper propter Deum operatur, quantum Dei excellentia peteret: sed quòd homo possit non remotè tantùm, sed proximè, & à Deo excitetur, vel ad charitatis feruorem, vel ad opua ex charitate perfectius, & id non præster, non potest esse sine eo quod homo deficiat ab eo, quod est Deum diligere toto corde, & totis viribus. Immò nec Deum diligit appretiatiuè ex toto corde, & summè, qui non impeditus, sed proximè expeditus & excitatus ad perfectiorem actum charitatis & amoris Dei voluntariè & scienter, vel actum amoris suspendit, vel ab eius perfectione deficit; quia minus æstimatur, & appretiatur, qui non diligitur quantùm meretur & à diligente actu sine impedimento diligi potest, Ideò verè peccatum est Deum, vel actu non diligere, vel tantùm non diligere, quantum homo proximè potest.

81 Est autem, circa hanc primam conclusionem *D. Th.* vlterius considerandum, quòd *D. Th.* illam repetit sub his verbis, *& sic patet, quod perfectio essentialiter consistit in præceptis.* Vbi iam absolutè dicitur, quòd perfectio essentialiter consistit in præceptis, & non solùm in præceptis charitatis, Sed nunquid contraria sunt hæc duo, scilicet perfectio essentialiter cōsistit in charitate, & perfectio essentialiter consistit in præceptis? Minimè quidē, sed vtrumque est verum, etiam absolutè & simpliciter loquendo, quia necessariò clausa, vel connexa, vel concommitantia aliquid non ponunt in numerum cum illo. Charitatis autem præceptum nedum est finis omnium aliorum, sed alia omnia habet connexa, eorumque omnium obseruantiam continet actus charitatis finalitec, imperatiuè, & quasi exemplariter, & hoc non contingenter & ad libitum, sed per se & infallibili connexione. Vnde idem est dicere, quòd perfectio consistit essentialiter in præceptis charitatis, & dicere quòd consistit in præceptis. Et adhuc in aliquo sensu melior est primus modus loquendi, quia nullus alius actus spectat ad perfectionem simpliciter nisi vt subest charitati, & ad finem charitatis ordinatur, & ex imperio charitatis quodammodo proficiscitur. Immò per solum actū charitatis exclusis alijs, qui ad actum charitatis non sunt necessarij homo esset essentialiter perfectus, sicuti homo puer nondum habens integritatem & distinctionem membrorum, vel cui desint manus, vel pedes. Fingamus enim quod homo successiuè obtineret partes suas integrales, esset essentialiter homo v. g ex eo quod primò haberet cor, sed non esset homo substantialitec integer, si deesset illi aliqua materia informabilis per animam ex qua fierent manus, & pedes hominis. Quia verò perfectio spiritualis successiuè acquiritur; Per primum actum charitatis homo est quodammodo essentialiter perfectus, sed non integraliter, donec successiuè iuxta exigentiam legis omnia legis mandata impleat. Quia licet possit esse homo perfectus sine actibus aliarum virtutum, non tamen sine obseruantia omnium præceptorum. Et in sui initio tunc solùm per actum charitatis homo essentialiter est perfectus, cum non vrget præceptum alterius actus, Ideò perfectio essentialiter in omnium præceptorum obseruantia consistit. Licet quia perfectio est ens successiuum, hanc essentialem perfectionem, & substantialem successiuè acquirat secundum actualitatem, cuius initium virtuale per solam habet charitatem. Et sic alia præcepta pertinent ad substantialem integritatem, licet non ad primam essentiam, nisi sint actus sine quibus tunc non est actus charitatis. Neque tamen propriè loquendo sunt solùm partes integrales substantiales, quia sine huiusmodi partibus consistere potest essentia, at verò minimi præcepti transgressio mortalis destruit perfectionē, sed sunt partes integrales essentiales sine quibus nō est essentia. Et vt supra dicebatur, sunt materia perfectionis. Ita quòd vel omnia præcepta virtutum ad charitatem comparantur, vel comparantur actus ad inuicem. Primo modo sunt pars essentialis licet successiua, quia sunt propria materia sanctitatis. Secundò modo sunt pars substantialis integralis, quia quodlibet illorum partialem materiam præbet.

82 Explicata iam prima conclusione, & constito, quod perfectio Christianæ vitæ essentialiter consistit in præceptis, secunda subiungitur conclusio ista. *Secundariò autem instrumentaliter perfectio consistit in consilijs.* Vbi duo dicit, nimirum, quod consilia pertinent ad perfectionem secundariò. Et non quomodocumque secundariò. Nam & dilectio proximi dicta est pertinere ad perfectionem secundariò, sed tamen essentialiter, seu tanquam quid essentiale perfectioni, sed consilia dicuntur pertinere ad perfectionem secundariò, & accidentaliter.

83 Antequam verò ad vlteriora procedamus attentè, & cautè consideranda sunt verba illa textus immediatè sequentia, scilicet. *Quæ omnia, sicut & præcepta ordinantur ad charitatem, sed aliter, & aliter.* Quia minùs bene consideranti prima facie videbitur, quod D. Thom. sentiat, præcepta instrumentaliter conuenire ad perfectionem, sicut & consilia. Quia statim ac author dixit perfectionem secundariò, & instrumentaliter consistere in consilijs, subdit, *quæ omnia sicut & præcepta ordinantur ad charitatem*, ex hoc innuens, quòd consilia & alia præcepta in hoc conueniunt, quod sunt in-

instrumenta perfectionis, non verò ad perfectionis substantiam pertinent. Nam immò totum oppositum vult auctor inferre. Quia enim ex hoc probandum erat, quòd consilia essent instrumenta perfectionis, quia ad actum charitatis ordinantur; & ex hoc sequi videretur, quod etiam praecepta sint perfectionis instrumenta, quia ordinantur ad charitatem, vt haec obiectio tacita tollatur, aduertit, praecepta alio modo ordinari ad charitatem, quàm consilia. Quia praecepta ordinantur ad tollenda ea, quae charitati repugnant, & ideò actus praecepti ordinantur ad charitatem, vt materia necessaria per charitatem formabilis, & ideò necessaria & ad integritatem substantialem perfectionis, & ad consistentiam charitatis. Sed consilia ordinantur ad tollenda illa impedimenta, quae charitati non repugnant, licet tollere illa sit vtilius ad charitatem, ideò consilia sunt instrumenta perfectionis, non verò sunt de eius substantia.

84 Etiam ex collat. 1. Abbatis Moysis cap. 7. D. Thom. iterum duo concludit, scilicet quod consilia non sunt perfectio, sed sunt instrumenta necessaria ad perfectionem. Quod qualiter verum sit, inuestigandum remanet.

Vtrum consilia sint necessaria ad acquirendam perfectionem?

85 Ex doctrina enim huius articuli & conclusione praedicta concludit primò *Suarez cap. 10. num. 3.* Christianam perfectionem sine obseruantia consiliorum praeter praecepta non acquiri, & hoc probat primò, ex illo *Matt. 19. Si vis perfectus esse vade vende omnia, quae habes, & veni sequere me*, Et ex illo 1. *Cor. 7. vbi Apost.* impedimenta matrimonij enumerat, & consilium continentiae donat. Sed vt hoc idem ratione probet addit aliud satis dubium, & disputandum.

An perfectio Christianae vitae praeter obseruantiam praeceptorum aliquid perfectionis addat vltra id, quod est necessarium ad salutem?

86 Affirmat enim hoc *Suarez* tam ibi quàm c. 11. Et probatur primò quia Christus loco citato *Matt. 19.* Primò inquit: *si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Assignans per hoc id, quod est ad salutem necessarium, & postea subdit: *si vis perfectus esse &c.* ergo clarè docet, perfectionem addere aliquid ad necessaria ad salutem, hoc verò in obseruantia consiliorum consistit. Secundò *Lucae 17.* dicitur. *Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus.* Iuxta enim probabilem expositionem, seruus qui tantùm mandata seruat dicitur inutilis, quia nihil peculiaris beneuolentiae supra necessaria obsequia praestat. Sic enim & qui Dei mandata obseruat, si aliquod opus consilij, & supererogationis non reddit Deo, imperfectus est, & inutilis. Vt verò huiusmodi quaestiones clariùs solui possint, vnum aliud quaeritur.

An possit dari opus, quod in indiuiduo sit opus consilij?

87 Videtur enim tale opus non dari. Nam vel opus in indiuiduo cognoscitur vt bonum, vel vt minus bonum, vel vt aequale bono, vel vt melius. In prioribus quatuor casibus locū non habet consiliū, quod est de bono meliori, sed in 4. casu iam intrat lex obligans in indiuiduo ad melius saltem si cognitum fuerit.& sit tale in indiuiduo omnibus pensatis. Itaque licet non teneatur homo eligere id, quod est melius ex genere, tamen consilium locum habere non potest, quia electio minus boni non est opus consilij, electio verò melioris boni in indiuiduo est opus illius praecepti seu legis, quae nos obligat ad melius in indiuiduo. Et ita priores duae quaestiones, videntur supponere falsum, scilicet, quod in indiuiduo possit addi aliquid boni ad obseruantiam praeceptorum.

88 Respondetur igitur primò ad hanc tertiam quaestionem, quòd actus in indiuiduo dupliciter potest esse melior, vel scilicet materialiter, vel formaliter. Primo modo actus est melior, qui est de obiecto meliori ex genere, vel etiam ex alijs circūstantijs distinctis à circumstantia finis, qui est materia & obiectum charitatis. Sed ille actus est melior formaliter & simpliciter, qui est ex maiori charitate. Nam charitas forma est omnium virtutum.

89 Hac supposita distinctione primò dicitur, saepissimè contingere posse, & de facto contingere, vt ex agendis nullum sit melius simpliciter, saluo finis honesti amore, vt quòd transiturus mare eligat magis hanc nauim, quam aliam. Et licet verum sit, quòd docet *D. Thom. p. 2. q. 13. art. 6. ad tertiū*, quia nimirum, vt homo eligat vnum prae alio, ratio inuenit in vno aliquid boni, quo praeponderat alteri, tamen in ordine ad finem honestum, & ad perfectionem charitatis saepissimè huiusmodi inaequalitates bonitatis transcendentalis nihil prudenter plùs aestimabile conferunt, sed in iusti. & diligentis Deum optione manet, vt ex pluribus huiusmodi medijs eligat, quod voluerit. Et secundò additur, nullam dari legem obligantem ad eligendum melius ex genere, vt supra etiam dictum est, & vlteriùs ex eligendis in ordine ad finem charitatis quamplurima esse ex suo genere indifferentia & nec bona aut mala moraliter. Quamuis verò spectato obiecto & circumstantijs alijs à circumstantia finis possit omnibus pensatis dari inaequalitas prudenter multum aestimabilis, & tunc eligere tale medium in indiuiduo non erit consilium, sed praeceptum, sed haec obligatio est ex virtute charitatis, quae nos obligat ad bene & melius inseruiendum Deo quantum possumus.

mus, Et adhuc vt supra dicebamus additur sæpissimè accidere, quod ad fine charitatis inæqualitas bonitatis, quæ ex obiecto & alijs circumstantijs desumitur non sit prudenter æstimabilis.

90 Dicitur igitur ad quæstionem, dari posse res, & opera, quæ in indiuiduo omnibus pensatis sint in optione hominis posita, saluo ordine charitatis, & quæ propterea sint consilia, & non præcepta, manente hac obligatione in homine, vt quodcumque illorum elegerit, eligat ex maiori charitate qua potest.

91 Ad secundam verò quæstionem respondetur, in memoriam habendo distinctionem consiliorũ supra datam ex D.Th. in consilia simpliciter, & secundùm quid. Nam consilia simpliciter dicta, sunt actus, qui ex suo genere sunt indifferentes, & solùm analogicè sunt boni, quatenus sunt vtiliores ad tollenda impedimenta charitatis, quæ talia sunt, quòd charitati non repugnant. Continere enim etiam ab vxore v. g. non est virtus ex obiecto, quia habere vxorem non est malum, & sic continere ab vxore nec est bonum ex genere nec malum, licet sit bonum, & melius, quia vtilius, quoniam continere ab vxore non habet occupationem, quæ potest impedire charitatem, licet charitati non repugnet. Consilia verò secundùm quid sunt actus virtutum, qui sunt boni ex genere, & conferunt per se ad perfectionem, licet non simpliciter, sed secundùm quid, vt dictum est *quæst.* 184. *a.* 1. *ad* 2. Nihilominùs considerandum est, quòd huiusmodi non cadunt sub consilio formaliter quatenus sunt actus virtutis, quia homo tenetur semper agere, ex virtute, & nunquam impedimentum afferre vel charitati vel feruori charitatis, scilicet numquam vel mortaliter vel venialiter peccare. Ideo virtutes non cadunt sub cõsilio quatenus tales. Et in optione hominis est non hoc quòd est agere ex virtute, sed hoc quod est agere ex hac vel illa virtute, tunc cum vel nullius virtutis particularis præceptum vrget, vel liberum est agere cum aliqua circumstantia nõ necessaria, vt agere plusquàm homo debeat, vt si tenetur ex misericordia dare vnam, det sex.

92 Dicitur igitur primò, perfectionem consistere essentialiter, & taliter in sola obseruantia præceptorum, vt qui hanc habet simpliciter dicatur perfectus. Probat hoc centies *Sanctus David in Ps.* 118. Nam & statim ab initio inquit. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum.* Clarè docens, hoc esse diligere Deum ex toto corde, & esse perfectum, & beatum, quod est scrutando mandata ambulare in lege Dei. Et ideo hanc beatitudinem exoptans subdit. *Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas. Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.* Et in eodem sensu per totum Psalmum loquitur, legis obseruantiam & commendans, & desiderans, & in ea totam beatitudinem collocans. Nec quia perfectio Christianæ vitæ simpliciter dicta distinguitur à perfectione communi & simpliciter necessaria, sequitur, quòd ad integritatem perfectionis sit necessarium aliquod opus, quod dicunt supererogationis. Nam obseruantia præceptorum alia est extremæ necessitatis quæ peccata mortalia excludit, & hæc est illa, quæ constituit communem perfectionem Christianæ vitæ. Alia verò est obseruantia, quæ quantùm est possibile infirmitati humanæ, excludit etiam peccata venialia, & hæc est illa vnica & sola in qua consistit formaliter perfectio Christianæ vitæ magis propriè, & simpliciter dicta. Ille enim simpliciter perfectus est, qui Deum quantùm infirmitas humana patitur, non offendit nec per peccata minima.

93 Dicitur verò secundò non posse simpliciter dici, quòd perfectio consistat in obseruantia consiliorum, sed dici debet, quòd obseruantia consiliorum est instrumentum ad perfectionem, vel etiam aliquo modo fructus perfectionis, & aliquale accidentale ornamentum perfectionis. Prima pars huius asserti ex priori asserto deducitur, si enim perfectio simpliciter consistit in sola obseruantia perfecta mandatorum, iam ad perfectionem non pertinent consilia formaliter, tanquam partes perfectionem integrantes. Hoc verò magis explicatur considerando, quòd nomine consilij vel intelligimus actum indifferentem, sed vtilem ad obseruantiam mandatorum, vel actum aliarum virtutum qui non sit de præcepto, seu etiam meliorem, quàm sit de præcepto, vel actum charitatis seu actus virtutum ex meliori charitate informatos, quàm sit simpliciter necessariũ. Hoc tertio modo. iã supra probatum est quòd opus hoc modo bonũ vel melius non est de consilio, quia est præceptum saltem vt finis, & lex charitatis obligat sine mensura. Sed loquendo de consilio propriè, nullum tale opus per se pertinere potest formaliter tanquam forma perficiens, seu tanquam pars formalis, & intrinseca perfectioni; quia hæc integratur ex obseruantia mandatorum, vel formaliter augetur ex operibus vi meliori charitate formatis. Aliarum verò virtutũ augmentũ se habet ad perfectionẽ materialiter, et secundum quid, et accidẽtaliter. Secunda verò pars asserti patet. Nam in hoc consistit consiliorum bonitas, & perfectio, quòd est esse instrumenta & media apta ad remouenda impedimenta perfectionis, & charitatis, vt in textu dicitur & abundè probat *D. Th. opusc.* 17. *cap.* 6.

94 Tertia etiam pars explicatur, quæ vera est secundùm quid, & respectu actuum virtutum, qui sunt consilia secundùm quid. Nam cum consilia quæ sunt talia simpliciter & ex genere, non sint actus boni, nisi quia instrumenta vtilia ad perfectionem, illorum obseruantia per se, & ex se nullam formalem perfectionem tribuit vel substantialem, aut simpliciter, vel extraneam & accidentaliter aduenientem, sed sunt mera instrumenta ad perfectionem obtinendam. Actus verò virtutum considerantur vel vt vtiles ad remouendum impedimenta charitatis, & sic non sunt formaliter nisi instrumenta perfectionis, vel vt sunt in se actus boni & hoc modo dupliciter accipiuntur, vel vt formaliter excludunt peccatum, & sic sunt intrinseci perfectioni, sed non sunt de consilio, sed de præcepto, vel vt non excludunt formaliter peccatum, & possent sine peccato relinqui, & sic non augent perfectionem nisi materialiter, & secundùm, quid, & accidentaliter. Materialiter quidem, quia forma perfectionis ex charitate desumitur; accidentaliter verò quia perfectioni per se conuenit virtus, vt virtus, accidit verò illi actus huius, vel illius virtutis, & dummodo homo agat ex virtute per charitatem, parum interest, quòd hoc vel illud operetur

tur, & hoc perfectioni accidentale est, secundùm quid autem; quia aliarum virtutum perfectio est perfectio secundùm quid, vt dictum est supra a.1, ad 2.

95 Nec vtiliter adducitur hic doctrina illa *D.Thom.p.p.quæst.5.a.1.ad 1.& quæst.6.a.3.* Docentis, perfectionem entis simpliciter non consistere in essentia, sed compleri per accidentia; quia vt supra *quæst.14.a.1.ad 2.ex D.Th.* adnotatum est, hoc est verum de accidentibus per se, non verò de illis quæ extrinsecus rei aduenjunt. At verò actus aliarum virtutum à charitate, vt non sunt de præcepto, sed de consilio assimilantur accidentibus extrinsecis, vt ibi dictum est. Nam huiusmodi actus vt sunt de consilio sunt quidem vtilia instrumenta ad perfectionem, & illi decorem afferunt, sed qui non est de integritate perfectionis, & sine quo perfectio est per se integra, & perfecta. Nam semper aduertendum est, quòd vbi actus virtutis alicuius sit necessarius ad perfectionem, quia nimirum sit necessarius vel ad substantiam, vel ad augmentum charitatis & eius feruorem, semper talis actus est de præcepto. Et tunc solùm est de consilio, cum talis actus posset sine aliquo peccato, ideoque sine aliqua vel minima diminutione perfectionis, & charitatis omitti, Vnde tunc eius bonitas accidentaliter se habet ad perfectionem, & sine eius nocumento potest adesse, & abesse.

96 Ad primum in oppositum respondet *D.Th. hic ad primum*. Quod illud in quo consistit perfectio de qua loquitur Christus non est illud consilium *vade vende*, sed illud, *& sequere me*, ad quod venditio omnium ordinatur vt via ad terminum, & quòd consistit in obseruantia præcepti charitatis perfectiori, quàm sit illa, quæ est simpliciter necessaria ad salutem obtinendam, & sic ex eo loco non habetur, nisi quòd paupertas est optimum medium ad sequendum Christum per obseruantiam perfectam mandatorum. Equiuocat ergo valde argumentum, & valde fallacem consequentiam infert, dum ex eo quòd perfectio addit ad id, quod est simpliciter necessarium ad salutem, infert, quod hoc additum sit obseruantia consiliorum. Nam est perfectior obseruantia mandatorum quam sit illa, quæ est simpliciter necessaria ad salutem, obseruantia verò consiliorum vel est medium ad talem perfectionem, vel se habet ad illam materialiter, & accidentaliter & licet perfecta obseruantia mandatorum, prout excludit etiam minima peccata sit duplex: Nam alia est veluti essentialis, quæ præcisè excludit etiam minima peccata. Alia verò est veluti accidentalis, quæ in infinitum est variabilis, quia scilicet in infinitum meliori ac meliori modo, & ex perfectiori ac perfectiori charitate peccata excludit; tamen nulla harum perfectionum est de consilio, cum, vt probatum est, charitatis augmentum non sit de consilio, sed de præcepto.

97 Et hoc eò magis probatur, quia in Christo hæc perfectio consilij non fuit, nec fuit possibilis, nec est in sanctis & perfectis viris Dei voluntatem cognoscentibus, quatenus non agunt nisi prius perspecta Dei voluntate, sicuti semper faciebat Christus, & ideo Christus quidquid egit & aget totum agit ex aliquo præcepto, quia dato quod omnia opera eius directè & primò non fuerint præcepta, ex eo tamen quòd a Deo in executione sunt volita, & Christus hoc scit & intuitu huius operatur, vt scilicet faciat voluntatem Patris, cui conformari est debitum saltem ex honestate, & virtute, ideo Christus quidquid agit, ex necessitate alicuius præcepti agit, & in singulis obedit Patri, & ideo perfectissimus est. Vnde obseruantia consiliorum in nobis est instrumentum perfectionis, & solùm per accidens ad perfectionem pertinet, inquantùm qui operatur, voluntatem Dei de suo opere ignorat. Perfecta ergo charitas est formaliter ex eo, quòd fructificat obseruantiam mandatorum, & perfecta esset etiam si nullius consilij obseruantiam fructificaret; licet & hanc fructificando perfectionem quandam & decorem accidentalem gratia materiæ obtineat.

98 Ex his verò deducitur primò quòd hæc propositio *Suarez ibid. num.3.* scilicet. Perfectio vlteriùs aliquid perfectionis addit vltra id, quod est simpliciter necessarium ad salutem, ergo maximè addit consiliorum obseruationem, non est vera per se, & formaliter loquendo. Nam dato antecedenti eius consequentia est fallax, Quia consiliorum obseruantia vel non dicit ex suo genere perfectionem virtutis, sed importat puram vtilitatem ad virtutem, vt patet de consilijs virginitatis, & paupertatis, vel non importat perfectionem quæ sit formalis & intrinseca perfectioni. Nam actus virtutum vt dictum est, vt sunt formæ excludentes peccatum, sunt intrinseci perfectioni, quæ in exclusione peccati consistit, sed hoc modo actus virtutum non sunt de consilio sed de præcepto, scilicet de lege obligante etiam ad minima peccata vitanda. Et solum de consilio esse possunt, vt sunt actus huius, vel illius virtutis, quando illarum virtutum præceptum non vrget, hoc verò accidit perfectioni, quòd hoc, vel illud homo operetur, seu etiam quòd operetur id, quod est melius ex genere: immò nec perfectionis est semper operari quod est melius ex genere in alijs virtutibus à charitate, Illud verò perfectionis, quod addit perfectio vltra id, quod est simpliciter necessarium ad salutem non accidit perfectioni, sed illi per se conuenit, Et vlteriùs secundo tota hæc perfectio non est ex additione propriè loquendo, Quia quod est intrinsecum & essentiale sub disiunctione non potest dici additum, cum pertineat ad intrinsecam constitutionem rei. Modò opera virtutum etiam vt talia, sunt intrinseca perfectioni, licet solùm sub disiunctione; non potest igitur eorum perfectio dici addita, quia hoc modo accipiendo consilia sunt materia perfectionis sub disiunctione necessaria. Et tertio quod magis est, huiusmodi consilia sunt intrinseca etiã illi perfectioni, quã *Suarez* vocat essentialem, & quæ est omnino simpliciter necessaria ad salutem; Nam nec vitamus peccata mortalia nisi per exercitium virtutum, Et benè contingit quòd peccatum mortale vitetur per exercitium huius vel alterius virtutis sub disiunctione, & ex libera hominis optione. Vt, quis fugat cogitationem turpem vel per orationem, vel per studium, vel per occupationem ad aliquod aliud opus. Et sic consiliorum obseruantia est etiam necessaria ad perfectionem illam quæ est simpliciter necessaria ad salutem. Et ita si loquimur de consilio vt importat actum virtutis, obseruantia consilij non est ex additione ad perfectionem, sed est illi intrinseca & ne-

necessaria. Et solum est discrimen, quòd perfectio simpliciter necessaria quia non importat nisi exclusionem peccati mortalis, non claudit obseruantiam consiliorum, nisi necessariam ad vitanda peccata mortalia. Sed perfectio magis propriè dicta, quia excludit etiam peccatum veniale, ideo claudit perfectiorem obseruantiam præceptorum, quæ non est illi ex additione, sed est illi intrinseca, & de substantiali integritate eius. Et sic propriè dici debet, quòd ad essentialem, & simpliciter necessariam perfectionem perfectio vberior addit perfectiorem obseruantiam mandatorum, quamuis hæc non habeatur nisi media perfectiori obseruantia consiliorum. Non quòd hæc obseruantia sit de integritate perfectionis, sed quia est instrumentum illam consequendi, aut augendi.

99 Hinc quoque deducitur, quòd illa alia propositio *Suarez ibid. nu.4.* scilicet. Nisi quis aliquid boni non præcepti faciat, vel saltem meliori modo quàm præceptum est, faciat, non poterit aliquam perfectionem charitatis præter essentialem obtinere. Primò affirmat vt proprium perfectionis singularis, id, quod est commune omni perfectioni etiam simpliciter necessariæ. Cum enim præcepta non obligent pro semper, ideo obseruantia vaga consiliorum est simpliciter necessaria ad vitandum etiam peccatum mortale, quia vt illud vitemus aliquid facere debemus, & tamen non est semper præceptum vt hoc, vel illud faciamus, sed hoc in nostra est optione. Secundò propositio illa vera est, non quia obseruantia consiliorum sit ex additione ad perfectionem, sed quia cum proportione est instrumentum, & medium ad perfectionem obtinendam. Tertiò operari virtutem perfectiori modo, si modus perfectior sit, quia ex perfectiori charitate, auget perfectionem, sed non est hoc consilij sed præcepti, sed si modus sit ex aliarum virtutum perfectione poterit esse vtilis ad perfectionem, sed non facit hominem perfectiorem nisi materialiter, & secundùm quid, aut accidentaliter.

100 Ad secundum dicitur quòd intelligentia illius loci *Lucæ* 17. Est, quòd serui inutiles sumus, quia ex nobis nihil boni facere possumus quòd ex aliquo titulo Deo non debeamus. Sed quod homo perfectè obseruans Dei legem, & minima etiam peccata vitans, dicatur seruus inutilis, quia nihil agit non debitum ex aliqua lege, non est admittendum, nec est ab intrinseco probabile. Quod eo ampliùs est verum, quòd simpliciter loquendo & formaliter nihil homo potest agere non debitum, & ex consilio; Quia semper homo tenetur agere ex virtute, & solùm ex arbitrio potest operari potius opus huius virtutis quàm alterius, quod est esse liberum à necessitate præcepti secundùm quid, & materialiter, & Deo potest reddere non debitum ex præcepto hoc vel illud materiale opus, cum teneatur semper agere ex charitate, vel vt alij dicunt ex honestate. Vnde multò magis apparet, quòd obseruantia consiliorum accidentaliter se habeat ad perfectionem, quia hoc saluo quòd homo agat ex honestate, seu ex charitate aliqua, quod non est consilium, sed præceptum, accidentaliter se habet & materialiter ad perfectionem, quòd homo circa hanc vel illam materiam operetur. Nam & in excessu virtutum considerandum est, quòd & illud plus, vt est ex honestate est præceptum, & solum materiale remanet non præceptum & sub consilio. Obseruantia ergo consiliorum solùm perfectionem accidentalem, materialem, & secundùm quid addit ad obseruantiam mandatorum, ideo per se non pertinet ad integritatem perfectionis nisi quia est instrumentum perfectionis obtinendæ, conseruandæ, & augendæ.

101 Ad primam quæstionem ex dictis Respondetur, obseruantiam consiliorum esse quidem vtilem ad perfectionem, seu necessariam ad bene esse, non verò esse necessariam simpliciter propriè loquendo. Nam immò ex quo obseruantia aliqua dicatur necessaria ad perfectionem, iam illa est de præcepto non de consilio; Quia sub præcepto cadit, quod est necessarium ad obseruantiam præcepti, perfectiò verò consistit in exacta obseruantia præceptorum, ideo sub præcepto cadit quidquid est necessarium ad perfectionem. Dicitur igitur quòd obseruantia consiliorum vagè & in communi sumpta est necessaria ad perfectionem, sed hoc modo ipsa eadem obseruantia est de præcepto. Quia cum sine virtutum vel etiam siue vsu operum indifferentium non possit perfectio vel acquiri, vel conseruari, ea ratione qua homo tenetur perfectionem procurare, tenetur etiam vti aliquo ex medijs ad id necessarijs. Sed obseruantia consiliorum determinatè, quæ propriè est opus consilij & non præcepti, est vtilis, sed non est ad perfectionem necessaria. Quia non interest vtrùm perfectio obtineatur per hoc, vel illud medium, seu per hoc, vel illud opus consilij. Et hoc ampliùs declaratur. Nam quæ sunt consilia simpliciter & præcipuè tria illa maxima, scilicet continentiæ, paupertatis, & obedientiæ euidens est non esse necessaria ad perfectionem, cum tot vxorati, Diuites, & Reges in Ecclesia perfecti fuerint, & Sancti. Consilia verò secundùm quid, scilicet opera virtutum, vel sunt de præcepto, quatenus necessaria sunt ad excludendum peccatum, vel ad perfectionem se habent materialiter, & accidentaliter, quàmuis valde vtiliter. In quo sæpe opera minùs perfecta superant perfectiora secundùm quod magis valent ad tollenda impedimenta charitatis, quæ v.g. in ordine ad continentiam magis tollit virtus temperantiæ moderando passionem concupiscentiæ, quàm faciat aliquis actus religionis vel fidei, vnde plures peccant ex intemperantia, eò quòd passio concupiscentiæ sit maximum obstaculum ad charitatem.

102 Ad argumenta in oppositum dicitur, quòd probant vtilitatem, non verò necessitatem, cum etiam in lege Euangelica multi, qui sua non vendiderunt, sed illa possederunt, & multi coniugati fuerunt, & sint perfecti & Sancti.

103 In responsione ad primum argumentum. Ex verbis Christi probat D. Th. paupertatem non esse perfectionem, sed viam ad perfectionem, quæ consistit in hoc, quòd sequimur Christum, vt ex Hier. & Ambros. habetur. Sequimur autem Christum per mentis affectum, nimirum per opera charitatis. Quod dicitur, non quia solus actus à charitate elicitus sit motus per quem mouemur in Deum; Nam & credendo in Deum, in Deum mouemur, inquantùm ex charitate credimus, vt habetur supra *quæst.2.a.2.c.* Ideo sequela Christi consistit in actibus vel a charitate elicitis, vel ex charita-

ritate imperatis, seu charitate formatis, & io hac sequela consistit perfectio, Vendere autem omnia, quod spectat ad paupertatem, & ad consilium, via est, & dispositio, & medium, aut instrumentum adiuuans ad sequendum Christum, in qua sequela perfectio est reposita.

104 IN RESP. AD SECVNDVM primò affirmatur, quòd perfectio charitatis, quæ est propria beatorum præcipitur nobis. Quod ex *Caiet.* supra explicatum est de præcepto per modum finis. Sed quoniam perfectio diuinæ dilectionis quadrupliciter considerari potest, vel scilicet vt est etiam viatoribus necessaria & non excludit nisi peccata mortalia, & vt excludit etiam peccata venialia non omnino, sed quantùm in via patitur humana infirmitas, tertiò vt excludit etiam omnino peccata venialia, quæ est perfectio beatorum, & quartò potest accipi perfectio charitatis secùndum modum prout dicit exclusionem peccatorum ex maiori excellentia charitatis, non est apud omnes certum, id quod asserit D. Th. hic, scilicet *quòd perfectio diuinæ dilectionis vniuersaliter quidem cadit sub præcepto*, etiā loquendo de præcepto per modum finis.

105 Ideo ad huius responsionis explicationem duo videnda sunt, primum est qualiter perfectio diuinæ dilectionis cadat sub præcepto. Quamuis enim hoc probatum sit in explicatione corporis articuli, adhuc magis indiget explicari. Secundum quomodo stando, quòd perfectio dilectionis Dei sit sub præcepto, nihilominùs non sit transgressor præcepti, & reus culpæ, qui hanc perfectionem non obtinet; quod est secundum, quod D. Th. affirmat. Quantùm autem ad primum, vt explicetur qualiter perfectio dilectionis Dei, quæ maximè per obseruantiam consiliorum acquiritur, cadat sub præcepto charitatis, immò & aliarum virtutum. Quæritur.

An in præceptis, & maximè in præcepto charitatis contineatur perfectio consiliorum, saltem per modum finis?

106 TRactat hanc *quæst. Suarez loc. citat. cap. 1 r. nu. 15.* Et respondet perfectionem supererogationis non solùm non præcipi vt materiam in quam obligatio præcepti cadat, verùm etiam nec per modum finis in præceptis contineri. Vt autem ex eo habetur *ibid. & etiam num. 5.* Perfectio supererogationis est perfectio consiliorum, seu quæ per consiliorum obseruantiam obtinetur in via. Et ratio est, quia præcepta non dantur propter huiusmodi perfectionem, nec per se ad illam tendunt. Et S. Aug. & D. Th. loquuntur de perfectione Patriæ, quæ est communis & veluti substantialis statui beatifico, non verò de perfectione supererogationis in via obtinenda, vel de vlteriori perfectione, quàm sit illa, quæ excedit perfectionem communem patriæ.

107 In oppositum verò est, quòd SS. Aug. & Thomas vniuersaliter loquuntur & sine aliqua limitatione, vt patet ex verbis D. Thom. supra relatis.

108 Respondetur, quod opinio præfata in multis deficit. Et quidem primò vel supponit non verum, scilicet dari perfectionem supererogationis, seu quæ sit perfectio consiliorum, contradistincta à perfectione præceptorum, vel manifestè falsum asserit, hanc perfectionem non cadere sub præcepto, etiam vt materiam præcepti. Nam vel intenditur quòd obseruantia consiliorum sit perfectio, vel pars perfectionis. Et sic non verum supponitur, quoniam obseruantia consiliorum ex suo genere non est actus virtutis vniuersaliter loquēdo; quia immò, vt supra probatum est, consilia, quæ simpliciter sunt consilia consistunt in operibus ex eorum specie indifferentibus, & bonitatem non habent, nisi quatenus ordinantur vt media vtilia ad virtutes, & præcipuè ad perfectionem charitatis. Et quatenus per consilium intelligimus etiam actum virtutis, vt non præceptum, cum actus virtutis vt est actus virtutis sit præceptus, quia tenemur dum non sumus impediti semper agere ex virtute, vnde solus actus virtutis vt talis actus potest esse materia consilij, & actus virtutum aliarum à charitate quatenus tales sunt materialiter, & accidentaliter se habeant ad perfectionem, quæ formaliter essentialiter consistit in exercitio virtutis, sequitur quòd obseruantia consiliorum formaliter non sit perfectio nisi aliquando, & in parte materialiter, & accidentaliter, quàmuis ipsa per se, & formaliter sit medium vtile ad perfectionem.

109 Obseruantia igitur consiliorum per se, & secundùm se, nec est vniuersaliter opus moraliter bonum, vnde nec est perfectio vitæ Christianæ. Et quatenus inter consilia numerantur actus virtutum, qui non sunt de præcepto, Primò nullus ex huiusmodi actibus se solo per se, & ex se est bonus formaliter, quia sola charitas est forma bonitatis moralis, & omnium virtutum. Aliæ autem virtutes præbent bonitatem, quæ est materia formabilis per charitatem. Et adhuc huiusmodi actus prout sunt de consilio, perfectioni Christianæ vitæ accidunt, quæ per se in hoc consistit, quòd homo ex charitate virtuosè viuat, siue hoc faciat dando eleemosynam, siue orando, siue docendo ignorantes, siue quodcumque aliud opus virtutis exercendo, dummodo cum virtutum præcepta vrgent, præcepta obseruet. Sed si nomine perfectionis consiliorum, vel supererogationis intelligitur perfectio ad quam consilia ordinantur, & quæ per eorum exercitium eis veluti instrumentis mediantibus acquiritur, iam falsum est, quòd hæc perfectio non sit materia præcepti, cum hæc perfectio consistat in exercitio virtutis vt excludente peccatum etiam veniale. Est autem fide certum nos aliquomodo teneri, ex vi diuinæ legis ad vitandum etiam peccata venialia. Et sic quidquid sit an actus consiliorum sint actus supererogationis, cum in ipsis non consistat perfectio, sed in exercitio virtutis vt excludente etiam minima peccata, quod exercitium est aliqualis materia præcepti, falsum est, quòd perfectio consilij non sit materia præcepti.

110 Sed alia etiam pars eiusdem opinionis falsa conspicitur. Etenim perfectio omnis super infimam, quæ est necessitatis simpliciter, & consistit in exercitio charitatis vt excludente peccatum mortale, consideratur dupliciter, vel scilicet vt est

H maior

maior perfectio veluti extensiuè, quia extenditur ad exclusionem etiam peccatorum venialium, vel vt est maior veluti intensiuè, & consistit in exclusione peccatorum eorundem ex meliori, & excellentiori charitate. Priorem perfectionem certum est nobis esse præceptam per modum finis, vnusquisque enim ad hoc tenetur tendere vt Deum nullo modo offendat, & velle aliquo modo Deum offendere est peccatum. Hic igitur scopus in quem vnusquisque tendere debet, vt Deum non offendat. Ideo nedum perfectio patriæ, quæ omnino excludit peccatum veniale, sed perfectio viæ, quæ excludit peccata venialia quantum infirmitas viæ patitur, verè est finis præcepti. Et in hoc sensu dictum est ab Apos. Rom. 13. *Finis ergo legis est dilectio.* Omne enim præceptum virtutis, ad hoc ordinatur, vt creatura rationalis ex charitate operetur, & Deo per amorem adhæreat. Sed & de secunda perfectione intensiua hoc idem probatur, quia cum Deus sit infinitate intensiuæ perfectionis diligibilis, quòd quis non impeditus, immò expeditus ad intensiorem dilectionem nolit Deum intensiùs diligere non est hoc rationi rectæ conforme, sed lex virtutum & charitatis nos obligat, vt saltem in animi præparatione Deum sine mensuræ limitatione diligamus, & pro posse Deum ex toto corde & anima, & virtute amemus, non ad libitum & optionem nostram quantùm volumus, sed tantùm quantùm possumus. Itaque Deus non est secundùm mensuram diligibilis; igitur non est in optione nostra diligere Deum cum mensura, sed ex lege tenemur intendere omnem modum perfectionis nobis possibilem. Et sic vniuersalissimè verum est, quòd perfectio charitatis cadit sub præcepto & vel vt materia præcepta, vel vt finis præcepti. Quod docuit *D. Th. etiam opus. 17. cap. 6.* dicens. *Sic igitur præceptum dilectionis Dei, quod est vltimus finis Christianæ vitæ, nullis terminis coarctatur, vt possit dici, quòd tanta dilectio Dei cadat sub præcepto, maior autem dilectio limites præcepti excedens sub consilio cadat: sed vnicuique præcipitur, vt Deum diligat, quantum potest, quod ex ipsa forma præcepti apparet, cum dicitur. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Et ita in hac parte D. Thomam secuti sunt *D. Anton. 3. p. tit. 16. capit. 1. Caiet. ad hunc artic. Valentia disp. 10 quæst. 2. puncto 1.*

Vtrum deficere à perfectione charitatis sit peccatum?

111 SEcundum, quod docet D. Th. in responsione ad tertium est, quòd non obstante quòd perfectio charitatis sit sub præcepto, nihilominùs transgressor præcepti non est, qui non attingit vel ad perfectionem charitatis patriæ, vel ad gradus medios, qui possunt haberi etiam a viatore. Hoc autem difficultatem habet, quia transgressor præcepti est, qui præceptum non obseruat, at verò qui non attingit omnem perfectionis gradum possibilem, si perfectio secundùm omnem gradum cadit sub præcepto, non obseruat præceptum; igitur est transgressor præcepti.

112 Supposita distinctione eius quod præcipitur vt finis, & eius quod præcipitur vt medium ad finem; respondet *Caiet. cui consentit Valentia tom. 3. disp. 10. quæst. 2. p. 1.* Quòd perfectio charitatis præcipitur vt finis, quod verò præcipitur vt finis, non præcipitur vt semper exequendum, seu habendum, sed vt exequendum, & habendum tempore suo, nimirum in fine, & termino viæ, & ideo sufficit, quòd homines in patria attingant perfectionem charitatis, ad hoc vt non sint transgressores præcepti obligantis nos ad perfectionem charitatis.

113 Hæc verò doctrina est vera, sed non soluit adæquatè difficultatem, quia dantur gradus perfectionis charitatis ad quos multi beati non attingunt; igitur vel non omnes gradus perfectionis charitatis cadunt sub præcepto, vel non ostenditur quomodo non sint transgressores beati, qui non attingunt in patria gradum charitatis Christi, & qui in via non attingunt gradum charitatis sanctorum.

114 Respondetur igitur & primò distinguitur perfectio charitatis in extēsione, & intensione. Quāuis enim charitatis excessus in extensione in perfectione intensiua eiusdem fundetur, nihilominùs supposita perfectione charitatis in extensione, adhuc charitas perfectissimè extensa, potest in infinitum intendi. Nam extensio ista de qua loquimur attenditur in ordine ad exclusionem peccati, & ita vt talis ac tanta sit, quòd excludat nedum peccata mortalia, sed etiam venialia omnia. Sic enim charitas est perfecta extensiuè si talis est, vt omne omnino peccatum excludat, & talis est charitas cuiuscumque beati. Sed hac supposita perfectione charitas habet adhuc latitudinem infinitam in intensione; secundùm quam inter beatos datur inæqualitas, & vnus alio intensiori charitate Deum diligit.

115 Alia quoque distinctio præmittitur quam tradit D. Th. hic ad tertium, Nam charitatis ista perfectio tam extensiuè, quàm intensiuè sumpta duplex est, alia scilicet substantialis, alia accidentalis. Et in hoc discrimen est inter viam, & patriam. Nam charitatis perfectio substantialis est illa sine qua charitas non est. Et hæc in via est charitas vt excludens omnia peccata mortalia, quod cuicumque charitati conuenit quantumuis minimæ, quia minima charitas, vt docet D. Th. 3. p. q. 62. 6. 3. diligit Deum super omnia, eique vel minimum peccatum mortale repugnat. Sed charitas substantialiter perfecta perfectione patriæ est charitas excludens omnino peccata omnia etiam venialia, sine enim tali charitate non esset homo beatus. Sed aliàs perfectio omnis purè intensiua accidentalis est tam sanctitati viæ, quàm sanctitati patriæ. Et rursus perfectio extensionis ad excludenda etiam peccata venialia accidentalis est perfectioni, & sanctitati viæ. Quia viator simpliciter iustus est, qui viuit sine peccato mortali, & tali debetur beatitudo, & si sine mortali peccato moritur, eidem beatitudo certò redditur: Et propterea perfectio charitatis extensiua ad exclusionem peccatorum venialium magis ac magis dicitur veluti accidentalis perfectioni viæ, quia sine tali extensione viator est iustus simpliciter, immò in hoc ordine rerum homines regulariter sunt huius perfectionis incapaces. Singularis enim conditio Christi Domini, & Matris eius priuilegium fuit, vt numquam peccauerint venialiter.

116 His suppositis dicitur primò, quòd perfectio substantialis charitatis præcipitur vt habeatur, vel semper vel in termino viæ. Nam perfectio charitatis extensa ad exclusionem cuiuscumque peccati mortalis præcipitur vt habenda semper à quocumque viatore, & perfectio charitatis talis quæ excludat etiam omnia peccata venialia præcipitur per modum finis, vt habenda in termino viæ. Ideo hanc perfectionem liberè non habere est verè peccatum mortale, & est transgredi legem charitatis, præcipientis vt diligamus Deum super omnia. Cum discrimine tamen, quia perfectionem charitatis prorsus essentialem, quæ ad minùs excludat omnia peccata mortalia tenemur habere nunc etiam dum sumus in via, & eam non habere est peccatum habitualiter durans vsquequo homo per pœnitentiam Deo reconcilietur. Sed perfectionem substantialem patriæ non tenemur habere nūc, sed nunc tenemur non abijcere charitatem viæ, vt suo tempore habeamus charitatem patriæ, quam non habere post mortem & in termino viæ est verè speciale peccatum & transgressio præcepti charitatis durans in æternum in damnatis.

117 Dicitur secundò nullam dari legem, aut præceptum, immò nec esse dabile, per quod obligemur ad habendum exercitè perfectionem accidentalem charitatis, ideoque nullius legis esse transgressorem, qui actu exercitè talem perfectionem non habet. Probatur hæc assertio primò de perfectione purè intensiua. Nam quod non est certum, & firmum immò nec possibile, sed est in infinitum variabile non est nec esse potest obiectum legis, cuius est agenda determinare, & decernere; At verò intensiua perfectio charitatis non habet limitem certum, & determinatum, sed est in infinitos gradus variabilis, vnde nec summa eius perfectio est possibilis dari, non est igitur materia legis certa, & quæ cadere possit sub præcepto, vt habeatur. Nam habito quocumque gradu adhuc semper remanent alij infiniti gradus acquirendi. Non igitur datur neque est dabilis lex, quæ præcipiat haberi intensiuam perfectionem charitatis.

118 Secundò nam vniuersi perfectio inæqualitatem perfectionis postulat in rebus, vt docet D. Thom. Vnde & eo pulchrior est beatorum status, quo in illo varij sunt Angelorum, & beatorum chori, inter se inæquales quidem, sed miro ordine dispositi sub Christo capite, & magis ac minùs ad eius perfectionem accedentes; igitur nedum non data est lex quæ præciperet haberi omnem intensiuam perfectionem charitatis, quod est impossibile; sed nec data est, nec fuit conueniens dari legem quæ intra infinitam latitudinem intensionis charitatis vnum gradum intensionis determinaret, quem omnes attingerent, & attingendo æquales essent, sed conueniens fuit, vt data a Deo animæ Christi maxima quadam charitate in esse physico in quantitate sibi bene visa, relinqueret liberum alijs vt magis, & minùs ad tantam Christi perfectionem accederent, per merita viæ, & sic inter beatos ordo pulcherrimus videretur.

119 Hoc idem cum proportione dicitur de perfectione extensiua in viatoribus. Cum enim in hoc ordine rerum viatores non sint capaces charitatis omnia peccata venialia excludentis, conueniens fuit, vt Deus sic Ecclesiam disponeret, vt relinqueret hominibus liberam latitudinem inæqualiter attingendi latitudinem extensiuam charitatis, ipseque inæqualiter suæ gratiæ dona distribueret.

120 Dicitur tertiò non propterea perfectionem tam intensiuam, quàm extensiuam charitatis cadere sub consilio, sed dari legem de facto præcipientem, vt sine mensura, & limitatione ad perfectionem omnem charitatis tendamus, per quam legem licet non præcipiatur vt actu exercitè habeatur talis perfectio charitatis, præcipitur tamen, vt homo liberè non excludat, neque impediat charitatis augmentum vel in se ipso, vel in alio. Et in hoc est discrimen inter charitatem, & alias virtutes. Nam hoc præciso quòd charitati impedimentum non ponatur, homo sine peccato potest velle v. g. esse in tanta mensura misericors & non amplius, & ipse iuxta charitatis exigentiam mensuram aliarum virtutum decernit, sed non potest homo sine peccato velle Deum in hoc gradu amare, & non amplius, vt bene docuit *D. Th. loc. sup. citat. opusc.* 17. *c.* 6. Sed tenetur in præparatione animi velle Deum in infinitum semper ac semper perfectiùs amare, ideoque tenetur non ponere impedimentum augmento charitatis, vnde est quod feruorem charitatis impedire, peccatum veniale est, vt docet *D. Th. p.* 2. *quæst.* 71. *a.* 4. & 22. *quæst.* 24. *a.* 8. *ad* 2.

121 Dicitur vltimò, quòd præcepto charitatis omnino satisfacit, qui numquam peccat nec mortaliter, nec venialiter, aliàs cupiens, si possibile esset Deum infinitè amare, & amoris augmento non præstans impedimentum aliquod peccando, hoc enim faciendo charitas dum est in statu crescendi, crescit etiam in intensione, & homo facit quantum potest, vt Deum perfectè diligat.

122 Ex hoc colligitur, quòd propositio illa, quæ habetur apud *Suarez cap.* 11. *citato. num.* 5. Scilicet, quòd ex vi præceptorum non tenemur maiorem perfectionem in via consequi vel intendere, quia non tenemur illam procurare, aut non impedire si non est sua, quia ibidem disputat, & non resoluit, cuiuscumque sit est falsa prorsus, & reijcienda, pro ea parte in qua asserit, quòd talem perfectionem non tenemur intendere, aut non impedire; quia euidens est, quòd non operatur conformiter ad præceptum charitatis, sed præter illud, & aliquo modo contra illud, qui sciens, & volens impedit feruorem & perfectionem charitatis, nec potest dici quòd diligat Deum ex toto corde, & quantum potest, qui ex hoc perfectiùs Deum non diligit, quia non vult diligere.

123 AD TERTIVM, optimè distinguitur perfectio Christianæ vitæ, in substantialem, & communem, & in accidentalem, & specialem, seù melius in specificam, & indiuidualem. Sicuti in homine perfectio specifica inuenitur etiam in puero, immò in cæco, & claudo; sed perfectio indiuidualis importat augmentum hominis ad perfectam ætatem, ita in vita spiritali datur perfectio specifica & communis, & hæc est, quæ peccata mortalia excludit, & alia est indiuidualis, quæ importat perfectum modum essendi ipsius speciei sine quo licet esset species, esset tamen sine perfectione sibi connaturaliter debita, & conuenienti, & hæc perfectio consistit in augmento charitatis. Quæ potest dici perfectio consiliorum, quatenus ad eam

H 2 con-

consequendam vtilia sunt consilia, licet ipsa in se sit de præcepto modo supra exposito. Quæri autem hic potest,

An omnia consilia sint tantum instrumenta ad hanc indiuidualem perfectionem vel aliqua addant illi formaliter perfectionis cumulum.

114 HOc enim affirmat *Suarez d. cap. 11. n. 16.* Sed ex principio iam satis reiecto, scilicet, quod actus charitatis excellentia sit de consilio. Quare dicitur, quòd augmentum actualis charitatis formaliter auget perfectionem, & immò formaliter constituit perfectionem indiuidualem, quæ consistit formaliter in charitatis augmento, primo quidem extensiuo, quod scilicet extendatur ad venialia peccata vitanda, & postea etiam intensiuo. Sed hoc augmentum non est de consilio. Cæterùm actus aliarum virtutum, vt nō sunt de præcepto, seu vt non continentur, vt materia necessaria ad vitandum peccatum, & alij actus consiliorum non sunt nisi instrumenta perfectionis, simpliciter, & formaliter loquendo, vt supra probatum est. Solùmque actus virtutum ferunt aliquā perfectionem materialiter se habentem ad perfectionem Christianæ vitæ, illique accidentalem, vt satis supra est explicatum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum quicumque, est perfectus, sit in statu perfectionis?

[quodl. 1. a. 14. ad 2. & op. 18. c. 18 art. præc. ad p.] *AD quartum sic proceditur. Videtur, quod quicumque est perfectus, sit in statu perfectionis. Sicut enim per augmentum corporale peruenitur ad perfectionem corporalem, ita per augmentum spirituale, vt dictum est.* † *Sed post augmentum corporale aliquis dicitur esse in statu perfectæ ætatis. Ergo etiam videtur quod post augmentum spirituale, cum quis iam adeptus est perfectionem, sit in statu perfectionis.*

§. 2. Præterea. Eadem ratione qua aliquid mouetur de contrario in contrarium, mouetur etiam aliquid de
[18. 19. to. 2.] *minori ad maius, vt dicitur in 5. Physic. Sed quando aliquis transmutatur de peccato ad gratiam, dicitur mutare statum, prout distinguitur status culpæ, & status gratiæ. Ergo videtur quod pari ratione cum aliquis proficit de minori gratia ad maiorem, quousque perueniat ad perfectam, quod adipiscatur perfectionis statum.*

§. 3. Præterea, Statum adipiscitur aliquis ex hoc quod à seruitute liberatur. Sed per charitatem aliquis liberatur à seruitute peccati: quia vniuersa delicta operit charitas, vt dicitur Prou. 10. Sed perfectus dicitur aliquis secundum charitatem, vt dictum est. [ar. 2. huius q.] *Ergo videtur quod quicumque habet perfectionem, ex hoc ipso habeat perfectionis statum.*

Sed contra est, quod aliqui sunt in statu perfectionis, qui omnino charitate & gratia carent: sicut mali Episcopi, aut mali religiosi. Ergo videtur, quod è contrario aliqui habent perfectionem vitæ, qui tamen non habent perfectionis statum.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, status propriè pertinet [q. præced. ar. 2.] *ad conditionem libertatis vel seruitutis. Spiritualis autem libertas vel seruitus potest in homine attendi dupliciter. Vno modo, secundum id quod interius agitur. Alio modo, secundum id quod agitur exterius. Et quia vt dicitur 1. Reg. 16. Homines vident ea quæ parent, sed Deus intuetur cor: inde est quod secundum interiorem hominis dispositionem accipitur conditio spiritualis status in homine, per comparationem ad iudicium diuinum. Secundum autem ea quæ exterius aguntur, accipitur spiritualis status in homine per comparationem ad Ecclesiam. Et sic nunc de statibus loquimur, prout scilicet ex diuersitate statuum quædam Ecclesiæ pulchritudo consurgit. Est autem considerandum, quod quantum ad homines, ad hoc quod aliquis adipiscatur statum libertatis vel seruitutis, requiritur primo quidem obligatio aliqua vel absolutio. Non enim ex hoc quod aliquis seruit alicui, efficitur seruus: quia etiam liberi seruiunt, secundum illud ad Gal. 5. Per charitatem spiritus seruite inuicem. Neque etiam ex hoc quod aliquis desinit seruire, efficitur liber, sicut patet de seruis fugitiuis. Sed ille propriè est seruus, qui obligatur ad seruiendum: & ille est liber, qui à seruitute absoluitur.*

Secun-

Secundo requiritur quod obligatio prædicta cum aliqua solemnitate fiat: sicut & cæteris quæ inter homines obtinent perpetuam firmitatem, quadam solemnitas adhibetur. Sic ergo & in statu perfectionis proprie dicitur aliquis esse, non ex hoc quod habet actum dilectionis perfectæ, sed ex hoc quod obligat se perpetuo cũ aliqua solẽnitate ad ea quæ sunt perfectionis. Contingit etiã quod aliqui se obligant ad id quod non seruant, & aliqui implent ad quod se non obligauerunt: vt patet Matth. 21. de duobus filijs, quorum vnus patri dicenti. Operare in vinea, respondit, Nolo; postea abijt: alter autem respondens ait, Eo, & non iuit. Et ideo nihil prohibet aliquos esse perfectos, qui non sunt in statu perfectionis: & aliquos esse in statu perfectionis, qui tamen non sunt perfecti.

Ad primum ergo dicendum, quod per augmentum corporale proficit aliquis in his quæ pertinent ad naturam: & ideo adipiscitur naturæ statum, præsertim quia quod est secundum naturam, quodammodo immutabile est, in quãtum natura determinatur ad vnũ. Et similiter per augmentum spirituale interius aliquis adipiscitur statũ perfectionis quantum ad diuinum iudicium; sed quantum ad distinctiones ecclesiasticorum statuum non adipiscitur aliquis statum perfectionis, nisi per augmentum in his quæ exterius aguntur.

Ad secundum dicendum, quod illa etiam ratio procedit quantum ad interiorem statum. Et tamen cum aliquis transit de peccato in gratiam, transit de seruitute in libertatẽ: quod non contingit per simplicem profectum gratiæ, nisi cum aliquis obligat se ad ea quæ sunt gratiæ.

Ad tertium dicendum, quod illa etiam ratio procedit quantum ad interiorem statum. Et tamen licet charitas variet conditionem spiritualis seruitutis & libertatis, hoc tamen non facit charitatis augmentum.

SVMMARIVM.

1 *Potest esse perfectus qui non est in statu perfectionis, & econtra. num. 1.*
2 *Status perfectionis internus, & externus. n. 2.*

1 CОnclusio huius articuli est, posse aliquem esse perfectum, qui non est in statu perfectionis, & econtra, posse esse in statu perfectionis illũ, qui non est perfectus, vnde distinguuntur perfectio, & perfectionis status, quia status est seruitus per quam homo se obligat cum quadam solemnitate ad ea, quæ sunt perfectionis, contingit autem & aliquem non obligatum agere ea quæ perfectionis sunt, & econtra obligatũ ad ea, quæ sunt perfectionis à sua obligatione deficere. Et ideo potest contingere, vt sit perfectus ille, qui ad ea, quæ sunt perfectionis non se obligauit, & econtra imperfectissimum esse illum, qui est in statu obligationis ad perfectionem. Veritas ista est communis sententia DD. quam tradiderunt *D. Anton. 3. p. tit. 16. cap. 1. §. 1. Viguer. cap. 17. §. 1. v. 10. Sylu. v. Religio n. 3. Caiet. hic Valentia 22. d. 10. q. 3. p. 3. Ledesma de statu perf. c. 2. Suarez lib. 1. de statu perfect. cap. 5. num. 1. & 2.*

2 Distinguitur autem communiter à DD. status perfectionis in internum, & externum. Internus consistit in interiori libertate, aut seruitute gratiæ, & respectu diuini iudicij. Deus enim corda intuetur. Et importat obligationem qua tenetur homo interiùs diligere Deum super omnia. Sed exterior attenditur secundùm ea, quæ exteriùs, honestè aguntur, & est exterior obligatio ad eas actiones externas, quæ sunt perfectionis, & honestatis. In præsenti sermo est de statu exteriori, prout status pertinet ad Ecclesiam visibilem, & ordinatur ad eius decorem, & pulchritudinem.

SVMMARIVM.

1 *Duas conditiones status perfectionis ponit D. Th. num 3.*
2 *Prima est obligatio vel absolutio. num. 3.*
3 *Immobilitas status non habetur nisi ex lege absoluente, vel ligante. n. 3.*
4 *Ad statum non sufficit firmitas propositi. n. 3.*
5 *Secunda conditio. solemnitas obligationis. n. 4.*
6 *Quæ solemnitas requiratur : remissiuè. n. 4.*
7 *Tertia conditio est modus viuendi externus. Sed hæc in secunda ex præcedentibus continetur. n. 5.*
8 *Quarta conditio, quod respiciat perfectionem. Sed & hæc in alijs primis continetur. n. 5.*
9 *Status ordinatur ad perfectionem formaliter. n. 5.*
10 *Quinta conditio quod actiones ad quas status ordinatur sint externæ. Sed & ista in secunda continetur. n. 5.*
11 *Caiet. defensus. num. 6.*
12 *Quilibet tenetur habere sanctitatem internam pro fine. n. 6.*
13 *Clericus debet exercitè esse interius sanctior quam laicus regularis. n. 6.*
14 *Non ideò præcisè laicus regularis excedit clericos, quia obligetur ad actiones externas. n. 6.*
15 *Status perfectionis non est modus viuendi, sed professio, deputatio, & obligatio ad ea, quæ sunt perfectionis. n. 7.*

Quid ſit ſtatus perfectionis?

3 DEſcribit D. Thom. ſtatum perfectionis ex duplici conditione, *Caiet.* verò tertiam conditionem addit, & *Suarez lib.1. de ſtatu perfect.cap.5.* addit alias duas, ſed omnes in duabus à D. Thom. aſſignatis continantur. Prima conditio quæ habetur in textu eſt, obligatio vel abſolutio. Nam cum ſtatus ſit vel libertas, vel ſeruitus, ideò ad ſtatum requiritur, vel obligatio ſeruitutis, vel abſolutio libertatis. Cum enim ad ſtatum requiratur quædam moralis firmitas, & immobilitas, hæc haberi non poteſt, niſi vel ex naturali aliqua, vel conſimili lege per quam homo tanquam liberi arbitrij ſit abſolutus à ſeruitute, vel ex aliqua obligatione per quam ſit deſtinatus ad ſeruiendum. Nec ſufficit ad hoc firmitas propoſiti ſine obligatione, vt bene etiam aduertit *Suarez num.7.* quia propoſitum non eſt moraliter immobile, ſed integrum eſt homini mutare propoſitum, neque ligatur & immobilitatur ad illud perficiendum niſi forſan ex communi obligatione bene viuendi, & non peccandi. Sicut igitur in temporalibus non eſt ſeruus, qui ſeruit, ſed qui eſt obligatus immobiliter ad ſeruiendum, ita in ſpiritualibus non eſt in ſtatu ſeruitutis, qui ex ſpeciali iure non eſt obligatus ad opera ſpiritualia. *D. Ant. Vigner. Caiet. Ledeſma, Valentia, Suarez loc. cit.*

4 Secunda conditio eſt ſolemnitas obligationis. Quam eſſe neceſſariam ex hoc probant *D. T. & citati DD.* quod inter homines illa obtinent immobilitatem, & firmitatem & perpetuitatem, in quibus adhibetur ſolemnitas aliqua. Circa quam conditionem bene aduertit *Suarez loco citato nu. 8.* eatenus, & talem ſolemnitatem, ſeu tantam requiri, qualis, & quanta eſt neceſſaria ad perpetuitatem obligationis. Status enim perfectionis cum importet immobilem obligationem ad ea, quæ ſunt perfectionis, & hæc immobilitas non habeatur ſine aliqua ſolemnitate, talis, ac tanta ſolemnitas eſt neceſſaria, quanta requiritur ad hoc vt in facie Eccleſiæ homo cenſeatur immobiliter obligatus ad ea, quæ ſunt perfectionis. Quæ verò & qualis ſit hæc ſolemnitas, explicandum erit infra *q.186. art.6.*

5 His duabus conditionibus explicatis aliæ tres conſiderantur à *Caiet. & Suarez* poſitæ. Quarum prima poſita, à *Suarez* eſt, quod ſtatus perfectionis importat modum viuendi externum, & quod aſſumatur per exteriorem actionem. Hæc verò conditio continetur in aſſignatis. Tum quia nos loquimur de ſtatu perfectionis exteriori, tum quia obligatio ſolemnis nõ eſt interior; ſolemnitas enim in exteriori quadam forma obligandi ſe conſiſtit. Secunda conditio eſt, quod ſtatus reſpiciat opera perfectionis. Et hæc quoque conditio in aſſignatis continetur. Nam obligatio ad aliquid eſt obligatio; vnde ſtatus perfectionis non eſt niſi obligatio ad opera perfectionis. Et hic obiter aduertitur, quod *Suarez num.5.* intendit de mente *D. Th. ſupra q.183. art.3.* quòd ſtatus perficitur in ordine ad operationes, quod debet cautè legi. Nam officium eſt, & non ſtatus, quod ſpecificatur in ordine ad operationes, ſed ſtatus non reſpicit opera vt opera, ſed reſpicit perfectionem formaliter, & ideò reſpicit opera vt ſunt actus, & formæ perficientes Eccleſiam in membris ſuis; & ideò ordinatur ad opera perfectionis formaliter. Tertia etiam conditio aſſignata à *Caietano, & Valentia* eſt, quòd huiuſmodi actiones ſint externæ. Sed & hæc conditio ferè eadem eſt cum prima ex tribus, & habetur ex textu, vt dictum eſt.

6 Hanc verò vltimam conditionem cum probet *Caiet.* eſſe neceſſariam, quia ſi de interiori ſanctitate eſſet ſermo ſequeretur clericos in ſacris eſſe in ſtatu perfectionis, quia tenentur ad maiorem ſanctitatem interiorem, quàm laici regulares, vt dicitur infra a.8. Hanc rationem impugnat *Suarez ibi. n.10.* quia clerici in ſacris ex vi ſuæ ordinationis non ordinantur ad maiorem ſanctitatem interiorem, quàm exteriorem, quia illi non habent ſpecialia præcepta ſanctitatis interioris, & ſi ad aliqua obligantur, hoc eſt reſpectu externæ honeſtatis, & decoris. Verum dicitur, quod allata doctrina ſubſiſtit, licet non omninò probet intentum, quia cõſiderandum eſt, quòd ſanctitas interior haberi poteſt, vel pro fine, & in intẽtione, vel in exercitio. Priori modo non eſt diſtinctio pro quanto quilibet etiam ſecularis tenetur habere pro fine perfectionem charitatis ſine menſura. Vnde finis cuiuſcumque eſt idem, quia eſt perfectio charitatis ſine menſura. Sed ad habendam in actu exercito hanc ſanctitatem maior eſt obligatio in clerico in ſacris. Tum quia debet habere illam in maiori menſura, cum ex *Dion. 6. cap. Eccleſ. hier.* Sacerdotalis ordo ſit exemplar ſanctitatis ordinis Monaſtici. Tum quia ſtrictiori vinculo ad ſanctitatem interiorem tenetur, cum illa ſit neceſſaria diſpoſitio ad exercitium Sacerdotij. Et nihilominùs ex dicta doctrina non probatur bene intentum. Quia laici regulares non ideò præcisè excedunt clericos Sacerdotes, quia obligantur ad externas actiones, ſed quia obligantur ad obſeruantias regulares, inter quas etiam actiones internæ numerantur, & ſic abſolutè obligantur ad media magis vtilia ad ſanctitatem acquirendam ſiue illa in externis, ſiue in internis actibus conſiſtant. Vnde vera ratio illius tertiæ conditionis eſt, quia cum ſit hic ſermo de exteriori ſtatu, procul dubio eſt ſermo & de externa obligatione, & de obligatione ad externas actiones, quæ ſint media ad internam ſanctitatem. Sed hoc magis eſt explicandum in ſequentibus.

7 Ex iis autem colligitur, quid ſit ſtatus ſanctitatis. Quidam enim illum diffiniunt, quòd ſit quidam viuendi modus firmus, & ſtabilis ad propriam perfectionem vitæ Chriſtianæ obtinendam, vel exercendam inſtitutus. *Suarez lib.1. de ſtat. perfect. cap.5. nu.3,* & parùm differt *Layman lib.4. tr.5. cap.1. num.1.* Sed vt dicebam ſupra n.1. cum ſtatus non conſiſtat in actuali viuere, ſed in obligatione, & deputatione ad viuendum, non bene dicitur, quòd ſit vel viuere, vel modus viuendi, quia modus viuendi eſt finis ſtatus, non eſt ſtatus ipſe; Ideò melius *Suarez ibid. ait,* quòd ſtatus eſt vitæ profeſſio, quia conſiſtit perfectionis ſtatus in obligatione, & profeſſione firma, & ſtabili ad opera perfectionis. Quapropter dicendum eſt, quòd ſtatus ſit deputatio, ſeu deſtinatio, ſeu melius ſeruitus ſpiritualis firma, & immobilis cum quadam ſolemnitate ſuſcepta per quam homo deputatur, & obligatur ad

ea,

ea, quæ sunt perfectionis, vel obtinenda, vel exercenda. Quoniam tamen conditiones, quas diximus necessarias ad statum, maiorem expetunt explicationem, nonnulla quærenda sunt, & quidem primò.

SVMMARIVM.

1 *Obligationem ad ea quæ sunt perfectionis posse induci sine libero consensu obligati, aliquorum opinio. n.8.*

2 *Obligatio ad ea quæ sunt perfectionis nequit induci sine libero consensu obligati. n.9.*

3 *Obligare se non est sine libertate. n.9.*

4 *Matrimonium non constat sine consensu libero. num.9.*

5 *Status Christianæ Religionis non assumitur sine consensu. n.9.*

6 *Nec status Episcopalis, nec status Religiosus assumitur sine libero consensu. n.9.*

7 *Assumptio status perfectionis est actus virtutis, ideoque liber n.9.*

8 *Ad hoc vt quis se obliget ad ea, quæ sunt perfectionis non requiritur libertas à necessitate præcepti. n.10.*

9 *Papa potest præcipere alicui vt Episcopatum accipiat, vel profiteatur [illegible]qua Religione. numer.10.*

10 *Obligatio status perfectionis sine consensu se obligantis nunquam inducitur, etiam quocumq; præcepto, & lege præcipiente. n.11.*

11 *Matrimonium non tenet deficiente alicuius coniugis consensu. n.11.*

12 *Obligatio status perfectionis per se petit libertatem virtutis. n.11.*

13 *Non est certum, quod seruitus inducta in inuitum sit vinculum perpetuum. n.12.*

14 *Seruitus perfectionis, cum non sit pœna, sicuti est seruitus corporalis speciale iure habet. vt non possit imponi inuito. nu.12.*

15 *Non datur in terris potestas, quæ possit inducere obligationem perpetuam necessariam ad statum perfectionis, sicut nec ad matrimonium. n 13.*

16 *Esto daretur potestas quæ posset obligare perpetuo ad tendendum in perfectionem, hæc obligatio non sufficeret ad statum perfectionis. n.13.*

17 *Obligatio extrinsecus aduenìens & non libere suscepta est improportionata homini, & perfectioni, & actibus per quos perfectia acquiritur. numer.13.*

18 *Pueri oblati antiquitus Religioni non erant in statu perfectionis nisi libere consentirent in religionem. num.14.*

An seruitus & obligatio ad ea, quæ sunt perfectionis induci possit per actum non liberum, seu sine libero sensu suscipientis statum?

8 Videtur enim ita esse dicendum, quia seruitus temporalis inducitur sine consensu, cum v. g. in bello iusto quis captus ab inimicis ex libero fit seruus, igitur eadem ratione poterit quis sine suo consensu fieri seruus spiritualis, & obligari ad ea, quæ sunt perfectionis. Secundò probatur ex *cap. Monachum 20. q.1.* vbi dicitur, quod *Monachum, aut paterna deuotio, aut propria professio facit.*

9 Respondetur nihilominùs, & dicitur primò statum perfectionis in hac parte esse statum libertatis, neque induci nisi per consensum liberum. *Suarez lib.1. de stat. perf. c.12. n.2.* Nā vt habet D. Th. in textu, ex hoc aliquis est in statu perfectionis, quia se obligat perpetuò cum aliqua solemnitate, ad ea, quæ sunt perfectionis, obligare autem se est actus libertatis. Et probatur primò ex *cap.1. & 4. de Regular.* vbi hoc decernitur. Tum secundò. Nam si qui non habet liberum vsum rationis non potest contrahere matrimonium ad quod est necessarius liber consensus, *cap. sufficiat 27. q.2. & cap. cum adhuc. & cap. tua de sponsal. & cap. tuus, de spons. duorum & Concil. Florent. in decreto de Sacram. Matrim.* multò magis hic consensus liber est necessarius ad assumendum statum perfectionis, in quo homo magis se obligat, & ad magis ardua se astringit. Tum tertiò. Nam nec status communis Christianæ vitæ assumitur in Baptismo sine libero consensu *D. Thom. 3. p. quæst. 68. a.7.* multò magis non se obligabit aliquis sine sua libera voluntate, ad modum specialem, & magis perfectum vitæ Christianæ. Tum quartò, quia nec status Episcopalis sine voluntaria consecratione, nec status Religiosus sine voluntaria professione, nec alius similis status inducitur sine voluntaria obligatione. Tum quintò; quia status perfectionis per se petit induci per actum virtutis, est enim obligatio ad vitam virtuosam & ad seruiendum Deo, & ad perfectionem charitatis obtinendam, non est verò virtus sine libero actu, seu nisi in actibus liberis.

10 Dicitur tamen secundò, de ratione actus inducentis hanc spiritualem seruitutem, non esse libertatem à necessitate præcepti, sed sufficere libertatem à necessitate agendi, quæ est necessaria, & sufficit ad hoc, quod actus sit humanus, & sit virtus. *Suar. ibid. n.3.* Nam negari non potest, quòd ex causa vrgente Papa possit compellere aliquem vel ad Episcopatum, vel ad statum Religiosum. Si enim Papa præcipere potest rem indifferentem, multò magis potest præcipere actum virtutis, quãdo hic in ordine ad bonum commune Ecclesiæ sit necessarius, & ita potest præcipere alicui, vt Episcopatum assumat. Nam posse aliquem præcepto superiori cogi ad Episcopatum suscipiendum supponunt *D. Thom. infra q.185. a.2. Syluest. v. Episc. q.3. Soto l.10. de iust. q.2. a.1.* & eadem ratione, potest alicui præcipi a Papa, quod fiat Religiosus in aliqua approbata Religione. In quo casu consensus per quem inducitur seruitus status perfectionis, licet sit liber quantùm sufficit ad virtutem, non est tamen liber à necessitate præcepti, quia ex præcepto tenetur tunc homo consentire in talem obligationem. Sicut tenetur cõsentire in matrimonium, qui ad vxorem ducendam obligatur.

11 Dicitur tamen tertiò, per nullam humanam potestatem posse induci statum perfectionis sine libero consensu suscipientis. Ita quòd sicut licet possit Princeps ex iusta causa obligare aliquem ad vxorem sumendam, tamen matrimonium non

perfi-

perficitur nisi ille liberè in matrimonium consentiat. *Palud.4.d.36.q.2.a.2.n.15.D.Anton.3.p tit.1.c.15.§.3.et cap.3.§.2.Victoria relec.de matrim.p.1.n.7. Sotus 4.d.27.q.1.a.2.Ledes.2.p.4.q.47.a.5. Barthol. à Ledes.dub.16.Petrus de Ledes.de matrim.q.45.a.2.d.1.concl.2.Sylu.v.matrim.3.imped.18 n.3.& ex Nauar. Palatios Angles.Lopez,Angelo,Rosella,Praepos.et alyt, Sanchez l.2.cap.27.n.2.* Ita licet possit Papa obligare aliquem ad assumendum statum Religiosum,hic tamen status & eius obligatio non inducitur sine libero consensu suscipientis statum *Suarez ibid. num 4.* Ratio enim eadem est, & maior, quia status perfectionis per se & ab intrinseco respicit perfectionem virtutis, & est obligatio ad media perfectionis ex amore perfectionis assumenda, vnde inductio huius obligationis per se petit esse actum humanum, & liberum, quia in solis humanis actibus virtus consistit.

12 Ad primum respondetur dupliciter. Primò quòd adhuc non est certum, an seruitus inducta inuito suscipienti sit de se vinculum perpetuum, ita quod seruus non possit iustè fugere, & per fugam pristinam libertatem acquirere. *Suarez loco citato cap.12.num.4.* Nam multi hoc affirmant, quos refert, & sequitur *Diana p.7.tract.7.res.10.* Seruitus autem status perfectionis,ex parte serui est prorsus perpetua, & immobilis, ita quòd ex se ipso non potest seruus libertatem recuperare. Sed respondetur secundò,quòd non est eadem ratio, quia seruitus temporalis est pœna, quæ potest tradi inuito. Sed seruitus perfectionis est seruitus libertatis, per quam homo ad diuinum obsequium se obligat.

13 Vnde dato,quòd daretur potestas humana, quæ posset obligare hominem perpetuò ad hoc, vt per certum viuendi modum tenderet ad perfectionem vt ad finem, hæc obligatio non constitueret propriè & formaliter statum perfectionis, quia hæc obligatio esset improportionata,& fini,& medijs, & personæ in finem ordinatæ. Perfectio enim Christianæ vitæ cum consistat in actibus virtutis, & charitatis quibus intrinseca est libertas, quia nec Deus in via per charitatem amatur nisi liberè, nec virtus est nisi in actibus liberis, vnde nec nisi per actus liberos perfectio virtutis acquiri potest, quia coactio virtuti repugnat, & pariter cum perfectio virtutis conueniat solùm homini, vt libero & libertas sit necessaria, vt homo sit capax Christianæ vitæ, & perfectionis charitatis, igitur obligatio non libera & veniens ab intrinseco homine ipso, qui obligatur inuito manente, est improportionata, & fini, qui est perfectio virtutis, & medijs necessarijs ad huiusmodi perfectionem obtinendã, quæ non sunt nisi actus liberi, & homini, qui non nisi vt liber in perfectionem ordinatur. Et ideò talis obligatio non est apta ad inducendum statum perfectionis. quia seruitus status perfectionis est seruitus hominis liberi, vt liberi ad finem libertati consonum, per media libera acquirendum. Primò igitur dicitur, potestatem humanam ad hoc non pertingere, vt sine consensu hominis possit inducere obligationem perpetuam necessariam ad statum perfectionis,sicut non potest inducere obligationem matrimonij sine libero consensu contrahentium. Secundò dicitur, quòd dato quòd hæc obligatio induci posset, per illam non constitueretur status perfectionis, quia statui perfectionis repugnat coactio, cum sit status hominis liberi, vt liberi in ordine ad finem, cui repugnat acquiri ab inuito, & per actus coactos, & non liberos.

14 Ad secundùm dicitur, quòd Concil. Tolet. loquitur de pueris oblatis à parentibus, qui tamen non inuiti, sed peruenientes ad debitam ætatem si volunt liberè consentiunt in professionem Religionis. Solùm ergo per liberum consensum per quem obligat se homo constituitur in statu perfectionis.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio status perfectionis conuenientissimè inducitur per votum, quod est actus Religionis. num.15.*

2 *Obligatio status perfectionis an induci possit per contractum, & per omnem modum, quo inducatur perpetua obligatio? n.16.*

3 *Obligatio status Episcopalis per se secundum aliquos non oritur ex voto propriè dicto. n. 16.*

4 *Obligatio status Religionis non inducitur nisi per votum. n.16.*

Per quem actum inducatur obligatio status perfectionis.

15 RESpondetur obligationem status perfectionis regulariter, et conuenientissimè induci per aliquod votum, siue solemne, siue simplex, sed tamen induci posse etiam per alios actus, vt per aliquem contractum, vel per acceptationem officij, vel per quemcumque alium valentem inducere obligationem immobilem ad perfectionem tenuerunt. *Valent.22.d.10.q.2.p.3.Suarez ibid.nu.5.* Quod tamen limitate intelligitur, vt sit verum de statu perfectionis secundũ quid, vt magis explico *q seq.a.6.* Ratio primæ partis est, quia cũ finis status perfectionis sit perfectio charitatis,vt acquirẽda per exercitiũ consiliorum, ex ea virtute conuenientiùs oritur obligatio status perfectionis,quæ est propinquior charitati, & quæ potest in Dei obsequium omnes actus humanos ordinare,hæc verò virtus est religio,cuius actus est votum. Et ideò conuenientissimum est, vt status perfectionis inducatur ex eo quod homo ex voto se obliget Deo ad certa media opportuna ad perfectionem charitatis acquirendam, aut exercendam. Vnde est quòd status religiosi omnes per votum aliquod constituuntur. Et si præter status religiosos dantur in Ecclesia alij status perfectionis, hoc ferè vniuersaliter fit, aut vouendo castitatem, aut aliquod aliud Dei obsequium.

16 Et nihilominùs alia pars probatur, quia ad statum (saltem secundùm quid talem) sufficit perpetua, & libera obligatio ad opera perfectionis, vndecumq; hæc obligatio oriatur. Vnde Episcopatus est status perfectionis, cuius obligatio per se secundum multos (de quo tamen dicam infra quid sentiendum sit secundum Sanctũ Thomã) non oritur ex voto, propriè sumpto,sed ex eo, quòd homo liberè acceptat, seu consentit acceptationi talis officij, cui annexa est talis obligatio.

Et

Et amplius sine voto posset aliquis ex contractu se perpetuó obligare ad inseruiendum v. g. alicui hospitali. Et sic non est necesse, quòd obligatio tendendi in perfectionem oriatur propriè ex voto, sed sufficit quod & quacumque causa oriatur. Cum quo tamen stat, vt infra docet *Diu. Thom. quæst.* 186. *art.* 6. quod de ratione status religiosi sit, vt inducatur per votum.

SVMMARIVM.

1 *Statum perfectionis posse induci per internam obligationem aliquorum opinio. n.*17.
2 *Status perfectionis Ecclesiasticus & externus non inducitur, nisi per obligationem exterius expressam. n.*18.
3 *Per internam obligationem potest induci status perfectionis coram Deo. n.*19.
4 *Finis status perfectionis interior est, sed media ad illum acquirendum ordinata externa sunt. numer.*20.
5 *Consensus et obligatio exterius nullo præsente manifestata sufficit ad inducendum statum perfectionis, sed occultum, non verò ad manifestum. num* 21.
6 *Hæc verum ex natura rei, non verò si aliter statuat Ecclesia &c. vt clandest. matrimon. &c num.*22.

An status perfectionis possit induci per obligationem internam, & occultam?

17 VIdetur enim hoc posse fieri. Tum primò, quia status perfectionis inducitur per votum, at verò votū potest per actum merè internum cōsummari. Tum secundò. Nam status perfectionis non ordinatur ad solas actiones externas, sed ad internas, principaliter, quia ordinatur ad perfectionem charitatis; igitur & per internam actionem potest homo se ad statum perfectionis obligare. Tum tertiò, quia non est ratio cur negetur, quod aliquis priuatim & occultè sine testibus proferens verba non possit se verè obligare ad ea, quæ sunt perfectionis, & se in tali statu constituere.

18 Respondetur necessariam esse ad statum externum obligationem externam, seu internum consensum & votum, & promissionem exterius per aliquod signum externum manifestatam. Quia hic loquimur de statu exteriori, & Ecclesiæ manifesto, & ad Ecclesiæ decorem ordinato, qui non potest induci nisi per obligationem, quæ possit constare Ecclesiæ. Ideò hæc obligatio debet esse nedum externa, sed inducta cum quadam solemnitate, vt tradunt *D. Thom. hic & Caiet. & alij DD. supra n.*3. *citati*.

19 Ad primum dicitur, votum merè internum sufficere ad statum perfectionis inducendum coram Deo, non verò coram Ecclesia.

20 Ad secundum dicitur, actiones ad quas ordinatur status religiosus esse in duplici differentia, Aliæ sunt in quibus consistit perfectio, & ad has status ordinatur tanquam ad finem. Aliæ sunt, quæ sunt instrumenta perfectionis acquirendæ, aut inducendæ, & cōmunicādæ; primæ sunt internæ, quia perfectio consistit essentialiter in actibus internis charitatis. Non est verò inconueniens, quod interior actio sit finis status exterioris. Sed secundæ actiones externæ sunt nā status exterior, vt exterior sic ordinatur ad interiorē perfectionem, quòd pro medio immediato assumit actiones externas ad finem consequendum proportionatas, & ideò etiam non nisi per externam obligationem ad illas deputatur.

21 Ad tertium dicitur, quòd vbi aliquis per signum sensibile exprimit exterius suum votum internum per quod se obligat ad opera vitæ, tale votum per accidens est occultum, & per se est manifestum. Ideò *Suarez num.*11. *tract*, ex hac parte, quòd sufficiat ad statum constituendum. Sed hoc debet intelligi de statu occulto, non verò de statu manifesto, qui sit medium ad visibilem Ecclesiæ decorem opportunum, Talis enim status non inducitur nisi obligatio inducatur coram Ecclesia cum quadam solemnitate, vt dictum est.

22 Et vlterius hoc limitatur, vt sit verum ex natura rei, cum aliàs attendenda sint statuta Ecclesiæ, quæ huiusmodi clandestinas obligationes potest annullare.

SVMMARIVM.

1 *Obligationem status perfectionis non esse ad actus mere internos aliquorum opinio. n.*23.
2 *Oppositum alij sentiunt. n.*24.
3 *Actus virtutum dupliciter accipiuntur, vel scilicet vt formati per charitatem sunt formò perficiens hominem, vel vt sunt media ad perfectionem. num.*25.
4 *Obligatio ad exercitium virtutum etiam sensibile prout virtutes sunt de integritate perfectionis non est obligatio constitutiua status perfectionis, sed illi præsupposita. n.*25.
5 *Obligatio ad perfectionem non est propria status perfectionis, sed est ex lege charitatis omnibus communis. n.* 5.
6 *Obligatio constitutiua status perfectionis directè respicit media vtilia ad acquirendam, vel augendam perfectionem, ideoque non respicit actus virtutum, nisi vt vtiles ad finem perfectionis, & vt sunt de consilio. n.*25.
7 *Homo potest se promissione & nouo titulo obligare ad actus charitatis & virtutum. Sed hæc obligatio nec est necessaria ad statum perfectionis, nec ad illam spectat nisi quatenus & illa esset mediū ad perfectionem. n.*26.
8 *Statum perfectionis consequitur aliqua maior obligatio exercenda perfectionis. n.*27.
9 *Opera pure mentalia non sunt materia obligationis constituentis statum perfectionis visibilem. num.*28
10 *Perfectio ad quam status perfectionis ordinatur non est purè interior, cum ad decorem visibilis Ecclesiæ ordinetur. n.*28.
11 *Actiones internæ, quæ in externis, quoquomodo relucent*

lucent, sunt materia obligationis status perfectionis num.

32 *Obligatio status perfectionis, cum non sit praecepti externi sed liberi consensus ad internas actiones extendi potest. n.30.*

33 *Ad hoc vt actus interni ad Ecclesiam visibilem pertineant, sufficit, quod aliquo modo exterius reluceant, n.30.*

34 *Non est necesse, vt actiones ad quas obligatur status perfectionis sint ab Ecclesia praecepta, sed sufficit quod sint de consilio. n.31.*

An status perfectionis obliget etiam ad actus internos?

23 NOn est hic quæst. de obligatione ad aliquid vt ad finē; quia immò præcipuus finis status perfectionis cōsistit in interna perfectione actus charitatis. Sed sermo est de actione, quæ assumitur tāquam mediū ad finem, & quę propterea pertinet ad statum, vt materia quæ præcipitur, & de facto assumi debet ad finem obtinendum. Videtur ergo quòd status perfectionis ad nullam talem actionē ordinetur, quia quòd non subest iurisdictioni Ecclesiæ, non est materia ad quam ex vi status exterioris possit homo obligari, ad hunc enim statum ea pertinent, quæ exteriora sunt, & sub Ecclesiæ iudicio cadunt, actiones autem internæ sunt extra Ecclesiæ iudicium.

24 In oppositum verò est, quòd sub obligatione status potest cadere quidquid potest esse materia voti, at verò materia voti possunt esse etiam actiones internæ. Nec obstat, quòd status debeat esse visibilium, quia sufficit quòd obligatio ipsa exteriùs manifestetur; iam enim ex hoc status est seruitus manifesta, & ad decorem Ecclesiæ conducens.

25 Respondetur actus virtutum posse dupliciter accipi, vel scilicet inquantum formati per charitatem sunt forma perficiens hominem etiam sensibiliter & manifestè, vel in quantùm aliquis illorū est medium vtile, vel ad sui augmentum, vel ad aliam virtutem, & præcipuè ad charitatem in qua formaliter, & principaliter consistit christianæ vitæ perfectio. Si virtutes primo modo accipiuntur sunt finis saltem partialis, & obligatio ad illas non est obligatio medij ad finem, sed est obligatio finis. Vnde dicitur primò, quòd obligatio ad exercitium virtutum etiam sensibile & manifestū, prout virtutes sunt formæ perficientes, seu integrātes perfectionem Christianæ vitæ, non est obligatio per se constitutiua status perfectionis. Nam quod præsupponitur statui, & se tenet ex parte finis illius non est per se forma constitutiua eiusdem, quia forma constitutiua rei, non præsupponitur ab ipsa re vt posita ante sui constitutionem: At verò status supponit obligationem hominis ad perfectionem Christianæ vitæ, quia hæc obligatio cum sit obligatio ad fugiendum peccatum, seu ad actus virtutum, vt sunt formæ excludentes peccatum, est obligatio competens creaturæ rationali cuicumq; & quatenus etiam respicit augmentum huius perfectionis, etiam conuenit omnibus, quia quilibet tenetur ad diligendum Deum sine mensura, vt supra probatum est. Status igitur supponit obligationem hominis ad perfectionem, sed assumit media vtilia ad satisfaciendum huic obligationi, & ad acquirendam perfectionem. Ideò obligatio status directè respicit actus bonos sub ratione vtilis ad perfectionem, vel obtinendam, vel augendam, vnde est, quòd directè respicit opera consilij, quæ non sunt necessaria, sed vtilia ad perfectionem. Nam opera necessaria ad perfectionem cadunt sub obligatione perfectionis, quam status supponit.

26 Nec valet dicere, quòd homo liberè ex nouo titulo promissionis, aut voti potest se strictiùs obligare ad perfectionem, quàm tenetur ex obligatione communi. Quia hoc dato dicitur, quòd hæc obligatio non est necessaria ad constituendum statum, qui directè per se respicit actus, vt media vtilia ad perfectionem, non vt formas perficientes, quas sub hac ratione respicit, vt tanquam fines, nō verò tanquam materiam, & obiectum obligationis; vnde & in casu dato, obligatiò illa liberè assumpta non pertineret ad statum nisi vt medium vtile ad perfectionis augmentum.

27 Nihilominùs dicitur, quòd statum perfectionis consequitur obligatio maior ad exercitium virtutum, quam sit illa communis, quæ est in omni Christiano vt probatur infra *quæst.*186. *a.*10. Quia ex quo qui est in statu perfectionis maiora beneficia recepit à Deo, & maiora auxilia ad non peccandum, est magis ingratus dum peccat. Sed hæc obligatio non antecedit statum perfectionis sed consequitur illum. Et vlteriùs accidentaliter consequitur, quia bene potest esse quòd Deus non existenti in statu perfectionis maiora beneficia, & auxilia contulerit, ideoque ille sit Deo magis ingratus si peccet.

28 At verò loquendo de operibus vt sunt media vtilia ad perfectionem dicitur secundò quòd opera merè & purè mentalia, & interiora, non sunt obiectum, aut materia status exterioris & Ecclesiastici. *Caiet. hic, Val. d. quæst. 2. p. 3. Suarez d. l.* 1. *c.* 5. Nam status exterior ordinatur ad externum decorem Ecclesiæ principaliter ratione executionis, & obedientiæ eius ad quod homo propter perfectionem obtinendam se obligat, & non præcisè ratione obligationis; Ad statum igitur Ecclesiasticum non sufficit, quòd obligatiò sit exteriùs manifesta, sed præcipuè requiritur quòd sint manifestæ actiones ad quas homo se obligat. Nam & finis seu perfectio ad quam status Ecclesiasticus ordinatur non est sola interior sed etiam exterior, & sensibilis; In hac enim consistit exterior Ecclesiæ pulchritudo, ad quam promouendam nos hortatur Dominus dicens *Matt. cap.* 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Itaque obiectum & materia quam directè respicit obligatio status Ecclesiastici non sunt opera purè interna, & quæ nullo modo exteriùs innotescunt.

29 Dicitur tamen tertiò quòd nedum actiones externæ, sed etiam illæ internæ quæ in externis relucent, vel quia actiones internæ sunt causa illarum, vel quia illæ, aut illarum omissio sunt necessariæ ad actiones internas, omnes inquam actiones internæ, quæ per sensibilia Ecclesiæ innotescūt saltem per coniecturam, possunt esse obiectum, & materia obligationis constitutiuæ status Ecclesiastici.

ftici. *Suarez lib.p.de ſtat.perfec. cap.5.num.14.* Nam iſtæ actiones habent duas illas conditiones neceſſarias ad materiam obligationis ſtatus perfectionis; Quia ſunt vtiles ad perfectionem, immò ſunt etiam vtiliores externis, & ſecundò ſatis ſunt manifeſtæ, quantùm ſufficit ad Eccleſiæ pulchritudinem; igitur poſſunt eſſe materia ad quam ſtatus perfectionis directè immò & principaliter ordinetur, & obligetur. Quod non leuiter indicauit *Apoſ. 1.Cor.7.* dicens. *Mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu.* Docemur enim ex his, quòd interior cogitatio eorum quæ ſunt Domini annexa Virginali ſtatui eſt medium vtiliſſimum ad ſanctitatem. Ideo inter ſtatus Religioſos plures ſunt, & ex hoc perfectiores, qui ad vitæ contemplatiuæ exercitia interiora ordinantur, & internas meditationes, & orationes aſſumunt ex primaria intentione ad perfectionem obtinendam, vel augendam.

30 Ad primum igitur in oppoſitum dicitur, quòd quidquid ſit de intelligentia illius aſſerti, ſcilicet quòd actus interni non cadunt ſub præcepto Eccleſiæ, ad rem præſentem conſideratur, quòd obligatio ſtatus perfectionis non eſt obligatio præcepti, nec quæ veniat ab extrinſeco, ſed eſt obligatio quæ ex intrinſeca libertate proficiſcitur, vt ſupra probatum eſt. Homo verò ex propria voluntate poteſt ſe obligare etiam ad actus internos, qui ad hoc vt pertineant ad exteriorem faciem & decorem Eccleſiæ, ſufficit quòd ſint quomodocumque exteriùs relucentes, nec eſt neceſſe per ſe quòd ſint præcepti per Eccleſiam, ſed ſufficit, quòd ſint per Eccleſiam laudati, & quod de eis poſſit dari conſilium. Et *Suarez. num.15.* aduertit quòd ex quo homo per votum ad actus internos ſe obligat, iam in Eccleſia eſt iuriſdictio, vt per obedientiam ſimiles actus præcipiat. Verùm, hoc ad ſtatum conſequenter ſe habet, cum non ſit neceſſarium ad illum quòd materia ſuæ obligationis ſit præcepta, ſed ſufficit, quòd ſit talis, ad quam homo pro ſua libertate poſſit ſe obligare; quàmuis ſuppoſita hac libera obligatione iam intret lex obligans ad reddendum debitum, & exequendum id ad, quod homo ſe obligauit, iuxta obligationis exigentiam.

SVMMARIVM.

1 *Obligationem ſtatus perfectionis principaliter reſpicere præcepta aliquorum opinio. n.31.*
2 *Oppoſita ſententia. n.32.*
3 *Aliud eſt perfectio, & aliud ſtatus perfectionis: Illa eſt finis, & iſte importat obligationem ad media proportionata ad perfectionem n.33.*
4 *Status perfectionis reſpicit obſeruantiam præceptorum, in qua conſiſtit perfectio, vt finem primum, & remotum. n.33.*
5 *Status perfectionis vt finem proximum, & materiam ſuæ obligationis reſpicit conſilia ad perfectionem vtilia. n.33.*
6 *Status perfectionis nō conſiſtit in obſeruantia præceptorum ſed ad illam vt ad finem ordinatur. numer.34.*
7 *Nec etiam propriè dicitur quod conſiſtat in obſeruantia conſiliorum. num.34.*
8 *Status perfectionis finaliter primo conſiſtit in obſeruantia præceptorum finaliter proxime in obſeruantia conſiliorum, formaliter in profeſſione & deputatione ad obſeruanda conſilia, vt obſeruentur perfectius præcepta. num.34.*
9 *Obligatio ſtatus perfectionis debet eſſe perpetua. num.35.*
10 *Ad ſtatum non eſt neceſſaria actualis perfectio. numer.36.*
11 *Stat aliquem eſſe perfectum &c. num.37.*
12 *Status motus in termino motus. nu.38.*
13 *Status charitatis in eius augmento conſiſtit. numer.38.*
14 *Status gratiæ ſtatus libertatis. n.39.*
15 *Status perfectionis ſtatus ſeruitutis, quia eſt obligationis ad ſtatum gratiæ. n.39.*

Vtrùm ſtatus perfectionis principaliùs conſiſtat in præceptorum obſeruatione quàm conſiliorum?

SEV

An obligatio ſtatus reſpiciat principaliùs præcepta, quàm conſilia?

31 Videtur enim quòd principaliùs reſpiciat præcepta, quia horum obſeruantia neceſſaria eſt ad perfectionem, conſiliorum verò eſt ſolùm vtilis.

32 In oppoſitum verò eſt, quòd ſtatus immediatè aſſumit vtilia ad perfectionem conſequendam.

33 Reſpondetur, aliud eſſe loqui de perfectione, & aliud de ſtatu perfectionis, nam perfectio non eſt ſtatus, ſed vt docet D. Th. in textu eſt finis ipſius ſtatus. Dicitur igitur quòd ſtatus poteſt aliquid reſpicere dupliciter, vel ſcilicet vt finem principalem & remotum ſeu quaſi extrinſecum, vel vt finem proximum & materiam ſeu obiectum a quo ſpecificetur. Certè ſtatus perfectionis vt principalem finem reſpicit obſeruantiam præceptorum, in qua perfectio conſiſtit, vt probatum eſt art.3. Sed tamen finis proximus, & ſpecificans ſtatum eſt obſeruantia cōſiliorum formaliter. Nam finis proximus ſtatus eſt opus vt vtile ad perfectionem. Neque dici poteſt, quòd ſit opus vt neceſſarium; quia opus vt neceſſarium ad perfectionem eſt opus præceptum cadens ſub obligatione perfectionis, quam ſtatus præſupponit, & quæ eſt communis omnibus hominibus, & ad cuius complementum ſe obligat vt aſſumat media illi vtilia, ſtatus igitur reſpicit, vt proprium obiectum opus vt vtile ad perfectionem, non verò vt neceſſarium, Opus verò vt vtile pertinet ad conſilia.

34 Hinc ad quæſtionem ſub priori forma verborum propoſitam dicitur, quòd propriè loquendo quæſtio ſupponit falſum, ſcilicet quòd ſtatus perfectionis conſiſtat in obſeruantia præceptorum; quia hæc obſeruantia eſt finis ſtatus, non verò eſt

forma statum constituens, nec est materia ad quam homo se obliget per se & propriè ex ratione status, sed ad quam homo per prius est obligatus, & ad cuius obseruantiam status assumitur. Vlteriùs etiam impropriè dicitur, quòd status perfectionis consistat in obseruantia consiliorum. Quia & hæc obseruantia est finis status, non verò est forma illum constituens, & in quo intrinsecè eius essentia consistat. Nihilominus distinguere possumus & dicere, quòd status finaliter principaliter consistit in obseruantia præceptorum, finaliter verò proximè consistit in obseruantia consiliorum, sed formaliter consistit in professione, consecratione, & deputatione immobili, & solenni, per quam homo vt perfectionem & plenam obseruantiam mandatorum vel obtineat, vel conseruet, vel augeat, vel inducat obligatur ad opera consilij vtiliora ad præfatum finem consequendum. Et per hæc patet quid sit perfectionis status.

35 Solum verò hoc addi necesse est, quòd scilicet materia obligationis per quam constituitur status perfectionis nõ sunt solæ actiones vtiles ad perfectionem charitatis acquirendam, vel communicandam, sed vlterius necessaria est perpetuitas, vt scilicet sit obligatio perpetua, nimirum talis per quam homo se obligat in perpetuum ad ea quæ perfectionis sunt. Nam vt probatum est supra *quæst. 183. a. 1.* De ratione status est immobilitas, & permanentia & perpetuitas quædam, ideo illa sola obligatio inducit perfectionis statum, per quã homo quantùm sit ex se ipso se obligat in perpetuum ad ea, quæ sunt perfectionis. Vnde qui ad aliquod Dei obsequium se obligant sub conditione vt recedere possint, si velint, non sunt in statu perfectionis.

36 Hinc iam à D. Th. in textu ibi *sic ergo &c.* explicatur distinctio status perfectionis à perfectione, & respondetur quæstioni. Dicitur verò, quòd status non est perfectio, & quòd ad statum non est necessaria actualis perfectio charitatis, sed status consistit in obligatione qua homo se obligat ad ea, quæ sunt perfectionis, scilicet, quæ ad perfectionem conducunt.

37 Et ideo deducitur conclusio principalis, quia scilicet ita aliud est status perfectionis, & aliud est perfectio, quòd stat aliquem esse perfectum, & non esse in statu perfectionis, quia non se obligauit ad ea quæ sunt perfectionis, licet ea obseruet, & econtra stat aliquem esse in statu perfectionis & non esse perfectum, quia non obseruat id, ad quod se obligauit.

38 Videtur autem responsio ad primum argumentum D. Th. contraria textui. Nam si quis non adipiscitur statum perfectionis nisi per augmentum in his, quæ exteriùs aguntur, quomodo verum est, quòd de ratione status non est actualis operatio, sed sufficit obligatio ad operandum, vt dicitur in corpore art.? Aduertendum igitur, statum diuidi in statum personæ, & statum motus. Nam status personæ in obligatione consistit, sed status motus consistit in termino motus. In hac ergo responsione est sermo de statu motus, nimirum de statu augmenti. & bene dicitur, quòd tunc homo in statu constituitur per augmentum in his, quæ exteriùs aguntur.

39 In responsione ad secundum habetur, quòd status gratiæ est status libertatis, vt supra etiam dictum fuit. Et in hoc est discrimen, quia status perfectionis est status seruitutis, status verò gratiæ est status libertatis. Quod non debet videri dissonum alicui, ex eo quòd status perfectionis consistat in charitate per quam sumus liberi. Quia status charitatis & gratiæ est finis status perfectionis, ideo nos seruimus, vt libertatem filiorum Dei quæ in gratia & charitate consistit vel acquiramus, vel conseruemus, vel augeamus. Item status gratiæ est interior, sed status perfectionis est exterior. Et per hæc etiam manet explicata resp. ad tertium.

ARTICVLVS V.

Vtrum religiosi & prælati sint in statu perfectionis?

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod prælati & religiosi non sint in statu perfectionis. Status enim perfectionis distinguitur contra statum incipientium & proficientium. Sed non sunt aliqua genera hominum deputata specialiter statui proficientium vel etiam incipientium. Ergo videtur, quod nec etiam debeant esse aliqua genera hominum deputata statui perfectionis. Opusc. 18. cap. 16.

§ 2. Præterea, Status exterior debet interiori statui respondere: alioquin incurritur mendacium, quod non solum est in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus, vt Ambros. dicit in quodam sermone. Sed multi sunt prælati vel religiosi, qui non habent interiorem perfectionem charitatis. Si ergo omnes religiosi & prælati sint in statu perfectionis, sequeretur quod quicumque eorum non sunt perfecti, sint in peccato mortali, tamquam simulatores & mendaces. de Abraham. li. 1. habetur in decretis 22. q. 2. c. ca... ute.

§ 3. Præterea, Perfectio secundum charitatem attenditur, vt supra habitum est. Sed perfectissima charitas videtur esse in martyribus, secundum illud Ioan. 15. Maiorem dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Et super illud ad Hebr. 12. Nondum enim vsque ad sanguinem, &c. dicit gloss. Perfectior in hac vita nulla dilectio est ea, ad quam, sancti Martyres peruenerunt, qui contra peccatum vsque ad sanguinem certauerunt. Ergo videtur quod magis debeat perfectionis sta- et in hom q. Aug. in serm. 17 de verb. Apo. to. 10.

tus

tus attribuit martyribus, quam religiosis & episcopis.

[c. 5. eccl. hierar. sub tit. de Sacerdotum perfect.] *Sed contra est, quod Dion. in 5. cap. Eccl. hier. attribuit perfectionem Episcopis tamquam perfectoribus. Et in 6. cap.† eiusdem libri attribuit perfectionem religiosis, quos vocat monachos vel therapeutas, id est, Deo famulantes, tamquam perfectis.*

[c. 6 eccl. hier. p. 1. non procul à fine.] *Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, ad statum perfectionis requiritur obligatio perpetua ad ea quæ sunt perfectionis, cum aliqua solemnitate.* [art. præc.] *Vtrumque autem horum competit & religiosis & episcopis. Religiosi enim se voto astrinxerunt, ad hoc quod à rebus secularibus se abstineant, quibus licita uti poterant, ad hoc quod liberius Deo vacent, in quo consistit perfectio præsentis vitæ. Vnde Dion. † dicit 6. cap. Ecclesiast. hierar. de religiosis loquens:* [c. 6. eccl. hier. p. 1. non procul à fine.] *Alij quidem therapeutas, id est, Dei famulos ex puro Dei seruitio & famulatu. Alij vero monachos ipsos nominant ex indiuisibili & singulari vita vnientes ipsos indiuisibilium sanctis conuolutionibus, id est contemplationibus; ad Deiformem vnitatem & amabilem Deo perfectionem. Horum etiam obligatio fit cum quadam solemnitate professionis & benedictionis. Vnde & ibidem subdit* [eodem loco nunc dicto] *Dionys. Propter quod perfectam ipsis donans gratiam sancta legislatiò quadam ipsos dignata est sanctificatiua inuocatione. Similiter etiam Episcopi obligant se ad ea quæ sunt perfectionis, pastorale assumentes officium, ad quod pertinet vt animam suam ponat pastor pro ouibus suis, sicut dicitur Ioan. 10. Vnde Apostolus dicit 1. ad Timot. vlt. Confessus bonam confessionem coram multis testibus, id est, in sua ordinatione, vt glossa ibidem dicit.* [gl. interl. ibid.] *Adhibetur etiam quadam solemnitas consecrationis simul cum professione prædicta, secundum illud 2. ad Tim. 1. Resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionē manuum mearum: quod gloss. exponit de gratia episcopali.* [gl. interl. ibid.] *Et Dion. dicit 5. cap. Eccles. hierar. quod summus sacerdos, id est Episcopus, in sua ordinatione habet eloquiorum super caput sanctissimam superpositionem, vt significetur, quod ipse est participatiuus integre totius hierarchicæ virtutis; & quod ipse non solum sit illuminatiuus omnium, quod pertinet ad sanctas locutiones, & actiones: sed quod etiam hoc alijs tradat.* [non remote à fin.]

Ad primum ergo dicendum, quod inchoatio & augmentum non quæritur propter se, sed propter perfectionem. Et ideo ad solum perfectionis statum aliqui homines cum quadam obligatione & solemnitate assumuntur.

Ad secundum dicendum, quod homines statum perfectionis assumunt, non quasi profitentes seipsos perfectos esse, sed profitentes se ad perfectionem tendere. Vnde & Apostolus dicit ad Philip. 3. Non quod iam comprehenderim, aut iam perfectus sim: sequor autem, si quo modo comprehendam. Et postea subdit: Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Vnde non committit aliquis mendacium, vel simulationem ex hoc, quod aliquis non est perfectus, qui statum perfectionis assumit, sed ex eo quod ab intentione perfectionis animum reuocat.

Ad tertium dicendum, quod martyrium in actu perfectissimæ charitatis consistit. Actus autem perfectionis non sufficit ad statum faciendum, ut dictum est. [art. huius 4.]

SVMMARIVM.

1 *Et Episcopi, & Religiosi sunt in statu perfectionis. num. 1. 2.*

1 HVius articuli resolutio consistit in duabus conclusionibus apud Theologos omnes indubitatis, quarum prima est, Religionem esse statum perfectionis. In religione enim euidenter conspiciuntur illa duo, quæ esse de essentia status perfectionis dictum est art. super. scilicet obligatio ad ea quæ sunt perfectionis, & solemnitas cum qua homo se obligat ad perfectionis opera. Nam Religionis finis cum sit, vt religiosi adhæreant Deo per charitatem, ad hoc obtinendum Religio assumit consiliorum opera, quæ sibi videntur vtilia, & per votum solemne obligat religiosos ad talia perfectionis opera exercenda. Indubium igitur est Religionem esse statum perfectionis.

2 Secunda Conclusio est, Episcopatum esse statum perfectionis, & quidem hæc conclusio sine controuersia certa est apud DD. sed in ea explicanda dissentiunt plures. Est autem occasio dissensionis tum ex parte perfectionis, tum ex parte perpetuitatis obligationis necessariæ ad statum. Ex parte quidem perfectionis, nam plerique distinguentes statum perfectionis in statū perfectionis acquirendæ, & exercendæ, dicunt statum Religiosorum

esse

esse statum perfectionis acquirendæ, statum verò Episcoporum esse statum perfectionis exercendæ. At verò alijs, & distinctio ipsa, & eius applicatio à vero videtur esse aliena, Quæritur igitur primò.

SVMMARIVM:

1 *Statum perfectionis distingui in statum perfectionis acquirendæ, & exercendæ aliquorum opinio. num.3.*
2 *Opinio contraria. num.4.*
3 *Perfectionis status duplicem habet finem primum, & proximum. Ille est perfectio; hic certa media ad perfectionem ipsam. n.5.*
4 *Perfectionis status quoad finem primum, per se loquendo non admittit, nec suscipit distinctionem. num.6.*
5 *Statuũ distinctio desumenda est in ordine ad finem proximum.n.7.*
6 *Non tamen in ordine ad opera, quæ sunt de præcepto, sed ad ea quæ sunt de cõsilio. n.7.*
7 *Omnes status tenentur ad obseruantiam eorum, quæ sunt de præcepto, & in hoc omnes status conueniunt. n.8.*
8 *Distinguntur vero per diuersitatem operum de consilio ab vnoquoque assumptorum, ad quæ quilibet status tenetur. n.8.*
9 *Non datur distinctio statuum in statũ perfectionis acquirendæ, & perfectionis exercendæ. n.9.*
10 *Bene tamen possunt distingui status, ita quod alius sit perfectionis propriæ, alius perfectionis alienæ, siue alter sit status perficientium alios; alter sit status eorum, qui perficiuntur ab alijs. n.10.*
11 *Status Episcoporum est status perficientium alios (per se loquendo) Religiosorum vero status est eorum, qui passiue perficiuntur. n.10.11.*
12 *Pontifex vt Episcopus orbis est proprius Prælatus, Superior, & Magister Religiosorum. n.12.*
13 *Pulcherrimus ordo datur in Ecclesia, addiscentiũ ab alijs scilicet & docentium alios. n.12.*
14 *Status Religiosus dicitur status perfectionis, ex eo quia dicit, & viam, & terminum. n.13.*
15 *Immo quia importat immobilitatem viæ, & perpetuam obligationem ad se mouendum. n.13.*
16 *Tam qui studet perfectioni propriæ quã qui alienæ potest non esse in se ipso perfectus, & econtra. num.14.*
17 *Non requiritur per se simpliciter interna bonitas ad hoc vt prædicator fructum faciat, sed per se loquendo sufficit externa qualis potest esse in hypocrita. n.15.*
18 *Ad statum Episcoporum nõ requiritur per se perfectio, vt habita in re, sed solum vt habita in intentione. Vnde & quantumcumque malus, & pessimus sit Episcopus nõ desinit esse in statu perfectionis. n.15.*
19 *Munera Episcopalia ex genere suo sunt perfectiora operibus consilij, possunt tamen esse opera peccatoris, & fieri ad malum finem. n.15.*

An status perfectionis distinguatur in statum perfectionis acquirendæ, & exercendæ?

3 VIdetur enim ita esse dicẽdum primò quia D.Thom. distinguit statum perfectionis religiosorũ, & Episcoporum, quòd ex eo Episcopi sunt agentes, & perfectores aliorum, religiosi verò sunt famulantes & propriæ perfectioni attendentes, nimirum vt illam acquirant, vnde status religionis est schola virtutum, vt habetur ex *D.Th.* hic in *arg. sed contra, & art.7. & q.185.a.4.ad p.& quæst.186. a.1.ad 3.& art.2.* Cui cõsonum est, quòd docet *Caiet.quæst.189.a.3.* Distinguens statum perfectionis propriæ, & alienæ. At verò huiusmodi diuisio in sensu coincidit cum supradicta; quia alios perficere est perfectionem exercere, operari verò ad perfectionem propriam est perfectionem acquirere. Secundò nam statum religiosorum esse statum perfectionis acquirendæ constat tum ex locis citatis *D.Th. tum ex Dion. lib. de Eccles. Hier. cap.6.& ex Cassi.collat.p.cap.7.* Sed quòd status Episcoporum sit status perfectionis exercendæ probatur. Nam status ordinatus ad alios perficiendos, & illuminandos supponit propriam perfectionem, nec respicit media per quæ illam consequatur, sed respicit actus perfectionis quos exerceat, ideo prior est status perfectionis acquirendæ, posterior verò est status perfectionis exercendæ. Et ideo propter has rationes distinctionem hanc tradit & explicat. *Suarez lib.p. de statu perfec. cap.14.* referens pro eadem sententia. *Gersonem tract. de statu perfec. & tract. de perfect. cordis. Dion. Carthus. opus. de regulis vitæ Chris. cap.1. & maiorem 4.d.38.quæst.6.*

4 In oppositum verò est, quia bene stat, quòd imperfectus in se ipso, immò peccator valeat ad alios illuminandos, & perficiendos; Igitur ex hoc non habetur, quòd status Episcoporum sit status perfectionis acquisitæ.

5 Respondetur, considerandum hic esse, quòd supra dictum est, scilicet statum perfectionis habere duplicem finem, alterum scilicet principalem, & remotum, alterum proximum, qui est medium ad primum. Prior finis est perfectio, secundo cõsistit in certis medijs ad perfectionem valdè vtilibus, ad quæ homo per se non est obligatus, sed ad ea ex amore perfectionis obligatur. Prior finis cõsistit in exercitio actus charitatis, & virtutum tàm perfecto, vt valeat excludere etiam minima peccata, seu quod nec per minima peccata ex deliberatione interrumpatur. Sed secundus finis consistit in operibus consilij etiam plerumque ex suo genere indifferentibus, vel quæ etiam possunt haberi non ex virtute, sed ex vitio, vt sunt exteriùs pauperem esse, vel continere, vel etiam docere, & actus iurisdictionis exercere. Quo stante.

6 Dicitur primò, statum perfectionis ex parte perfectionis, quæ est finis principalis cuiuscunque status perfectionis non suscipere distinctionem per se, sed in eo omnes status perfectionis maximè cõuenire. Nam perfectio vna est substantialiter indiuisi-

uisibilis, & à quocunque amabilis fine mensura; igitur ex hac parte status perfectionis non recipit distinctionem. Antecedens est euidens, quia perfectio principaliter, & formaliter consistit in exercitio, & obseruantia præcepti charitatis erga Deum, quem diligere debemus in infinitum sine mensura, & ad hunc finem omnis status perfectionis ordinatur; non ergo ex hac parte possunt diuidi status: quia non respectu substantiæ perfectionis, quæ in perfecta obseruantia præcepti charitatis consistit, neque respectu modi habendi charitatem, quia hic modus est vnus, nimirum habere charitatem sine mensura, neque esset status perfectionis, qui ordinaretur ad obseruantiam præcepti charitatis cum mensuræ limitatione. Et hoc magis explicatur. Nam perfectio charitatis duplex est, alia scilicet extensiua, & alia intensiua. Prima consistit in hoc, quod nullum detur tempus, & nulla hominis actio, ad quæ non se extendat charitas. Quæ quidem perfectio non habetur nisi in patria, participatur verò in via, quantum viæ infirmitas patitur, quando exclusso tempore somni necessarij homo & semper operatur, & nullum actum delibecatum habet, qui non sit ex charitate, vel elicitus, vel imperatus, seu qui sit peccatum, & non sit actus virtutis. In hoc verò eum consistat essentia perfectionis, nullus est dabilis status, qui hanc pro fine non habeat. Altera verò perfectio intensiua hanc extensiuam supponit, & consistit in charitatis augmento, vt scilicet ex maiori, & excellentiori charitate homo operetur, & licet hæc perfectio sit accidentalis, aubuc tamen non licet charitati mensuram perfectionis determinare, sed status perfectionis ordinatur per se ad omnem illam perfectionem charitatis, quàm quisque Deo donante poterit obtinere; nulla igitur eà parte perfectionis poterit esse dilinctio statuum.

7 Dicitur propterea secundò, distinctionem statuum desumendam esse per ordinem ad finem proximum, & ex diuersis medijs, quæ ad perfectionem acquirendam assumuntur, ideoque nec desumi deb re in ordine ad opera, prout sunt de præcepto, sed prout sunt de consilio, & accipiuntur vt media vtilia ad perfectionem, non vt sunt integrantes perfectionem ipsam. Probatur vtraque pars huius assertionis. Prima quidem consequitur ea dictis. Si enim distinctio statuum nequit accipi per ordinem ad finem primarium, & remotū, quia in eo fine acquirendo omnes status conueniunt, & propter illum sunt; & tamen status ex diuerso fine distinguuntur, vt probatum est q 183.a.3. sequitur, quod status distingui debeat per ordinem ad fines proximos. Fines verò proximi statuum sunt illæ actiones, quæ assumuntur vt media ad finem primarium consequendum, qui est perfectio interior charitatis.

8 Secunda etiam pars probatur, quia omnea status in obseruantia præceptorum necessariò conueniunt. Nam vel præcepta sunt legis diuinæ, aut ecclesiasticæ communis omnibus, vel sunt præcepta propria statui illi imposita, vel ex natura rei, & & obligationis talis status, vel ex aliqua ecclesiastica lege positiua. Obligationem ad legem communem diuinam, aut positiuam omnis status supponit, & quilibet in quocunque statu tenetur ad iustitiam per talem legem præceptam. Pariter autem vnusquisque status ad proprias leges tenetur & in quocunque statu, quilibet tenetur, & directè ad obseruandum quod promisit, & quæ sibi ad meliorem obseruantiam promissorum à superioribus, & Ecclesia præcepta sunt, & quæ ex conditione sui status consequenter obligant, vt v. g. est nouo quodam titulo aliquo modo magis teneri etiam ad obseruantiam legis naturæ, & diuinæ, aut positiuæ omnibus fidelibus communis. In obseruantia igitur præceptorum omnes status conueniunt, quia ad eam omnes tenentur. Solùm igitur potest esse distinctio circa opera, prout sunt de consilio, & quia vnus status alia opera de consilio assumpserit, & alius alia, vnde alia etiam sint de præcepto in vnó statu, & alia in alio. Quia cum huiusmodi opera secundum se sint de cōsilio, vnus status aliqua assumpsit, & alius alia; vnde postea distinguuntur etiam præcepta, quia aliæ actiones sunt in vno statu de præcepto, & non in alio. Et hoc magis explicatur; nam obligatio ad ea, quæ secundum se sunt de consilio, non potest in plura distingui, nisi per distinctionem eorum, quæ secūdum se sunt de consilio, modo obligatio constitutiua status perfectionis est ad ea, quæ sunt de consilio, vt satis ea præcedentibus est probatum; igitur distinctio istius obligationis in plures veluti species, non potest accipi, nisi in ordine ad diuersas actiones, prout secundum se sunt de consilio, & vtiles ad perfectionem illam obtinendam, quæ est finis status perfectionis absolutè.

9 Dicitur proindè tertiò, statum perfectionis congruè, & propriè distingui non posse in statum perfectionis acquirendæ, & iam acquisitæ exercendæ. Ratio euidens est ex antedictis. Nam in præsenti, vel loquimur de perfectione, vt propriè sumitur, & contradistinguitur perfectioni substātiali, ad quam tenetur omnis fidelis, vel loquimur de perfectione substantiali cōsistente in charitatia perfectione tali, quæ peccata mortalia excludat. Si loquimur de prima euidens est nullum dari statum, qui illam perfectionem supponat, & qui non sit illius acquirendæ, sed exercendæ quia illa est perfectio charitatis excludens etiam peccata venialia deliberata, & quæ ex subreptione non accidunt; quæ perfectio a solis sanctissimis viris & paucissimis habetur, & exercetur, regulariter verò in quocumque statu etiam Episcoporum desideratur, & expectatur, & pro ea obtinenda boni Episcopi, & Religiosi die noctuque laborant, & paucissimi sunt, qui illam in hac vita consequantur. Sed si loquimur de perfectione substantiali, secundùm hanc non possunt distingui status, quia obligationem ad non peccandum mortaliter omnes status supponunt. Et nullus status est status huius perfectionis acquirendæ, quia in omni statu perfectionis est obligatio non peccandi mortaliter, ideoque est obligatio actu & exercitè, exercendæ perfectionis substantialis, quæ in exclusione peccatorum mortalium consistit. Solùmque materialiter potest esse distinctio, quòd vnus teneatur exercere perfectionem in obseruantia vnius, & alius in obseruantia alterius, quod secundùm se est de consilio, vt v. g. vnus in obseruantia ieiuniorū, & paupertatis; alius in obseruantia docēdi populos illosq; pascendi, ita tamen quòd & vnusquisque habeat communem, & propriam iustitiam, & vnusquisque teneatur eandem

dem tam communem, quàm propriam iuſtitiam ſuo loco, & tempore exercere. Igitur vel omnis ſtatus eſt perfectionis exercendæ, ſi de perfectione ſubſtantiali loquimur, vel omnis eſt iuſtitiæ acquirendæ, ſi de perfectione vberiori & magis propriè dicta loquamur.

10 Dicitur quartò, bene diſtingui poſſe ſtatus, vt diſtinxit *Caiet. infra quæſt. 189. a. 3.* Quòd alius ſit perfectionis propriæ, & alius perfectionis alienæ, & meliùs adhuc diſtingui poſſe ex D. Th. quòd alius ſit ſtatus perficientium alios, & alius ſit ſtatus eorum qui perficiuntur ab alijs, vt diſtinctio detur penes agere & pati in negotio perfectionis. Probatur aſſertio. Nam certum eſt ſtatum Epiſcoporum, qui ſimul habet annexum officium paſtoris, ordinari ad ſalutem populorum procurandam. Vnde poteſt dici ſtatus perfectionis alienæ. Sed vlterius vt ex *S. Dion. probat D. Th. infra art. 7.* Conſtat Epiſcopos eſſe Monachorum & Religioſorum Magiſtros, & perfectores, vnde ſtatus Epiſcoporum eſt ſtatus perficientium actiuè, ſtatus verò religioſorum eſt ſtatus perfectorum paſſiuè.

11 Verùm prima illa diſtinctio *Caiet.* explicari debet, quia non repugnat ſtatui religioſorum eſſe ſtatum perfectionis alienæ, cum multæ ſint religiones, quæ ex directo ad ſalutem populorum procurandam ordinantur, & aliàs ſtatus Epiſcoporum, vt probatum, eſt etiam ſtatus perfectionis propriæ. Sed illa diſtinctio debet intelligi non per hoc quod eſt conuenire, & non conuenire, ſed per hoc quod eſt conuenire per ſe, & non conuenire per ſe, quia ſtatui Epiſcoporum per ſe conuenit promouere nedum propriam, ſed etiam ſalutem aliorum, quod ſtatui Religioſorum abſolutè ſumpto per ſe non conuenit. Eadem licet ſub alijs verbis eſt diſtinctio deſumpta ex D. Thom. Quia Epiſcopus per ſe etiam in ordine ad Religioſos eſt actiuè perfector.

12 Nec obſtat, quòd modò Religioſorum ordines ſint exempti à cura Epiſcoporum. Nam nedum hoc eſt per accidens, ſed & abſolutè eſt falſum. Sunt enim ſub cura Summi Pontificis, qui vt Epiſcopus orbis eſt proprius Prælatus, & Superior Religioſorum omnium. Ideò Epiſcopatus per ſe eſt ſtatus perfectionis conferendæ, ſeu actiuè perficiendi etiam Religioſos. Et hæc diſtinctio eſt formalis, & per ſe. Quia vbi multitudo eſt, quæ tendit in perfectionem per ſe conueniens eſt, quod in ea multitudine ſit ordo, diſcipulorum, & Magiſtrorum, ideò ex hoc pulcherrima conſpicitur Eccleſia, quòd in ea dantur nedum diſcipuli, ſed magiſtri, nimirum nedum fideles, qui perfectionem addiſcant, ſed magiſtri etiam qui doceant, Et qui ſint talis charitatis, vt eorū perfectio aliorum perfectioni ſit connexa, & quorum conditio nedum ſit ſtatus, ſed officium, & gradus quorum ſit ad propriam perfectionem tendere per eas præcipuè actiones, per quas proximorum perfectionem procurant, & cauſant.

13 Ex his optimè ſoluitur obiectio, quam ex Gerſone adducit Suarez, vnde ſcilicet ſit, quod ſtatus religioſus dicitur ſtatus perfectionis, cum ſit via ad perfectionem, at verò viæ non conuenit ratio ſtatus. Soluitur enim hæc obiectio nedum dicendo cum *Suarez num. 6.* quòd ſtatus religioſus meritò ſimpliciter dicitur ſtatus perfectionis, quia non dicit puram viam, ſed viam & terminum, cum deceat multos eſſe perfectos in ſtatu religionis, & ex hoc magis probatur, quòd ſtatui religioſo accidit, quòd incipiat à non perfectione, & ſit ſtatus perfectionis acquirendæ, ſed reſpicit perfectionem vt acquirendam, ſi contingat illam non haberi. Cæterū etiam immobilitas viæ & motus, & obligatio perpetua ad ſe mouendum & ad ambulandum dici poteſt ſtatus ratione obligationis, & perpetuitatis.

14 Ad primum ergo in oppoſitum dicitur, opinionem illam nullum patrocinium habere ex D. Thom. & longè diuerſam eſſe diuiſionem ſtatus in ſtatum deſeruiētium perfectioni propriæ, & alienæ & ſimul cauſantium perfectionem alienam, à diuiſione ſtatus in ſtatum perfectionis acquirendæ, & exercendæ; quia primæ diſtinctionis vtrumque membrum poteſt contineri ſub ſingulo membro diſtinctionis ſecundæ. Nam tam qui ſtudet perfectioni propriæ, quàm qui ſtudet alienæ poteſt non eſſe in ſe ipſo perfectus, & per hæc ſtudere propriæ perfectioni acquirendæ, & econtra vterque poteſt eſſe perfectus, & intendere ſolam conſeruationem, & maius augmentum perfectionis. Nec eſt verum quòd operari perfectionem aliorum ſit perfectionem habitam exercere; quia nedum iuſtus incipiens, vel proficiens ſed peccator poteſt operari ad perfectionem proximi, & ſic reſpicere perfectionem propriam vt obtinendam.

15 Ad ſecundum dicitur, quòd valde æquiuocat, tum primò quia licet veriſſimū ſit, quòd prædicator extrinſecè malus ſit ineptus ad fructificandū, & ſit verū illud Chriſti, *Matt. 5. Vos eſt ſal terræ &c.* Tamē per ſe loquēdo ſufficit ad hoc extrinſeca bonitas talis qualis poſſet eſſe in hypocrita; vnde non requiritur per ſe ſimpliciter interior bonitas ad hoc, vt prædicator ratione ſcandali ex eius mala vita non impediatur ne fructum faciat, & ſuperior ne bene gubernet. Secundò quia non diſtinguit, ſed accipit perfectionem interiorem communem pro perfectione ſpeciali, & propria ſtatus perfectionis, nam officium Prælatorum vt fructum afferat ſupponit quidem in Prælato perfectionem excludentem peccata mortalia ad meliùs & dignè exercendum munera Prælatorum, ſed non ſupponit perfectionem illam ſpecialem à qua ſtatus denominatur ſtatus perfectionis, & quæ in paucis Prælatis etiam reperitur, & ad quam acquirendam ſtudium maximum ponere debent, vnde & ſtatus Epiſcoporum eſt ſtatus perfectionis acquirendæ non acquiſitæ. Tertiò nam Epiſcopus nedum non perfectus, ſed malus & peſſimus non deſinit eſſe in ſtatu perfectionis; igitur per ſe ad ſtatum Epiſcoporum non requiritur perfectio, vt habita in re, ſed ſolùm vt habita in intentione, vt dicitur hîc ad ſecundum. Cæterùm etiam Religioſis vt munera, quæ ex regula obire debent in vtilitatem aliorū obeant dignè, & cum fructu, neceſſaria eſt externa virtus, quę propterea neceſſaria eſt, vt finis pertinēs ad eſſentiam ſtatus, ſed actuale perfectionis exercitiū pertinet ad ſtatus decorem, & perfectionem. Quartò quia munera Epiſcopalia licet ex genere ſint perfectiora, quàm opera conſilij indifferentia, quæ aſſumunt religioſi, vt ſunt pauperem eſſe, vel ieiunare, vel etiam ſe ſubdere in liberis volūtati alterius; Quia docere & illuminare, & dirigere in bonum,

& mi-

& ministrare Sacramenta sunt opera valde bona, tamen, & hæc possunt esse opera peccatoris, & fieri ad malum finem. Et quatenus fiunt ex virtute sunt opera perfectionis quidem, sed hoc modo etiã ieiunare, & seruare regulas religionis est opus perfectionis. Sed à statu perfectionis respiciuntur sub vtraque ratione, & vt sunt opera formaliter perficientia, & vt sunt vtilia ad perfectionem maiorem. Et in hoc omnes status conueniunt, vnde omnis status est perfectionis exercendæ, & perfectionis acquirendæ, vel simpliciter, vel secundùm maiorem perfectionem.

SVMMARIVM.

1 *Quorundam opinio affirmatiua. n. 16.*

2 *Ratio in contrarium. nu. 17.*

3 *De ratione status Episcoporum non est quod ipsi sint actu perfecti, sed quod perfectionem intendant, quia assumentes statum perfectionis non profitentur se esse perfectos, sed se perfectionem intendere. n. 18.*

4 *Impossibile est inuenire tot homines, quot Episcopos simpliciter perfectos. n. 18.*

5 *Perfectio consistit in obseruantia perfecta præcepti charitatis. n. 19.*

6 *Distinctio statuum primo est ex differentia mediorum, & operum de consilio. n. 19.*

7 *Media assumpta in statu Episcoporum sunt perfectiora alijs, quia hi intendunt & se obligant ad salutem animarum procurandam etiam cũ amissione propriæ vitæ vnde status Episcoporum est status magnæ perfectionis. n. 19.*

8 *In Episcopis est maior obligatio in ordine ad perfectionem extensiuè, quia ad plura se extendit, & quodammodo intensiue saltem consequenter, si non directè, quia sunt populorum exemplar. numer. 20. 21.*

9 *Religiosis etiam hæc conueniunt, sed magis necessaria in Episcopis. n. 21.*

10 *Status Episcoporum non est status perfectionis vt in termino valde magis quam sit status Religiosorum; licet intra genus status maior sit obligatio in Episcopo quam in Religioso. n. 22.*

11 *Dicuntur Episcopi sanctissimi, quia irreprehensibiles esse debent, ne plebs scandalizetur, & quia debent habere perfectionem vlteriorem saltem in intentione. n. 23.*

An Episcopi debeant esse in statu perfectionis vt in termino,

SEV

An de ratione status perfectionis Episcopatus sit perfectio habita, & vt in termino iam præacquisita.

16 SEd contra huius quæstionis resolutionem plura vrgere videntur, quæ probent Episcopum teneri ad habendam, & exercendam perfectionem. Tum primò Quia Episcopi olim dicebantur sanctissimi vt patet ex *Conc. Ephes. & Calcedon. & in Clem. 1. §. 1.* Et in lege ciuili adest titulus 15. Autent. de sanctissimis Epis. Ad quod intentum ponderanda est lex 42. Cod. de Episcopis. Vnde etiam habetur ideo Episc. dici sanctissimos quia ex officij sanctitare, puram & incorruptam vitam agere debent, & omne studium in Dei cultu, & Ecclesiæ profectu ponere. Cui consona sunt, quæ habet *Concil. Trid. sess. 23. cap. 4. & c. 6. & 7. & Clymmach. in Epist. ad Laurentium Episc. Mediol. quæ habetur tom. 2. Concil. post 6. Synodum Romanam, & Innoc. 3. in cap. ex multa de voto. & Greg. hom. 17. in Euang.* Vbi habetur, quòd sicut Episc. præstat dignitate, sic præstare debet religione & vitæ innocentia. Secundò idem probatur ex multis quæ à PP. dicuntur in laudem Episcopatus, vt quòd sint Columnæ Ecclesiæ, *Athanas. & alij Epis. in Epis. ad Felicem 2. tom. 1. Concil.* Quòd eis nihil maius. *Ignatius Episc. 10. ad Smyrn.* Quòd sint Angeli, immò Dij. *Greg. l. 4. Epist. 31.* Nihil illis esse sublimius. *Ambros. lib. de dignit. Epis. cap. 2.* Quòd sunt Deifica possessio, *Ambros. ib. cap. 3.* Quòd maiorem vitę integritatem habere debent, quàm Monachi. *Chrys. lib. de sacerd.* Et quòd nullum officium Deo charius. *Chrys. orat. de S. Philog.* Et quòd debent esse forma gregis ex animo. *1. Petr. cap. 5.* Ex his enim & similibus, quæ habentur etiam ex *Apos. Epis. ad Timoth. & Titum*, & ex Sanctis Doctoribus apparet Episcopum teneri esse perfectum. Ideo statum Episcoporum esse statum habitæ & exercendæ perfectionis docuerunt *Suarez loc. sup. cit. Pax Iordanus, Prælud. 5. num 10.*

17 In oppositum est, quòd vix inuenirentur Episcopi muneri suo satisfacientes, si Episcopi deberent actu esse perfecti.

18 Respondeo de ratione status Episcopalis nõ esse perfectionem simpliciter, seu supererogationis vt habitam in re, sed solùm vt habitam in intentione, Episcopum tamen ordinari ex vi sui officij & status ad perfectionem per media sanctiora, & magis perfecta, vnde non mirum, si status Episcopalis, vt dicitur infra art. 7. sit perfectior, & sanctior. Primam partem huius asserti docet *D. Th. hic ad secundum.* Vbi cũ in Argumento assumpsisset, quod multi sunt Prælati, & Religiosi, qui non habent interiorem perfectionem, respondet D. Th. quòd qui assumunt statum perfectionis non profitentur se esse perfectos, sed se perfectionem intendere. Neque igitur de ratione status Episcoporum est, quòd sint actu perfecti, sed bene quòd perfectionem intendant, & ad ea quæ sunt perfectionis se obligent. Et hoc amplius explicatur, nam nisi æquiuocemus in nomine perfectionis, & non loquamur de perfectione substantiali, & communi, sed de perfectione simpliciter, impossibile moraliter est inuenire tot homines simpliciter perfectos, quot sunt Episcopi in Ecclesia. Cum enim perfectio simpliciter consistat in tanta perfectione, & extensione charitatis, vt homo semper Deo adhæreat, & ex deliberatione semper agat ex charitate, nec minimum peccatum veniale admittendo, quàm pauci inter homines sunt, qui hanc perfectionem obtineant? & quàm difficile est, inuenire hoc inter Episcopales diuitias, & iurisdictionis externæ occupationes? Et præterea *Apos. ad Heb. 5.* de Episcopo

habet: *Quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate, propterea debet quemadmodum pro populo, ita & pro ſemetipſo offerre*. Ex quo loco habemus, quòd & Epiſcopus habet neceſſitatem offerendi pro peccato proprio.

29 Sed explicando ſecundam partem aſſerti, magis prima comprobatur. Nam ſi loquimur de perfectione in ſe ipſa, vnuſquiſque ſtatus perfectionis intendit illam ſine menſura, quia vt dicebamus ex *D.Th ſupra a.3.* Perfectio conſiſtit in obſeruantia perfecta præcepti charitatis, quod præceptum omnes obligat ſine limitatione, & menſura. Ideo omnis ſtatus perfectionis intendit perfectionem ſine menſura. Sed differentia ſtatuum eſt ex differentia mediorum, quæ ad perfectionem aſſumuntur. In quo Epiſcopatus excellit. Conueniunt enim omnes ſtatus in hoc, quòd aſſumunt opera, quæ non ſunt neceſſaria, ſed de conſilio, ſed tamen inter iſta opera aliqua ſunt ex genere perfectiora, & huiuſmodi ſunt curam habere ſalutis proximorum talem ac tantam, vt pro ea procuranda quis etiam vitam profundat. Et huiuſmodi ſunt opera, quæ ſunt annexa officio Epiſcopatus, & ad quæ ſe Epiſcopus obligat. Et ideo Epiſcopatus eſt ſtatus magnæ perfectionis.

30 Sed & in ordine ad perfectionem eſt in Epiſcopo maior obligatio. Conſiderandum enim eſt hanc maiorem obligationem plùs vel minùs eſſe annexam omni ſtatui perfectionis & conſiſtere in duobus, primò quia ex nouo quodam titulo, & maiori vinculo tenentur non reſiſtere perfectioni, & non peccare, ſed ſe exercere in operibus perfectionis, ſecundo ex conſequenti, quòd ex vi ſtatus obligantur ad illa opera, quæ non ſunt communiter de præcepto, ſed de conſilio, & quæ vel ſunt ex genere perfectiora, vel magis ad perfectionem vtilia & maiorem charitatem præexigunt. Vnde hæc maior obligatio eſt maior extenſiuè, quia ad plura ſe extendit, quàm obligatio ſecularium, nimirum ad regulam, & proprias obſeruantias ſtatus perfectionis. Eſt etiam quodammodo maior intenſiuè, ſi non directè ſaltem conſequenter. Quia cum ille, qui eſt in ſtatu religioſo à Deo beneficium ſtatus perfectionis acceperit, & ea maiora auxilia ad non peccandum, quæ ſtatus perfectionis ſubminiſtrat, ſi præcepta communia legis diuinæ non obſeruat eſt magis ingratus, & ex maiori libertate peccat, vt explicatur infra *quæſt.186. a.10.* Ideo & in ſtatu religioſo datur hæc maior obligatio; Nam religioſus ex quo profitetur perfectionem, & ex vi profeſſionis ſuæ illam intendit, nouo quodam titulo tenetur ad ea opera perfectionis ad quæ tenetur ſecularis, & ideo vlteriùs multa & plurima quæ ſunt ſeculari de conſilio, ſunt religioſo de præcepto.

31 Sed hæc duo multò magis neceſſaria ſunt in Epiſcopo. Primò quia ſanctitas interior eſt neceſſaria diſpoſitio ad Ordinis functiones. Secũdò quia & ſanctitas exterior in eo neceſſaria eſt, ne fructum animarum, & gregis ſui ſalutem impediat. Et licet hæc duo conueniant ſuo modo etiam religioſis, qui ſunt ordinati ad Sacros Ordines, vel qui ex regula incumbunt ſaluti proximorum, tamen inæqualitas eſt. Tum quia ſtatui Religionis hæc non ſunt per ſe annexa. Tum quia functiones ordinis vberiores ſunt in Epiſcopo. Tum quia vniuerſalior cura gregis, & principalior ad illum ſpectat, & ita quod ab ea recedere non poteſt. Tum quia eſt in altiori, & eminentiori gradu, & eius peccata vniuerſaliùs fiunt manifeſta. Tum quia tam Ordinum, quàm doctrinæ eſt ſupremus & principalis miniſter. Et ideo Epiſcopus eſt forma gregis. 1. Pet.5. Vnde ex vi ſuæ profeſſionis ſeu ſtatus tenentur ad perfectionem quæ ſit ſubditis forma & exemplar, & ex conſequenti ad perfectionem maiorem, & magis extenſam. Sed huic debito tam Religioſi, quàm Epiſcopi ſatisfaciunt ſi ſeruent præcepta & obligationes communes, & ampliùs regulam vel ea ad quæ ex officio tenentur. Et ſic ſtatus Epiſcoporum nõ eſt ſtatus perfectionis vt in termino valde magis, quàm ſtatus religioſorum, quia vterque tenetur ſpeciali titulo ſe exercere in operibus perfectionis, vel communiter præceptis, vel ſpecialiter eis mandatis ex regula, vel ex inſtitutione officij aut ſuperioris lege poſitiua, & vterque ſtatus ſuo muneri ſatisfacit ſi hæc obſeruet, & interior perfectio, quæ eſt præcipuus finis vtriuſque nulli eorum eſt neceſſaria vt actu habita ad eſſentiam ſtatus, & vterque reſpicit externas actiones vt media ad internam perfectionem acquirendam ordinata. Quàmuis intra genus ſtatus maior ſit hæc obligatio in Epiſcopo, quàm in religioſo ex vna parte, vt infra etiam eſt explicandum a.7.

32 Itaque omnia breuiter explicando & concludendo, Epiſcoporum obligatio eſt, quòd ſint perfecti perfectione ſubſtantiali, quæ obligatio eſt etiam in Religioſis, & in ſecularibus, qui omnes tenentur ad non peccandum mortaliter. Solùm hæc obligatio maior eſt in Epiſcopo, & etiam in Religioſis, tum extenſiuè, quia ad plura ratione obligationis ſuorum ſtatuum tenentur Epiſcopi, & Religioſi, quàm ſeculares, tum intenſiuè præcipuè in Epiſcopo, quia ipſe tenetur eſſe populorum exemplar & forma obſeruantiæ diuinæ legis. Et nihilominùs habere actu hãc perfectionem eſt quidem in Epiſcopo neceſſarium vt dignè fungatur officio ſuo, non tamen ad eſſentiam ſui ſtatus, quia nõ deſinit Epiſcopus eſſe in ſtatu perfectionis Epiſcopalis, etiam ſi ſit peccator. Vnde magis patet nullum ſtatum perfectionis eſſe ſtatum perfectionis acquiſitæ, & habitæ, & exercendæ, quia perfectio ſubſtantialis neceſſaria eſt omni ſtatui vt dignè ſit in illo ſtatu, & ad nullius ſtatus eſſentiam eſt intrinſeca.

33 Ad primum ergo in oppoſitum dicitur iure merito titulum ſanctiſſimi tributum fuiſſe Epiſcopis, non quia vnuſquiſque eorum teneatur eſſe in re ſanctiſſimus, & prorſus ſine peccato, *Nec intelligendum eſt*, inquit, *de Epiſ. D. Th. lec.3. ad cap.3. p. ad Timot., quòd omnino ſit ſine peccato, quia dicitur 1. Io: 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus ipſi nos ſeducimus. Nec dicendũ eſt ſicut aliqui dixerunt, quòd quicumque peccauit mortaliter poſt baptiſmum non eſt idoneus, quia pauci eſſent tales, ſed irreprehenſibilis, ideſt non ſubiectus alicui peccato, vnde ab alijs reprehendi poſſit, quia indecens eſt ſi reprehenſibilis ſit reprehenſor.* Sed dicitur Epiſcopus ſanctiſſimus, tum primò, quia vt dignè fungatur ſuo officio, oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ideſt non ſubiectum alicui graui peccato, ex quo plebs ſcandalizari poſſit. Sed hoc præſtat Epiſcopus, ſi perfectionem ſubſtantialem habeat ſeruans.

uando leges, vt de Zacharia dicitur Lucæ.1. incedendo in omnibus mandatis, & iustificationibus sine quærela. Tum secundò quia perfectionem vlteriorem & simpliciter perfectam debet præcipuè habere in intentione. Quæ tamen præstat munera Episcopalia obeundo, & habendo curam diligentem nedum circa spiritualia, sed etiam circa temporalia pauperum, pupillorum, & viduarum, quos tenentur alere, & tueri, & sic ad opera sanctissima deputatur ex eius professione. Sed ex hoc non sequitur, quòd Episcopi debeant esse in effectu perfecti tamquā existētes in termino perfectionis, sed bene quòd via breuiori, & de se valde apta ad perfectionem tendere debeant. Immò sicut quilibet alius status perfectionis ita status Episcopalis diuiditur secundùm initium, medium, & terminum, in statum incipientium, proficientium & perfectorum. Itaque status Episcoporum præstat statui fidelium, quia maiori vinculo teneotur ad legem Dei communem seruandam, & quia vlteriùs ex officio tenētur ad opera alia valde perfecta. Sed tamen de ratione status non est huius obligationis executio, sed intentio, & ad executionem obligatio. Et nihil ampliùs probatur ex allatis in secundo argumento. Ex parte igitur perfectionis non est dubium quòd Episcopatui conuenit ratio status perfectionis; sed non est tam certum quomodo sibi conueniat ratio status ex parte obligationis perpetuæ. Vnde inquirendum est an & vnde hæc perpetuitas conueniat Episcopatui.

SVMMARIVM.

1 *Quorundam opinio affirmatiua. n.24.*

2 *Aliorum opinio negans cum suis fundamentis. numer.25.*

3 *Episcopus ex vi suæ consecrationis habet in actu prima iurisdictionem ad curam animarum per modum Causæ principalis. Iurisdictionis vero exercitium, & determinatio est à Christo commissa Pontifici summo. n.26.*

4 *Hinc potest Pōtifex & consecrare Episcopum nulla ei assignata Ecclesia; & dispensare Episcopum ab exercitio animarum, & transferre Episcopum de vna in aliam Ecclesiam; & ei in pœnam totaliter auferre iam assignatam. n.27.28.*

5 *Nec tamen Episcopus ad arbitrium proprium deserere potest officium Episcopatus, quod est de se perpetuum. n.28.*

6 *Proprium est causæ principalis habere virtutem per modum permanentis. n.28,*

7 *Virtus de se permaneat, & existens in aliquo vt in principali agente petit inesse permanenter, & cum permanenti obligatione ad exercitium. n.28.*

8 *Episcopatus assimilatur matrimonio, & vocatur spirituale coniugium, quod inchoatur in electione, ratum habetur in confirmatione, & consummatur in consecratione. n.29.*

9 *In hoc coniugio alter coniux non sunt electores, sed Ecclesia. n.29.*

10 *Et nomine Ecclesiæ non intelligitur plebs Diœcesis solitarie sumpta, sed vt est plebs Ecclesiæ Christi commendata Pontifici vt Pastori, & sponsonum 29.*

11 *Inde ad alterum coniugum pertinet etiam Pontifex ipse, non tantum vt superior, & Princeps, sed vt pars. n.30.*

12 *Vinculum Episcopatus est vinculū Coniugij perpetuum, ex sua natura indissolubile, nisi ex consensu Pontificis tenentis locū alterius coniugis. Sicut matrimonium carnale aliquo modo est dissolubile (licet de se perpetuū) de consensu coniugum. n.30.*

13 *Indissolubilitas Episcopatus oritur ex natura spiritualis coniugij. & nō solū ex canonica institutione, sed ex institutione diuina reseruata solo Pontifici illius dispensatione ex c. inter teporalia n.31.*

14 *Et oritur ex institutione diuina non solum mediate sicuti omnes canonicæ institutiones, sed immediatè, ex eodem cap. & c. n.32.*

15 *Quando officium aliquod ex natura rei postulat permanentiam; voluntaria acceptio talis officij, est veluti pactum perpetuæ seruitutis. n.33.*

16 *Differunt & conueniunt matrimonium carnale, & Episcopatus. n.34.35.*

17 *Contractus qui initur inter Ecclesiam coniūctam Pontifici ex vna parte, & Episcopum ex alia dicit de se indissolubilitatem, sed potest esse sine actuali exercitio de consensu partium. n.36.*

18 *Vnde sit indissolubilitas Episcopatus. n.37.*

An Episcopale vinculum iure diuino sit indissolubile, & perpetuum?

24 AFfirmant aliqui, nimirum *Caiet. infra a.6. & Vasquez tom 3. in 3. p. disp.241. cap.1. & 3. & 5. Valentia 22. disp.10. q.1. Ledesma de statu persec. c. 2. §. digo 4. Pax Iordan Pralud.8. a. num.3.* Rationem *Caiet.* assignat, quia Episcopi habent curam animarum vt causæ principales, hoc verò proprium est causæ principalis necessariò assistere suo effectui; Episcopi igitur ex vi officij & institutionis illius iure naturali diuino tenentur assistere curæ animarum, ad quam in eorum consecratione assumuntur. *Vasquez* autem fundatur in similitudine matrimonij, quod est vinculum indissolubile; Episcopatus autem est coniugium spirituale Episcopi cum sua Ecclesia vt habetur ex *Euarist. epist.2. in princ. & Calix.1. epist.2. c.3.* Et propterea prohibitum est ne Episcopus Ecclesiam, cui semel desponsatus fuit, deserat, etiam nec propter quietem Religionis, vt declarat Liberius Papa Epist. ad omnes Epis., nec propter transitum ad aliam Ecclesiam, vt disponit *Iulius I. Ep.1. Leo.1. Epist.82. alias 88. Gelas. Epist.6. Pelag 2. Epist.2. Concil. Antioch.2. cap.25. & Concil. Sardic. cap.p.* Et fundatur hæc prohibitio in vinculi indissolubilitate; nam aliàs Episcopus saltem de Ecclesiarum consensu posset ex propria libertate de vna ad aliam Ecclesiam trāsire. Tertiò nam in Decretalibus *Innoc. III. cap. inter cætera, de translat. Episc.* Hoc expressè decernitur attenta similitudine matrimonij, & asseritur Deum sibi reseruasse iudicium de dissoluendo vinculo, quod Epis. habet cum sua Ecclesia. Ex quo plura motiua habentur ad intentum probandum. Nam primò nullum vinculum Deus sibi reseruauit dissoluendum, nisi vinculum naturalis le-

gis. Secundò matrimonium lege naturali est indissolubile. Tertiò quia Pontifex habet illud dissolui per solum Pontificem ex sola institutione diuina. Quartò hoc idem habetur ex *c. licet.* Et §. *hoc idem dicitur, cap. nisi cum pridem. de renunc. Episc.*

25 Nihilominùs contrarium sentit, & probat *Suarez lib. 1. de statu perfect. cap. 16.* Et quidem primò, quia nec ratione naturali, nec ex traditione aliqua ostendi potest, hoc naturale vinculum, Primò ostenditur, quia nullus ex naturali lege cogitur permanere in munere, quod assumpsit. Nec valet ergurrere institutionem huius muneris, quia fuit liberum Christo instituere Episcopatum, in quo Episcopus non teneretur permanere, sicuti instituit presbyteratum absque eo, quòd per se haberet curam animarum. Secundum verò probatur; quia immò ex obseruat. Apostolica habetur oppositum. Nam citato *cap. Nisi cum pridem* habetur solum quod Episc. non potest renunciare Episc. sine licentia Papæ ex iusta causa concedenda. At verò si hoc vinculum esset de iure naturæ, non cõcederetur tam de facili licentia renunciandi, sicuti nec dissoluitur matrimonium carnale. Secundò. Nam idem *Innoc. 3. in cap. quidam de renunc.* statuit cogendum esse ad cedendum Episc. illum, qui licentiam renunciandi petijt, & obtinuit. Ex quo habetur primò quod causa iuxta sufficiens ad hoc asseritur ibi priuata vtilitas; At verò ex priuata vtilitate nõ est naturale vinculum indissolubile. Secundò ex sola licentia petita & obtenta non posset Episc. cogi ad renunc. si de iure naturali vinculum Episcup. esset indissolubile. Tertiò quia depositio Episcopatus fit etiam in pœnam delicti, quòd non fieret, si tale vinculum ex lege naturæ esset indissolubile. Tertiò principaliter arguitur, quia aliàs sequeretur, quòd renunciatio obtenta sine iusta causa esset nulla, cum tamen experientia doceat passim ex leuibus causis licẽtias renunciandi Episcopatus concedi. Quartò, quia non est contra diuinum ius, quòd Episcopus ordinetur sine eo, quòd alicui Ecclesiæ particulari deputetur. Nam hoc nullam continet deformitatem, & multi volunt Petrum hoc modo ordinasse Linum & Cletũ, in suos coadiutores sine titulo speciali Episcopatus, & tales credunt fuisse illos, qui in antiquis Concilijs vocantur Chorepiscopi: igitur eadem ratione non est cõtra de ius diuinũ, quod quis renũciet Episcopatui, & sine cura determinata maneat Episcopus. Quintò, quia Papa est nõ minùs Episcopus totius Ecclesiæ, & particularis Ecclesiæ Romanæ, quàm alij Episcopi sint Episcopi suarum Ecclesiarum; Et tamen Papa licitè, & validè renunciat Papatui, & ad hoc sola Pontificis voluntas sufficit; ergo vinculum Papatus non est ex iure diuino indissolubile.

26 Ampliùs idem probatur ex translatione de vno ad alium Episcopatum, quæ non fit nisi dissoluatur vinculum cum priori Ecclesia, & tamen iura numquam expresserunt translationem esse prohibitam iure diuino, sed antiqua prohibitione Ecclesiastica vt habetur ex Conc. Anthioc. cap. 21. Secundò quia hanc prohibitionem fundant in inconuenientibus, quæ ex translatione sequuntur, quia ipsa sæpe ex auaritia, vel ambitione desideratur, & est occasio ex qua Episc. primam sponsam non amet, quantùm debet. Tertiò nam decreta solùm prohibent ne translatio fiat authoritate propria, vt dixit Pelag. II. epis. 2. Quartò quia contraria consuetudo nimis facilè in aliquibus prouincijs introducta fuit, vt testantur Iulius I. 1, & Osius in Concil. Sardic. Quintò, nam vsus Ecclesiæ habet vt de facili huiusmodi translationes admittantur, quod non fieret, si vinculum Episcopatus esset de iure diuino naturali.

27 Et ita hanc sententiam tenuerunt *Hostien. & in summa tit. de transl. Epis. q. 4. num. 5. Maior 4. d. 38 q. 7. ar. 2. Glossa & Doctores communiter, cap. inter corporalia de translat. & cap. Nisi cum pridem, de renunciat. Episc.* Et pro hac sententia idem *Suarez* refert *D. Thom.* infra *q. 185. a. 4. ad tertium.* Et *Sotum lib. 3. de iust. q. 6. a. 1. Sanchez lib. 7. de matr. disp. 28. n. 23. Petrum de Ledesm. q. 53. a. 3.*

28 Respondetur valde difficilè esse intelligere, quod ex natura rei liberum sit Episcopo relinquere curam animarum sibi commissam ex suæ volũtatis beneplacito. Ex alia autem parte quia difficile videtur perpetuitatem officij Episcopatus esse de iure diuino cum subsit ordinariæ dispensationi Pontificis. Vt hoc non obesse intelligatur, considerandum est, quòd Episcopus ex vi suæ consecrationis habet in actu primo, seu in dispositione iurisdictionem ad curam animarũ per modum causæ principalis, sed tamen iurisdictionis exercitium & determinatio est à Christo commissa Pontifici. Ex hoc verò sequitur, authoritati Pontificis subesse dispensare Episcopum ab exercitio curæ animarũ, immò posse Pontificem cõsecrare Episcopum nulla ei Ecclesia assignata, & ab assignata in pœnam totaliter auferre, vel Episcopum de Ecclesia ad Ecclesiam transferre. Et tamen ex alia parte officium Episcopatus ex parte Episcopi est de iure diuino perpetuum, nec ad arbitrium Episcopi deseribile. Quia proprium est causæ principalis habere virtutem per modum permanentis, & in Episcopo virtus agendi ad curam animarum perpetua est ex vi suæ consecrationis, & ordinationis, vnde ratio ipsa exigit, vt hæc virtus & eius vsus non subdatur arbitrio, & libertati eius, cum sit virtus de se permanens, & cuius permanentia necessaria est ad bonum Ecclesiæ regimen, & quia iustum est, & debitum Christo danti dignitatem, & officium de se permanens, vt recipiens ad illud permanenter obeundum se obliget, quia virtus de se permanens & existens in aliquo, vt in principali agente petit inesse permanenter, & cum permanẽti obligatione ad exercitium illius. Et sic officiũ Episcopatus est ex lege naturali, seu ab intrinseco ex vi institutionis eius perpetuum ex parte Episcopi, vt ipse non possit pro libito illud deserere, nec etiam sine causa possit Episcopus eo priuari. Verùm quia nihilominùs actuale exercitium & determinatio materiæ illius à Christo commendata est dispositioni Papæ, ideò Papa potest ex iusta causa, dispensare, vel vt Episcopus Episcopatui renunciet, vel vt ab vna ad aliam Ecclesiam transeat.

29 Habet verò hæc sententia non leue fundamentum in Sacris Canonibus. Et quidem primo, quia Episcopatus assimilatur matrimonio, & vocatur spirituale coniugium, ab *Euarist. epis. 2. & Calisto 1. epis. 2, cap. 3. & cap. inter temporalia, & cap. licet de translat. Epis.* quod eodem *cap. licet*, dicitur inchoari in electione, ratum haberi in confirmatione,

na, & consummari in cōsecratione. Circa quòd est ad uertendū, quòd in hoc spirituali matrimonio alter coniux nō sunt eligentes nisi secundū quid, sed est Ecclesia, vt docet *Innoc. c. inter corporalia, de transl. Epis.* ibi *Spirituale coniugium, quod est inter Episc. & Ecclesiam*. & aduertit *Abbas cap. licet, eod. tit. nu.* 2. Et quidem nomine Ecclesiæ non debet intelligi populus Diœcesis solitariè sumptus, quia populus ille per prius est de Ecclesia Christi, cuius caput & Pastor est Papa, & ideò alter coniux est Ecclesia seu populus Diœcesis, vt est plebs Ecclesiæ Christi, ab eodem Christo commēdata Pontifici vt Pastori, & sponso. Ideò ad alterum coniugem in hoc coniugio pertinet etiam Pontifex ipse, eiusque voluntas, & consensus, vnde ad eum iure diuino pertinet confirmare electionem, sine qua hoc coniugium nihil est. Et electio ipsa intantùm est coniugium inchoatum, inquantùm in eo interuenit consensus Ecclesiæ Christi & eius capitis, quia vbi Ecclesia & Pontifex remittit alicui electionem Episcopi, simul ex parte sui consentit, vt si non adsit impedimentum, & cætera requisita cōueniant, electus sit sponsus illius Ecclesiæ, cuius Episcopus est electus. Sicut ergo matrimonium carnale est vinculum ex natura rei indissolubile, sic & Episcopatus, quòd est coniugium spirituale.

30 Nec obstat, quod hoc spirituale coniugiū dissolui possit authoritate Pontificis. Quia soluitur solùm quantùm ad vsum & exercitium, sic enim de consensu partium etiam soluitur matrimonium carnale. In proposito verò nostro, & de coniugio spirituali loquendo, Pontifex non se habet merè vt superior, & Princeps, sed vt pars, sine cuius consensu, Ecclesia validè non contrahit cum sponso suo, & cuius arbitrio reseruatum est à Christo, vt de vsu, & exercitio muneris Episcopalis disponat. Itaque nulla Diœcesis se ipsa sola contrahere potest cum Episcopo, vt cum sponso, sed id facere potest solùm vt simul cum tota Ecclesia, & cum Pontifice eius est vna moralis persona. Et in hoc coniugio Pont. consensus ille est, qui est de forma, & de essentia contractus ex vi institutionis Episcopatus, ideò vinculum Episcopatus est vinculum coniugij perpetuum & ea natura sua indissolubile, nisi ex consensu, & dispositione, seu dispensatione Pont. qui in hac parte tenet locū alterius coniugis.

31 Ideò hæc confirmantur, quia manifestum est cessionem aut translationem, aut depositionem Episcopatuum ex sola Pontificis authoritate fieri, vt patet ex toto *tit. de translat.* At verò Pontifices hoc statuentes, non induxeunt hoc statutum vt nouum, sed vt ex natura rei, & diuina institutione, & natura ipsa coniugij spiritualis proueniens. Quod apparet ex *d. cap. inter temporalia* ibi. *Cum ergo fortius sit spirituale vinculum, quàm carnale, dubitari non debet, quin omnipotens Deus spirituale coniugiū, quod est inter Episcopum, & Ecclesiam, suo tantùm iudicio reseruauerit dissoluendum, qui dissolutionem etiam carnalis coniugij, quod est inter virum & fœminam, suo tantum iudicio reseruauit, præcipiens, vt quos Deus coniuxit homo non separet.* Et infra subdit. *Et ideò tria hæc, quæ præmisimus non tam constitutione Canonica, quàm institutione diuina, soli sunt Romano Pontifici reseruata.* Hic enim Pontifex apertè ostēdit indissolubilitatem Episcopatus oriri ea natura spiritualis coniugij, & apertè fatetur non prouenire ex sola constitutione Canonica; sed ex institutione diuina.

32 Nec valet responsio Suarez dicentis, hanc indissolubilitatem oriri ex institutione diuina radicaliter, & mediatè, nō verò immediatè, & tanquam ipsa sit de diuino iure. Nam hæc expositio contra textum est, qui dum negat, quòd hæc spiritualis coniugij indissolubilitas sit ea sola constitutione Canonica, simul negat, quòd solùm sit ex institutione diuina radicaliter & mediatè. Omnis enim Canonica constitutio venit mediatè ex institutione diuina. Sensus igitur manifestus textus est; Quod Episcopatus indissolubilitas nō tam ex institutione Canonica, quæ est institutio diuina mediatè, quàm ex institutione ipsa diuina immediatè consurgit. Cui sensui fauet etiam *cap. licet, eod. titulo.* Vbi ex natura coniugij spiritualis cōcluditur, quòd ad solum Papam pertinet potestas transferēdi Episcopos de vno ad alium Episcopatum.

33 Ad rationem igitur in oppositum negatur, quòd quicumque possit relinquere munus quòd assumpsit, est enim seruitus perpetua orta est contractu; quando verò officium ex natura rei postulat permanentiam, voluntaria acceptio talis officij est veluti pactum perpetuæ seruitutis. Episcopatus autem ex sui institutione & natura permanentiam postulat. Et quòd dicitur, quòd Christus potuisset aliud instituere, & ordinare quòd Episcopatus non esset officium permanens; respondetur quòd Deus potest in rebus quemcumque ordinem instituere, & quòd potest facere, quòd etiam in causis principalibus virtus agendi non sit permanenter, quia est omnium Dominus; sed tamen ordo rebus proportionatus est, vt causis principalibus virtus adsit permanenter, atque ideo causæ istæ obligatione naturali obligentur, inclinentur, & necessitentur ad perpetuò agendum, vt quantùm sit ex se ipsis semper assistant actioni. Ideò & ordo Ecclesiasticus habet & ex natura sua petit dari in Ecclesia ministros, qui operentur tanquam causæ principales per virtutem habentem duas conditiones, primò efficaciam vniuersalem ad perficiendā salutem in populis, secundò permanentiam virtutis, quæ scilicet in illis permanēter adsit ex vi officij; ac propterea quòd etiam ministri ex eorum parte adsint permanenter Ecclesiæ & operi, nec possint ad libitum officio renunciare.

34 Ad alia verò quæ de renunciatione, & translatione Episcop. adducuntur, breuiter dicitur non esse mirum si Pontifices ordinariè, & etiam sine valde graui causa dispensāt super permanētia Episcoporū in officio, quoniam exercitium cū determinatione materiæ iurisdictionis & potestatis Episcopalis fuit à Christo positum sub authoritate Pontificis. Ideò apparet quòd similitudo matrimonij tenet in multis & in alijs non valet. Tenet quidem in perpetuitate contractus, quia sicut matrimonium est de se vinculum perpetuum, vnde cōtrahens ex pacto in perpetuū subijcitur oneri matrimonij. Ita vinculum matrimonij Episcopalis cū Ecclesia sibi deputata est de se vinculum perpetuū, vnde acceptare Episcopatū est veluti ex pacto se in perpetuū subijci seruituti animarū. Distinctio rò est, quia exercitium matrimonij carnalis, & determinatio vsus illius non est sub extrinseca dispositione, sed est à natura ipsa determinatum, vt altero

ro conioge exigente alius reddat, ideò oon cadit hoc sub dispenlatione, nisi in casu aliquo particulari, & ex valde magna cansa. Sed Episcopus, qui non habet sponsam dererminatam ex natura officij, sed illi iungltur cui à Pontifice deputatur, habet quidem ex natura sui officij, vt cui iungitur perpetuò iungatur quantùm sit ex parte sui, & Ecclesiæ cui iungitur; sed tamen quod ex Pontificis licentia possit hoc vinculum dissolui, quantùm ad actuale exercitiū, & determinationem ad hanc Ecclesiam, licet non quantùm ad aptitudinem, & officij exigentiam,

35 Sed lecundò meliùs dicitur, maximè conuenire hæc duo coniugia, si aduertatur ex dictis hie alterum coniugem cum quo contrahit Episcopus esse Ecclesiam, vt simul cum Pontifice est vna persona mystica. Sicut igitur stante vinculo carnalis matrimonij indissolubili, de consensu partium manet sine vsu & exercitio, ita de consensu Ecclesiæ, & Pontificis cessat in Episcopo vsus, & exercitium officij Episcopatus.

36 Neque verò DD. omnes, quos secunda recensita opinio pro se allegat, illi fauent. *Glossa enim in d.cap.inter Corporalia*, nihil tale affirmat. Mirū verò est, quomodo pro ea sententia referatur. D. Thom. cum ipsemet Suarez in eodem cap. asserat mentem D. Th. esse, hanc indissolubilitatē oriri ex voto quo Episc. se obligat ad perpetuā pastoralem curam, vt patet ex huius *quæst.a.4.5.& 8.* & clariùs *quæst.185.a.4.& quæst.189. a.7. & opus.18.* quod & verum est, vt infra explicandum est, & probandū. Vnde ex hoc magis etiam apparebit ex natura ipsa contractus, qui fit inter Episcopum & Ecclesiam simul cum Pontifice oriri, & qui voto est confirmatus, vt Episcopus non possit Ecclesiam deserere sine Pontificis licentia. Et quod *D.Th.quæst.185. a.4.ad 3.* dicat non esse inconueniens, quòd Episcopale officium remaneat sine actu, verum est, non quia Episcopatus vinculum sit dissolubile, sed quia de Pontificis licentia & consensu potest esse sine actuali exercitio. Ita nec Soto illi sententiæ fauet. Quia cùm translationes Episcoporum fieri possint de licentia Papæ, bene Sotus ait, quod de se non sunt malæ, malæ tamen essent si sine licentia fierent. Cæterum *Soto cum D. Th. docet l.10. de iust. quæst.2.a.4.* Episcopatus vinculum oriri ex voto, vnde euidenter docet esse ex natura sua indissolubile. Sanchez verò & Petrus de Ledesma citati, quatenus doceot Episcopum electum & confirmatum, oullo iure impediri, quin contrahat matrimonium, teste ipso *Suarez num.14.* excesserunt. Nam manifesto iure prohibetur electus, & confirmatus ne Ecclesiam sine licentia Pontificis derelinquat, vt patet ex *d. cap. inter corporalia*. An verò si Episcopus electus, & confirmatus contrahat matrimoniū illud sit irritum, alia est quæstio, & dato quod noo esset irritum, hoc non esset, quia vinculum matrimonij spiritualis initi cum Ecclesia ab Episcopo electo, & confirmato non sit indissolubile, sed quia ante consecrationem noo est consummatum, & ad huc est veluti in fieri. Præterquamquòd bene stat, quòd aliquod vinculum sit ex natura rei perpetuū, nec tamen irritet matrimonium, vt patet de vinculo voti virginitatis. Non valet igitur hæc consequentia, Episcopatus non irritat matrimonium ex natura rei; ergo non est de se vinculum perpetuū. Quidquid enim sit de antecedente, quod est verum de Episcopatu ante consecrationem, & ordinationem ad sacros Ordines. Consequentia nolla est, sed solùm sequeretur, quòd matrimooium in hoc esset vinculum fortiùs Episcopatu.

37 Ex his verò deduci potest vnde & ex qua causa vinculum Episcopalis officij sit indissolubile. *Petrus enim de Ledesma d.cap.2.* reducit eam ad naturam contractus, qui interuenit inter Episcopum, & Ecclesiam, sed *Valentia loco citato*, reducit eum ad virtutem fidelitatis. Sed vtrumque horum deficit. Primum quia contractus Episcopi cum Ecclesia se habet ex consequenti, & ex eo quod à Christo medio Sum. Pont. suo Vicario Episcopus datur in Pastorē, & sponsum Ecclesiæ, vnde nec cōtractus alius inest inter Episcopum, & Ecclesiam, nisi quod vterque, scilicet Episcopus, & Ecclesia liberè ex mandato Christi iunguntur. Secundum, quia Episcopus non ex sola virtute fidelitatis, sed ex altiori quadam iustitia ad Christum summum suæ gregis pastorem, & ex natura ipsa officij Episcopatus iungitur suæ Ecclesiæ indissolubiliter. Vnde ratio huius indissolubilitatis propria est ex institutione Christi, & Religionis virtute, requirentis ministros, qui Ecclesijs iungantur tanquā sponsi indissolubiliter, vnde hæc indissolubilitas est in Episcopo ex voto.

SVMMARIVM.

1 *An autem vinculum Episcopale, dato quod non sit indissolubile lege natura, sit tale ex voto seu professione Episcopi est opinio affirmans. n.38.*

2 *Oppositū tuentur alij si loquamur de voto late sumpto contradistincto à contractu inito per Episcopum ad Deum, & Ecclesiam ratione consensus in Episcopatum. n.39.*

3 *Episcopus consentiens Episcopatui init pactum voluntariam, religiosam, & perpetuum, & exinde magnam habet similitudo cum voto. n.39.40.*

An dato, quòd Episcopatus vinculum non sit indissolubile & perpetuum lege natura, fiat indissolubile ex voto & professione Episcopi?

38 Videtur affirmatiuam partem tenuisse *D.Th.* hic, *& quæst.185.a.4.& q.189. a.7.& opus.18.* Eandemque sententiam tennerunt *Dion.Carthus.Opus de regim.Episc.a.3.Soto lib.1.de iust.quæst.2.a.4.& Valdeas. tom.3. doctrin. fidei l.3.tit.2.c.17.*

39 Sed oppositum docuerunt *Caiet.* ad hunc *artic Suarez lib.p.de statu perfec. cap.16.* Et iure merito si loquamur de voto distincto a contractu, quem init Episcopus cum Deo & Ecclesia ex vi sui consensus in Episcopatum, quia nullo iure constar, quòd votū aliquod implicitum sit annexum Episcopatui, nisi votum castitatis, quòd illi competit quia ordinatus in sacris non quia Episcopus. Sed etiam est manifestum, quòd Episcopus explicitè nihil vouet vel in coosecratione sua, vel in accepta-

ptatione Episcopatus. Et licet per verbum velo consentiat pluribus quæ sibi proponuntur operanda in Episcopatu, per hoc nihil vouet, sed munus Episcopale sub onere talium operum acceptat. Ideo in *cap. nisi cum pridem. de renunc.* dicitur, quòd Epis. habet alas ligatas nexibus præceptorum ne relinquat Episcopatum vt fiat Monachus, non verò nexibus votorum.

40 D. Thomam autem *Caiet.* exponit vt locutus sit de voto latè sumpto. Nam talis est obligatio Episcopi, vt congrue dici possit votum. Quia Episcopus consentiendo Episcopatui init pactum cum Ecclesia, quod pactum est voluntarium, & religiosum, & est perpetuum & indissolubile; vnde habet magnam similitudinem cum voto. Et eadem ratione hoc pactum dicitur professio, quia qui adscribitur alieni muneri, & ad officium aliquod se applicat, dicitur illud officium profiteri, sicut qui adscribitur militiæ dicitur militiam profiteri. Quia ergo Episcopus cum consecratione & magna solemnitate acceptando Episcopatum obligat se ad munera Episcopalia per pactum perpetuum & indissolubile ex parte Episcopi, & sine licentia Papæ, ideo dicitur profiteri, & vouere Episcopalia munera ad quæ se obligat. Sed de his interius agendum est, vbi probabitur consensum Episcopi in Episcopatum esse verum votum ex natura sua & sui institutione.

SVMMARIVM.

1 *Perpetuitas requisita ad statum, in statu Episcopatus secundùm aliquos est fundata absolutè in iure Pontificio, & in consensu Papæ, qui non eligit nec confirmat Episcopum nisi cum hoc, quod non possit renunciare absque licentia. n.41.*

2 *Attamen melius, & magis propriè dicitur perpetuitatem in hoc statu desumi ex natura sua, & ex Christi institutione, postulante quod non sit dissolubile ad nutum vel Episcopi, vel fidelium quibus præest Episcopus sed solùm ad nutum Pontificis cui incumbit cura omnium Ecclesiasticorum. n.42.*

3 *Et sic Episcopatus vinculum ex lege naturali est indissolubile sine licentia Papæ. n.42.*

4 *Distinguitur defectus intentionis à defectu executionis nã finis omnium assumentium statum vnus est. n.43.*

5 *Defectus executionis non facit Episcopos, & Religiosos mendaces & simulatores bene autem defectus intentionis ipsos facit mendaces in facto. num.44.*

6 *Et est peccatum mortale Religiosum deponere intentionem proficiendi, & tendendi in perfectionem. n.44.*

7 *Non deponit intentionem proficiendi qui intendit viuere secundum regulam licet in multis delinquat. n.45.*



An dato, quòd Episcopale vinculum non sit indissolubile ex lege naturali, vel ex voto, status Episcoporum habeat perpetuitatem sufficientem ad statum?

41 Respondetur, quòd *Suarez loc.cit.n.28.* sentit, ad rationem status sufficere immobilitatem consequentem ad pactum inter contrahentes initum, similemque esse perpetuitatem status Episc. fundatam in iure Ecclesiastico, vel in consensu eligentium, & Episcopi electi. Vnde habet Episcopus vt sine consensu vel eorum qui illum elegerunt, vel Pontificis non potest cedere Episcopatui. Ideo acceptans Episcopatum sub tali onere, ex hoc se perpetuò obligat obligatione morali; Quia tamen iam non in omnibus Diœcesibus Episcopi eliguntur, sed à Pontifice ipso quamplurimi deputantur, sequitur quòd perpetuitas status Episcopalis sit fundata absolutè in iure Pontificio, & in consensu Papæ, qui non intendit vel eligere, vel confirmare Episcopum nisi cum hoc onere, vt non possit Episcopus relinquere Episcopatum sine licentia. Sed quamuis verò probabile esset, hanc perpetuitatem sufficere ad statum.

42 Nihilominùs ex hac doctrina semper sequitur, quòd Episcopatus ex natura rei non sit status perfectionis, & quòd antequam lex Ecclesiastica prohiberet ne Episcopi sine licentia Papæ renunciarent Episcopatui, Episcopi illi primi, & præcipuè Apostoli, non fuissent in statu perfectionis ex vi Episcopalis dignitatis, & officij; quod certè non videtur admittendum. Ideo semper dicitur, quòd Episcopatus habet perpetuitatem ex natura sua, seu ex Christi institutione, quia ex natura sua postulat vt non sit dissolubile ad nutum vel Episcopi, vel fidelium quibus præest Episcopus, sed solùm ad nutum Pontificis, cui incumbit cura omnium Ecclesiarum. Quia ad minùs talem gradum indissolubilitatis postulat gradus iste, qui ad salutem animarum ordinatur, & per quem homo fit Pastor & non fetuus mercenarius, ita quòd moraliter sit veluti causa principalis, cui per modum permanentiæ & perpetuitatis inhæret virtus agendi. Et tandem quia cura animarum & Episcopatus est res ex natura sua tanti momenti, vt ratio ipsa non permittat illam relinqui in libertate vel eligentium vel electi, sed quòd nec electus possit, sicut verè non potest, assuescere Episcopatum nisi confirmatus à Papa, nec assumptum onus relinquere nisi Papa concedente. Et sic Episcopatus vinculum ex lege naturali est indissolubile sine licentia Papæ.

43 Ad primum bene notandum, quòd finis omnium assumentium statum perfectionis vnus est, qui est perfectio vt in termino, seu perfectio completa, ad quam tam Religiosi, quàm Episcopi ordinantur tamquam in finem, & terminum; & quam status non supponit necessariò vt prælibatum.

44 Ad secundũ vt *Caiet.* aduertit, bene distinguit D. Th. inter defectum intentionis, & executionis cerũ

ad

ad quæ ex statu obligamur. Quia defectus executionis non facit Religiosos, & Episcopos meodaces, & simulatores, quia de ratione status perfectionis non est executio obligationis, sed obligatio & intentio. Ideo defectus intentionis est qui facit mendaces in facto; Ideo ex genere suo peccatum mortale esse Religiosum deponere intentionem proficiendi & tendendi in perfectionem docent *Caietanus, hic, Vrceanus in summario*.

45 Interrogaoti autem quis hanc intentionem deponat. *Caietanus* hic ait eum non deponere intentionem proficiendi, qui intendit viuere secundum regulam, licet in multis delinquat,

ARTICVLVS VI.

Vtrum omnes Prælati Ecclesiastici sint in statu perfectionis?

ep. 18. c. 22, 23, 25. & 26. sup. illud ad Tit. 1. Constituas per ciuitates presbyteros, to. 9.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod omnes Prælati Ecclesiastici sint in statu perfectionis. Dicit enim Hier. super Epistolam ad Titum, Olim idem presbyter, qui & Episcopus. Et postea subdit, Sicut ergo presbyteri sciunt se Ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit, esse subditos: ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quam dispensatione Dominicæ veritatis, presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere. Sed Episcopi sunt in statu perfectionis. Ergo & presbyteri habentes curam animarum.

§ 2, *Præterea, Sicut Episcopi suscipiunt curam animarum consecratione, ita etiam presbyteri curati, & archidiaconi: de quibus super illud Actuum sexto, Considerate, fratres, viros boni testimonij septem, &c. dicit glossa, Hic decernebant Apostoli per Ecclesiam constitui septem diaconos, qui essent sublimioris gradus, & quasi columnæ, proximi circa aram. Ergo videtur quod ipsi etiam sint in statu perfectionis.*

est gl. Bedæ hoc loco, to. 2.

§ 3, *Præterea, Sicut Episcopi obligantur ad hoc quod animam suam ponant pro ouibus suis, ita & presbyteri curati, & archidiaconi. Sed hoc pertinet ad perfectionem charitatis, ut supra dictum est. Ergo videtur quod etiam presbyteri curati, & archidiaconi sint in statu perfectionis.*

ar. 3. huius quæst. ad 3. & p. 3. in tit. de Sacerdotū perfect. à me. & in

Sed contra est, quod Dionysius † dicit in quinto cap. Ecclesiastica hierarchia, Pontificum quidem ordo consummatiuus est & perfectiuus: Sacerdotum autem illuminatiuus & lucidiuus: Ministrantium vero purgatiuus & discretiuus. Ex quo patet quod perfectio solis Episcopis attribuitur.

de Contēplatio. circa me.

Respondeo dicendum, quod in Presbyteris & Diaconibus curam habentibus animarum, duo possunt considerari, scilicet ordo, & cura. Ordo autem ipse ordinatur ad quemdam actum in diuinis officijs. Vnde supra dictum est, quod distinctio ordinum sub distinctione officiorum continetur. Vnde per hoc quod aliqui suscipiunt sacrum ordinem, accipiunt potestatem quosdam sacros actus perficiendi. Non autem obligantur ex hoc ipso ad ea quæ sunt perfectionis, nisi quatenus apud Occidentalem Ecclesiam in susceptione sacri ordinis emittitur continentia votum, quod est unum eorum, quæ ad perfectionem pertinent, ut infra dicetur. Vnde patet, quod ex hoc quod aliquis accipit sacrum ordinem, non ponitur simpliciter in statu perfectionis: quamuis interior perfectio ad hoc requiratur, quod aliquis digne huiusmodi actus exerceat. Similiter etiam nec ex parte curæ quam suscipiunt, ponuntur in statu perfectionis. Non enim obligantur ex hoc ipso, vinculo perpetui voti ad hoc, quod curam animarum retineant: sed possunt eam deserere, vel transeundo ad religionem, etiam absque licentia Episcopi, ut habetur in decretis, decimanona, quæstione secunda: & etiam cum licentia Episcopi potest aliquis archidiaconus, archidiaconatum vel parochiam dimittere, & simplicem præbendam accipere sine cura: quod nullo modo liceret, si esset in statu perfectionis. Nemo enim mittens manum ad aratrum & respiciens retro, aptus est regno Dei, ut dicitur Luc. 9. Episcopi autem quia sunt in statu perfectionis, non nisi auctoritate summi Pontificis, ad quem etiam solum pertinet in votis perpetuis dispensare, possunt Episcopalem curam deserere, & ex certis causis, ut infra dicetur. Vnde manifestum est, quod non omnes Prælati sunt in statu perfectionis, sed soli Episcopi.

q. præced. ar. 3. ad 9.

q. 186. ar. 4.

cap. Duæ sunt in fine.

qu. 185. ar. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod de presbytero & Episcopo dupliciter loqui possu-

possumus. Vno modo, quantum ad nomen. Et sic olim non distinguebantur Episcopi & presbyteri. Nam Episcopi dicuntur ex eo quod super intendunt, sicut dicit Augustinus 19. de Ciuit. [cap. 19. à med. to. 5.] *Dei. Presbyteri autem in Græco dicuntur quasi seniores. Vnde & Apostolus communiter vtitur nomine Presbyterorum, quantum ad vtrosque, cum dicit primæ ad Timotheum quinto, Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: & similiter etiam nomine Episcoporum. Vnde dicit Act. 20. presbyteris Ephesinæ Ecclesiæ loquens, Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Sed secundum rem semper inter eos fuit distinctio, etiam tempore Apostolorum, vt patet per Dionys. 5. cap.* [c. 5. p. 1. in tit. de Sacerdotum perfectionibus. † est gloss. ord. ex Beda in pr. cap. 10 in Luc. & 2 in tit. Ariani, & est cap. 11 to. 6.] *Eccles. Hierar. Et Luc. 10. super illud, Post hæc autem designauit Dominus, &c. dicit † glossa, Sicut in Apostolis forma est Episcoporum, sic & in septuaginta duobus discipulis forma est presbyterorum secundi ordinis. Postmodum tamen ad schisma vitandum, necessarium fuit, vt etiam nomina distinguerentur, vt scilicet maiores dicerentur Episcopi, minores autem presbyteri. Dicere autem presbyteros non differre ab Episcopis, inter dogmata hæretica numerat Augustin. in lib. de hæres. Vbi dicit quod Ariani dicebant presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discerni.*

Ad secundum dicendum, quod Episcopi principaliter habent curam omnium suæ diœcesis. Presbyteri autem curati, & archidiaconi, habent aliquas subministrationes sub Episcopis. Vnde super illud primæ ad Corinthios duodecimo. Alij opitulationes, alij guber- [gl. interl. ibid.] *nationes: dicit gloss. Opitulationes, id est, eos qui maioribus ferunt opem: vt Titus Apostolo, vel archidiaconi Episcopis. Gubernationes, scilicet minorum personarum prælationes, vt presbyteri sunt, qui plebi documento sunt. Et Dionysius dicit quinto cap. Eccle-* [c. 5. in tit. de sacer. perfect.] *siastica Hierarchia, quod sicut vniuersam Hierarchiam videmus in Iesu terminatam, ita vnamquamque functionem in proprio diuino hierarcha, id est Episcopo. Et 16, quæstione prima di-* [16. q. 1. c. omnibus, in prin.] *citur, Omnibus presbyteris & diaconibus attendendum est, vt nihil absque proprij Episcopi licentia agant. Ex quo patet quod ita se habent ad Episcopum, sicut Balliui vel Præpositi ad Regem. Et propter hoc sicut in mundanis potestatibus solus Rex benedictionem solemnem accipit, alij vero per simplicem commissionem instituuntur: ita etiam in Ecclesia, cura episcopalis cum solemnitate consecrationis committitur: cura autem Archidiaconatus vel Plebanatus cum simplici iniunctione. Consecrantur tamen in susceptione ordinis, etiam antequam curam habeant.*

Ad tertium dicendum, quod sicut Plebani & Archidiaconi non habent principaliter curam, sed administrationem quamdam, secundum quod eis ab Episcopo committitur: ita etiam ad eos non pertinet principaliter pastorale officium, nec obligatio ponendi animam pro ouibus, sed in quantum participant de cura. Vnde magis habent quoddam officium ad perfectionem pertinens, quam obtineant perfectionis statum.

SVMMARIVM.

1. *Opinio negatiua D. Th. in corpore n. 1.*
2. *Et licet alij contrarium sentiant, attamen nihil afficit quia latiori modo assumitur nomen status. num. 2.*
3. *Loquitur enim hic D. Th. de statu perfectionis magis propriè sumpto prout dicitur status libertatis, & seruitutis. n. 3.*
4. *Clerici inferiores Episcopis, ex vi ordinis non obligantur simpliciter ad ea, quæ sunt perfectionis, nisi pro quanto in Ecclesia occidentali Sacri Ordines habent annexum votum castitatis. numer. 4.*

1 NEgatiuè quæstio huius articuli resoluitur, & decernitur, alios Prælatos Episcopo inferiores nec ratione ordinis, nec ratione curæ animarum esse in statu perfectionis; Non quidem primum, quia ex vi ordinis non obligantur ad ea, quæ sunt perfectionis, & ad interiorem perfectionem obligantur per accidens, scilicet ex eo, quòd ipsa est dispositio ad dignè exercenda ordinis munera, & talis obligatio non sufficit ad statum perfectionis. Non secundum quia obligatio Prælatorum inferiorum ad curam animæ non est de se perpetua, sed sine licentia Papæ, cuius solius est dispēsare in obligationibus perpetuis, possunt relinquere curam, vt fiant religiosi, & ascendant ad statum perfectionis. Et ita cum D.Th. sentiunt *Caiet. hic Val. disp. 10. quæst. 2. p. 4. Ledes. de stat. perfec. cap. 2. §. esta difficultad. Ias de la Cruz de statu perfect. cap. p. Pax Iord. Prælud. 5. n. 8.*

2 Circà verò totam hanc reſolutionem benè poſt *Caiet. Val. Ledeſ.* aduertit, quòd licet multi opinentur contrariam, vt *Gerſon in tract. de ſtatu perfec. Alphab. 67. l. V. & ſeq. Henricus quod l. 12. q. 28. & 29. Maior 4. d. 38. q. 7.* Nihilominùs quia alio modo accipiunt nomen ſtatus, non eſt cum eis diſputandum de vocibus, ſed relinquere debemus vnumquemque in ſuo ſenſu abundare. Et certè in Metaphoris maxima latitudo ſignificationum inueniri contingit, ſecundùm quod in vno vel in altero, maior vel minor ſimilitudo attendi poteſt. Nomen autem ſtatus metaphoricè dicitur de ſtatu perfectionis, & attendi poteſt in eo maior vel minor perpetuitas, & obligatio, & ſecundùm hoc affirmari, vel negari, quòd aliquis ſit in ſtatu perfectionis.

3 Nos vero cum D.Th. hic loquimur de ſtatu perfectionis prout ſtatus dicitur ſeruitutis & libertatis, vt habet. *D. Th. op. 18. c. 23.* Et prout quis ſe facit ſeruum ad ea, quæ ſunt perfectionis, & qui eſt ſtatus magis propriè ſumptus, qui, vt aduertunt etiam *Val. & Ledeſma* duas conditiones habet, nimirum primo obligationem perpetuam cum ſufficienti ſolemnitate inductam, & ſecundo quod hæc obligatio non ſit ad obſeruanda præcepta communiter obligantia fideles, ſed ad ea, quæ ſecundùm ſe ſunt de conſilio, & hoc ad finem acquirendi perfectionem charitatis ſimpliciter. Statum vero clericorum inferiorum Epiſcopis non habere has omnes conditiones ex dicendis demonſtratur.

4 Primo itaque de huiuſmodi clericis Epiſcopo inferioribus aſſerit D. Th. in textu, eos ex vi ordinis non obligari ad ea, quæ ſunt perfectionis, niſi pro quanto in Eccleſia Occidentali Ordines Sacri habent annexum votum caſtitatis. Hoc autem difficultate non caret.

SVMMARIVM.

1 *Argumenta in appoſitum ſententia D. Th. n. 5.*

2 *Licet requiratur actualis Sãctitas promotis ad Sacros Ordines ad digne eos exercendos, attamen hoc non conſtituit clericos niſi in altiſſimo gradu perfectionis ſubſtantialis, de qua nos non loquimur. num. 6.*

3 *Ordinati ex vi ordinis accipiunt quidem poteſtatem operandi per ſe primò, & directè, non tamen accipiunt obligationem perpetuam vtendi illa poteſtate, quæ obligatio eſt neceſſaria ad ſtatum conſtituendum. n. 7.*

4 *Sacerdoti ergo non deeſt ſtatus perfectionis defectu operum perfectorum quorum accipit poteſtatem, ſed defectu obligationis ad eorum exercitium. num. 7.*

5 *Obligatio qua Sacerdos, vel ex contractu, vel ex cura animarum ſumpta, vel ex mandato Superioris adſtringitur ad celebrandum, cum ſit conditionata, non ſufficit ad conſtituendum ſtatum ſimpliciter. n. 8.*

6 *Et ratione voti caſtitatis Clericus in Sacris, eſt in ſtatu perfectionis ſecundũ quid, & ideo non conſtituit ſimpliciter ſtatum, ſed perfectiorem gradum in eodem ſtatu. n. 9. & 10.*

Vtrum Diaconi, & Sacerdotes ex vi conſecrationis ſeu ordinis obligentur ad ea, quæ ſunt perfectionis?

5 NAm videtur hoc affirmandum. Tum primò quia actus ordinum, & præcipuè ſacrificium miſſæ, ad quod exercendum ordinatur ſacerdos, eſt opus maximè ſanctum, & religioſum, & ad perfectionem acquirendam accommodatiſſimum, igitur ſacerdos præcipuè in ſua ordinatione obligatur ad ea, quæ ſunt perfectionis. Secundò nam obligatio ad opera, quæ dignè non poſſunt exerceri ſine interiori perfectione, cum ſit obligatio ad perfectionem, eſt obligatio ad ea, quæ ſunt perfectionis; At verò Diaconus & Sacerdos ex vi ordinis obligantur ad vſum ordinis, qui ſine interiori perfectione non habetur condignè; igitur obligantur ad ea, quæ ſunt perfectionis. Tertiò nam Diaconus & Sacerdos ex vi ordinis obligantur ad maiorem ſanctitatem, quàm alij non ordinati, ideo eorum peccata grauiora ſunt, vt habetur *ex Greg. in Paſtorali, & Ambroſ. & Chriſ. lib. de ſacerdotali dignitate.* Ideo cum aliàs ſacri Ordines habeant immutabilitatem adiunctam, non videtur quod poſſit illis negari ratio ſtatus perfectionis. Quartò quia modo de facto in Eccleſia Occidentali Sacri Ordines habent annexum votum caſtitatis, cuius obſeruantia ſine dubio eſt opus perfectionis. Ideo *Suarez lib. p. de ſtatu perf. cap. 17. numer. 4.* cenſet, quòd ſacerdotes habeant aliquo modo ſtatum perfectionis, nimirum ſtatum inchoatum. *Sanct. Antoninus verò 3. p. in Prol §. 4. & 5.* tenet, quòd ſacerdotes lato modo ſint in ſtatu perfectionis, quem ſequitur. *Aug. de Antona lib. de Poteſt. Eccleſ. quæſt. 76. a. 1.* D. Th. autem ſentit, quòd ſacerdotes ex vi ordinis non ponuntur ſimpliciter in ſtatu perfectionis, vnde innuit, quòd ſaltem ſecundùm quid talis ſtatus illis conueniat.

6 Ordinatos in ſacris ex vi ordinis, non habere obligationem ad ea quæ ſunt perfectionis oſtenditur. Ex duplici enim capite videri poteſt, quòd Clerici ex vi Ordinis Sacri ordinentur ad ea, quæ ſunt perfectionis. Primò quidem ex eo quòd ad dignè exercendos ordines requiritur actualis ſanctitas, & perfectio etiam interior, & hanc obligationem recipiunt ordinati ex vi ordinationis. Verùm hoc non probat, niſi quòd ordinati ex vi ordinationis ſtrictiùs obligantur ad ea, quæ ſunt perfectionis ſubſtantialis, ſicut & Reges, & Magiſtratus, & Iudices, & Patresfamilias, tenentur quodam ſtrictiori vinculo ad Dei legem implendam, ſed hæc non eſt obligatio ad ea, quæ ſunt perfectionis ſimpliciter, & ſupererogationis, de qua nos loquimur, & quæ eſt neceſſaria ad ſtatum perfectionis ſimpliciter & propriè ſumptum. Sed clerici ex tali obligatione hoc habent, vt ſint in altiſſimo gradu ſtatus perfectionis ſubſtantialis, obligati, vt ſic viuant, vt digni ſint Sacroſancta Myſteria ſanctè & dignè, & religioſè, & ſine ſecularium ſcandalo cum ædificatione exercere.

7 Secundò autem videtur ordinatos obligari ad ipſa ordinum exercitia, quæ ſunt opera Sacroſancta, & ſupererogationis, & quæ ſecundùm ſe ſunt de conſilio, non de præcepto, & quæ ſummè

vti-

vtilia sunt ad perfectionem simpliciter acquirendam. Sed primò consideratur, quod ordinum exercitium est particulare quoddam genus operis vtilis ad perfectionem, vnde obligatio ad illud est obligatio ad ea, quæ sunt perfectionis solùm secundùm quid, nimirum ad vnum particulare genus eorum operum quæ perfectionis sunt. Et vlteriùs additur quòd ordinati ex vi ordinis accipiunt potestatem operandi per se primò, & directè, sed non accipiunt obligationem plurimũ vtẽdi illa potestate, & operãdi. Nã quidquid sit an v.g. sacerdos aliquando teneatur celebrare etiam præcisa quacunque alia obligatione, ex vi suæ ordinationis, certum est, hanc obligationem esse ad tam paruum numerum missarum, vt in proposito pro nihilo possit computari. Neque enim ad statum perfectionis constituendum sufficit obligatio ferè nulla ad ea, quæ sunt perfectionis, qualis est obligatio sacerdotis ad celebrandum. Non ergo sacerdoti deest status perfectionis, defectu operum perfectorum, quorum accipit potestatem, sed defectu obligationis ad eorum exercitium; Sic enim sacerdos accipit in sui ordinatione æternam potestatem operandi, sed non accipit immutabilem obligationem ad multũ operandũ, sed suæ libertatis est sua potestate vti præcisa alia obligatione; Nam ad celebrandum tenetur postea sacerdos vel ex cura animarum suscepta, vel ex contractu, vel ex mandato superioris, quæ obligatio conditionata, scilicet si superior præcipiat, non sufficit ad constituendum statum simpliciter.

Et per hæc patet responsio ad primũ. Et ad secũdũ.

8 Ad tertiũ dicitur quòd obligatio illa maior, quam habet sacerdos ad Dei præcepta seruanda, non constituit statum, sed perfectiorem gradum in eodem statu sæcularium.

9 Ad quartum dicitur, quòd sacerdos ratione voti Castitatis est in statu perfectionis secundum quid. Ideo D. Th. dixit quòd sacerdos non esse in statu perfectionis simpliciter.

10 Quod secundò D. Th. asserit est quòd Curati non obligantur ad permanentiam nedum ex voto aliquo propriè dicto, sed neque obligatione tali, quæ mereatur dici votum. Hoc tamen difficultatem continet propter multa quæ obijci Henricus quod. 12. citato.

SVMMARIVM.

1 *Opinio affirmans Parochos obligari ad permanendum in eorum officio. num. 11.*

2 *Papa potest sine alicuius beneplacito validè Papatui renunciare. n. 12.*

3 *Parochus non habet obligationem & perpetuitatem ad curam aliorum talem quæ sit sufficiens ad statum perfectionis propriè sumptum, quia non ex natura sua, & institutione. n. 13.*

4 *Immobilitas annexa alicui officio ex lege positiua, est immobilitas accidentalis & proueniens ab extrinseco, quæ potest adesse, & abesse. n. 13.*

5 *Discrimen inter officium Episcopi, & Parochi Quod illud habet immobilitatem ab intrinseco & isti accidit immobilitas. n. 13.*

6 *Innoc. X. Statuit in Parochijs quorum cura Regularibus commissa erat in paruis conuentibus, ponantur Clerici sæculares ad Regularium nominationem, qui etiam sint vel perpetui, vel amouibiles ad arbitrium Episcopi. n. 13.*

7 *Ante Dionisium Papam non dabantur in Ecclesia Parochi titulares & perpetui, sed clerici subibant curam animarum tamquam ministri Episcoporum ad eorum nutum. n. 14.*

8 *Officium Parochi igitur per se est merum ministerium, non tamquam causa principalis famulatum sub Episcopatu. n. 14.*

9 *Omnibus Curatis vniuersaliter in iure data est facultas ingrediendi Religiones, etiam inuitis Episcopis. n. 15.*

10 *Licet status Religiosus sit securior statu Episcoporum, hic tamen est perfectior. n. 15.*

11 *Religiosus non potest de Religione transire ad curam animarum, nisi cum expressa licentia S. Congregationis. n. 15.*

12 *Iura quæ concedunt Parochis transitum ad Religionem non continent licentiam & dispensationem ab obligatione, sed declarationem libertatis eorundem. n. 16.*

13 *Et illa iura, quæ tradunt non posse Parochum deserere curam nisi consentiente Episcopo, non inducunt nisi obligationem accidentalem, seu quæ accidit officio Parochi. n. 17.*

14 *Ideo Cura animarum sub Episcopo non constituit statum, eo quia immobilitas eius non est annexa per se ministerio, sed tantum ei accidit ab extrinseco & est conditionata. n. 18.*

15 *Prælati similes Episcopis in iurisdictione, vt Abbates, & Generales Ordinis Prædicatorum, & Societatis IESV licet sint perpetui, & habeant iurisdictionem quasi Episcopalem in subditos, attamen cum ex vi officij per se non sint tales, non sunt, neque constituunt peculiarem statum perfectionis. n. 19.*

16 *Vota perpetua alia sunt talia simpliciter, & ab intrinseco ratione materiæ; vt sunt vota obedientiæ, castitatis, & paupertatis. Alia sunt talia per accidens, vt vota orationis ieiunij &c. numer. 20.*

17 *In votis perpetuis simpliciter solus Papa potest dispensare. In alijs Episcopi. n. 21.*

18 *Votum quod includitur in consecratione Episcopi est votum perpetuum ratione materiæ, & per se, non vero tale est pactum, quod includitur in assumptione ministrorũ inferiorũ ab Episcopo. n. 22.*

Vtrum Parochi sint obligati ad permanendum in suo officio & cura animarum?

11 NAm quòd maneant obligati, patet Quia non possunt relinquere curam sine licentia, licet ex iuris indulgentia faciliùs possint curati deserere curam ob religionis ingressum, quàm Episcopi, ideo non valet ex hac facultate ad ingrediendam religionem quam Parochi habent ex indulgentia iuris 19. *quæst.* 1. *cap. vnico ex Concil. Tolet.* 4. *c.* 49. *& quæst.* 2. *c* 2. *ex Vrbano Papa II.* Quia inquit Henricus, hoc habent ex iuris indulgentia, & secundò addit *Suarez nu.* 9. quia facultas ingrediendi religionem non infert

absolutionem ab obligatione, nam & religiosi possent transire de laxiori ad perfectiorem religionem. Nec valet dicere cum *Caiet.* quòd hoc non valeret in Curatis, qui si essent in statu perfectionis essent in statu perfectiori, quàm religiosi, quia essent in statu perfectionis vt perfectores, quia inquit *Suarez*, essent in statu perfectorum in gradu imperfecto, & moraliter melius, & securius esse esse in statu perfectionis acquirendæ; qualis est status religiosorum.

12 Minùs valet alia ratio insinuata à D.Thom. quia scilicet Parochi ad libitũ possunt curam animarum relinquere. Nam si hoc intelligatur, quia inquit *Suarez nu.11.* nec requiratur licentia Episcopi, sicuti intellexit *Caiet. asserens* Parochos nec diuino, nec humano iure teneri in suis officijs perseuerare, euidens est hoc falsum esse, ex *cap. admonet. de renunc. quòd est Alex. III. & ex cap. si quis verò cum trib. sequent. & cap. Episcopus de loco 7.q.1.* in quibus locis prohibentur Curati relinquere Parochias sine licentia Episcopi. Et ita tenent communiter Iuristæ, vt videre est apud *Flamin.de resig. benef.lib.7.q.1.* & habetur ex *D. Thom. in hoc artic. dicente*, posse Archidiaconum & Curatum relinquere Ecclesiam de licentia Episcopi. Minùs valet, quod *Caiet.* addit, scilicet Parochum prohiberi renunciare Ecclesiam ex fidelitate erga Episcopũ. Tum quia cõstat hanc obligationem haberi ex iure. Tum quia obligatio ex fidelitate pura, est obligatio illius honestatis, & vrbanitatis, cuius transgressio non esset tam grauis culpa, Tum quia tunc Curatus teneretur solùm petere, non vero obtinere licentiam, & tamen prohibetur deserere Ecclesiam sine licentia Episcopi. Quam licentiam Episc. non potest etiam dare sine graui causa, vt iura disponunt, & præcipuè Pius V. in motu proprio 58, in Bullario, & incipit, *Quanta Ecclesiæ Dei &c.* Si autem dicatur Parochum posse renunciare Ecclesiam, sed de licentia Episcopi, iam hoc non tollit moralem perpetuitatem Parochialis officij, & parum refert dicere, quòd non requiritur licentia Papæ, sed sufficit Episcopi licentia, quod est signum, quòd obligatio Parochi non sit perpetua, quia solus Papa dispensat in votis perpetuis; Tum quia nec Episcopi, nec Parochi obligatio est ex voto, tum quia dici potest, quod in Episcopo solus Papa dispensat, quia Episcopus non habet Superiorem nisi Papam. Cum aliàs Papa ipse, qui Superiorem non habet sine alicuius licentia Papatui renunciet validè, & liberè, vt constat ex *cap.1. de renunc. in 6. & Gloss. ibi & D D. docent.* Parochus verò vt renunciet licentiam petit ab Episcopo, qui est eius immediatus superior. Minùs verò obstare potest, quòd faciliùs detur Parocho licentia renunciandi, quàm Episcopo; quia totum hoc est ex iure positiuo; & secundò non infert nisi maiorem firmitatem, & nobilitatem in officio Episcopatus; non verò quòd officium Parochi non sit de se immobile, & perpetuum. Maximè quòd in Pontifice maior est libertas, cum sine licentia pro sua libertate renunciet, & tamen officium Pontificatus est immobile.

13 Respondetur, officium Parochi aut curæ animarum non habere obligationem & perpetuitatem sufficientem ad statum perfectionis propriè sumptum, vt benè ex *D. Thom. tradunt Caietan. Valentia, Ledesma, Io. de Cruce supra citati*, quia hanc non continet ex natura sua & institutione. Considerandum enim est, quòd immobilitas, quæ ex lege positiua accidit officio alicui etiam post multa tempora suæ institutionis, non facit, quòd officiũ ex natura sua sit status; quia est immobilitas accidentalis, & ab extrinseco proueniens, & potens officio adesse, & abesse præter eius corruptionem, & salua officij substantia, & conditione. Est autem considerandum ex præcedentibus, discrimen esse inter Officium Episcopi, & Parochi; quòd illud habet immobilitatem aliquam ab intrinseco, quia bonum regimen Ecclesiæ ab intrinseco petit, vt sub Pontifice sint in Ecclesia non solùm serui, ac ministri, sed Pastores, qui sint causæ principales licet secundæ, quarum munus sit, vt tanquam causæ morales principales populos pascant. Est autẽ proprium causæ principalis, vt supra dicebatur, habere virtutem sibi propriam & permanentem, & sibi connaturaliter inhærentem, nec à se nisi cũ quadam violentia amouibilem. Et quia potentia hæc est *respectiua*, & datur in vtilitatem populi, ideò iustum est & huic potentiæ connaturale, vt Pastor oues non deserat, sed immobiliter eis adhæreat, ad hunc enim finem datur potestas de se immobilis, vt immobiliter Pastor curam ouium habeat. Pastores verò sunt Episcopi. Sed Curati non sunt nisi ministri Pastorum, & verè eorum officio accidit, quòd habeatur in titulum, & permanenter, nec per se ad Ecclesiam regendam necesse est, vt ministri sub Episcopo, sint potiùs titulares, quàm Capellani, seu ministri ad nutum Episcopi, & ex consequenti ad eorum etiam placitum amouibiles. Sicuti de facto nunc etiam, in multis Parochijs dantur Vicarij amouibiles ad nutum. Et nouissimè Innocent.X. statuit, quòd in Parochijs, quarum cura erat Regularibus commissa in paruis conuentibus, ponantur Clerici seculares ad Regularium nominationem, qui sint vel perpetui, vel tẽporales ad arbitrium Episcopi. Hoc enim manifestum signum est, quòd officium Parochi de se non est perpetuum, sed obligatio pascendi animas sub Episcopo est accidens de se imobile, & ad nutum Episcopi, & ad arbitrium ministri.

14 Et hoc ampliùs probatur, quia ante Dionysium Pontificem, qui fuit electus anno 262. & vixit vsque ad annum 272. Non fuerunt in Ecclesia Parochi titulares, & perpetui, sed clerici tamquam ministri Episcopi ad eius nutum in ciuitatibus, & villis curam animarum habebant, vnde & decimæ ab Episcopis percipiebantur, & per manus illius clericis ministris dispensabantur, vt probat *Barbosa de offic. Parochi cap.1.n.17. ex c.1. vers. has verò decimas, & Nauar. in c. placuit. d.6. Put. decis.361. num.5. lib.1. & Gonz. glos.6. num.80. ad reg.8. Cancell.* Sed populo Christiano aucto Dionysius Papa 24. post Petrum Parochias diuisit & Parochos titulares instituit, vt habetur ex *cap.1. 13. q.1. & cap. pastoralis de ijs, quæ fiunt à Prælatis*, & probat idem *Barbosa ibid. num.18. plures D D. adducens*, & in specie *Suarez tom.1. de Relig. lib.1. c.21. à num.4. & Rotam in Conchen. decim. coram bon. memoria Andrea, 7. Febr. 1618. & in Florent. Paroch. 22. Maij 1630. coram Coccino.* Quamobrem satis patet quòd officium curæ animarum sub Episcopo, nec est ministerium causæ principalis per se, sed

est

est per se merum ministerium, nec per se habet annexam immobilitatem, nec per se constituit statum perfectionis. Quód veró ex legis positiuæ decretis habuerit postea aliquam immobilitatem secundùm quid, cum hæc sit tali officio accidentalis, & de facto aduenens, & aliquando non adueniens, non facit quod tale officium per se, & ex se sit status perfectionis, quia non ex ratione officij per se habet immobilitatem, sed aliunde.

15 Et hoc satis etiam ostenduntur rationes in textu consideratæ. Et quidem vt aduertunt *Ledes. Io. de Cruce, & Pax Iordan locis citatis*, id suadet licentia non particularis, sed in vniuersali omnibus Curatis data transeundi ad Religionem quãcumque. Nam aliàs, vt bene *Caiet. aduertit*, quem sequitur *Valentia*, si officium curæ animarum esset status perfectionis, esset status perfectior, quam sit status cuiuscumque Religionis, quia esset status perficientium alios. Nam in duobus excelleret valde Religiones. Primò quia officium Parochi requirit in Parocho de facto perfectionem vitæ exemplaris ex strictiori iure, nimirum ex eo quód sit datus in gubernatorem, & ducem fidelium. Secundò, quia cura animarum concernit, & actiones perfectiores ex genere, quam sint illæ ad quas status religionum ordinatur, nam cura salutis fidelium est actus charitatis excellentissimus. Nec valet motiuum *Suarez*, quia scilicet status religionũ sit securior & melior; quia non ex securitate status accipitur mensura perfectionis eius. Nam & status religionum est securior statu Episc. neq; tamen est perfectior sed perfectior status est, qui & supponit maiorem perfectionem ad sui exercitium, & assumit vt media ad perfectionem actiones perfectiores, & ad charitatem augendam aptiores. Minùs valet, quód status Parochorum esset infimus in gradu perficientium, quia semper esset perfectioris ordinis, & generis, & infimum supremi generis, aut ordinis excedit in perfectione supremum cuiuscumque ordinis, aut generis inferioris. Vnde si munus Parochi constitueret statum, quilibet Parochus esset in statu perfectiori, quàm quilibet religiosus, neque liceret relinquere Ecclesias propter ingressum religionis, nisi ex valde graui causa toties ab Episcopo examinanda, quia hoc esset post missam manum ad aratrum respicere retro, vt D. Thom. in textu deducit. Accedit, quod tanti est transire de statu perfectionis, ad statum etiam meliorem, vt modò etiam hoc sit vetitum sine licentia Pontificis per Congregationem Regulariũ concedenda. Et tamen Parochis indifferenter licet, etiam Episcopis inuitis deserere Parochias, vt transeant ad statum religionis. Inter alia enim in dicta causa 19. *q.* 2. *c.* 2. ex Vrbano Papa II. hæc habentur. *Quisquis ergo (scilicet Parochorum) hoc spiritu ducitur, etiam Episcopo contradicente eat liber nostra voluntate*. & ex *Concil. Tolet. 4. cap. 49.* vt habetur *ibid. q. 1. c. 1.* decernitur, hoc modo scilicet. *Clerici, qui Monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis esse ab Episcopo in Monasterium largiri oportet ingressum, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur*; In quibus verbis decernitur, quód vita religionis sit melior, quod non esset, si officium Parochi esset de se immobile, & perpetuum. Sed & ponderanda est ratio Vrbani II. loco citato, quam expressit per hæc verba: *Quia, scilicet Parochus, lege priuata ducitur, nulla ratio exigit, vt à lege publica constringatur*. Lex enim hæc priuata, quæ non debet constringi est lex libertatis, quam Parochus habet, vt ex suo arbitrio deserat Ecclesiam, vt transeat ad religionem.

16 Hinc est, quod non valet aliud motiuum Henrici, quia scilicet hæc facultas transeundi ad religionem sit in Parochis indulgentia iuris, non veró Parochorum libertas, & arbitrium. Quia primò vt aduertit *Caiet.* hæc indulgentia non est licentia & dispensatio obligationis, sed declaratio libertatis. Quod probat *Caiet. ex cap Nisi cum pridem de renunciat* vbi dicitur, *Facilius indulgetur, quòd monachus ad præsulatum ascendat, quàm præsul ad monachatum descendat*. Hic enim libertas monachi ad præsulatum assumendi dicitur indulgentia, non prout indulgentia est dispensatio obligationis, quia hac dispensatione non indiget monachus, vt fiat præsul, sed prout indulgentia est declaratio libertatis. Quia Religiosi ex vi status non prohibentur ascendere ad Prælaturam. Secundò, quia si in Parochis non esset libertas transeundi ad statum religiosum, nec fuisset dispensatum sic absolutè, & vniuersaliter cum omnibus illis super hac obligatione, nec pro causa fuisset adductum, vel quod vita religiosa sit melior, vel quód Parochus ducitur priuata lege libertatis, quæ non debet restringi, nec quod non debet impediri, sed imò ex lege officij sui fuisset impeditus, & restrictus & indiguisset solui, & relaxari. Constat igitur ex his quód in Parocho est libertas à lege soluta deserendi Ecclesiam ob transitum in Religionem.

17 Sed per se loquendo, cura animarum sub Episcopo nedũ est talis, vt possit relinqui ob transitum ad statum religiosum, sed ob alias etiam causas iustas ad arbitrium Curati, eo modo quo alij ministri, & famuli temporales deserere possunt ministerium, & famulatum. Hoc enim iam patet ex supradictis, quia cum officium curæ animarum non sit de se immobile, sed sit purum ministerium, & famulatus sub Episcopo, non continet rigorosã obligationem per se, & ex natura sua, sed retinet naturam officij amouibilis ad arbitrium tam Episcopi, quam Curati, vt docet *Soto lib. 10. de iust. q. 2. a. 4. concl. 4.* Nec obstant iura per quæ decernitur, quód Parochus sine licentia Episcopi non possit deserere Ecclesiam. Quia hæc iura posteriora induxerunt obligationem accidentalem officio Parochi, aut curæ animarum, & proportionatam illi solùm, quatenus officium curæ animarum ab Episcopo datur in titulum perpetuum, quod accidit tali officio, Aequum enim est, vt sicut Episcopus non potest priuare officio suo Parochum, quod nec Parochus inuito Episcopo possit officium deserere. Eò magis nunc, cum Parochi officium simul est beneficium propter redditus Parochiales, quorum ius residet apud Parochum. Sed accidit officio curæ animarum sub Episcopo, quòd detur in titulum perpetuum, neque hoc accidens mutat cõditionem talis officij. Ideò secundò hæc obligatio non valet ad constituendum statum, quia non est de se perpetua, & relinquit ex vna parte hominem liberum ad ingressum religionis, & ex alia est à solo Episcopo dispensabilis, quod nõ esset, si esset obligatio de se perpetua. Neque enim valet dicere,

posse

posse euenire, quòd hæc obligatio sit dispensabilis ab Episcopo ad differentiam obligationis Episcopi, quæ nō est dispensabilis nisi à Papa. Hoc enim gratis asseritur. Nam obligatio permanendi in officio Episcopi de se non est dispensabilis, nisi à Pontifice, quia est per se annexa officio Episcopatus, sed hæc obligatio accidit officio curæ animarum, cum & antiquitus dati fuerint, & modò dentur Curati Vicarij amouibiles, & non perpetui obligatio verò non deserendi officium sit merè introducta ex iure positiuo, & talis vt sit dispensabilis per Episcopum. Ideò iure merito non valet ad constituendum statum.

18 Hinc neque obstat, quòd hæc obligatio in Parocho sit iam iuris naturalis, quia est ex pacto inito inter Parochum & Episcopum, seu Ecclesiā, vnde est obligatio naturalis, cum sit obligatio ex pacto. Quia nedum hoc pactum est accidentale officio curæ animarum sub Episcopo, sed est pactū temporale, & ad solum arbitrium, & consensum partium dissoluibile, vnde non est perpetuum moraliter & simpliciter loquendo, sed temporale, nec valet constituere statum, quia status majorem immutabilitatem importat, quàm sit illa, quæ est cōditionata, & quæ & non est intrinseca officio, & est mutabilis ad arbitrium hominum.

19 Colligitur autem ex dictis, quòd licet dentur in Ecclesia Prælati similes Episcopis in iurisdictione, licet non in cōsecratione, vt sunt multi Abbates, & perpetui Generales religionum, vt Generales Ordinis Prædicatorum, & Societatis Iesu, qui non sunt subiecti Episcopis, & aliàs in suos subditos habent iurisdictionem quasi Episcopalem; nihilominùs neque isti ex vi officij perpetuò obligantur ad ea, quæ sunt perfectionis, in omnibus enim istis perpetuitas est merè ex lege positiua, & accidentalis officijs, neque huiusmodi officia immediatè à Christo sunt instituta. Eorumque perpetuitas ab intrinseco dissolubilis est de partium consensu, & per accidens est, quatenus per solum Papæ consensum dissolui valeat, vnde nec habent perpetuitatem sufficientem ad statum perfectionis, licet oppositum vt probabile sentiat, *Suarez loc. citat. num. 18.*

20 Possent verò obijci ea, quæ habet idem *Suarez ibidem à numer.* 21. vt probet officiales inferiores Episcopo habentes curam animarum esse principales agentes, & non instrumentales, & ex consequenti habere perpetuitatem ex se ipsis. Sed de hoc locus disputandi est infra respons. ad secundum & tertium, vbi author ait, solos Episcopos esse in hoc ministerio principales. Interim hic sufficiat dicere, quod huiusmodi officiales, id principalitatis, quod videntur habere, habent per accidens, & amouibiliter respectu curæ animarum formaliter & simpliciter, vnde multò minùs ex hac parte habent perpetuitatem, quæ sufficiat ad statum perfectionis.

21 Cum verò ex D.Thom. dictum sit, solum Papam dispensare in obligationibus perpetuis, objicit contra hanc partem *Caiet.* quia Episcopus dispensat etiam in votis perpetuis orationis, ieiunij, & peregrinationis; igitur non est Papæ proprium dispensare in votis perpetuis. Bene verò respondet *Caiet.* distinguens vota in perpetua simpliciter & per se, & perpetua per accidens. Illa enim dicuntur vota per se perpetua, quæ sunt talia ex materia, vt votum continentiæ simpliciter, & paupertatis simpliciter, & obedientiæ simpliciter. A posteriori verò probatur, quòd huiusmodi vota sint per se perpetua, quia non est necesse, quòd vouens supra actum suum reflectatur, sed expressè vltra substātiam actus promittat perpetuitatem, sed huiusmodi vota illico ex vi promissionis habētur in Ecclesia vt perpetua. A priori verò idem probatur, quia continētia simpliciter, non est cōtinentia solū à cōcubina vel cōtinentia ab vxore per aliquod tempus, quia huiusmodi sunt continentię secundū quid sed cōtinentia simpliciter est prorsus ab omni libidine & copula carnali, seu immunditia carnis abstinere. Ideò perpetuitas est de ratione materiæ promissæ, simpliciter sumptæ, ac propterea tale votum est votum perpetuum simpliciter, & ab intrinseco, sed oratio simpliciter absolutè sumpta etiam perfectissima nullum dicit tēpus, & conditio temporis est orationis circumstantia accidentalis, nec propterea votum orationis est per se perpetuum, sed per accidens, si vouens nedū promittat orationem, sed etiam perpetuitatem orationis. Papæ verò soliua est dispensare in votis per se perpetuis.

22 Magis ex his superiora confirmantur, & apparet quomodo pactum sub quo Episcopus accipit Episcopatum claudat perpetuitatem ab intrinseco, & iure merito appelletur votum perpetuum; quia ministerium Episcopale à Christo institutum, vtmunus causæ propriè & perfectè principalis habet per se annexam perpetuitatem, licet per accidens ex graui, & iusta causa dissolubilem à Papa Christi authoritate, vnde cum pactum acceptantis Episcopatum hanc per se perpetuitatem claudat, & ex eo Episcopus perpetuò se obliget ad opera excellentissimè religiosa, meritò tali pacto nomen voti tribuitur; quod non conuenit pacto, quo inferiores Episcopo se obligant ad curam animarū, cum eorum officium per se non habeat perpetuitatem, & perpetuitas quam habent per se ex mutuo consensu officialium, & Episcopi sit dissolubilis. In responsione ad primum &c. tractatur quæstio.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi sunt maiores ceteris presbyteris de iure diuino expresso in figura Apostolorum & septuaginta discipulorum. n. 23.*

2 *Sed dubitatur an hoc tollat principalem curam animarum ab Episcopis, ita quod etiam Curati inferiores in suo genere sint instituti à Christo & causæ principales. n. 24. & 25.*

An Episcopi sint maiores presbyteris ex iure diuino?

23 VIdetur enim quòd *Hier. super illud ad Titum 1. Constituas per ciuitates presbyteros.* sentiat, quòd Episcopi sint maiores presbyteris magis Ecclesiæ consuetudine, quàm Dominicæ veri-

veritatis dispensationi, & sic quòd hæc maioritas sit de iure Ecclesiastico. Verùm vt habetur in calce responsionis huius, hæc est hæresis Arianorum vt habet *Aug.lib.de hæresibus cap.53.* quòd presbyteri ab Episcopis nulla differentia debeant discerni. Ideò dupliciter exponitur dictum *Hieron.* Primò, quòd loquitur de distinctione, & maioritate nominali, quia olim tam Episcopi, quàm alij Sacerdotes vocabantur Episcopi & presbyteri, sed postea ad schisma vitandum instituta fuit nominum distinctio, & Episcopi hoc speciali nomine nuncupati sunt. Secundò vt intelligatur de maioritate secundùm expressionem, quia ex Ecclesiæ consuetudine magis expressè innotuit distinctio, & maioritas Episcoporum, quàm ex Christi institutione, qui huius distinctionem nobis tradidit in figura septuaginta Discipulorum, & Apostolorum, non verò expressè in se ipsa.

24 In responsione ad secundum, & in responsione ad tertium ponitur discrimen inter Episcopos, & inferiores Curatos, Quòd Episcopi habent principaliter curam animarum, sed Archidiaconi, & presbyteri Curati habent aliquas subministrationes sub Episcopis, & se habent ad Episcopos sicut se habent Balini, & præpositi ad Regem.

SVMMARIVM.

1 *Rationes pro parte affirmante. n.26.*
2 *Pro parte negante auctoritates. n 27.*
3 *Causa propria, & principalis est illa, quæ directè agens ad finem proprium habet virtutem adæquantem effectum taliter, vt vel per se solam, vel per instrumenta propria effectum producere potest. Illa verò, quæ solum ad effectum producendum vtile aliquod præstat, & propterea operatur ad finem alterius dicitur causa instrumentalis. n.28.*
4 *Parochi seu alij inferiores Episcopis habentes curam animarum in eo munere solum aliquod particulare agunt ordinatum ad finem Episcopi. Huius autem solius est salutem animarum perficere, & ad illam perficiendam directè agere, num.29. & 30.*
5 *Nullus etiam à Parocho inuitatus potest sine licentia Episcopi in Ecclesia Parochiali prædicare, num.29.*
6 *Concionatori noto semel, vel bis potest permittere Parochus, quod in sua Ecclesia prædicet. n.29.*
7 *Concilium Trid. iniungendo Parochis, vt sermones ad suum populum habeant, imponit eis onus docendi secundum quid populos, scilicet explicare notiora, annunciandi dies festos &c. Episcopis verò iniungitur onus docendi plebem simpliciter per se ipsum, vel per alios. n.29.*
8 *Septuaginta Discipuli fuerunt missi à Christo in omnem Ciuitatem in qua erat ipse venturus, & ideò præibant quasi disponentes ad prædicationem Christi, & ideò vt causa instrumentales, num.30.*
9 *Licet in ordinatione Presbyterorum duo numera eis tribuantur, scilicet præesse, & prædicare hoc est quia fiunt tales quibus committi possunt hæc duo sine titulo perpetuo. n.31.*
10 *Nulla datur causa instrumentalis, quæ respectu alicuius effectus particularis non sit principalis, quia non esset apta ad inseruiendum causæ principali pro introducenda forma, seu perfectione principali. n.35.*
11 *Effectus primarius intentus à Christo & Ecclesia est salus totius populi perfecta per administrationem omnium Sacramentorum. Cui solus Episcopus deputatur ex vi propriæ consecrationis. num.32.*
12 *Abbates & Generales Ordinum Regularium licet habeant aliquid causæ principalis attamen sunt ministri Papæ, & ideo partialiter se habent ad curam animarum sibi subditarum. n.32.*
13 *Ita etiam Archidiaconi, & Curati sunt instrumenta Episcoporum, & particulariter se habent respectu totius, licet respectu aliquorum effectuum sint etiam causæ principales. n. 32.*
14 *Diuerso modo Episcopi sunt sub Papa, & Parochi sub Episcopis. n.33.*
15 *Quid intendat Concil.Trid. præcipiendo residentiam Parochis. n.34.*
16 *Responsiones ad obiecta pro parte affirmante. numer.35.36.37.38.*

Vtrum soli Episcopi habeant principaliter curam animarum, & inferiores Curati sint veluti instrumenta Episcopi?

25 Dictum enim D.Thomæ in hac responsione impugnant *Henricus dicto quòd 12. Gerson, & maior locis citatis.* Quoniam Parochi inferiores instituti fuerunt à Christo in electione septuaginta duorum Discipulorum, sicuti Episcopi in electione Apostolorum; vterque igitur sunt ministri Christi ab eo habentes, vt vnusquisque in suo genere sit causa principalis, licet Curati inferiores sint subordinati Episcopo.

26 Sed quod inferiores Prælati, & Sacerdotes curati, non sint pura instrumenta Episcopi, vel officiales eius, sed curam animarum gerant, vt causæ propriæ, & principales in suo genere sua propria & principali virtute; probat *Suarez lib.1. de statu perfect. cap.17.a nu.21.* Primò, quia enim sint tria genera eorū, qui sub Episcopo gerunt curam animarum. Nam alij habent iurisdictionem quasi Episcopalem, & sunt exempti à iurisdictione Episcopi. Alij vt Archidiaconus habent iurisdictionis Episcopalis partem, non verò totam, & non sunt exempti ab Episcopo, sed sunt sub eo, & ab eis datur appellatio ad Episcopum. Alij non sunt Prælati, quia non habent iurisdictionem externi fori, sed tamen sunt proprij pastores suarum Parochiarum. At verò primi proculdubio sunt causæ principales, & exceptis ijs, quę spectāt ad characterē Episcopi, & ad consecrationem illius, in alijs, quæ pertinent ad iurisdictionem eadem virtute operantur circa suos ac Episcopi, à quorum etiam iurisdictione sunt exempti. Secundi etiam curam exercent vt causæ propriæ, & principales. Tum quia vi sui

mu-

muneris habent iurisdictionem, quam etiam Episcopus non potest auferre. Tum quia alteri delegant suam authoritatem, tum quia subordinatio, quam habenr ad Episc. non est cootra rationem causæ propriæ & principalis. Nam & Episcopi subordinantur Archiepiscopo, & Papæ. Tertij etiam vocantur communiter proprij Pastores, & proprij Sacerdotes, vt in *cap. Omnis vtriusque sexus, de pœnit.* nec debent dici instrumenta Episcoporũ, sed sunt in proprio genere causæ propriæ & principales. quia habeot proprium ius intrinsecum per quod operaotur.

Secundò quia oon obstat quod isti Prælati, vel Parochi sint coadiutores Episcoporum, quia etiam Episcopi sunt coadiutores Papæ, vt habetur ex Vigilio Papa *epist. 1. cap. vlt. relatum 2. q. 6.* & idem docuerunt Iulius I. *epist. 1. in fine*, & Leo *epist.* 82. *cap. 7.* Sunt enim Episcopi vocati in partem solicitudinis Pontificis, licet non in plenitudinem potestatis. Tertiò quia hoc colligitur ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. de refor. vbi cum ex eo quòd diuioo præcepto omnibus curam animarum habentibus mandatum eit oues pascere verbo, & exemplo decreuerit residentiam Episcoporum, decretum eadem ratione extendit etiam ad Curatos inferiores. Itaque Coocilium in eo contextu sub oomine pastoris proprij comprehendit etiam Curatos inferiores, quos etiam à mercenarijs distinguit; ergo sentit eos non esse officiales Episcoporum, & instrumeota aliena virtute operantia & alienam obligationem exeqoentia, sed esse proprios Pastores, & propria virtute curam ouium habere. Quartò, quia probabile est, quòd Gerson affirmat, scilicet Parochorum officium à Christo in designatione 72. Discipulorum institutum, quia ad bonum Ecclesiæ necessaria est Parochiarum distinctio, & institutio; & quidquid sit de hoc, sufficit qnòd nuoc Parochorũ officium est institutum cũ propria potestate, iure, & quasi dominio. Quintò, quia Parocho conueniũt omoes actus hierarchici, qui sunt purgare, illuminare, perficere. Purgant enim corripiendo, illuminant docendo, perficiunt Sacramenta ministrando. Sextò, quia non obstat quòd etiam dicatur Parochorum officium oon esse institutum à Christo, sed Parochos habere iurisdictionem ab Episcopo; Nam & Episcopus habet iurisdictionem à *Papa*, vt patet ex *cap. Ita Dominus dist. 19. & cap. Quoties 24. q. 4.* & tamen Episcopus est causa propria, & priocipalis curæ animarum.

27 In oppositum autem sunt author. *Glossa, & Dion. & Decreta quæ Diu. Thom.* adducit *Caietan. infra a. 8. Valent. 2. 2. disp. 10. q. 2. p. 5. Ledes. de stat. perf. cap. 2.*

28 Respondetur causam principalem & propriam illam dici, vt bene considerat *Caiet. infra* a. 8. quæ directè agens ad finem proprium, habet virtutem adæquantem effectum taliter, vt vel per se solá, vel per instrumenta propria effectum producere possit, illa verò, quæ solùm ad effectum producendum vtile aliquid præstat, & operatur propterea ad finem alterius, non est causa propria & principalis, sed instrumentalis. Sic in naturalibus homo est causa principalis generationis, quia ad ipsum directè spectat hominem generare, & habet virtutem adæquantem effectum, ita quòd valet sua virtute effectũ perficere, & filium generare. Sic etiam artifex est causa principalis ędificij, quia ipse est qui directè formã ædificij intēdit, & ad eam inducendũ agit, & ipse habet virtutem adæquantem effectum, per quam per ministros potest ædificium perficere. Sed cæmentarij, & murorum erectores ministri sũt directè agentes ad finem alieoum, scilicet Architecti, & solum ministerium ad aliquod particulare adhibeotes, oon habentes virtutem nisi ad aliquid faciendum, quod sit vtile ad ædificium perficiendum, non verò valentes sua virtute ædificium perficere, nisi vt stant sub motione, & directione architecti. Et sic solus architectus est causa principalis & perficiens, alij vero operarij sunt causæ instrumentales & adiuuantes. Neque obstat quod respectu alicuius effectus sint causæ propriæ, & principales, quia cæmentarius v. g. vt propria causa præparat cæmentum, & alius vt causa propria erigit murum; Quia proprium est instrumenti aliquid agere, vt causa propria, sed tamen quia quod agit ordinatur ad finē alienum, & ad alienum effectum, respectu illius alieni effectus est causa instrumentalis, & absolutè est, & dicitur talis, quia eius virtus nõ se extendit nisi ad id, qood est partiale, vel materiale alicuius effectus proprij alterius principalis agentis.

29 Modo si benè res consideretur apparebit, Parochos seu quoscumque inferiores Curatos habentes curam animarum, in hoc munere agere solum aliquid particulare ordinatum ad finem Episcopi, cuius solius est & salutem animarum perficere, & ad illam perficiendam directè agere, ipsis verò solùm aliqua particularia circa curam animarum committuntur, vt docet *D. Thom. infra art. 8.* Primò enim solus Episcopus conficit Chrisma, & consecrat aquam baptismalem necessariam ad baptismum solemnem, quem ministrare conuenit Parocho vt Parocho, cum aliàs in necessitate etiam mulier baptizet cum aqua pura, & sacro chrismate non consecrata. Secundò solus Episcopus potest Sacràmentum Confirmationis conferre. Tertiò, solus Episcopus benedicit & consecrat oleum extremæ vnctionis. Quartò, solus Episcopus confert sacros ordines. Quintò, solus Episcopus consecrat virgines, quæ sunt portio præcipua Ecclesiæ. Sextò, solus Episcopus consecrat Ecclesias in quibus cura animarum exercetur. Septimò, solius Episcopi est populum docere, Episcopo enim in sua consecratione munus prædicandi committitur. Vt ex Pontificali Romaoo constat. Et vt aduertit idem *Suarez loco citato cap. 18. num. 3. Conc. Trident. sess. 25. cap. 11 de reform.* inquit, *Prædicare esse proprium Episcoporum munus*, iuxta illud *Marci vlt. Prædicate Euangelium*. In hoc enim munere Apostolis Episcopi succedunt, illisque prædicandi necessitas incũbit iuxta illud Apost. 1. Cor. 9. *Væ mihi est, si nõ euangelizauero, necessitas enim mihi incumbit.* & 10 *Sept. Synod.* vt habetur *cap. omnes 38. dist. dicitur. Substantia summi Sacerdotis nostri sunt eloquia diuinitus tradita.* Qnod & docuit *Orig. hom. 6. in Leuit.* Vnde est, quod & modò Episcopi sunt qui concionatores Parochijs assignant, immò Parocho prohibitum est, cuique committere curam prædicandi in sua Ecclesia, nec potest permittere vt aliquis in ea concionem habeat, nisi sit ab Episcopo approbatus, vt habetur ex Concil. Trident.

sess. 24.

sess.24. de reform.cap.4.& sess.5. de reform. cap.5. & ita nunc nullus etiam à Parocho inuitatus potest sine licentia Episcopi in Ecclesia Parochiali prædicare, vt pluribus citatis ex declaratione Clementis VIII. resoluit *Barbosa de off. Parochi lib.1. cap.14. num.8.* Quamuis Parochus Concinnatori sibi noto possit permittere, vt semel vel bis in sua Ecclesia concionem habeat, vt tradit *Nauar.in manual.c.25.n.141.& Vgol.de off.Episc.cap.42.§.1.nu.3.* Et licet modò ex Conc. Trid. sess.5. de reform. c.2. & sess.22 de sacrif. Missæ cap.8.& sess.24.de ref.c.4 sit iniunctum Parochis, vt sermones habeant ad suum populum. Nihilominus considerandum est, quòd Parochis imponitur onus docendi secundum quid,& pro eorum capacitate, vt ex Concil. Trid. sess.5. citata apparet, vnde ad eos pertinet annunciare dies festos, & ieiunia, & explicare notiora quædam, & communia, quæ communiter fideles scire tenentur, fidelesque hortari ad virtutes, & vitia, eo modo quo sciunt, & valent. Sed docere plebem simpliciter solius est Episcopi, qui hoc per se ipsum, vel per alios præstat, nec Parochis committitur docere in arduis, & difficillibus nisi per accidēs, scilicet si sint valde docti,& idonei,cū aliàs in Parochis non requiratur tanta scientia,quæ sufficiat ad hoc,vt simpliciter possit scripturas interpretari, hæreses confutare, errores contra fidem in omnibus discernere, & plenè fideles illuminare, & per viam veritatis dirigere.

30 Ex quibus satis est manifestum, quòd directè agere ad salutem animarum pertinet ad Episcopum, qui solus etiam habet plenitudinem virtutis ad salutem animarum perficiendam, ad quem finem Episcopatus officium ordinatur per se primò, & directè. Sed quia curam animarum sibi subditarum non potest sine aliorum adiutorio perficere, ideo inferioribus non quidem omnia, sed aliqua magis necessaria, & communia, & facilia committuntur ab Episcopo. Ideo huiusmodi inferiores curam animarum habentes in hoc operantur directè ad finem Episcopi, & solùm ex parte tanquam Episcopi ministri saluti fidelium incumbūt. Non sunt igitur in hoc ministerio causæ principales, sed instrumentales.

31 Ad primum in oppositum respondetur ex *Caiet.in hoc artic.* quòd ex institutione Christi non potest colligi quòd Parochi sint vel causæ principales, vel in statu perfectionis. Nam & sacri ordines sunt instituti à Christo, & tamen non per hoc ordinati ex vi ordinis sunt simpliciter in statu perfectionis, & a superiore ordinante rempublicam instituuntur nedum ministri principales, sed etiam secundarij, & instrumentales. Sic à Christo in electione 12. Apostolorum instituti sunt Episcopi tanquam ministri Principales. Sed in persona 72. discipulorum non solùm Curati, & Parochi, sed quilibet presbyteri instituti sunt vt ministri Episcoporum. Nam & in ordinatione sacerdotum duo munera illis tribuuntur, scilicet præesse, & prædicare, vt constat ex Pontificali. Non quia ex hoc habeant ius præsidendi, vel prædicandi, sed quia fiunt tales quibus committi possit præsidentia, vel prædicatio; quod totum potest fieri sine aliquo titulo perpetuo, per solam delegationem & simplex ministerium. Ideo presbyteri ordinantur in ministros Episcoporum, quibus vti possint Episcopi. Quod ex numere 72. discipulorum colligitur. De illis enim dicitur quòd Christus misit illos binos in omnem ciuitatem & locum, in quo erat ipse venturus; vnde præibant quasi disponentes, & præparantes populos ad Christi prædicationem; proprium autem causæ instrumentalis est disponere ad effectum principalis agentis. Itaque Presbyteri curati instituti sunt vt ministri Episcoporum, qui ex Episcopi dispositione adiuuent iuxta eorum capacitatem ad salutem animarum, quarum cura directè & vt causæ principali Episcopis est commissa.

32 Ad primum *Suarez* respondetur, quòd nullus ex enumeratis in argumento est causa principalis salutis animarum, seu earum curam habet nisi vt causa instrumentalis vel Episcopi particularis, vel Pontificis. Et deficit argumentum, quia comparat virtutem ministrorum ad particularem & partialem effectum aliquem, non verò ad curam animarum absolutè, & ad perfectionem salutis totius populi. Nam non datur instrumentum quod non sit causa principalis respectu alicuius effectus particularis. Nec instrumentum esset aptum ad inseruiendum causæ principali, nisi haberet aliquam virtutem propriam in ordine ad aliquid agendum; sed tamen id quod agit instrumentum non est introductio formæ, nec perfectio principalis effectus, sed est vel dispositio ad formam, vel aliquod partiale ordinatum ad effectum principalis agentis. Modò sic est, quòd effectus primarius intentus à Christo, & ab Ecclesia est salus totius populi per doctrinam & Sacramentorum administrationem perfecta. Ad hunc effectum deputatur Episcopus, & ideo ipsi tribuitur virtus adæquans illum, & valens illum perficere. Neque hic effectus est proprius alicuius ministri inferioris, sed hic effectus est proprius Episcopi, & est finis aliorum presbyterorum, ad quem consequendam ipsi operantur ex parte. Ideo Abbates, vel Generales ordinum regularium exempti a iurisdictione Episcopi habent aliquid causæ principalis, sed sunt ministri Papæ. Et ex quo non consecrantur in Episcopos ad curam animarum, iam patet quòd valde partialiter se habent ad salutem animarum sibi subditarum, & ideo sic sunt causæ propriæ respectu aliquorum effectuum, quòd simpliciter sunt ministri & instrumenta Papæ ad perficiendam subditorū salutē. Alij verò siue Archidiac. siue Parochi sūt instrumēta Episcopi. Neq; obstat quòd habeant authoritatē propriam & ius, & quasi dominium, vnde etiā possunt delegare suam authoritatem in aliquibus casibus. Quia immò cōgruum est, vt instrumenta agentia ad curam animarum sint causæ propriæ alicuius effectus particularis ad hunc effectum conducentis; & isti ita sunt causæ propriæ partiales, quæ tamen sunt simpliciter instrumenta Episcopi ad salutem totius populi perficiendam, ad quam directè & per se primo agit Episcopus. Ideo isti tantum possunt, quantum illis committitur, vel a proprio Episcopo, vel a Papa, & non agunt nisi ex commissione & ad finem officij Episcopalis residentis primariò in Papa, & tanquam in causa secunda sed principali in proprio Episcopo.

33 Ad secundū, dicitur quod lōgè alio modo Episcopi sunt sub Papa, & presbyteri sub Episcopo. Nam Episcopi sunt coadiutores Papæ, vt causæ secundæ vniuersales habentes plenitudinem virtu-

tis ad curam animarum, suæ diœcesis, & ideo tamquam causæ principales agentes ad curam animarum tanquam ad finem proprium, seu ad proprium effectum. Omnia enim Sacramenta Episcopi ministrant, ipsisque munus docendi populum simpliciter incumbit, & miserabilium personarum curam gerere tenentur. Sed ministri inferiores Episcopo non habent plenitudinem virtutis ad salutem animarum, sed tantùm valent, quantùm illis committitur ab Episcopo, siue hic sit proprius Episcopus, siue Papa totius Ecclesiæ Episcopus. Vnde isti sunt ministri ad finem Episcopi operantes ex parte, tantum quantùm Episcopus iudicat sibi conuenire ad finem salutis sui gregis. Ideo isti ministri sunt simpliciter & instrumenta Episcopi.

34 Ad tertium dicitur, quòd duas partes habet illud decretum Concilij, in prima loquitur expressè de Episcopis, vnde primò colligit necessitatem residentiæ eorum in diœcesibus. In secunda autem parte extendit resolutionem ad Curatos & Parochos sed resolutio Concilij ibi non fundatur in modo agendi per modum causæ vel principalis, vel instrumentalis, quia non minus tenetur assistere suo effectui instrumentum necessarium, & ad agendum deputatum, quàm causa principalis, quæ sine instrumento nihil agit. Neque Concilium ibi intendit, quòd pascere gregem doctrina & exemplo, ministrare Sacramenta, & habere curam animarum eodem modo conueniat Parochis, & Episcopis, sed sentiens curam animarum cum proportione competere tam Episcopis, quàm alijs ad illam deputatis, omnium decernit residentiam. Ex eo igitur loco nihil habetur vnde colligatur Parochos esse causas principales in cura animarum, sed solùm quòd cum & illis incumbat ad talem finem agere, tenentur residere. Salua semper in modo & perfectione agendi differentia inter Episcopum, & Parochum.

35 Ad quartum dicitur nec verum esse, quòd officium Parochorum prout modo habetur per modum tituli, & cum quadam perpetuitate sit immediatè institutum à Christo, vt supra probatum est. Ex institutione enim Christi presbyteri sunt ministri & adiutores Episcoporũ ad libitũ Episcoporũ deputãdi ad id, quod Episcopo bene visũ fuerit. Et sub Dionysio Papa introducta fuit postea diuisio Parochiarum, & Parochorũ deputatio. Et prætereà, etiam si officiũ Parochorũ fuisset institutũ à Christo, non ex hoc sequeretur, quòd esset officium principaliter agendi ad curam animarum, sed solùm instrumentaliter, cum à Christo non habeant Parochi vniuersalem virtutem ad perficiendam salutem fidelium, sed tantam habeant ordinum potestatem, & aptitudinem, vt inseruiant Episcopo, quantam Episcopus iudicat ad profectum fidelium, vnde Parochi non habent ius nisi agendi ad finem Episcopi, quod est proprium instrumenti.

36 Ad quintum dicitur falsum esse, quòd munus Parochorum sit perficere; hoc enim est omnino proprium Episcoporum, vt expressè docet *Dion. cap. 5. Eccles. hier.* relatus à D. Th. in argumento *sed contra*. Sacerdotum enim est illuminare, sed Episcoporum consummare & perficere. Parochi enim nec omnia Sacramenta ministrant, nec sine Episcopo materiam consecrante ministrant Sacramenta Baptismi, & extremæ Vnctionis, nec plenè docent populum aut verbo aut exemplo. Et tantùm agunt ad perfectionem plebis, quantùm illis committitur ab Episcopo, sine cuius licentia etiam nihil agere debent, vt decernitur *16. q. 1. cap. cunctis in principio*, vt in hac *respons. ad secundum. D. Thomas*, docet. Aliquid igitur agunt, & ad perfectionem disponunt, sed non perficiunt, solumque vel purgant, vel illuminant.

37 Ad septimum dicitur, quòd etiam si Papa, discrimen est inter deputationem eorum & Parochorum veluti in actu primo & in aptitudine & dispositione consideratam; quia Episcopi ex vi suæ ordinationis & consecrationis, & ex consequenti ex vi institutionis Christi deputantur in ministros salutis animarum, cui tribuatur animarum cura cum plenitudine virtutis, & per modum principalis agentis ex proprio fine ad curam animarum perficiendam. Et ideo quando actu curam animarum recipiunt, recipiant illam vt causæ propriæ & principales. Sed presbyteri ex vi suæ ordinationis instituuntur vt ministri quibus tribuatur partialis virtus agendi ad finem Episcopi, & ex Episcopi dispositione, & non plenitudo virtutis. Ideo vndecumque Episcopi habeant exercitium iurisdictionis, semper est discrimen, quòd Episcopi ex Christi institutione sunt causæ principales quibus per se primò vt causis proprijs est commissa cura animarum. Sed curati instituti sunt vt ministri Episcoporum, qui partialiter ad dispositionem Episcoporum, & ad eorum finem operentur; ideo semper sunt instrumenta Episcoporum.

38 Neque obstat, quòd habeant hoc causæ principalis, scilicet quòd habent virtutem per modum permanentis. Tum primò, quia hoc est per accidens, & quia sic placuit Episcopo Ecclesiæ Catholicæ, cum tamen si Papa vellet; posset omnes Parochos titulares auferre, & Ecclesiam per officiales vicarios, & delegatos regere. Tum quia ex hoc non concluditur, nisi quòd Curati habeant aliquid principalitatis respectu illius effectus particularis, & partialis ad quem deputantur, quod non repugnat instrumento. Vnde semper apparet inferiores curam agere ad curam animarum secundariò & tanquam causas instrumentales.

SVMMARIVM.

1 *Nihilominus potest dici Parochos esse aliquo modo in statu perfectionis secundum quid, cum ex suo genere cura animarum sit opus magnæ perfectionis, cui cum modo sit annexum votum castitatis aliqualiter potest dici esse in statu perfectionis, num. 39.*

An saltem dici possit, Parochos esse in aliquali statu perfectionis?

39 PRoponitur hæc quæstio, non tam quia eius resolutio sit dubia, quàm vt eius vera causa assignetur. Certè enim nequit negari, quin officium Parochorum cui modò est

est annexum perpetuum votum castitatis, & quod modò datur in titulum perpetuum, & ordinatur ad curam animarum, & ad opera misericordiæ tam spiritualia, quàm corporalia, sit aliquo modo status perfectionis. Neque hoc D.Th. negat, qui etiam in textu de Sacerdotio dixit solùm, quòd non est simpliciter status perfectionis, innuens esse statum perfectionis secundùm quid, & ratione voti. Et ideo etiam *Suarez in fine illius cap.17.* randem resoluit presbyteros inferiores Episcopis esse, aliquo modò in statu perfectionis. Verum pro ea parte, qua negatur quòd sint in statu perfectionis simpliciter, ratio esse non potest, nisi quia non habent perpetuitatem status simpliciter. Nam aliàs opera ad quæ obligantur ex eorum officio sunt maximæ perfectionis, cura enim animarum est opus ex genere suo, quod & supponit perfectionem scientiæ & morum in subiecto, & in se est opus magnæ misericordiæ, & charitatis. Et licet hæc non sit in Parocho nisi pro parte; nihilo minùs illud quoque, quod ad Parochum pertinet, quod est verbo & exemplo pro sui idoneitate docere populum, & ei ministrare Sacramenta, est in se maioris perfectionis ex genere, quàm pauperem viuere sub obedientia alterius, & tantò ampliùs, quòd muneri pascendi fideles adiunctum iam est votum perpetuæ Castitatis, ex quo dicuntur esse in statu perfectionis secundùm quid, non ratione imperfectæ perpetuitatis, sed ex parte perfectionis, quoniam castitas est solùm pars, & vnum de consilijs ad perfectionis statum pertinentibus.

ARTICVLVS VII.

Vtrum status religiosorum sit perfectior, quam status prælatorum?

[Margin: inf. q. 185. art. 8. cor. & quo 1. a. 17. cu & cp. 18. c. 17. 18 & 19 b. Matth. 19. cel. 12. q. 1. c. episcopi.]

A*D septimum sic proceditur. Videtur, quod status religiosorum sit perfectior, quam status prælatorum. Dominus enim dicit Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus: quod faciunt religiosi. Non autem ad hoc tenentur Episcopi. Dicitur enim 12. q.1. Episcopi de rebus proprijs, vel acquisitis, vel quicquid de proprio habent, heredibus suis derelinquant. Ergo religiosi sunt in perfectiori statu, quam Episcopi.*

2. *Præterea, Perfectio principalius consistit in dilectione Dei, quam in dilectione proximi. Sed status religiosorum directè ordinatur ad dilectionem Dei. Vnde & ex Dei seruitio & famulatu nominantur, vt Dion. dicit 6. cap. Eccles. Hierar.* [Margin: non procul à fin.] *Status autem Episcoporum videtur ordinari ad dilectionem proximi, cuius cura superintendunt, vnde & nominantur: vt patet per Augustinum 19. de Ciuit. Dei †.* [Margin: cap. 19. à med. to. 5.] *Ergo videtur, quod status religiosorum sit perfectior quam status Episcoporum.*

3. *Præterea, Status religiosorum ordinatur ad vitam contemplatiuam, quæ potior est quam vita actiua, ad quã ordinatur status Episcoporum. Dicit enim Gregorius in Pastoral. quod per vitam actiuam prodesse proximis cupiens Isaias officium prædicationis appetijt.* [Margin: p. 1. c. 7. paulo à princ.] *Per contemplatiuam vero Hieremsas amori Conditoris sedulo inhærere desiderans, ne mitti ad prædicandum debeat, contradicit. Ergo videtur, quod status religiosorum sit perfectior, quam status Episcoporum.*

Sed contra, Nulli licet à maiori statu ad minorem transire: hoc enim esset retro aspicere. Sed potest aliquis à statu religionis transire ad statum Episcopalem. Dicitur enim 18, quæst. 1, quod sacra ordinatio de monacho Episcopum facit. [Margin: 18. q. 1. c. statutum est.] *Ergo status Episcoporum est perfectior quam status religiosorum.*

Respondeo dicendum, quod sicut Augustinus dicit 12. super Genes. ad literam, [Margin: cap 16. in med. to. 3. cap 6. eccl. hierar.] *Semper agens præstantius est patiente. In genere autem perfectionis, secundum Dionysium †, Episcopi se habent vt perfectores, religiosi autem vt perfecti; quorum vnum pertinet ad actionem, alterum autem ad passionem. Vnde manifestum est, quod status perfectionis potior est in Episcopis, quam in religiosis.*

Ad primum ergo dicendum, quod abrenuntiatio propriarum facultatum dupliciter considerari potest. Vno modo, secundum quod est in actu. Et sic in ea non consistit essentialiter perfectio: sed est quoddam perfectionis instrumentum, sicut supradictum est. [Margin: ar. 3. huius q.] *Et ideo nihil prohibet statum perfectionis esse sine abrenuntiatione propriorum: sicut etiam dicendum est de alijs exterioribus obseruantijs. Alio modo potest considerari, secundum præparationem, vt scilicet homo sit paratus, si fuerit opus, omnia dimittere vel distribuere. Et hoc pertinet directe ad perfectionem. Vnde Augustinus dicit in lib. de Quæstionibus Euang. Ostendit Domi-*

1L. 2. c. 10. Paulo à Prin. to. 4. *nus filios sapientia intelligere, nec in abstinendo, nec in manducando esse iustitiam, sed in aquanimitate tolerandi inopiam. Vnde & Apostolus dicit. Scio & abundare, & penuriam pati. Ad hoc autem maxime tenentur Episcopi: quod omnia sua pro honore Dei, & salute sui gregis contemnunt, cum opus fuerit, vel pauperibus sui gregis largiendo, vel rapinam bonorum suorum cum gaudio sustinendo.*

Ad secundum dicendum, quod hoc ipsum quod Episcopi intendunt his, qua pertinent ad proximorum dilectionem, prouenit ex abundantia dilectionis diuina. Vnde Dominus primo a Petro quasiuit, an eum diligeret; & postea ei sui gregis curam commisit. Et Gregorius dicit in Pastorali, (p. 1. cap. 5. parum ante med.) *Si dilectionis est testimonium cura pastoralis, quisquis virtutibus pollens, gregem Dei renuit pascere, Pastorem summum conuincitur non amare. Hoc autem est maioris dilectionis signum, vt homo propter amicum etiam alij seruiat, quam etiam si soli amico velit seruire.*

Ad tertium dicendum, quod sicut Gregorius dicit in Pastor. (in 2. p. c. 1. parum ante med.) *Sit prasul actione pracipuus, pra cunctis contemplatione suspensus: quia ad ipsos pertinet non solum propter seipsos, sed propter instructionem aliorum contemplari. Vnde Gregorius dicit super Ezech.* (hom. 5. à med. illius) *quod de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicitur Psal. 144. Memoriam suauitatis tua eructabant.*

SVMMARIVM.

1 *Resolutio articuli affirmans. n. 1.*
2 *Ratio pro ea & auctoritas. n. 2.*
3 *Episcopi dicuntur Prasules, Sanctissimi, Pastores, Legati Christi, Pracones, sal terra, lucerna super Candelabrum, Duces, Medici, lux mundi, & alijs titulis insigniuntur à SS. Patribus & Canon. numer. 3.*

1 HVius articuli resolutio est, perfectiorem esse statum Episcoporum; quia ipsorum est esse perfectos, vt perficiant alios, vnde in statu perfectionis sunt agentes. Conclusio ista communis est, & cum D. Thom. eam tradiderunt *Caiet.* hic, *Soto l. 10. de iust. quaest. 2. a. p. Ledes. de statu perfec. cap. 2. Io: de Cruce cap. p. Val. disp. dis. 10. quaest. 2. p. 4. Vasq. de Benef. c. 3. §. 4. num. 60. Pax Iord. Prelud. 5. num. 9. Saurez tom. 3. de Relig. l. 1. cap. 18.*

2 Hoc verò adeo certum est, vt *Io: de Cruce loc. cit.* Arbitretur oppositum esse erroneum, quia Episcopi obtinent locum Apostolorum, erroneum verò esset dicere statum Apostolorum non esse perfectiorē, secundùm illud, 1. Cor. 12. *Quosdam posuit Deus in Ecclesia primū Apostolos &c.* Et idē Apos. ad Eph. 4. ait. *Et ipse dedit quosdā quidē Apostolos, &c.*

3 Ex vi enim status & officij obligantur ad perfectionem talem, quæ sit fidelibus exemplar & forma, & simul efficiens causa perfectionis. Propterea Episcopi dicti sunt *summi Sacerdotes* ratione ordinis. *cap. 1. §. per frontis, de Sacra Vnctione. cap. vlt. 3. quaest. 1. & cap. videntes 12. quaest. 1.* Ad ipsos enim omnia Sacerdotalia munera, vt ad proprios ministros pertinent. *Pontifices* appellantur. *cap. Pontifices 7. quaest. 1. & cap. Messana. de elect. & cap. quia periculosum, de sent. excom. in 6.* quia ipsi sunt maximi sacerdotes alios sacerdotes consecrantes. *Antistites* nominantur, quia præeminent populo *Durand. in rational. c. 11. Prasules* dicuntur. *c. quod translationem, de temp. ord.* quoniā in concilijs præsidēt. *Sanctissimi* vocātur, *auth. de Sanctissimis Epis. collat. 9. & Clem. 1. §. nec super, de pœnis,* quia maxima sanctitate fulgere debeant, vt alios sanctos faciant. *Legati Christi* dicuntur, *c. necessario quoque 2. q. 7. & d. Clem. 1. Pastores* nuncupantur. *Concil. Trid. sess. 6. de refor. cap. 1. & sess. 23. de refor. cap. 1.* quia subditos veluti oues pascere debent verbo & exemplo. *Fratres* eos vocat summus Pontifex, *cap. quam grauis 6. de crimine falsi,* propter Episcopatus dignitatem, quia nulla maior dignitas in Ecclesia sit ipso Episcopatu. Dicuntur tandem, *Pracones, cap. si rector 43. dist.* vt annuncient populo scelera eorum. *Sal terra. Matt. 5.* vt condiant fidelium mores, *lucerna posita super candelabrum, Matt. 5.* vt omnibus luceant probitatis, & doctrinæ radijs. *Angeli, Luca. 9.* qui mittuntur vt nuncij prædicaturi verbum Dei. *Duces. cap. post translat. de renunc. cap. cum sit, de atate, & qualit.* vt rectum iter subditis ostendant. *Medici. cap. disciplina, dist. 45. Milites armati, custodes, Leones, Fundamentum, Columna Ecclesia, Patres, Doctores Ecclesia, oculi, Ministri Dei, lapides fundamentarij; lux mundi. Greg. Nazianz. carm. de Episcopis,* & alij Patres, & Doctores quos latè cumulat *Barbosa* de potest. Episcopi *part. p. tit. 1. cap. 2.* Ideo nil mirum si status Episcopalis sit summus inter status perfectionis, quia officium Episcopale quod est officium Principis in Monarchia Ecclesiastica, vt aduertit *Saurez tom. 4. in 3. partem D. Th. disp. 25. sect. 1.* est officium quod ex vi sua & sopponit in Episcopo perfectionem vitæ, & illam exigit ad munera sua obeunda, & ordinatur ad actus maximè conducentes ad perfectionem. Quæ quidem non conueniunt alicui alteri statui, etiam Religiosorum.

SVMMARIVM.

1 *Ex ratione D. Th. quod status Episcoporum sit perfectior quia se habent tamquā perfectores. aliqui D D. deducunt ipsos debere esse perfectos. n. 4.*
2 *Perfectio substantialis consistit in obseruatione praceptorum per exclusionem peccati mortalis, & perfectio simpliciter per exclusionem peccatorum venialium num. 5.*

3 Non

3 Non ideo ſtatus Epiſcoporum eſt perfectior ſtatu Religioſorum, quia Epiſcopus debeat eſſe perfectus non Religioſus. nam vterque in hoc habeat obligationem communem proportionaliter, & vterque ſupponit perfectionem ſubſtantialem in aſſumente. num.6.

4 Indigne habitum cuiuſcumque Religionis portat, qui Dei legem non ſeruans, nec bonus Chriſtianus dici poteſt. n.6.

5 In Epiſcopo quidem eſt maior obligatio ad perfectionem ſubſtantialem, quam in Religioſo, ſed magis & minus, in eodem genere obligationis non eſt exceſſus ſimpliciter, ſed ſecundum quid. num.7.

6 Habere curã animarum tanquam cauſa principalis, & ei annexum eſſe contemptum bonorum corporis, famæ propriæ, & vitæ, eſt ſtatus longè ſuperans omnes alios in perfectione, & hac conſtituitur Epiſcopus in ſtatu perfectiori Religioſis quibuſcumque. n.8.

7 Improbatur opinio Valentiæ dicentis Epiſcopum eſſe reum peccati mortalis, ſi non conetur maiorem perfectionem Charitatis aſſequi, quam non ſit perfectio Religioſorum. n.9.

8 Exponuntur duo dicta Chriſti. Vnum Petro. Simon Io: diligis me plus his. Aliud diſcipulo. Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia, quæ habes, & de pauperibus. nu.10.

9 Ordinandus in Epiſcopum debet ſincere ex Dei amore aſſumere onus Epiſcopale paratus illud exercere prout lex dicit & Sacr. Canones præcipiunt. num.11.

10 Sublimitas conſiliorum quatenus perfectio eſt, non deeſt Epiſcopis. nu. 13.

11 Eſſe paratũ ad opera conſilij ex genere ſuo non eſt perfectio niſi inſtrumentaliter, ſed eſſe paratũ ad ea propter bonum ſubditorum eſt actus charitatis ad quem Epiſcopi tenentur ex vi ſui officij. n.14.

12 Hanc præparationem vocat Caietanus comitem, aut effectum perfectionis. n.14.

13 Statũ perfectionis Epiſcopalis ſupponere per ſe in Epiſcopo perfectionem multam, intelligitur dupliciter. n.15.

14 Neque quoad ea quæ ad contemplationem ſpectant exceditur ſtatus Epiſcoporum à quouis alio ſtatu. num.16.

Qua ratione ſtatus Epiſcopi ſit perfectior.

4 Conſideranda tamen hic eſt paulò diligentius ratio, propter quam D. Thom. aſſerit ſtatum Epiſcoporum eſſe perfectiorem, quia nimirum ipſi in genere perfectionis ſe habent, vt perfectores ſecundùm Dionyſ. Ex quo quàm plures DD. deducunt, Epiſcopos debere eſſe perfectos, ideoque ex hoc eorum ſtatum eminere ſupra ſtatũ Religioſorum. Quod docent *Suarez d. cap. 18. n.9. Pax Iordanus Prælud. 5. num. 10. Ledeſm. de ſtat. perf. cap. 2.*

5 Verùm ſuppoſita diſtinctione ſæpius ſuperiùs data, & in hac materia ſemper præ oculis habenda, quia nimirum alia eſt perfectio ſubſtantialis conſiſtens in obſeruantia præceptorum per excluſionem peccati mortalis, & perfectio ſimpliciter, ſeu ſupererogationis, quæ conſiſtit in obſeruantia exactiſſima præceptorum per excluſionem, etiam peccatorum venialium, vel ſimpliciter omnino, (quòd ſolùm in patria obtinetur) vel quantùm fragilitas viæ patitur ſaltem per excluſionem peccatorum venialium ex plena deliberatione prouenientium. Cum aliàs certum ſit non eſſe neceſſe quod Epiſcopus etiam ad dignè obeundum munus ſuum ſit actu perfectus perfectione ſimpliciter, quámuis ad hanc quoque tendere debeat.

6 Dicitur primò deſumi quidem poſſe aliquem exceſſum perfectionis ſtatus Epiſcopalis ſupra ſtatum Religioſorum ex eo quòd ſtatus Epiſcopalis ſupponat perfectionem in Epiſcopo, vt haberi poteſt ex *Zoſimo Papa epiſt. 1. & Hormiſda epiſ. 3. c. 1. & Cæleſt. epiſ. 1. cap. 2. alijs multis decretis, quæ habentur diſt. 61.* Sed tamen ſecundũ quid, & materialis, & ideò ſimpliciter loquendo dicendum eſt, non ideò ſtatum Epiſcoporum eſſe perfectiorem, quia Epiſcopus debeat eſſe perfectus, non verò religioſi, vt tradunt *Valentia 22. d. 10. quæſt. 2. pũct. 4.* Et huius ratio euidens eſt, quia obligatio ad perfectionem ſubſtantialem ſecundùm ſubſtantiam ſumpta eſt cõmunis omni homini, & non eſt propria Epiſcopi. Eadem verò obligatio ſi ſit ſpecialis & orta ex eo, quòd perfectio per ſe neceſſaria ſit ad dignè exercendum officium, quòd aſſumitur, eſt etiam communis proportionaliter cuilibet aſſumenti officium, quod ſimilem diſpoſitionem exigat, & in propoſito negari non poteſt quin talis obligatio conueniat Religioſis nedum ratione ordinum, ſi ſunt clerici ordinati, ſed ratione ſtatus religioſi abſolutè, quia ineptus eſt ad perfectionem ſimpliciter, qui ſubſtantialem non habet, & indignè habitum cuiuſcumque Religionis portat; qui Dei legem non ſeruans, nec bonus Chriſtianus dici poteſt.

7 Verùm eſt quòd in Epiſcopo hæc obligatio maior eſt, quia inobſeruantia diuinæ legis exterior eſt maximum impedimentum ad animarum ſalutẽ obtinẽdam ad quam Epiſcopali munus ordinatur & quia maximè dedecet altitudinem gradus Epiſcopalis animi vilis dimiſſio, & immunditia ex affectu immoderato ad terrena proueniens. Sed hic exceſſus ſecundùm magis, & minus in eodem genere obligationis non eſt exceſſus ſimpliciter, ſed ſecundùm quid. Et ad ſtatum perfectionis ſe habet materialiter, quia eſt quid ſe tenens ex parte ſubiecti, & tanquam conditio ſubiecti & eius diſpoſitio ad officium & ſtatum Epiſcopalem. Ideò per ſe, & formaliter loquendo per hunc exceſſum nec Epiſcopus eſt in ſtatu perfectionis, ſed ſicut de alijs Sacerdotibus & Prælatis dictum eſt artic. ſuper. Ex vi præciſa huius obligationis maioris ad perfectionem ſubſtantialem, Epiſcopus eſt in gradu ſupremo ſtatus perfectionis communis, & ſubſtantialis, tamquam ſupremo titulo obligatus ad perfectionem ſubſtantialem, ſed non eſt in ſtatu perfectionis ſimpliciter. Obligatio enim conſtituens ſtatum perfectionis ſimpliciter non eſt obligatio ad præcepta ſeruanda, & ad non peccandum mortaliter, ſed eſt obligatio poſt obſeruantiam præceptorum ad ſeruanda conſilia, vt per hanc obſeruantiam homo paulatim aſſueſiat, & tandem Deo adiuuante perueniat, quantùm conditio viæ pati-

patitur, ad non peccandum venialiter.

8 Dicitur igitur secundo. Cũ eodem *Valentia.* Curam animarum vniuersalem cum plenitudine potestatis & per modum causæ principalis habentem adiunctum cõtemptum nedum rerum temporalium, sed bonorũ corporis, immò & famæ, & honoris, & quod summum est sanguinis, & vitæ, vt quis ad gregis vtilitatem nedum bona temporalia profundat, sed vbi opus sit, dispendium famæ, & honoris temporalis immò sanguinis effusionem, & vitæ detrimẽtum patiatur, etiam vbi aliàs lex charitatis simpliciter non obligat. Hæc inquam animarum cura & officium pascendi gregem per Sacramentorum dispensationem, & per doctrinam præfato contemptui coniunctum est opus consilij perfectissimum, & ad perfectionem charitatis summam acquirendam aptissimum. Ideòque obligatio perpetua ad huiusmodi officium constituit statum perfectionis, omnes alios status longè superantem. Hæc enim etiam est mens D. Thom. qui eo probat statum Episcoporum superare in perfectione statum religiosorum, non quia Episcopi sint actu perfecti, sed quia sunt perfectores, quia nimirum officium perficiendi alios, est opus per se, & ex natura sua sublime, & excelsius paupertate, & virginitate, & obedientia in ijs, quæ sunt de consilio, & est mediũ magis vtile ad perfectionem habendã. Quod etiam experientia cõprobatur, tot enim fuere sancti nedum Martyres, sed & Confessores, in statu Episcoporum, vt nulla ferè sit dies in qua in Martyrologio alicuius Sancti Episcopi, nõ fiat mentio.

9 Quòd verò addit *Valentia*, quia nimirum Episcopus mortalis peccati sit reus, si quantùm est in se non conetur per exercitia pia Episcopo conuenientia maiorem perfectionem charitatis assequi, quàm sit communiter perfectio religiosorum; nequit admitti. Sufficit enim Episcopo si præcepta tam communia, quàm propria sui status obseruet. Et de reliquo habere actu maiorem perfectionem non est in præcepto, vt probatum est, ex *D. Thom supra artic. 5. ad secundum*, habere autem illam in intentione est commune tam Religiosis, quàm Episcopis, quorum quisque ad summam charitatis perfectionem aspirat, vnde non est maior perfectio ad quam conari debet Episcopus, quàm Religiosus,

10 Sed contra prædicta esse potest, quia Dominus antequam Petro conferret munus pascendi oues, interrogauit illum, si se plusquam alij diligeret. *Simon Ioa. diligis me plùs his? Io. 21.* Ex hoc apertè demonstrans eum, cui committenda est cura Episcopalis, actu debere esse nedum perfectum in charitate, sed alijs perfectiorem. Cum verò *Matt.* statum Religiosorum docuit, nulla facta mentione perfectionis, dixit, *Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes; & dà pauperibus, & veni sequere me.* Ex eo igitur distinguuntur status Episcopalis, & status Episcoporum, & status Religiosorum, quòd ille est status perfectionis iam habitæ, non verò iste. Sed respondetur; quòd ex his locis totum oppositum deducitur, & habetur, quòd in hoc isti status non distinguuntur. Ille enim, cui Dominus dixit, *si vis perfectus esse, &c.* iam dixerat, se esse perfectum perfectione substantiali consistente in obseruantia legis, & præcipuè in obseruantia præcepti charitatis. Et verè sic est, quòd perfectio ad quam tendit Religio supponit perfectionem substantialem, ad quam quilibet tenetur habendam, sed potiori iure tenetur Religiosus, qui ex vi status, quem assumit aspirat ad summum perfectionis. At verò nec Dominus à Petro maiorem perfectionem petijt, vt esset Episcopus mundi, quàm perfectionem charitatis substantialem. Non enim petijt an se diligeret, quantùm ipse est diligibilis, vnde non petijt summam perfectionem charitatis, sed charitatis substantiam, scilicet, an si diligeret. Quod verò requisiuit in Petro maiorem charitatem, quàm in alijs discipulis; hoc ideò factum fuit, quia cum in substantiali perfectione sint gradus, ille ceteris paribus est assumẽdus in Episcopum, vt dicitur infra *q. 185. a. 3.* qui habet maiorem charitatem. Non est ergo distinctio simpliciter inter status Episcoporum, & Religionum in hoc, quòd est habere actu perfectionem, quia vterque supponit in assumente perfectionem substantialem, & nullus requirit perfectionem simpliciter, & propriè dictam. Quàmuis sit in Episcopo maior necessitas perfectionis substantialis, & quidem exactioris quam in assumente statum Religionis.

11 Benè verum est, quòd dignè assumere onus Episcopale est actus de se maioris charitatis, quàm sit assumere statum Religionis, vt explicatum est. & ex hac ratione in assumente Episcopatum maioe requiritur charitas, ideoque & status Episcopalis est perfectior. Et tamen & ad hoc quætumque minima sufficit, dum sit talis, vt verè ordinandus in Episcopum & sincerè ex Dei amore eligat, & assumat onus Episcopale, paratus illud portare & perficere prout lex diuina, & Canones sacri præcipiunt,

12 Stante autem conclusione', quòd scilicet status Episcopalis sit perfectior statu Religiosorum quia in ordine ad perfectionem summam acquirendam assumit medium perfectius, plures essent difficultates explicandæ, v.g. An liceat vel desiderare, vel vouere Episcopatum, vel etiam illum recusare, vel an qui vouit religionem satisfaciat, si fiat Episcopus, & alia huiusmodi quæri possent, quæ relinquuntur, quia de his ex professo tractat *D. Thom. infra q. 185. a. 1. & 2.*

13 Respons. ad primum habetur, quòd sublimitas consiliorum quatenus perfectio est, & per se ad integrandam perfectionem est necessaria non deest Episcopis, quia actu esse pauperem, vel obedire Prælato ex libera subiectione ad illum non est perfectio, sed perfectionis instrumentum. Habere autem animum paratum ad perdendas facultates, libertatem, & vitam pro salute populi, quod est actus maximè virtutis conuenit Episcopo ex officio.

14 Opera consiliorum in eadem respons. dicuntur perfectiones instrumentaliter, & hoc esse aduertendum in occasione occurrente aduertit *Caiet.* Intelligitur tamen dictum *D. Thom.* de operibus consiliorum secundùm se & ex genere sumptis. Nam aliàs vt exercentur ex voto, sunt opera virtutis, & pertinent ad perfectionem, vt materia illius, quando fiunt ea charitate, & ab illa informantur. E contra autem esse paratum ad opera consiliorum etiam secundùm se & ex genere non est perfectio nisi instrumentaliter, non enim

est

est maior perfectio in voluntate separata ab actu externo, quàm in voluntate externum opus perficiente. Sed esse paratum ad opera consilij propter bonum subditorum est actus charitatis, ad quem Episcopus ex vi sui officij obligatur. Hanc verò præparationem *Caiet.* vocat comitem, aut effectum perfectionis, quia hic est actus charitatis perfectæ; sed verè talis animi promptitudo, & obligatio est essentialis perfectioni status Episcopalis, vt etiam textus insinuat. quia in obseruantia præcepti charitatis Dei, & proximi consistit essentialiter perfectio, vt dictum est supra *art.* 1. Quamuis quatenus in Episcopo hæc animi promptitudo, & voluntas est ex obligatione officij, ad perfectionem se habet materialiter, quia solus actus charitatis, vt est actus charitatis, & ex lege charitatis pertinet ad perfectionem vt forma.

15 Ex respons. ad secundùm &c. habetur, quòd status perfectionis Episcopalis per se in Episcopo perfectionem multam supponit, quia supponit actum magnæ charitatis. Hoc autem dupliciter potest intelligi, vel quia in assumendo ad Episcopatum supponat habitum charitatis intensum, & magnum ex præcedente assuetudine ad actus charitatis, ita vt assumendus in Episcopatum saltem debeat excessisse statum incipientium in communi statu perfectionis. Et hæc charitatis perfectio & magnitudo est necessaria in assumendo ad melius esse, & de decentia, & si possent tales haberi communiter tales assumendi essent. Verùm experimur non esse tales omnes, qui regulariter assumuntur ad Episcopatus. Ille enim excessit statum incipientium, qui iam etiam occasione præsente, & vrgente tentatione non peccat mortaliter, vnde studiũ eius ampliùs non sit non peccare mortaliter, sed abundare bonis operibus, vt constat ex *D. Thom. supra q.* 183. *art.* 4. Alio modo intelligitur, quòd Episcopatus supponat magnam charitatem in actu & tunc cum assumitur; & hoc est essentiale tali statui, qui pro materia sui pacti, & obligationis per quam in ratione status constituitur habet actum magnæ charitatis extensiuè, cum se obliget ad curam animarum procurandam, etiam si opus fuerit cum dispendio facultatum, & vitæ. Vnde ipsamet status assumptio, & pactum, & obligatio Episcopi est effectus magnæ charitatis, & ad actus magnæ charitatis exercendos ordinatur. Ideò non mirum si hic status sit altissimus, cum sit effectus magnæ charitatis, & ad opera magnæ charitatis obligationem habeat.

16 Ex respons. ad tertium &c. habetur quod neque in illis, quæ ad contemplationem spectant exceditur status Episcopalis cum ad illum spectet contemplari diuina iam pro se, quam pro alijs. Hinc soluitur hæc quæstio.

SVMMARIVM.

1 *An verò excedatur in perfectione à statu Ordinis Prædicatorum, vel Societatis IESV, pars affirmans. n.* 17.

2 *Attamen non datur status religiosus, qui non sit longè inferior statu Episcoporum. n.* 18.

3 *Finis proximus & obiectum status Episcopalis est longè altior, & longè excedit finem status religiosi, etiam quatenus se obligat ad opera charitatis, & virtutis. num.* 19.

4 *Tum in vniuersalitate actionum, tum in modo agendi; tum in obligatione. n.* 20.

5 *Tempore pestis Alex. 7. Summus Pontifex non admisit instantiam Ciuitatis Neapolitanæ quæ instabat vt Regulares cogerentur ad ministranda Sacramenta contagioso morbo infectis. n.* 21.

An status Episcopalis sit perfectior statu Ordinis Prædicatorum, vel Societatis Iesu, aut aliorum, qui ex professione ordinantur ad salutem animarum procurandam?

17 Videtur enim non esse perfectiorem, nam isti status videntur conuenire cum statu Episcoporum in eo, quòd est præcipuum, & illum in multis alijs excedere. Conueniunt verò in actu charitatis erga proximum, cum & isti religiosi ex vi professionis vacent contemplationi, & prædicationi verbi Dei, & ministerio Sacramentorum & saluti fidelium procurandæ cum maximis laboribus, & incommodis, & etiam cum vitæ dispendio, quam in dies liberrime periculo nedum, sed morti exponunt. Aliàs verò excedunt Episcopos in paupertate, & abnegatione sui, & voluntaria amissione propriæ voluntatis, & in strictiori obseruantia regulæ regularis, vnde videtur, quod eorum status se habeat ad statum Episcopi, vt totum ad partem, & ideò sit perfectior.

18 Vel saltem Prælati Regulares perpetui, vt Abbates, & Generales, quibus incumbit cura tot subditorum, videntur excedere statum Episcoporũ, cum præter onus curæ animarum, habeant onus votorum, & obseruantiæ regularis.

19 Respondetur nihilominùs nullum dari statum religiosum, qui non sit longè inferior statu Episcoporum. Et ratio est, quia ea ad quæ status religiosus se obligat, vel ex genere sunt opera consilij, & huiusmodi non sunt actus perfectionis formaliter, sed solùm instrumentaliter, vt dictũ est ad primum. Id verò ad quod se obligat Episcopus est actus charitatis extensæ ad quàm plurimas virtutes ad bonum regimen necessarias, & ad opera consilij excellentissima, nimirum ad labores quàmplurimos, immò etiam si opus fuerit ad vitæ dispendium, etiam in casu in quo non esset absolutè ex communi lege præceptum. Et sic finis proximus, & obiectum status Episcopalis est longè altior, quàm finis status religiosi. Sed quatenus status religiosus se obligat, etiam ad virtutes, & præcipuè ad actus charitatis externos, & ad procurandam ex charitate salutem animarum, longè exceditur à statu Episcoporum.

20 Primò in vniuersalitate actionum, non enim potest facere pro animarum salute omnia, quæ sunt Episcopi; qui solus omnia Sacramenta conferre potest, solus consecrat Ecclesias, & materiam Sacramenti Baptismi; & extremæ Vnctionis, solus in definiendis rebus fidei habet suffragium; & ex

officio

officio habet vt vocetur ad Concilium pro decernendis ijs, quæ ad regimen Ecclesiæ spectant, quæ religiosis non competunt. Secundò in modo agēdi. Quia religiosi in huiusmodi, quæ ad curam animarum spectant se habent, vt adiutores Episcopi, & agunt vt delegati, & vt instrumenta, Episcopus verò vt principalis. Vnde religiosi operantur ad finem Episcopi cuius proprium opus est per se ipsum, vel per ministros saluti fidelium incumbere. Et licet Religiosi non à priuatis Episcopis, sed à Papa habeant facultatem operandi ad salutem animarum, tamen neque habent ab illo nisi vt ab Episcopo, & adhuc nisi cū aliqua in præsenti subordinatione ad proprios Episcopos, & sic semper non nisi vt instrumenta Episcopalis officij, & Episcoporum adiutores. Tertiò in obligatione. Nō enim Religiosi habent eam obligationem exponēdi vitam pro salute fideliū, quam habent Episcopi.

21 Vnde in hoc anno 1656. in quo hæc scribo, pestis viget tam Neapoli, & in eius Regno, quàm Romæ, & Genuæ non fuit admissum, quòd Regulares obligarentur ad administranda Sacramenta morbo pestifero laborantibus, & Pontifex expresse Ordinum regularium Generalibus commisit, vt hortarentur religiosos suos ad huiusmodi ministeriū, ita tamen vt illos non cogerent: sicuti fecerunt PP. Generales, & noster duas Epistolas hortatorias dedit, quas & impressit, & ad Superiores Prouinciarum, & Conuentuum transmisit. Et in litteris datis 7. Iulij 1656. ad Fratres Neapoli degentes expressit, quod consilium dabat non præceptum ibi. *Absit tamen, vt vos in ea mittamus pericula, qui consilium vobis demus non præceptū.* Et in alia data 3. Aug. eodem anno ad omnes Fratres, vbiq; degētes idem declarauit, ibi, *consecrauit obedientia, nedum illa, quæ iubet quod rectum, quod necessarium; sed ea etiam, quæ suadet, quod vtilius, innuit, quod Deo gratius.* Et idem P. Generalis noster hic Romę eos, qui volūtariè se exposuerū, tradidit, etiam expressè profitendo, quod illos ire non cogebat. Longè ergo maior est obligatio in Episcopo habendi curam ouium suarum cum dispendio facultatum, honoris, ac vitæ, quàm sit in Religiosis; Ideò status Episcoporum longè altior est, quocūque statu Religioso quantumcunque perfecto.

22 Ideò neç Regularium Superiores etiam perpetui æquandi sunt in perfectione status cum Episcopis. Tum quia vt supra dictum est, horum officiū nō est propriè, & simpliciter status perfectionis. Tum quia quidquid pertinet ad obligationē curæ animarum, vel ad obseruantias Regulares, multò altiori modo in Episcopis reperitur.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum presbyteri, curati, & archidiaconi, sint maioris perfectionis, quam religiosi?

quolib. 3. ar. 14. ad 2. & quolib. 3. art. 17. Et op. 18. c. 20.

AD octauum sic proceditur. Videtur, quod etiam presbyteri, curati, & archidiaconi, sint maioris perfectionis, quam religiosi. Dicit enim Chrysost. in suo dialogo, Si talem mihi aliquem adducas monachum, qualis, vt secundum exaggerationem dicam, Helias fuit: non tamen illi comparandus est, qui traditus populis, & multorum peccata ferre compulsus, immobilis perseuerat & fortis. Et paulo post dicit †, Si quis mihi proponeret optionem, vbi mallem placere, in officio sacerdotali, an in solitudine monachorum: sine comparatione eligerem illud quod prius dixi. Et in eodem lib. dicit, Si quis bene administrato sacerdotio, illius propositi, scilicet monachalis, sudores conferat: tantum eos distare reperiet, quantum inter priuatum distat & regem. Ergo videtur, quod sacerdotes habentes curam animarum, sint perfectiores religiosis.

& 21. & Matth. 19. col. 11 inlc. 6. de lacer. inter prin. & med c. 5. † ibidem eod. loco nunc proximè dicta.

2. Præterea, August. dicit in Epistola ad Valerium †, Cogites religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita (& maxime hoc tempore) difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio. Sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator iubet. Non ergo religiosi sunt perfectiores Presbyteris, aut Diaconibus.

epist. 148. in pr. 102.

3. Præterea, Augustinus dicit ad Aurelium, Nimis dolendum est, si ad tam ruinosam superbiam monachos surrigamus, & tam graui contumelia clericos dignos putemus, vt scilicet dicatur quod malus monachus bonus clericus est: cum aliquando etiam bonus monachus vix bonum clericum faciat. Et paulo ante præmittit, non esse viam dandam seruis Dei, id est, monachis, vt se facilius putent eligi ad aliquid melius, scilicet clericatum, si facti fuerint deteriores, scilicet abiecto monachatu. Ergo videtur, quod illi qui sunt in statu clericali, sint perfectiores religiosis.

epist. 76 in medio. in ead. epist. 76.

4. Præterea, Non licet de statu maiori ad minorem transire. Sed de statu monastico transire licet ad officium presbyteri curam habentis, vt patet 16. quæstione prima ex decreto Gelasii Papæ, qui dicit, Si quis Monachus fuerit, qui venerabilis vitæ merito, sacerdotio dignus videatur, & Abbas, sub cuius imperio regi Christo militat, illum fieri presbyterum petierit, ab Episcopo debet eligi, & in loco

16. q. 1. c. si quis monachus.

quo

quo iudicauerit, ordinari. Et Hieron. dicit od Rusticum monachum, Sic viue in monasterio, vt clericus esse merearis. Ergo presbyteri curati, & archidiaconi, sunt perfectiores religiosis. de viuendi forma à medio mon. ast prae.

5, *Praeterea, Episcopi sunt in statu perfectiori, quam religiosi, vt ex supra dictis patet. Sed presbyteri curati, & archidiaconi ex eo quod habent curam animarum, similiores sunt Episcopis, quam religiosi. Ergo sunt maioris perfectionis.*

6, *Praeterea, Virtus consistit circa difficile & bonum, vt dicitur in secundo Ethicorum. Sed difficilius est, quod aliquis bene viuat in officio presbyteri curati, vel archidiaconi, quam in statu religionis. Ergo presbyteri curati, vel archidiaconi, sunt perfectioris virtutis, quam religiosi.* c. 3. circa finē. t. 5.

Sed contra est, quod dicitur decimanona, quaestione 2, canone, Duae. Si quis in Ecclesia sua sub Episcopo populum retinet, & seculariter viuit, si afflatus Spiritu sancto, in aliquo monasterio vel regula canonica saluari se voluerit: quia lege priuata ducitur, nulla ratio exigit, vt lege publica constringatur. Sed non ducitur aliquis à lege Spiritus sancti, quae ibi dicitur lex priuata, nisi in aliquid perfectius. Ergo videtur, quod religiosi sint perfectiores, quam archidiaconi vel presbyteri curati. 19. q. 2 cap. duae sunt à medi.

Respondeo dicendum, quod comparatio supereminentiae non habet locum inter aliquos ex ea parte, in qua conueniunt, sed ex ea parte, in qua differunt. In presbyteris autem curatis, & archidiaconis, tria est considerare, scilicet statum, ordinem, & officium. Ad statum pertinet quod seculares sint: ad ordinem, quod sint sacerdotes vel diaconi: ad officium quod curam animarum habeant sibi commissam. Si ergo ex alia parte ponamus statum religiosum, ordine diaconum vel sacerdotem, officio curam animarum habentem, sicut plerique monachi & canonici regulares habent: in primo quidem excellit, in alijs autem par erit. Si autem differat secundus a primo statu & officio, conueniat autem ordine, sicut sunt religiosi, sacerdotes, & diaconi, curam animarum non habentes: manifestum est, quod secundus primo erit statu quidem excellentior, officio autem minor, ordine vero aequalis. Est ergo considerandum, qua praeeminentia potior sit, vtrum status, vel officij. Circa quod duo attendenda videntur, scilicet bonitas & difficultas. Si ergo fiat comparatio secundum bonitatem, sic praefertur status religionis officio presbyteri curati, vel archidiaconi: quia religiosus totam vitam suam obligat ad perfectionis studium. Presbyter autem curatus, vel archidiaconus non obligat totam vitam suam ad curam animarum, sicut Episcopus: nec etiam ei competit principalem curam subditorum habere, sicut Episcopo: sed quaedam particularia circa curam animarum eorum officio committuntur, vt ex dictis patet. Et ideo comparatio status religionis ad eorum officium, est sicut vniuersalis ad particulare, & sicut holocausta ad sacrificium, quod est minus holocausto: vt patet per Gregorium super Ezech. † Vnde & decimanona, quaestione prima, dicitur, Clerici qui monachorum propositum appetunt, (quia meliorem vitam sequi cupiunt) liberos eis ab Episcopis in monasterijs oportet largiri ingressus. Sed haec comparatio intelligenda est secundum genus operis. Nam secundum charitatem operantis contingit quandoque, quod opus ex genere suo minus existens, magis sit meritorium, scilicet si ex maiori charitate fiat. Si vero attendatur difficultas bene conuersandi in religione & in officio habentis curam animarum: sic difficilius est bene conuersari cum cura animarum, propter exteriora pericula, quamuis conuersatio religionis sit difficilior, quantum ad ipsum genus operis, propter arctitudinem obseruantiae regularis. Si vero religiosus etiam ordine careat (sicut patet de conuersis religionum,) sic manifestum est excellere praeminētiam ordinis quantum ad dignitatem: quia per sacrum ordinem aliquis deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi Christo seruitur in Sacramento altaris, ad quod requiritur maior sanctitas interior, quam requirat etiam religionis status: quia sicut Dionysius dicit sexto capitulo Ecclesiasticae Hierarchiae, Monasticus ordo debet sequi sacerdotales ordines, & ad eorum imitationem in diuina ascēdere. Vnde grauius peccat, caeteris paribus, clericus

ar. 6. ad 2.] hom 20. post medi illius. 19. q. 1. cap. clerici. cap. 6. p. circa medio illius.

in sacris ordinibus constitutus, si aliquid contrarium sanctitati agat, quam aliquis religiosus, qui non habet ordinem sacrum, quamuis laicus religiosus teneatur ad obseruantias regulares: ad quas illi, qui sunt in sacris ordinibus, non tenentur.

Ad primum ergo dicendum, quod ad illas auctoritates Chrysostomi breuiter responderi posset, quod non loquitur de sacerdote curato minoris ordinis, sed de Episcopo, qui dicitur summus sacerdos. Et hoc conuenit intentioni illius libri, in quo consolatur se & Basilium de hac, quod erant in Episcopos electi. Sed hoc praetermisso, dicendum est, quod loquitur quantum ad difficultatem. Praemittit enim †, Cum fuerit gubernator in medijs fluctibus, & de tempestate nauem liberare potuerit, tunc merito testimonium perfecti gubernatoris ab omnibus promeretur. Et post concludit, quod supra positum est de monacho: qui non comparandus est illi, qui traditus populis, immobilis perseuerat. Et subdit causam †, Quia sicut in tranquillitate, ita in tempestate gubernauit seipsum. Ex quo *nihil aliud ostendi potest, nisi quod periculosior est status habentis curam animarum, quam monachi. In maiori autem periculo innocentem se seruare est maioris virtutis iudicium. Sed hoc etiam ad magnitudinem virtutis pertinet, quod aliquis vitet pericula, religionem intrando. Unde non dicit, quod mallet esse in officio sacerdotali, quam in solitudine monachorum, sed quod mallet placere in hoc, quam in illo; quia hoc est maioris virtutis argumentum.*

† lib. 6 de sacerdot. in ter pr. & med. to. 5. arg. 1. huius ar.
† eodem loco nunc dicto.

Ad secundum dicendum, quod etiam illa auctoritas Augustini manifeste loquitur quantum ad difficultatem, quae ostendit magnitudinem virtutis in his, qui bene conuersantur, sicut dictum est.

in solut. ad praec. arg.

Ad tertium dicendum quod Augustinus ibi comparat monachos clericis, quantum ad distantiam ordinis, non quantum ad distantiam religionis & saecularis vitae.

Ad quartum dicendum, quod illi qui a statu religionis assumuntur ad curam animarum, cum prius essent in sacris ordinibus constituti, assequuntur aliquid quod prius non habebant, scilicet officium curae. Non autem deponunt quod prius habebant. scilicet religionis statum. Dicitur enim in Decretis, decimasexta, quaestione prima, De monachis, qui diu morantes in monasterijs, si postea ad clericatus ordines peruenerint, statuimus non debere eos a priori proposito discedere. Sed Presbyteri, Curati, vel Archidiaconi, quando religionem ingrediuntur, curam deponunt, vt adipiscantur perfectiorem statum. Unde ex hoc ipso excellentia ex parte religionis ostenditur. In hoc autem quod religiosi laici assumuntur in clericatum & ad sacros ordines, manifeste promouentur ad melius, sicut supra dictum est. Et hoc ostenditur ex ipso modo loquendi: cum Hieronymus dicit, † Sic in monasterio viue, vt clericus esse merearis.


16. q. 1. c. de monachis

arg. 4.
† loco citat. in arg.

Ad quintum dicendum, quod presbyteri, Curati, & Archidiaconi sunt similiores Episcopis, quam religiosi, quantum ad aliquid, scilicet quantum ad curam animarum, quam secundario habent: sed quantum ad perpetuam obligationem, quae requiritur ad statum perfectionis, similiores sunt Episcopo religiosi, vt ex supra dictis patet.

ar. 5 & 6.

Ad sextum dicendum, quod difficultas, quae est ex arduitate operis, addit ad perfectionem virtutis. Difficultas autem, quae prouenit ex exterioribus impedimentis, quandoq; quidem diminuit perfectionem virtutis: puta cum aliquis non tantum virtutem amat, vt impedimenta virtutis declinare velit, secundum illud Apostoli prima ad Corinthios nono. Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Quandoque vero est signum perfectioris virtutis: puta, cum alicui ex inopinato, vel ex necessaria causa impedimenta virtutis occurrunt, propter quae tamen a virtute non declinat. In statu autem religionis est maior difficultas ex arduitate operum. Sed in his qui in saeculo viuunt qualitercumque, est maior difficultas ex impedimentis virtutis: quae religiosi per omnia prouide vitauerunt.



SVM-

SVMMARIVM.

1 *Distinguitur perfectio; à medijs assumptis ad illam obtinendam etiamsi hae media, actus perfectionis esse possint. n. 1.*

2 *Perfectio est per se amanda tamquam finis à quocumque statu fidelium æqualiter, mediorum autem assumptorum maior extellentia excessus vnius status ad alium efficit. n. 1.*

3 *Supposita æqualitate ordinis, Religiosi excedunt simpliciter Curatos Clericos in perfectione sed Religiosos laicos excedunt Curati Clerici. n. 2:*

4 *In Curato seculari tria sunt consideranda status, ordo, & officium, & quantum ad hæc tria fieri potest comparatio cum Religioso. n. 3. & 4.*

5 *Si Religiosus sit sacerdos, & curatus excedit statu Curatos seculares. n. 5.*

6 *Sed si Religioso deficiat officium non vero deficiat ordo, tunc Curatus secularis est Religioso Sacerdoti maior officio, minor statu, & æqualis ordine n. 6.*

7 *Vt videatur quænam præeminentia sit maior status scilicet, an officij attendenda est & bonitas, & difficultas operis. n. 7.*

8 *Religiosus excedit in bonitate operum, officium curati. n. 8. 9.*

1 BEne monet *Caiet.* D. Thomam non facere mentionem status in titulo huius articuli, quia hic non comparantur Parochi, & Religiosi præcisè ex ea ratione, quæ ad statum pertinet, sed absolutè, quæritur enim, an Clerici seculares inferiores Episcopis, siue dicantur esse in statu perfectionis siue non, sint absolutè Religiosis perfectiores? Quidquid ergo sit de ratione status, in hoc articulo comparatur officium curæ animarum, quod habent ministri inferiores Episcopo, ad officium seu professionem vitæ Religiosorum, & quæritur, quodnam ex istis sit perfectius. In quo semper attendendum, distingui perfectionem à medijs assumptis ad illam obtinendam, quamuis & hæc media actus perfectionis esse possint. Nam perfectio est finis cuiusque conditionis & status fidelium, tamquam per se amandus sine mensura. Sed excessus vnius status ad alium ex obiecto, & fine proximo attenditur, nimirum ex maiori excellentia operum, ad quę ex amore perfectionis homo ex officio, vel ex statu obligatur. Ideo hic comparantur Clerici & Religiosi in ordine ad eas actiones, ad quas obligantur illi ex officio, & isti ex professione religiosa.

2 Resolutio autem huius articuli est, quòd dupliciter religiosi comparari possunt ad Clericos seculares, vel scilicet loquendo de religiosis ordinatis in sacris ordinibus, ita vt non sit inter illos excessus in ordine, sed diaconus diacono, presbyter presbytero comparetur, vel loquendo de religiosis laicis, seu non ordinatis sacris ordinibus. Nam supposita æqualitate ordinis, religiosi excedunt simpliciter Curatos Clericos in perfectione; Quia Curati solùm partialiter & instrumentaliter, & sine perpetua obligatione incumbunt curæ animarum, Religiosi verò totam vitam obligant ad Dei obsequium; vnde eorum perfectio se habet ad Curatorum perfectionem sicut totum ad partem, & sicut holocaustum ad sacrificium. Sed loquendo de religiosis laicis seu conuersis, Clerici Curati eos excedunt per sanctitatem ordinis, & ideo simpliciter sunt perfectiores ex hac parte, quia ex officio ad actus ordinis clerici curati obligantur.

3 Optima autem & valde attendenda est distinctio D. Th. qua in Curato seculari distinguit tria, scilicet statum, ordinem, & officium. Sentit verò curatos seculares quantùm ad statum contineri in statu secularium simpliciter, quod probatum est supra a. 6. & iterum in hoc articulo magis explicatur.

4 Ex hac verò distinctione triplex comparatio fieri potest inter Curatum secularem, & Religiosum. Cum enim tria considerentur in Curato, scilicet status, ordo, & officium, vel hæc tria sunt etiam in Religioso, vel Religioso deficit officium Curati, vel religioso deficit & officium, & ordo.

5 Hæc propterea est prima textus conclusio, quia scilicet si religiosus est talis, vt simul sit sacerdos, & curatus, sicuti multi sunt etiam ex Instituto religionis, sicut sunt plerique monachi, & clerici regulares, curati seculares exceduntur statu a Religiosis, licet sint similes ordine, & officio. Exceduntur statu, quia vt probatum est art. 6. curati sunt in statu secularium, & non sunt in statu perfectionis sicuti sunt religiosi.

6 Sed si religioso deficiat officium, non verò deficiat ordo, tunc Curatus secularis est Religioso presbitero maior officio, sed minor statu, æqualis verò ordine. Oppositum autem sentiunt, *Henricus, Maior, & Gerson.* volentes Parochum excedere Religiosum Presbyterum in perfectione simpliciter. *Suarez autem cap. 21. sentit* statum religiosum esse vtiliorem & meliorem in indiuiduo & respectu nostri, & ideo moraliter & practice esse simpliciter meliorem, sed statum Curatorum esse meliorem secundùm se, & vbi inueniatur in ea perfectione, quæ talem statum decet; ideo solùm speculatiuè & secundùm quid esse meliorem. Sed considerando diligentiùs rationes textus apparebit, quòd professio religiosa annexa ordini sacro constituit hominem in statu maioris perfectionis simpliciter, quàm officium curati, prout docet D. Thom. & sentiunt *Caietanus hic Valentia 22. disp. 10. quæst. 5. p. 5. Ledesm. de statu perfec. cap. 2.*

7 Cum ergo secundùm D. Th. Religiosus Presbyter a curato seculari excedatur officio, sed excedat statu, iam summa quæstionis in hoc est posita, vt videatur quæ præeminentia sit maior, status scilicet, an officij. Ad quod videndum duo attendenda sunt, scilicet bonitas & difficultas. Est autem hæc distinctio valde necessaria, nam perfectionis excessus, & ex bonitate operis, & etiam ex difficultate pensanda est; quia & operis difficultas redundat in maiorem obiecti bonitatem, quia obligatio ad opus difficilius ceteris paribus est opus maioris virtutis, & quod præexigit maiorem & excelsiorem charitatem. Itaque opus est melius & ratione bonitatis obiecti secundùm se, & ratione bonitatis, quam affert circumstantia difficultatis, difficultas enim pertinet ad circumstantiam quid.

8 Hac distinctione supposita, & bonitate operum considerata ponitur tertia conclusio in qua

asseritur, quod status presbyteri religiosi excedit in bonitate officium curati sæcularis, ex duplici imperfectione quæ in tali officio est. Prima quia obligatio curati non est perpetua. Secunda quia curatus non habet principalem, & totalem curam animarum, sed in[illegible]entalem, & partialem. Ratio igitur est, quia re[illegible]iosus obligat totam vitam suam ad studium perfectionis. Curatus autem secularis non obligat totam vitam suam, ad curam animarum & [illegible] cura animarum conuenit ei pa[illegible]r, & instrumentaliter.

9 Videtur autem quód prior ratio non valeat: Quia obligatio ad opus non auget bonitatem operis simpliciter. Nam [illegible]cet cæteris paribus [illegible] sit operari ex voto, quam non ex voto, tamen non est melius ieiunare ex voto, quàm diligere Deum ex libertate a voti necessitate soluta. Sic non ex eo est perfectius opus seruare paupertatem, & obseruantias regulares ex voto, quàm habere liberè curam animarum, quia hoc ex genere excedit illud. Respondetur verò, quod D. Th. non adducit hanc rationem vt adæquatam, sed vt probantem in genere suo, & ideo vt probantem excessum bonitatis cæteris paribus. Quia ergo obligatio professionis regularis est maior obligatione per se annexa officij curati, cum [illegible] obligatio voti, & ideo obligatio virtuti[illegible] perpetua, & sit obligatio totius vitæ, & ex consequenti sit sacrificium præcipuum & holocaustum [illegible], per quod homo totam vitam sacrificat in Dei cultum, & obsequium, iam cæteris paribus ex hac parte professio [illegible]giosa excedit in bonitate officium curati.

Propterea additur secunda ratio, vel potius secundum membrum adæquatè rationis; & fit comparatio in obiecto obligationis, nimirum inter a[illegible]us ad quos [illegible] obligat curatus, & ad quos se obligat religiosus clericus, & intendit author, quòd ex genere [illegible] sint ea, ad quæ religiosus sacerdos tenetur ex sua professione, q[illegible]m sit cura illa animarum [illegible], & instrumentalis ad [illegible] tenetur Parochus. Hoc verò est, quod negant DD. citati, & quod non [illegible]tur verum, & merito est examinandum.

SVMMARIVM.

1 *Rationes in op[illegible]nm huius. n. 10.*

2 *Cum cura animarum parochorum sit cura partiali, & instrumentali, ideo Parochi respectu huius præcisè exceduntur in perfectione quoad opera à Religiosis ratione operum ad quæ obligat professio religiosa ex suo genere sumpta. n. 11.*

3 *Ingredientibus religionem requiritur talis cognitio latinæ linguæ vt [illegible]erandum [illegible] ad presbiteratum post eos admitti. n. 11*

4 *Reli[illegible] presbit[illegible] ad presbiteros seculares quocumque inferi[illegible] se habet in perfectione vt totum ad part[illegible] & vt holocaustum ad sacri[illegible]cium. n. [illegible]*

5 *R[illegible]iosi habent summum Pon[illegible]cem vt p[illegible] Prælatum, cui a[illegible] ob[illegible] & ideo ad [illegible] in prepara[illegible] [illegible] quedam [illegible] ad administrationem Sacramentorum. n. 12.*

6 *Parochi obligantur ad ministranda Sacramenta non obligatione p[illegible] sed [illegible] & [illegible] iust[illegible] Religiosi voto ob[illegible] virtute Re[illegible], ideo [illegible] c. [illegible]2.*

7 *Licet Parochi teneantur [illegible] tempore pesti[illegible] exponere se pe[illegible] admi[illegible] Sacramenta populo, [illegible] ex voto quod contrahunt ex co[illegible] one [illegible] animarum & pa[illegible] ex voluntate contrah[illegible] numm 12.*

8 *Regulares vero in de[illegible] Parochorum, [illegible] Papa iube[illegible] tenentur ex voto quod e[illegible] Rel[illegible]onis [illegible] superior[illegible] & in[illegible] numer. 13.*

9 *Si Episcopi obligatio ad pascendum oues e[illegible] tantum ex debito iustitiæ commutatiuæ [illegible] pa[illegible] non essent in statu perfectionis. [illegible] rum oritur ex consecratione, qu[illegible] vt obiectum Religionis. n. 14.*

10 *In munere concionandi Regulares excedunt P[illegible]chos. n. 15.*

11 *Et præcipuè Regulares mendicantes, qui ex pr[illegible] saluti populorum dant operam. num. 15.*

12 *Regulares [illegible] quorum institutum non [illegible] ad salutem animarum, sed vitæ cont[illegible] adhuc a[illegible] oculo deputantur [illegible] ximè quam Parochi; quia ex voto adm[illegible] Sacramenta Papa iubente temp[illegible] populos ex vi prof[illegible] apud Deum o[illegible]tionibus assiduis. n. 16.*

13 *Oppo[illegible] n. 1[illegible]*

14 *Resoluitur d[illegible]tinctione [illegible] obl[illegible] dinis, [illegible], voti, [illegible] ex contra[illegible] 18.*

15 *Tres sunt gradus eorum qui operantur ad [illegible] animarum [illegible] Purgantium, illuminantium [illegible] perfi[illegible]entium. n. 19.*

16 *Respo[illegible] argumentis in principio opp[illegible] num 20. 21. 22*

17 *Etiam ex parte difficultatis Re[illegible]giosi [illegible] Parochos seculares [illegible] per se genere [illegible] numer. 23.*

17 *Licet quoad ordinem religiosus laicus [illegible] a Parocho, attamen ratione status regula[illegible] uersus præeminet Parochi. n. 24.*

Vtrum per se & ex genere operum meliora sint in bonitate opera, ad qu[illegible] tenetur sacerdos religiosus, qu[illegible] sit illa cura animarum, ad qu[illegible] tenetur secularis sacerdos [illegible] Episcopo?

10 Videtur enim quod lon[illegible] cura animarum [illegible] perfectius [illegible] habe[illegible] animarum [illegible] perf[illegible] curatus, professio [illegible] religiosa [illegible]

ftituit religiofum in ratione eius , qui perficie[illegible] igi[illegible] [illegible] ex genere fuo eft opus perfect[illegible]. Secundo. N[illegible]m perfect[illegible]ius opus [illegible], quod ad fui exercitium [illegible] maiorem [illegible]irtutem, & perf[illegible]ctionem. [illegible] opus curæ [illegible] nedum in Ep[illegible]copis, fed in Prælatis i[illegible] per[illegible] vi[illegible] & exe[illegible]. N[illegible] *Ap[illegible] p.ad Tim. [illegible] ad Titum p.* [illegible] [illegible] fan[illegible]itati[illegible] q[illegible] [illegible] rit fub nomine Epi[illegible] compr[illegible] Curat[illegible] & infe[illegible] Prælatis, & Presby[illegible] cum p[illegible] Epi[illegible] [illegible] Diac[illegible] in Presby[illegible] teris curatis requirit[illegible] [illegible] Epi[illegible]pis ci[illegible] proportione. Q[illegible] *S. Ber-nar. ferm. de tribus ordinibus*, v[illegible] omnibus Prælatis loq[illegible]s ad omnes applicat, quæ de Epi[illegible]copis tradit A[illegible], often[illegible] in [illegible] præ[illegible] magnam vitæ perfe[illegible] & fanctita[illegible]. Quod & oftendit *S. Aug. epift.148.ad Val[illegible]* Et confirmatur ex *D. Th. fuper cap.5. Matthæi* [illegible] *fine.* Tertiò nam cura a[illegible] [illegible] [illegible] [illegible], & perfe[illegible]ffim[illegible] rum a[illegible] Sacramentorum [illegible] tio [illegible] Dei, fepulturam d[illegible] bene-d[illegible] olinarum [illegible] & do[illegible], & fontis baptifmalis, proceffio[illegible], quæ fiunt act[illegible] perf[illegible]tiffimi, [illegible] ores, qu[illegible] pa[illegible] rem habitum por[illegible] [illegible] [illegible]res ex[illegible]cere, Ex gen[illegible] per[illegible] animaru[illegible]àm obfer[illegible] con[illegible] obligat pr[illegible]ffio re[illegible] [illegible]um.

11 Refpondetur fup[illegible], quod ar[illegible].6. p[illegible] & late hic exp[illegible] C[illegible] [illegible] in Prælat[illegible] bus [illegible] inftrumentalis [illegible] hæc fup[illegible] huiufmodi Prælatos ex hui[illegible] modi pa[illegible] [illegible] præ[illegible]fa femper [illegible] in or[illegible] Presbyteris tam religio[illegible] eft c[illegible] non excedi[illegible] ope[illegible] [illegible] obligat profe[illegible] [illegible] fuo genere [illegible] Dicitur autem ex pr[illegible] *profe[illegible]io* [illegible] *ex fuo genere fumpti*, [illegible] profe[illegible] p[illegible] fecundum id, [illegible] per [illegible] fe ha[illegible] id, quod fibi com[illegible] in aliqua [illegible] p[illegible] in profe[illegible] m[illegible] v[illegible] N[illegible] [illegible] fa per fe,& ex fuo genere,& potti[illegible] a continet e[illegible] [illegible] onem ord[illegible] [illegible] dc[illegible] onibus Or[illegible] [illegible] & [illegible] regularium, & etiam Mo[illegible]chorum [illegible] non per ac[illegible], fed per fe [illegible] & pro[illegible] [illegible] facer[illegible] V[illegible] alias d[illegible] fule pr[illegible] ad [illegible] religio[illegible] nedum ex p[illegible] tutis, fed decret[illegible] vna eft,vt ita ca[illegible] linguam latina[illegible] quòd poffit a[illegible] [illegible]rum Ordinum & Presbyte[illegible] Q[illegible] & ft[illegible] [illegible] quæ ex [illegible]tuto [illegible] & adminiftranda etiam S[illegible], [illegible] & plain [illegible] [illegible] ce[illegible]tionem. Et fic [illegible] ordinis pertinent ad ftatum [illegible] & a[illegible] compa-ratione per fe; comparamus enim nunc Presbyteros regulares ad Presbyteros fæculares animarum curatos & quidem præcipuus fermo eft de illis Presbyteris [illegible]ularibus, qui per fe ex regula afcenderunt ad pre[illegible] ordinem,& ex confequenti ad a[illegible] [illegible]erorum fiunt ex profeffione ordinat[illegible].

1[illegible] Q[illegible] propter de his religiofis loquendo dicitur [illegible] i fæculares curati,aut Prælati i[illegible] ex genere vitæ imperfectiores [illegible], q[illegible] religiofi Presbyteri. Ita cum D. Thom. hic te[illegible]nt *Caiet. Valentia Ledefm. fupra citati*. Quia Religiofi Presbyteri ad fæculares Presbyteros quofcumque inferiores Epifcopis fe habent in perf[illegible]ione vt totum ad partem,& vt, holocauftum ad facrificium. Nam cura animarũ etiam partialis, & inftrumentalis, quæ competit Prælatis, & Curatis, competit etiam Presbyteris regularibus. Nam & illi orant pro populo, celebrantes miffas, & magis quàm Curati, quià & frequentius celebrant, & choro & cantui inferuient[illegible] [illegible]ngiores orationes, nedum de die, fed de nocte, Deum pro falute populorum deprecantur, con[illegible] dientes orationes ieiunijs, carnis macerationibus, voluntatis abnegatione, & virtutibus alijs, quæ maxime valent a[illegible] hoc vt Deum populis propitium re[illegible]nt. Ita [illegible] etiam Sacramentorum non exced[illegible] religio[illegible] nifi fecundum quid, fed fim[illegible] excedunt. Vtrique enim folùm ex parte, & inftrumentaliter Sacramenta miniftrant. Exced[illegible]r verò à Parochis religiofi, quia Parochi[illegible] [illegible] baptizar[illegible] contrahentibus [illegible] s a[illegible]ftere, ex[illegible] vn[illegible] [illegible] comm[illegible] are in Pafchate. Viden[illegible] exce[illegible] [illegible] ex offi[illegible]io Sacramenta miniftrant. Sed [illegible]tus hic e[illegible] fecundum quid. [illegible] R[illegible]oli, qui ex vi fuæ profeffionis habent Summum Pontificem [illegible] Epifcopum ne[illegible] vt Papam, fed vt proprium Prælatum, cui ex voto obedientiæ t[illegible]r obe[illegible] fecundùm regulam, fimul obl[illegible] vt quæcumq. Sacramenta adminiftrent in præparatione animi, & ad nutum Pontificis huiufmodi fecundùm regulam cuiufcumque præcipi[illegible]s & fic funt miniftri Sacramentorum [illegible] odo [illegible] & ad hoc minifterium ex altiori vinculo [illegible]m ex voto obligantur, quando opus fuerit, & [illegible]o Prælato placuerit. Secundò in actuali [illegible] Sacramenti Pœnitentiæ, & Euchariftiæ, [illegible] experie[illegible]tia conftat, longè fuperant clericos fæculares affiftendo continuò Ecclefijs, vt pœnitent[illegible] audiant, vel cibo [illegible] paf[illegible]. Quod [illegible]go Paroc[illegible] [illegible]lares plura Sacramenta miniftrent, hic e[illegible] exce[illegible]s [illegible]ndùm quid, tum quia eft exceffus in parte, tum q[illegible]a & adhuc in ordine ad illa religio[illegible] [illegible] omn[illegible] dep[illegible]ati ex profeffione ex qua p[illegible] [illegible] miniftrare in obfequium Epifcopo[illegible] [illegible] legitimo Prælato v[illegible]. Quòd vero Par[illegible] ad hoc minifterium fint obligati non facit, tum q[illegible] obligatio perpetua non eft per fe annexa c[illegible] offi[illegible]io, fed eft extrinfeca, tum q[illegible]a cor[illegible] obligatio [illegible] ex f[illegible] & [illegible] [illegible] durante tantum officio, ob[illegible] regi[illegible] ad [illegible] idem [illegible] eft perpetua [illegible] ex vo[illegible] vnde in hoc R[illegible] fuperant Clericos [illegible].

13 Quod

13 Quòd si dicatur, Parochos ex officio teneri ad administranda Sacramenta etiam cum periculo vitæ, vt tempore pestis, vel belli. At verò exponere vitam pro alijs est maximum opus charitatis. Respondetur, quòd etiam in hoc superantur à Religiosis. Nam hoc quidem verum est, quòd ad Parochos pertinet, vt sint primi ad exponendam vitam periculo mortis, vt suis Parochianis Sacramēta ministrent, quia ad hoc sunt conducti ex officio, quòd medijs Pontificibus à Christo recipiunt, & secundùm aliquos ratione decimarum, & redditruum etiam ex iustitia commutatiua. Sed nihilominùs etiam Religiosi mendicantes, qui ex instituto incumbunt saluti proximorum, deficientibus Parochis, & clericis secularibus sub iurisdictione Episcopi constitutis tenentur in subsidium ad sui superioris nutū ministrare Sacramenta tempore pestis, & tradit *Sanchez in summa lib. 6. cap. 2. n. 60. & infra suo loco est probandum*. Et quia omnes religiosi presbyteri Papæ subduntur, vt proprio Prælato, & aliàs quilibet Sacerdos ordinatur in ministerium Episcopi; non dubito, quin deficientibus omnibus quibus ex officio, vel professione incumbit onus ministrandi Sacramenta, seu incumbendi saluti proximorum, possit Papa etiam Monachos, etiam Carthusianos presbyteros cōpellere ad administrandum Sacramenta tempore pestis, etiam vt coadiutores Episcoporum, quia ad hoc ordinantur ex ordine Sacerdotij ab Episcopo suscepti. Ideò discrimen est solùm, quòd Parochi vt Parochi obligantur in casu necessitatis exponere se periculo vt Sacramenta fidelibus ministrent ex titulo officij; ad quod etiam tenentur Religiosi, qui ad hoc obligantur ex voto, quod est opus religionis & continet vinculum, quod ex consensu contrahentium non est solubile sicuti est obligatio Parochi. Sublimius verò cum sit, & perfectius ex voto perpetuo obligare se ad ministranda Sacramenta cum periculo mortis etiam in subsidium, quàm sit ex titulo solubili, ex consensu partium obligare se ad illud idem, constat, quòd Religiosi sunt in hoc perfectiores. Ministratio enim Sacramentorum materialiter sumpta, vt est actio quædam physica actus virtutis non est, vt verò est in Dei cultum est actus religionis, quem sub hac ratione omnes tam Parochi, quàm religiosi respiciunt. Similiter exponere vitam periculo materialiter sumptū non est virtus, cū possit esse vitium, formaliter verò vt est ex charitate est actus charitatis sub qua ratione illud respiciunt tam religiosi quam Parochi; discrimen est, quod isti ad hoc se obligant ex officio de se nō perpetuò taliter, quòd ex consensu partium non possit dissolui, sed Religiosi ex voto obedientiæ, & omnes Sacerdotes ex Presbyteratus ordine: perfectior verò est obligatio perpetua voti, quæ competit Religiosis, quam obligatio officij, quæ competit Parochis. Nec iuuat eos, quod sunt primi, qui debent tempore præire in exponenda vita; aliter essent perfectiores Episcopis, & Papa, qui in hoc sunt omnino vltimi: sed præcedentia attēdi debet in perfectione vinculi. Et hoc modo priores sūt Religiosi, qui ex voto obligātur.

14 Hinc etiam est, quòd si in Episcopo non esset alia obligatio ad pascēdum oues per administrationem Sacramentorum, quàm illa quam ponunt aliqui, scilicet, obligatio iustitiæ ex hoc resultans, quod de eorum mente Episcopus habet à populis decimas & reditus pro sustētatione, eius status, nec esset simplici status perfectionis, nec excederet statū Religiosorū; quia nō est immobilis quantum status requirit, quia ex mutuo partium consensu de sui natura dissoluitur. Et obligari ad actus virtutis ex iustitia non constituit statū perfectionis, nā nec Reges, nec alij Magistratus etiā perpetui sūt ex hoc in statu perfectionis. Sed pręcipua obligatio Episcopi est ex virtute religionis, & est obligatio voti perpetui. Ex vi enim consecrationis consecratur & deputatur minister Sacramentorum tanquam causa principalis ac propria. Et sic pactum intrinsecum consecrationi respicit Deum vt obiectum Religionis, & est promissio per quam Episcopus in sui consecratione recipiens Episcopatus dignitatem Deo promittit se iuxta Summi Pontificis determinationem habiturum curam Ecclesiæ, quæ ibi à Pontifice fuerit designata. Et ideò eius obligatio est obligatio voti, & de se perpetua. In Parocho verò consimilis, quidem obligatio est, quatenus Parochus est Sacerdos, ex hoc enim est minister Sacramentorum sub Episcopo, & in adiutorium Episcopi. Sed hanc obligationem habent quoque Presbyteri Religiosi. Et in hoc est distinctio, quod Religiosi adhuc vt Religiosi obligantur ex voto ad ministerium Sacramentorum in subsidium, sed Parochi vt Parochi, siue dicantur obligari ex iustitia siue ex obedientia, siue ex Religiosi officij fidelitate, & iustitia ad Christum, & per Christum ad Ecclesiam; hæc obligatio nec sufficit ad statum perfectionis, & longè inferior, est obligationi voti. Non quia si hæc obligatio Parochorum esset perpetua non sufficeret ad statum constituendum, quia obligatio matrimonij est ex iustitia, sed quia est perpetua sufficit ad statum. Et quòd matrimonium non sit status perfectionis, non est, quia non sit status, sed quia non est perfectionis, obligatio enim matrimonij, vt docet *D. Thom. opusc. 18. cap. 25.* non est ad opus perfectionis, sed ad reddendum carnale debitum. Sed obligatio iustitiæ, quæ non est perpetua, sed dissolubilis de partium consensu, non sufficit ad statum, & talis est obligatio Parochorum. Ex quo patet, quòd in ministerio Sacramētorum Parochi sic excedunt Religiosos Presbyteros secundum quid, quòd simpliciter etiam in hoc à religiosis superantur.

15 In munere autem concionandi, & docendi plebem euidens est religiosos Mendicantes superare Curatos seculares, cum vbique terrarum mendicantes Religiosi tempore aduentus, & Quadragesimæ, & & in præcipuis annis festiuitatibus ad conciones habendas mittantur in Ecclesijs Parochialibus; cum etiam in proprijs Ecclesijs per totum anni circulum conciones habeant. Reliqua verò munera Parochialia minoris considerationis sunt. Nec Religiosis negantur omnino, qui in Ecclesijs proprijs candelas, & palmas benedicunt, & processiones habent ad quas multitudo plebis cōuenit. Vnde euidens est, quòd partialis & ministerialis illa cura animarum, quæ competit Parochis, & Prælatis inferioribus Episcopo modo eminentiori modo est in Religiosis, præcipuè ordinū Mendicantium, qui ex professo saluti populorum dant operam, & animas pascunt & verbo & exemplo;

plo; Et verè sic est quod status Religiosus se habet ad officium Parochorum, vt totum ad partem, & vt holocaustum ad sacrificium; & ideò est perfectior.

16 Sed quid dicendum de Religiosis, quorum institutum non est operari ad salutem animarum, sed vitæ contemplatiuæ, & propriæ saluti tantùm inuigilant? Respondetur, quemlibet Presbyterum regularem altiori vinculo deputari ad salutem proximi, quàm Parochos. Obligantur enim ex titulo Presbyteratus sicut & Parochi, & vlterius titulo voti obedientiæ, nam in subsidium, & defectum aliorum Sacerdotum posset Papa, vt eorum proprius Prælatus, & proximus etiam eorum superiores præcipere, quod Sacramenta populis ministrarent, etiam tẽpore pestis; quia hoc est secundum regulã quamcumque admittentem Sacerdotium in suis Religiosis, vt munera Sacerdotibus competentia pro necessitate exerceant. Vt intra suo loco probandum est. Et præterea supplicationes tam frequentes, & assiduas habent pro plebe, vt meritò saluti proximorum dio noctuque inuigilare dicãtur.

17 Verùm obijciet forsan aliquis contra supradicta, & dicet ea nimis probare, & dum ex vna parte tuentur conclusionem *D. Thom.* eam infringere ex alia: Nam si est verum, quòd Religiosi Presbyteri excellentiori modo obligentur ad curam animarum, quàm Clerici seculares, iam Religiosi Presbyteri non exceduntur à Parochis in officio, sicut D. Thom. docet, sed illos excedunt.

18 Respondemus nihilominùs negando consequentiam argumenti, & considerando hic triplicẽ obligationem ad ea, quæ ad curam animarum pertinent. Prima est obligatio ordinis, quæ est veluti aptitudinalis, & in actu primò, ex qua Sacerdos est deputatus minister Sacramentorum ad Episcopi dispositionem. Et in hac obligatione conueniunt omnes Sacerdotes. Alia est obligatio voti, sed aptitudinalis & veluti in actu primo, & non totalis tamen, sed partialis, & instrumentalis. Et hanc habent omnes Religiosi Presbyteri, vt dictũ est. Alia est partialis & instrumentalis, ex Religiosi officij fidelitate, & religiosa iustitia. Et hæc est obligatio, quam habent Parochi non verò Religiosi, qui non sunt Parochi. Considerandum verò est vlteriùs, *D. Thom.* dixisse, quòd Parochi excedunt Religiosos Presbyteros officio, sed statim in tertia conclusione explicasse, hunc non esse excessum simpliciter, sed secundùm quid. In ea enim conclusione statuit, quòd in perfectione, & bonitate Religiosi Presbyteri excedunt Curatos seculares simpliciter. Vtrumque ergo verum est. Et quidem primum, quia scilicet Parochus Religiosum Presbyterũ excedit officio, quia Parochus ex officio tenetur primus, & actu, & omnia munia Parochialis curæ exercere. Religiosus verò Sacerdos nõ Parochus ad curam animarũ nõ tenetur ex officio, nec tenetur esse primus, sed in subsidium, nec per se est obligatus nisi in aptitudine, & si sibi actuale ministerium Sacramentorum committatur, & regulariter non sibi comittuntur omnia munia Parochialia, sed aliqua. Et nihilominùs verum est secundum, quod scilicet, Presbyter religiosus bonitate simpliciter excedit Parochum secularem. Quia obseruãtia Regularis habens annexam etiam obligationem ad ea, quæ sunt curæ animarum aptitudinalem, est quid simpliciter perfectius, tum ratione obligationis, quæ est ex voto, tum ratione rei obligatæ; quæ vltra curam salutis proximorum comprehedit tot, ac tantas alias Regulares obseruantias.

19 Ad primum bene *Caietan.* respondet, quod Parochi sunt deputati ad perficiendum alios partialiter, & instrumentaliter. Cum verò tres sint gradus eorum, qui ad aliorum perfectionem operantur, scilicet gradus purgantium, illuminantiũ, & perficientium. Solius Episcopi est perficere, vt tradit *Dion. 5. cap. Cælest. Hierarch.* officium verò purgandi, & illuminandi eminentiori modo conuenit religiosis presbyteris.

20 Ad secundum dicitur verum esse, quòd excellentia Prælaturæ, & curæ animarum exigit puritatem vitæ, quæ requiritur in Episcopis, eadem non ad æqualitatem, sed cum proportione. Sed non minor requiritur in Presbytero religioso, quã in Parocho seculari, immò longe maior, vnde ex hac parte perfectior ex genere est status presbyteri religiosi.

21 Ad tertium iam est responsum; Presbyteris enim religiosis competit & orare pro populo, & Sacramenta ministrare, & populum docere, & plebem purgare, & illuminare, & ad hoc obligantur ex voto pro occasione, & necessitate, & in ratione deputationis ministerij instrumentalis, & partialis non cedunt parochis, cum ad hoc ex voto obligentur, & vlteriùs ad alia multa, ad quæ seculares curati non obligantur.

22 Ad prædictorum verò confirmationem est specialiter considerandum decretum, quod habetur 19. *quæst. 1. cap. clerici* quòd est desumptum ex Concil. Tolet. 2. & meritò D. Th. aduertit, quod eo decernitur, quod Episcopi non impediant parochos ab ingressu religionis, quia hoc est transire ad meliorem vitam. Nec potest hoc explicari iuxta distinctionem Suarez de vita meliori ex parte hominis, scilicet de vita magis secura & minus periculosa. Quia in hoc sensu status religionis est melior statu Episcoporum, quia securior. Nec obstat quòd Episcopi officium abundet in excellentia operum, & excellentia dignitatis, vnde secum affert occasiones exercendi heroicos actus virtutum, & minuit frequentiores occasiones peccandi. Quia hoc vltimum non dicitur cum fundamento; Nam in Episcopo & excellentia dignitatis, & sublimitas gradus, & vniuersalius onus, & debitum, & abundantia facultatum sunt occasiones non leues peccãdi. Alia verò, quæ sunt adducta, sicuti probant maiorem perfectionem talis officij, sic augent difficultatem, & illum ex genere difficiliorem, & ex consequenti nostræ infirmitati minùs proportionatum, vt clarè docet *Concil. Trid. sess. 6. cap. 5.* vocans hoc officium etiam Angelicis humeris formidandum. Vnde non est dubium, quòd status religiosus sit securior statu Episcoporum, & tamen de statu Episc. non licet transire ad Religionem, nisi de licentia Pontificis.

23 Probato quòd ex parte bonitatis religiosi presbyteri præcedant clericos seculares, transit *D. Th* ad alterum, ex quo dixit desumi præcedentiam in ratione perfectionis, quod est operis difficultas. Et ponitur quarta conclusio, quæ est, quod etiam ex parte difficultatis presbyter religiosus superat curatos seculares spectato per se genere vitæ, licet con-

consideratis extrinsecis impedimentis difficilius sit bene viuere in officio parochi. Abnegare enim temporalia & se ipsum est ex se difficile; sed hæc est difficultas facilitans & sternens viam ad opera virtutis, quia remouet cupiditates, & impedimenta & occasiones peccandi, quæ habent Parochi viuentes extra claustra in libertate, & possidentes temporalia, quorum curam habere debent. Vnde est, quòd licet status religiosus sit ex genere difficilior, in exercitio est iam facilior, & securior.

24 Tandem comparatur status religiosus, ad officium Parochi, ratione eius quòd status religiosus habet præscindendo ab ordine sacro, qui ordo per se est annexus officio curæ animarum. Ponit verò quintam conclusionem D. Th. & quòd excellentia ordinis præeminet quantùm ad dignitatem, & etiam quantùm ad sanctitatem, sed statu præeminet religiosus conuersus. Dignitate enim præcedit, quia sacer ordo est deputatio ad altissima ministeria, quibus Christo seruitur in Sacramento altaris. Sed ex hoc præcedit sanctitate; quia requiritur in sacerdote maior sanctitas, quàm in religioso ex vi status religiosi, vnde ex *Dyon. 6. cap. Eccles. hier.* monasticus ordo habet sacerdotalem ordinem vt exemplar, quod imitetur. Et ex alia parte magis peccat cæteris paribus clericus ordinatus in sacris, quàm religiosus conuersus, qui non habet ordinem sacrum. Nihilominus religiosus conuersus præeminet statu, quatenus obligatur ad obseruantias regulares, ad quas non obligatur sacerdos sæcularis.

SVMMARIVM.

1 *At si sacerdos præeminet ordine & sanctitate re igiosum conuersum est ne sacerdotium status? numer. 25.*

2 *Quatuor consideranda, scilicet finis qui intenditur. Media quæ assumuntur ad finem; dispositio necessaria ad operationes; & obligatio ad ista. n. 26.*

3 *Finis est idem in omnibus; media sunt diuersa, & excellentiora in sacerdote. Dispositio etiam esse debet excellentior in eo. Et quartum etiam non deest sacerdoti. n. 26.*

4 *Obligatio ad vitanda peccata mortalia ex nouo titulo non constituit nouum statum à statu communi omnium fidelium. n. 27.*

5 *Obligatio ad functiones sacerdotales deficit à rigore, & perfecto statu obligationis; quia est obligatio veluti aptitudinis, & actus primi, non vero exercitij. n. 27.*

6 *Si igitur sacerdotium comparetur ad statum religiosum imperfectum præciso ordine sacro, religiosorum est simpliciter sanctior. Secus tamen si comparetur in ratione principali status. n. 28.*

Quomodo sacerdotium sit perfectius, & sanctius statu religiosorum non sacerdotum, & non sit status perfectionis?

25 DVbium oritur ex hac D. Th. determinatione, si enim est maior sanctitas ad quam ordinatur sacerdos, quàm sit illa quæ competit religioso non presbytero, videtur omnino dicendum, quòd sacerdotium sit status, quia illi nec deest perfectio, cum perfectionem vitæ supponat, & ad opera altissima & sanctissima ordinetur, nec deest obligatio, cum nouo titulo etiam ad Dei legem seruandam obligetur.

26 Respõdetur quòd in præsenti quatuor considerari debent, scilicet finis, qui intenditur, media quæ ad finem assumuntur, & dispositio necessaria ad functiones & operationes, quæ vt media assumuntur, & obligatio ad ista. Certè vt pluries dictum est, finis cuiuscumque status fidelium vnus & idem est, scilicet perfecta Dei dilectio sine mensura. Ad huiusmodi verò finem diuersi status diuersa media assumunt, & ad diuersas actiones ordinantur. Et in hac parte sacrificium missæ ad quod deputatur sacerdos, & etiam ministratio Sacramentorum, ad quam recipit potestatem, licet dependeret, & cum subordinatione ad Episcopum, huiusmodi inquam functiones, quæ sunt ex suo genere actus religionis excellentissimi, & sublimes, excedunt in bonitate, & perfecta paupertatem, & voluntariam assumptam obedientiam. Id etiam, quod, vt dispositio requiritur ad huiusmodi functiones est sanctitas, & perfecta obseruantia legis per abstinentiam ab omni eo, quod est contra charitatem, & gratiam; quam obseruantiam ex nouo titulo, & vt dispositionem ad propria munera obeũda sacerdotium requirit. Sed & quartum non videtur deesse sacerdotio scilicet obligatio; nam ex vi sacerdotij & obligatur strictius ad obseruantiam legis, & ex voto annexo intrinsecè consecrationi est minister Episcopi addictus eius seruituti, vt iuxta eius dispositionem exerceat sacerdotales functiones pro fidelium vtilitate, & Ecclesiæ decore, & perfectione.

27 Nihilominùs considerandum est, quòd hæc obligatio diuerso modo se habet, vt respicit dispositionem necessariam ad functiones sacerdotales, & in ordine ad ipsas functiones. Nam prior obligatio non obligat ad aliam perfectionem, ad quam non teneatur quilibet fidelis; quia quilibet tenetur non peccare mortaliter; sacerdotium verò ad hanc obligat nouo titulo, & ex virtute religionis; quia obligat ad eam, vt ad necessariam dispositionem ad munera sacerdotalia dignè obeunda. Verùm obligatio ad vitandum peccatum mortale ex nouo titulo non constituit nouum statum à statu communi Christianæ vitæ distinctum, sed illum perficit; Quia hæc obligatio non est obligatio ad maiorem perfectionem, seu vt meliùs dicam ad opera maioris perfectionis, quàm sint illa, ad quæ obligat status perfectionis communis, sed solùm strictius obligat. Vnde ex hac parte nec Episcopatus, nec sacerdotium, nec professio religiosa constituunt nouum statum; sed important strictiorem obligationem ad eandem perfectionem, & ex consequenti nouam & strictiorem obligationem ad finem, scilicet ad perfectionem essentialem procurandam, & obtinendam. Obligatio verò ad functiones sacerdotales in alio deficit à rigore & perfecto statu obligationis, quia est obligatio veluti aptitudinis, & actus primi, non verò actualis executionis & exercitij. Ex vi enim consecrationis sacerdos accipit potestatem agendi, & ex hoc ordina-

dinatur ad agendum, & obligatur, sed non absolutè, sed sub conditione, scilicet tunc, & quando, Episcopus proprius, vel Papa commiserit; vnde sacerdotium est ministerium aptitudinale. Et ideo obligatio sacerdotij constituit statum secundùm quid, scilicet inchoatum, & imperfectum. Qui recipit complementum in Episcopatu, de cuius ratione est actualis obligatio, quàmuis in hac possit Pontifex dispensare, vt detur Episcopus oriosus, vt docet *D.Th.infra quæst.185.a.4. ad 3.* Tamen munus Episcopale, quod est munus agentis principalis & proprij ad salutem populi, per se petit & proprium ouile, & exercitium pascendi gregem. Sacerdotium igitur verè eleuat supra statum communem (quod idem dicitur de quolibet ordine sacro) Christianæ vitæ, tanquam inchoatio altissimi status.

28 Itaque si ordo sacer comparetur ad statum religiosum imperfectum, & ratione eius, quo status religiosus ab ordine sacro præscindit comparetur in perfectione & sanctitate; ordo sacer simpliciter est sanctior, tum ex striciori obligatione ad vitanda peccata præcipuè mortalia, tum ex functionibus sanctioribus ad quæ ordinatur. Sed si comparetur in ratione formali status, sic minùs de ea participat, & non habet completam status rationem, sed secundùm quid, & inchoatam. Et sic in ratione status religiosi conuersi excedunt clericos in sacris ordinatos.

SVMMARIVM.

1 *Similiter dicendum de Regularibus illis qui ex instituto non admittunt sacerdotium, nisi per accidens. n.29.*

An Religiones, quæ ex instituto non admittunt sacerdotium, nisi per accidens, sint perfectiores officio parochorum?

29 MVltæ sunt religiones, quæ non ordinantur ad salutem animarum, & quæ per se, & ex instituto non habent sacerdotium, sed solùm per accidens, vt videlicet habeant inter se aliquem qui sibi ministret Sacramenta, & missas celebret, eum tamen aliàs huiusmodi sacerdotes in huiusmodi religionibus, se habeant tanquam ministri, & capellani, nec admittantur ad regimen, & ad præcipua officia Religionis. De illis igitur Religionibus loquendo, dicitur quòd excedunt quidem sacerdotes curatos in ratione status, non tamen in ratione perfectionis nisi secundùm quid, propter rationes supra allatas. Ita tamen, quòd Presbyteri religiosi semper sunt perfectiores clericis secularibus curatis, quia ad maioris perfectionis opera simpliciter ordinantur.

SVMMARIVM.

1 *Affertur opinio asserens secundum D.Th. absolute loquendo debere dici religiosos excedere in perfectione status officium Parochi, & curati. numer.30.*
2 *Diuersa sunt inter se esse perfectum, & esse in statu perfectionis. n.31.*
3 *Religiosus est in statu perfectionis meliori, quam curati seculares. n.32.*
4 *Sed curati excedunt dignitate, sanctitate, & perfectione relig osos præcisè quà religiosos præscindendo ab ordine sacro religiosorum. n.33.*
5 *Et absolutè loquendo, ac simpliciter religiosi qua religiosi, sunt perfectiores Prælatis secularibus inferioribus Episcopis. n.34.*
6 *Curatus magis peccat, si quid contra sanctitatem agat quam religiosus laicus, ceteris paribus. numer.35.*

An absolutè loquendo curati seculares sint perfectiores Religiosis?

30 CVm magna distinctione quæstionem hanc de perfectione Parochorum & religiosorum soluit D. Thomas. Sed posset quis interrogare, quid sit dicendum absolutè, & simpliciter. Et an Parochi absolutè sint perfectiores religiosis. Nam ex DD. plures absolutè loquuntur. *Valentia enim 22.disp.10.quæst.2.p.5.cui consentiunt Ledes.de statu perfec.cap. 2.& Io:de Cruce de stat.perfect.cap.1.* Et dicunt, quòd si attendamus genus ipsum operum, quibus eiusmodi Prælati, seu Curati, & religiosi occupantur, simpliciter perfectior est status religiosorum, quàm officium huiusmodi Prælatorum. Quoniam huiusmodi Prælati, aut curati possunt transire ad religionis statum. Et quia Religio se habet vt totum, & holocaustum, cum Religiosus obliget totam vitam suam, ad ea, quæ sunt Religionis, & perfectionis, Curati verò obligantur tanquam instrumenta partialiter ad curam animarum. Tum quia obligatio religiosorum est perpetua & ex voto, non verò obligatio horum Prælatorum. Itaque secundùm illos DD. dicendum est, quòd trium votorum obseruantia, & tota collectio operum, ad quæ tenentur Religiosi sit perfectior, quàm sit partialis illa cura animarum, ad quam Prælati inferiores Episcopo obligantur.

31 Hæc tamen resolutio non est ad mentem D. Thomæ. Nam primò quæstio ista non potest absolutè, & simpliciter resolui sine distinctione, sicut nec eam resoluit D. Th. nam tria sunt in Parocho seculari habente curam animarum valde diuersa, scilicet status, ordo, & officium, & potest esse quòd Parochus si in vno excedit, excedatur in alio. Et præterea vt habet *D.Th.supra a.4.& op.18.c.23.* longè aliud est perfectio, & status perfectionis, & stat aliquem esse perfectissimum, & tamen non esse

Q in

in statu perfectionis, ideo vt colligitur ex *Caiet. in expos. tit. huius articuli*; aliud est quærere an aliquis sit perfectior, & an sit in perfectiori statu perfectionis. Vnde quæstiones istæ distingui debent, cum possibile sit, quòd aliquis sit perfectior, & tamen nec sit in statu perfectionis.

32 Et ita hac distinctione supposita respondere potest absolutè ad quæstionem. Dicitur enim, quòd religiosus, qua religiosus formaliter simpliciter est in statu perfectionis meliori quàm sint Curati seculares. Sed hoc est verum, quia immò, vt satis probatum est, præcipuè *a.6.* Hujusmodi Curati nec sunt propriè & simpliciter in statu perfectionis, sed sunt in statu perfectionis communis, & ad statum fidelium secularium pertinent, vt dicitur etiam, *in hoc artic.* quàmuis ratione sacerdotij inchoatiuè sint in statu Episcoporum altissimo. Et ad hoc probandum valet ratio ex natura obligationis desumpta, quia scilicet isti curati non obligantur perpetuò ad curam animarum, ideo non sunt in statu ex vi officij illorum, sed bene sunt in gradu altiori intra communem statum, vt admittit etiam *D. Th. opusc. 18. c. 23.* Et ideo in hoc artic. docet, religiosos conuersos præcedere statu Curatos seculares, & sic ratione status religiosos excedere huiusmodi Curatos probat *D. Th. eod. op. 18. cap. 25.*

33 Sed econtra dicitur, Curatos seculares excedere dignitate sanctitate & perfectione religiosos præcisè qua religiosos præscindendo à religiosis sacris ordine & curam animarū habentibus. Et quòd simpliciter perfectior est cura animarum etiam instrumentalis, & partialis Parochorum, quàm præcisa obseruantia etiam perpetua trium votorum, Obseruantia enim trium votorum ex genere suo secundùm se non est perfectio, sed est res indifferens. Paupertatem enim esse, seu non esse coniugatum sunt res de se indifferentes. At verò cura animarum per administrationem Sacramentorum, & doctrinam cœlestem per se ex genere suo est actus & religionis, & charitatis ordinatus ad ordinandos homines in Dei cultum, & in eorum salutem. Nec obstat quòd obseruantia votorum religionis sit iam virtutis religionis actus. Tum quia hoc non est considerare regulares obseruantias ex genere illarum & per se, sed ex accidenti, nimirum ex voto. Tum quia obligatio voti superueniens operi non facit quòd opus ex se & ex suo genere sit melius & perfectius. Tum quia & cura animarum est actus religionis, & charitatis, & hoc non per accidens & ex fine operantis, sed per se, ex obiecto, & fine operis. Et in genere actuum Religionis indubiè est quòd sacrificium missæ, confectio Sacramentorum, & illorum administratio, sunt actus virtutis præstantissimi, nec cedentes in perfectione, & sanctitate obseruantiæ votorum. Quod inde etiam colligitur, quia cura animarum præcipuè ratione actuum ordinis requirit in Parocho magnam sanctitatis perfectionem, & vt docet *D. Th. in textu*, & magis peccat Parochus, quàm religiosus si aliquid agat sanctitati contrarium. Sine dubio autem sanctiora sunt opera, quæ ex vi sanctitatis eorum requirunt maiorem sanctitatis dispositionem in operante. Hanc verò dispositionem exigit cura animarum, præcipuè quidem ratione actuum ordinis, sed tamen etiam ex ea parte, qua Parochus est doctor, & prædicator & corrector, ex qua habet vt plebem nedum verbo sed moribus doceat, & ad sanctitatem dirigat. Et ideo D. Thomas hic admittit absolutè, quòd Parochi excedant religiosos conuersos dignitate, & sanctitate. Et *opusc. 18. c. 23.* Quintum & sextum argumētum vt soluat, recurrit ad hoc, quòd non omnis perfectus est in statu perfectionis, admittens in Curatis maiorem perfectionem sed negans statum perfectionis, quia ad officium curæ animarum non obligantur perpetuò. Itaque dicitur, Curatos dignè munus suum obeuntes, esse sanctiores & perfectiores simpliciter religiosis conuersis, seu religiosis qua præcisè religiosi sūt præscindendo à statu religioso habente perfectionē ordinis & curæ animarum. Et nedum dicendum est, quod in Curatis simpliciter loquēdo est aliquid dignius & perfectius, quàm in religiosis, qua religiosi sunt sacris ordinibus non ordinati vt dicunt *Valentia, & Ledesma*, sed dicendum est, quòd Curati sunt simpliciter digniores, & perfectiores laicis religiosis.

34 Nihilominus dicitur, quòd absolutè & simpliciter loquendo dici debet, Prælatos seculares Episcopo inferiores non esse perfectiores religiosis, qua religiosi sunt. Quia religio qua religio non reijcit clericatum, & curam animarum. Quàmuis igitur huiusmodi Prælati sint perfectiores si dignè suo munere fungantur religiosis non ordinatis in sacris, & qua sunt tales religiosi; non sunt tamen perfectiores religiosis, qua religiosi sunt absolutè, quia religio qua religio ambit etiam ordinem, & curam animarum. Et sic ad curatos se habet ve eorum ad partem, & quilibet religiosus clericus & sacerdos si dignè munere suo fungatur est perfectior cœteris paribus curato seculari, vt iam satis probatum est.

35 Circa verò id, quod D. Th. docet, scilicet quòd magis peccat Curatus quam Religiosus laicus, si quid contra sanctitatem agat, bene aduertunt *Val. & Ledes.* id debere intelligi cœteris paribus, non verò respectu eorum ad quæ religiosus tenetur ex præcepto communi, & amplius ex voto. Nam ex hoc furtum in religioso est maius peccatum, quia nedum iustitiæ, sed voto paupertatis contrarium. Sed præscindendo à voti obligatione, & respectu eorum quæ communiter præcipiuntur magis cæteris paribus peccat curatus quàm simplex religiosus. Quod verò *Ledesm.* asserit incontinentiam in religioso esse maius peccatum, quàm in sacerdote seculari, quia votum religiosi sit magis solemne, non crediderim verum, cum in vtroque incontinentia sit sacrilegium contra virtutem religionis, nec solemnitas mutet naturam obligationis.

SVMMARIVM.

1 *Est ne maioris perfectionis aggredi opus difficilius? num. 36.*

2 *Vbi opus est difficilius ex suo genere vtique illud aggredi est maioris perfectionis, secus si difficultas operis est extrinseca. n. 37.*

An maioris perfectionis sit aggredi opus difficilius?

36 VIdetur enim ex Chris. authoritate quòd maioris perfectionis, & virtutis sit aggredi opus difficilius & magis periculosum, quia sine dubio in periculis contemnendis fortitudo emicat & splendet charitas.

37 Respondetur tamen & dicitur; quòd vbi opus est difficilius ex genere, sine dubio maioris virtutis est ad tale opus animum adhibere, & ad illud conari, & illud aggredi. Quia perfectiores actus virtutum sunt difficiliores, & hæc intrinseca difficultas est comes excessus perfectionis in virtutum actibus. Sic charitas quò extensior simul est & perfectior, & difficilior. Sed vbi difficultas est extrinseca ex impedimentis, & periculis ab extrinseco prouenientibus, vbi non vrgeat necessitas aliqua, nedum tutius, & securius, sed maioris perfectionis, & virtutis est vitare pericula, & impedimenta virtutis, quàm illa aggredi. Nam & hoc ad magnitudinem virtutis spectat, vt inquit *D. Thom.* quòd quis pericula mundi, & impedimenta seculi vitet intrando Religionem. Inter pericula verò viuere & virturem custodire, semper est signum melioris virtutis cęteris paribus. Ideo qui ex secularib. Prælatis perfectè viuunt, cæteris paribus perfectiores sunt religiosis. Et hanc perfectionem desiderabat Chris. & ratione huius præfert presbyteris curatis monachos. Præferuntur igitur Prælati & curati cęteris paribus, si inter seculi impedimenta iustitiam perfectè conseruant. Sed non præferuntur quando sine necessitate sponte viuere inter pericula eligunt, vel liberè oblata beneficia curata acceptando, vel quod magis est procurando. Melius verò faciunt religiosi impedimenta vitando per ingressum Claustri.

QVAESTIO

CLXXXV.

De pertinentibus ad statum Episcoporum, in octo articulos diuisa.

quolib. 2. ar. 11. Et quodl. 3. a. 9. cor. Et quodl. 5. a. 22. con. & quodl. 12. ar 18. & opusc 18. c. 19. Et 1. Tim. 3. col. 1 & 2.

DEinde cōsiderandū est de his, quæ pertinēt ad statum Episcoporum. Et circa hoc quæruntur octo.

1. *Vtrum liceat Episcopatum appetere?*

2. *Vtrum liceat Episcopatum finaliter recusare?*

3. *Vtrum oporteat ad Episcopatum eligere meliorem?*

4. *Vtrum Episcopus possit ad religionem transire?*

5. *Vtrum liceat ei corporaliter subditos suos deserere?*

6. *Vtrum possit habere propriū?*

7. *Vtrum peccet mortaliter bona Ecclesiastica pauperibus non erogando?*

8. *Vtrum religiosi qui ad Episcopatum assumuntur, teneantur ad obseruantias regulares?*

ARTICVLVS I.

Vtrum liceat Episcopatum appetere?

AD primum sic proceditur. Videtur, quod liceat Episcopatum appetere. Dicit enim Apostolus prima ad Timoth. 3. Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Sed licitum est & laudabile bonum opus desiderare. Ergo etiam laudabile est desiderare Episcopatum.

2. Præterea, status Episcoporum est perfectior, quam religiosorum status, vt supra habitum est. Sed laudabile est, quod aliquis desideret ad statum religionis transire. Ergo etiam laudabile est, quod aliquis appetat ad Episcopatum promoueri. q. præced. ar. 7.

3. Præterea, Prouerbiorum vndecimo dicitur, Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium. Sed ille qui est idoneus & vita & scientia ad Episcopatum, videtur frumenta spiritualia abscondere, si se ab Episcopatu subtrahat. Per hoc autem quod Episcopatum accipit, ponitur in statu frumenta spiritualia dispensandi. Ergo videtur quod laudabile sit Episcopatum appetere, & vituperabile, ipsum refugere.

4. Præterea, Facta sanctorum, quæ in sacra Scriptura narrantur, nobis proponuntur in exemplum: secundum illud ad Romanos 15. Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Sed legitur Isa. sexto, quod Isaias se obtulit ad officium prædicationis, quod præcipue competit Episcopis. Ergo videtur quod appetere Episcopatum sit laudabile.

c. 19. non procul à fin. to. 5.

Sed contra est, quod Augustinus dicit decimonono de ciuit. Dei, Locus superior sine quo populus regi non potest, etsi ita administretur vt decet, tamen indecenter, appetitur.

Respondeo dicendum, quod in Episcopatu tria possunt considerari. Quorum vnum est principale & finale, scilicet Episcopalis operatio, per quam vtilitati proximorum intenditur; secundum illud Ioan. vlt. Pasce oues meas. Aliud autem est altitudo gradus: quia Episcopus super alios constituitur, secundum illud Matt. 25. Fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Tertium autem est, quod consequenter se habet ad ista, scilicet reuerentia, & honor & sufficientia temporalium; secundum illud prima ad Timos. 5. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. Appetere ergo Episcopatum ratione huiusmodi circumstantium bonorum, manifestum est quod est illicitum, & pertinet ad cupiditatem, vel ambitionem Vnde contra Pharisæos Dominus dicit Matth. 23. Amant primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Quantum autem ad secundum, scilicet ad celsitudinem gradus, appetere Episcopatum est præsumptuosum. Vnde Dominus Matt. 20. Arguit Discipulos primatum quærentes, dicens, Scitis quia principes Gentium dominantur eorum. Vbi Chrysostomus dicit, quod per hoc ostendit, quod gentile est primatus cupere: & sic gentium comparatione eorum animam æstuantem conuertit Sed appetere proximis prodesse, est secundum se laudabile & virtuosum. Verum quia prout est Episcopalis actus, habet annexam gradus celsitudinem, præsumptuosum videtur, quod aliquis præesse appetat ad hoc quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente: sicut Gregorius dicit in Pastoral. quod tunc laudabile erat Episcopatum quærere, quādo per hunc quemquam dubium non erat ad supplicia grauiora peruenire. Vnde non de facili inueniebatur qui hoc onus assumeret, præsertim cum aliquis charitatis zelo diuinitus ad hoc incitatur: sicut Gregorius dicit in Pastorali, quod Isaias prodesse proximis cupiens, laudabiliter officium prædicationis appetit. Potest tamen absque præsumptione quilibet appetere talia opera facere, si eum contingeret in tali officio esse, vel etiam se esse dignum ad talia opera exequenda: ita quod opus bonum cadat sub desiderio, non autem primatus dignitatis. Vnde Chrys. dicit super Matt.† Opus quidem desiderare bonum est: primatum autem honoris concupiscere, vanitas est. Primatus enim fugientem se desiderat; desiderantem se odit.

hom. 66. in Matt. à medio, to. 2. — in p. 1. c. 8. circa med. — in p. 1. c. 7. paulo à prin. — hom. 35. in Matt. inter ino. & fin. in opere imperfecto, to. 2. † 3 p. c. 8. circa ult.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Gregorius dicit in Pastorali †, Illo tempore hoc dixit Apostolus, quo ille qui plebibus præerat, primus ad martyrij tormenta ducebatur: & sic nihil aliud erat quod in Episcopatu appeti posset, nisi bonum opus. Vnde Augustinus dicit 19. de Ciuit. Dei, quod Apostolus dicens, Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: exponere voluit quid sit Episcopatus, quia nomen operis est, non honoris. Græcum est enim: epi quippe super, scopos vero intentio est. Ergo episcopin Græce, si velimus Latine, super intendere possumus dicere; vt intelligat non se esse Episcopum qui præesse dilexerit, non prodesse. In actione enim (vt parum ante præmittit †,) non amandus est honor in hac vita, siue potentia, quoniam omnia vana sunt sub sole: sed opus ipsum, quod per eundem honorem vel potentiam fit. Et tamen (vt Gregorius dicit in Pastorali) Apostolus laudans desiderium, scilicet boni operis, in pauorem vertit protinus quod laudauit, cum subiungit, Oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse: quasi dicat. Laudo quod quæritis, sed discite quid quæratis.

cap. 19. à med. to. 5. — eod. cap. — p. 1. c. 8. in prin.

Ad secundum dicendum, quod non est eadem ratio de statu religionis, & de statu Episcopali, propter duo. Primo quidem, quia ad statum Episcopalem præexigitur vitæ perfectio; vt patet per hoc, quod Dominus à Petro quæsiuit, si plus eum cæteris diligeret, antequam ei committeret pastorale officium. Sed ad statum religionis non præexigitur perfectio, sed est via in perfectionem. Vnde & Dominus Matt. 19. non dixit, Si es perfectus, vade, vende omnia quæ habes: sed, Si vis perfectus esse. Et huius differentiæ ratio

est

c. 6. eccl. hierar. *est, quia secundum Dionys.* † *perfectio pertinet actiue ad Episcopum, sicut ad perfectorem: ad monachum autem passiue, sicut ad perfectum. Requiritur autem, quod sit perfectus aliquis ad hoc, quod possit alios ad perfectionem adducere: quod non praexigitur ab eo, qui debet ad perfectionem adduci. Est autem prasumptuosum, quod aliquis perfectum se reputet, non autem quod aliquis ad perfectionem tendat. Secundo, quia ille qui statum religionis assumit, se alijs subijcit ad spiritualia capienda: & hoc cuilibet licet. Vnde* cap. 19. ? med. to. 5. *August. 19. de ciuit. Dei dicit, A studio cognoscenda veritatis nemo prohibetur: quod ad laudabile otium pertinet. Sed ille qui transit ad statum episcopalem, sublimatur ad hoc, quod alijs prouideat Et hanc sublimationem nullus debet sibi assumere: secundum illud ad Hebr. 5. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo. Et Chrys. dicit super Matthaum* †, *Primatum Ecclesia concupiscere, neque iustum est, neque vtile. Quis enim sapiens vult vltro se subijcere seruituti, & periculo tali, vt det rationem pro omni Ecclesia, nisi forte qui non timet Dei iudicium, abutens primatu Ecclesiastico seculariter, vt scilicet conuertat ipsum in secularem.*

† hom. 35. in opere imperfecto in 2. pag. ante fin. to. 2.

Ad tertium dicendum, quod dispensatio spiritualium frumentorum non est facienda secundum arbitrium cuiuslibet, sed principaliter quidem secundum arbitrium & dispositionem Dei: secundario autem secundum arbitrium superiorum pralatorum, ex quorũ persona dicitur 1. ad Corint. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Et ideo non intelligitur ille abscondere frumenta spiritualia, cui non competit ex officio, nec ei à superiori iniungitur, si ab aliorum correctione aut gubernatione desistat. Sed solum tunc intelligitur abscondere, si dispensationem negligat, cum ei ex officio incumbat; vel si officium, cum ei iniungitur, pertinaciter recipere renuat. Vnde August. c. 19 circa fin. t. 5. *dicit 19. de Ciuit. Dei, Otium sanctum quarit charitas veritatis; negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipienda, atque intuenda vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem.*

Ad quartum dicendum, quod sicut Greger. dicit in Pastorali, Isaias, qui mitti voluit ante per altaris calculum se purgatum vidit: ne non purgatus adire quisque sacra mysteria audeat. Quia ergo valde difficile est purgatum se quemlibet posse cognoscere, pradicationis officium tutius declinatur. lib. 1. c. 7. circa med.

SVMMARIVM.

1 *Sensus quasiti. num. 1.*
2 *Resolutio illius. n. 2.*
3 *In episcopatu tria considerantur, scilicet finis, gradus, & bona qua illum circumstant. n. 3.*

1 DE appetitu absoluto, & efficaci præcipuè est hic sermo, qui mouerit ad procurandum Episcopatum. Quamuis quæstio absoluta sit, & de omni appetitu quærat.

2 Resolutio autem est, quod si quis est dignus & idoneus ad functiones Episcopales, & ex necessitate, & intuitu vtilitatis spiritualis Ecclesiæ desiderat episcopatum non peccat, sed episcopatum appetere ratione altitudinis gradus, vel bonorũ circumstantium est illicitum.

3 Benè quoque tria distinguuntur, scilicet finis, officium, seu gradus, & quæ officium Episcopi circumstant. Finis explicatur per illud *Io. vlt. Pasce oues meas*, & est operatio episcopalis, quæ est prodesse gregi, seu pascere gregem moribus, & doctrina, & Sacramentorum administratione, seu facere homines sanctos, & illos dirigere in vitam æternam. Officium est munus præsidendi ouibus, & illas pascendi, vnde simul est officium, & gradus altissimus in Ecclesia, ex quo Episcopus alijs supereminet potestate, & dignitate iuxta illud *Matt. 24. fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*. Bona quæ circumstant sunt reuerentia, honor, & diuitiæ. Secundum illud ad *Timot. 5. Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Quãuis verò altitudo gradus etiam sit accidens episcopalis officij, est tamen illi per se annexum, & inseparabile, quia pascere oues est ouibus præesse, & tanquam superiorem illis præcipere, & super illas authoritatem habere.

SVMMARIVM.

1 *Appetere episcopatum ratione bonorum temporalium est cupiditas, & ambitio. n. 4.*

4 HÆc verò est prima conclusio textus, quia scilicet illicitum est episcopatum appetere ratione bonorum, quæ illum circumstant, cum sit cupiditas, & ambitio.

SVMMARIVM.

1 *Bona temporalia vel sunt finis Episcopatus uel solum appetitianit. n. 5.*
2 *Aliquarum opinio. n. 5.*
3 *Obiectia. n. 6.*
4 *Alia opiniones. n. 7.*
5 *Ratia amandi duplex, ex parte, scilicet amoris, & amati, & ex parte amantis. n. 8.*
6 *Vbi bona temporalia sint ratio finalis amoris Episcopatus, talis amar est peccatum mortale. numer. 9.*
7 *Vbi bona temporalia sunt ratia amandi solum ex parte amantis per se nullum est in tali amore peccatum. n. 10. 13. 14. 15.*
8 *Concupiscentia vtilis est dispositio ad amorem honestissimum. n. 10.*
9 *Et non est simoniacũ velle spirituale ratione temporalis, si temporale est solum ratio amandi ex parte amantis. n. 11.*
10 *Etiam si sis conditio sine qua non. n. 11.*
11 *Amicabilia, qua sunt ad alterum sunt ex amicabilibus, qua sunt ad nos. n. 11.*
12 *Distinctio Caiet. ad bonum sensum reducitur, num. 12.*
13 *Minus bene dicitur, quod temporalia sint finis solius appetitionis Episcapatus, si sunt finis illius, num. 12.*
14 *Nec vtilitas spiritualis propria licitè assumitur vt ratio formalis amandi episcopatum. n. 13.*
15 *Habere bona temporalia vt rationem amandi episcopatum ex parte amantis de facili est auaritia, vel ambitio. n. 14.*
16 *Quo stante Episcopus erit mercenarius. n. 14.*
17 *Desiderium honoris & diuitiarum non est de se malum n. 15.*
18 *Appetero episcopatum ratione bonorum temporalium, si hæc bona sint ratio solum ex parte amãtis potest esse honestum, immo necessarium. numer. 15.*
19 *Paupertas est qualitas qua quis fit dignior beneficio. n. 15.*
20 *Vbi appetere episcopatum ratione banorum temporalium non sit peccatum, nec est peccatum illum quærere. n. 16.*
21 *Procuratia potest esse illicita ratione scandali, num. 16.*
22 *Distinctia de fine primaria & secundario ad bonum sensum reducitur. n. 17.*
23 *Numquam tamen licet habero vtilitatem propriã etiam spiritualem pro fine episcopatus, vel amoris illius. n. 17.*
24 *Appetere Episcopatum ratiane temporalium non solum est vel auaritia, vel ambitio, sed sacrilegium. n. 18.*
25 *Et hoc est verum de appetitu cuiuscumque officij Religiosi, aut beneficij. n. 19.*

An appetere Episcopatum ratione bonorum circumstantium sit peccatum mortale.

5 CVm distinctione respondet *Caiet.* ex qua dubium resoluit. Nam id quod est ratio appetendi est finis appetentis, & ideo in eo, qui appetit episcopatum ratione bonorum circũstantium hæc bona sunt finis illius. Hoc verò contingit dupliciter, vel scilicet, vt in affectu appetẽtis hæc bona sint finis nedum appetitionis, sed rei appetitæ, vel vt sint finis appetitionis tantum. Primo modo appetens ordinat Episcopatum ad bona temporalia, quæ primò, & principaliter desiderat, & ideò talis appetens de officio non curat, nisi in ordine ad vtilitatem. Vnde ex vi talis appetitus appetens non est paratus ad munia Episcopalia obeunda, quantum debet, sed quantum sunt vtilia ad bona circumstantia acquirenda. Et hoc modo appetere Episcopatũ est sine dubio peccatum mortale. Et in hoc Doctores conueniunt. Sed alio modo appetere Episcopatum ratione bonorũ circumstantium non est habere hæc bona pro fine principali, sed pro fine secundario, seu non est habere ista pro fine episcopatus, sed pro fine appetitionis, & hoc modo etiã appetere episcopatum ratione bonorum circumstantium est peccatum, sed non est mortale, sed veniale. Non est peccatum mortale, quia hic appetitus compatitur secum bonam voluntatem obeundi munia episcopalia, prout oportet; sed est veniale peccatum, quia quæ appetuntur non habent in appetente eundem ordinem, quem habent inter se. Quia inter se bona circumstantia sunt medium, & ordinantur ad Episcopatum, & appetens ordinat quodammodo Episcopatum ad bona circumstantia. Et ità in hac parte tenentes esse peccatum veniale appetere Episcopatum ratione bonorum circumstantium, habendo illa vt finem appetitionis tantum *Caiet.* sequuti sunt, *Sata lib. 10. de iust. q. 2 a. 1. Petrus de Ledes. de statibus c. 3. conc. 7. Valentia hic disp. 10. q. 3. p. 2.*

6 Habet verò difficultatem hæc resolutio, quia non apparet quomodo aliquid possit esse finis appetitionis alicuius alterius, & simul non habeatur vt finis illius. Quia quod ratione alterius, & alterius gratia appetitur, appetitur vt medium ad finem, & tantum appetitur, quantum exigit finis, & ideò appetitur nedum, vt finis appetitionis, sed etiam vt finis rei appetitæ ratione illius, & in illius gratiam, igitur si bona circumstantia episcopatũ sunt finis appetitionis Episcopatus, iam in affectu appetentis sunt etiam finis Episcopatus, cum sit ratio appetendi episcopatum tanquam finis appetitionis.

7 Alij communiter distinguunt finem in principalem, & secundarium, vt *Nauar. conf. 17. num. 7. de sent. excomm. in nouis*, & asserunt illicitum esse appetere episcopatum ratione bonorum temporalium circumstãtium tanquam propter finem principalem, nullum verò esse peccatum, si hæc bona sint solum finis secundarius. In quo tamen alij nõ conueniunt, sed sentiunt peccare saltem venialiter,

qui

qui Episcopatum propter bona temporalia, etiam vt finem minus principalem desiderat. Ita *Homob. de exam. Eccles. p. 3. tract. 15. cap. 7. q. 24. resolut. 1. & Diana resol. mor. p. 4. tract. 4. resol. 100. Lezana in sum. p. 1. cap. 17. n. 22. apud Barbos. de off. Episc. par. 1. tit. 2. gloss. 1. n. 10.*

8 Respondetur, ex doctrina *D. Thom.* petendam huius quæstionis resolutionem, vt enim Sanctus Doctor habet *p. 1. q. 60. a. 5. ad secundum* ratio amandi aliquid est duplex, scilicet ratio amandi finalis, quæ est ratio amandi ex parte actus, & obiecti, & est verè id cuius gratia aliquid amatur. Alia verò est ratio amandi ex parte amantis, & hæc ratio consistit in bono, vt concupiscibili, & vtili. Quia amicabilia, quæ sunt ad alterum sunt ex amicabilibus, quæ sunt ad nos; & vnumquodque bonum etiam Deus ipse a nobis amore charitatis amatur, inquantum est nobis bonum, sed ly inquantum nō reduplicat finem amoris, & rationem formalem, & finalem amandi, quia solus Deus est finis amoris amicitiæ, quo amamus Deum, vt summum, & vltimum finem propter se amandum, sed reduplicat rationē amandi ex parte amantis, quia non amaremus Deum, nisi hic amor esset nostra perfectio, & sic semper aliquis amor concupiscentiæ, quo amamus nobis bonum aliquod est veluti intrinseca dispositio amoris amicitiæ, seu amoris honesti boni.

9 Dicitur igitur primò, quod vbi bona temporalia, quæ circumstant episcopatui sint ratio finalis, & formalis appetendi Episcopatum, semper illud appetere hoc modo est peccatum mortale, quia ordinatur spirituale ad temporale vt ad finē, & cum iniuria magna rei spiritualis, & altissimæ dignitatis Episcopalis inuertitur ordo, & gradus episcopalis, qui est finis, assumitur vt medium ad temporalia agēda. Nec hic habet locum distinctio finis in finem rei, & finem appetitionis, quia quod est ratio finalis amandi aliquid in affectu amantis est finis illius, Cum illud non nisi ratione huius ametur. Pariter nec iuuat distinctio in finem principalem, & finem secundarium, quia bona temporalia nullo modo sunt finis Episcopatus. Et neque propriè loquendo est dabilis res temporalis, quæ sit finis secūdarius Episcopatus; quia per finem secundarium si intelligimus finem inadæquatum hic est finis principalis, licet non adæquatus, quia propriè licet non adæquatè, finalizat tamen respectu eius, cuius est finis. Si autem per finem secundarium intelligimus illum, qui non intenditur directè, & per se primo, sed indirectè & ex secundaria intentione, hoc quoque est contra rationem, vt res spiritualis, & præcipuè Episcopatus assumatur, vt medium in ordine ad rem temporalem tanquam ad finem, quia semper causalitas finis est vera causalitas, & quod amatur vt medium, amatur vt imperfectius, & vt amabile gratia alterius, quod non fit nisi cum notabili iniuria rei spiritualis. Semper igitur quod bona temporalia sunt ratio amandi ex parte rei amatæ, seu ex parte operis, quia v.g. sunt finis appetendi, & quærendi, & suscipiendi Episcopatum, simul in affectu appetentis sunt finis Episcopatus, quod est prorsus irrationabile, & sacrilegum.

10 Dicitur verò secundò quod habere bona temporalia, vt rationem amandi Episcopatum ex parte amantis, nisi aliunde vitiū oriatur nullum est peccatū ex hac parte, neque mortale, neque veniale. Quia nullus hic modus peruersitatis ordinis. Nam Episcopatus vtilis est etiam tēporaliter, & concupiscere temporalem vtilitatem illius non est malum ex genere, quia nec est malum episcopatum esse vtilem tēporaliter. Hic verò est ordo amoris, quia ex hoc nō ordinatur Episcopatus ad vtilitatē temporalem, sed habetur Episcopatus, vt causa etiam vtilitatis spiritualis. Vnde stat quod ille, qui ratione vtilitatis Episcopatum desiderat per actum honestū velit episcopatum vt finem, non vt medium, & velit finaliter Episcopatum, vt prosit fidelibus, & vtilitas temporalis alliciens eius voluntatem est dispositio, vnde disponitur voluntas ad hoc vt sanctè Episcopatum desideret. Sicut quia Deus est bonum homini, & promisit homini se ipsum in præmium laborum, ideò amor concupiscentiæ Dei, & spes diuinæ retributionis est ratio ex parte hominis, ratio inquam non formalis, sed materialis, nimirum dispositio, vnde voluntas elicitur ad hoc, vt puro amore amicitiæ Deum diligat. Et hoc est Deo consuetum, vt media spe præmiorum, & timore pœnarum moueat ad actum charitatis, & sic v.g. timor inferni est ex parte hominis ratio vnde pœniteat, & in Deum se conuertat. Ita sic est, quod amor vtilis annexi Episcopatui potest esse ex parte hominis ratio vnde diuina gratia moueat aliquem dignum ministrum ad purum, & sanctum desiderium Episcopatus.

11 Et ita ex hac distinctione *in tractatu de electione cap. 7. q. 3:* probaui. quod velle spirituale ratione temporalis annexi non est simonia, si temporale sit ratio volendi ex parte volentis. Quòd adeò verum est, quod nec est necessariò simoniacum, quæ malum etiam si temporale sit conditio sine qua non volendi spirituale, vt si pauper Sacerdos non habens vnde viuat celebret missam, vt habeat eleemosynam, ex qua viuat, qui ea die etiam ex causa rationabili non celebrasset, si habuisset vnde viueret. Nam & concupiscentia vtilis semper est conditio sine qua nihil honestè amaretur. Quia amicabilia quæ sunt ad alterum, sunt ex amicabilibus, quæ sunt ad nos.

12 Et in hoc sensu vera aliquo modo esse potest distinctio *Caietani*, quod scilicet ratio volendi aliquid, quæ est finis, est duplex, scilicet quæ est finis, & appetitionis, & rei appetitæ, & quæ est finis appetitionis. Nam vtile, quod est ratio amandi ex parte amantis est finis appetitionis, quia est obiectum illius concupiscentiæ, & spei & amoris proprij, quo homo se amat, & sibi vtile concupiscit, neque tamen est finis rei appetitæ, quia non est ratio finalis amandi illam, sed ratio disponens subiectum ad hoc vt facilè à bonitate illius rei moueatur. Distinctio igitur vera est in hoc sensu; sed tamen minus propriè dicitur, quòd vtile sit finis appetitionis Episcopatus, sed solum dici potest, quòd sit finis appetitionis, quæ est dispositio ad appetendum Episcopatum. Et propterea non benè dicitur postea, quod habere bona temporalia annexa Episcopatui pro fine appetitionis sit peccatum, neque hoc sufficienti ratione probatur, quasi scilicet qui ratione vtilitatis Episcopatum desiderat inuertat ordinem boni, quia nulla hic peruersio ordinis per se, & circumscripta mala circumstantia. Neque enim

enim ordinatur Episcopatus ad vtile temporale, vt ad finem, quod si fieret esset peccatum mortale ex genere. Sed immò ordinatur vtile ad Episcopatũ, vt ad finem, cum vtilis ratio mouens ad sui amorem inseruiat Episcopatui, & disponat subiectum ad volendum Episcopatum ex fine honesto iuuandi fideles, & operandi ad eorum salutem.

13 Sed cum Episcopatus sit assumendus illum vtilis nedum temporaliter, sed spiritualiter,duo sunt attendenda. Primum quod si vtilitas spiritualis esset ratio finalis vltima, & propria finis ex parte actus, & obiecti amandi Episcopatum, ita vt quis amaret episcopatum in quantum sibi bonum, ita vt ly in quantum reduplicaret rationem amandi finalem simpliciter; talis amor esset illicitus, & esset peccatum mortale, quia in tali amore ipse homo esset vltimus finis. Et praeterea,quia cum finis Episcopatus sit fidelium vtilitas, ad hoc vt amorEpiscopatus sit rectus debet habere pro fine principali proximo vtilitatem populi,non verò vtilitatẽ Episcopi. Vnde in honesto appetitu Episcopatus finis principalis proximus ex parte operis est bonum Ecclesiae. Finis primo primus est Deus. Episcopus verò est finis, cui ex opere vtili Ecclesiae redundat vtilitas. Et sic propriè loquendo amor honestus Episcopatus per se primo est amor amicitiae Ecclesiae Dei, non verò Episcopi, nisi ex consequẽti, pro quanto amor amicitiae Ecclesiae, & Dei redundat in bonum Episcopi. Et nihilominus amor propriae vtilitatis spiritualis potest esse Episcopo ex parte sui amantis finis principalis,& ratio,& dispositio ad hoc, vt ex amore Ecclesiae, & Dei episcopatum desideret. Secundum quod ex altera parte nullum est peccatum ex genere si concupiscentia, & spes vtilis temporalis sit in actu exercito & de facto sola ratio proxima ex parte amantis, quod appetat episcopatum, sicuti sine peccato quis poenitet. si timor poenae sit illi dispositio ad veram poenitentiam. Et ratio huius asserti est,quia hic nõ est deordinatio peccati, ex eo quod concupiscentia vtilis temporalis ex parte amantis sit ratio appetendi Episcopatum, vt iam est probatum. Sed neque quia sit sola ratio. Quia non est obligatio amandi omnem vtilitatem spiritualem, vnde nec est obligatio amandi vtilitatem Episcopatus. Ex alia verò parte non fit iniuria rei spirituali, neque illa postponitur si non assumitur, vt dispositio, sed potius vt finis, & forma, ad quam subiectum disponitur. Res verò sic se habet, quod vbi vtile temporale est sola proxima ratio in facto dispositiua ad amorem episcopatus, amor vtilis spiritualis se habet vt forma,& finis, quia ex spe temporalis vtilis disponitur homo, vt amet Episcopatum, & vt vtile Ecclesiae, & vt vtile sibi. Vnde amor vtilis temporalis non excludit, sed immò inducit amorem vtilis spiritualis.

14 Dictum verò est, quod appetere episcopatum ratione vtilis temporalis, si vtile non sit ratio amandi nisi ex parte amãtis, quod nullum est peccatum ex genere, & nisi aliunde hoc habeat rationem peccati. Nam certè nimis facilè est, quod cupiditas honoris, & diuitiarum veniat ex ambitione, & auaritia. Quo existente non mirum si talis Episcopus erit mercenarius, qui videat lupum venientem, & dimittat oues, & fugiat, si erit simoniacus, qui Sacramenta aliasque res sacras, vendat, si erit sal infatuatum, quod ad nihilum valeat vltra, nisi vt conculcetur ab hominibus.

15 Econtrà verò quia cupiditas honoris,& diuitiarum non est res de se mala, sed potest esse honesta, si honestum finem respiciat, ideò appetere hoc modo Episcopatum ratione vtilis temporalis nedum non est peccatum, sed potest esse actus virtutis, immò potest esse actus necessarius. Cupiditas enim honoris, vel diuitiarum vestita debitis circumstantijs, & ordinata in finem honestum, est honesta. Et si persona daretur digna Episcopatu, Ecclesiaeque vtilis,quae non haberet vnde secundum statum suum honestè se sustentaret, nisi Episcopatum obtineret nedum benefaceret, si ex cupiditate redditum Episcopatus, Episcopatum honestè desideraret, & procuraret medijs licitis, vel oblatũ reciperet, sed ad hoc quodammodo teneretur, si melius sibi nõ esset cadere à statu suo,& pauperem vitam sequi. Et certè ex circumstantijs potest reddi alicui necessitas acceptandi episcopatum, ad quem alias homo sit dignus, vt habeat, vnde vitam decenter sustentet. Nam & paupertatem esse vnam ex conditionibus, quae faciunt ad hoc, vt quis sit alio dignior, cui Ecclesiasticum beneficium conferatur docuit *Rota in Calagarit. Beneficij* 10 *Aprilis* 1652. *coram Reuerendiss. Papien.* 28. *Iuny* 1652. *coram Rojas, ex cap. conquerente de Cler. non residente, & Gloss. in cap. dudum vers. intitulatum in fin. de elect. & ex pluribus alijs Rota decis. ibidem citatis.*

16 Quod etiam in hac parte ab aliquibus distinguitur inter procurare Episcopatum, & oblatũ acceptare,& asseritur esse delictum procurare Episcopatum propter bona temporalia, non verò illud oblatum acceptare, non admittitur. Nam si amor rerum temporalium honestus sit solum ex parte amantis ratio appetendi, & ideò procurandi Episcopatum; nullum hic est peccatum per se, & ex genere. Econtra verò mortaliter peccaret, qui oblatum Episcopatum acceptaret habendo pro fine bona temporalia Episcopatus, ità vt haec esset ratio finalis volendi Episcopatum. Solum est discrimen, quod cum procuratio sit actus exterior potest ei adiungi periculum scandali, ex quo fiat illicita.

17 Ad bonum etiam sensum reduci potest illa distinctio de fine primario, & secundario, vt finis secundarius dicatur, qui consequitur finem primarium,& est veluti fructus illius. Et sic admitti potest, quod bona temporalia possint esse ratio appetendi Episcopatum tanquam finis secundarius, scilicet consecutiuè ex Episcopatu honestè amato, & assecuto, vt exercito cõsequendus. Et hoc modo per se, & ex genere nullum est peccatum appetere Episcopatum, nam vbi aliquod officium est vtile spiritualiter,& temporaliter, ex vtraque vtilitate potest moueri voluntas, dum tamen habeat pro fine principali vtilitatem spiritualem, non verò temporalem; quia & illicitum esset velle vtile spirituale propter temporale, cum tamen nullum peccatum sit velle vtrumque vtile ordinatè, vt scilicet vtile spirituale sit finis, & temporale non ametur nisi per ordinem ad spirituale. Verum duo hic aduertenda. Primum quod nunquam licet, quòd temporale sit ratio finalis appetendi vtile spirituale,& sic bona temporalia nunquam possunt

esse

eſſe ratio finalis appetendi Epiſcopatum, vt eſt res ſpiritualis, ſed ſolùm, vt aliquo modo eſt temporalis, & ita vt hic appetitus ſit ſolum ex parte amantis ratio amandi Epiſcopatum, qui abſolutè, & ſimpliciter eſt res ſpiritualis. Eſt ſecundum, quod nec vtilitas ſpiritualis ipſius Epiſcopi poteſt eſſe ratio finalis ex parte actus, & obiecti amandi Epiſcopatum, quia Epiſcopatus non debet amari, quia bonus Epiſcopo, ſed quia bonus Eccleſiæ, quia ſimpliciter eſt ad Eccleſiæ bonum inſtitutus. Ideò vnica ſola diſtinctione ex *D. Thom.* deſumpta quæſtio reſoluenda, quia ſcilicet amor vtilis poteſt eſſe ratio ex parte amantis appetendi Epiſcopatum, nó verò poteſt eſſe ratio finalis ex parte actus, & obiecti.

18 Sed, & conſiderandum, quòd vbi temporalia ſint ratio formalis amandi Epiſcopatum dicitur, quod hoc peccatum eſt auaritia, ſi ſcilicet, diuitiæ ſint hic finis, & ambitio, ſi idem finis, & ratio amandi ſit honor. Sed cum hoc ſit verum ſpectata ſpecie, quam ille actus concupiſcentiæ habet ex proximo obiecto, vlterius addendum eſt, quod adeſt peccatum ſacrilegij ex auaritia, & ambitione orti dum cum graui iniuria Religionis Epiſcopatus ordinatur tanquam ad finem ad bonum temporale. Et poteſt etiam interuenire ſimonia ſi admiſceatur aliquod pactum.

19 Quod verò de Epiſcopatu dicitur vniuerſaliſſimè verum eſt de omni Prælatura, & de omni officio, & beneficio Religioſo. Quia ſemper peruerſus eſt ordo, & ſacrilegus ſi temporale ſit ratio formalis amandi ſpirituale officium.

SVMMARIVM.

1 *Appetere Epiſcopatum ratione celſitudinis eſt præſumptuoſum. n.20.*
2 *Et eſt peccatum mortale. n.20.*
3 *Nam & eſt appetere ſupra capacitatem. n.21.*
4 *Sed ſimul eſt peccatum ſacrilegij. n.22.*

20 SEcunda concluſio textus eſt, quod appetere epiſcopatum ratione altitudinis gradus eſt præſumptuoſum. Quæ concluſio ex præcedentis explicatione eſt manifeſta, quia ſcilicet, non licet ita appetere Epiſcopatum, vt ratio formalis, & finalis appetendi ſit gradus celſitudo, cum tamen poſſit non eſſe peccatum ſi amor celſitudinis ſit ratio, & diſpoſitio ex parte amantis honeſtè amandi Epiſcopatum. *Petrus de Ledeſma de ſtatu Epiſ. cap. 3. concl. 2. aduertit D. Thom.* dicere quod hoc modo appetere Epiſcopatum ſit præſumptuoſum, non verò dicere eſſe peccatum. Sed cum ſecundum *S. Thomam ſupra q. 21. a. 1. & 2.* ſit peccatũ, idem eſt dicere, quod aliquod ſit præſũptuoſum & quod ſit peccatum. *Baſſaus autem in v. Epiſcopus num. 2.* putat in hoc caſu adeſſe ſolum peccatum veniale; ſed hoc eſt falſum, nam celſitudo bonum vtile temporale eſt, quod ſine graui iniuria ſanctitatis Epiſcopatus non poteſt aſſumi vt finis illius.

21 Benè autem hic admonet *Caietanus*, quod appetere epiſcopatum ratione celſitudinis gradus eſt appetere dignitatem ſupra meritum & ſupra capacitatem, & ideò eſt præſumptio. Quia dato quod ſic appetens Epiſcopatum haberet omnia alia requiſita ad Epiſcopatum ex hoc ipſo eſt indignus Epiſcopatu, quod Epiſcopatum inordinatè amat, & ideò Epiſcopatum amat ſupra dignitatem, & capacitatem ſuam ac propterea eſt præſumptuoſus.

22 Sed vt ſupra dicebatur, ſicut amans inordinatè Epiſcopatum ex cupiditate diuitiarum, vel honoris, vel celſitudinis non eſt ſolum auarus, vel ambitioſus, ſic amans Epiſcopatum ratione gradus, non eſt ſolum præſumptuoſus, ſed adhuc eſt ſemper ſacrilegus, & peccat contra virtutem Religionis; quia cum munus epiſcopale ad virtutem Religionis directè ſpectet, cum ſit officium reſpiciens directè diuinum cultum, qui ordinat Epiſcopatũ ad finem indebitum iniuriam facit Religioni, & ideò eſt ſacrilegus. Eſt verò diſtinctio, quòd hoc ſacrilegium in his caſibus oritur, vel ex auaritia, vel ex ambitione, vel ex præſumptione.

SVMMARIVM.

1 *Appetere prodeſſe proximis eſt laudabile. numer. 23.*

23 TErtia concluſio eſt, quia ſcilicet appetere prodeſſe proximis eſt per ſe laudabile, & honeſtum, quia eſt actus charitatis, & dilectionis proximi. Admonet verò *Caiet.* (& non conſiderauit *Barboſ. de off. Epiſc. par. 1. titul. 2. Gloſſ. p. num. 9.*) quod non dicitur, quod ſit laudabile appetere Epiſcopatũ ad hoc, vt aliquis proſit proximis, quia de hoc ſermo eſt in ſequenti concluſione, ſed dicitur ſolum, quod appetere opus epiſcopale, quod eſt prodeſſe proximis eſt laudabile. Vnde & *Apoſt. 1. ad Tit. cap. 3.* dixit, quod deſiderans epiſcopatum, deſiderat bonum opus, quia populis prodeſſe, quod eſt munus Epiſcopi bonum opus eſt, & eſt bonus finis, quem appetere eſt laudabile.

SVMMARIVM.

1 *Appetere Epiſcopatum etiam ex fine iuuandi fideles videtur præſumptuoſum. n.24.*
2 *Appetens Epiſcopatum non debet eſſe eo indignus. num. 24.*
3 *Appetens Epiſcopatum debet eſſe certus de dignitate & idoneitate ſua ad illum n. 25.*
4 *Duplicis generis conditiones requiruntur ad Epiſcopum. n.25.*
5 *Quanta certitudo requiratur reſpectu conditionũ, quæ ſunt neceſſariæ de iure poſitiuo. n.25.*
6 *Nullus eſt abſolutè dignus Epiſcopatu. n.26.*
7 *Quanta certitudo requiratur conditionum, quæ ex iure diuino ſunt neceſſariæ. n.26.*
8 *Indignus appetens Epiſcopatum contra quas virtutes peccet. n.27.*
9 *Suppoſito quod prudenter quis ſe æſtimet dignum Epiſcopatu videtur præſumptuoſum illum appetere ſine manifeſta neceſſitate, aut Dei inſtinctu. num. 28.*
10 *Ad iudicandum adeſſe neceſſitatem, vel inſtinctum*

P neceſ-

necessaria est magna prudentia. numer. 28.
31 *Quid intelligatur nomine necessitatis. n.28.*
32 *Qualis instinctus debeat hic attendi. n.29.*

24 CONclusio quarta est præsumptuosum videri appetere Episcopatũ, vt homo prosit proximis, nisi vel necessitas Ecclesiæ excuset, vel Deus diuinitus ad Episcopatum accipiendum moueat. Circa hanc conclusionem verò plura consideranda sunt. Primò quidem, quia vnum supponit scilicet, quòd desiderans Episcopatum sit dignus, & idoneus, quia hoc non supposito certum esset, quod nedum videretur, sed esset manifestè, & omninò præsumptuosum Episcopatum appetere.

25 Posset autem hic aliquis interrogare, an ad vitandum peccatum ex hac parte sit necesse, quod appetens Episcopatum sit certus de sui idoneitate. Affirmat *Ledesma de statibus cap.3. concl. 4.* Quod explicat tamen, & limitat vt intelligi debeat de certitudine morali, quæ etiam ex coniecturis haberi potest. Verum ex ijs, quæ scripsi *tractatu de electione cap.29.& 30.* considerandum est duplicẽ dignitatem requiri in assumendo ad Episcopatum; Alia enim requiritur ex jure positiuo, vt quod sit legitimus, & ætatis 30. annorũ, Doctor, vel Licentiatus, non ligatus censura, & alia huiusmodi *cap. cum in cunctis de electione, Concil. Trid. sess. 7. cap. p. & sess. 27. cap. 2. de reformatione.* Et de his conditionibus potest de facili haberi certitudo, vel moralis, vel etiam plusquam moralis. Quamuis nec congruus locus est hic diffinire illas quæstiones, an in dubio iam iuris, quam facti aliquis teneatur habere se vt excommunicatum, vel suspensum, vel non ætatis legitimæ, & sufficit nũc dicere, quod circa existentiam harum conditionum, ad hoc vt qui vult appetere, vel petere, vel etiam suscipere Episcopatum fugiat ex hac parte peccatũ, necesse est, & sufficit, quod habeat tantam certitudinem quanta est necessaria ad prudenter agendum in simili casu. Et debet considerari, quod vbi defectus conditionis irritat ipso iure electionem, vel collationem ignorantia talis defectus illam non conualidat. Vnde periculum intrusionis est vitandum. Et cum Ecclesia inquirat de huiusmodi conditionibus nullo modo licet Ecclesiam decipere. Alias enim Confirmator, vel Collator non potest confirmare electionem, vel conferre episcopatum nisi moraliter sit certus de dignitate promouendi, & nisi simus in casu, in quo ille possit, & velit dispensare cum illo super defectu, vt probaui in tractatu *de elect. cap.33. quæst.*

26 Sed aliæ sunt conditiones de jure diuino necessariæ in Episcopo, & quidem indispensabiliter. Et de his dico primum tantam esse celsitudinem officij Episcopatus, vt nullus hominũ sit absolutè, & simpliciter omnibus modis tãto officio dignus, Cura enim animarum, ad quam Episcopus assumitur, requirit in Episcopo sanctitatem sanctificantem Ciuitates & Prouincias, quæ sanctitas in nullo hominum est tanta quanta ad tantum effectum est necessaria. Ideo ad Episcopatum nullus est dignus, nisi comparatiuè ad minus dignum siue in defectu dignioris. Et nihilominus ad vitandum in hac parte peccatum, si loquimur de literatura, sufficit, quod qui vult Episcopari sit certus tantam se habere, quanta communiter, & in praxi regulariter requiritur in bono Episcopo considerata conditione Regionis, & Vrbis cui præficiendus est, sed quantum ad Sanctitatem sufficit, vt velit, & possit supposita Dei gratia, & prouidentia ordinaria sibi promittere, quod cum tanta charitate, & zelo procurabit nedum non scandalizare oues suas, sed illas ad perfectionem dirigere quanta est necessaria, in Episcopisque requiritur iuxtà Sacros Canones, & quantum fragilitas humana permittit, & in ijs, qui in iudicio Ecclesiæ habentur communiter, vt boni Episcopi, reperitur. Sed & addo, quod aliqualiter dubius de sui dignitate, si superiori dubium innotescat, potest iudicio superioris acquiescere.

27 Si autem quis quærat, quod nam peccatum sit indigni, si Episcopatum desideret? Respondetur, quod quoniam collator Episcopatus, & ex virtute Religionis, & ex fidelitate, & iustitia officij sui, & ex iustitia legali, & ex iustitia distributiua tenetur non promouere indignum ideo dicitur, quod ita & indignus contra easdem virtutes agit, si vult promoueri. Sed contra dignum, vel digniorem, qui ex eius promotione remanebit exclusus non est iniustus, nisi alias iniustè illum excludat.

28 Sed supposita dignitate ad Episcopatum adhuc *D. Th.* ait quod videtur præsumptuosum, quia, & adhuc licet inidoneitas non sit manifesta, sed homo prudenter existimet se idoneum, videtur hoc præsumptuosum sine necessitate vel diuino impulsu Episcopatum ambire. Secundo considerandum, quod duæ exceptiones, & limitationes ponuntur, scilicet, nisi necessitas Ecclesiæ vigeat, vel Spiritus sanctus impellat diuinitus. Quæ conditiones debent esse prudenter manifestæ. Vnde cautè inspiciẽdum, quia potest vnusquisque decipi existimando necessitatem, vbi nulla sit, & iudicando se solum idoneum & necessarium vbi plures idonei sunt. Nam vt bene *Caiet. aduertit.* Et Elias in hoc decipiebatur, dum putabat se solum esse, qui Deum, & non Baal coleret, cum tamen decem millia essent, qui Baal non adorabant, sed fidem Deo seruabant. Hæc tamen necessitas non vna esse potest, nec ex eo solum, quod non adsit alius dignus, qui Ecclesiam cum ejus vtilitate, & profectu regere possit, sed vlterius datur necessitas obedientiæ, de qua cum *S. Aug. loquitur D. Thom. hic ad tertium* quæ necessitas locum habet non solum si superior præcipit, sed si quomodocumque iniungit officium. Sed vlterius puto, quod sub nomine necessitatis venire possit quodcunque motiuum honestum, quod manifestè possit inclinare voluntatem ad amorem Episcopatus. Nam quod non debeat accipi hic sola rigorosa necessitas ex hoc colligitur, quod si superior non præcipiendo iniungat Episcopatum, vel electores eligant aliquem, licet maneat in libertate electi Episcopatum recipere, vel non recipere, & nulla sit hic necessitas vel Ecclesiæ, quia non deficiunt alij digni, vel præcepti, quia electores non præcipiunt; nihilominus potest electus consentire electioni, immò, & ex iustitia Episcopatum petere. Ita quoque vbi adest manifestum aliquod honestum motiuum desiderandi honeste Episcopatum, quoniam tunc desiderium nedum coram Deo, sed etiam coram hominibus honestum est. Ideo nec videbitur præsumptuosum. Et ità sub nomine necessitatis venit quodcunque motiuum hone-

nestum quod honestè mouere possit, & rapere voluntatem ad Episcopatum desiderandum, dummodo sit manifestum quantum prudentia requirit.

29 Multò magis vero contingere potest deceptio in iudicando esse instinctum Spiritus sancti illum, qui est tentatio Diaboli. Ideo multa prudentia hic est opus. Et proptereà *Caiet.* putat hanc secundam exceptionem admittendam non esse, nisi aliquod speciale diuinum testimonium euidenter adsit, vt contingit Isaiæ, cui Angelus labia purgauit.

SVMMARIVM.

1 *Dignum appetere Episcopatum non est per se illicitum. n.30.*
2 *Quod per se moraliter sit peccatum sine necessitate appetere Episcopatum etiam ex recta intentione, quidam sentiunt. n.31.*
3 *Episcopatus est onus plenum laboris & periculi. num.32.*
4 *Requirit magnam sanctitatem. n.33.*
5 *Et prudentiam. num.34.*
6 *Præfata sententia authoritate & ratione probatur. num.35.36.*
7 *Quod supposita idoneitate desiderare Episcopatum ex recta intentione non sit peccatum, alij sentiunt. num.37.38.*
8 *Probatur quia episcopatus est res honesta. n.38.*
9 *Status episcopalis continet periculum remotum. num.39.*
10 *Idoneo non est necessitas fugiendi Episcopatum ratione periculi. n.39.*
11 *Desiderare Episcopatum esse potest actus magnanimæ & fortis charitatis. n.39.*
12 *Iustus qui vere est dignus Episcopatu, se esse dignum iudicat sine præiudicio humilitatis. n.40.*
13 *Non est necesse quod iustus sit de iustificatione certus. n.41.*
14 *Appetere Episcopatum videtur præsumptuosum. num.42.*
15 *Resoluitur quæstio ex Caiet. n.43.*
16 *Appetitus absolutus & conditionatus. nn.44.*
17 *Ille regulariter malus, non iste. n.45.46.*
18 *Licet Episcopatum oblatum acceptare. n.47.*
19 *Laudabile Episcopatum oblatum salua tamen obedientia fugere. n.48.*
20 *Nisi Ecclesiæ necessitas aliud petat. n.48.*

An eum, qui se credit idoneum ad Episcopatum, Episcopatum appetere, vt prosit Ecclesiæ, sit per se moraliter præsumptuosum.

30 EX textu enim hoc, tertio considerandum erat, quod supposita idoneitate, quod aliquis appetat Episcopatum, vt prosit Ecclesiæ non est per se illicitum; quia hoc est licitum si adsit necessitas, vel Spiritus sancti instinctus; Non vero est ex genere illicitum, quod circumstantia honestari potest. At verò hoc supposito quid dicendum est absolutè, & simpliciter loquendo, & non considerato solo opere ex genere, sed attentis circumstantijs, quæ vt in pluribus contingunt.

31 Multorum DD. sententia est, quod præcisa necessitate, vel Ecclesiæ, vel obedientiæ, & speciali instinctu Spiritus sancti, & supposita æquali dignitate in ijs, qui in promptu habentur, vt promoueantur ad Episcopatum, nihilominus sit peccatum appetere Episcopatum etiam ex fine iuuandi proximum, sic enim tenuerunt. *Turrecrem. in cap. qui episcopatum 8. quæst. 1. a. 2. concl. 3. Syluest. v. Episcopus. Tabien. in v. Cathedra n. 1. D. Anton. 2. p. tit. 3. cap. 5. §. 3. Petrus de Ledesma de stat. cap. 3. concl. 7. dubit. 25. Valent. hic disp. 10. quæst. 3. pun. 2. concl. 1. Azor. p. 2. lib. 3. c. 28. quæst. 2. Vrcean. in sum. constitut. Ordin. Præd. cap. 11. par. 3. Castell. de elect. cap. 9. num. 36. Peyr. in Prælat. quæst. 1. cap. 6. num. 6. Bassæus v. Episcopus, & apud eum Sà, & Fernand. Sanchez. l. 6. in Decal. cap. 18. num. 30. & 31. Lezana p. p cap 17. n 22.* Quod vero sit mortale peccatum sic appetere Episcopatum dixit *S. Antonin. loco supra citato*, qui tamen, vt patet ex discursu §. 4. in hoc fuit valdè anceps, & dubius.

32 Ratio est, quod ex vna parte officium Episcopatus est onus grauissimum ad portandum, vt habet *Concil. Trid. sess. 6. cap. 1. de reformatione*, & vt dixit *S. Io: Chrys. lib. 3. & 6. de Sacerd.* est pelagus laborum, & abyssus ærumnarum. Et cum difficultas operis, vt habet *D. Th. quæst. super. ar. 8.* oriatur, & ex genere operis, & ex impedimentis extrinsecis, officium Episcopatus est ex vtraque parte difficillimum, vt etiam cum lacrymis expressit *S. Gregor. lib. p. epis. 4. ad Ioan. Episcopum Constant. & epis. 5. & epis. 6. ad Patr. & epis 7. ad Anastas. & epis. 24. ad Episc. Constant.* cui consentiunt *S. Bernard.* super illa verba *Hierem.* vt euellas, & destruas &c. *& epis. 2. Anselm. lib. 3. epis. p. Greg. Naz. in Apologia. Chrysost. hom. 34. ad Hæbreos. August. super Psalmos 58.* & insupra relato *cap. ante omnia 40. distinct.* Nam & de se continuam attentionem exigit, & vigiliam, subditumque est timoribus, periculis, inquietudinibus, vt verè præsidere non sit nisi esse seruum seruorum, & ex alia parte dignitas de facili extollit in superbiam, & abundantia facultatum præcipitat in dissolutionem, vnde est, quod *S. Vincent. Ferrer. ser. 7. Dom. 2. post Paschæ Octauam* miratur quomodo Episcopus possit cum gaudio viuere.

33 Sed & est officium tantæ sanctitatis, cum ad alios sanctificandos sit ordinatum, vt in suscipiente requirat vitæ perfectionem non modicam, quod vnico verbo comprehendit *Apost. dicens 1. ad Tim. 3. Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse. Vbi Chrysos. hom. 10.* inquit, quod Apost. hoc vnico verbo genus omne virtutis expressit. Vnde Episcopus nedum mortali peccato, sed & eius suspicione debet carere, & nedum vitare turpia, sed virtutum omnium cumulo multitudinem erudire; Quod latè probant Patres, nimirum *Ambros. libr. de dignit. Episc. & lib. 1. offic cap. 10. Hieron. ad cap. 3. Michea. & epis. 83. ad Oceanum, & lib. 1. aduersus Pelagium cap. 8. Gregor. in Pastor. l. 1. c. 10. & 11. & lib. 24. moral. c. 30. & lib. 23. mor. relat. cap. hoc habet proprium 48. dist. Laurent. Instin. lib. de regimine Prælat. S. Bruno in illud exodi 28. Superhumerale &c. D. Bernard. in li-*

bris de consid. ad Eugen. Chrysost. lib. 3. de Sacerd. & reliqui Patres passim, & *Concil. Trid. sess. 6. cap. 9. de reformat.* Inde est, quod Episcopi ex nouo titulo, & ex vi officij tenentur abstinere ab omni peccato mortali. Et hæc omnium præceptorum exacta obseruantia est dispositio necessaria in Episcopis, ad hoc, vt ea, quæ sunt muneris exerceat, quia eius est esse formam gregis, & ex consequenti nedum abstinere ab omni eo, quod potest esse scandalum populo, sed virtutum abundantia splendere.

34 Insignis quoque prudentia est in Episcopo necessaria, vt nec sit facilis ad credendum, nec leuis ad determinandū, vt sciat vti alterius consilijs, & vtilia discernere, vt malignantium calumnias tollerantia forti superet, vt dignos ab indignis in beneficiorum distributione secernat, vt secularium negotiorum peritiam habeat, vt semper sollicitè vigilet circa gregem suum. De qua re tractant Patres locis citatis, & præcipuè *S. Bernard. in lib. de consideratione ad Eugen. & serm. 10. in Cant.*

35 His suppositis prælata sententia auctoritate, & ratione probatur. Et primò quidem ex verbis *S. August. lib. 19. de Ciuitate Dei cap. 19.* quæ refert *D. Th. hic in arg. sed contra, & Authoris operis imperfecti in Matt. hom. 55.* quæ habentur *in respons. ad 2. Et D. Thomæ quodl. 2. a. 11. dicentis*, quod quicunque Prælationem appetit, aut est iniustus, aut superbus. *Et quodl. 3. a. 9.* quod semper est vitiosum Pontificatum petere. *Et quodl. 12. a. 17.* quod non licet appetere Episcopatum sine necessitate, quia non potest carere aut iniustitia, si velit se minorem præferre maioribus, aut vitio præsumptionis, si reputet se sufficientem præferri alijs. *Et opus. 18. cap. 19. fin.* Quod Prælationis status etsi perfectus sit, tamen absque vitio concupiscentiæ appeti non potest.

36 Ratione quoque idem probatur, quia cum Episcopatus sit onus grauissimum, & periculi salutis plenum, vt est probatum; ex præcepto charitatis, quilibet tenetur nisi necessitas vrgeat huiusmodi periculum fugere. Quod confirmatur ex Authore operis imperfecti in *Matth. hom. 55.* dicente, quod Primatum Ecclesiæ concupiscere nec iustum est, nec vtile. *Quis enim sapiens vult se subijcere seruitati, & periculo tali, vt det rationem pro omni Ecclesia, nisi forte, qui non timet Dei iudicium, abutens primatu Ecclesiæ secalariter, scilicet, vt conuertat eum in secularem.* Secundo nam nullus potest sine peccato appetere id, quod est sibi vltra vires, & improportionatum; aliter etiam esset stultus; At ad episcopatum nullus est idoneus, quia Prælatus secundum conuenientiam debet omnes alios in conuersatione, & contemplatione superare ità vt sui respectu alij sint grex. Et hanc idoneitatem de se præsumere est maximè superbire. Igitur appetens Episcopatum, vel appetit bona circumstantia Episcopatum, & sic nescit quod appetat, quia illa bona non sunt Episcopatus, & præterea est vel auarus, vel ambitiosus appetens diuitias, vel honorem, vel si appetit Episcopatum est maximè præsumptuosus, & superbus. Tertio nam non licet appetere, quod non licet procurare, at vero non licet petere, & procurare Episcopatum, quia preces pro se porrectæ pro habenda Prælatura simoniam inducunt secundum *D. Th. apud Sylu. v. simonia num. 5. Raymun. Hugon. Hostien. & Gofred*, quos refert *D. Anton. 2. p. tit. 3. cap. 5. §. 3.*

37 Sed econtra alij putant quod desiderare Episcopatum, aut Prælaturam ex recto fine, scilicet, vt quis prosit Ecclesiæ per se, & ex genere non est aliquod peccatum, supposita idoneitate desiderantis, quam quisque potest sine peccato iudicare, quantum sufficit, vt licitè Episcopatum, aut Prælaturam desideret. Probatur autem hoc primò ex sanctis Patribus, & sacris Canonibus. Nam *Sanctus Zosimus Papa ad Salonitanū Epis. epist. 9.* vt habetur *cap. si officia dist. 59.* de eo, qui se dignum reddidit Episcopatu sic inquit. *Cum verò ad Presbyterij fastigium talis accedat, & vt nomen ætas impleat, & meritum probitatis stipendia antecacta testentur. Iure inde Summi Pontificis locum sperare debebit.* Is igitur, qui ætatem à lege præscriptam habet, & meritorum stipendia, iure desiderare, & sperare potest Episcopatum. Et idem *S. Zosimus epis. 1. ad Isichium cap. 3. vt habet can. In singulis dist. 77.* loquens de eo, qui laudabiliter per inferiorum ordinum gradus ascendit, inquit, quod summum Pontificatum sperare debebit, sine dubio licitè, & sine præsumptione. Sed expressius *S. Gregor. Papa l. 7. Epist. 110. Syagrio*, & alijs scripta, vt habetur *can. Non est putanda 1. quæst. 1.* hoc idem tradidit dicens. *Quisquis ergo sacerdotium non ad elationis pompam, sed ad vtilitatem adipisci desiderat, prius vires suas cum hoc quod est subiturus onere metiatur, vt si impar est, abstineat, & ad id cum metu, etiam cui se sufficere existimat, accedat.* Supponit igitur, quod vnusquisque vires suas cum onere Episcopatus metiri possit, quod si pares illas inueniat, possit, licet cum metu, & timore sancto ad illum obtinendum accedere: sed & hæc etiam est sententia D. Thomæ, qui in textu non dixit, quod appetere Episcopatum ex recto fine sit illicitum, vel præsumptuosum, sed quod hoc videtur; quasi scilicet dici debeat talis non in rei veritate, & coram Deo, sed præsumptiuè, & coram Ecclesia, & quia vt dicit hic ad quartum tutius sit Episcopatū non appetere. Et ideo quod præcisa mala circumstantia, & supposita idoneitate nullum sit peccatum appetere Episcopatum vel Prælaturam ad finem pascendi gregem Christi doctrina, & exemplo, tenuerunt *Gloss. in verb. qui episcopatum cap. qui episcopatum 8. quæst. 1. & ex Archidiac. Panorm. in cap. per vestras num. 2. de iure patronatus Sotus l. 10 de iustitia quæst. 2. a. 1. ad conclus. 4.* ibi *Si autem idoneum se censet, vix liber esse debet à præsumptionis metu*, sic enim licet sentiat rarius posse contingere, admittit tamen esse posse, vt quis Episcopatum desideret, nedum sine præsumptione, sed etiam sine præsumptionis metu. *Armilla verb. beneficium num. 37.* ex quo intelligi debent, quæ habet *v. Cathedra num. 2. & v. dignitas num. 3.* Quia in his locis ad illam priorem se remittit. *Nauar. cons. 17. de sent. excom. num. 7. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. cap. 7. num. 7. Layman. lib. 4. tr. 2. cap. 15. num. 10.* & apud eum *Petrus Nauarra & Emanuel Sa, Barbos. de offic. Episc p. p. tit. 2. Gloss. 1. num. 10.* & apud eum *Homobon. Claudius Ianus, Aluarez Guerrero, & Alzedo. Donatus p. 3. tr. 9. quæst. 8. Pax Iord. elucubrat. Prælud. 6. nu. 8.* Quamuis aliqui ex illis censeant rarius euenire, vt hic appetitus sit sine aliqua culpa.

38 Ratione autem hæc eadem assertio probatur. Quia appetere id, quod verè est honestum ratione suæ honestatis & ex recta intentione non est ma-

malum, sed est ex suo genere bonum; At verò status Episcopalis, aut Prælaturæ est per se honestus; igitur appetere illum ratione suæ honestatis, & ex recta intentione non est malum. Solum igitur potest hic adesse malum per accidens, & ex aliqua circumstantia. Prior vero sententia ex hoc asserit esse malitiam in hoc appetitu, quia Episcopatus sit bonum altissimum, & homini improportionatum; Nam & *Conc. Trid. sess. 6. cap. 1. de refor.* vocat illum onus ipsis etiam Angelicis humeris formidandum. Sed vel hoc dicitur, quia verè non detur sufficiens proportio, vel quia hæc non possit à priuatis cognosci. Primum dici non potest, vt supra dictum est. Nam si verum esset, nullus posset ordinari Episcopus, quoniam promouere indignum seu non idoneum ad Episcopatum est intrinsecè malum, & per sacros canones prohibitum, vt patet. *Cap. cum in cunctis*. Et sic sine Episcopis remanere deberet Ecclesia. Negari ergo non potest proportio, & quod non sint in Ecclesia idonei ad Episcopatum quantum patitur humana conditio, quorum vires proportionatæ sunt ad illud onus suscipiendum, & portandum quantum in illud suscipiente leges requirunt.

39 Hinc apparet, non vrgere id quod ex parte ponderis oneris Episcopatus, & periculi illi annexi adducebatur. Nam præterquam quod periculum hoc non est proximum, sed remotum, & quod dantur status, quos homines sine peccato suscipiunt, quibus longè maius periculum salutis inest, vt est status secularium diuitum, mercatorum, militum, & similium, additur, quod respectu eius, qui habet vires proportionatas ad portãdum illud onus, cessat hæc ratio periculi, & de hoc loquitur assertio posita, quoniam & de hoc est controuersia, & respectu eius, qui habet vires proportionatas aggredi magna, arduaq; difficilia, & periculosa non est per se ex genere malum, sed bonum. Nam & in hoc fortitudo tendit vt à magnis, & periculosis timore animus non retardetur, vt patet ex *D. Th. supra quæst. 123*. Et magnanimitas ardua, & magna respicit, & ita quod ad magnanimitatem nedum pertinet tendere in magnum sed in omnibus virtutibus magna operari, vel faciendo, vel qualitercunque agendo, vt ex *Arist. in 4. Ethic.* docuit *D. Th. supra quæst. 134. a. 2. ad secundum* & per hoc explicatur Author Operis imperfectis in *Matth.* (quem modo satis constat non fuisse *Chrysost.*) quia intelligi debet de eo, qui non est idoneus, & qui non ducitur zelo salutis animarum, & diuini honoris, sed ex concupiscentia præcedendi, vel ambitione honoris, aut diuitiarum cupiditate. Nam alias, & assumere onus grande reddendi rationem de animarum perditione per se potest esse opus fortis, & magnanimis charitatis.

40 Sed restat modo examinare aliud, an scilicet idoneitas ad Episcopatum possit cognosci, & iudicari ab eo, qui Episcopatum desiderat, & cui videtur bonus. Prima enim sententia hoc existimat esse præsumptionis & superbiæ. Sed vt aduertit *Caiet.* hic circa responsionem ad secundum non est contra humilitatem, vt quis in se dona Dei cognoscat. *Non autem hoc requirit humilitas, (* inquit *D. Th. supra quæst. 161. a. 3.) vt aliquis id, quod est Dei in se ipso, subijciat ei, quod apparet esse Dei in altero. Nam illi, qui dona Dei participant, cognoscunt ea se habere, secundum illud 1. Corint. 2. Vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis, & ideo absque præiudicio humilitatis, possunt dona, quæ ipsi acceperunt præferre donis Dei, quæ alijs apparent collata, sicut Apost. ad Ephesios 3. dicit: Alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est Sanctis Apostolis eius.* Qui ergo in rei veritate per Dei gratiam, & donum est irrepræhensibilis, hospitalis, castus, prudens, continens, non vinolentus, non percussor, non turpis lucri cupidus, suæ domui benè præpositus, impollutus, & alijs omnibus qualitatibus ab *Apost. in p. ad Tit. c.* & à Sacris Canonibus requisitis, hoc benè cognoscit, quia opera hominis suo ipsorum experimento innotescunt. Nec quod dona sua cognoscat est superbus, quia humilitas non fundatur in ignorantia, sed facit, vt homo bona, quæ habet, & se habere cognoscit, non suæ virtuti, sed diuinæ gratiæ tribuat. Iustus ergo diues suas cognoscit diuitias spirituales, nec per hoc est superbus, sicut neque per hoc, quod dona vberiora, quæ à Deo accipit præferat minoribus donis, quæ in alio apparent. Potest ergo iustus homo prudens, & doctus habens in rei veritate requisita ad Episcopatum hoc cognoscere, & iudicare sine superbia. Et si verè sic est, potest sine præiuditio humilitatis se ex Dei gratia magis idoneum iudicare illis, in quibus talia Dei dona non apparent.

41 Nec obstat si dicatur, quod nullus potest esse certus, vel de sui iustificatione, vel de charitate. Quia neque hæc certitudo requiritur, sed quantum ad hanc partem sufficit, quòd iustus cum Apostolo dicere possit. 1. *Cor. 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*. Nam nec ad Sacramenta recipienda huiusmodi certitudo est necessaria, sed sufficit, quod homo suæ indignitatis non sit conscius. Cæterum licet charitatis, vt est forma suo modo iustificans, non possimus esse certi, tamen tanta notitia dilectionis Dei inest iusto, vt possit cum Petro sine superbia dicere Deo, *Tu scis quia amo te, Io. vlt.* Iustus ergo prudens, & doctus, & habens requisita ad Episcopatum potest sine præsumptione, & præiudicio humilitatis se ad Episcopatum idoneum iudicare, cum verè coram Deo talis sit.

42 Ideò dicendum solum videtur, quod Episcopatum etiam ex fine inseruiendi Ecclesiæ, & iuuandi animas sine manifesta aliqua necessitate appetere absolutè malam habet speciem, & videtur esse, seu præsumptiuè est præsumptuosum. Hoc est, quod *D. Thomas docet in hoc textu, & opus 58. c. 19. circa medium* ibi. *Præsumptuosum autem esse videtur, vt quis se existimet esse perfectum*. Nam à communiter contingentibus valida iuris sumitur præsumptio, & argumentum. *l. certi condictio §. si nummos* ibi, *cum quoudic ff. si certum pet. & l. ideoque*, & ibi *Gloss. ff. de legib. & cap. 1. de Cleric. non residente*. At verò sic est, quod ex ijs, qui sine manifesta necessitate, aut honestate desiderant Episcopatum, maior pars, & communiter, & regulariter illum ex aliqua præsumptione appetit; est itaque actus malam habens speciem, & præsumptiuè malus. Iusti enim, quo perfectiores sunt, eo magis secundum Patrum doctrinam sibi mementes, & graue onus Episcopatus, & terribilem obligationem ad reddendam rationem animarum, quæ pereunt exhorrentes, nedum non appetunt, sed & obla-

tum

tum humiliter recusant, vt ex supradictis patet. Ex tanta igitur multitudine desiderantium Episcopatum, vt plurimum, qui illũ desiderant sine necessitate, vel indigni sunt, vel minus digni, & ideò præsumptuosi.

43 Ego post multorum dierum studium tandem video non posse melius hanc quæstionem solui, quam fecerit *Cuet. in summa v. Beneficia Ecclesiastica*, vnde eius determinationi adhæreo, quæ est tenoris sequentis. *Beneficium Ecclesiasticum considerandum est primò quo ad ingressum tam de appetitu, quam de procuratione. Appetere si quidem Ecclesiasticum beneficium siue curatum, siue absque cura, nullum ex suo genere peccatum est, quoniam huiusmodi obiectum est intrà ordinem appetibilium recta ratione, & propterea Apostolus absolutè dixit: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Peccatum autem contingit ex defectu alicuius circumstantiæ requisitæ, puta quis cur, quomodo &c. & quoniam frequentissimè secundum primam circumstantiam in huiusmodi appetitu peccatur, ideo Apostolus statim subdit de circumstantiis quas apponendo conditiones requisitas ex parte personæ ad rectum appetitum Episcopatus, dicens: Oportet autem Episcopum esse irreprehensibilem &c. & quoniam peccata ex parte circumstantiarum facile patere possunt applicanti ad subiectam materiam, nos ad specialia descendendo, dicimus, quod beneficium plenè Curatum, quale est Episcopatus, tunc tantum ex parte personæ licitè appetitur, quando appetens nouit se habere conditiones requisitas ad Episcopum, & similiter non plenè Curatum, quale Parochiale est, cum quis habet conditiones requisitas ad Presbyterum Parochialem, & sic de alijs, & hoc concurrentibus etiam ex parte personæ alijs circumstantijs comparatiuis debitis; Vbi scito, quod persona appetens debet se ipsam mensurare per respectum ad tria, scilicet ad regimen animarum, ne præsumptuosè ad artem artium velatum se inueniat, & ad oues, quibus pascendis vacaturus est, vt tantum distet vita sua ab illis, quantum vita Pastoris à grege, & ad alios quibus tribui potest, aut debet tale beneficium, ne se dignioribus, aut æque dignis anteponat. Et hic tertius respectus habet locum etiam in appetitu beneficiorum sine cura. Debet enim secundum rectam rationem appetitum sic moderari, vt absque vitio acceptionis personarum appetat, sibi prouidere de beneficio in communi, vel hoc. De circumstantia quoque finis aduertendum est, ne beneficium appetatur propter finem malum, puta delicatam, & opulentam, aut splendidam vitam ex Christi patrimonia &c. & sic de alijs circumstantijs. Discernere autem inter peccatum mortale, & veniale in deordinata appetitu beneficij, non est difficile, præsertim si beneficium est curatum, & maximè si est perfectè curatum; Nam si appetens parui facit commensurare se ipsum ad artem artium, hoc est curam animarum, & alias commensurationes postponit ob appetitum beneficij, procul dubio mortale peccatum incurritur, quia contra charitatem ouium Christi appetitur, si beneficium est Curatum, & contra iustitiam distributiuam saltem appetitur, si beneficium non est Curatum. Intellige Lector, quæ dico, nam si quis appetit simplici intentione beneficium communiter, aut sine cura, non cogitans de dignioribus se non peccat, quia subintelligitur, quod appetat habere licite, in hoc autem, quod est habere licite includitur, quod detur sibi sine Dei offensa: & similiter si quis, cogitat de dignioribus se, & non intendit illos impedire, sed pro se ipso procurare, vt habeat licite, non peccat eadem ratione; potest enim contingere, vt superior sanctè det illi, quò minus dignus videtur, & est absolute propter aliquas circumstantias singulares tunc occurrentes, efficientes, vt dignior pro nunc postponendus sit.*

Beneficium autem quodcunque pro se petere, aut procurare eiusdem moris est, cuius est appetere illud, & propterea quando appetere est damnabile, petere quoque damnabile est. Eget tamen aliqua circumstantia petere, qua non eget appetere: quia est actus exterior, qui potest scandalizare, & propterea eget maiori rectitudine. Et scias, quod à Doctoribus petere regimen animarum ideò damnatur, quia vix possibile est, vt homo integri sensus, & rectæ mentis reputet se ipsum habere supradictos tres respectus personales, sine quibus petere simpliciter, & absolute est præsumptuosum, ac per hoc indignum reddit petentem. Dico autem simpliciter, & absolute, quia tam appetere, quam petere secundum quid, hoc est si Superiori videtur expediens cognoscendo se indignum cum tremore committendo negotium Deo pro honore Dei, & salute Ecclesiæ, non est perniciosum, quamuis sit veniale, nisi charitas moueat, quoniam hoc non est petere, sed offerre se, si opus est. Et si charitas verè mouet meritorium est, sicut Esaias: Ecce ego mitte me, & Martinus: Domine si adhuc populo tuo sum necessarius non recuso laborem.

Memento quoque non versari in magno periculo, qui indigens & idoneus cum tremore &c. se offert petendo secundum quid beneficium vacans cum cura animarũ imperfectè puta Parochiam, quia curam animarum propriè, & plenè solius Episcopi est, in cuius signum, & solus sponsus est Ecclesiæ, & non potest Ecclesiam deserere, eundo ad Religionem, reliqui enim sunt adiutores Episcopi ad curam animarum. Contingit autem, & vtinam non sæpè appetentibus, & petentibus beneficia procuratio simoniaca per munus à lingua, vel ab obsequio, de quibus inferiùs patebit, cum de simonia dicetur.

44 Ex hac doctrina vtraque conciliatur opinio considerata distinctione illa, de appetitu Episcopatus absoluto, seu simpliciter tali, & conditionato. Posset verò aliquis objicere contra hanc distinctionem ex eo, quod omnis appetitus Episcopatus sit conditionatus. Nam cum Episcopatus non possit obtineri nisi ex alterius, vel eligentis, vel præsentantis, seu confirmantis, vel instituentis, vel conferentis voluntate, omnis appetitus Episcopatus continet hanc conditionem, si is ad quem pertinet, & præcipuè si Superior eum concedere voluerit. Verum aduertendum voluntatem Episcopatus posse dependere ab alio, vel præcisè vt à causa libera efficiente, & dante Episcopatum, vel vt à proprio Iudice decernente, an aliquis sit, vel non sit dignus Episcopatu. Hæc enim duo valde distinguuntur, cum supposito, quod aliquis sit dignissimus, & iudicatus vt talis etiam à superiore, adhuc possit esse in libertate Superioris illi conferre Episcopatum, quem etiam indigno poterit conferre si velit. Appetitus Episcopatus semper est conditionatus conditione voluntatis alicuius alterius, & præcipuè Superioris. Sed aliquis est absolutus, qui fertur in episcopatum independenter à iudicio Superioris, vt proprij iudicij, ad quem spectat, & proprium est iudicare de dignitate promouendi ad epi-

Episcopatum. Qui enim se omninò dignum putat Episcopatu,& ex hoc appetit sibi dari Episcopatũ, absolutè fertur in illũ tanquam sit illo dignus simpliciter,& nõ reseruat hoc iudicium Superiori, sed antecedit Superioris discussionem,& proprio iudicio se absolutè dignum decernit. Et sic appetitus absolutus est appetitus proueniens ex eo, quod appetens absolutè, & independenter à iudicio Superioris decernit se dignum Episcopatu.

45 Dico autem (nisi aliundè vitietur) appetitum Episcopatus conditionatum non esse malum aliquod, nec mortale, nec veniale. Et de hoc vera est secunda sententia. Nam hæc assertio modo est certa, nec potest negari cum habeatur expresè ex *Concil. Trid, sess. 24. cap. 18. de reformat.* decernente dari Parochiales per concursum, & ità vt Episcopus non possit Parochialem conferre, nisi vni ex approbatis in cõcursu, & ità vt rejectus ab Episcopo possit appellatione deuolutiua appellare ab irrationabili iudicio Episcopi, quemadmodum in *tract. de elect.* probaui. Licet igitur cuicunque liberè nedum desiderare Parochialem sub conditione; quod inueniatur idoneus; sed de facto ad hunc effectum se præsentare examinandum, At verò similis ratio etiam est de Episcopatu nedum quia etiam Parochus habet curam animarum, sed quia non esset iniusta lex, per quam decernerentur dari Episcopatus per concursum. Et certè non potest præsumi superbia, aut ambitio in eo, cui suæ intrinsecæ qualitates, & dignitates sint benè notæ nihilominus nil aliud de se præsumit, nisi quod Superiori humiliter se offert, eiusque iudicio se subijcit, ab eo promouendus, si dignus fuerit habitus. Appetitu igitur conditionato is, qui aliàs suam habilitatem intrinsecam cognouit, talem vt sine imprudentia possit se offerre Superiori promouendum, si Superior expedire iudicauerit, potest omni alia mala circumstantia ablata sine peccato Episcopatum appetere.

46 At de appetitu absoluto loquendo vera est prima sententia. Nam quoniam talis appetitus vix potest inueniri sine aliqua culpa, ideò in moralibus vera est propositio vniuersalis, quod talis appetitus sit illicitus, quia in moralibus ad vniuersalem verificandam sufficit, quod regulariter, cõmuniter,& ferè sẽper res ità se habeat, sicuti dicitur haberi. Quamuis magis propriè dicatur cũ *D. Th. hic*, quod talis appetitus videtur præsumptuosus, nisi appareat de manifesta necessitate, seu honesto motiuo. Et per hæc explicata manent vtriusque sententiæ motiua, & rationes, solum addendum est non esse verum, quod obtinere Episcopatum per preces sit simonia, nisi præter preces interueniat aliquod pactum, per quod officium ematur & vendatur, vt probaui in tractatu de elect. *cap. 7. q. 8. num. 165.* Econtra verò esto iustus possit esse suæ dignitatis intrinsecæ satis conscius, eiusdem tamen comparatiuè ad alios omnes, & ad totam Ecclesiam non nisi cum maxima difficultate potest habere certitudinem, quæ sufficiat ad iudicium absolutũ, præterquamquod facillimum est, vt vnusquisque in proprio factu non sit iustus index. Immò dicitur, quod si appetitus Episcopatus sit omninò absolutus, est per se ab intrinseco illicitus, quia appetitus Episcopatus omnino absolutus tendit in Episcopatum, vt habendum sine subordinatione ad iudicium, & voluntatem Superioris, vt ad causam propriã distributionis Episcopatus ex mensura vtilitatis Ecclesiæ. Nam esto quis se iudicet dignum Episcopatu iudicio quãtum sit ex parte sui absoluto, immò absolutissimo, & tanquam certus de sua idoneitate eo modo quo vir huius certitudinis sit capax, adhuc non fertur omninò absolutè in Episcopatum si illud appetit, vt habendum subordinate ad iudicium & voluntatem Superioris, cujus proprium est bonum vniuersale respicere, & ex eo respectu Episcopatus dispensare; ex quo etiam potest contingere, quod aliquis alias dignior ex circumstantia aliqua ad bonum commune conducente postponi debeat. Et in hoc sensu verum est, quod omnis appetitus rectus Episcopatus est conditionatus, quia subordinatus iudicio, & voluntati Superioris, vt propriæ causæ distributionis Episcopatuum. Nam alias appetitus sic absolutus, vt licet non excludat voluntatem aliquam Superioris, vt causam efficiẽtem dandi Episcopatum, tamen omnino excludit eam, vt propriam causam rectæ distributionis Episcopatus; sed tendit in illum, vt habendũ, vel etiã inuito Superiore, vel indepẽdenter à rectitudine voluntatis illius, vel saltem independenter à respectu ad bonum commune, vt ponderato à Superiore,& quasi sufficiat appetentis iudicium, & nihil aliud sit quærendum à Superiore; sine dubio tali appetitus est illicitus,& maximè præsumptuosus, cum præsumat appetens habere Episcopatum ex proprio iudicio, & voluntate. Sed talis non est semper appetitus eorum, qui quærunt Episcopatum, quamuis multorum quærentium Episcopatus ardenti affectu & medijs importunis, & violentis appetitus præsumi possit talis.

47 Dicitur vlterius aliud esse desiderare desiderio efficaci, & ex consequenti quærere Episcopatum, & aliud est illum à Superiore oblatum acceptare. Nam etiam moraliter loquendo non est præsumptuosum oblatum Episcopatum acceptare, nisi manifestè is cui Episcopatum offertur sibi sit conscius de propria incapacitate, & indignitate. Ratio est, quia cum periculum præsumptionis præcipuè consistat in proprio iudicio, quod facillimè decipitur; Qui Episcopatum oblatum sibi à Superiore legitimo, vel à legitimis electoribus accipit; non ducitur proprio, sed alieno iudicio, vnde non præsumit; nec Superioris, aut electorũ iudicio se subijcere præsũptionis est, sed potius humilitatis.

48 In hoc puncto verò præ oculis quidem est habendum, quod tam sublimè officium est Episcopatus, & tam difficile, & tot expositum periculis, vt etiam laudabile sit non fidere se alieno iudicio, sed & oblatum Episcopatum fugere, sicuti fecit S. Thomas, qui oblatum Archiepiscopatũ Neapol. recipere renuit, sicut, & S. Bruno Archiepiscopatum Rhegiensem in Calabria oblatum ab Vrbano II. recusauit, Nazianz. à Patria discessit, ne Episcopatum accipere cogeretur, S. Ambrosius fugit, & se occultauit, S. Emphrem furorem simulauit, *Sozom lib. 3. cap. 35.* S. Gaaris Presbyter incurabilem morbum à Deo petijt, & impetrauit *Surius in eius vita*, S. Gregorius fugam inijt, & indicio Columbæ detectus fuit. *Io. Diacon eius vita l. 1. c. 44.* S. Ammonius auriculam sibi abscidit, & linguam sibi amputaturum minatus fuit *Nicep. l. 3. c. 17. S. Bern.* bis, & ter Episcopatum renuit. Quate

re vtile est, & laudabile salua semper obedientia oblatum Episcopatum humiliter recusare, sicut, & quantũ potuit fecit B. Nicolaus Albergatus à Clero Bononiensi electus in Episcopum illius Ciuitatis toto populo id omninò postulante. Et propterea tutius est in casu isto proprias infirmitates tãquam forte scutum obijcere, & ab onere tam graui humeros subtrahere.

SVMMARIVM.

1 *Licet opera Episcopi, & idoneitatem ad Episcopatum desiderare. nu. 49.*
2 *Et etiam Episcopatum velle voluntate antecedente. num. 49.*

49 IN quinta Conclusione literæ distinguitur opus Episcopatus, & idoneitas ad illum, ab officio Episcopatus, & dicitur non esse peccatũ præsumptionis, vel appetere opus Episcopi, sub conditione quod esset Episcopus, siue appetere se esse dignum Episcopatu. Inde est, quod excusantur illi, qui videntes populorum necessitatem vellent esse idonei, vt illis prodesse possent, vel intra se dicunt, si essem Episcopus vellem hoc, vel illud bonum facere, & huic, vel illi malo remedium ferre.

SVMMARIVM.

1 *Episcopatus nomen oneris. n. 50.*
2 *Qui Episcopatum desiderat bonum opus desiderat; sed ex hoc solo non habet bonum desiderium. num. 50.*

50 TOta responsio ad Primum memoriæ cõmendanda est, & ex *Aug. l. 19. de Ciuit. c. 19.* considerandum quod Episc. est nomen oneris, non honoris. *cap. qui episcopatum 8. q. 1. & ibi Turrecrem. a. 1.* Nam & Episcopus dicitur super intendens, seu curam habens, & Episcopi sunt operarij missi ad vineam collendam *Matt. 20.* & ad messem habendam *Luca 10.* & ideo desiderãs Episcopatum bonum opus desiderat; sed non valet illatio, ergo absolutè habet bonum desiderium quia stat quod desiderium vitietur, & quia illud opus sit improportionatum, & quia quæ illud opus circumstant illud illicitum reddere valeant. *Paul. p. Tim. 3.* dixit, quod desiderans Episcopatum desiderat bonum opus, sed non dixit, quod habet bonum desiderium. Sed vt habet *Gregor. in Past. quæst. 1. cap. 8.* statim desiderium boni operis vertit in pauorem subdens, *oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse &c.* & ideo vt aduertit *S. Anton. loco cit.* fallax est hæc cõsequentia, qui desiderat Episcopatũ bonum opus desiderat, ergo absolutè habet bonum desiderium, quia stat quod desiderium vitietur, & quia illud opus sit improportionatum, & quia quæ illud opus circumstant illud illicitum reddere valeant.



SVMMARIVM.

1 *Desideria Episcopatus, & Religionis distinguuntur valde. n. 51.*
2 *Episcopus debet esse perfectus, Religiosus tendit in perfectionem. n. 51.*
3 *Episcopus præest, Religiosus subijcitur. n. 51.*
4 *Præsumptuosum est, quod quis indicet se esse perfectum. n. 52.*

51 AD Secundum Duplex differentia ponitur inter statũ religiosum, & statum Episcopalem. Quia ex quo status Episcopi & status perficiendi alios supponit in assumente perfectionem charitatis, vnde Dominus prius, ter interrogauit Petrum an se, diligeret, quam illum Episcopum constitueret. Sed status religiosus est status acquirendi perfectionem, ordinatur enim passiuè ad perfectionem. Secunda differentia est, quia religiosus se alijs subijcit, vt perfectionem adipiscat, quod est humilitatis sed Episcopus super alios extollitur, vt alios doceat, & dirigat. Ideo non est præsumptionis per se loquendo appetere statum religionis, immò virtutis, & humilitatis, vt qui se perfectum non videt alteri se subijciat, vt perficiatur, Sed cuiusdam præsumptionis est; vt quis se adeò perfectum putet, vt super alios sublimati valeat.

52 Hinc autem *Caiet. aduersit, D. Thomam asserere*, quod præsumptionis sit se putare perfectum; quia hoc vt in pluribus non fit sine peccato, non quia si quis verè sit perfectus peccet veritatem indicando, & sentiendo se esse perfectum. Hoc enim vt patet *ex tract. de humilitate* nullum peccatum est, quia *& ex Apost.* Dei donum est cognoscere dona Dei in nobis. Ideo iudicans se perfectum præsumptiuè est præsumptuosus, vt supra est explicatum, sed verè non est talis, si verè sit perfectus.

SVMMARIVM.

1 *Difficile est quod quis vere indicet se esse perfectum, & gradum perfectionis. n. 53.*

53 AD Quartum Tangitur ratio vnde est peccatũ in appetitu Episcopatus; quia valdè difficile est purgatũ se quemlibet posse cognoscere. Duplex enim est hic difficultas, quia, & difficile est aliquem esse purgatum, & perfectum, & difficile est cognoscere verè gradum perfectionis, quem quisque habet, ideò prælatura tutius declinatur.

SVMMARIVM.

1 *An Episcopatum appetere in Religioso sit speciale peccatum: aliqui affirmant. n. 54.*
2 *Appetitus Episcopatus non est malus in Regulari. num. 55. 57.*
3 *Appetitus Episcopatus ex malo fine habet in Regulari specialem malitiam. n. 55.*

4 Re-

[illegible] quo per [illegible] aptiores ad Episcopa- [illegible] n. 56.

5 [illegible] giosum esse Epi[illegible] non est contra profe[illegible]nem. n. 57.

[illegible] Per media [illegible] [illegible] procurare maius pe[illegible] in Rel[illegible] n. [illegible].

An Episcopatum appettere sit in Religioso speciale peccatum?

54 VIdetur enim ita [illegible] nd [illegible] Tum quia opp[illegible] prof[illegible] sioni [illegible] promi[illegible] vi[illegible]ere in vita regulari sub obedientia in monasterio vsque ad mortem, & in humi[illegible] religiosæ consuetudinis statu perseuerare. Tum quia cum status Religionis sit s[illegible]curior vitium speciale est in Religioso velle hunc statum [illegible]riorem d[illegible] ,vt pericu[illegible] [illegible]tem assu[illegible]a. H[illegible] enim in[illegible] vt habe[illegible] ex D. [illegible] ambi[illegible] ex [illegible] prouenit appetitus [illegible] malitiam ha[illegible] in Religioso per multa, [illegible] at Lezani [illegible] cap. 1 [illegible]. Tum quia [illegible] Dei, vt habetur ex [illegible] & ex capite Quorundam [illegible]. [illegible] propterea ex his motiu[illegible] [illegible] tit[illegible] [illegible] de E[illegible]

5[illegible] quæ[illegible] [illegible] Nisi p[illegible] [illegible]s appetitus [illegible] circumstantia [illegible] Regulari, cum [illegible] perfectior, vt [illegible] supra. a. 7. Quando vero app[illegible] ex [illegible]mstantia vi[illegible] malu[illegible] sic [illegible] ratione [illegible], aut hono[illegible] arum, [illegible]rbu[illegible], vel ambit[illegible] auarus non [illegible], quo[illegible] talis appetitus in Religioso ha[illegible] malitiam, & meri[illegible] Lezana loco cita[illegible] Religiosos muchi[illegible], & [illegible] loqui, [illegible] & scrib[illegible] poss[illegible] [illegible] Religiosos, qui ambitiosi & auari sunt [illegible] appetitus malus ex circumstatia [illegible] vt plurimũ hic appetitus est ma[illegible] non mensurat suas vires cũ one[illegible] erat. Minus pec[illegible]m ex vna parte hoc [illegible] am[illegible] ex genere in Religioso, quia Reli[illegible] quo magis sunt [illegible] pr[illegible] [illegible] pe[illegible] habeant & passi[illegible] [illegible] charitatem [illegible] perimento [illegible] aptiores sunt ad Episcopatum, & [illegible] est quod in eis appetitus ex hac parte sit præsum[illegible] [illegible] tan[illegible], qui [illegible]

bernatiua, & actiua sanctitas, quæ maximè in Episcopo est necessaria & nihilominus ipse, qui magis tenetur non præsumere, Episcopatum præsumat.

57 Si autem loquamur de circumstantia quid, [illegible] peccatum in [illegible]gioso appetere Episcopatum [illegible] status Episcopi est perfectior. Neque repugnat perfectio[illegible] cum non repugnet de facto assumi R[illegible] Episcopos, neque ad hoc interuenit al[illegible] dispensatio regulæ, aut professionis per se loquendo sicut Religiosum assumi in Episcop[illegible] non est contra professionẽ, ita non est contra professionem hanc assumptionem desiderare aliunde desiderium non vi[illegible] Vr[illegible] tem VIII. loquebatur de Reli[illegible] qui pro[illegible] erant Religionem [illegible] votum non [illegible] Episcopatus & [illegible]minus, vt se ab eo voto liberarent transibant ad Religionem capacem dignitatum. Et quidem ex ambi[illegible] dignitatũ [illegible] de ambitiosis expressè loquitur c. Quorundam elect. in 6. Dum i[illegible] ambientes dignitat[illegible] re[illegible]cere, ad arat[illegible] alias verò ex sincero [illegible] saluandi alio[illegible] relinquere statum securiorem non est vitium, sed [illegible]rtus.

58 Ex circumstantia verò quibus si Religiosus per [illegible] per alium modum illicitum E[illegible] [illegible]derat, sine dubio speci[illegible] p[illegible] & contra [illegible] status honestatem inhonestè & [illegible] agit.

ARTICVLVS II.

Vtrum liceat Episcopatum injunctum omnino recusare?

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod liceat Episcopatum injunctum omnino recusare. Vt enim [illegible]eg. dicit in Past. Per actiuam vitã pr[illegible]desse proximis cupiens Isaias, officium prædicationis appetit. Per contemplatiuam vero, Hieremias amori c[illegible]nditoris sedulo inhærere desiderans, ne mitti ad prædicandum debeat, cont[illegible]adi it. Nullus autem peccat si melio[illegible]ra nolit deserere, vt minus bonis inhæreat. Cum ergo amor Dei præeminat dilectioni proximi, & vita contemplatiua præferatur vitæ actiuæ, vt ex supra dictis patet: videtur, quod [illegible]n peccat ille, qui omnino Episcopatum recusat. — q. 182. a. 1 & 2 [illegible] — q. 182. a. 1 & 2 [illegible] — q. 182. a. 1 & 2 [illegible]

2. Præterea, Sicut Gregorius dicit, Valde difficile est, vt aliquis [illegible] [illegible]atum se possit cognoscere: nec [illegible]ebet aliquis non purgatus sacra ministeria adire. Si ergo aliquis non — p. 1. c. 8 mod.

Q [illegible] scn

sentiat se esse pur[illegible] ium, quantumcumque sibi Episcopale iniũgatur officium, non debet illud suscipere.

3. *Præterea, de beato Marco Hieronymus dicit in prologo super Marcũ, quod amputasse sibi post fidem pollicem dicitur, ut sacerdotio reprobus haberetur. Et similiter aliqui votum emittunt, ut numquam Episcopatum accipiant. Sed eiusdem rationis est ponere impedimentum ad aliquid, & omnino recusare illud. Ergo videtur, quod absque peccato possit aliquis omnino Episcopatum recusare.*

Sed contra est, quod Augus. dicit ad Eudoxium. Si quam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis. Postea subdit † Neque otium vestrum necessitatibus Ecclesiæ præponatis: cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quo modo nasceremini non inveniretis.

Respondeo dicendum, quod in assumptione Episcopatus duo sunt consideranda. Primo quidem, quid deceat hominem appetere secundum propriam voluntatem. Secundo, quid hominem deceat facere ad voluntatem alterius. Quantum ergo ad propriam voluntatem, convenit homini principaliter insistere propriæ saluti: sed quod aliorum saluti intendat, hoc convenit homini ex dispositione alterius p[illegible] lute habentis, ut ex supra dictis patet. Vnde sicut ad inordinationem voluntatis pertinet, quod aliquis proprio motu feratur in hoc, quod aliorum gubernationi præficiatur; ita etiam ad inordinationem voluntatis pertinet, quod aliquis omnino contra superioris iniũctionem, prædictum gubernationis officium finaliter recuset, propter duo. Primo quidem, quia hoc repugnat charitati proximorum: quorum utilitati se aliquis debet exponere pro loco & tempore. Vnde August. 19. de Ciuit. Dei dicit, quod negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Secundo, quia hoc repugnat humilitati, per quam aliquis superiorum mandatis se subiicit. Vnde Gregorius dicit in Pastorali. Tunc ante Dei oculos vera est humilitas, cum ad respuendum hoc, quod utiliter subire præcipitur, pertinax non est.

Ad primum e[illegible] dicendum, quod quamvis simpliciter & absolute loquẽdo, vita contemplativa potior sit, quam activa, & amor Dei, quam dilectio proximi: tamen ex alia parte bonum multitudinis præferendum est bono unius. Vnde Augustinus dicit in verbis præmissis. Neque otium vestrum necessitatibus Ecclesiæ præponatis: præsertim quia & hoc ipsum ad dilectionem Dei pertinet, quod aliquis ovium Christi curam pastoralem impendat. Vnde super illud Ioan. ult. Pasce oves meas, dicit Augustinus, Sit amoris officium pascere Dominicum gregem, sicut fuit timoris indicium, negare pastorem. Similiter etiam Prælati non sic transferuntur ad vitam activam, ut contemplativam deserant. Vnde Augustinus dicit 19. de ciuit. Dei, quod si imponatur sarcina pastoralis officij, nec sic deserenda est delectatio veritatis, quæ scilicet in contemplatione habetur.

Ad secundum dicendum, quod nullus tenetur obedire Prælato ad aliquod illicitum: sicut patet ex his, quæ supra dicta † sunt de obedientia. Potest ergo contingere quod ille, cui iniungitur prælationis officium, in se aliquid sentiat, propter quod non liceat ei prælationem accipere. Hoc autem impedimentum quandoque quidem removeri potest per ipsummet, cui pastoralis cura iniungitur: puta, si habeat peccandi propositum, quod potest deserere. Et propter hoc non excusatur quin finaliter te[illegible] obedire Prælato iniungenti. Quandoque vero impedimentũ, ex quo fit ei illicitum pastorale officiũ, non potest ipse removere, sed Prælatus qui iniungit, puta si sit irregularis, vel excommunicatus. Et tunc debet defectum suum Prælato iniungenti ostendere: qui si impedimentum removere voluerit, tenetur humiliter obedire. Vnde Exodi 4. cum Moyses dixisset Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudiustertius. Dominus respondit ad eum, Ego ero in ore tuo, & edoceboque te quid loquaris. Quandoque vero non potest removeri impedimentũ nec per iniungentem, nec per eum, cui iniungitur [illegible] Archiepiscopus non pos[illegible] [illegible] censare [illegible] Vnde [illegible] [illegible] re ad su[illegible] [illegible] sacros or[illegible]

Ad

Ad tertium dicendum, quod accipere Episcopatum non est de se necessariũ ad salutem, sed fit necessarium ex superioris præcepto. His autem, quæ sic sunt necessaria ad salutem, potest aliquis impedimẽtum licitè apponere antequam fiat præceptum: alioquin non liceret alicui transire ad secundas nuptias, ne per hoc impediretur à susceptione Episcopatus, vel sacri ordinis. Non autem hoc liceret in his, quæ per se sunt de necessitate salutis. Vnde beatus Marcus nõ contra præceptum egit, sibi digitum amputando: quamuis enim credibile sit hoc ex instinctu Spiritus sancti fecisse, sine quo non licet alicui sibi manum injcere. Qui autem votum emittit de non suscipiendo Episcopatum, si per hoc intendat se obligare ad hoc, quod nec per obedientiam Superioris Prælati accipiat, illicitè vouet. Si autem intendit ad hoc se obligare, vt quantum est de se, Episcopatum non quærat nec suscipiat, nisi immmi͏nẽte necessitate, licitum est votum: quia vouet se facturum id, quod hominem facere decet.

SVMMARIVM.

1. *Titulus articuli explicatur.n.1.*
2. *Resolutio articuli.n.2.*
3. *Dupliciter homo mouetur ad volendum vel scilicet ex propria, vel ex aliena voluntate.n.3.*
4. *In hac distinctione non comparatur voluntas hominis Deo, sed voluntas propria voluntati alienæ. num.3.*
5. *Lex à Deo data vt vnusquisque principaliter suam salutem procuret.n.4.*
6. *Is cui offertur Episcopatus primo consideret, si sua saluti sit vtilis.n.4.*
7. *Ex lege naturæ non tenetur aliquis ex officio habere curam aliorum.n.5.*
8. *Præsidere alijs non est ex ijs, quæ assumenda sint ex proprio iudicio.n.5.*

1 Merito in titulo hic terminus omninò appositus est, quia aliquãliter Episcopatum recusare humiliter suam imperfectionem agnoscendo, & iniungenti repræsentando honestum est, vt dicitur in articulo.

2 Resolutio autem quæstionis in hoc est constituta, quod illicitum sit finaliter Episcopatum oblatum recusare; quia hoc repugnat, & charitati proximi, & propriæ humilitati.

3 Distinctio quoque præmittitur, quæ in hoc consistit, quod ad appetendum, & agendum potest homo moueri, vel ex voluntate propria, vel ex voluntate aliena. Et licet videri possit nihil honesti esse, ad quod homo se moueat ex voluntate propria, quia ad honestum obligatur homo ex lege aliqua Dei, & ex consequenti ex Dei voluntate, tamen illud dicitur appeti ex voluntate propria, quod appetitur ex lege voluntati intrinseca, & in ipsa natura voluntatis imbibita, & hoc est amare propriam perfectionem principaliter, & primò. Vnde hic non comparatur voluntas hominis ad voluntatem Dei, sed ad voluntatem alterius hominis. Nam alias nihil hominem decet appetere ex voluntate propria, vt contradistincta à voluntate Dei, cum nihil boni voluntas velle possit, nisi ex Dei inclinatione, & motione. Sed tamen præter hoc in multis voluntas vnius ex alterius voluntate regulanda est. Et sic aliud est, quod hominem decet appetere ex regula propriæ voluntatis independenter à voluntate alterius, & aliud est, quod eum decet facere, vt subijciatur voluntati alterius.

4 Hæc vero lex in voluntate propria cuiuscumque à Deo imbibita est, vt principaliter insistat propriæ saluti. Ideo quando alicui offertur Episcopatus ex lege naturali, statim primo debet attendere an tale officium vtile sibi futurum sit ad propriã salutem. Salus enim spiritualis cuiuscumque sibi ipsi propriè commissa est. Et ideò subditus quidquid ex motu proprio incipit debet facere secundum quod magis expedit suæ saluti. Quamobrem licet videat se posse maxime iuuare communitatem, si tamen prudenter sibi timet periculum proximum suæ salutis inde sibi offerri, quod putat non posse vincere, nequaquam se debet illi committere. *Soto l.10.de iust. q.2.a 2.*

5 Sed numquid non ex lege naturali, & propriæ voluntati insita non tenetur homo diligere proximum, & eius salutem procurare? Tenetur sed non ex officio particulari, & ex particulari obligatione. Nullus enim à natura habet, vt alijs præsit, seu vt ex speciali titulo aliorum coram habeat, nisi alij sint sui ex natura, vt Filij sunt Patris, sed quod aliquis extraneorum curam per se, & principaliter directè, & ex officio habeat, hoc est iuris positiui, & conueniens homini, vt est subiectus voluntati alterius, non vero ex iure naturæ. Et ideo officium regendi alios non habetur, nisi vel ex contractu, & consensu communitatis vni officium Principis committentis, vel ex alicuius alterius Superioris à Deo instituti, à quo particulares homines eliguntur in Communitatum Rectores, & Gubernatores; & sic præsidere alijs ex officio est aliquid, quod per se non est honeste appetibile ex propria voluntate solum, sed ex aliena. Ex quo habetur hoc vnum valde considerandum, quod scilicet officium alios regendi non est bonum ex solo proprio iudicio, & voluntate diiudicandum, quia est bonum ex dispositione alterius Superioris obtinendum.

SVMMARIVM.

1. *An proprio motu ferri in Episcopatum sit malum ex genere.n.6.*
2. *Caiet. & Sotus diuersimode D.Thom. explicant. num.6.*

3 *Aliud est Episcopatum appetere, & aliud proprio motu ferri in Episcopatum. n.7.*
4 *Proprio motu ferri in Episcopatum est absolute & sine subordinatione ad iudicium superioris & cōtra illius voluntatem illum appetere. n.7.*
5 *Et hoc est intrinsecè malum. n.7.*

An proprio motu ferri in Episcopatum sit malum ex genere?

6 EX quo *D.Th.* infert, quod sicut ad inordinationem voluntatis spectat, quod aliquis proprio motu feratur in Præsulatum, & illum appetat, ità inordinatū est, quod illum omninò contra Superioris iniunctionem finalitee recuset. Verum quoniam, vt ex articulo præcedenti habetur appetere Episcopatum non est malum ex genere, videtur, quod comparatio ista *D.Th.* non teneat, quia voluntas resistendi, ne quis recipiat Episcopatū est ex suo genere mala, Ideo *Caiet.* dupliciter explicat textū. Primo scilicet, vt similitudo attendatur in inordinatione, non verò in modo illius, vnde bene stat, quod desiderare Episcopatum sit actio dissona rationi non ex genere, sed ex circumstantijs, vt in pluribus, & nolle recipere Episcopatum, sed resistere conferenti sit actio ex genere inordinata. Secundo vt non sit sermo de quocumque appetitu Episcopatus, sed de eo, qui habetur ex fine celsitudinis, vel honorum circumstantium, qui quidem est ex genere malus. Et hanc secundam explicationem præfert primæ, quia est formalior. Sed vtramque expositionem impugnat. *Sot lib.10. de iust.q.2. ar.3.* Et quidem impugnat secundam, quoniam *D.Thom.* non asserit dari inordinationem ex peruersitate finis, sed ex eo, quod homo ex proprio iudicio Prælaturam appetit. Primam vero, quia videtur, quod *D. Thom.* velit asserere, quod vtrobique sit aliqua inordinatio ex genere actus. Et ideo ipse alter dicit, nimirum, quod vtrobique est aliqua inordinatio ex genere, sed non tanta, & adeo insita, & intrinseca, vt ex circumstantijs actus non possit fieri honestus. Vnde honestum est appetere Episcopatum ex necessitate, & illum oblatum ex causa rationabili recusare.

7 Sed respondetur, quod ferri proprio motu in Prælaturam est ex genere malum. Sed non sunt idem appetere, seu petere, seu procurare Prælaturam, & ferri proprio motu in illam. Quia appetere, petere, procurare Prælaturam non excludit motum Superioris & iudicium illius proprium & ex vtilitate communi mensurandum, nam bene stat, & quod aliquis iudicet se dignum Prælatura, & eam petat & procuret, semper tamen sub conditione & subordinatione ad iudicium, & voluntatem Superioris. Nam alias si appetitus non sit subordinatus iustæ & liberæ voluntati Superioris, sed sit omnino absolutus, & tendat in Prælaturam vt habendam vel inuito etiam superiore, vel independenter à iusto & rationabili eius iudicio & voluntate, procoldubio talis appetitus est malus ex genere suo. Et hoc est ferri proprio motu in Prælaturam, scilicet per proprium iudicium & voluntatem independenter a iudicio & voluntate superioris vt à propria causa Prælaturas distribuendi, & conferendi. Quod est ferri in Episcopatum aut Prælaturam præsumptuose, & superbe, & est per se ex genere pessimum.

SVMMARIVM.

1 *Recusare finaliter Episcopatum est ex genere malum. n.8.*

8 COnclusio textus hæc est, scilicet, quod non licet finaliter recusare Episcopatum. Et dicitur finaliter, quia, vt ad *super.artic.* est dictum aliquo modo recusare prudentiæ est, & humilitatis. Sed omninò, & finaliter Episcopatum recusare, cum scilicet absoluta voluntas conferentis est, vt omninò electus Episcopatum recipiat est ex genere malum. Habetur hæc conclusio ex *Canon.37. Apost. & ex Conc. Antioch. can.10. & ex Epis. prima Clem. & ex cap. olim. in scripturis cap. qui episcopatum 8.quæst.1.*

SVMMARIVM.

1 *Recusare finaliter Episcopatum est contra charitatem. n.9.*
2 *Obiectio contra hoc dictum. n.10.*
3 *Ex præcisa vi præcepti charitatis non est vniuersaliter malum recusare Episcopatum. n.11.*
4 *D. Th. non asserit absolute quod recusare Episcopatum sit malum contra charitatem, sed bene quod est malum recusare illum contra iniunctionem superioris. n.12.*
5 *Et hoc est verum. n.13.*
6 *Tunc intrat locus & tempus in quo charitas obligat ad recipiendum Episcopatum, cum Superior absoluta voluntate illum iniungit. n.13.*
7 *Valet hæc consequentia. Petre amas me; ergo Pasce oues meas. n.14.*
8 *Cum iudicare an officium gubernandi conueniat spectet ad superiorem, tunc obligat præceptum charitatis cum superior absolute iniungit Episcopatum. n.15.*

9 PRobatur vero conclusio. Primò quidem, quia hoc repugnat charitati. Hæc est prima ratio ex qua finalitee recusare Episcopatum sit malum, quia est contra charitatem proximorum nolle se pro eorum vtilitate exponere labori pro loco, & tempore. Potest tamen dubitari. An ex hac parte recusare Episcopatum sit malum ex genere, quia sit contrarium charitati proximi.

10 Supponitur in electo idoneitas, & dignitas, quia de eo, qui indignus ad Episcopatum vocatur dicetur in resp. ad secundum argumentum articuli. Videtur vero, quod non sit malum ex genere electioni non consentire, quia solum in casu necessitatis tenemur incumbere proximorum vtilitati, igitur quod recusare Episcopatum finaliter, & nolle omninò consentire electioni in Episcopum sit malum, est ex circumstantia, scilicet ex graui necessitate Ecclesiæ, cui non potest hic, & nunc occurri nisi electus electioni consentiat, non ergo hoc est ex genere malum.

11 Respondetur quod ex vi præcisa præcepti charitatis recusare finaliter Episcopatum non est

ex

ex genere vniuersaliter malum simpliciter, & absolutè loquendo. Quia præceptum charitatis obligat ad eleemosinam siue spiritualem, siue temporalem tanquam præceptum affirmatiuum non pro semper, sed pro loco, & tempore, & indigentia proximi, cui aliter subueniri non possit, ideo dari potest casus facillimè, & sæpius datur, quod possit prouideri saluti proximorum æquè benè, & forsan melius per aliam personam, quam sit illa, quæ est vel electa, vel à Principe nominata; ex vi igitur præcepti charitatis in eo casu non tenetur electus, vel nominatus consentire electioni, aut nominationi, sed potest illam finaliter recusare. Ideo *D.Th.* in textu solum asserit, quod ex præcepto charitatis homo se debet exponere vtilitati proximi pro loco, & tempore.

12 Sed dices, quod conclusio intelligitur de peccato in genere, quia scilicet recusare Episcopatum finaliter est ex genere suo peccatum mortale, igitur deficit *D.Th.* probans conclusionem ex to, ex quo habetur, quod recusare Episcopatum est peccatum solum pro loco, & tempore, seu ex accidenti, & circumstantijs. Respondetur verò quod *D.Thom.* in sua conclusione non asserit absolutè, quod recusare Episcopatum absolutè sit malum, sed quod est inordinatum recusare illum finaliter contra iniunctionem Superioris. Ideò textus non loquitur in sensu nostræ conclusionis, quæ loquitur absolutè, & præscindendo à præcepto Superioris, & textus Superioris mandatum supponit. Vide.

13 Dicitur secundo quod recusare finaliter Episcopatum contra Superioris iniunctionem est peccatum mortale ex suo genere, & est peccatum contra proximi charitatem. Nam cum Superior legitimus absoluta voluntate iniungit alicui officium charitatis, & eleemosinæ spiritualis, tunc intrat locus, & tempus in quo præceptum charitatis obligat, & maximè charitatis spiritualis, & maximè officij Episcopatus. Nam duæ sunt in hoc casu conditiones, quibus positis præceptum charitatis obligat; scilicet ex parte proximi grauis necessitas, quæ est maxima respectu Episcopatus, sine quo multitudo fidelium esset sicut grex sine pastore in medio luporum. Et ex parte eius cui iniungitur officium est abundantia virtutis. Quilibet enim ad Episcopatum idoneus habet pro se, & pro alijs virtutem, & perfectionem, & potest dici quod abundet superflue, non; quia in spiritualibus detur superfluitas, sed quia dignus Episcopatu habet gratiarum superfluorem abundantiam; & eo magis, quod gratiæ spirituales erogatæ crescunt, & quo amplius diffunduntur in alios, augentur in distribuente eas ex charitate. Non obstat vero, quod necessitati populi possit aliunde, & per alium subueniri; Tum primò, quia si hoc esset Superior vltimate, & finaliter non iniungeret illi accipere Episcopatum, cum alias Superior teneatur eligere meliorem ad tale officium. Tum quia ad subditum non pertinet, neque licet ex proprio iudicio decernere, an necessitati plebis possit per alium æquè bene subueniri, sed hoc iudicium ad Superiorem pertinet, ideo lex charitatis exigit, vt illud sit tempus se exponendi pro vtilitate populi, cum id iniungit Superior per voluntatem absolutam, & iudicium finaliter determinatum.

14 Propterea *S. Gregor. in Pastor. par.p.cap.5.* ità decernit ad rem nostram. *Qui habet dona Dei, vt possit esse Pastor, si vocatus suscipere renuit, plerumque ipsa dona Dei sibi auferuntur, quia non pro se tantum, sed etiam pro alijs acceperat. Vnde Dominus dicens: Si diligis me Pasce oues meas, clare docuit, quod si testimonium dilectionis sua est suscipere onus pastorale, quisquis virtutibus pollens, ipsum suscipere renuit, Pastorem summum conuincitur non amare.* Et in eodem sensu loquitur *lib.6. epist.5. ad Cyriacū Epise. Constantinop.* vbi inquit. *Et Pastori Sancta Ecclesia dicitur. Simon amas me? Pasce oues meas. Ex quibus verbis colligitur, quia si is, qui valet, Omnipotentis Dei oues renuit pascere, ostendit se Pastorem summum minimè amare. Nam qui propriam quietem communi vtilitati præfert, non potest dicere, mihi viuere Christus est, & mori lucrum, cum Apost. ad Philip.1. Et vbi erit illud eiusdem ad Rom.14. Nemo sibi viuit, & nemo sibi moritur & illud eiusdem 1. Cor.10. non quærens quod mihi vtile est sed quod multis? vt salui fiant? & illud denique 2. Cor.5. vt qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est?* Ex his enim planè constat, quod præceptum charitatis, quod obligat nos ad Deum diligendum, & proximum propter Deum obligat nos ad nō finaliter recusandum Episcopatum. Nam valet hæc consequentia Christi. *Petre amas me? ergo pasce oues meas.* Et cum ex vi huius præcepti diligendi Deum propter Christum obliget nos, vt non nobis solum, sed Christo, & proximo viuamus, certè tunc vrget hoc præceptum, quando Superior iniungit officium Episcopatus, cuius tanta est in Ecclesia necessitas.

15 Et hoc amplius probatur ex ratione textus. Nam duo hic consideranda sunt. Primum est euidentissimum, quia scilicet charitas nos obligat, vt pro loco, & tempore exponamus nos vtilitati proximorum, & ex consequenti ad illos dirigendos in finem, & veluti oues pascendas, & gubernandas, vt *Gregor.* probat ex multiplici auth. Apostoli. Secundum etiam certum est, quod scilicet, vt in textu dicitur officium gubernandi alios non est res, quæ subsit iudicio proprio, seu nunquam homo ferri debeat ex proprio iudicio, sed est res ex alterius iudicio, & voluntate diiudicanda: Ex his enim duobus hoc tertium sequitur, quod alterius (scilicet) Superioris est iudicare, & decernere quando præceptum charitatis vrget, vt aliorum vtilitati viuentes onus Episcopale assumamus; igitur si superiore iniungente Episcopatum recusamus finaliter, hoc est contra præceptum charitatis, & ideò est ex genere peccatum mortale.

SVMMARIVM.

1 *Ex humilitate tenemur iniunctum Episcopatum acceptare.n.16.*

16 Sed quod etiam ex præcepto humilitatis teneamur non recusare Prælaturam, & Episcopatum docet *D.Th.* Nam vt idem *D.Thom.* dicet *supra quæst.161. a 5.* cum virtus consistat in ordinatione rationis, hunc ordinem prout respicit finem perficiunt virtutes Theologicæ, vt vero respicit

spicit media aliæ virtutes, sed præcipuè duæ, scilicet iustitia legalis, & humilitas. Iustitia enim legalis omnia ordinat in finem communem, & ideo ad illam pertinet præcipuè hæc ordinatio quasi actiuè; Et sic hæc virtus quæ principaliter est in... ordinat, & disponit ea, quæ ad communitatis bonum conducunt, vnde eius est præcipere etiam ... aliarum virtutum, quando ad bonum communitatis requiruntur. Sed hic idem ordo, vt passiuè sumitur pertinet ad humilitatem, cuius est subijcere animum ordinationibus Superiorum. Et licet hunc passiuum ordinem faciant aliæ virtutes particulares, humilitatis est illum seruare vniuersaliter. Ideò directè contra humilitatem est mandatum Superioris ordinantis ea, quæ sunt & vtilia, vel ipsi cui fit mandatum, vel communitati reijcere, & nolle se subijcere. Tantum igitur abest vt humilitatis sit fugere celsitudinem gradus Episcopalis; quod illam respuere oblatam, & iniunctam est superbiæ, vt etiam probat *Gregor. in textu relatus par. p. pastoralis cap. 6.*

SVMMARIVM.

1 *Tunc promotus tenetur non recusare cum sibi præcipitur vt accepiet. n. 17.*
2 *Sufficit quæcumque forma præcipiendi. n. 17.*
3 *Minus tamen conuenit compellere promouendos præcepit. n. 18.*
4 *Quamuis id facere sit aliquando necessarium. numer. 18.*
5 *Opiniones variæ. n. 19.*
6 *Resoluitur quæstio ex D. Th. n. 20.*
7 *Electus seu promotus non tenetur acceptare, si Superior non præcipit. n. 21.*
8 *Si tamen ex recusatione immineat probabile damnū Ecclesiæ necesse est acceptare. n. 22.*
9 *Ex pigritia recusans non peccat mortaliter. numer. 23.*
10 *Minus dignus promotus non tenetur recusare. numer. 24.*
11 *Quod sit melius acceptare Prælaturam, aliqui probant. n. 25.*
12 *Tutius & laudabilius est recusare Episcopatum cum sine peccato fieri potest. n. 26. 33.*
13 *Cùm Papa voluntate absoluta vult aliquem fieri Episcopum, non potest recusari Episcopatus. numer. 27.*
14 *Voluntas absoluta superioris est præceptum. n. 27.*
15 *Dum Superior voluntate absoluta iniungit Prælaturam præceptum charitatis, & humilitatis obligat ad eam acceptandam. n. 28.*
16 *Etiam si Superior non iniungat Prælaturam voluntate absoluta, potest esse peccatum illam non acceptare ex multiplici causa. n. 29.*
17 *Ex modo & causa potest recusatio Episcopatus esse mala. n. 30.*
18 *Peccatum aliquod est recusare Prælaturam, vbi in indiuiduo omnibus pensatis eam acceptare est melius, & ideo est Dei voluntas. n. 31.*
19 *Ex simplici electione ad Episcopatum non præsumitur in superiore voluntas absoluta & finalis vt electus sit Episcopus. n. 32.*
20 *Licet electo modestè recusare, & voluntatem superioris explorare. numer. 32.*
21 *Quamplures Episcopatus recusarunt. n. 33.*
22 *Vbi relinquitur libertas acceptandi Episcopatum, non vrget obedientia. n. 34.*
23 *Laudabilior obedientia est, quæ præuenit expressum præceptum tacito supposito. n. 34. 35.*
24 *Christus ex obedientia passus. n. 34.*
25 *Christus suo exemplo comprobauit nos posse modestè recusare impositum onus. n. 34.*
26 *Pontifex eligens ad Episcopatum non propter hoc absolute præcipit. n. 35. 36.*
27 *Pontifices regulariter non cogunt ad Episcopatum. num. 36.*
28 *Ex Sacris Canonibus & praxi habetur quod licet modestè recusare Episcopatum. n. 36.*
29 *Recusatio licita Episcopatus non sit inuito Papa. num. 37.*
30 *Iuramentum de eo quod impedit melius bonum non tenet. n. 38.*
31 *Qui iurarunt non acceptare Episcopatum cum expedit illum acceptare non tenentur seruare iuramentum. n. 38.*
32 *Non semper expedit & est melius non recusare Episcopatum. n. 38.*
33 *Spōtanea acceptatio Episcopatus præsumitur multum habere de propria voluntate. n. 39.*
34 *Electus ad Episcopatum non debet simulare dissensum. n. 40.*
35 *Ante electionem non debet consentire. n. 40.*

An vniuersaliter sit peccatum iniunctum Episcopatum recusare etiam si Superior non præcipiat.

17 NAm quod dictum est in conclusione D. Thomæ, scilicet quod sit peccatum iniunctum Episcopatum recusare explicatur communiter, vt verum sit tunc cum Superior iniungit Episcopatum præcipiendo, non vero si offerat illum relinquendo voluntati inferioris illum acceptare *Sotus l. 10. de iust. q. 2. a. 2. circa resp. ad 2* vbi quod debeat præcipi in virtute sanctæ obedientiæ, sed puto sufficere, quod præcipiat sub quacumque forma apta ad significandam absolutam voluntatem Superioris, & sic apta, vt importet præceptum, & intentionem obligandi. Quacumque enim forma loquendi vtatur Superior, si vere præcipit, tenetur subditus iniunctum Episcopatum recipere, iuxta dicenda infra circa *respons. ad secundum*, & si id non facit peccat mortaliter, *Gloss. in cap. in scripturis 8. quæst. 1. & Turrecrem. Archid. in cap. si electio de elect. in 6. Pax Iordan. præl. 7. num. 3.*

18 At vero hic primò considerandum est praxim non esse vt compellantur, & certè conuenire, vt si non adsit necessitas, non cogantur homines inuitos tantum onus subire. Nam, & minus diligenter agitur, quod agitur contra voluntatem. Et cum Episcopatus assimiletur matrimonio sicut cōuenit matrimonium esse voluntarium, sic decet Episcopatum liberè recipi. Nihilominus vbi vtilitas

tas [illegible] Super[illegible] cop[illegible] præce[illegible] itatem [illegible] hon-sta e virtu[illegible] *dub. 1. & ex Bar*[illegible] *aduertit Pax Iordan.* [illegible] .14. S. Gregorius neminem coegisse ad [illegible] Sanctissimi Pontifices præstiterunt.

19 Vbi ergo Superior non præcipit, sed [illegible] iniungit officium relinquens [illegible] ubitum in sua potestate, quid tunc agendum? Seu cum aliquis est electus, quoniam ex nulla lege [illegible] netur consentire electioni, est ne tunc consultius consentire, vel non consentire? Quando electores sunt viri probi, & zelo sancto electionem faciunt, non esse opus difficilem se reddere, sed immo consultius esse electioni consentire. dum tamen, si electus est religiosus, id non faciat, nisi [illegible] Prælati facultate obtenta tenent. *Sotus d.* [illegible] *o. de iust. quæst. 12. a. 2. circa respon. ad 2. Pax Iordan. eluc. brat. Prælud. 7. num.* [illegible] vbi quod tamen aliqua humilis & modesta [illegible] est laudabilis. Tum quia in honoribus [illegible] ctos esse opus est, ne dignitates [illegible] tenentes peiori inde motu superbiæ rapiantur. Tum quia licet dignitates contemnere sit actus heroicæ humilitatis, nihil minus [illegible] & prudens in Ecclesiæ [illegible] Deo gratiosiora ministeria reddere. Tum tertio quia vbi Ecclesia digna ministris indiget, qui vere idonei sunt, debent huius inopiæ [illegible] ponderare, & [illegible] succurrere. Quamobrem [illegible] is, ac [illegible] sic in admittendis Magistratibus [illegible] da est modestia, & [illegible] vt minor [illegible] sit in eisdem [illegible] necessaria. Alii [illegible] putant sic ele[illegible] posse [illegible] Epi[illegible] quod tamen si [illegible] at quod Episcopatus per alium non [illegible] ne administrari peccet grauiter [illegible] *Pax Iordan. d. Prælud. 7. num. 5. ex Gloss. d. cap.* [illegible] *S. quæst. 1. & Sylu. v. Episcopus* [illegible] *Miranda quoque to. 2. quæst. 3. a. 31.* absolutè tenet, quod regulariter [illegible] ius sit electum consentire, quam dissentire.

20 Optimè ad hanc quæstionem respondet *D. Thom. quodlib. 5. ar. 22. sic dicens: Respondeo dicendum, quod in eo, qui Electioni Canonicæ de se factæ consentit, considerari præcipue debet quid intendit, si enim intendit aliquid temporale puta honorem, diuitias* [illegible] *ute se à iugo religionis aut aliquid huiusmodi, manifestum est, quod est praua intentio. Vnde* [illegible] *faceret, si non assentiret; si autē intendit profectum* [illegible] *planum est, quod bona est intentio. Vnde August. dicit 19. de Ciu. Dei: In actione non amandus est honor in hac vita siue potentia, sed opus ipsum, si rectè* [illegible] *idest vt valeat ad salutem subditorum.* [illegible] *illud Apostoli, quod habet 1. ad Timot.* [illegible] *atum desiderat bonum opus desiderat. Sed tamen* [illegible] *endum est, quod ad hoc opus maxima requiritur* [illegible] *quia vt Gregor. dicit in pastorali.* [illegible] *de* [illegible] *transcendere* [illegible] *grege pastori* [illegible] *undum pro* [illegible] *stoli* [illegible]

[illegible] *sit ergo aliquis laudabiliter considerans proprium defectum ex humilitate officium Prælationis recusare, sicut Hierem. dicit: Nescio loqui quia puer ego sum. potest etiam laudabiliter concupiscere ex charitate fraterna, vt salutem proximorum* [illegible] *, sicut Isai. dicit: Ecce ego mitte me.* [illegible] *flor.* [illegible] *in vtroque est* [illegible] *qui recusans* [illegible] *ante* [illegible] *purgatum* [illegible] *aut non purgatus* [illegible] *ministeria* [illegible] *Aut quem superna gra*[illegible] *sub* [illegible] *specie superna dispositio* [illegible] *ergo* [illegible] *intius de* [illegible] *prendum hoc* [illegible]

21 Hinc [illegible] *Glossæ in* [illegible] *ibidem, & in cap. si electio, de elect. in 6.* [illegible] quod electus [illegible] sit dignus teneatur non [illegible] are [illegible] peccet mortaliter, si id [illegible] tum habetur ex *d. cap. si elect.* [illegible] & ratione conuincitur, quoniam cum inter electum & Ecclesiam intersit matrimonium spirituale, matrimonium vero non debeat esse inuitum non est vnde inuito imponatur Prælaturæ onus, & iugum [illegible] *cap. innotuit de elect.* nec alicubi datur [illegible] quæ hoc præcipiat, & ima [illegible] posse dissentire. Alias [illegible] charitatis, aut alterius [illegible] suscipere [illegible] Prælaturæ grauissimum [illegible] *Ita ex Io. And.* [illegible] *cap. si elect. num. Franc. ibidem num. 1. & ex Ant. ibid. & Cu*[illegible] *b. 4 de elect. num.* [illegible] *Bonon.* [illegible] *15.* [illegible]

22 Colligitur secundo [illegible] non adest necessitas præcepti, sed [illegible] vt consentiat, vel non consentiat, seu vt [illegible] ram recipiat, vel non recipiat, [illegible] ter videat imminere periculum [illegible] damni Ecclesiæ si ipse non acceptet [illegible] Prælaturam [illegible]

[illegible] Alter vero casus, in quo dicunt aliqui [illegible] lantem Prælaturam etiam extra casum necessitatis peccare est, si renunciet ex ignauia, & pigritia. Ita ex *Richardo Miranda vbi supra* sed [illegible] in culpam venialem bene, & merito aduertit *S*[illegible] *vbi supra num. 20.* Non enim [illegible] inte [illegible] datio ex pigritia, quæ possit [illegible] ficere ad culpam mortalem.

24 Sed econtra si electus [illegible] dari alium, vel [illegible] se digniores, [illegible] quid [illegible] ram [illegible] *Donatus in praxi p. 2 11 S. quæst.* [illegible] d minus dignus [illegible] debeat [illegible] & [illegible] dig[illegible] ori, quia hoc petunt charitas, & [illegible] Sed *ibid. quæst. 9. ex D. Thom. & Caiet. art.* [illegible] bene oppositum docet, quia [illegible] tinet [illegible] examinare suam dignitatem [illegible] s, & se minus dignum [illegible] alicui indi[illegible] , ad suam [illegible] & [illegible]

Sed his [illegible]

[illegible] ptum rig[illegible] exp[illegible]are, maxime quod nunc [illegible] nu[illegible] esse impedimen[illegible] od impetratur, ne suæ prom[illegible] [illegible] de impetratis di[illegible]endum [illegible] argumenta a[illegible] [illegible] magis [illegible] eptat[illegible] [illegible] ab[illegible] [illegible] num. 5. [illegible] Laym. [illegible] num. [illegible] & no[illegible] [illegible] Iustit. Luc[illegible] [illegible] [illegible] qui Papæ simplici[illegible] Epi[illegible] [illegible] ponte con[illegible] [illegible] probat [illegible] argum[illegible] ligiosus tanto [illegible] actu est laudab[illegible] in illo exeque[illegible] perfectior ob[illegible] acceptando E[illegible] simplici Summi Pont[illegible] [illegible] verbo [illegible] præceptum [illegible] obedientia [illegible] probabili [illegible] Christ[illegible] ex rigoroso præcepto ob[illegible] [illegible] sed quia vo[illegible] Patris id op[illegible] [illegible] obedientiæ Chri[illegible] [illegible] præcepto [illegible] Episcopat[illegible] Secundo nam coacta Epi[illegible] [illegible] exigendo a [illegible] laudabilior [illegible] sponta[illegible] Ep[illegible] Tertio nam Pontifi[illegible] compellere ad Episcopatum susci[illegible] [illegible] berto Magno electo Archiepis[illegible] [illegible] Vmbertus Generali Ord[illegible] [illegible] in Chroni[illegible] Ord. [illegible] Epi[illegible] coa[illegible] Papa acce[illegible] [illegible] t, vt Pontifex [illegible] [illegible] rget, [illegible] eligerent id q[illegible] [illegible] hoc [illegible] præsumi [illegible] Quarto probatur ex [illegible] ad Hebr. [illegible] Ob[illegible] [illegible] vestris [illegible] Vt cum gaudio hoc faci[illegible], [illegible] gementes &c. Nam spectato commentario D. Thom. lect. 3. melius est obedire Prælato de obedientia gaudenti, quæ est obedientia spon[illegible], quam de obedientia gementi, quæ est [illegible] coacta; ergo laudabilius est Pontifi[illegible] iniungenti Episcopatum sponte obedire. Quinto idem probatur ex D. Thom. supra quæst. 89. [illegible] ad secundum vbi loquens de eo, qui iura[illegible] non recipere Prælaturam cum expedi[illegible], ait [illegible] fa[illegible] non [illegible] ruando iu[illegible]. Ibi [illegible] D. Thom. loquitur de eo, qui non [illegible] acceptare Episcopatum, & sic loquitur in ca[illegible] in quo Superior non cogit ad acceptandum E[illegible] patum, & tamen [illegible] iniungit. In hoc [illegible] tur D. Thomas ait [illegible] [illegible] ntum & [illegible] de mente D. Thom. meli[illegible] recipere quia etiam in casu [illegible] melius est iuramentum non [illegible] Prælaturam recipere.

26 Ne[illegible] [illegible] dicitur [illegible]

[illegible] inatur [illegible] Episcopatus [illegible] ad [illegible] Et in hoc D. Thom. [illegible] Suarez [illegible] num. 4. [illegible] l. 6. cap. [illegible] dub. [illegible] num. 2. Barbo[illegible] cap. [illegible] num. [illegible] act. 6. [illegible] [illegible] Quia vo[illegible] vt tec[illegible] [illegible] bono. Quamobrem dicitur, [illegible] casu in quo omn[illegible] est pe[illegible] recusa[illegible] [illegible] [illegible] iam non habe[illegible] [illegible] non tunc recusatur, nedum est [illegible] non est laudabile, quia est peccatum [illegible] [illegible] quæ [illegible] intrat, cum nul[illegible] pec[illegible] [illegible] Prælaturam oblatam & [illegible] positio [illegible] est, [illegible] & id[illegible] [illegible] laud[illegible] ab ea mode[illegible] declinatur, quam [illegible] tè re[illegible].

27 [illegible] ed est considerandum, quod ex [illegible] casus contingere potest, quod recusatio sit pec[illegible] tem [illegible] quidem primo quia licet superior non [illegible] præcipiat expresse [illegible] re intendat & obedientiam [illegible] enim sit de speciali statuto Ord. Prædicat[illegible] [illegible] continetur in Prologo Co[illegible] [illegible] S. 4. & [illegible] quod præceptum [illegible] virtute [illegible] quid fit de alijs similib[illegible] apud [illegible] factos Ordines [illegible] ad [illegible] vt [illegible] beat [illegible] aliqui [illegible] quomodo [illegible] docet D. Thom. [illegible] obedientia est [illegible] eius [illegible] tacitum, vel expressum. [illegible] quomodocumque innot[illegible] [illegible] Superior [illegible] alligatur [illegible] [illegible] & ideo [illegible] Papa [illegible] absolute [illegible] tas quo[illegible] ceptum si non omnino expressum, tacitum & sufficienter [illegible] Prælaturam acceptandam.

28 Quod communiter [illegible] verum, quod o[illegible] gatio acceptandi Prælaturam primario venit ex præcepto charitatis, & humilitatis vt [illegible] supra in hoc ar[illegible] hoc enim [illegible] dum [illegible] quod de mente D. [illegible] Episcopat[illegible] [illegible] & humi[illegible] Id [illegible] Sup[illegible] luntate [illegible] pus, & [illegible] chari[illegible] cepta [illegible]

tamen esset culpa contra charitatem, & humilitatem. Itaque igitur quando Superior voluntate absoluta iniungit Prælaturam peccat subditus, si illam recuset.

29 Sed etiam in casu, quod Superior non iniungat Prælaturam voluntate absoluta, si nihilominus quantû sit ex se ipso inclinet magis ex causa rationabili, vt subditus Prælaturam acceptet, quamuis hæc voluntas non absoluta de se non obliget ex virtute obedientiæ, potest tamen aliunde contingere peccatum, vel ratione alicuius ingratitudinis, aut alterius virtutis obligantia subditum ad perfectiorem conformitatem suæ voluntatis cû voluntate Superioris, qui iustè à Subdito exigere valeat, vt non faciat, quod sibi displicere dubitare non potest. Et præcipuè potest hic habere locum virtus humilitatis obligantis subditum, vt in ijs, quæ spectant ad bonum commune subordinet suû iudicium, & voluntatem iudicio, & voluntati Superioris, licet non absolutæ, quantum tamen sit ex parte Superioris determinatæ. Vnde finaliter recedere, & non morem gerere Superioris iudicio, & voluntati quamuis non absolutę potest habere rationem cuiusdam superbiæ, contemptus, & culpæ, quæ etiam superiorem moueat ad iustam indignationem, & tristitiam. Et quidem etiam talem, vt is cui iniungitur Prælatura etiam ex sui ipsius charitate teneatur diligentius suo bono consulere, & Superioris iustam indignationê per humilem subordinationem suæ voluntatis declinare.

30 Ex modo posteà, & causa recusandi Prælaturam potest contingere peccatum, si recusetur ex ambitione, vel cupiditate pinguioris, aut maioris iurisdictionis desiderio, vel si non seruetur in recusando modestia, & humilitas necessaria, aut oblata Prælatura paruipendatur, & Superioris beneficium prout oportet, non honoretur. Nam & vt docuit *Sotus*, potest esse maior superbia recusantis, quam recipientis Prælaturam.

31 Sed tandê côtingit esse peccatû in recusatione Prælaturæ, si in rei veritate omnibus pensatis satis constet voluntatem Dei esse, vt Prælatura recipiatur. Quod semper côtinget, quando omnibus pensatis melius in indiuiduo est, vt Prælatura non recusetur. Vt enim *quæst. super. art. 5. à n. 47.* probatû est, non sine peccato ommittitur, quod in indiuiduo est melius siue hoc fiat scienter, siue ex imprudentia negligentia. Et ideò in hac parte optimè consuluit *Sotus* aduertendo maximam cautelam esse necessariam in recusanda Prælatura, ad quam Superior promonet. Nam vt *D. Thom. in quodl. citato* concludit semper recusatio est mala, cum voluntas Dei est, vt recipiatur.

32 In nullo igitur istorum casuum nostra versatur quæstio, sed solum locum habere potest, cum homo libere sine peccato potest Prælaturam recusare. In quo casu dicitur primò, quod promotus non tenetur statim ad primam nominationem præsumere in Superiore voluntatem absolutam, vt promotus omnino acceptet Prælaturam, sed modestè, & humiliter potest Superiori suam infirmitatem, & imperfectiones, & Prælaturæ onus exponere, illumque obsecrare, vt onus non imponat concludendo cum Christo, si possibile est transeat a me calix iste, verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Sic cum Deo fecerunt Moises, & Ieremias, & hoc licere DD. omnes vnanimi consensu fatentur. Nam nec Superiores habent, nisi, vt hanc humilem recusationem gratam habeant, & laudent, sicut de facto faciunt, vbi, qui modestè & humiliter à principio renuat Prælaturas, inueniunt. Et hoc adeo verum est, vt etiam si Superior præcipiat rigorosè Prælaturam acceptari, liceat subdito semel vel bis humiliter obsecrare, vt dignetur sarcinam non imponere. Si enim ex causa rationabili licet petere, vt onus impositum tollatur, multo magis licet petere, humiliter ne imponatur.

33 Dicitur secundò, quod vbi Superioris explorata voluntate promouendus manet liber, vt omnibus pensatis sine peccato possit Prælaturam recusare tutius, & laudabilius, & melius facit eam recusando, quam acceptando. Hoc docet *D. Th. in d. quodl.* Et hoc fecerunt sanctissimi viri, qui omni modo Episcopatus quantum potuerunt recusarunt. Nam vt fusius recensent *Sanchez l. 6. in Decal. cap. 18. num. 33. & Suarez tom. 4. de Relig. trat. 10. l. 6. c. 8. & Barbos. de off. Epis. p. 1. tit. 5. Gloss. 1.* Sancti Bruno Chartus. Pater, Bernardus, Thomas Aquinas oblatos Episcopatus pluries recusarunt, S. Ambrosius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Magnus se absconderunt, fugerunt, ne ad Præsulatû raperentur, quem non nisi inuiti acceptarunt, sicut & fecerunt Sancti Malachias, & Bonauentura. Ne vero Episcopi fierent Sanctus Ephrem tantisper furorem simulauit, S. Goaris Presbyter morbû incurabilem à Deo impetrauit, D. Marcus quoque sibi digitum abscidisse narratur, & S. Antonius auriculam dexteram sibi amputasse. Nilamonius Monacus mori potius a Deo obtinuit. Et merito quidem. Nam vt dixit *Nazianz. l. 3. & 6. de Sacerd. nemo sapiens læto animo creatur Episcopus.*

34 Ad ea, quæ in oppositum adducta sunt respondetur. Et ad primum dicitur locum non habere obedientiam, vbi in Superiore non est voluntas absoluta alicuius actus habendi, sed immò Superior relinquit subditum in libertate adeò vt sine minimo peccato possit recusare agere, quod agendum proponitur. Nam benè *S. Thom supra q. 104. a. 2. c.* conclusit, & dixit. *Et tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum præceptum obediendo preuenit, voluntate tamen Superioris intellecta.* Quam voluntatem paulo superiùs dixerat esse tacitum præceptum. Laudatur igitur obedientia, quæ cognito implicito præcepto, & prospecta absoluta voluntate Superioris præuenit expressum præceptum. Nam cum obiectû obedientiæ sit præceptum, vt ibi docet *D. Thom.* & explicat *Caietan.* vbi præceptum non est, locum non datur obedientiæ, nec est vnde laudabilis obedientia præueniat, vbi nec materia obedientiæ reperitur. Cum verò Pontifex simplici verbo Episcopatum alicui offert, vel ad Episcopatum aliquem eligit, aut nominat, nec absolute Episcopatum iniungit, vel præcipit, nec per hoc absoluta omninò voluntate vult, vt nominatus Episcopatum acceptet, sed relinquit electo, vt suas vires consideret. Quod si electi humiles excusationes non recipiens pro sua prudentia ostendit se absolutè velle, vt ille subdat humeros oneri, iam tunc intrat obedientia, & iam tenetur ille nullum aliud expressum præceptum expectare, & si id non facit, iam peccat. Hinc esto doctrina, quæ affertur ex *Lorca* esset probabilis, quod

omninò negatur, quia nimis apertè contrariatur scripturæ docenti Christum ex obedientia mortuū fuisse, adhuc additur, quod Christus ipse suo exēplo ostendit iustum, ac licitum esse Superiori imponenti onus humiliter suarum virium debilitatē ostendere, & onus modestè sed non finaliter recusare, quia rogauit Patrem, vt si possibile esset ab eo calix passionis & mortis transiret.

35 Ad secundum dicitur, quod in eo, & in tota assertione supponitur, quod recusare Prælaturam, ad quam quis eligitur non sit nisi facere contra voluntatem Superioris, & quod simplex electio ad Episcopatum sit in eligente voluntas absoluta, vt electus sit Episcopus. Quod experientia ipsa non verum esse ostendit. Verum igitur est, quod vbi Superior vult absolutè, & ex hoc ex consequenti saltem implicitè præcipit, nedum laudabile, sed necessarium est sine murmure, & libenter voluntatem superioris implere. Sed Superior eligens subditum ad Prælaturam ex hoc nondum absolutè præcipit, & adhuc si præciperet, non intelligeretur finaliter velle obedientiam, ita vt subditus humiliter non posset rogare, vt ab eo transiret onus impositum, si possibile esset; cognito vero quod Superior finaliter & omninò absolutè voluntate vult obedientiam, tenetur subditus obedire, nec expressius præceptum expectare. Et sic verum est, quod durities expectans expressius præceptum vbi constat de absoluta voluntate Superioris, nedum est minus laudabilis, sed est vituperabilis, & est culpa.

36 Ad tertium dicitur, quod probat intentum nostrum. Verum enim est, quod regulariter Pontifices nullum cogunt ad Episcopatum, quamuis, vt supra dictum fuit *ex Baronio ad annum* 595 plures Sanctissimi Pontifices id fecerint, sed hoc Pontifices non faciunt inuiti sed voluntarij, & quia minus conuenit, habere inuitos ministros, & quia qui inuiti recipiunt Episcopatum, ad illum regendum minus fuiſt apti, cum voluntate repugnante minus diligenter homines operentur, & quia Sacri Canones volunt, vt magis conueniat, vt nullus inuitus ineat spirituale matrimonium cum Ecclesia. Ex Sacris Canonibus igitur, & ex Pontificum praxi colligitur electionem Pontificum ad Episcopatum nec esse præceptum, nec coactionem, & licere recusare Episcopatus non inobediendo Pontifici, sed cum eius venia graue pondus declinando. Neque sequitur, quod ex hoc necesse sit præterire idoneos, quia non desunt alij idonei, qui assumantur. Alias verò vbi ex recusatione Episcopatus timeatur Ecclesiæ damnum, iam non licet Episcopatum recusare.

37 Ad quartum dicitur, quod semper ex supposito illo fit vis, quod non nisi Pontifice inuito fiat recusatio Episcopatus. Qui enim modestè recusat non vult Pontificem gemere, nec tristari, nec inuoluntarium esse, & talis non recusat Episcopatum nisi sub conditione bonæ voluntatis Pontificis, sumus enim in casu, in quo possit Episcopatus laudabiliter recusari, quia vbi sine culpa Episcopatus non recusatur, non habet locum quæstio de meliori bono, & laudabiliori actu. Vbi vero sine culpa potest recusari Episcopatus, iam nec debitum obedientiæ intrat, nec gemitus Superioris dolentis de duritie subditi in obediendo.

38 Ad quintum dicitur, quod ex eo nihil concluditur. Nam *D. Th.* aperte supponit, quod acceptare Prælaturam cum expedit sit melius. Nam exemplum de iurante non accipere Prælaturam cum expedit, ponit ad explicationem iuramenti habiti de eo, quod est impeditiuum melioris boni: quod melius bonum est recipere Episcopatum cum expedit. Vnde ex hoc nihil concluditur, nisi quod sit melius non seruare iuramentum, quod habitum est de non acceptanda Prælatura cum expedit, quod verissimum est. Sed non inde licet arguere, quod sit melius numquam recusare Prælaturam, quia nec sequitur, quod semper expediat illam statim acceptare, quia nec verum est, quod acceptare Prælaturam semper omnibus pensatis sit melius. Tunc igitur cum omnibus pensatis melius est acceptare Episcopatum, non est laudabile illum recusare. Sed cum ex genere sit tutius illum cum bona voluntate Superioris recusare, hoc etiam ex genere est laudabilius & melius. In indiuiduo verò quando est melius illum acceptare, debet acceptari, nec est laudabile illum recusare.

39 Tandem aduertendum ex *D. Th. sup. q.* 104. *art.* 1. *ad* 3. quod quando præcipitur id, quod delectat valdè periculosum est, quod obedientia multum habeat de propria voluntate obedientis, & sic longe, ac longe minus laudabilis. Et quia Episcopatus, vt plurimum ratione bonorum adiunctorum valdè delectat, vnde, vt dixit *S. Bernardus Ep.* 124 *ad Episcopum Londonen. Curritur ad Ecclesiasticas curas tanquam sine curis iam quisque dicturi sit, cum ad curas peruenerit*. Certè spontanea acceptatio Episcopatus, nulla humili, ac modesta recusatione præmissa, meritò præsumitur habere multum de propria voluntate, & parum de obedientia, immo nihil de obedientia, cuius obiectum proprium est præceptum Superioris. At verò simplex electio ad Episcopatum etiam facta à Pontifice per se necessario non est præceptiua, sed liber contractus spiritualis matrimonij ea parte Ecclesiæ initus cum electo. Tunc verò rationem præcepti habere incipit, si electo recusante Pontifex recusationem non approbat, sed vult Episcopatum acceptari. Qui igitur spontè sine aliqua modesta, & sincera recusatione Episcopatum acceptant, non multum habent, vndè de obedientia sincera laudem expectent.

40 Per hæc tamen non approbatur, quod sit necesse aut bonum, vt qui vult consentire prius simulet dissensum, vt voluit Hugo relatus à *Gloss. cap. in scripturis verb. fugientibus* 8. *quæst.* 1. quoniam sinceritas veritati longè præstat. Quod verò econtra aliqui voluerint hanc simulationem esse peccatum mortale, & alij negauerint apud *Gloss. in cap. fin. v. refugit* 1. *quæst.* 6. dicendum est, esse quidem peccatum, quia simulatio est mendacium, quod ex suo genere est peccatum, vt probat *D. Th. supra quæst.* 111. *art.* 1. Sed quia talis simulatio non esset alicui perniciosa, esset mendacium officiosum, & ideò solum peccatum veniale. Immò si non esset simulatio, nec mendacium, sed veritatis internæ aliqua occultatio, præcisa omni mala circumstantia nullum peccatum esset. Considerandum tamen, quod ante electionem non potest eligendus consentire. Et in hoc sensu loquitur *cap. fin.* 1. *quæst.* 6. *sumptum ex Gregor. lib.* 7. *epist.* 110. *& Gloss. in cap. in scri-*

scripturis verb. fugientibus 8. *quæst.* 1. Et in hoc eodem casu, qui alias desideraret Prælaturam deberet veritatem occultare, & exterius consensum non ostendere, aliter electionem vitiaret. De qua re plura dixi in *tractat. de electione cap.* 50. Hoc verò iam probato, quod non liceat finaliter recusare Episcopatum iniunctum à Superiore, remanet videndum quis sit iste Superior, qui possit Episcopatum iniungendo cogere ad suscipiendum illum, vnde quæritur.

SVMMARIVM.

1 *An Pontifex possit necessitare ad acceptandum Episcopatum. n.* 41. 42.
2 *An Prælati Regulares possint necessitare ad accipiendum Episcopatum remissiue. n.* 43.

An Papa possit cogere aliquem ad hoc vt onus Episcopale suscipiat.

41 Videri enim possit non posse, quia onus Episcopale est adeò graue, vt videatur nulli iniungendum nisi voluntate illud suscipiat. Sed in oppositum est author *D. Thomæ* in textu, qui supponit dari Superiorem, qui possit iniungere onus Episcopale, & probat non licere illud iniunctum finaliter recusare. At verò nomine huius Superioris maximè venit Papa, cui totius Ecclesiæ cura est commissa. Et ita hoc expressè docuit, & probauit. *D. Th.* 4. *d* 29. *a.* 4. *ad* 4. quem sequuti sunt *S. Bonauentura cap.* 2. *super Regul. S. Francisci, Soto lib.* 10. *de iust. quæst.* 2. *art.* 2 *Ledesma de stat. cap.* 3. *conclus.* 8. *dub.* 1. *Lopez* 1. *p. Instruct. c.* 56. *Cord. in regulam S. Francisci c.* 10. *quæst.* 2. *dicto* 7. *Manuel* 2. *tom. summæ c.* 9. *num.* 5. *& quæst. regul. tom.* 3. *quæst.* 19. *art. vlt. Valent.* 22. *disp.* 10. *quæst.* 3. *puncto* 3. *concl.* 6. *Leonard. l.* 2. *de iust c.* 41. *dub* 9. *num.* 76. *Sanchez in sum. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 49. *Suarez lib. p. de stat. perfec. cap.* 17. *num.* 3. *& tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *l.* 6. *c.* 8. *num.* 8. *Lucarinus vbi supra cap.* 1. *§.* 6.

42 Respondetur necessariam esse ad bonum regimen Ecclesiæ auctoritatem, quæ compellere possit ad suscipiendum Episcopatum, ac propterea hanc residere in Pontifice. Hoc autem explicatur primò ex ratione *D. Thomæ* in hoc articulo; Quia cum præceptum charitatis obliget nos, vt viuamus nedum nobis, sed proximo, & ex consequenti ad suscipiendam curam proximorum iuxtà guberniorum formas in Republica ordinatas, & in Ecclesia Christi à Christo ipso institutas; quando verò occurrat casus huius necessitatis, & obligationis rationabiliter non possit iudicari ex proprio cuius que iudicio, sed prudentia dictet hoc esse decernendum ex iudicio habentis curam Reipublicæ, & Ecclesiæ, ideo totum hoc competit Papæ, qui est totius Ecclesiæ superior. Quod enim iudicium hoc, scilicet decernere quando præceptum charitatis obliget ad suscipiendum officia Reipublicæ & præcipuè Episcopatum ex recta ratione non fuerit cõmittendum iudicio proprio cuiuscumque, probatur primo à priori, quia præesse alijs non licet nisi vel illis petentibus, & iudicantibus, vel Superiore eorum hoc ordinante. Nam alias omnes æquales sumus, & nullus habet ius in alium nisi, vel ex eius consensu, vel ex Superioris concessione. Secundo quia cum aliorum gubernium, & præcipue Episcopatus habeat adiunctam ex vna parte maximam difficultatem, & laborem, & ex alia sublimem gradus celsitudinem, & diuitias, ideo homines priuati per se moraliter, & in pluribus sunt incapaces huius iudicij, & discernendi quando ex charitate teneantur officium Episcopatus subire, sed alij timore, & pusillanimitate illud refugerent cum esset opus illud subire; Alij verò plures indigni, & inepti ambitione illud apprehenderent, esset que via aperta contentionibus, violentijs, & schismatibus, pluribus simul Episcopatum ambientibus, & sese impedientibus. Vnde hoc iudicium ex natura rei, & lege diuina naturali reseruatur Pontifici, cui totius Ecclesiæ cura est à Christo commissa. Et hoc amplius probatur. Quia concedere, & recipere, instituere, & institui relatiua sunt. Sicut igitur ex lege diuina naturali institutionis Ecclesiasticæ Monarchiæ Pontificis Romani est Episcopos creare, & instituere. *cap. omnes* 21. *dist. & cap. p.* 22. *dist.* Eiusdem etiam est decernere quando ex charitate quisque teneatur tale onus subire, siue eiusdem est compellere ad recipiendum, aliter non esset hæc Monarchia rectè instituta, si Pontifice iniungente Episcopatum necessarium omnino ad bonæ Ecclesiæ regimen, posset ille cui iniungitur illum finaliter recusare.

43 Esset vero quærendum an hoc idem possint facere Prælati Regulares, sed hoc melius examinabitur infra cũ de voto obedientiæ erit sermo.

SVMMARIVM.

1 *Vita simul contemplatiua & actiua melior. n.* 44.
2 *Quod esset melius desinit esse melius si obedientia mandet oppositum. n.* 44.
3 *Valde bonum quod ad commune bonum est vtile. num.* 45.

44 Ex responsione ad primum habetur, quod vita contemplatiua est melior vita actiua præcisè, & solitariè sumpta, sed non est melior vita contemplatiua, & actiua simul, vita scilicet quæ suo tempore contemplatur, vt Deum amet, & suo tempore ex Dei amore proximum amans contemplata ad vtilitatem proximorum ordinat. Et talis est status Episcoporum.

45 Aliud etiam aduertendum circa primam responsionem. Quod esto aliquid sit melius ex genere, & ideo homo quando agit ex proprio motu secundum prudentiam teneatur eligere id, quod est melius sibi in indiuiduo omnibus pensatis, tamen vbi obedientia mandet oppositum, iam illud desinit esse melius & magis expedit obedire, & maximè cum id, quod præcipitur est necessarium, vel vtile ad bonum commune, cum seruire bono communi excellentissimum sit, & ideò magis excellens quam otium contemplationis. *Sotus l.* 10. *de iust.*

quæst. 184. art. 2. unde & ad maiorem Dei dilectionem pertinere probatur in textu.

SVMMARIVM.

1 *Inidoneus non potest consentire Episcopatui. numer. 46.*
2 *Impedimenta Episcopatus acceptandi triplicis generis. n. 47.*
3 *Propositum non peccandi necessarium in Episcopo, num. 48. 49.*
4 *Non est in consentiente Episcopatui necessarius status gratiæ. num. 49.*
5 *Peccator non excusatur, vt non recipiat Prælaturam, quia potest pænitere. n. 50.*
6 *Alia sunt impedimenta ex iure positiuo, quæ possunt tolli. n. 51.*
7 *Hæc sunt manifestanda Superiori. n. 51.*

Doctrina responsionis ad secundum est valdè consideranda.

46 EX ea autem habemus primo, quod qui non est idoneus ad Episcopatus idoneitate durante non potest licitè consentire, vt Episcopatum accipiat, Quia hoc est ex genere illicitum.

47 Triplicis autem generis sunt impedimenta, quæ reddunt inhabilem ad Episcopatum, alia scilicet libertati assumendi in Episcopum subiecta, alia verò subiecta authoritati iniungentis Episcopatum, & alia nulli.

48 Primum impedimentum ponitur ex parte electi, si habeat propositum peccandi. Ex quo colligitur ad suscipiendum dignè Episcopatum requiri propositum non peccandi. Et ratio huius est, quia peccatum repugnat exercitio frugifero officij Episcopi, ad quem pertinet reddere homines sanctos, & iustos. Ad hoc verò consequendum maximum impedimentum ponit peccatum Episcopi. Nam vt habetur *Eccles. 34.* Ab immundo quis mundabitur? Ideo *Gregor. moral. lib. 7.* dicebat: Manus sordida aliam non lauat, & oculus plenus puluere maculam non considerat, ita mundus debet esse qui vultaliena corrigere. Et propterea iuxtà *Apost. decretum 1. Tim. 3.* oportet Episcopum irreprehensibilem esse. Ad hoc igitur, vt quis recipiat dignè Episcopatum necesse est, si est peccator, vt proponat se amplius non peccaturum. Sed numquid requiritur status gratiæ?

49 Peccator enim non iustificatur ex solo proposito non peccandi, vt habet *Concil. Trid. sess. 14. cap. 4.* Sed extra Sacramentum requiritur contritio perfecta, & charitate formata ad hoc, vt homo per votum Sacramenti iustificetur. Respondetur verò, quod certè ad hoc, vt Episcopus dignè accedat ad consecrationem, illamque suscipiat necessarius est status gratiæ. Sed ad hoc, vt sine nouo peccato consentiat Episcopatui, non est necessarius status gratiæ, quidquid in contrarium dicat *Valentia hic disp. 10. quæst. 3. p. 3.* Non enim Episcopatus est Sacramentum, sed sufficit voluntas non peccandi, sed perficiendi ea, quæ Episcopo competunt. Sine hac voluntate enim fictè consentiret officio; & cum magna eius iniuria illud susciperet, non habens voluntatem operandi ea, ad quæ obligat. *Soto l. 10. de iust. quæst. 2. a. 2. ad 2. Ledesma de stat. cap. 3. conclus. 9.*

50 Quamobrem, qui est peccator ex hoc non excusatur ab obedientia acceptandi Episcopatum, quia cum possit pœnitere tenetur id facere, & impedimentum tollere: Quamuis non sit nouum peccatum ab inobedientia distinctum, si tunc non pœniteat secundum *Sotum loco cit.* Quod tamen nõ probo. Quia licet præceptum pœnitendi sit affirmatiuum, tunc tamen obligat cùm à Deo homo assumitur ad ea, quæ iustorum sunt propria. Nam & tunc tenetur se dignum reddere eius, ad quod à Deo sublimatur.

51 Alia sunt impedimenta ex iure positiuo, quæ per Pontificem possunt remoueri, vt sunt impedimenta excommunicationis, & irregularitatis. Hæc tamen debent Pontifici manifestari, vel alteri habenti authoritatem dispensandi super illis. Ità ex *D. Th. docens Soto l. 4. de iust. quæst. 3. a. 5. D. Anton. 3. par. tit. 20. cap. 2. §. 6. Turrecrem. cap. olim 8. quæst. 1. Sanchez in summa lib. 6. cap. 2. numer. 53.* Sed quid dicendum.

SVMMARIVM.

1 *Quid dicendum vbi excommunicatus occultus sine graui damno non potest manifestare excommunicationem. n. 52.*
2 *Impeditus immobiliter nõ tenetur obedire & Episcopatum acceptare. n. 53.*

Si quis habeat occultam irregularitatem, vel excommunicationem, quam iustis de causis non potest Pontifici manifestare, & dispensationem obtinere?

52 REspondetur in hoc casu impedimentum esse tertij generis infra explicandi, quia scilicet est impedimentum moraliter immobile, & non amouibile.

53 Tertium genus impedimenti est, quando impedimentum non potest remoueri & huius generis dato impedimento inquit *D. Th.* quem sequuntur DD. citati, quod subditus non tenetur obedire, sed debet Episcopatum recusare. Sed

SVMMARIVM.

1 *Pœnitens de recenti aliqua censura, vel irregularitate, aut infamia, aut inhabilitate non impeditus tenetur non recusare finaliter Episcopatum. n. 54.*

Quid

Quid faciet, qui post vitam in peccatis peractam pænitens de recenti eligitur in Episcopum, & cogitur officium acceptare?

54 DVmmodo iste non sit irregularis, vel excommunicatus aut aliter impeditus in quo casu hoc impedimentum manifestare debet, præterita vita peccatrix non est impedimentum ad officium Episcopatus, si peccator publicus publicè pœniteat. Et per se essentialiter ad suscipiendum dignè Episcopatum remotis impedimentis canonicis irregularitatis, & excommunicationis aut alterius censuræ, seu pœnæ sufficit status gratiæ; ex qua etiam habet homo coniunctam sufficientiam ad hoc vt possit in posterum perseuerare, & sic dignè officium Episcopatus exercere. Vnde talis non potest finaliter recusare Episcopatum. Verum est, quod publicus peccator erit de facili, vel excommunicatus, vel irregularis, vel voce passiua priuatus, vel inhabilis, ideoque indigebit vel absolutione ab excommunicatione, vel dispensatione super irregularitate, vel liberatione à pœna & impedimento; sed his impedimentis remotis tenetur subditus non recusare Episcopatum, & pœnitere, & se in statu gratiæ ponere. Infamis etiam infamia vel iuris, vel facti non potest legitimè præesse. Quamuis quia facti infamia tollitur per pœnitentiam, & Superioris est decernere an infamia facti sit ablata, vel non ablata, præcipiente Superiore non excusabitur peccator, qui pœnituit, ne Prælaturam suscipiat, cum ex iniuncto præcepto Superior declaret iam ex pœnitentia præteriti peccati infamiam fuisse sufficienter deletam. Sed.

SVMMARIVM.

1 *Consuetudinarius peccator licet pœnitens non potest ad Episcopatum compelli. n. 55.*
2 *Is cui Episcopatus est proxima peccandi occasio non debet recipere Episcopatum. n. 55.*
3 *Nisi adesset maxima Ecclesiæ necessitas. n. 55.*
4 *Quid dicendum, vbi qui alias optimus censetur, tamen de eius salute timendum est, si sublimetur? Aliorum sententia. n. 56.*
5 *Si periculum est remotum electus non potest recusare. num. 57.*
6 *Si periculum est proximum, sed remouibile electus non potest recusare. n. 58.*
7 *Si periculũ est proximum, & non de facili amouibile alias optimus nec potest cogi, nec est optimus, nec potest cogi, vt Prælaturam acceptet. nu. 59.*
8 *Nisi in casu magnæ necessitatis. n. 59.*

Quid si ex consuetudine peccandi, & ex prauis habitibus acquisitis valdè difficilis sibi sit in posterum vitare peccatum?

55 SOto loco citato, cui etiam consentit *Sanch. citatus*, respondit talem non teneri obedire; quia in moralibus valdè difficile, censetur impossibile. Addo nec sibi licere consentire, quia se exponit euidenti periculo peccandi, & contrà Deum, & contra officium Episcopi. Et hic habet locum illud *S. Gregor. lib. p. Pastor. cap. 9. Virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus, nec coactus accedat. Ille si omnino renititur caueat, ne acceptam pecuniam in sudario ligans de eius occultatione iudicetur &c. Iste cum regimen appetit, attendat ne per exemplum boaum operis Pharisæorum more ad ingressum Regni tendentibus obstaculum fiat, qui iuxtà summi magistri vocem. Matt. 23. nec ipsi intrãt, nec alios intrare permittunt.* Et ex hoc habetur quod absolutè non debet admitti, quod habet *Ledesma de stat. cap. 3. concl. 8. dub. 1. ad secundum* scilicet, quod si quis acceptando Episcopatum ponat se in periculo salutis, nihilominus Superiores possunt illi præcipere, vt Episcopatum acceptet. Hoc enim verum est; si periculum sit voluntarium, & de facili possit ab electo tolli. Sed si hoc ei sit valdè difficile, nec conuenit bono communi, vt talis præsit, nec potest per præcepta compelli, vt Prælaturam recipiat. Nisi adesset maxima Ecclesiæ necessitas.

56 Hinc occurrit discutienda quæstio, quam proponit *Sotus l. 10. de iust. q. 2. a. 2. in fine*. An dato casu, quod detur optimus quidam, & Ecclesiæ vtilissimus, cum tamen propter rei arduitatem de eius salute timeatur, vt quia in administratione non sit facturus totum, quod debet? Respondet enim idem *Sotus* talem non posse sine peccato consentire electioni, nec in accepto magistratu perdurare. Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Et nihilominus asserit electores posse, immò debere illum in Superiorem desiderare, eligere, & procurare, etiam si illius sint coniunctissimi, & amicissimi, quamuis de eius salute habeatur metus. Addit tamen, non licere consulere illi, vt Prælaturam recipiat, aut retineat, cum non liceat alicui consulere id, quod ille non potest honestè agere. Ratio autem prioris dicti est, quia bonum commune præponderat priuato, ideo magis desiderandum est, quod est vtile communitati, quam quod est cõmodum amici, & ipsi electo incumbit cogitare, quid illi expediat. *Valent. disp. 19. q. 3. p. 3.* quem sequitur *Ledesma de statibus cap. 3. concl. 9. dub. 1.* tenet talem debere deponere opinionem, & timorem peccandi, quem habet, quia gratia Dei non deest obedientibus, & pro bono communi laborantibus. Quod si non possit opinionem, & timorem deponere, adhuc tenetur Episcopatum acceptare propter bonum commune, quia non tenetur securiorem viam eligere, & ob bonum commune licet incedere per iter minus tutum.

57 Dicendum verò est, quòd aut periculum est remotum, aut proximum. Si remotum, cum talis adsit plus, vel minus in quocumque statu, nec ex eo periculo reddatur illicita assumptio illius status, vt patet in assumentibus mercaturam, & militiam, & alios status, quia in omni statu honesto, cum Dei auxilio, quod nulli deest, potest vnusquisque saluari si velit, ideò electus aliàs dignus tenetur si ei præcipitur acceptare Episcopatum, quia cum id possit facere sine peccato, & iustè possit præcipi à Superiore, non est vnde electus se excu-

set

set ratione periculi remoti, quod alias per se inest Episcopatui, & si aliquem excusaret ab obedientia recipiendi Episcopatum, excusaret omnes.

58 Sed si periculum est proximum, vel de facili potest tolli, vel hoc est valdè difficile, & ideò moraliter quodamodo impossibile. Si datur primum tenetur electus tale periculum remouere, vel si ipse solus non possit illud tollere, admonere Superiorem, vt quomodo potest tolli, tollatur, & sic tenetur obedire iuxta *D. Tho.* doctrinam communem, quia hoc impedimentum est amouibile, & debet amoueri per electum quantum sit ex parte sua, & vbi amotum sit, non est vnde electus se ab obedientia excuset. Vnde nec est, quod retineat electores ab eo eligendo, si alias ille, vt supponitur in hoc casu sit dignissimus.

59 Sed si periculum proximum non potest tolli, primò casus implicat contradictionem in se ipso, dum supponit Prælatura dignissimum illum, qui cum non possit illam exercere, sine proximo suæ salutis periculo, & ideo sine peccati periculo est prorsus ad illam ineptus, quæ immò quantum sit ex se ipsa requirit in Prælato sanctitatem perseuerantem, & irreprehensibiliter constantem. Secundo vt supra cum *Soto & Sanchez* dictum est; Nec talis potest Prælaturam recipere nec electores possunt illum eligere, nec si eligatur potest Superior illum ad eam acceptandam compellere. Nam nec est vtile communitati, quod præsit is, de quo timetur valde, quod Prælaturam cum peccato, & indignè administrabit. Nam vt plurimum, qui versantur in proximo peccandi periculo non subsistunt, sed ruunt. Nec licet electo velle manere in proximo peccandi periculo. Nec ratio boni communis petit, vt eligatur, vel ad Prælaturam necessitetur is, de quo potius habetur certitudo, quod malè administrabit: Et nec vnquam licet alicui desiderare, vel eum ad id eligere, quod sine peccato ille non potest recipere, & retinere, quia nulli licet desiderare, quod intrinsecè est malum illius, & nō potest sine peccato illi conuenire. Et ideò in hoc benè dixit *Valentia*, quod si electus nō potest Episcopatum sine peccato recipere, nec licet hoc ei desiderare, vel illum ad hoc eligere. Quia tamen per Dei gratiam specialem potest quis, si velit etiam in periculo proximo innocentiam custodire, in casu magnæ necessitatis Ecclesiæ potest sic cogi, vt Prælaturam acceptet. Sed huiusmodi casus potius metaphisici sunt, quam morales,

SVMMARIVM.

19 Si defectus electi sit in scientia illum manifestet, electus, & stet iudicio Superioris. n. 60.

Sed quid si defectus sit in scientia, vel in alio simili ex requisitis ad Episcopum?

60 S*Yluester v. Episcopus 4. q. 3. & Soto cum Sanchez locis citatis*, distinguunt, quia vel huiusmodi defectus sunt noti Pontifici iniungenti Episcopatum, & tunc subditus tenetur non recusare, quia in hoc non proprio, sed Superioris Iudicio standum est, qui quidem præsumitur non iniungere officium nō habenti tantum scientiæ, prudentiæ, & aliarum qualitatum quantum sufficit ad dignè obeundum munus Episcopale. Si verò hæ qualitates non sint notæ Pontifici, faciat subditus quòd fecit Moyses cum Deo *Exod.* & dicat: *Non sum eloquens, non eruditus &c.* Et postea Superioris Iudicio stet. Huius verò responsionis *D. Thomæ* occasione quærit *Caiet.*

SVMMARIVM.

20 Vbi dispensatio est necessaria, vel vtilis ad maius bonum Prælatus dispensans cogit ad vsum dispensationis. n. 61.

An subditus teneatur obedire Prælato præcipienti opus prohibitum à lege regulari, in qua ipse potest dispensare.

61 BEnè autem distinguit, quia vel Prælatus præcipit opus consonum religioni de se cuius operis exercitio obstat aliquod impedimentum ex Constitutionibus Ordinis, vt si Prælatus fratri Ordinis Prædicatorum præcipiat, vt ea prædicatum die Veneris, & ideò dispensat fratrē super lege ieiunij. Et in simili casu Religiosus tenetur obedire, quia Prælatus nō præcipit nisi id, quod secundum regulam est agendum, immò id, ad quod religiosus ex regula ordinatur. Nec Superior abutitur potestate, sed ea prudenter vtitur ad subtrahendum impedimentum melioris boni. Vel Superior non præcipit nisi actum prohibitum super quo dispensat, & si nihil aliud præcipiat, nisi quod Religiosus ieiunium sextæ feriæ frangat, & sic subditus non tenetur obedire, quia quod præcipitur non est consonum Religioni. *Ledesma de statibus cap. 3. concl. 8. dub. 1. ad tertium.* Clarius potest dari distinctio, nam vel dispensatio est necessaria, seu vtilis tanquam remouens impedimentum obseruātiæ strictioris præcepti, vel melioris boni, & hoc modo Prælatus nedum legitimè dispensat, sed validè præcipit subdito, vt dispensatione vtatur, & subditus tenetur obedire, quia subditus ad melius bonū tenetur tendere Superiore dirigente, & Prælato incumbit melioris boni impedimenta remouere. Vel dispensatio nec est necessaria nec vtilis ad maius bonum, & tunc Prælatus irrationabiliter dispensat, nec subditus tenetur ei obedire.

SVMMARIVM.

1 Necessitas recipiendi Episcopatum primo oritur ex charitate. n. 62.

62 IN responsione ad tertium primò notandum, quod necessitas non recusandi Episcopatu dicitur oriri ex superioris præcepto, quod

qui-

quidem proximè verum est, sed prima radix est præceptum charitatis, quæ obligat ad vt Superiori iniungenti Episcopatum, idoneo, is illum non recuset.

SVMMARIVM.

1 *Ponere impedimentum ad ea, quæ sunt ad salutem necessaria malum est, n.63.*
2 *Ponere impedimentum ad ea, quæ sunt necessaria ex iure positiuo non est malum. n.63.*

Ex eadem autem responsione soluitur hic hæc quæstio. An ponere impedimentum illis, quæ sunt necessaria ad salutem sit peccatum.

63 ET respondetur distinguendo; Nam alia sunt per se necessaria ad salutem, quæ scilicet ex lege naturæ, aut ex lege diuina sunt præcepta; & ponere impedimentum ad huiusmodi est peccatum, quia talia sunt per se ad salutem necessaria, vnde non possunt ista impediri nisi impediatur salus, sed alia non sunt necessaria, nisi ex lege hominis, & huiusmodi possunt impediri præueniendo præceptum, & ponendo in se obstaculum vnde non possit illi præcipi aliquid. Et sic licet præueniendo transire ad secundas nuptias, vt non præcipiatur Episcopatus *Sotus l. 10. de iust. quæst. 2. artic. 2. Par Iordan. Prælud. 7.* Aliàs verò, quod de B. Marco refertur, si est verum, necesse est fateri id factum diuina reuelatione. Nam ex tali fine se membro mutilare est illicitum ex decreto Conc. Niceni, vt habetur can. si quis *dist. 55.* sed factum illud incertum esse habetur ex *Soto d. art. 2. & Suarez to. 4. de Relig. tr. 10. l. 6. & 8.*

SVMMARIVM.

1 *Vouere non acceptare Episcopatum absolutè, seu finaliter est malum, sub conditione & quantum sit ex parte vouentis est bonum. n.64.*
2 *Votum non procurandi, seu non appetendi Episcopatum est bonum. n.65.*
3 *An habens votum non acceptandi peccet si accipiet ex quo videt Pontificem inclinatum vt accipiat, qui tamen non vult præcipere vt accipiat. num.66.*
4 *Voluntas absoluta Papæ sufficienter manifestata est præceptum, & obligat. n.67.*
5 *Vbi Pontifex absolute, vult vt qui habet votum non acceptandi acceptet, si non acceptat peccat mortaliter, n.67.*
6 *Voluntas Papæ non absoluta licet ex virtute obedientiæ non obliget, potest obligare ex vi alterius virtutis. n.68.*
7 *Quotiescumque Episcopatus non potest recusari sine peccato, votum recusandi non obligat. num. 68.70.*
8 *Si Pontifex indicet necessarium esse vt habens votum recusandi non recuset, ille peccat recusando. num.69.*
3 *Si Pontifex indicet eidem melius esse, vt non recuset, tenetur non recusare. n.69.*
4 *Quotiescumque certum est melius esse non recusare Episcopatum, votum non obligat ad recusandum. n.69.*
5 *Ex simplici nominatione Pontificis, non oritur necessitas acceptandi Episcopatum. n.71.*
6 *Vbi Episcopatus potest sine peccato recusari votum obligat ad illum recusandum; nec tunc habet locum obedientiæ promptitudo. n.72.*
7 *Vbi Pontifex vellet obligare ad nō recusandum ex hoc censeretur dispensare in voto, si alias votum obligaret. n.73.*
8 *Spontanea acceptatio Episcopatus præsumitur habere multum de propria voluntate, & non totum de obedientia. n.74.*

In eadem responsione ostenditur quomodo Episcopatus sit materia voti, & resoluitur difficultas. An liceat alicui vouere non recipere Episcopatum?

64 DIstinctione autem explicatur quæstio. Nam vel hoc votum est absolutum, vel est conditionatum hac conditione quantum sit ex parte vouentis, & nisi Superior aliud præcipiat. Si votum est hoc modo conditionatum, quia est per se de eo, quod magis decet, & quod est ad salutē securius est licitum, sed si votum sit absolutum est illicitum, cum absolutè finaliter recusare Episcopatum à Superiore iniunctum sit illicitum, & ideo recusatio Episcopatus absolutè sumpta non est melius bonum. Et ita cum *D. Thom.* hic, & *3. d. 39. q. 1. a. 3. q. 1. ad 3.* sentiunt *Sotus l. 10. de iust. q. 2. a. 2. ad 3. Suarez to. 3. de Relig. lib. 1. de stat. perfectionis c. 18. n. 13. & tom. 4. de Relig. tr. 10. l. 6. c. 8. Sanchez in sum. l. 6. Pax Iord. Prælud. 7. nu. 12.* Et ideò in hoc sensu absolutè loquendo benè votum, seu iuramentum de nō acceptando Episcopatu damnatūr *Richard. in 3. d. 39. a. 1. q. 3. Gloss. c. vnico v. sacrosanctis dist. 85. & in c. fin. v. confirmanit 22. q. 4. Panorm. cap. Si verò num. 4. de iureiurand.* Et ibi *de Neuo nu. 2. D. Anton. p. 2 tit. 10. c. 6. in 3. casu Angel. v. Iuram. 5. n. 3. Sylu. v. iuramentum q. 1. casu 3. Nauar. in sum. cap. 12. nu. 16. Azor tom. 1. lib. 11. cap. 1. q. 1. Selua Bellamera, Fortunius Barbosa apud Sanchez vbi supra.* Quod verò *Palacius in 4. d. 38. q. 1. apud eundem Sanchez* iudicet votum hoc esse illicitum etiam si sit conditionatum, & excludatur præceptum acceptandi Episcopatum forsan nisi vbi solum causa vitandi honores, & diuitias votum emitteretur, non est audiendus, quia non acceptare propria sponte Episcopatum cum per se sit tutius, & melius est iusta materia voti.

65 Aliud tamen dicendum est de voto non procurandi, seu non appetendi Episcopatum, quia hoc votum absolutè est bonum, & per se est de meliori bono moraliter, & regulariter loquendo, cum appetere Episcopatum, & multo magis procu-

eurare illum sit per se moraliter illicitum, vt *artic. super.* probatum est,& tenent citati DD.

66 Hic tamen aliud occurrit dubium : an scilicet, qui vouit non acceptare Episcopatum nisi coactus possit illum acceptare sine fractione voti, casu quod Pontifex informatus de voto ità iniungat illi Episcopatum: vt simul declaret sibi gratum fore, quod illum acceptet, & quod displicet sibi arctari ad præcipiendum illi, quod eundem acceptet. Supponit autem hæc quæstio, vt possit dari in Pontifice voluntas efficax, vt aliquis fiat Episcopus, absque eo, quod Pontifex præcipiat, siue absque eo, quod hæc voluntas etiam significata electo in Episcopum obliget ad peccatum, & ita etiam supposito, quod electus non teneatur sub peccato acceptare Episcopatum, quæritur an ex quo in Pontifice est voluntas per quam gratum habet, quod electus acceptet Episcopatum eius voto non obstante possit electus consentire. Et videtur ità esse dicendũ, quia talis voluntatis declaratio quædam coactio est benigna in ordine ad perfectam obedientiam, per quam Religiosus abdicato proprio velle, vult in omnibus conformari voluntati sui Superioris, & conditio huius benignæ coactionis continetur in præfato voto. Tum secundo quia Religiosus cum magno pretio vincit se ipsũ, dum non expectat Superioris præceptũ, à quo vincatur inuitus. Nam vir obediens loquetur victorias *Prou. 21. 28. & explicat Gregor. l. 24. mor. c. 34.* Tum tertio quia in eo casu Papa indicat se iudicare melius esse Religioso huic acceptare Episcopatum, & sic id agere erit opus melioris boni, cuius votum nequit esse impedimentum *cap. Scriptura de voto*. Tum quarto, nam non potest negari quin in tali casu arbitrium superni nutus declarat voluntatem Dei esse, vt hic Religiosus Episcopatum acceptet, ideo tunc votum non obligat, in quo semper intelligitur conditio, dummodo actus non sit impeditiuum maioris boni. Et ita hanc partem tenent vt probabilem *Suarez tom. 4. de Relig. tract. 10. l. 6 c. 8. nu. & Illustriss. Lucarinus de Epist. Regul cap. 1. n. 130. Suarez* tamen excipit Religiosos Societatis ob declarationem *Const. 9. p. cap. 4. lit. B. & cap. 5. lit. E.* Sed *Fagundez in præcept. Decalog. l. 2. cap. 31. nu. 14.* quem sequitur *Illustriss. Lucarinus nu. 132.* limitationem admittere non videtur, pro quando docet, quod etiam Iesuita sine peccato posset Episcopatũ acceptare in casu, in quo eius votum esset maioris boni impeditiuum.

67 In hac parte primò difficilis intellectu est suppositio facta, quod scilicet in electione ad Episcopatum facta per Põtificem detur obligatio acceptandi Episcopatum, quæ sit materia obedientiæ, & hæc non obliget ad peccatum; licet enim possit dari lex obligans ad pœnam, & non ad culpam, nisi cum eius transgressio est ex negligentia, qualis lex est constitutio Ordinis Prædicatorum, nihilominus hoc verum est cum lex se ipsam explicat, & declarat expresse se obligare ad pœnam, & non ad culpam, sicut facit *Constit. dictis Ord. in Prolog. §. 4.* Sed hoc de Pontifice nequit dici, neque est vnde vnquam Pontifices declarauerint leges eorum non pœnales, vel præcepta obligare, & non obligare ad culpam. Vt autem habet *D. Th. supra quæst. 104. a. 2.* voluntas Superioris quocumque modo innotescat est tacitum præceptum. Et vt ibi additur in responsione ad secundum obedientiæ, vt est specialis virtus obiectum. *Est præceptum Superioris cuiuscumque vel expressum, vel interpretatiuum, scilicet simplex verbum Prælati eius indicans voluntatem, cui obedit promptus obediens secundum illud ad Titum 3. Dicto obedire &c.* Et ità hic non datur medium, vel enim voluntas Papæ iniungentis Episcopatum est absoluta, & vt talis innotescit, & hæc obligat ad mortale, vel non est absoluta, & hæc nullo modo obligat nisi purificata conditione transeat in absolutam. Et sic quando Pontifex sciens votum alicuius de non acceptando Episcopatu absoluta voluntate vult eum fieri Episcopum, non est opus alio præcepto expressiori, nisi ad vincendam iniustam duritiem negantis promptam obedientiam, sed tenetur ille voto nõ obstante Episcopatum acceptare, nisi alias sit legitimè impeditus iuxtà supradicta circa responsionem ad secundum.

68 Sed ponamus, quod in Pontifice sciente votum alicuius sit voluntas, vt ille fiat Episcopus non quidem absoluta, sed tamen quantum sit ex parte Pontificis determinata, & quia ipse id gratum haberet, & iudicat quod valdè expediret, sed nihilominus ex causis sibi bene visis id non vult absolutè, & omnibus pensatis. Dico quod talis voluntas per se non obligat, per accidens verò ex lege alicuius alterius virtutis potest aliquomodo obligare. Primum patet, nam Deus voluntate conditionata quantum sit ex se ipso vult obseruantiam etiam cõsiliorum, & tamen non est obligatio ad obseruanda consilia. Voluntas igitur illa conditionata non obligat, sed habet vim consulentis, vel similis voluntatis. Secundum etiam explicatur, quia potest esse v. g vt ex virtute gratitudinis adsit obligatio non permittendi, vt Pontifex suo frustetur desiderio, seu vt nõ honoretur eius gratia, vel reijciatur. Neq; enim negari potest, quin ex circumstantijs possit esse casus, vt saltem sine aliqua leui culpa non possit electus reijcere Principis fauorem, dum ille præcipuè id quantum sit ex parte sui hoc desiderat. Quotiescumque igitur res ità se habet, vt nominatus ad Episcopatum à Pontifice omnibus in indiuiduo pensatis non potest sine aliqua culpa recusare Episcopatum, votum locum non habet, quia votum non est peccati fomentum.

69 Amplius ponamus casum, quod Pontifex sciens votum nominati à se ad Episcopatum, licet non habeat ex iusta causa voluntatem absolutam necessitantem illum ex virtute obedientiæ ad non recusandum illum, tamen pensatis pensandis absolutè iudicet, quod id est casus, in quo charitas & humilitas iuxta dicta supra circa corpus articuli obligant ad acceptandum Episcopatum, tunc ille ad acceptandum illum tenebitur, nec poterit tuta conscientia præferre iudicium suum iudicio Papæ. Idem dicendum si Papa pensatis pensandis iudicet illi melius esse Episcopatum nõ recusare. Quamuis enim in hoc casu non existente necessitate vel præcepti, vel charitatis non peccaret mortaliter recusando, quia non est peccatum mortale non facere meliùs, tamen posset non obstante voto acceptare Episcopatum, quia esset certus, quod acceptare illum esset melius, & votum non est impedimentum agendi, quod absolute in indiuiduo est melius. Vnde hoc dicendum est etiam vndequaque sit certus, quod melius est non recusare iniunctum sibi onus.

70 Di-

70 Dicitur igitur, quod quotiescumque nominatus à Pontifice sciente eius votum non potest recusare Episcopatum nisi peccando etiam venialiter, vel nisi imprudenter eligendo minus bonum, non tenetur recusare illum, immò recusando illum peccat, vel (si negatur esse peccatum eligere minus bonum in indiuiduo) saltem minus bene agit, & hoc est verum vniuersalissimè etiam in Religiosis Societatis; nam declaratio illa *p.9. c.4. L.B.* loquitur vbi non est obligatio acceptandi, vt patet in declaratione, ibi, *nam in huiusmodi casibus, vbi cessat obligatio, nō debet, nec potest &c.* Vbi verò non potest recusatio fieri sine peccato, vndecumq; hoc veniat, adest obligatio non recusandi. Et quatenus respectu melioris boni agendi non esset obligatio nihilominus est certum, quod votum non est boni melioris impeditiuum.

71 Verum altera ex parte ex simplici nominatione Pontificis facta de aliquo ad Episcopatum, nec arguitur in Pontifice absoluta obligandi voluntas, nec quod quantum sit ex se ipso determinate velit illum fieri Episcopum, nec quod cum indignatione sit accepturus, quod Episcopatus modestè recusetur, nec quod iudicet necessarium nominato acceptare Episcopatum, nec quod Papa iudicet absolutè, quod nominato sit melius acceptare Episcopatum, neque alia similia, vnde non maneat in nominato plena libertas ex causa rationabili recusandi Episcopatum modestè, & humiliter.

72 Vnde concluditur, quod habens votum non acceptandi Episcopatum, si potest illud recusare sine peccato, vel impedimento maioris boni, tenetur illum recusare. Et ad primum in oppositum dicitur, quod nulla j torsus est coactio vbi sine peccato liberè quis agere valet. Nec habet, vt recusando se vineat obediendo, cum nulla sit ad non recusandum præceptum obligans ad obediendum. Nec ex voluntate Papæ conditionata potest argui, nisi id specialiter exprimat, quod iudicet absolutè, & omnibus pensatis esse melius nominato habenti votum recusandi, vt non recuset. Nec est vnde dicatur superioris iussum velle, vt non recuset Episcopatum, qui habet votum ex parte sui recusandi, & potest sine peccato recusare.

73 Addo verò, quod cum in Pontifice non debeat præsumi voluntas iniusta, si, cum nominat ad Episcopatum habentem votum non acceptandi illum, verè intenderet illū obligare ad acceptandum, ex hoc iam illum dispensaret à voto, si votum obligaret.

74 Sed tandem iterum repeto ex *D. Thom. supra q.104 a.p. ad tertium & S. Greg. l.35. mor. cap.10.* vt si obedientiæ scientiam apprehendere veraciter nitimur, prosperis huius sæculi ex sola iussione, aduersis autem etiam ex deuotione militemus. Vnde est, quòd ex deuotione acceptare Episcopatum sine iussione non parum præsumptionis propriæ voluntatis habet, quamuis, vt ait *D. Thom.* coram Deo posset id ex vera deuotione procedere. Et in habente votum nō recipiendi, vbi non sit iussio erit ficta deuotio, & verum sacrilegium.

Econtrariò autem quæri potest.

SVMMARIVM.

1 *An quis possit vouere, se vel procuraturum, vel accepturum Episcopatum. n.75.*
2 *Materia voti est, quod est melius in indiuiduo. num.76.*
3 *Episcopatus regulariter vel non est appetenti melius, vel id non est certum. n.76.*
4 *Differentia inter Religionis statum, & Episcopatus expenduntur. n.76.*
5 *Quod procuratio Episcopatus non sit materia voti, non bene probatur ex eius sola sanctitate. num.77.*
6 *Ratio huius est, quia Episcopatus est onus etiam Angelicis humeris formidandum. n.77.*
7 *Per se Episcopatus potest esse materia voti. n.78.*
8 *Stante grauitate oneris, & fragilitate hominis, Episcopatus regulariter non est materia voti. n.79.*
9 *Facilius est vt possit voueri acceptatio Episcopatus num.80.*
10 *Potest dari casus in quo liceat vouere procurare Episcopatum. n.81.*

An quis licitè possit vouere se vel procuraturum vel acceptaturum Episcopatum?

75 SI enim Episcopatus est status perfectior, est etiam melior; melius autem bonum est materia voti.

76 Respondetur nihilominùs, materiam voti nō debere mensurari ex genere actionis secundùm se, sed proportionatè ad vires agentis, ideò materia voti non est id, quòd est melius secundùm se, & in specie, sed quòd melius est in indiuiduo, seu quod melius est vouenti. Nam quod est vouenti minus bonum, est vouenti malum, quia minus bonum, vt minus bonum non est bonum, sed malum, ideò non est materia voti. Modò sic est, quòd regulariter loquendo Episcopatus, vel non est quid melius respectu vouentis, vel non est certum quod sit quid melius, sed præsumptuosum id iudicare. Quod probatur ex differentijs, quæ sunt inter statum religionis, & statum Episcopatus. Primam ponit *Suarez lib.1. de stat. perfect. cap.18. num.9.* in hoc, quòd status religionis est status perfectionis acquirendæ, sed status Episc. directè est status perfectionis exercendæ, sed consequenter est status perfectionis augendæ, quia ex vsu perfectorū operum augetur perfectio. Sed hanc differentiam diximus supra non esse formalem. Quia licet Episcopatus, vt est officium directè ordinetur ad perficiendos alios per opera charitatis, quæ sunt opera perfectionis, tamen per se in ratione status directè ordinatur ad perfectionem Episcopi etiam acquirendam, quia licet Episcopatus aliquod perfectionis supponat in consecrando, non supponit tamen perfectionem, sed habitudinem ad hoc vt electus in Episcopum possit esse forma gregis, & pascere gregem verbo & exemplo. Ponit etiam secundam differentiam in hoc, quia status religionis non supponit perfectionem in eo, qui illum assumit

nam & peccatores maximi ad statum religiosum assumuntur, quia hic status est status pœnitentiæ. Sed Episcopatus supponit perfectionem in assumēte, vt probatur ex ex *Concil. Trid. sess. 6. cap. 1. de reformat. & ex Zosimo Papa epis. 1. & Hormisda ep. is. 3. capit. 1. & Cælest. epis. 2. cap. 1. & alijs decretis, quæ habentur dist. 61.* Sed & hæc differentia cum moderamine est intelligenda. Tum ex parte status religiosi, qui licet non excludat peccatores, neque tamen illos per se supponit, sed illi accidit quod assumens statum, vel sit pœnitens de recenti post crimina etiam maxima, vel sit perfectissimus; nec status mensurandi sunt à differentia termini à quo. Tum ex parte Episcopatus; quia per se præciso iure positiuo, validè ad Episcopatum assumi potest peccator de recenti etiam ad fidem conuersus ab idololatria. Nam & Ambrosius adhuc catechumenus validè & sanctè electus fuit in Episcopum Mediolanensem. Vnde per se simpliciter loquendo, nec Episcopatus perfectio attenditur ex termino à quo, sed ex termino ad quem, licet quia nemo de repente fit summus, & Episcopatus obligat ad opera maioris sanctitatis, quam status religiosus, ideò supponit etiam in assumente exercitium operum perfectorum. Propter quod ex iure positiuo statutæ sunt multæ qualitates, & perfectiones in assumendo ad Episcopatum, ex quibus etiam multæ sunt necessariæ ad melius esse, non simpliciter, vt est illa Concil. Trid. *Quorumq; prior vita atque omnis ætas ab exordijs vsque ad perfectiores annos per disciplina stipendia Ecclesiastica laudabiliter acta testimonium prebeat.* Nam ad Episcopatus assumuntur, qui etiam post virilitatem nomen Clericali militiæ dederunt, dummodò non sint infames, vel alio ex requisitis secundùm sacros Canones non careant.

77 Differentia igitur hæc debet accipi non tam ex sanctitate officij, & ex perfectione operum ad quæ ordinatur Episcopus, quam ex adiunctis periculis, & impedimentis quibus dignitas Episcopalis non caret. Primò enim Episcopus ex officio ordinatur quidem ad vitam adeo sanctam, vt sit fidelium exemplar, & quod maximū est, ad eius munera obeunda sæpius requiritur interior perfectio ex necessitate, quia ad celebrandum, & administranda Sacramenta v. g. requiritur status gratiæ. Verùm licet non tantum, vel ad tantam, tamen ad vitæ perfectionem exterius de præsenti habendam ordinatur etiam status religiosus, qui & ipse in Ecclesia est positus, vt sit in exemplar fidelium. Sed quod formaliter est considerandum hoc est, quod cum obligatio ad perfectionem sit omni homini communis, ex eo quòd Episcopatus magis ad perfectionē obligetur, non potest reddi ratio vnde nō sit appetibilis iuste & desiderabilis, & dignus vt nedū nec desideretur, sed nō procuretur; quia esse magis ac magis perfectum est quid, ad quod omnes aliquo modo obligamur ex præcepto diligendi Deum sine mensura. Punctum est, quòd maiori perfectioni annexa est maior difficultas tum ex conditione naturæ, tum ex annexis Episcopatui, scilicet ex diuitijs, & gradu honoris, & sublimitatis. Ex conditione nostræ infirmitatis absolutè oritur difficultas, ex resistentia carnis ad vigilias, labores, occupationes, studia, quę officio Episcopatus annexa sunt. Eò magis quòd pro alijs laborare, & incommoda somni, ieiunij, quietis, & tranquillitatis sufferre est res sensualitati valde difficilis. Huic verò difficultati si addatur aliqua mala consuetudo, & quia homo non est in virtutibus exercitatus, sed habet habitum faciliùs peccandi, & est assuetus post pœnitentiam iterum, ac iterum cadere, iam est secudùm Dei ordinariam prouidentiam ineptus, & incapax pro tunc ad vitam perfectam, & vix est in statu incipientium; Vnde perfectio Episcopalis status, ad quam scilicet Episcopus est obligatus est illi valde difficilis. His adduntur pericula quæ ex abundantia diuitiarum oriuntur, & ex sublimitate gradus, ad quæ euitanda specialis valde gratia, & duplex Eliæ spiritus tanquam in Eliseo requiritur, quæ hominem iam ex prioribus donis in perfectione virtutum firmatum, aliquo modo & roboratum adiuuet, & dirigat ne vel ad dissolutionem vitæ eū trahant diuitiæ, vel in superbiā eum extollat gradus altitudo. Ideo propriam rationem huius nostri puncti reddidit *Concil. Trident. sess. 6. cap. p.* de *reform.* in illis verbis. *Onus angelicis humeris formidandum.* Onus enim Episcopale est grauissimum. & quod humeros Angelicos requirat, & ideo non habenti vires huiusmodi ad illud portandum tale onus non est melius, sed est occasio ruinæ tam sui, quàm aliorum.

78 Dicitur ergo primò: Quòd secundùm se, & per se loquendo, officio Episcopatus non repugnat esse materiam voti. Vnde vouere Episcopatum non est per se & intrinsecè malum. *Suarez loco citato numer.* 12. Nam officium Episcopatus est optimum & ex suo genere maximæ perfectionis.

79 Dicitur tamen secundò, quòd stantibus annexis Episcopatui, & imperfectione hominis, seu eius indispositione & debilitate ad tantū onus portandum, regulariter & ordinariè, & ideo per se moraliter nō licet vouere Episcopatum, quia nec licet illud desiderare, *Suarez ibid.* Nec obstat quod sit status optimus, & ideò melius bonum, quia non est melius assumenti, vel saltem sine præsumptione homines regulariter non possunt iudicare se esse aptos ad tale munus dignè, & laudabiliter obeūdum. Status verò Religionis est materia voti, quia regulariter est melior etiam respectu omnium; quia obligat ad ea quæ ad perfectionem adiuuant, & remouet perfectionis impedimenta. Quàmuis & hic status possit esse aliquibus non melior, vnde nec possit esse materia voti respectu illorum.

80 Dicitur tertiò faciliùs posse contingere, vt quis licitè & validè voueat acceptare Episcopatū, *Suarez ibid. num.* 12. Et ratio est, quia tunc cessat periculum præsumptionis, cum iudicium de idoneitate personæ superiori relinquatur. Vnde si aliàs ablata sint pericula, quæ ex annexis, vel præsuppositis Episcopatui oriuntur, iam respectu talis personæ Episcopatus à Superiore oblatus est de meliori bono.

81 Dicitur quartò, dari posse casum, in quo quis licitè & validè possit vouere procurare Episcopatum. Nam si Episcopatus non habeat adiūctas diuitias, & delicias, sed paupertatem & labores, sitque in loco vbi eo titulo quis maioribus persecutionibus & ignominijs infidelium subditur & euidentiori mortis periculo exponitur, quo

Epis-

Episcopus, & sit magna Ecclesiæ necessitas, & vix inueniatur dignus, qui oneri humeros supponere velit, & persona non habeat conditiones Episcopatui repugnantes, nec vnde probabiliter se iudicet ineptum ad munera Episcopalia. Tunc se offerre esset opus perfectionis, & posset esse materia voti, & nec ad hoc sunt omnes conditiones præfatæ necessariæ, & nedum loquendo de Episcopatibus, qui sunt in Regnis Turcarum, vel Ghinarum, vel Iaponiorum, sed etiam de illis, qui habent pingues redditus in partibus Christianorum, ex conditione personæ, & regnorum, & temporum; & accidentibus occurrentibus potest dari talis casus, vt offerre se Episcopatui sit opus perfectionis, quia & hoc potest esse aliquando nedum medium vtile, sed necessarium ad quietem publicam, & ad Ecclesiæ pacem, & tranquillitatem, dummodo promouendus non habeat qualitates officio repugnantes, sed sit capax illius. Huiusmodi autem casus magis in singulari distinguere, alterius est tractatus. Nunc enim sufficit ostendisse, quomodo stante quòd Episcoparus sit status perfectissimus, non tamen per se moraliter est materia voti ratione annexi periculi, & difficultatis.

ARTICVLVS III.

Vtrum oporteat eum, qui ad Episcopatum assumitur, esse cæteris meliorem?

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod oporteat eum, qui ad Episcopatum assumitur, esse cateris meliorem, Dominus enim Petrum, cui commissurus erat pastorale officium, examinauit, si se diligeret plus cateris. Sed ex hoc aliquis melior est, quod Deū plus diligit. Ergo videtur, quod ad Episcopatum non sit assumendus, nisi ille, qui est cateris melior.

hab. q. [illegible] vilis. [illegible] 2. *Praterea, Symmachus Papa dicit, Vilissimus computandus est, nisi scientia & sanctitate pracellat, qui est dignitate prastantior. Sed ille qui pracellit scientia & sanctitate, est melior. Ergo non debet aliquis ad Episcopatum assumi, nisi sit cateris melior.*

3. *Praterea, In quolibet genere minora per maiora reguntur, sicut corporalia reguntur per spiritualia, & inferiora corpora per superiora: vt Aug. dicit in 3. de Trin. Sed Episcopus assumitur ad regimen aliorum. Ergo debet esse cateris melior.*

Sed contra est, quod decretalis dicit, quod sufficit eligere bonum, neque oportet eligere meliorem.

[Margin notes: ·5·4·10·3· — In dece lib. [illegible] c. [illegible] est 7 in [illegible]]

Respondeo dicendum, quod circa assumptionem alicuius ad Episcopatum, aliquid considerādum est ex parte eius qui assumitur, & aliquid ex parte eius qui assumit. Ex parte enim eius qui assumit, vel eligendo vel prouidendo, requiritur quod talem eligat, qui fideliter diuina mysteria dispenset: qua quidem dispensari debent ad vtilitatem Ecclesia: secundum illud prima Cor. 14. Ad adificationem Ecclesia quarite, vt abundetis. Non autem diuina ministeria hominibus committuntur propter eorum remunerationem, quam expectare debent in futuro. Et ideo ille, qui debet aliquem eligere in Episcopum, vel de eo prouidere, non tenetur assumere meliorem simpliciter, quod est secundum charitatem: sed meliorem quo ad regimen Ecclesia: qui scilicet possit Ecclesiam & instruere, & defendere, & pacifice gubernare. Vnde contra quosdam Hieronymus dicit, quod quidam non quarunt eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscunt Ecclesia prodesse: sed quos plus ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs deliniti vel dediti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit, & (vt deteriora taceam) qui vt clerici fierent, muneribus impetrarunt. Hoc autem pertinet ad acceptionem personarum, qua in talibus est graue peccatum. Vnde super illud Iacobi secundo, Fratres mei, nolite in personarum acceptione, & catera, dicit glossa Augustini, Si hanc distantiam sedendi, & standi ad honores Ecclesiasticos referamus, non est putandum leue esse peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini gloria. Quis enim ferat eligi diuitem ad sedem honoris Ecclesia, contempto paupere instructiore & sanctiore? Ex parte autem eius qui assumitur, non requiritur, quod reputet se alijs meliorem, (hoc enim esset superbum & prasumptuosum) sed sufficit quod nihil in se inueniat, per quod illicitum ei reddatur assumere pralationis officium. Vnde licet Petrus interrogatus esset, an Dominum plus cateris diligeret, in sua responsione non se pratulit cateris, sed simpliciter respondit, quod Christum amaret.

[Margin notes: sup. illud ad Tit. 1. & constituas per ciuitates presbyteros, to. 9 — glo. sup. [illegible] Aug. in ep. 29. ad [illegible] [illegible] ad fin. [illegible] to. 2.]

Ad primum ergo dicendum, quod

Dominans in Petro sciebat ex suo munere esse idoneitatem, etiam quantum ad alia, gubernandi Ecclesiam. Et ideo eum de ampliori dilectione examinauit, ad ostendendum quod vbi alias inuenitur homo idoneus ad Ecclesiæ regimen, præcipuè attendi debet in ipso eminentia diuinæ dilectionis.

p. 2. c. 10. in fine.

Ad secundum dicendum, quod auctoritas illa est intelligenda quantum ad studium illius, qui in dignitate constitutus est. Debet enim ad hoc intendere, vt talem se exhibeat, vt cæteros & scientia & sanctitate præcellat. Vnde Gregor. dicit in Pastorali, Tantum debet actionem populi, actio transcendere præsulis, quantum distare solet à grege vita pastoris. Non autem sibi imputandum est, si ante prælationem excellentior non fuit, vt ex hoc debeat vilissimus reputari.

Ad tertium dicendum, quod sicut dicitur prima ad Corinthios duodecimo, Diuisiones gratiarum & ministrationum, & operationum sunt. Vnde nihil prohibet aliquem esse magis idoneum ad officium regiminis, qui tamen non excellit in gratia sanctitatis. Secus autem est in regimine naturalis ordinis, in quo id quod est superius ordine naturæ, ex hoc ipso habet maiorem idoneitatem ad hoc quod inferiora disponat.

SVMMARIVM.

1 *Quæ hic explicanda. n. 1.*
2 *Conclusio artic. n. 2.*
3 *Qualitates eligendi. n. 3.*
4 *Episcopatus non dandus in remunerationem n. 4.*
5 *Cæteris paribus præferendi, qui magis Ecclesiæ inseruierunt. n. 4.*
6 *Nullus ex iustitia commutatiua potest prætendere Episcopatum. num. 4.*
7 *Episcopus debet esse melior & sanctior actiuè non passiuè. n. 5. 6.*
8 *Criminosi non eligendi. n. 6.*
8 *Non eligere meliorem est iniustissimum sacrilegium. num. 7.*
9 *Electus si non est indignus potest consentire, nec tenetur se meliorem iudicare. n. 8.*
10 *Procurans absolute Episcopatum debet esse melior. num. 9.*

1 QVoniam dū pro commentario huius articuli laborarem, venit mihi in mētem coadunare principaliora, & magis necessario scienda circa materiā Electionis Canonicæ, sed dum illa ordinare vellem, cognoui melius esse tractatum integrum complere, cum apud Regulares, & præcipuè apud Religiosos Ord. Prædicatorum quem indignus profiteor, & in quo etiam Superiores locales canonice eliguntur, cognitio plena eorum, quæ ad Electionem Canonicam spectant sit summe necessaria. Eo autem completo, & ad instantiam multorum jam prælo mandato, pauca supersunt hic adnotanda, cum totus ille tractatus non sit nisi huius articuli Commentarium. Solum igitur aliqua indicabo, quæ vberius explicata habentur in dicto tractatu.

2 Conclusio huius articuli bimembris est, quod eligens vel prouidens aliquem de Episcopatu debet eligere meliorem ad regimen. Sed qui assumitur non tenetur se iudicare alijs meliorem.

3 De qualitatibus eligendi in Episcopū tractaui diffuse in *d. opere cap. 25.* Illæ vero multæ sunt, quarum aliquæ sunt de iure positiuo, & aliæ de iure naturali diuino. De iure enim naturali diuino solus vir, & non fœmina ordinari potest, & vir debet esse præditus vsu rationis expedito & scientia rerum diuinarum, & iuris Ecclesiastici, & prudentia, & tali ac tanta morum perfectione, quæ sufficiat ad hoc vt possit fideliter diuina ministeria dispensare, & plebem regere pacifice. Et bene *Caiet.* aduertit quod officium Epis. in tribus consistit, quæ sunt instruere, defendere, & pacifice gubernare Ecclesiam. Ad hujusmodi vero effectum præcipue necessaria sunt, quæ enumerat *Paulus in p. ad Tim. 3. & ad Titum cap. 1.* Et quæ in prima illa conditione epiloganturs, scilicet *opportet Episcopum irreprehensibilem esse.* Impedimenta autem iuris positiui reducuntur ad censuram; vel ad irregularitatem, quæ est canonicum impedimentum ad ordines suscipiendos; vel ad ministrandum in illis aut ad aliquam aliam pœnam priuationis vocis, & inhabilitatis. Præter requisita autem ad Sacerdotij Ordinem, requiruntur in Episcopo ætas triginta annorum, *cap. quicumque 77. dist. cap. cum in cunctis de elect.* Quod per sex menses ante fuerit Sacris Ordinibus initiatus, *Concil. Trid. sess. 22. cap 2. de refor. 3.* quod sit Doctor vel licentiatus in Sacra Theologia, vel iure Canonico, vel sufficienti attestatione iudicatus scientia præditus. *Concil. Trid. sess. 22. c. 2. de refor.* Circa quam conditionem non facile admiserim, quod multis citatis sentit *Barbosa de off. Epis. p. 2. alleg p. num. 30.* scilicet præferendum esse Canonistam Theologo, etiam maxime vbi non vigent hæreses. Nam Episcopus est fidei minister, & ex Theologia nedum mysteria speculatiua, sed quæ ad mores spectant abundanter habet, & quæ ad forum contentiosum & externam iurisdictionem spectant sufficienter per vicarium exercentur, sufficiente in Episcopo aliquali notitia iuris positiui contentiosi, quam etiam vt Theologus habere potest, & Canonum intelligentia non nisi ex principijs Theologiæ perfecte habetur. Quarto ad Episcopum requiritur, quod eius anteacta vita & omnis ætas a puerilibus exordijs Ecclesiastice & laudabiliter acta testimonium præbeat. *c. miramur 61. distin. 3. Conc. Trid. sess. 9. cap. 1. de reformat.* Vnde modo laicus, vel Neophytus ordinari non potest in *Epis. cap. hoc ad nos 59. dist. & cap. miramur, & cap. miserum, & cap. statuimus 61. dist. & cap. exigunt 52. quæst. 7.* Nihilominus propter merita personarum dispensatur cum laicis, vel Neophytis vt possint postulari, & assumi ad Episcopatum, sic enim San-

ctus

ctus Nicolaus, & B. Seuerus ex laicis, & SS. Ambros. Martin. & Aug. ex Neophytis assumpti fuerunt in Episcopos, *cap. Osius, & cap. Neophytus 61. dist.* 4.

4 Quod hic dicitur, scilicet quod Episcopatus non debet dari in remunerationem, intelligitur principaliter; quia primo debet quæri idoneitas ad officium, non vero remuneratio accepti seruitij vel beneficij. At supposita æquali idoneitate, remunerandi sunt illi, qui magis in minoribus ordinibus & ministerijs Episcopo inseruierunt. Sic enim Cælestinus Papa *cap. quid proderit dist. 61. dicebat. Quid proderit per singula stipendia clericos militasse, si ij, qui futuri sunt sacerdotes, ex laicis requirantur, qui vacantes seculo omnem Ecclesiasticum ordinem nesciunt &c.* & addit. Sacerdotium non debere inter cætera ministeria in hoc vilius reputari, vt quod difficilius impletur, facilius imbuatur. Sicuti ergo Episcopatus altitudo exigit, vt assumendi prius in Ecclesiastica Schola praxim adiscant agendorum inseruiendo Episcopis; ita ordo requirit, vt vbi qui ista prudenti seruitute & disciplina edocti non minus idonei euaserunt non postponantur alijs, qui Ecclesiæ vel non inseruierunt, vel non tantum, & sic vbi cætera sint paria, laudabile est vt detur remunerationi locus & præcipue præferantur, qui Ecclesiæ inseruierunt. Nullus tamen ex iustitia commutatiua potest Episcopatum prætendere, quantumcumque sit dignus, & dignissimus.

5 Non est obligatio assumendi meliorem simpliciter; nā ille est melior simpliciter, qui alios præcedit interiori sanctitate, quæ præcipue consistit in excellentia charitatis. Hic tamen excessus non est ille qui principaliter quæritur in Episcopo. Et ratio est, quia Episcopatus essentialiter & principaliter est officium à Christo institutum ad sanctificandos proximos, ideo cum aliquis possit esse magis sanctus passiue quia maiori sanctitate sanctificatus, & actiue, quia magis aptus ad alios sanctificandos, neque illi excessus in sanctitate sint per se connexi, quia vt dicitur hic ad tertium Diuisiones gratiarum sunt. 1. *Cor.* 12. Vnde contingere potest vt pollens interiori sanctitate, vel ob infirmitatem, vel ob defectum scientiæ vel ob inexperientiam prudentiæ gubernatiuæ sit minus aptus ad alios sanctificandos; ideo ad Episcopatus officium requiritur maior sanctitas actiue, nimirum assumēdus in Episcopum debet esse sanctior actiue, magis scilicet aptior ad plebem instruendam, defendendam, & pacifice regendam.

6 Debet ergo Episcopus esse melior ad regimen. Magnum est hoc, & grande onus eligentium, vel prouidentium de Episcopatu, vt teneantur ad eligendum meliorem quoad regimē Ecclesiæ. Episcopus ergo dicitur esse bonus bonitate simpliciter, vnde peccator est ineligibilis, vt ait *Caiet.* scilicet si sit impœnitens & quidem ad presbyteratus ordinem promoueri non possunt criminosi, & qui notorie permanent in peccato mortali, & publice cōcubinarij, aut fornicarij, & multo magis vsurarij, & simoniaci & infames. *cap. ex tenore cap. ad aures, de tempor. ordinat. cap. final. de cohabit cleric. cap. præter hoc. dist. 32. cap. sanctum 7. quæst. 1. & Concil. Trid. sess. 25. de refor. cap. 14.* Sicut & prohibentur ordinari solemniter pœnitentes. *cap. ex pœnitentibus. cap. illud. c. maritum. 33. dist.* quod intelligitur etiam pœnitentia peracta. *Barbosa de off. Epis. p. 2. alleg. 10. num. 42.* multo magis illicitum esset huiusmodi promouere ad Episcopatum. Præterea vero assumendus in Episcopum nedum debet esse idoneus, sed comparatiue ad omnes alios, qui haberi possunt magis idoneus ad Ecclesiæ regimen.

7 Non eligere autem meliorem ad Episcopatum est peccatum acceptionis personarum, & ideo directe contra iustitiam distributiuam. Non per hoc tamen credendum est, quod hoc peccatum sit solum contra iustitiam distributiuam, sed est simul contra virtutem Religionis, ex qua oritur necessitas, vt in eligendis ministris ad Dei cultum, attendatur maior dispositio, & cōtra fidelitatē officij & iustitiā quæ Christo debetur & per illum Ecclesiæ, vt ij ad quos pertinet, officia ad vtilitatem Ecclesiæ dispensent. Ideo violare iustitiam distributiuam in ijs, quæ ad materiam Religionis, & ad Dei cultum pertinent simul est iniustissimum sacrilegium. Sed tamen tota huius peccati malitia sufficienter exprimitur dicendo, quod est peccatum acceptionis personarum in eligendo ad Episcopatum, quod est officium per se & directe ad Dei cultum promouēdum ordinatum Cuius peccati grauitas ex author. Hier. & Aug probatur in textu.

8 Humilitatis vero securitas est, vt qui est ad Episcopatum assumptus, si non habet impedimentum reddens se indignum, secure sine scrupulo cōsentire possit Electioni, seu assumptioni, nec est necesse quod ipse iudicet se alijs meliorem, quia hoc esset in eo potius præsumptuosum, & superbum, & digna est *D. Thomæ* consideratio circa responsiones datas a Petro, & Christi interrogationes. Christus enim interrogat comparando, an Petrus se diligat plusquam alij, sed Petrus non se alijs præfert, sed absolute respondet, tu scis quia amo te. Eligentis, vel promouentis ad Episcopatum est quærere meliorem, & magis Christum amantem; sed assumendi est considerare solum an sit dignus, & an Christum amet comparatione ad aliorum amorem relicta.

9 Sed quod hic dicitur de acceptante Episcopatum, non conuenit procuranti; Nam qui se proprio motu ingerit, & offert Episcopatui, debet considerare an sit melior quia melior est eligendus, & assumendus. Quod intellexerim de eo, qui magnis precibus, vel quadam vi Episcopatum procurat, non vero de illo, qui conditionate agit remittens se iudicio Eligentium, vel Superioris, & eos in sua libertate relinquens, vt de meliori omnino fiat electio.

SVMMARIVM.

1 *Supposita æquali idoneitate sanctior præferendus. num. 10.*

10 QVia dictum fuerat in corpore attendi debere præcipue idoneitatē ad regimē Ecclesiæ, hoc explicatur in hac responsione ad primū, quia scilicet ita debet eligi magis idoneus, quod supposita æquali idoneitate debet eligi magis sanctus. Ideo enim Christus de maiori dilectione Petrum interrogauit, quia Petrum idoneum supposuit,

fuit, & supposita idoneitate, ille est melior & eligendus, qui est sanctior, & magis Deum d ligit,

SVMMARIVM.

12 *Episcopus debet procurore, vt sit alijs sanctior omnium.* 11.

11 IN responsione ad secundum habetur, quod in Episcopo aliud est, quod est finis, seu terminus ad quem; & aliud est, quod est initiũ, & terminus a quo. Non est necesse in assumendo ad Episcopatum quod actu sit sanctior, sed factus Episcopus debet studere vt alios sanctitate & doctrina præcellat,

ARTICVLVS IV.

Vtrum Episcopus posit licitè curam Episcopalem deserere, vt ad Religionem se transferat?

super q. 184. art. 6. cor. & fit ar fr. q. 189 ar. 7. cor.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod Episcopus non possit licitè curam Episcopalem deserere, vt ad religionem se transferat. Nulli enim licet de statu perfectiori ad minus perfectum statum transire. Hoc enim est retro respicere: quod est damnabile, secundum Domini sententiam, dicentis Lucæ nono, Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Sed status Episcopalis est perfectior, quam status Religionis, vt supra habitum est. Ergo sicut non licet de statu Religionis redire ad sæculum, ita non licet de statu Episcopali ad Religionem transire.

q. 184. a. 7. (margin)

2. Præterea, Ordo gratiæ est decentior, quam ordo naturæ. Sed secundum naturam non mouetur idem ad cõtraria: puta, si lapis naturaliter deorsum mouetur, nõ potest naturaliter a deorsum redire in sursum. Sed secundum ordinem gratiæ licet transire de statu Religionis ad statum Episcopalem. Ergo non licet econuerso de statu Episcopali redire ad statum Religionis.

3. Præterea, Nihil in operibus gratiæ debet esse otiosum. Sed ille qui est semel in Episcopum consecratus perpetuo retinet spiritualem potestatẽ conferendi ordines, & alia huiusmodi faciendi, quæ ad Episcopale officium pertinent: quæ quidem potestas ociosa remanere videtur in eo qui curam Episcopalẽ dimittit. Ergo videtur, quod Episcopus non possit curam Episcopalem dimittere, & ad Religionem transire.

Sed contra, Nullus cogitur ad id quod est secundum se illicitum. Sed illi qui petunt cessionem à cura Episcopali, ad cedendum compelluntur: vt patet extra, de renunciatione, capitulo, Quidam. Ergo videtur, quod deserere curam Episcopalem, non sit illicitum. In lib. 1. decr. tit. 9. ca. 12. quidam.

Respondeo dicendum, quod perfectio Episcopalis status in hoc consistit, quod aliquis ex diuina dilectione se obligat ad hoc, quod saluti proximorum insistat. Et ideo tamdiu obligatur ad hoc, quod curam pastoralem retineat, quãdiu potest subditis sibi commissis proficere ad salutem: quam quidem negligere non debet, neque propter diuinæ contemplationis quietem (cum Apostolus propter necessitatem subditorum etiam à contemplatione futuræ vitæ se differri patienter toleraret, secundum illud ad Philippenses primo, Ecce, quid eligam ignoro. Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne necessariũ est propter vos, & hoc confidens scio, quia maneho:) neque propter quæcumque aduersa vitanda, vel lucra conquirenda: quia sicut dicitur Ioannis decimo, Bonus pastor ponit animam suam pro ouibus suis. Contingit tamen quandoq; quod Episcopus impeditur procurare subditorum salutem multipliciter. Quandoque quidem propter defectum proprium, vel conscientiæ, sicut si sit homicida, vel simoniacus: vel etiã corporis, puta si sit senex vel infirmus: vel etiam scientiæ, quæ sufficiat ad curam regiminis: vel etiam irregularitatis, puta si sit bigamus. Quandoque autem propter defectum subditorum, in quibus non potest proficere. Vnde Gregorius dicit in secundo dial. Ibi æquanimiter portandi sunt mali, vbi inueniuntur aliqui, qui adiuuentur boni. Vbi autem omnino fructus de bonis deest, fit aliquando de malis labor superuacuus. Vnde sæpe agitur in ani- c. 1. à me. illius.

mo

mo perfectorum, quod cum laborem suum sine fructu esse considerant, in loco alio ad laborem cũ fructu migrant Quandoque autem contingit ex parte. aliorum, puta, cum de prælatione alicuius persona scandalum suscitatur. Nam vt Apostolus dicit: ad Corinth. 8. Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum. Dum tamen scandalum non oriatur ex malitia aliorum volentium fidem aut iustitiam Ecclesia conculcare. Propter huiusmodi enim scandalum non est cura pastoralis dimittenda, secundum illud Matth. 15. Sinite illos, (scilicet qui scandalizabantur de veritate doctrina Christi) caci sunt, & duces cacorum. Oportet tamen, quod sicut curam regiminis assumit aliquis per prouidentiam superioris Pralati, ita etiam per eius auctoritatem ex causis prædictis deserat susceptam. Vnde extra de renunciatione dicit Innocentius Tertius. Si pennas habeas, quibus satagas in solitudinem auolare, ita tamen stricta sunt nexibus praceptorum, vt liberum non habeas absque nostra permissione, volatum. Soli enim Papa licet dispẽsare in voto perpetuo, quo quis se ad curam subditorum adstrinxit, Episcopatum suscipiens.

in decr. li. 1. tit. 9. c. 10. in fin. incipit hæc nisi cum pridẽ

Ad primum ergo dicendum, quod perfectio religiosorum, & Episcoporum, secundum diuersa attenditur. Nam ad perfectionem religionis pertinet studium, quod quis adhibet ad propriam salutem. Ad perfectionem autem Episcopalis status pertinet adhibere studium ad proximorum salutem. Et ideo quamdiu potest esse aliquis vtilis proximorum saluti, retrocederet, si ad statum Religionis vellet transire, vt solum sua saluti insisteres, qui se obligauit ad hoc quod non solum suam salutem, sed etiam aliorum procuraret. Vnde Innocentius Tertius dicit in Decretali prædicta, quod facilius indulgetur, vt monachus ad præsulatũ ascẽdat, quam præsul ad monachatum descendat: sed si salutem aliorum procurare non possit, conueniens est vt sua saluti intendat.

in decr. li. 1. tit. 9. c. 10. nisi cũ pridẽ, d. v. declinando ad fin.

Ad secundum dicendum, quod propter nullum impedimentum debet homo pratermittere studium sua salutis quod pertinet ad Religionis statum. Potest autem esse aliquod impedimentum procuranda salutis alienæ: & ideo monachus potest ad statum Episcopatus assumi, in quo etiam sua salutis curam agere potest. Potest etiam Episcopus, si impedimentum aliena salutis procuranda interueniat, ad Religionem trãsire, & impedimento cessante potest iterato ad Episcopatum assumi, puta per correctionem subditorum, vel per sedationem scandali, vel per curationem infirmitatis, aut depulsa ignorantia per instructionem sufficientem; vel etiam si simoniacè sit promotus eo ignorante, si se ad Regularem vitam Episcopatu dimisso transtulerit, poterit iterato ad alium Episcopatum promoueri. Si vero aliquis propter culpam sit ab Episcopatu depositus, & in monasteriũ detrusus ad pænitentiam peragendam, non potest iterato ad Episcopatum reuocari. Vnde dicitur septima quæstione prima. Præcipit sancta synodus, vt quicumque de Pontificali dignitate ad monachorum vitam, & pænitentia descenderit locum, nequaquam ad Pontificatum resurgat.

7. q. 1. c. hoc nequaquam.

Ad tertim dicendum, quod etiam in rebus naturalibus, propter impedimentum superueniens potentia remanet absque actu, sicut propter infirmitatem oculi cessat actus visionis. Et ita etiam non est inconueniens, si propter exterius impedimentum superueniens, potestas Episcopalis remanet absque actu.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit renunciatio. n. 1.*
2 *Quilibet potest renunciare Prælaturæ. n. 1.*
3 *Prælatura non renunciatur sine iusta causa. num. 1.*

1 TRactatur in hoc articulo de dimissione Episcopatus, seu renunciatione. Est vero renunciatio rei vel iuris proprij libera & legitima refutatio, seu dimissio. *cap. quam periculosum. 7. quæst. 1. Angelus, Syluester, Tabien. Armilla, & alij summistæ. v. renunciatio D. Anton. 3. p. tit. 1 0. cap 5. Paris. l. 1. de resig. 1. num. 34.* Quamuis vero dicatur, quod vnusquisque potest renunciare officio, seu Prælaturæ, quam habet, vt colligitur ex *Io: Andr. in rubr. de renunc. Bald. in cap. cum omnes num. 24. de constit. Rota decis. 26. in fin. de procurat. & dec. 31. num. 4. de re iudicata in antiquis, Paris. plures referens l. 3. de resign. quæst. 1. in princ. Tambur. de iure Abbat. p. p. disp. 23. quæst. 1. num. 1. Lezana v. renunciatio num. 2.* Quia quilibet potest renunciare iuri suo, *l. si quis in conscribendo C. de pactis. Archid. in can. quam periculosum 7. quæst. 1. num. 4. & in can.*

denique

tiam facere, nec conuenit in hoc & postulato & Superioris iudicio præiudicari. *Panorm. num. 2.* Quod non habet locum in renunciatione, & ideo renuncians re adhuc integra, idest antequam admittatur renunciatio, potest pœnitere *Rota decis. 2. in fin. & dec. 3. num. 2. de renunc. Sarnen. & Petrus Gregor.* quos sequitur *Garz. l. 11. de Benef. cap. 3. num. 227.*

6 Distingui autem debet, an licentia petatur per procuratorem, vel nuncium, vel potius per ipsum cedentem. Nam si petitur per procuratorem potest quidem procurator reuocari, & immo præsentata petitione, & nondū data licentia, potest cedens pœnitere, & postulationem reuocare. Sed si cedens reuocet nunciū, seu procuratorem, & hæc reuocatio nulli sit manifestata ante licentiam obtentam, scilicet nec procuratori nec Superiori ad quem spectat licentiam cedendi concedere, obtenta licentia valet, & cedens pœnitere non potest, nisi per ipsos procuratorem scilicet, & illum in cuius manibus debebat cedi beneficium, aut per alium maliciose factum fuerit, quominus ad eos, vel ad eorum alterum reuocatio peruenerit. *Clem. cum illusio, de renunciat. Panorm. d. cap. quidam n. 2. Lezana v. renunciatio num. 12, D. Anton. 3. par. tit. 19. cap. 5. § 1.*

7 Sed si præsentata postulatione Papæ, ille respondet, cedendi debet Papæ respōsio. Nam si Papa astruiendo petitioni consentit cessioni nulla iam remanet pœnitendi facultas, quia immo qui licentiam cedendi Episcopatui, vel beneficio petijt, non est amplius Episcopus illius Ecclesiæ, vel beneficiatus. *Innocent. & Panormit. ibid.* Sed si Papa remittit postulantis conscientiæ cedere, vel non cedere, pœnitere potest. *cap. nisi cum pridem, eod. titulo.* Vel Papa committit alicui, vt videat an expediat cessionem admittere, & tunc non admittitur cessio nisi facta inquisitione de prædictis. *Panormit. num. 2.* Vel qui cedere vult non postulat licentiam cedendi in manibus Papæ, sed in manibus cuiusdam, cui Papa id committit. *Innoc. & Panormit.* hic est casus istius decretalis, & obtenta licentia, non potest qui obtinuit amplius pœnitere. Vnde hic aduertendum est, an quis postulet cedere Episcopatui in manibus Papæ, vel in manibus eius, cui Papa id commiserit. In primo casu idem est petere licentiam cedendi, & cedere, quia qui absolute, & sine conditione petit licentiā cedendi ex hoc in cessionem consentit quantum sit ex se ipso absolutè & sine conditione, quod est absolutè cedere. Et ideò si Papa absolutè annuit petitioni, iam postulans licentiam cedendi habuit, & non est amplius Episcopus, & solum si Papa absolutè non assentit, sed remittit negotium conscientiæ cedentis, potest ille ex rationabili causa non cedere, & si remittit negotiū arbitrio alterius præmissa informatione non admittitur cessio nisi informatione præmissa. Sed si non est petita licentia cedendi in manibus Papæ, sed in manibus alterius, cui Papa commiserit, tunc obtenta licentia cedendi non potest cedens variare & pœnitere, sed cogendus est cedere.

8 Ad secundam autem difficultatem, in qua quærebatur, quæ sint personæ comprehēsæ sub hac decretali, duplex intrat dubium resoluendum. Primum est an decretum sit vniuersale ad omnes beneficiatos. Secundum an habeat locum respectu licentiæ à quocumque Superiori obtentæ. Ad primum respondetur aliud dicendum esse de iure cōmuni, & aliud de praxi. Nam de iure cōmuni quilibet beneficiatus sub dicta decretali cōprehenditur, & ideò qui petit licentiam cedendi beneficio simplici, siue curato, siue dignitati, etiam Episcopatui, etiam Archiepiscopatui, & cuicumque Prælaturæ post obtentam cedendi licentiam non potest pœnitere. Decretalis enim generaliter loquitur nulla facta distinctione, aut exceptione, & ratio, qua mouetur generalis est, quia nimirum merito præsumitur, quod qui petit, ad petendam licentiam motus fuerit ex motiuo spectante vel ad commoditatem Ecclesiæ cui vult cedere, vel ad sui salutē, & quod ab hoc motiuo nō recedat nisi vel ab illis, qui quærunt quæ sua sunt persuasus, vel ex propria leuitate. Quod quidem, locū habet etiam in petētibus licentiam cedendi Episcopatui, vel Archiepiscopatui, aut cuicumque Ecclesiæ, seu Prælaturæ. Et ita in hoc vniuersali sensu textum hunc interpretati sunt DD. communiter, quos abunde refert *Paris. lib. 3. de resignat. benef. q. 18. num. 59.* quem sequitur *Barbosa ad d. cap. quidam num. 2* Vbi ex eodem *Paris num. 63.* ampliat, vt conclusio vera sit de licentia quomodocumque petita, & obtenta, siue per se ipsum, siue per alium de mandato tamē beneficiati & *nu. 64. idem Paris.* bene addit eandem conclusionem valere etiam si per obtentam licentiam nulli fuerit ius quæsitum, nam siue hoc ius fuerit alteri quæsitum, vel nō quæsitum, post obtētam licentiam non licet pœnitere, sed qui licentiam obtinuit cogitur renunciare.

9 Sed loquendo de consuetudine distinguendum est, nam beneficiorum, & dignitatum alia, sunt Consistorialia, quæ scilicet expediuntur in Consistorio, vnde & eorum cessiones in Consistorio admittuntur, alia verò sunt non consistorialia, quia extra Consistorium expediuntur. De illis verò beneficijs non consistorialibus hæc est praxis Curiæ Romanæ, vt post obtentam licentiam cedendi liceat pœnitere donec consensus cedentis fuerit extensus in Camera, vel in Cancellaria. *Paris. d. q. 18. num. 67. Barbosa vbi sup.* Talem enim esse praxim Romanæ Curiæ, vt liceat pœnitere ante præstitum consensum formalem in Camera, vel in Cancellaria, etiam post signatam supplicationē habetur, ex *Rota apud Mohed. decis. 5. numer. 1. de renunciat. Put. decis. 111. numer. 3.* & ita vt consensus alibi datus sit nullus. *Put. decis. 160. numer. 6. lib. 2. Barbosa vbi supra num. 3.* Sic enim attentis nouis regulis Cancellariæ seruatur de stylo, vt alijs etiam *Rotis citatis probat Paris d. qu. 18. num. 68.*

10 Sed loquendo de Episcopatibus, & maioribus dignitatibus iuri communi statur, & post obtentam licentiam cedendi pœnitere non licet, cum enim Episcopatuum, & maiorum dignitatum cessiones fiant in Cōcistorio coram Cardinalibus, & vno Cardinali referente fiat dispositio Ecclesiæ non subest periculum illud fraudis, quod subest in minorum beneficiorum prouisione extra Concistorium, vt scilicet, quis possit nomine alterius porrigere supplicationem resignationis, illumque priuare beneficijs, ad huiusmodi enim fraudis pericula vitanda per regulam Cancellariæ requiritur consensus formalis cedentis extēsus in Camera, vel

T Can-

Cancellaria, & super eadem regula teste *Paris. d. q. 18. num. 81*, Fundatus est stylus quod sit licitum pœnitere ante præfatum consensum præstitum. Cum verò hic stylus ad Episcopatum & alias maiores dignitates non se extendat, ideò Episcopi, & alij maiores Præsules post obtentam cedendi licentiam non possunt pœnitere. *Paris. d. qu. 18. num. 71, Barbos. ad d. cap. quidam n. 3.*

11 Et hæc quidem dicta sunt vbi licentia cedēdi petitur à Summo Pontifice. Sed quid dicendum, vbi cedendi licentia petitur ab alijs superioribus? Respondetur, quod cum decretalis ista loquatur absolutè, & generaliter, & ex ratione generali, se extendit ad omnes, qui à quocumque Ordinario petitam licentiam cedendi obtinuerunt, vt amplius pœnitere non valeant, sed ad cedendum compelli debeant. *Ita ex Host. Io. Andr. Card. Butr. & Abb. in d. cap. quidam concludit Paris. d. lib. 3. q. 18. n. 62*, quem sequitur *Barbosa vbi supra n. 2.*

12 Quæri autem potest an decretum *d. cap. quidam* locum habeat in Regularibus *Lezana in v. renunciatio num. 12*, ait quod quia contrarium vidit practicari in Religionibus, ideò limitandum est & dicendum, quod decretum hoc, quod qui obtinuit licentiam cedendi cogendus sit renunciare habeat locum solum in beneficijs, de quibus loquitur *d. cap. Quidam*. Verum quia in *d. cap. Quidam* nulla fit mentio beneficiorum, sed absolutè & vniuersaliter loquitur de renunciante, & ratio allata militat etiam in Regularibus, nisi contra *d. cap. legem* præualeat iusta consuetudo vniuersaliter est accipiendum, & etiam Religiosus Prælatus, qui petijt, & obtinuit cedendi licentiam debet cogi ad cedendum. Puto tamen non fieri contra dictam legem, si Prælato ex causa rationabili visum fuerit dandū locum pœnitentiæ subditi & abstinendum à coactione. Considerando tamen ex supradictis, quod si subditus absolutè, seu indefinitè petijt licentiam cedendi Prælaturæ, & Superior consensit; iam pœnitentiæ locus esse non potest; quia ex vi talis cōsensus & acceptationis cessionis iam Prælatura vacat, & cedens manet absolutus. Idem enim est Prælatum petere Superiori absolutè licentiam cedendi, & in manibus eius cedere. Et idem est Superiorem sic petentis desiderio consentire, & cessionem acceptare.

13 Tertium quod circa hunc textum considerandum propositum fuit, est ratio, ob quam Pontifex motus fuit ad hanc legem condendam. Multi enim Canonistæ sequuti *Glossam in v. compellendus*, pro ratione assumunt illusionem, quæ fieret Superiori, si post obtentam licentiam cedendi, qui illam petijt, & obtinuit renueret cedere, illuderetur enim Superior, si locus esset pœnitentiæ; Nam & ob hanc causam à postulatione præsentata lopc. tinti, non licet resilire, *cap. bonæ el 2. de postul.* Et non potest negari, quin speciem cuiusdam illusionis præseferat post petitam, & à Superiore obtentam licentiam cedendi, nolle cedere. Sed si hæc sola ratio valeret, sequeretur quod nedum obtenta, sed quod solum petita licentia cedendi non daretur locus pœnitentiæ, sicut nec postulantes à præsentata postulatione, possunt resilire. Ideò aliquid aliud addendū est illi rationi, vt adæquatè concludat. Sed quia textus aliam rationem exprimit ex ista illa prior est coadunanda. Hæc igitur ratio est, quia cum iustè præsumatur cedentem nō moueri ad petendā licentiam nisi ex iusta causa, aut commoditatis Ecclesiæ, aut necessitatis propriæ salutis, iustè etiam præsumitur cedentem hac obtenta licentia non pœnitere, nisi vel amicorum suasionibus raptus, vel ex propria ductus leuitate, & ideò iustum fuit statuere, vt pœnitentia eius non admittatur, & sic etiam non illudatur Superior, qui licentiam concessit.

14 Quoniam tamen huius textus decretum in præsumptione fundatur, si Superiori constaret, quod qui licentiam obtinuit cedendi ex iusta causa pœnitet, & renuit cedere, posset ad cedendum non cogi, immo nec cogi deberet, quia lex ista in præsumptione fundatur, quæ præsumptio cessat, vbi constat pœnitentiam ex rationabili causa procedere.

15 Ex hoc igitur textu in *arg. sed contra D. Th.* concludit, quod cedere Episcopatui per se non sit illicitum, quoniam illicitum non est id facere, ad quod faciendum quis potest compelli, si ergo Episcopus in casu, quod petat & obtineat licentiam cedendi Episcopatui potest compelli ad cedendū, igitur cedere non est per se illicitum.

SVMMARIVM.

1 *Summa totius resolutionis quæst. & textus diuisio. num. 16.*

16 Sic ergo introducta quæstione eam *D. Tho.* resoluit, & in hoc resolutio cōsistit, quod ex Dei dilectione tandiu Episcopus tenetur curam pastoralem retinere, quandiu potest ouibus suis prodesse, ennumeratis verò causis ex quibus Episcopus non potest, & postea ex quibus potest cedere, tandem concluditur, quod nunquam sine licentia Papæ cedere potest. In quatuor igitur partes corpus articuli diuiditur, nam primo ponitur Conclusio fundamentalis, deinde secundo reijciuntur causæ non sufficientes ad cedendum, tertiò ponuntur causæ ad id sufficientes, & quartò alia conclusione quæstio tota absoluitur.

SVMMARIVM.

1 *Tandiu Episcopus tenetur in officio perseuerare, quandiu potest prodesse ouibus. n. 17.*
2 *Episcopatus perpetuitatem charitatis habet. num. 17.*
3 *Episcopus votum obedientiæ emittit. n. 18.*
4 *Episcopus confirmatus, etsi non consecratus, non potest sine iusta causa cedere. n. 19.*
5 *Vnica causa dimittendi Episcopatum est impotentia continuandi curam Episcopalem. n. 20.*
6 *Vbi ex dimissione sequatur graue damnum Ecclesiæ peccatum, mortale est dimittere Episcopatum etiam cum licentia. numer. 20.*
7 *Item peccatum est etiam sine damno Ecclesiæ, sed sine iusta causa dimittere Episcopatum. n. 20.*
8 *Quando sine damno Ecclesiæ potest Episcopus illam dimittere multæ occurrere possunt rationes id faciendi. n. 21.*

17 Hæc verò est conclusio fundamentalis, scilicet Episcopus tandiu tenetur curā pastoralem retinere, quandiu potest fidelibus sibi com-

commissis proficere ad salutem, quoniam qui cõsecratur in Episcopum ex Dei dilectione se obligat ad hoc, quod saluti populorum insistat *Sotus l. 10. de iust. q. 2. art. 4.* Hinc verò primo colligitur, quod Pontificatus ex natura rei perpetuitatem habet; quia spectata re ipsa, quæ importat opus maximæ charitatis, nimirum curam habere animarum per modum causæ principalis, cùm huius curæ semper sit in populis necessitas, ideò ex hac parte quædam ratio consurgit perpetuitatis, vt qui consecratur sciat se assumi ad officium cuius exercendi est perpetua indigentia, ideò postea charitas hanc perpetuitatem firmat, nam quod de se perpetuitatis habet necessitatem, dum eius obligatio ex charitate assumitur, non assumitur nisi tanquam perpetuum, & propterea Episcopus ex Dei dilectione suscipiens curam animarum, tantum habet, vt in officio perseueret, quantum charitas petit, & vrget, hæc verò petit, vt tandiu Episcopus perseueret in cura animarum, quandiu indigentiæ plebis à se susceptæ potest prodesse. Propterea Episcopus ex charitatis imperio ad hoc se obligat in susceptione Episcopatus, vt Episcopatum non deserat, quandiu potest suis ouibus prodesse. Et ideo in *cap. inter corporalia. de translat.* Episcopatus dicitur matrimonium spirituale propter indissolubilitatem quam habet.

18 Sed de huius perpetuitatis, & indissolubilitatis maior ratio habetur ex eo, quod *D. Thom.* docet in calce huius articuli, scilicet, quod Episcopus ex voto se obligat ad Pastoralem curam. Quoniam licet Episcopus non emittat votum castitatis speciale in sui assumptione, tamen quia obligatio quã assumit religiosa est, & de se perpetuitatem requirens, ideò Episcopus votum obedientiæ in sui assumptione emittit. Quod colligitur etiam ex interrogationibus quæ illi fiunt in sui consecratione. Et sic Episcopus Deo promittit pastoralem curam secundum obedientiam Pontifici reddendam, vnde perpetuo vinculo Episcopus manet obligatus suæ Ecclesiæ, quam sibi per annulum fidei despousat. *Sotus l. 10. de iust. quæst. 2. a. 4. concl p.*

19 Ideò conclusio extenditur vt locum habeat etiam in Episcopo confirmato, licet nondum consecrato. Quia licet matrimonium spirituale Episcopi cum Ecclesia in sola consecratione perficiatur *cap. licet, de translatione, & ibi Gloss. & DD. Hostien. in sum. eod. tit. num. 5.* Attamen quoad hunc effectum, vt Episcopus dimittere nequeat Episcopatum, vel ad alium transferri, vel eo priuari nisi ex iusta causa, & nisi consulto Summo Pontifice, sufficit confirmatio electionis, *cap. 1. & cap. incorporalia §. sicut de translat. & ibi Gloss. in v. confirmatus Innoc. num. 1. Io. Aud. numer. 10. Panorm. Tabien. v. renunciatio. num. 1. S. Ant. 3. p. tit. 19. cap. 5. §. 1. & alij DD. sine controuersia.* Idem verò dicitur de collatione, quæ habet vim confirmationis, vnde postquam Episcopus est in Concistorio propositus eique ex vi propositionis collata est Ecclesia dicitur Episcopus confirmatus, & iam habet in suam Ecclesiam, quæ sunt iurisdictionis, & non potest Ecclesiæ cedere quousque Ecclesiæ potest prodesse, eamque sine licentia Pontificis deserere.

20 Merito tamen *D. Thom.* non dixit in sua Conclusione absolutè, quod Episcopus non potest Ecclesiam deserere, quia hoc absolutè non est illicitum, cum ex causa possit fieri licitum; sed dixit, quod tandiu debet perseuerare, quandiu potest Ecclesiæ prodesse. Ex hoc docens, quod causa dimittendi Episcopatum sola & vnica est aliqua impotentia per quam fiat, vt Episcopus non possit curam Episcopalem continuare. Econtra autem vbi ex dimissione sequatur graue damnum Ecclesiæ, peccare mortaliter Episcopum si tunc illum deserat etiam de licentia Pontificis, dixit *Ledesm. de stat. cap. 3. concl. 12. ver. Digo lo segundo pag. mihi* 25. Quia id est cõtra charitatem & officij validitatem, nec tunc adest iusta causa dimittendi illam. Sed quid dicendum, si licet Episcopus cedat Episcopatui sine causa, tamen ex hac cessione Ecclesia nihil detrimenti patitur? Talem solum venialiter peccare in hoc casu dixit *Ledesm. ver. Digo lo terzero,* quia nec facit injuriam Ecclesiæ, cum nullum damnum in ea sequatur, & aliàs sub mortali non tenetur Episcopus perseuerare in Episcopatu. Sed hoc non admittitur. Nam vinculum Episcopatus de se est perpetuum, & voto ab Episcopo cõsecratum, ideò vt dicitur in textu sine dispensatione non potest solui, & causa iusta, ideò de se peccatum mortale est, aliter illum soluere.

21 Sed ex hac *D. Thom.* doctrina alia distinctio considerari debet omnino præmittenda, tanquam illa ex qua ponendæ conclusiones debeant declarari. Nam vel Episcopus est talis quod potest prodesse Ecclesiæ adeo, vt sine illo salus plebis valde periclitetur, vnde illo Ecclesiam dimittente notabile damnum immineat saluti suarum ouium. Vel econtra Episcopus est talis, quod parum, vel nihil Ecclesiæ interest, si Episcopus illi cedat, & forsan si ipse cedat melius Ecclesiæ illi erit. In hoc enim secundo casu quamplures dabiles sunt causæ rationabiles, ob quas Episcopus de licentia Papæ Ecclesiam potest dimittere. Quia cum hoc fiat sine Ecclesiæ damno, si alias dimissio cedat in notabilem vtilitatem Episcopi, vel etiam sit illi necessaria ad graue damnum vitandum dabitur iusta causa, ob quam Pontifex cessionem Episcopatus possit admittere, quia immò in simili casu istæ causæ cedunt in vtilitatem Ecclesiæ, cuius interest habere Pastores, qui non coacti, sed spontanei cũ studio, & diligentia illius curam habeant.

SVMMARIVM.

1 *Quies contemplatiua vita non est de se sufficiens ad deserendum Episcopatum. n. 22.*
2 *Vita mixta ex contemplatiua, & actiua est melior. num. 22.*
3 *Otium, & fuga laboris non est iusta causa dimittendi Episcopatum. n. 23.*
4 *Dimittens Episcopatum ex licentia iniustè data peccat. n. 23.*
5 *Nec post multos annos laboris licet causa quietis à labore cedere Episcopatui. n. 24.*
6 *Differentia inter veteranos milites, & Episcopos. num. 24.*
7 *Causa humilitatis non licet dimittere Episcopatum. n. 25.*
8 *Nec causa ingredienda Religionis. n. 26.*
9 *Status Episcoporum perfectior. n. 26.*
10 *Si Episcopus sine licentia profiteretur Religionem votum non esse validum. n. 26.*

22 AMpliatur igitur posita Conclusio in secunda parte textus excludendo causas, quæ licet videantur iustæ, tamen non sunt tales, vt ob eas Episcopus deserat Ecclesiam suam. Nimirum causa iusta non est, desiderium quietis contemplatiuæ vitæ. Nam ob hanc causam non licere curam animarum dimittere ostendit *Apost. ad Philip.1.* & decernitur *ab Innoc.3. in cap. Nisi cum pridem, §. Verum, & ibi DD. communiter.* Quamuis enim vita contemplatiua sit melior actiua, hoc tamen non est verum in illis, qui ex officio obligantur actiuæ vitæ, in quibus obligatio ipsa ad agendum pro populorum salute est ex genere suo altissimum charitatis opus, & perfectissimum, & tale opus est cura animarum ex Dei dilectione suscepta. Præterquamquod cura Episcopalis non tollit contemplationem, nec illam impedit, est vero melior vita mixta ex contemplatione, & actione, quam contemplatiua tantum.

23 Si vero quies contemplationis non iustificat dimissionem Episcopatus, multo euidentius eandem vitiat otium, & fuga laboris, vt habet *Innoc.3. d. cap. cum pridem §. verum, & tradunt ibi Host. numer.78. Io. Andr. num.28. Panorm. num.20. Sotus l.10. de iust. quæst.2. a.4. & late improbat Nauar. cons.1. de renunciat. Barbosa ad d. cap. nisi, num.17. & apud eum Sayrus dec.5. de renunc.* Et qui desiderat videre mala, quæ ex otio oriuntur consulat *Tito.m. ad cap.5. Eccles. Hect. Pintum in Dialogis p.1. in dialogo iustitia cap.1. Cassan. in Catalog. Gloria mundi par.11. cons. fid.1 & 29. Flam. d. quæst.3. a. num.211. & alios quas refert Barbos. vbi supra.* Vnde si quis cedat Episcopatui ratione & causa fugiendi laborem curæ animarum annexum, etiam si quacumque via licentiam cedendi extorqueat à summo Pontifice grauiter peccat. Nam vtens licentia iniusta peccat. *D. Th. p.2.q.96.a.5. ad 3. communiter receptus. Nauar. comment.4. de Regular. numer.36. Paris. de resig. d. q.3. nu.215. & 224. Pax Iordan. Prælud.8. n.16.*

24 Et quamuis hoc temperent aliqui, vt cum aliquis post multos annos strenuam nauauerit operam, & laudabiliter labores exantlauerit possit causa quietis de licentia Pontificis cedere Episcopatui absque peccato, quia sicut iure ciuili militibus veteranis solet dari immunitas, *l.2. ff. de milit. l. vlt. C. de mancip. & Col. lib.11.* sic etiam videtur posse concedi in hac spirituali militia. Non enim potest continuo laborari, sed refocillatione opus est, vt plurimis probat *Paris. d. quæst.3. numer.225. & seqq. quem sequitur Barbosa ad d. cap. nisi numer.18.* Tamen bene rem pensanti, limitatio hæc non est admittenda. Longe enim diuersa ratio est militiæ corporalis, & curæ Pastoralis. Illa enim perpetua non est de sui natura sed temporalis, & arbitraria. Hæc vero de sui conditione perpetuitatem habet, & quidem ex diuino iure, & voto vt supra probatum est, & infra nõ semel amplius probatur. Rursus militia seruitium corporale præbet ad finem temporalis lucri, alias enim ex causa publica, & necessitate tuendæ patriæ, nec veteranus miles excusatur à militia; Cum vero vires corporales ad corporaliter agendum successiue deficiant, merito ijs, qui corporales vires consumpserunt militando, quies conceditur, quia & immo isti minus iam apti ad militiam remanserunt. Sed cura animarum spiritualis est, & continuitate sua non diminuit, sed auget vires agendi, nimirum ex parte intellectus experientiam, iudicium, & prudentiam, & ex parte voluntatis constantiam charitatis, & alias virtutes, & huius curæ finis est ex parte Episcopi præmium æternum, respectu cuius impar est omnia huius vitæ labor. Distingui igitur debet. Nam si in Veterano Episcopo defecerunt vires corporeæ, ita vt iam ille non sit potens vt curam continuet, ratione huius impotentiæ, vt infra explicatur, licebit curam dimittere. Cæterum nunquam illam dimittere licet ratione quietis ab opere, & labore; quia Episcopus ex Dei dilectione se obligans ad curam sui gregis etiam si opus sit vita contempta, multo magis se obligat ad eam non diferendam propter labores, sed vt docet D. Th. tandiu Episcopus tenetur perseuerare, quãdiu Ecclesiæ suæ potest prodesse; & ideo nedum vt dixit *Pax Iordan. d. Prælud.8. nu.57.* consultius est veterano Episcopo non cedere Episcopatui ratione quietis habendæ, & fugiendi laboris, sed est hoc necessarium, prout habetur satis expresse ex *cap.1. de renunc.* vbi improbatur similitudo allata de milite emerito, & concluditur per Alex. III. Quia indecens omnino probatur prius soluere militiæ cingulum, quam cedat victori aduersitas præliorum. Et in *cap. nisi cum pridem eod. tit. §. verum* absolute improbatur hæc otiositas siue fuga continuandi laboris, vnde & DD. communiter absolute docent non licere fugiendi laboris causa Episcopatum dimittere.

25 Sicut autem non licet cedere Episcopatui sub prætextu quietis spiritualis, ita nec sub prætextu humilitatis. *cap. nisi cum pridem §. verum de renunc.* Vera enim humilitas onera subit, & obligationes assumptas voluntarie portat, ideo Innoc.3. ibidem merito sic ait. *Quod si forsan humilitatis causa de culmine quaris Pontificali descendere, eo ipso humilitatis videris erigere male verticem, quod te nimis in resignandi proposito exhibes; quia tunc in te veram humilitatem custodies, cum & per eam locum sublimem fugies, & per obedientiam non dimittes.* Et valde facile est, quod in hoc sub specie humilitatis latitet superbia, nulla enim est tam excelsa virtus, quæ dulcedine gloriæ non tangatur, vt ex *Valer. Maximo* dixit *S. Anton. p.2. tit.4. cap.1. in princ. & adnotauit Nauar. cap. inter verba conclus.5.11 quæst.1.* Et cõtingere propterea potest, vt non sine superbia sit humilitatis affectata gloria.

26 Ex his vero colligitur conclusio responsiua quæsito directe, scilicet, quod non licet causa transeundi ad Religionem dimittere Episcopatum. Habetur hæc conclusio ex *d. cap. nisi cum pridem de renunc.* Et prius definierat *Liberius Papa Epist.2. prout habetur cap. suggestum. 46, 7. quæst. 1.* vbi inter alia habet. *Attendite vt ne non sit, qui vos decipiat, aut*

si du-

sedeant in sublimitate sermonis, vt plebes vobis commissas relinquatis, & alicui propter malorum opprobrium hominū quieti vos tradatis, & vt vos solummodo saluetis, & filios orphanos relinquatis. Et idem habetur etiam ex *cap. sciscitaris* eadem causa, & *quæst.* ex quo etiam desumitur argumētum à maiori. Nam cum Hamifridus Morinensis Episcopus à Normanis expelleretur, sciscitatus est an de cætero deberet in Monasterio conuersari. Quod Nicolaus Papa faciendum negat. Si igitur nec ei, qui à proprio Episcopatu expellitur, conceditur transitus ad monasterium, multo minus concedendus est ei, qui in pace plebem sibi commissam gubernare potest, & regere. Et ideo non licere dimittere Episcopatum causa ingrediendæ Religionis cum *D. Thoma in hoc articulo docent Manolus de irregular. d.3. cap.3. numer. 34. quæst. 2. Flamin. d. quæst.3. numer. 333. Menoch. de arbitr. casu 413. Genuens.* quem sequitur *Barbosa ad d. cap. nisi n. 20.* Et communiter DD. sine controuersia. Conclusio tamen intelligi debet per se & in sensu formali, nam alias, vt dicetur circa responsionem ad primum, ex circumstantia potest hic transitus iustificari. Et ratio conclusionis est, quia status Episcoporum est perfectior statu Religiosorum, vt probatum est cum *D. Thoma supra quæst. 184. a. 7.* Cura enim animarum ad quam se obligat Episcopus est excellentissimæ charitatis laboriosissimum, & onerosissimum opus, & perfectior quam pauperem viuere sub obedientia, ad quod obligat professio Religiosa. An vero si Episcopus sine licentia Pontificis profiteretur solemniter in aliqua religione, votum professionis esset validum. Certum est quod Episcopus maneret Ecclesiæ suæ regendæ obligatus. Quia tamen Religiosa professio non obstat Episcopatui, sed illum secum compatitur, professionem illam validam fore dixit *Ledesma de stat. cap. 3. concl. 12. vers. Ad ista respondeo &c.* Sed contrarium est asserendum, quia votum illud tunc non est de meliori bono, cum Episcopus non possit esse Religiosus nisi de licentia summi Pontificis. Nec valet dicere, quod status Religiosus non repugnat Episcopatui, quia nec simul iungi possunt Episcopatus & status Religionis nisi de speciali voluntate Pontificis, vnde de se potius incompatibilia sunt; non potest vero esse voti materia absolute, quod non potest obseruari nisi de alterius voluntate.

27 Quod si non licet Episcopo vtilitatis spiritualis gratia Episcopatum dimittere, multo minus hoc licet causa vel malum aliquod temporale vitandi, vel aliquod bonum lucrandi id præstare. Quod probat *D. Th. ex illo textu. Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.* Est vero considerandum, quod in hoc articulo non agitur de sola desertione personali, & non quæritur an liceat Episcopo causa vitandæ persecutionis, aut alterius temporalis damni fugiendi retento Episcopatu Ecclesiam personaliter deserere, & fugere. Nam de hoc habendus erit sermo artic. sequenti. Sed nunc quæstio est de dimissione Episcopatus. Et de hac loquendo, & supposito, quod subditorum salus exigat sui Pastoris curam, non potest Episcopus dimittere Episcopatum ob persecutionem, vel damnum temporale fugiendum, sed animam suam ponere debet pro ouibus suis. Quod probatur ex *d. cap. nisi cum pridem, vbi Innocent. num. 4. Hostien. num. 24. Panorm. num. 11. & ex cap. suggestum 46. 7. quæst. 1. & ibi Archidiac. nu. 1. & ex cap. sciscitaris 47. eadem causa, & quæst. vbi Nicolaus Papa pluribus hoc probat, & ibi Turrecrem. & Prapos. num. 1. & ex cap. aduersitas, 48. ead. causa & quæst. quod est sumptum ex S. Greg. l. 7. epist. 126. ad Recaredum Regem. Et idem ibid. habet Gratianus §. Hoc tunc & tradiderunt Gigas in tract. de resid. Epis. cap. 17. nu. 2. Campeg. eod. tract. nu. 20. Io. à Capistran. in spec. conscientiæ n. 202. Paris. l. 5. de resig. quæst. 3. num. 130. Pax Iordan. Prælud. 8. num. 19.*

28 Neque hic opus est distinguere inter intrinsecam persecutionem, quæ sit à Clero vel à plebe, & extrinsecam, quæ sit ab infidelibus, aut alijs extra ouile seu Diœcesim existentibus: siue an persecutio sit ab omnibus de plebe & clero, siue ab aliquibus, sed solum attendi debet, an persona Episcopi sit populo necessaria, (vel quod in idem redit) notabiliter vtilis, & ita vt eo Episcopatum dimittente Ecclesia notabile & prudenter æstimabile damnum immineat plebi. Hoc enim stante illicita est dimissio, quippe quæ sit actus mercenarij, qui videns lupum fugiat, tanquam non pertineat ad illum de ouibus, nam bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. *Io. 10.* Et vt argumentabatur Nicolaus Papa, in *d. cap. sciscitaris, si periculosum est proprium in tranquillitate nauim deserere, quanto magis in fluctibus?* Tunc igitur cum in Episcopum viget persecutio, debet ipse tanquam fidus Pilota, & bonus Pastor Nauim regere, & gregem tueri, sciens quod Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. *cap. si Ecclesia 23. quæst. 4.* Vnde & Apostoli ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati.

29 Hinc est illicitum esse in simili casu dimittere Ecclesiam propriam, vt ad aliam pinguiorem, vel habentem plura beneficia famulis, amicis, consanguineis conferenda transitus concedatur. Nedum enim in hoc casu est peccatum maximum si hæc temporalis vtilitas sit ex parte operis ratio formalis; & finis permutationis Episcopatus, quia tunc in temporale ordinatur Episcopatus vt in finem, prout dictum est supra in hac *quæst. a. 1.* Sed etiam si hæc temporalis vtilitas sit solum ratio ex parte appetentis seu dispositio, & occasio appetendi, adhuc cum notabili detrimento suæ sponsæ Ecclesiæ eam dimittere per se ab intrinseco omni alia mala circumstantia præcisa est illicitum. Vnde bene dicebat *S. Leo epist. 8. ad Anast. Thessalon. Episcopum, vt habetur 7. quæst. 1. cap. 31. Si quis Episcopus mediocritate ciuitatis suæ despecta, administrationem celebrioris loci ambierit & ad maiorem plebem se quacumque ratione transtulerit, non solum à Cathedra quidem pellatur aliena, sed carebit, & propria: vt nec illis præsideat, quos per auaritiam concupiuit, nec illis, quos per superbiam spreuit; suis igitur terminis contentus sit quisque ne supra mensuram iuris affectet augeri.* Et idem decretum fuit in *Concil. Meldensi cap. 10. & habetur cap. 32. si quis de ordine 7. quæst. 1.* Et decretum præfatum S. Leonis Papæ executioni mandauit *Innoc. 3. cum Hisdelmen. Episcopo,* qui sine licentia Rom. Pontificis ad Herbipolen. Episcopatum transierat, vt habetur *cap. 3. de translat.* Vnde est, quod illicitum esse cum notabili damno prioris Ecclesiæ appetere, seu procurare, seu etiam

libere

libere aliam acceptare, & priorem dimittere, tradiderunt *Nauar. de orat. miscel. 42. & alij quas infra in hoc eodem artic. refera.*

30 Tandem nec sufficiens causa dimittendi Ecclesiam est inspiratio diuina, nisi de ea manifestè constet, vt decernitur expresse in *d. cap. nisi cum pridem S. Patro, de renunc.* Quamuis enim vbi Spiritus Sanctus inspirat aliquid agendum, cesset legis obligatio, quia sub lege non sunt, qui Spiritu Dei aguntur. *Panorm. d. cap. nisi nu. 20.* Tamen hoc opus hic labor est, scire an aliqua sit Dei inspiratio, vel potius Diaboli suggestio, *Tu*, inquit *Innoc. 3. quomodo scis, quod talis inspiratio sit cœlestis?* Et Apostolus cupiebat dissolui, & esse cum Christo, sed tamen non ob hoc iudicauit esse diuinam inspirationem deserere Philip. curam, sed dixit, *manere autem in carne, necessarium est propter vos.* Vnde S. Martinus dicebat, Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. Sic enim sancti in hoc à Deo illuminari assiduis præcibus rogarunt, dum ex vna parte cuperent grauem deponere sarcinam Episcopatus, Quorum exemplum in *S. Fulberto Carnot. Episcopo refert Baronius tom. 10. ad annum 1001. eius praces, quas ex Codice Epis. eius, in Vaticana Bibliotheca existen. epis. 38.* referens sequentibus versibus explicatas.

Angele consilij magni te consulo Christe
Mi factor, mea vita, salus, fiducia sola
Da mihi consilium, & votum, viresque sequendi,
Ambigo quid agam, quo tandem fine quiescam.
Nunc vereor temere suscepto Pontificatu
Seruandis ouibus mage quam prodesse nocere
Atque ideo puto cedendum melioribus esse.
Nunc recolens quia non opibus, neq; sanguine fretus
Conscendi cathedram pauper, de sorde leuatus,
Arbitror à te factum, sicut tuus est mos
Nec mutare locum nisi significaueris, ausim,
Quamuis hoc lesa moneat mens conscia vita
Tu scis, sancta Pater, quid sit tibi gratius horum,
Vtiliusque mihi. Precor hoc inspirare labanti
Consilium, præsensque iuues ad perficiendum,

Sic precabatur Fulsbertus, Cæterum hæc est cognoscendarum inspirationum ratio, vt consideretur an quod inspiratur sit consonum legibus prout habet *Panorm. d. num. 20.* nec temere accipiendum est, vt à Deo inspiratum, quod leges prohibent. Et in omni casu inspiratio Superiori discutienda manifestari debet, eiusque est iudicio obtemperandum.

SVMMARIVM.

1 *Ex impotentia iuuandi plebem, desumenda causæ iustificantes dimissionem Episcopatus. n. 31.*
2 *Prima causa cedendi Episcopatui conscientia criminis impedientis executionem officij. n. 32.*
3 *Ex crimine non impediente executionem officij potest, & non potest haberi iusta causa cedendi. numer. 32.*
4 *Ex conscientia criminis impedientis executionem officij tenetur Episcopus vel cedere, vel dispensationem super impedimento obtinere. n. 33.*
5 *Sermo est de dimissione Episcopatus, etiam ex causa nullitatis electionis. n. 34.*
6 *Crimina ex duplici causa impediunt executionẽ officij, vel rationẽ priuationis officij, vel ratione irregularitatis. n. 35.*
7 *Ex prima causa rarius contingit necessitas cedendi. quia leges tales non obligant ad sui executionem ante sententiam &c. n. 35.*
8 *Ex crimine depositione digno, quando sit petenda cedendi licentia. n. 36.*
9 *Quomodo ex simonia adsit necessitas cedendi. numer. 37.*
10 *Quomodo hæresis ad idem necessitet. n. 38.*
11 *Quomodo idem præstet schisma. n. 39.*
12 *Homicidium & alia crimina inducentia Irregularitatem, etiam post pœnitentiam impediunt ab executione officij. num. 40.*
13 *Falsificatio literarum Apostolicarum post pœnitẽtiam non impedit ab executione officij. n. 41.*
14 *Crimina habentia annexã priuationem officij ipso iure, in conscientia non impediunt executionem officij post pœnitentiam. n. 41.*
15 *Qualiter priuatus ipso iure officio ante sententiam possit, vel non possit cedere. n. 41.*
16 *Ex notorietate delicti depositione digni quando oriatur irregularitas impediens pœnitentem ab executione officij. n. 42.*
17 *Ex delicto habens annexam infamiam iuris post pœnitentiam non adest ante sententiam impedimentum in conscientia exequendi officium. numer. 43.*
18 *Quid facere debeat Episcopus manifestus criminosus. num. 44.*
19 *Vbi crimen non habet annexam priuationem officij ipso facto, etiamsi sit deductum ad forum contentiosum non impedit quin beneficium renunciari possit. n. 45.*
20 *Secunda causa cedendi est corporis debilitas. numer. 46.*
21 *Qui sint corpore debiles. n. 46.*
22 *Nullus ex debilitate corporis cogitur renunciare. num. 47.*
23 *Sola debilitas impediens ab executione offitij dat iustam causam cedendi. n. 48.*
24 *Senectus magna laudis & auctoritatis. n. 48.*
25 *Senibus passim non concedenda licentia cedendi. numer. 48.*
26 *Infirmis dandus coadiutor. n. 48.*
27 *Nec etiam Generales inuiti ex eo quod sint infirmi cogendi sunt cedere. n. 49.*
28 *Parocho leproso datur coadiutor. n. 49.*
29 *In Arbitrio Pontificis est compellere infirmum Generalem, vt cedat officio. n. 49.*
31 *Tertia causa cedendi est defectus scientiæ. n. 50.*
32 *In Episcopo summe necessaria scientia. n. 50.*
33 *Ignorantia errorum mater. n. 50.*
34 *Defectus scientiæ potest præbere iustam causam cedendi. n. 51.*
35 *An deficiens scientia possit, & debeat compelli ad cedendum. n. 52.*
36 *In quibus casibus tolerandi sint non habentes scientiam competentem. n. 53.*
37 *Præfati casus examinantur. n. 53.*
38 *Scientia in triplici gradu deficiens à competente. num. 53.*
39 *Scientia quantitas non absolute sed comparatiue mensuranda. n. 54.*
40 *In locis paruis minor scientia est competens. numer. 54.*

Vbi

41 *Vbi est vsus latina lingua illam non callens prasumitur simpliciter ignorans. num.55.*

42 *Qui vsu, & experientia, vel aliunde scit necessaria ad officium, etiam si nesciat latinum habet competentem scientiam & est tolerandus. n.55.*

43 *Ignorans non promouendus. n.56.*

44 *Ignorans promotus potest tolerari, & non tolerari. num.56.*

45 *Ignorans vir charitate praditus tolerari potest. num.56.*

46 *Qui habet scientiam substantialiter sufficientem est tolerandus. n.57.*

47 *Ex defectu tamen scientia non omnino necessaria potest admitti eius cessio. n.57.*

48 *Nisi charitas suppleat defectum scientia. n.57.59.*

49 *Qui potest adiscere est tolerandus. n.58.*

50 *Charitas summe necessaria in Prælato. n.59.*

51 *Illiterati aliqui Episcopi sancti. n.59.*

52 *Nunc difficile est, quod ex defectu scientia aliquis sit priuandus Episcopatu. n.60.*

53 *Quarta causa cedendi irregularitas. n.61.*

54 *Irregularitas qua est ex delicto pertinet ad primam causam, qua est conscientia criminis. numer.61.*

55 *Ex irregularitate potest Episcopus cogi vt cedat, num.62.*

56 *Non tamen hoc est necessarium ex omni. n.62.*

57 *Electio irregularis non est ipso iure nulla. n.63.*

58 *Irregularitas ex delicto superueniens non priuat Episcopatu. n.64.*

59 *Potest esse legitima causa priuandi. n.64.*

60 *Ab occulta irregularitate ex delicto potest eum Episcopo dispensare suus Confessarius. n.64.*

61 *Quomodo ob irregularitatem Episcopus possit priuari officio: remissiuè. n.65.*

62 *Ex delicto priuatione digno diuersimodè conuenit Episcopo facultas cedendi. nu.65.*

63 *Quinta causa cedendi malitia plebis, n.66.*

64 *Non qualibet malitia sufficit. n.67.*

65 *Nec ob malitiam totius plebis illa statim dimitti debet. n.67.*

66 *Ob malitiam plebis Episcopus inuitus non potest cogi ad cedendum. n.68.*

67 *Licet ex causa iusta ad aliam Ecclesiam possit transferri. n.68.*

68 *Sexta causa cedendi est scandalum. n.69.*

69 *Scandalum actiuum & passiuum. n.70.*

70 *In proposito sermo est de scandalo passiuo. n.70.*

71 *Scandalum actiuum crimen est. n.70.*

72 *Ob scandalum ortum ex malitia in odium fidei, & Ecclesia non est Ecclesia deserenda. n.71.*

73 *Ob scandalum non ortũ ex odio fidei, vel iustitia, etiam si ex malitia oriatur potest peti licentia cedendi, immò & in aliquo casu cogi Prælatus, vt cedat, si aliter scandalum vitari non potest. numer.71.*

74 *Episcopo renuncianti ratione scandali danda recompensa ne cogatur mendicare. n.72.*

31 SIc itaque exclusis rationibus ad dimittendas Ecclesias insufficientibus pergit *D. Th. & in 3. parte textus, ex citato cap. nisi cum pridem* enumerat, & explicat causas, ex quibus iuste possunt dimitti Ecclesiæ. Quas ad duo capita reducit, nam cum vbi Episcopus potest prodesse Ecclesiæ non sit locus dimissioni, sed solum tunc, cum impeditur Ecclesiæ profectus, ex duplici capite potest hoc prouenire, vel scilicet ex defectu Episcopi, vel ex defectu plebis, aut aliorum. Ex defectu Episcopi quatuor causæ contingere possunt dimittendi Episcopatum, scilicet conscientia defectus morum, salutis corporis, scientiæ, vel alicuius irregularitatis. Ex parte autem aliorum duæ causæ recensentur, scilicet plebis pertinacia, & scandalum ex aliquo imminens, Quæ causæ singilatim sunt examinandæ.

32 Prima ergo causa renunciandi iusta, est cõscientia criminis. De qua hæc habet Innocentius III. *in d. cap. nisi cum pridem, Propter conscientiam enim criminis cedendi potest licentia postulari, & forsan non cuiuslibet, sed dumtaxat illius propter quod ipsius officij executio post peractam pœnitentiam impeditur: cum si omnes, quos arguit conscientia cuiuslibet culpa cederent, pauci vel nulli, in illo ministerio remanerent.* Distinguenda igitur sunt crimina, quia alia sunt, quæ post peractam pœnitentiam non impediunt officij executionem, alia verò sunt quæ talem executionem impediunt. Propter priora crimina non est necesse vt Episcopus petat licentiã cedendi, immò nec forsan expedit eam petere. *Nam si omnes, quos arguit conscientia cuiuslibet culpa cederent, pauci vel nulli in illo ministerio remanerent.* Nullus enim est sine peccato, *cap. fraternitatis, dist. 34. & §. nunc autem dist. 25.* Nam & septies in die cadit iustus *c. septies de pænit. dist. 13.* Vnde votũ de non peccando non valet *Suarez to. 2 de relig. l. 2. de voto cap. 3. p. 2. nu. 3.* Cum igitur nos peccatores simus, is Prælatus, qui alias est plebi vtilis, quamdiu potest illi prodesse ex eo quod peccauerit tenetur quidem pœnitere, sed non tenetur cedere, immò forsan nec licentiam cedendi potest postulare. Vsus verò est Innocentius aduerbio *forsan*. Quia si peccatum sit occultum non licet Episcopo, qui est vtilis plebi ex peccato accipere motiuum deserendi plebem, cum per illud non impediatur, quin possit prodesse illi, Et tamen potest contingere casus, in quo licet peccatum non habeat annexam censuram, vel irregularitatẽ, ob quam impediatur ab executione officij, tamen ob sui notorietatem, & publicitatem sit conueniens, vt Episcopatui cedat. Ad quod tamen non tenetur, si pœnitentia possit facti delere infamiam. Hinc est, quod illud aduerbium forsitan non sumitur affirmatiuè, vt ex *Gloss. voluit Barbosa nu. 25.* sed accipitur dubitatiuè, quia contingere potest, vt ex crimine non impediente executionem officij habeatur, & non habentur iuxta causa petendi cessionem.

33 Conscientia igitur criminis etiam post pœnitentiam impedientis executionem officij est causa iusta cedendi, non quia obliget ad cedendum, sed quia sit petenda & obtinenda licentia cedendi, si non obtineatur dispensatio super impedimento, quia non esset in conscientia tutus, qui sine peccato non potest exercere officium, & tamen libere in illo sic impeditus perseuerare vellet. Et ideò iusta causa petendi licentiam cedendi Episcopatui est conscientia illius criminis etiam occulti à quo non soluit pœnitentia taliter, vt post pœnitentiam ille non remaneat impeditus ab officij exercitio. *D. Thom. in textu. Gloss. in d. cap. Nisi in v. sed dumtaxat, & ibi Innoc. n. 2. & 3. Panorm. nu. 5. Prepos. in cap. Hoc nequaquam nu. 2. 7. quæst. 1.*

quaest. 1. *Archid. in cap. de his verò dist.* 50. *Panormit. iterum in cap. post translationem colum.* 2. *ver. nota, de tempor. ordinand.* & *cap. final. de cler. excom. speculator de dispensat.* 6. *iuxta vers. sunt quoque Syluest. v. irregularitas q.* 14. *Taien v. renunciatio, in princ. Paris. de resig. l.* 5. *q.* 3. *nu.* 8 *Pax Iordan. Prael.* 8. *Gigas de resid. Episc. cap.* 17. *num.* 12. *Fuschus de visit. l.* 2. *c.* 28. *num.* 2. *Barbosa l.* 3. *de iure Eccles. c.* 15. *n.* 92. & *ad d. cap nisi num.* 2. Qui tamen malè *num.* 3. habet quod talis Episcopus tenetur cedere, cum immò possit dispẽsationem super impedimento impetrare. Aliqui etiam per crimen, quod det iustam causam dimittendi, intelligunt crimen depositione dignum *Palaus p.* 2. *tr.* 3. *d.* 6. *p.* 2. §. 1. *num.* 6. Sed hoc non est absolutè verum, si ob crimen illud peracta pœnitentia Episcopus non sit impeditus ab executione officij.

34 Verum quia vbi de resignatione est sermo supponi videtur legitima & valida electio & promotio, quia vbi hæc est nulla, promotus non habet vnde petat licentiam cedendi, sed tenetur restituere, & relinquere Episcopatum non suum. ideò videri posset, quod sit sermo solum de istis delictis vt superueniunt assumptioni validè ad Episcopatũ. Verum melius dicitur, quod hic est sermo de dimissione Episcopatus, & illius cessione quacumq; & ideo etiam de dimissione facta ex conscientia delicti etiam per eum, qui licet verè non sit, putatur tamen esse Episcopus. Maximè quod contingere potest, vt nullitas promotionis solũ post multum tempus innotuerit etiam ipsi Episcopo.

35 At verò ex duplici causa potest intelligi, quod huiusmodi delicta impediant ab executione officij etiam peracta pœnitẽtia, & propterea habita absolutione à culpa & à censura, quæ pœnitenti nõ potest negari, vel scilicet irregularitatis, vel ratione alicuius pœnæ priuãtis Episcopũ Episcopatu ipso facto. Ex hoc secundò casu ratius contingere poterit, quod Episcopus antequam in iudicium vocetur, & declaretur commisisse delictum sit in cõscientia impeditus ab exercitio officij sui, quoniam nisi lex specialiter id exprimat & mandet, pœna priuationis ab officio imposita ipso facto non obligat in conscientia ad sui exercitam executionem ante declaratoriam sententiam, vt late probaui in *tractatu de elect. cap.* 25. *q.* 51. & tanquã declaratum à *S. Congr. Regular.* 5. *Octob.* 1546. & 29. *Nouemb.* 1649. refert *Nicolius in suis Flosculis v. pœna num.* 14. Vnde Episcopus alias à delicto in foro conscientiæ absolutus, ex vi pœnæ priuationis officij ipso iure latæ non manet ante sententiam declaratoriam impeditus in conscientia ab officij exercitio; vnde ex hoc non cogitur cedere Episcopatui, Ratione verò irregularitatis manebit impeditus in conscientia ab exercitio Ordinum, non verò ab exercitio iurisdictionis, quia irregularitas non impedit à iurisdictionis vsu, Nihilominus tamẽ satis impeditus dicitur ab exercitio officij Episcopatus, qui est impeditus ab vsu potestatis ordinis, cum hic vsus maxime ad officium Episcopi spectet. Vndequaque igitur Episcopus maneat in conscientia impeditus ne vtatur officio habet iustam causam cedendi Episcopatui & immo *Ledes. de statibus cap.* 3. *concl.* 12. *vers. Digo lo terzero* dat regulam generalem, quod vbi Episcopus ob culpã suam incurrit impedimentum perpetuum teneatur cedere Episcopatui, quia tunc ex propria culpa non potest fungi officio Episcopatus. Sed hoc non approbatur. Tum quia impedimentum potest esse naturale, nimirum debilitas aliqua incursa ob culpam non talem, quæ sit digna depositione, & tunc nec Episcopus esset deponendus, nec ipse ad cedendum esset obligatus. Tum quia etiam si impedimentum sit ex aliqua pœna, aut irregularitate ex delicto incursa poterit ab eo impedimento liberari, & ideò solum vel tenetur cedere, vel tenetur obtinere liberationem ab impedimento, & omni via sibi possibili consulere securitati conscientiæ suæ, cum tamen si delictum sit occultum nõ teneatur se infamare & (quod nec sine scandalo non fieret) delictum suum propalare.

36 Et hinc secundò est aduertendum quod omne crimen depositione dignum potest Episcopo dare causam iustam cedendi, cum immò si de eo crimine constet, Episcopus sit deponendus. Ideò non solum ob crimen, quod post peractam pœnitentiam ratione alicuius irregularitatis, aut pœnæ incursæ in conscientia impedit ab exercitio Ordinis, sed etiam crimen pro quo imposita sit pœna depositionis potest dare causam iustam cedendi Episcopatui. Quamuis vbi in conscientia Episcopus non sit impeditus ab exercitio officij, & delictum sit occultum, si Episcòpus cedere velit, magna cautela vti debebit, ne se infamet, & plebem suam scandalizet. Et immò in hoc casu nisi alia adsit causa consultius est non cedere, & potest esse quod Episcopus alias sit adeo vtilis Ecclesiæ, & delictum adeo occultum, vt nec Episcopus possit ex talis criminis conscientia licentiam cedendi petere.

37 Hinc verò dari potest iudiciũ de exemplis, quę à DD. adducũtur & præcipuè à *Pauor. in d. cap. nisi n.* 7. & *Paris l.* 5. *q.* 3. *n.* 11. Inter huiusmodi enim crimina ponitur primo simonia. *c. erga simoniacos* 1. *q.* 1. & *c. sauta, de simon.* & *extrau. Cum detestabile cod. tit.* & *Constit. Pij Quinti, Cum primum Apostolatus. Concil. Trid. sess.* 14. *cap.* 4. *D. Thom. hic in textu*. Sed considerandum quod si simonia causalitate præcedat Episcopatum, ita quod promotio sit simoniaca, sic quidem vitiat omnino & irritat promotionem, ita quod promotus nec in cõscientia sit Episcopus, nec possit Episcopatum retinere, & teneatur illum relinquere, & fructus ex eo perceptos restituere, vt ex citatis iuribus constat, & cum *D. Thom. supra q.* 100. *a.* 6. *ad tertium tenent communiter DD.* quorum plures retuli in *tract. de elect. c.* 7. *q.* 14 *à n.* 299. Sed si simonia superueniat legitimę promotioni ad Episcopatum, ratione excommunicationis est quidem impeditus ab exercitio officij, sed si pœniteat & absoluatur a censura, & culpa iam non remanet impeditus, Simoniacus enim nec ipso iure est priuatus beneficijs legitimè antea obtentis, nec per se ex vi simoniæ est irregularis, vt probaui in dicto *tract cap.* 7. *q.* 13. *n.* 285. & *q.* 15. *num.* 358. Vnde in hac parte non est vnde Episcopus cogatur cedere Episcopatui.

38 Secundum crimen quod in exemplum affertur est hæresis. Et hoc crimen, tam ante, quam post impedit ab officij Episcopatus executione. Nam cum per se habeat annexam irregularitatem, vt tradunt quamplures DD. quos sequutus sum in *tract. de elect. cap.* 25. *q.* 8. *n.* 65. Etiam si hæreticus sit abso-

absolutus ab excommunicatione, & hæresi, manet irregularis ideoque impeditus ne possit Episcopatum recipere, vel eo etiam legitimè antea obtento, legitimè vti. Quamobrem hæresis est de illis criminibus, quæ impediunt à legitimo exercitio Episcopatus.

39 Tertium crimen adductum à *Parif. est schisma, cap. 1. de schismaticis*. Sed cum non sit dubiū, quod schismaticus sit ad Ecclesiastica beneficia inhabilis, etiam si pœniteat, & Ecclesiæ reconcilietur, vt probaui in *d. tract. cap. 25. q. 14.* Quoniam tamen non est certum quod schismaticus ex vi schismatis sit irregularis, vt dixi *ibid. num. 105.* ideo vbi Episcopus legitimè promotus & postea schismaticus factus fuerit post pœnitentiam absolutus à schismate, & censuris ob illud incursis non est certum quod Episcopus remaneat ex vi irregularitatis in conscientia impeditus, exerceat officium Episcopi nisi aliunde fit irregularis, vt v.g. quia in excommunicatione celebrauerit, vel nisi forsan fit ipso facto in conscientia priuatus officio, de quo mihi non constat.

40 Quartum crimen est homicidium *cap. Miror d. 50. cap. vlt. de tempor. ordin. cap. vlt. de cler. pregnante* in dictio *D. Th.* hic in textu. Et quidem cum homicida fit irregularis, & tali irregularitate in qua cum homicida voluntario non consueuit dispensari, non est dubium, quod hoc crimen impedit Episcopum ab exercitio officij Episcopatus. Sed hoc est verum de omni crimine cui fit annexa irregularitas. Quamuis in alijs criminibus regulariter non fit tam difficilis dispensatio, sicut in homicidio.

41 Quintum crimen est falsificatio literarum Apostolicarum. *cap. ad falsariorum, de crim. falsi. Panorm. d. n. 7. Parif. d. nu. 11.* Verum licet falsificantes literas Apostolicas fint excommunicati per can. Bullæ Cœnæ & per dictum *cap. ad falsariorum*. Quia tamen pro dicto crimine non est imposita irregularitas, & pœna priuationis officiorum, & beneficiorū quam falsarij incurrunt ipso iure, non obligat in conscientia ad sui executionem ante sententiam declaratoriam, vt supra de hac pœna in communi dictum est & infra probatur non est vnde hoc vel alia similis crimina, pro quibus priuatio officiorum, & beneficiorum, vel etiam depositio, aut degradatio imposita est ponantur in numero eorum, qui etiam post pœnitentiam, & absolutionem ab eis obtentam impediunt in conscientia ab exercitio Episcopatus nisi ex speciali lege talis pœna obliget in conscientia ante sententiam, sed tamen crimina illa pro quibus imposita est pœna priuationis beneficij ipso iure, talia sunt, vt post illa commissa non potest peti licentia renunciandi propriæ nec valeat renunciatio facta ad fauorem alterius, quia talis criminosus iam à puncto commissi criminis est beneficio priuatus, & vt talis declarabitur si delicto deducto ad forum contentiosum de eo constet, *Barbos. l. 3. de iure Eccles. cap. 15. num. 104. Ventriglia vbi supra num 14.* Vnde talis criminosus licet in conscientia non teneatur se priuare beneficio ante sententiam immò vt dicitur infra nec possit cedere illi fine licentia. Vnde interim potest suo officio fungi tamen si eius delictum deueniat ad forum contentiosum declarabitur priuatus beneficij à puncto cōmissi criminis.

42 Sextum crimen est omne illud, quod sit graue & depositione dignum & sit notorium *Panorm. d. n. 7. & Parif. d. num. 11.* Dic tur verò hoc crimen impedire ratione irregularitatis adiunctæ, & consurgente ex vi notorij. Delicta autem grauia, enormia; & depositione digna sunt adulterium & reliqua carnis delicta, eo maiora, homicidium, blasphemia, periurium, sacrilegium, maleficium, simonia, idolatria, hæresis, concubinatus, & his similis, de quibus videri possunt scribentes in *cap. Et si Clerici, de iud. & in c. nullus, c. Præter hoc dist. 3.* Verum hoc dictum non est ex omni parte quia licet aliqui DD. velint, quod ex notorio facti incurratur iuris infamia, & irregularitas, quos retuli *tract. de elect. cap. 25. q. 49. num. 561.* tamen plures oppositum sentiunt, quos sequutus sum *ibid. n. 562. & sequent.* Ex notorio delicto igitur notorietate facti sequitur facti infamia ex qua non sequitur irregularitas simpliciter; nam facti infamia per pœnitentiam est delebilis. Quamobrem, si delictum alias non habeat adiunctam irregularitatem, ex sola notorietate facti illam non incurrit, vnde delictum ex notorietate facti non habet, & absolutus ab eo post pœnitētiā fit impeditus exercere officiū. Sed hoc conuenit solum delicto notorio notorietate iuris, quod quomodo, & quando inducat irregularitatem dixi *ibid. a n. 569.*

43 Septimum crimen est illud pro quo imposita est infamia ipso iure. Nam & hoc crimen ratione infamiæ irregularitatem inducit. *Panorm. & Parif. citati.* Sed neque hoc admittitur. Nam lex imponens pro aliquo delicto infamiam, vt ipso iure incurrendam, non obligat delinquentem in foro conscientiæ ad sui executionem ante sententiam declaratoriam etiam si delictum sit notorium notorietate facti, vt probaui *loco citato a numer. 587.* Quamobrem neque hoc delictum debet numerari inter ea, quæ post pœnitentiam impediunt delinquentem ab exercitio Episcopatus ante sententiam declaratoriam.

44 Vbi igitur contingat Episc. incidisse in delictū, pro quo nulla est imposita irregularitas, & tamen pro eo imposita est, vel pœna priuationis officij ipso facto, vel infamia ipso facto, & vel est saltē depositione dignum, & illud est vel famosum, vel publicum, vel etiam notorium quid faciet Episcopus. *Sotus l. 10 de iust. q. 2. a. 4. concl. 3. ait*, Quod si potest purgare infamiam ad id tenetur sub pœna peccati mortalis si in dignitate vult persistere, etsi si citra suam culpam eam contraxerit. Sed si infamiæ sordes eluere non valet, tunc si absque sua culpa illis infectus est, non tenetur Episcopatum deserere, sed si ex sua culpa orta est infamia ponens impedimentum regimini, tenetur cedere. Sed puto quod si pœnitebit manifestè Deo satisfaciet, & hominibus, & manifestis factis bonis qualemcumque malam famam detergit, & non tenebitur cedere Episcopatui, si alias plebi prodesse possit. Si verò eius delictum ad forum Ecclesiæ fuerit deductum, humiliter Ecclesiæ obediet saluo semper sibi iure iustæ defensionis. Vel etiam sponte cedet, iudicio Ecclesiæ non expectato, si sibi coram Domino expedire videbitur. Nam & hoc prudentiæ erit spōtanea cessione præuenire spoliationem si id fieri possit.

45 Hoc quidem quampluribus DD. citat. s be-

nè aduertit *Barbosa nu. 26.* quod si crimen etiam deductum ad forum contentiosum non habet annexam priuationem officij ipso iure, etiam pendente iudicio potest resignari Episcopatus, vel etiã à beneficia etiam ad fauorem alterius.

46 Secundum ex quo sumi potest iusta causa renunciandi est corporis debilitas, de qua ita habet *Innocent. 3. d. cap. Nisi. Alia verò*, inquit, *causa est, debilitas corporis, quæ vel ex infirmitate, vel ex senectute procedit, nec tamen omnis, sed illa solummodo per quam impotens redditur ad exequendum officium pastorale. Nam si qualibet corporali debilitate susceptæ seruitutis officium posset deseri, frustra fateretur se Apostolus in suis infirmitatibus gloriari. Cum interdum non plus horretur senilis debilitas aliquem cedere, quam moralis maturitas (quæ in senibus esse solet) ipsum in suo suadet officio permanere. Pro talibus enim de se dicit Apostolus. Cum infirmor, tunc fortior sum: quia nonnunquam corporis infirmitas fortitudinem cordis augmentat.* Pius autem V. in sua Constit. 58. ex hic sub debilitate comprehendit *Innoc.* distinctius exprimit distinguendo infirmos, senes, valetudinarios qui malo corporis habitu sæpe ægrotant, & corporis aliquo vitio laborantes. Corpore autem impeditum censendum esse leprosum, scabiosum, Paralyticum Apopleticum, lunaticum, habentem morbum comitialem, morbum gallicum, vlcera per corpus, tremulas, podagram continuam; vitiatum verò corpore dici cœcum, clandum, gibbosum, truncum manu, vel inutilem, & omnem habentem diminutam partem notabilem corporis ex *Barbos. Nouar & Fiam. tradit Ventrigha p. 2. ad not. 4. §. 1. n. 8.*

47 Pro huius verò textus intelligentia, hoc primum dicendum est quod quidquid in contrarium dixerit *Barbosa ad d. cap. Nisi num. 4.* volens inuitum teneri resignare ex nulla incurſa infirmitates, aut senectutis debilitate cogendus est Episcopus ad cedendum, etiam si ille ex ea debilitate fiat minus potens ad Ecclesiam regendam, cum per coadiutorem, vel Vicarium possit Ecclesiæ necessitati subueniri. Nam textus loquitur de cedere volente, & numerat causas iustas ad petẽdam licentiam cedendi, non verò inquit, quod corpore debilis cedere debeat, sed *cap. ex parte 5. de cler. ægrotan. idem Innoc. 3. rescribens Arelat. Archiep.* de Ægroto Episcopo, qui pastorale officium non poterat vllatenus exercere, mandat dari illi coadiutorem, & rationem reddit sic dicens. *Verum cum ipsum ad cessionem compellere non possis, nec debeas vllo modo nec afflicto afflictio sit addenda, immò potius ipsius miseria miserendum, eo quod idem vir bonus extiterit, & Ecclesiam salubriter sibi commissam gubernauerit, nos &c.* Ideò ex debilitate corporis nullum inuitũ esse cogendum ad cedendum Episcopatui docuerunt *Innocent. in d. cap. Nisi num. 4. Panorm. num. 9. Soto lib. 10. de iust. q. 2. a. 4.* dicens posse esse consiliũ cedere retenta aliqua sustentatione, *Ledesma de statibus c. 3. concl. 12. pag. mihi 26. in princ.* vbi quod vniuersaliter quando impedimentũ nõ est ex culpa Episcopi, quod non tenetur renunciare, & quod si sponte cedit, potest sibi reseruare pensionem, *Paris. lib. 5. de resig. q. 3. n. 66 Pax Iordan. Prælud. 8. numer. 57.* Quod tamen limitant *Paris. & Pax*, nisi aliter videatur Summo Pontifici propter summam quam habet in beneficialibus potestatem, *Staphylæus de literis gratiæ in exordio.*

48 Adhuc verò loquendo de licentia obtinenda ab eo, qui liberè velit cedere Episcopatui, dicitur secundo non omnem debilitatem præbere iustam causam cedendi, sed illam solum, quæ Episcopum reddit inhabilem, & impotentem ad exequendum pastorale munus. Sic enim decernitur in textu, quæ verò sit infirmitas, vel senectus, quæ reddat Præsulem inhabilem est positum in arbitrio Summi Pontificis, & Sacræ Congregationis rerum Consistorialium ad quam spectat cognoscere an impedimentum hoc sit legitimum exclusiuè quoad omnes. *Pax Iordan. d. Prælud. 8. num. 51. & 57. Tambur. de iur. Abb. p. 1. disp. 13. q. 1. n. 11. & ex Barbat. Hoieda, Menoch. Mascbard. & alijs Paris. d. q. 3. n. 23. & 56. Palans p. 2. tr. 13. d. 6. p. 2. §. 1. n. 6. Barbosa l. 3. de iur. Eccles. cap. 15. num. 90. & 100. & ad d. cap. Nisi num. 9.* & apud eum *Genuen. & Rendina, Tambur. de iure Abb. d. 13. q. 1. n. 11.* Vbi verò opus sit infirmitatem probare, plenè probabitur vel ex aspectu, vel ex medicis, vel per familiares, & testes domesticos, vel per iuramentum de quo reuideri possunt *Mascard. de probat. concl. 896. Flamin. d. q. 3. a n. 34. Barbosa vbi supra num. 8.* Et certè senectus venerabilis plus etiam iuuare potest prudentia, quam corporis fortitudine, & senectuti iura plurimum deferunt *cap. Domino sancto dist. 50. vbi Archid. & cap. quamuis de sent. excomm. cap. fraternitatis d. 34. cum alijs*, quæ latissime tradit *Tiraquell. in præfat. de iure primog.* Nam & senes prudentiores præsumuntur, *l. sicut certum, §. custodiam, & ibi Gloss. ff. commod. Bald. in cap. cum in iuuent de præsumpt. Archidiac. in cap. diffinimus 18. q. 2.* Vnde qui dicit iuuenem prudentiorem esse id debet probare 15. testibus, *l. vnica, C. de prox. sac. Script. Rom. in l. si vero §. de viro Fall. 53. ff solut. Mascard. de probat. concl. 1295. nu. 3.* Nam & quo viri seniores sunt, eo plus habent experientiæ & vsus *cap. sciendum 26. q. 4.* Vnde senum maior est authoritas, *§. Illud etiã Authen. de appellat. & ibi Gloss. in v. authoritatis, & cap. Domino sancto d. 50.* Et in dicendis sententijs, *l. 1. §. in sentent. ff de albo scriben. Innoc. & Abb. in c. 1. de maior. & obed.* Quamobrem tanta esse posset auctoritas in sene, vt consultius esset eum persistere, & sua vmbra gubernare, potius quam Ecclesiam alteri cõmittere. *Sotus lib. 10. de iust. q. 2. a. 4. concl. 3.* Et ideò ob senectutem non esse passim & de facili concedendam licentiam cedendi dixerunt *Paris. d. q. 3. n. 64. vbi n. 65.* refert suo tempore vixisse fratrẽ Gasparem de Fosso Ord. Minimorum Archiepisc. Regimentos ætatis habeas 93. annos & prudenter Episcopalia munia exercens. *Pax Iordan. d. Pralud. 8. nu. 55. Tambur. de iur. Abb. p. 1. disp. 13. q. 1. num. 11. Barbos. l. 3. de iure Eccl. c. 15. a. 90.* vbi quod senibus si sint Ecclesiæ vtilis non datur facultas cedendi, sed coadiutor adiungitur.

49 An verò sit eadem ratio de alijs Prælatis, & præcipuè de Regularibus quidam de Generali loquentes dixerunt eum ex infirmitate inhabilem redditum ad exercendum munus posse immò debere absolui ab officio per Capitulum Generalem. *Sigism. de Bonon. de elect. dub. 98. n. 3. Samuel. de elect. tract. 3. disp. 1. contr. 3. nu. 7.* & id probans ex *cap. 1. d. 85. & cap. alius 15. q. 6. & Gloss in cap. 1. v. insufficientem, de renunciat.* Et quia Prælati Regulares amoueri possunt ex leuioribus causis, *c. per tuas 1.*

in

in fin. de simon. & cap. qualiter & quando 2. de accus. Sed hanc sententiam improbaui in *tract. de elect. cap. 25. q. 27. n. 332.* Nam sacri Canones ex huiusmodi causa non esse amouendos Prælatos docent *cap. scripsit. 1. cap. præsentium 3. cap. Pontifices 4. cap. qualiter 13. cap. quamuis 14. & cap. petijsti 17. 7. q. 1. & cap. ex parte de cler. Aegrotante.* Nec obstat, quod in his locis sit sermo de Episcopis, nam ratio illorum textuum est, quia potest per coadiutorem Ecclesiæ prouideri. Quod facillimè fieri potest circa Generales Ordinum, in quibus Prouinciæ suos habent Prouinciales, quibus reguntur, & Generali dari potest Vicarius, aut coadiutor, qui supleat defectum senectutis, vel infirmitatis Generalis. Et in Ord. Prædic. inter causas ob quas absolui possit Mag. Generalis non ponitur infirmitas, aut senectus, *Const. dist. 2. cap. 8. §. 6.* & tamen decernitur eum non posse absolui nisi propter causas ibidem expressas. Textus verò in contrarium adducti minimè probant. Nam in *cap. 1. d. 85.* sermo habetur de electis ad Episcopatum promouendis, non verò de iam promotis, de quibus nunc est sermo. Vnde *Gloss. ibi in verb. senio, Ecce,* inquit, *quod senectus impedit promouendum, sed non deijcit promotum. Cap. vero alius, 15. q. 6.* extra propositum adducitur; cũ ibi sit sermo de depositione à regno non ratione infirmitatis, & senectutis, sed quia Rex erat aliunde inutilis, vt notat *Gloss. in v. inutilis*, Nam alias ex simplici infirmitate non fuisset priuandus; sed ad summum dandus ei fuisset coadiutor, vt eadem *Gloss. probat ex cap. Quamuis 7. q. 1.* Quamuis verò ex leuioribus causis & culpis amoueri possint Regulares à suis officijs, non inde sequitur quod sine sua culpa ex debilitate corporali priuari debeāt officio, cum alias Religioni possit prouideri. *Panorm. cap. cum inter 21. num. 2. de elect.* Et cum *Lucius 3.* vt habetur *cap. de rectoribus 3. & Clemens III. cap. Tua 4. de cler. ægrotante* voluerint vt Parocho leproso detur coadiutor, non verò priuetur officio, multo minus priuandus est Generalis suo officio ex infirmitate, cum multo maior sit dignitas Generalis. Hoc tamen nihilominus multum pendet ab arbitrio Summi Pontificis, nedum ob summam quam habet potestatem in rebus beneficialibus, sed quia est summus Religionum Prælatus; vnde si videat pensatis pensandis non posse cõuenienter prouideri per Vicarios, aut Coadiutores, poterit infirmum cogere ad cedendum officio.

50 Tertium ex quo habetur iusta causa cedendi Episcopatui est defectus sciẽtiæ. *Pro defectu quoque scientiæ,* inquit Innoc. 3. *plerumque potest quis petere cessionem, quia cum ipsa circa spiritualium administrationem sit potissimum necessaria & circa curam temporalium opportuna; præsul qui commissam sibi debet Ecclesiam regere in vtrisque salubriter ei renunciat, si scientiam (in qua ipsam regat) ignorat. Tu enim (inquit Dominus) scientiam repulisti, & ego repellam te ne sacerdotio fungaris mihi: quanquam etsi desideranda sit eminens scientia in pastore, in eo tamen sit competens toleranda: quia secundum Apostolum scientia inflat, charitas autem ædificat: & ideo imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis.* In Episcopo enim summe necessariam esse scientiam, vt tam spiritualia quam temporalia Episcopatus administrare possit constat, ex *cap. cum in cunctis 7. de elect. cap. final. de temp. ordin. in 6. c. præcipimus d. 4. cap. pænitentes d. 55. Conc. Trid. sess. 7. cap. 1. de reform. & sess. 22. c. 2.* Nam certe vt ex *Conc. Tolet. 4. c. 14. & habetur c. ignorantia dist. 38.* Ignorantia mater cunctorum errorum maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium populis susceperunt. Et propterea vt idem *Innoc. 3. scrip. Episc. Fauen. & habetur cap. post translat. 11. de renunc. Ne cæcus cæco ducatum præstet*: debet Episc. esse literatus, cum alias illiterati sacerdotes animalibus cæcis assimilati fuerint à *Hieron. in cap. p. Malach.* Et illiteratos, qui alios scientia non præcellunt, vilissimos esse habendos tradidit. *Symachus Papa post. 6. Synodum Romanam, c. vilissimus 45. 1. quæst. 1.* Nam vere indigna res est, vt qui debent omnes docere, indigeant edoceri per alios. Quanta vero scientia sit necessaria in Episcopo, & alijs beneficiatis dixi in *tract. de elect. cap. 25.*

51 Quamobrem res certa est, quod defectus scientiæ potest præbere iustam causam petendi licentiam cedendi, & illam concedendi. Quod tamen in textu limitatur vt non sit verum de defectu excellentiæ scientiæ. *Butr. in d. cap. nisi num. 10. quem sequitur Tambur. de iure Abb. p. p. disp 13. quæst. 7. numer. 13. Tabien. v. renunciatio in princ.* Nam in Episcopo sufficit literatura mediocris, & præcipue, si vt dicitur in textu Decretal. perfectio charitatis suppleat defectum scientiæ. Vnde solus defectus scientiæ infra mediocrem dat iustam causam cedendi.

52 Nam iste scientiæ defectus infra mediocrẽ vel est talis, ac tantus, vt Episcopus non possit sufficienter exequi pastorale munus docẽdo, instruendo, consulendo, iudicando, vel esto sit talis vt substantialiter sufficiat muneri obeundo, multum tamen deficit ab illa perfectione quæ ex dignitate, honestate, & conuenientia in Episcopo est necessaria. Si prima sufficientia scientiæ deficiat, non solum posse concedi Episcopo cedendi licentiam, sed eundem copelli posse ad cedendum, si non petat, cum talis sit in continuo statu peccati vere impotens, & ineptus simpliciter ad Ecclesiam administrandam, *Sotus l. 10. quæst 2. a. 4. concl. 3.* vnde & ipse tenetur sarcinam deponere, quam non potest ferre, tenuerunt ex *Hostien. in d. cap. nisi num. 24. & Bald. num. 3. & iterum Hostien. in cap. vlt. de ætat. & qual. Ledesm. de statibus. cap. 3. concl. 12. circa finem. Paris. de resig. l. 5. quæst. 3. numer. 84. & sequent. Pax Iordan. Prælud. 8. num. 59. Barbosa ad d. caput nisi num. 10.* Et cum textus dicat, quod hic illiteratus potest petere licentiam renunciandi, isti DD. explicant illud potest, vt significet hoc, quod est debere, & hoc probant, nam *Honor. 3. vt habetur cap. vlt. de ætat. & qual. Episc. Calmen.* absoluit, quia illiteratus erat. Verum *Ventriglia p. 2. adnot. 4. §. 1. nu. 11.* hanc sententiam non existimat tutam, si loquamur de Parochialibus nam *Concil. Trid. sess. 21. cap. 6. de reformat.* decernit, vt Parocho illiterato detur coadiutor, nulla facta mentione de renunciatione. Sed media via hic est sequenda, quæ explicatur infra: præmisso examine aliquarum limitationum, quas affert prima sententia.

53 Limitant igitur aliqui assertionem positam, quia scilicet tolerandus sit Episcopus, qui non habet competentem literaturam. Primo si ex longo vsu, & rerum experientia, sciat facere ea, quæ ad officium spectant. Secundo si est in ciuitate parua, & absque territorio, & absque Diœcesi, & cura

gnimarũ, vt est Archiepiscopatus *Nazareth.* Tertio si perfectio charitatis suppleat defectũ scientiæ. *Ita Paris. d. quæst. 3. à num. 109.* Sed difficile est, quod huiusmodi limitationes habeant locum; si semel admittitur, eum, qui non habet competentem scientiam, ex defectu scientiæ debere compelli vt renunciet. Hic enim videtur esse sensus *Flam. Paris.* & aliorum, qui verbum potest positum in textu explicant per verbum debet. Quia per competentem scientiam vel intelligitur scientia substantialiter necessaria & sufficiẽs ad hoc vt Episcopus, in eo Episcopatu, & Diœcesi in quo est, exercere possit valide & legaliter suum officium; vel intelligitur scientia licet substantialiter de iure diuino sufficiens, minor tamen illa competente, quæ vel de iure humano, vel de æquitate, honestate, & decentia & dignitate, requiritur: vel intelligitur scientia tanta quanta est debita de iure humano aut de honestate, & dignitate, licet adhuc intra mediocrem cõtineatur, & ad excellentem non perueniat. Certè quæstio nostra est de scientia competente in primo sensu, cum sit sermo de ea, sine qua Episcopus munus suum non valet exercere. Et alias de scientia competente in alijs duobus sensibus, vt infra probatur absolute dicẽdum est, Episcopum talem scientiam habentem tolerandum esse, & non solum in hoc, vel illo casu. Loquendo vero in primo sensu, iam apparet primo, quod casus relati non sunt apti conclusioni explicandæ: quia in primo & secundo casu Episcopus habet vere tantam scientiam, quanta substantialiter est necessaria respectu loci in quo est Episcopus: seu habet scientiam competentẽ: & præterea supposita illa prima sententia in supradicto sensu accepta, & consequenter ad eam loquendo nullus est dabilis casus in quo talis Episcopus possit tolerari. Nam contra ius diuinum non datur dispensatio vt cum *D. Th. p. 2. quæst. 97. a. 5. ad 3.* tradunt communiter DD. At verò iuxta illam sententiam de iure diuino est, quod Episcopus tantam scientiam habeat quanta substantialiter est necessaria, ad hoc, vt Episcopus valide & legitime possit exercere officium suum. *Turrecrem. in cap. si in laicis dist. 38.* Et ideo cum huiusmodi penitus illiteratis non potest dispensari. *Innoc. cap. dilectus de temp. ord. Felin. in cap. si quando de rescrip. & cap. inquisitionis de sent. excom. Diaz. in praxi capit. 10. Rebuff. in tract. de pacif. possess. num. 13. Paris. num. 100.*

54 Bene verum est, quod ea, quæ refert *Paris. dicta num. 109.* valent ad explicandam assertionem illam. Nam dicitur primo, quod scientia substantialiter necessaria ad hoc vt Episcopus possit exercere suum officium valide & legaliter non est vna in gradu absoluto & indiuisibili, sed respectiue in ordine ad tempora, Diœceses: vt si Episcopatus sit vbi vigeant hæreses, vel nulla sit hæresis suspicio, si in Diœcesi sit populi multitudo vel paucitas; si sint Causidici, Mercatores, Milites, Curia, si adsit Clerus Doctus, si multi idonei Ministri, quibus vti possit Episcopus, & multæ aliæ conditiones huiusmodi pensandæ sunt, ratione quarum in Episcopo necessaria esse potest maior vel minor scientia, & potius vel maior scientia Theologiæ, vel maior scientia Canonum. Et ideo quantitas hæc scientiæ respectiua est, & ad arbitrium superioris iudicanda vt tradiderunt. *Innoc. & Panorm. cap. cum in cunctis, & alij DD. communiter.* Et ideo verum est, quod in paruis aliquibus locis potest sufficere minor scientia, quæ in alijs minime sufficeret.

55 Aduertendum quoque secundo quod, licet vbi est vsus linguæ latinæ, necesse sit vt Episcopus calleat latinam linguam in qua descripta sunt & fidei mysteria, quæ Episcopus debet interpretari, docere, & tueri; & Sacri Canones, ad quorum regulam Episcopus se & plebem debet dirigere. Vnde in his partibus ex eo quod aliquis ignoret latinum iuste præsumitur, quod sit penitus ignorãs & illiteratus, cũ non nisi per vsum latinæ linguæ sciat necessaria vel audiendo Magistros latine docentes, vel libros latino idiomate scriptos legendo. *Panor. cap. vlt. de ætat. & qual. nu. 2.* Et propter hanc præsumptionem *Honor. 3.* cũ per confessionẽ Episc. Calimen. audiuisse eum nec gramaticã audiuisse nec legisse Donatũ eum tanquã ignorantẽ priuauit Episcopatu; quamuis multa alia etiam contra illum audierit. Nihilominus notitia linguæ latinæ non est directe & per se ex iure diuino necessaria in Episcopo. Quod nedum patet de Episcopis Græcis, Armenis, & alijs, qui promouentur, vbi latina lingua non viget, sed etiam absolute, quoniam vndequaque Episcopus sciat, quæ necessaria sunt ad exercendam pastoralem curam, & sciat loqui in idiomate suæ plebi (hoc enim præcipue est necessarium, vt decidit *Rota in Pampilonen. Paroch. 11 Decemb.* 1647. *coram Eminentiss. D. meo Corrado*) parum interest, quod latinum calleat, vel non calleat. Et propterea apud *Panorm. in cap. final. de ætat. & qual. Io: de Deo 12. quæst. 6. alias 51. quæst. 16.* tenet, quod qui ignorat grammaticam, si alias est vtilis, vt quia vsu & experientia rerum scit facere ea, quæ ad officium spectant, si sit promotus ad dignitatem Episcopalem, est tolerandus. Sciens enim mentem legis, licet ignoret verba toleratur. *cap. sedula dist. 38.* Et qui nescientes, legem seruant, sibi ipsis sunt *lex. cap. duæ sunt. 19 quæst. 2. capit. prima quidem dist. 2. & §. scire leges. ff. de legibus.* Nam & quatenus aliquis vsus latinæ linguæ esset necessarius, potest huic defectui suppleri per Vicarium, vel coadiutorem. *cap. inter cætera, de off. ord. nary, & cap. non autem 7. quæst. 1.* Et ideo sententiam hanc *Io: de Deo* sequuti sunt *Panorm. ibid. Turrecrem. in cap. sedulo dist. 38. num. 4. Hoieda de incompatibilit. benef. p. p. 6. 24. n. 32. Paris. d. num. 109.* Nam & Sanctulum qui nec elementa sciebat fuisse presbyterum tradit *S. Gregor. Dialog. l. 3. cap. 37.* pluraque alia exemplu similia refert *Hoieda vbi supra.*

56 Respondetur igitur ad quæstionem, quod licet nec ad Episcopatum, nec ad beneficium curatum, vel ad quodcumque beneficium promoueri non possit, qui non habet scientiam à iure diuino, & humano requisitam, & præcipue nisi tantum sciat vt per se ipsum possit oues suas dirigere, vel si ob multitudinem negotiorum indigeat Vicario, vel Vicarijs sciat illis vti, & discernere an illi bene officio fungantur, & cum vtilitate gregis. Tamen vbi jam illiteratus est promotus ad Episcopatum, vel ad Prælaturam, aut Parochiam, non est necesse illum cogere ad renunciandum, quia potest illi dari coadiutor, qui cum plenissima auctoritate oues dirigat. Sed tamen neque necessario toleratur ille qui caret scientia substantialiter necessaria ad pascendum oues. Sed hic locum habet consideratio

illa

illa Innoc. 3. de habente perfectionem charitatis. Nam si Pastor alias sit vir bonus, qui exemplo doceat multum suos subditos, tunc equum videtur tali dare coadiutorem, per quem defectui scientiæ suppleatur, sicut etiam dixit *Concil. Trident. loc. cit.* Sed si in Prælato aut Parocho ignorante præter defectum scientiæ sint etiam alij defectus, licet forsan non manifesti iudicialiter, extraiudicialiter tamen noti, quantum ad prudentiam sufficit, tunc poterit talis illiteratus cogi ad cedendum sicut Honor. 3. coegit illum Episcopum, côtra quem alia audierat & nihilominus solo expresso defectu scientiæ illum Episcopatu priuauit. Et sic in arbitrio superioris est illiteratum tollerare, vt ex *Concil. Trid. loc. cit.* habetur & illiteratus non tenetur cedere, sed vel cedere debet, vel coadiutorem petere, & obtinere. Nam & in hoc casu dari coadiutorem dixit *Barbosa l. 3. de iure Eccles. c. 15. num. 92.* Et ita licet verum sit, quod ex Innoc. & alijs supra relatis dictum est, nimirum, quod cum huiusmodi penitus illiteratis non potest licite dispensari, vt promoueantur ad Episcopatus, & Prælaturas; quia tamen eorum promotio non est ex diuino iure nulla, quamuis sit illicita; ideo vbi promoti fuerint, si sint tales, vt charitate ædificare possint, & eorum defectus per vicarios, aut coadiutores possit suppleri, tolerari possunt, neque hoc est contra ius diuinum, cum & iam tales promoti sint, & indigentiæ Ecclesiæ sufficienter prouideatur.

57 Si autem promotus alias vsu, & rerum experientia, vel ex alterius linguæ notitia tantum scit quantum substantialiter est necessarium, vt possit valide, & legitime exercere officium Pastorale, licet non habeat illam scientiam, quæ vel de iure humano, vel ex honestate, & dignitate officij est necessaria, nihilominus est tolerandus, id est non debet ex defectu scientiæ inuitus cogi ad cedendum. Bene tamen si non habeat scientiam pro dignitate competentem, iusta causa esse potest admittendi cessionem illius, si alias perfectio charitatis defectum scientiæ non suppleat, & vtilem ministrum illum reddat. Nam tolerandus est, qui habet competentem scientiam, vt habetur ex *d. cap. nisi cum pridem, & doceat Gloss. ibid. ver. pleramque Innoc. num. 4. Hostien. num. 15. Panorm. nu. 10. Paris. d. quæst. 3. nu. 105* Habet vero scientiam competentem, qui scit tantum quantum est simpliciter necessarium ad exequendum officium. Is vero est talis, qui tantum scit, vt per se vel per alium possit valide Sacramenta administrare, rectam fidem, & morum doctrinam tradere, & iustum iudicium iudicare. Non quidem quia sufficiat vt alius sciat, ipso penitus ignorante; sed quia sufficit quod ipse sciat prudenter vti ministris, & de eorum actibus iudicare, & quantum ad ea, quæ per se ipsum exercere debet, sciat vnde possit sine errore & inualiditate, & irreligiositate, & iniustitia legitime operari, Quamuis absolute eius literatura sit valde mediocris.

58 Immo hoc ampliatur, vt tolerandus etiam sit, qui potest adiscere, & interim supplendum erit per Vicarium, aut Vicarios, vt citati DD. docent. Alias vero certum est, Episcopum substantialiter ignorantem, vel teneri ex diuina lege Episcopatui cedere, vel teneri primum adiscere ea, quæ necessario sunt scienda, & interim coadiutorem obtinere, Nec posse se ingerere administrationi cum tali ignorantia, esseque grande peccatum eorum, qui ea, quæ ad officium suum spectant, negligunt scire, vt ex *cap. p. & sequentibus dist. 38.* habetur, & tradunt *Innoc. d. num. 4. Hos. nu. 14. Panorm. num. 10.*

59 De illo igitur qui habeat scientiam alias substantialiter necessariam loquitur præcipue textus, quando dicit, quod est tolerandus; quia imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis. Nam charitas illa est, quæ summopere in Præsule est necessaria, quæ est illa, quæ ædificat, & ex qua omne bonum descendit *cap. charitas, de pænit. dist. 2. & ibi Nauar num. 19.* Et in quo formaliter substantialiter Christianæ vitæ consistit perfectio, vt probatum est supra *quæst. 184. a. 3.* Ideo Christus non interrogauit Petrum an sciret, sed an diligeret; quia licet sit necessaria etiam scientia in Præsule, tamen imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis, sic enim Passidonius in vita S. Aug. scribit ipsum habuisse Episcopum coadiutorem in villa natum, & non multæ lectionis eruditum scientia, sed Dei Amicum. Sanctum etiam Spiridionem Cypri Episcopum; ouium fuisse custodem, habetur ex *Cassiod. Histor. tripart. l. 1 c. 10.*

60 Valde tamen difficile est, vt supposita præcipue diligentia exacta, qua Ecclesia vtitur in inquirenda scientia promouendorum ad Episcopatum, & alia, beneficia inueniatur Episcopus, qui ex defectu scientiæ, sit priuandus Episcopatu. Immo nec modo ea diligentia supposita est tam facile, vt ex præciso defectu scientiæ habeatur iusta causa cedendi Episcopatui, si alias perfectio adsit charitatis. Vnde vt aduertit *Ventriglia vbi sup. n. 12.* Pius quintus in citata Constit. non recensuit inter causas renunciandi defectum scientiæ, quoniam hic defectus modo non sit de facili in promotis reperibilis. Si tamen vel vterque defectus scientiæ, & charitatis, vel eorum alter adsit Episcopus est repellendus, vt ex *Bald. in d. c. nisi n. 3. & Maiolo de irregal. l. 1. cap. 32. numer. 9. tradit Paris. d. quæst. 3. num. 16.* Quod tamen debet intelligi iuxta supradicta, neque enim ex omni peccato excludente charitatem, vel ex omni ignorantia Episcopus est priuandus Episcopatu, & est etiam considerandum, quod illiterati electio, seu promotio non est ipso iure nulla, vt probaui in tractatu *de elect. cap. 25. quæst. 3.* Vnde nedum si illiteratus fuit sine sua culpa promotus non tenetur restituere fructus perceptos, si cogatur cedere Episcopatui, vt docuit *Ledesma de statib. cap. 3. concl. 12.* circa finem; sed etiam si culpabiliter promotus fuit. quia habuit verum titulum Episcopatus licet infirmum, & dissolubilem.

61 Quartum caput ex defectu personæ proueniens, vnde contingere potest iusta causa petendi licentiam cedendi est irregularitas De qua hæc habet *Innoc. 3. in d. cap. nisi. Persona vero irregularitas (vt si sorte sit digamus, vel vidua maritus:) est causa propter quam petere potest licentiam aliquis resignãdi, attestante Apostolo, qui dicit: Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum. Non tamen propter quamlibet irregularitatem personæ debet ei, qui regulariter ministrauit, cedendi licentia indulgeri, vt pote si de legitimo matrimonio non sit natus: quia licet irregularitatem huiusmodi non potuerit subticere; si tamen &*

culpa

culpa latet & causa, cum eo, qui laudabiliter suum impleuit officium (iniuncta sibi pœnitentia competenti) potest non minus vtiliter, quam misericorditer dispensari. Est autem hic distinguenda irregularitas, quia alia est ex delicto, & alia ex alio defectu, qui non sit delictum vt est irregularitas ex defectu natalium, vel ex pluralitate vxorum. In præsenti de hac sola irregularitate exemplum tradit textus, quia irregularitas quæ est ex delicto spectat ad primum caput supra explicatum scilicet ad conscientiam criminis. Cum enim dictum sit ex conscientia criminis summi causam cedendi iustam si crimen sit tale, quod post pœnitentiam adhuc impediat ab executione officij, & hoc faciat crimen ratione irregularitatis adiunctæ, ideo ad dictum caput spectat impedimentum, quod ex irregularitate ex delicto consurgit. Nunc attenditur impedimentum, quod fert irregularitas, quæ non est ex delicto.

62 Est vero vlterius considerandum, quod ex hoc capite nedum ex parte Episcopi adesse potest iusta causa petendi licentiam cedendi, sed potest adesse necessitas, & ita vt possit cogi; *Gigas d. capit. 17. nu. 19. Fuscus d. cap. 28. num. 7. Flam. d. quæst. 3. a num. 177. Barbosa ad d. cap. nisi numer. 15. & l. 3. de iure Eccles. cap. 15. num. 94.* quia licet possit esse in Episcopo iusta causa petendi licentiam cedendi potest simul esse in Pontifice iusta causa non dispensandi cum Episcopo irregulari, quo stante adesit necessitas cedendi, & si nolit, inuitus compelli debebit vt cedat, cũ Episcopus irregularis exercere non possit Pastorale munus. Si ergo contingat Episcopo, vt post promotionem ad Episcopatum sibi innotescat se esse vel bigamum, vel illegitimum, ipse necessitabitur, vel petere licentiam cedendi, seu cedere, vel obtinere dispensationem ab irregularitate. Quam concedere est in arbitrio Papæ. In textu tamen distinguitur inter bigamum & illegitimum, & asseritur quod propter illegitimitatem occultam potest dispensari vt Episcopus non compellatur cedere: Quamuis Innoc. 3. velit vt in hoc distinguatur etiam inter nothos, & manzeres, & naturales, & spurios. Qualiter vero huiusmodi species illegitimitatis distinguantur tractant *Gloss. Hess. Panorm. & alij Canonistæ hic & Card. Palleot. in tract. de Nothis, Couar. de sponsal. p. 2. c. 8. §. 4. num. 1. & §. 5. num. 2. Surd. de Alim. tit. 1. quæst. 4. num. 9.*

63 Hinc quoque considerandum, non esse veram sententiam dicentium electionem irregularis esse ipso iure nullam; pro qua sententia quam ipse sequitur plures citat *Paris. d. quæst. 3. num. 179.* Sed hæc sententia euidenter conuincitur falsa ex hoc textu. Nam irregularitas bigamiæ, & illegitimitatis non est talis, quæ possit superuenire collationi Episcopatus, cum hæc sit ex defectu natiuitatis, & illa non habeat locum in iam Episcopo, cui interdictum est habere vxorem, vnde vtraque irregularitas si adest, præcessit assumptionem ad Episcopatum. Si ergo irregularitas redderet electionem ipso iure nullam, non daretur Episcopo eam patienti facultas cedendi, sed declararetur nunquam fuisse Episcopum; & multo minus ex sola dispensatione super irregularitate promotus legitimus esset Episcopus; sed cum collatio Episcopatus fuisset nulla, ipse nec fuisset Episcopus, nec haberet vnde resignaret, quod non haberet nisi nulliter, & necesse esset vt iterum valide promoueretur; quorũ contrarium in hoc textu supponitur, in quo non decernitur, vt irregularis iterum promoueatur, si cum eo dispensatur, sed bene indulgetur, vt si laudabiliter exercuit officium, cum eo dispensetur, vt in Episcopatu remaneat, quod sine dubio valide obtinuit, & non nulliter, licet cum obtinuit irregularis fuerit. Et propterea merito in *tract. de elect. cap. 25. quæst. 43.* sequutus sum sententiam eorum, qui tenent electionem irregularis non esse ipso iure nullam, licet sit ipso iure irritanda.

64 Quantum vero ad irregularitatem ex delicto, quæ superueniat electioni, aut promotioni ad Episcopatum, eam non priuare Episcopatu ipso iure certum est, vt tenuit Innoc. communiter receptus in *cap. cum nostris, de concess. præben. Felin. in cap. inquisitionis de accusat. Nauar. cap. si quando excep. 10. de rescript. & in Manual. c. 27. num. 150. nu. 6. & cap. clericis, ne cler. vel monach. Paris. d. quæst. 3. num. 181. Pax Iord. d. prælud. 8. & dixi dic. cap. 25. a quæst. 43. num. 511.* Posse tamen Episcopum ex incursa irregularitate priuari Episcopatu dixerunt *Innoc. Io: Andr. Cardinal. in cap. cum nostris de concess. præbend. Mill. in verbo irregularis vt homicida, Cardinal. Parisius cons. 136. num. 40. vol. 4. Paris. dic. quæst. 3. n. 183.* Vnde hic Episcopus potest cogi ad cedendum, si sit irregularis; Verum nihilominus est, quod in irregularitate, quæ sit ex delicto occulto, idest nec notorio, nec famoso, nec ad forum contentiosum deducto excepta irregularitate ex homicidio voluntario ex *decret. cap. liceat sess. 24. cap. 6. Conc. Trid.* possunt Episcopi per confessarium à se specialiter electum dispensari, iuxta tradita & probata in *tractat. de elect. cap. 26. quæst. 4. num. 31. & cap. 27. quæst. 1. num. 9.*

65 Quomodo verò ex irregularitate deducta, & probata in foro contentioso possit Episcopus priuari Episcopatu alterius inquisitionis est. Nobis nunc sufficit, quod ex eo quod Episcopus sit irregularis haberi potest iusta causa petendi licentiam cedendi Episcopatui, & quod immò vnum de duobus est illi necessarium, vel scilicet vt dispensationem obtineat, vel officio cedat. Et additur quod vbi delictum, ob quod Prælatus est irregularis, est depositione dignum, vel habet annexam priuationem officij sententiæ latæ, vel sententiæ ferendæ. In primo casu non habet locum renunciatio propriè dicta, sed priuatio, & absolutio, vnde si petens licentiam cedendi tale delictum exponat de facili priuabitur Prælatura velit, nolit. Sed si delictum habeat annexam priuationem officij sententiæ ferendæ, poterit interim renunciare, *Flam. d. q. 3. n. 182. Garz. de benef. p. 11. cap. 10. n. 47. Ventriglia p. 2. adnot. 4. §. 1. n. 18.* vbi *nu. 19.* ostendit quale homicidium non inducat priuationem officij ipso facto, & quale eam inducat.

66 Ex parte autem plebis etiam oriri potest, quod Prælatus illi non possit prodesse, & ex hac parte duplex assignatur causa. Prima est malitia plebis, de qua sic habet Innocentius III. *Propter malitiam autem plebis cogitur interdum Prælatus ab ipsius regimine declinare: quando plebs adeo dura ceruicis existit, vt proficere nequeat apud ipsum; sed propter eius duritiam, quo magis satagit, eo magis iusto iudicio deficere permittitur: dicente Domino per Prophetam: linguam tuam adhærere faciam palato tuo,*

quia

quia domus exasperans est. Et Apostoli leguntur dixisse Iudaeis. Ecce conuertimur ad gentes, quia verbi Dei vos indignos fecistis. Non autem pro qualibet culpa pastor debet gregem deserere, ne mercenario comparetur, qui videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, sed de Superioris licentia, tunc demum potest non tam timide fugere, quam prouide declinare, cum oues conuertuntur in lupos: & qui debuerant humiliter obedire, iam irreuocabiliter contradicunt: tum etsi tales sint grauiter pro crimine puniendi, sunt tamen pro tempore vtiliter tolerandi: quia sanguinem elicit, qui nimis emergit.

67 Licet igitur plebem deserere ob culpam plebis, sed non sufficit ad hoc quaelibet culpa, sed sola durities non frangibilis, & incorrigibilis pertinacia est causa ob quam liceat plebem deserere, vt ex textu constat & notant *Panorm. num. 10. & alij.* Cum enim Episcopus iam non potest prodesse, iustè declinat, & gregem in lupos conuersum & loco humilis obedientiae reddentem superbam contradictionem derelinquit. Verum neque sufficit multorum pertinacia inuincibilis, si non tota plebs resistit Dei verbo, sed immò notabilis pars obedit, & vocem sui pastoris audit. Non enim Pastor debet oues in medio luporum dimittere. Sed & si plebs tota mala sit, & audire renuat, non per hoc statim dimitti potest, sed dissimulandum est pro aliquo tempore. Nam vt aduertit *Gloss. in v. vtiliter.* Quandoque dormire debet seueritas disciplinae. Ideo Episcopus, non illico per desperationem debet relinquere populum, sed diuino praesidio confidendum, *Sotus l. 10. de iust. q. 2. a. 4.* Et sic Episcopus debet prius per tempus conueniens instare, increpare, arguere, obsecrare in omni patientia & doctrina, vt videat si corum corda largiente Domino & inspirante Dei verbum penetrat. Ideò nec sine consilio, & licentia Superioris derelinqui potest plebs quamuis dura, & ad bonum inflexibilis, *Tabien. v. renunciatio in princip.*

68 Ampliant verò hoc aliqui, vt ex hac causa Episcopus etiam inuitus cogi possit ad cedendum Episcopatui. Ita *Paris. d. q. 3. n. 122. Pax Iordan. d. Praelud. 8. nu. 63. Barbosa ad d. cap. Nisi nu. 14.* Quod tamen limitant, vt sit verum solù, si tota plebs sit mala & pertinax. Sed non video, qua ratione hoc dicatur. Nullus enim est hic Episcopi defectus, sed quod Dei verbû sit sterile totum est ex plebis malitia. Si enim esset ex defectu vel ignorantiae, vel malitiae Episcopi, iam hic casus spectaret ad aliquem ex supra consideratis, sed hic casus totus fundatur in plebis malitia. Vnde igitur ex malitia plebis priuandus est Episcopus suo Episcopatu, & non potius laudandus, qui virtute eum sancta pertinacia curam prosequitur ouium, vt videat, si mansuetudine lupinam rabiẽ vincere valeat? Quod si dicatur, quod vbi talis Episcopus in vna Dioecesi est inutilis potest transferri etiam inuitus ad aliam Ecclesiam, in qua sit vtilis. *Respondetur* quod mutatur quaestio, aliud est enim absolutè cedere, & aliud cedere & transferri ad aliam Ecclesiam. Nam hoc concesso quod fieri posset etiam si plebs esset obediens ex alia iusta causa primum negatur, quia illud nec in textu asseritur, nec ratione fulcitur. Et quod in textu dicatur talem Episcopum cogi, id dicitur quia cogitur ex malitia plebis ab eius cura declinare. Et bene dicitur cogi, quia id Praesul non facit sponte, & ex proprio voluntate, sed necessitatus ex duritia plebis. Sed si malitia non obstante ipse velit perseuerare, non est vnde inuitus plebem suam cogatur deserere.

69 Secunda causa ex parte plebis & sexta inter omnes est scandali vitandi aliqua necessitas. Et hanc causam exprimit Innocentius sub his verbis. *Pro graui quoque scandalo euitando (vsum aliter sedari non potest) licet Episcopo petere cessionem: ne plus temporalem honorem, quam aeternam videatur affectare salutem: memor illius quod dicit Apostolus: Si esca scandalizauerit fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum. Sed inter scandalum, & scandalum est salubriter distinguendum: sicut Dominus ipse distinxit, cui dixissent Apostoli: scis quia Pharisaei audito hoc verbo scandalizantur? Respondit sinite illos caeci sunt, & duces caecorum. Alibi vero dixit: qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.*

70 Sed hic certè distinguendum est de scandalo, nam aliud respectu Episcopi est actiuum, quia Episcopus est, qui scandalizat, aliud est passiuum, quia Episcopo innocente, ex aliorum malitia imminet graue aliquod scandalũ, quamuis illius nullo modo sit causa Episcopus. Multa congerunt hic de scandalo actiuo Canonistae aliqui, & praecipuè *Flaminius Parisius d. q. 3. art. 253.* quae non sunt hic necessaria, quia hic non est sermo de scandalo dato ab Episcopo, quod non potest esse sine Episcopi graui culpa, quae non solum dare potest iustam causam petendi cessionem, sed est demeritum per quod Episcopus mittitur corrigi & puniri; & alias etiam in ipsius potestate est scandalum remouere, quoniam in eius potestate est non peccare. Et de Parochis scandalizantibus populum Concil. Trident. sess. 21. cap. 6. decernit, quod si admoniti coerciti, castigati inueniantur incorrigibiles appellatione posposita priuentur beneficijs, *Barbos. ibid. Flamin. l. 5. q. 6. num. 101. Venerigli ubi supra nu. 23.* Vnde hoc scandalum actiuum ad primam causam spectat, scilicet ad conscientiam criminis. Nam & Praelatus scandalizans populum non est aptus ad illum regendum. Sed hic est sermo de scandalo, cuius Episcopus nõ sit causa licet occasione Episcopatus scandalum oriatur ita vt scandalum possit ex renunciatione impediri. Hinc quoque est, quod non sunt ad huius textus intelligentiam necessaria ea multa, quae Canonistae habent de necessitate vitandi, vel non vitandi scandalum, & quod non debet vitari, si non potest vitari sine peccato, & quomodo ex causa scandali non debeat contemni veritas vitae, doctrinae, & iustitiae. Quia cedere Episcopatus de licentia Papae de se nullum peccatum est, & contra nullam est veritatem, & id fieri posse, & si fiat, faciendum esse sine peccato supponit textus.

71 Nihilominus, vt ait textus distinguendum est inter scandalum, & scandalum. Sed vt distinguit *D. Th. in corp. artic.* Vel enim scandalum imminet ex malitia vel plebis, vel extraneorum nolentium aliquem in Episcopum in odium fidei, vel iustitiae, & auctoritatis Ecclesiasticae cui nolunt se subijcere, sed potius eam volunt conculcare, & hoc scandalum malitiosum non est curandum, sed pro

fide

fide & iuſtitia Eccleſiæ cettandum eſt vſq; ad mortem, vnde ad vitandum hoc ſcandalom non licet Epiſcopatui cedere, & malitiæ malignantium morem gerere. Vel occaſione Epiſcopatus oritur ſcandalum licet non datum, ſed acceptum, quod tamen non oritur ex contemptu fidei, vel auctoritatis Eccleſiæ, vel alicuius inſtitiæ, aut virtutis, ſed ex alijs cauſis particularibus, & priuatis ſimultatibus, aut temporali aliquo interreſſe, ex quo vel Princeps, vel alij extranei, vel Clerus, vel plebs, vel aliqui de plebe Epiſcopum nolentes recipere, vel retinere imminet aliquod graue ſcandalum ſi ille Epiſcopatui non cedat. Et in hoc caſu licet petere licentiam cedendi ad ſcandalom vitandum, ſi alia via non poteſt vitari. Et conſideratis conſiderandis poteſt eſſe quod Epiſcopus ex virtute charitatis neceſſitetur ad cedendum, & ex conſequenti etiam poſſit cogi, vt cedat, ſi alia via ſcandalo non poſſit occurri. Vt ex *Innoc.& Hoſtien.docet Tarrecrem cap.hoc etiam num.27. quæſt.1.* Quamuis tunc Epiſcopo dari debeat bonum cambium, tamen cõmunis vtilitas præferenda eſt priuatæ. Vnde quod ait *Ventriglia num.21.* ſcilicet, quod ſi ſcandalum veniat ex malitia improborum non ex culpa beneficiati tunc non poteſt cogi ad dimittendum, quia hoc eſt ſcandalum Phariſæorum. Non eſt vniuerſaliter verum: Nam vbi agitur de ſalute ſpirituali populi etiam charitas vult, vt ſi aliter non poteſt occurri ſcandalo bona temporalia dimittantur, nõ in gratiam malignantiom ſed ob populi ſpirituale bonum. Et in propoſito cur non poſſet cogi Epiſcopus, vel quicumque beneficiatus vbi non ceſſarent maligni perdere plebem ſi ex ceſſione ſola Prælati poſſet plebi ſubueniri. Nec ad rem facit doctrina *D.Thom* citata ex *quæſt.33. a.8.* ſupra, nam vt bene aduertit ibidem *Caiet.* propter ſpirituales bonum debeat etiam temporalia dimitti. Et ſi daretur caſus v. g. quod Princeps potius induceret populũ ad infidelitatem, quam vellet ſuferre Epiſcopum cur pro ſalute populi non eſſet cogendus Epiſcopus cedere illi Eccleſiæ, præcipue ſi traderetur alia? Ideo melius dicant alij aſſerentes quod propter ſcandalum vitandum poteſt aliquando cogi Epiſcopus ad renunciandum. Quod maiorem locum haberet, ſi Epiſcopus fuiſſet, qui dediſſet cauſam periculo vnde & pro culpa puniri mereretur.

72 Quoties vero ex cauſa ſcandali cogitur Epiſcopus renunciare etiam ſi id eueniat ex culpa Epiſcopi dandam illi eſſe recompenſam, ne cogatur mendicare ex *Feder. de Senis in tract. de permut. benef.num.40.& Card.Iacob.l.9.de Concil.a.2.num.25.* tradit *Flamin.d.quæſt.3.num.176.* referens id fuiſſe obſeruatum per Sixtum Quintum. Et idem docuit *Pax Iordan.Prælud.8. num.72.* referens id fuiſſe ſeruatum ab Vrb. VIII. *Barboſa l.3.de iure Eccl.cap.15. num.96.Ledeſma de ſtatibus.cap.3. concl.12.in fine.*

SVMMARIVM.

1 *Non licet cedere Epiſcopatui ob alias cauſas à recenſitis ab Innoc.3. num.73.*
2 *Quomodo ex intemperie aeris liceat, vel non liceat cedere. n.73.*
3 *Ex cenſura haberi poteſt iuſta cauſa cedendi. numer.74.*
4 *Pluralitas beneficiorum eſt iuſta cauſa cedendi. num.75.*
5 *In inferioribus beneficijs ingreſſus Religionis, vel matrimonium eſt cauſa cedendi. n.76.*
6 *Inimicitia capitalis eſt cauſa iuſta cedendi.n.77.*
7 *Et in aliquo caſu poteſt cogi Epiſcopus vt cedat. num.77.*
8 *Si Tyrannus impediat ne Epiſcopus ſuo muneri ſatisfaciat eſt iuſta cauſa cedendi.n.78.*
9 *Ex pura ſua vtilitate Epiſcopus non poteſt cedere. num.78.*
10 *Sola Eccleſiæ vtilitas dat cauſam iuſtam cedendi num.79.*
11 *Vtilitate Eccleſiæ id poſtulente Epiſcopus etiam inuitus de Eccleſia ad Eccleſiam transfertur. numer.79.*

73 PRæter has cauſas vero enumeratas ab Innoc.III. ex quibus licet petere ceſſionem Epiſcopatus dati poſſe alias tradunt. *Pariſ.d.q.3. n. 203.Pax Iordan. præl ud.8.n.8. Barboſa ad d. cap.niſi, num.16. Ventriglia num.35.* Quia dari poſſunt aliæ cauſæ iuſtæ, & ex cauſa iuſta receditur a regulis iuris. *l. ſi hominem ff. mandati. Dec. cum ſit Romana num.13.de appellat.Menoch.de arbit.l.2.caſu 52. n.5.* Sed oppoſitum eſt dicendum, nullam ſcilicet dari cauſam iuſtam dimittendi Epiſcopatum, quæ non contineatur ſub aliqua ex cauſis enumeratis ab Innoc.III. Quia idem Pontifex dictis cauſis expreſſis, ſubdit. *Verum ſi propter alias cauſas ceſſionem affectes, non eſt ia hac ſibi poſtulanti fauendum, cum huiuſmodi poſtulatio videatur non eſſe diſcreta.* In his enim verbis expreſſe ſatis decernitur, & quod non liceat cedere ob aliam cauſam, & quod alio cauſa non ſit diſcreta & iuſta, prout intellexerunt, & tennerunt. *Hoſt num.78. Butr.num.5. Fuſc.de viſitat. p.2.c.28.num.1. Redoan de ſimonia p.2.c.13. num.11. Gigas de reſid.cap.17.nu.12.* Et probatur expendendo cauſas alias. quæ tanquam iuſtæ adducuntur.

74 Prima enim cauſa quæ adducitur eſt aeris intemperies ſaluti Epiſcopi valde nociua, in qua Epiſcopus ſalua vita non poteſt commorari. Hanc enim eſſe cauſam iuſtam petendi ceſſionem Epiſcopatus ex *Hoſtien. Felin. Redoan. Gloſſ.& Rebuff.* probat *Pariſ.num.244.* Nam ad hoc facit *cap.ad ſupplicationem, de renunc.& ex cap.quorundam diſt.24.* Nã & conſtat, quod iuſta cauſa non morandi io aliquo loco eſt aeris intemperies. Sed primo ſi bene penſetur hæc cauſa tota vtilitatem temporalem Epiſcopi redolet, cum tamen vt ſupra probatum eſt, vtilitas temporalis Epiſcopi non præbeat cauſam iuſtam cedendi, niſi in caſu, in quo Eccleſiæ nihil intereſſit eam regi per talem Epiſcopum, quia per aliũ eque bene adminiſtrabitur, & forſan melius. Hac enim ſuppoſitione facta, quod ceſſio in damnum plebis non cedat rationabile eſſe poteſt non obligare Epiſcopum ad locum in quo ſine mortis aut grauis infirmitatis periculo non viuit. Nam tunc ceſſio cedit in vtilitatem Eccleſiæ requirentis in ſuo Paſtore ſanitatem. Redundat etiam in vtilitatem Eccleſiæ vniuerſalis, vt ſine neceſſitate fideles ſui non exponantur periculo mortis, aut grauis infirmitatis. Ideo S. Congr. rerum Conciſtoralium, prout refert *Illuſtriſs. Faguanus ad cap. ad ſupplicationem num 25.de renunc.* propoſito dubio an ſit admittenda ceſſio. Eccleſiæ Balneoregien. quam in-

ma-

manibus Sanctissimi facere intendit *Carolus Azzolinus* illius Episcopns, ex eo quod cœlum tam Ciuitatis, quam Diœcesis Balneoregien. vt testes deponunt, adeo sibi graue, & suæ complexioni contrarium sit, vt morbnm pœne exitialem nulla remedia ex illa aeris intemperie admittentem hactenus passua, nuper ab alio cœlo valetudini redditus, ad suã Ecclesiam redire nisi cum certo vitæ periculo non possit, die 22. Iulij 1652. S.Congr.ceusuit, si sanctissimus annuat cessionem esse admittendam. Sed vbi mutatio fieri non possit nisi cum notabili damno Ecclesiæ, non licet ex corporali Episcopi vtilitate Ecclesiam deserere. Et vlteriua bic considerandum est, quod alind est non residere, & aliud est cedere, & qnod esto intemperies aeris, si sit temporalia ant accidentaria, esset causa iusta non residendi, nnn per hoc sequitur quod sit causa insta cedendi. Item intemperiea aeris non semper est in tota Diœcesi, nec toto tempore anni. Ideo hic considerandæ sunt decisiones *S. Congr. Epis. & Regul. quas refert Nicolius in Flosculis v. Episcopus nu.93.* ex qnibus habetur quod Episcopua admitti nõ debet ad permutandnm propter aeris intemperiem, dum in Dięcesi ad est aliquia locus puri aeria. 1061, *Terrac. Reg. Regul.* 18. *Decembr.* Potest enim residere in qnaliber parte Diœcesis, modo vadat ad Cathedralem temporibus præscriptia à *S.Concil.Trid. sess.23.cap.1.* Nec remnneat Vicarium & tribunal à Cinitate. 1603. *Brugneto* 18. *Ianuar.* & 1642.22. *Febrnar.* & 1649. 17. *Decembr.* & 1611. *Montalto* 3. *Octobr.* Nec Princeps sæcularia eum cogere potest ad residendum in Ciuitate. 1624. *Acquino.* 18. *Iun.* Et quatenus intemperies esset vniuersalis, si non est res accidentaria, & quæ potuerit contingere Episcopo non aduertente, & nesciente cum libere, & sponte consensit in Episcopatum, nnn est iustum, quod error in qualitate sponsæ spiritualis, quam Episcopus potuit præuidere si vnluit, det causam separationi & dissolutioni matrimonij spiritualis. Sed iustum est, vt qui insalubrem duxit sponte & libere, insalubrem retineat, & suæ corporali saluti omni alio modo possibili prouideat. Nam & temperantia victua, & custodia corporis, & prouidentia bominea cuicũque aeris intemperiei assuefiunt. Et cur Ecclesia alium tenebitur exponere periculo intemperiei aeris, donec superest, qui Ecclesiam illam sponte sibi desponsauit? Et quæ multa congerunt *Paris. & Pax Iordan.* de aeris intemperie non probant, quia non applicantur casui nostro in quo Episcopus sponte desponsauit sibi Ecclesiam in loco insalubri commorantem, & vinculo Religionis ex rei natnra, & diuinn iure indissolubili se ei coninnxit, vnde neque hoc vinculum iustum est ex Pontificia diuina auctoritate dissolui, nisi ex causa Religiosa, & quidem ex hoc mauante, qund Episcopus non possit suæ sponsæ Ecclesiæ æque bene prodesse. Quæ iuxta *D. Th.* in hoc textu est vnica causa ex qua dissolui possit matrimonium spirituale Episcopi cum Ecclesia. Nec iura in contrarium allata vrgenr. Nam in *cap. quorundam dist.74.* non est sermo de Episcopo, sed de Præsbytero Monacho de vna Ecclesia rurali ad Ciuitatem Syracusanam transferendo, vnde exemplum est prorsua dissimile. In *cap. vero ad supplicationem, de renunc.* nulla est vel minima mentio Intemperiei aeria sed casus illiua capitia longe alius est, de quo in sequen.num. dicendum. Quotiescumqne igitur de causa vtili Episcopo occurrit sermo, si vtilitaa Episcopi personalis non redundat in vtiliratem spiritualem Ecclesiæ, & ex eo quod Episcopus reddatur imporens ad Ecclesiæ vtilitatem, vtilitas Episcopi non est causa iusta cedendi. Si vero redundat in vtilitatem Ecclesiæ, tunc erit causa iusta, sed reducetur ad aliquam ex prædictis, sicut ista reducitur ad debilitatem.

74 Aliã est ergo & secunda causa quæ afferri potest est censura, Si de facili non potest ab ea obtineri absolutio: banc enim dare iustam causam resignandi beneficinm habetur ex Const.58.Pij Quinti. *Barbos.p.3 de iure Eccles. cap.15. num. 105. Ventriglia vbi supra.* Et apud eum *Gennen. & Prosper. de Augus.* Sed hæc causa, vt ex eadem Constitut. habetur pertinet ad illam primã Innocent scilicet ad conscientiam criminis, & quamuis absolutio censuræ debeatur pœnitenti, & satisfacienti Ecclesiæ, bene nihilominus potest contingere quod iusta satisfactio sit vt benrficiatus cedat beneficio, & quod ratione delicti pro quo est incursa censura, bonum sit, vt Episcopns cedat.

75 Alia quoque & tertia causa est pluralitas beneficiorum, vt ex dicta Constit.Pij Quinti habetur. Sed si beneficia sunt incompatibilia iuxta textum *in cap. de multa, d. preb.* non habet locum renunciatio, quia ob adeptionem secundi statim primum vacat. Si vero sunt compatibilia, iusta quidem causa est renunciandi pluralitaa beneficiorum, sed hæc non habet locum in Episcopatibus, de quibus modo loquimur, nec in alija beneficija curam animarnm habentibua, quæ incompatibilia sunt iuxta dictnm *cap. de multa de prebend.* Vnde qui recipit secũdum Episcopatum ipso iure priuatna est primo; etsi contenderit illum retinere spoliatur etiam secundo.

76 Alia etiam causa ponitur in *d. Constit. Pij Quinti*, quæ est ingressus in Religionem, vel contrahendum matrimonium. Nam qui Ingressurus est Religionem vel contracturua matrimonium ante potest renunciare. Nam & si id non faciat ante statim ex vi professionia initæ, vel matrimonij contracti beneficia vacant. Et si beneficiatus ea ob præfataa causaa ante renunciauerit, collator non potest ea alteri conferre, nisi sequuta professione vel matrimonio. Sed hæc quoque causa non haber locum in Episcopo, qui non potest, vt dictum est, renunciare Episcopatui vt ingrediatur Religionem, & cui repugnat omnino matrimonium contrahere.

77 Alia ergo & quinta causa assignatur inimicitia capitalis ob quam Episcopua in Diœcesi non potest commorari nisi cum graui periculo mortis. Hanc enim esse causam iustam cedendi probatur. ex *d cap. ad supplicationem*, quia Innoc.III. licentiam cedendi concessit Archiepisc.Ragusien. eo quod ibi non poterat secure morari & habetur ex d. Constit. Pij Quinti. *Hostien ibid. in princ. Gloss. v. morari. Butr. num.2. Panorm. num.1. Fuscus l.2.cap.28. nu.8. Paris. d. quæst.3. num.253. Pax Iordan. d. Prælud.8. numer.80. Ventriglia vbi supra num.32. Barbosa l.3. de iure Eccl. c.15. num.100.* Sed dicitur quod hæc causa est quidem iusta, sed continetur sub causa scandali ennumerata ab Innocentio. Nam mors imminens Episcopo ex graui inimicitia, si accedat ad Episcopatum est scandalum grauissimum imminens, ob

tum. Et talis non est vnde petat, vel expectet licentiam cedendi. sed ex iustitia tenetur statim cedere iniustæ possessioni Episcopatus, quam sine aliquo titulo retinet. *Gloss. & Panorm. d. nu. 5. Garz. de benef. p. 11. c. 3. nu. 250. & apud eum Felin. & Cecb. Barbosa ad d. cap. nisi. nu. 26. Sanctus tamen Ant. 3. p. tit. 19. c. 5. §. 1.* etiam de intruso, qui est in possessione ait, quod renunciat in manib. Papæ: Hoc tamen non admittitur nisi de intruso apparenter saltem electo. Vel igitur Episcopus non est proprie & stricte intrusus, sed habet titulum saltem coloratum, & putatiuum, quis in facie Ecclesiæ, vel fuit electus & confirmatus per Papam, vel fuit per Papam promotus, quamuis laboret aliquo vitio eius promotio, vel etsi fuit legitime promotus, post commisit delictum, ob quod est vel deponendus, vel ipso iure priuatus officio. Et in hoc casu non potest sine licentia Papæ renunciare & cedere. *Panorm. loc. cit. Paris. l. 7. de resig. quæst. 2.* diffuse hoc tractans, & probans, quod nullus criminosus, nec etiam simoniacus habens titulum coloratum potest renunciare sine licentia superioris. Idem tenet *Barbos. ad d. cap. nisi, num. 27.* Neque obstat, si dicatur quod v.g. habens solum titulum Episcopatus apparentem, & coloratum sine vero titulo tenetur in conscientia dimittere officium, & restituere fructus, quia nulliter promotus nō est verus Episcopus, sed est alienæ rei possessor, qui statim tenetur restituere. Vt in simoniaco patet. Nam dicitur quod est verum quod simoniacus tenetur statim dimittere Episcopatum simoniace obtentum, sed illum restituere debet in manu superioris. & ideo sine eius licentia illum non debet dimittere, vt bene docuerunt *Innoc. in cap. nisi num. 1. Gloss. in cap. translationem ver. non valebat de renunciat. & ibi Panorm. num. 23. Syl. v. simonia. num. 10.* Et idem de alijs criminibus dicitur. Cæterum nec est verum vniuersaliter, quod habet *Ledes. de stat. cap. 3. concl. 12.* Quod vbi collatio est nulla intrat obligatio restituendi officium, & fructus, quia non omnis lex irritans obligat in conscientia ante sententiam.

83 Limitat tamen hoc *Panor.* vt in artic. mortis possit renunciari officium ab eo, qui eius verum titulum non habet. sed limitationem non admittunt *Paris. & Barbosa*, nam vere sufficit in eo casu, quod pœnitens suo Confessario promittat se dimissurum quam primum poterit. Tamen posset etiam dici cum *S. Anton. 3. part. tit. 19. cap. 5. §. 1.* quod in hoc casu pœnitens renunciat in manu Confessoris sub conditione, si placuerit Papæ.

84 Limitat vlterius *Panormit.* vt in casu notorij criminis possit sine alia licentia renunciari officio, cum propter crimen quis est eo ipso iure priuatus. Sed neque hæc limitatio admittenda est. Quia potest superior velle dispensare cum illo, & pœnam condonare, & ad prouidentiam superioris spectat videre an conueniat, vt ille cedat, vel non cedat. Et Superioris interest ne alio indicante officium dimittatur, *arg. cap. significasti de foro compet. cap. non liceat. 3. quæst. 6. cap. Clericum. q. 1. Sylu. v. renunciatio quæst. 3. Peyr. in form lit R. cap. 8. num. 4. Tambur. de iure Abb. p. p. disp. 13. quæst. 1. nu. 3. Lezana v. renunc. num. 6.*

85 Quamobrem si Prouincialis, vel Prior, vel Abbas. vel quilibet Superior Regularis sentiat se vere esse insufficientem ad regimen, vel etiam incidisse in casum, cui sit annexa priuatio officij ipso iure, & absque declaratione, non potest ipse se priuare officio, vel Conuentui officium renunciare, sed ad superiorem debet recurrere, & iussum superioris debet expectare, & quælibet renūciatio alteri facta, quam superiori legitimo habente facultatem destituendi, est nullius valoris, & nullum præiudicium affert renuncianti etiam quantum ad possessionem, vt ex *Rebuff. de pacif possess. num. 311. Rota in Nolana Abbatia Iunij 1578. coram Blancheto, & dec. 529. num. 7. p. 4. diuers. probat Tambur. de iure Abb. p. p. d. 13. quæst. 1. num. 9. Lezana in verbo Abbas num. 18. Garz. p. 11. de Benef. cap. 3. num. 223.* Quamuis si renuncians non incubuerit possessioni, sed illam dimiserit, fiat ei ex hoc præiuditium in possessione, nec possit agere spolio, *Garz. ibid. nu. 237. Et num. 231.* ostenderat, quod renuncians in manibus non superioris, nec est priuandus beneficio in pœnam huius delicti, ex tali renunciatione commissi.

SVMMARIVM.

1 *Differentia inter Episcopum, & Religiosum. n. 86.*
2 *Episcopus solum vbi non possit prodesse plebi potest ingredi Religionem. n. 86.*

86 IN responsione ad primum valde notanda est differentia, quam *D. Thom.* ponit inter Episcopum, & Religiosum desumpta per diuersa studia in ordine ad diuersos fines proximos. Quia proximus finis Religiosi est studium & diligentia propriæ salutis obtinendæ. Sed finis Episcopi est studium salutis alienæ; Et quia non cessante fine non cessat motus in finem, ideo vbi Episcopus potest adhibere vtile studium salutis plebis, suæ nō debet cessare intentio Episcopi in hūc finem. Quamobrem tunc solum licet Episcopo dimittere Episcopatum, vt transeat ad Religionem, cum est impeditur, ne vtile studium adhibeat salutis suarum ouium.

SVMMARIVM.

1 *Causa cedendi vel est ex culpa Episcopi, vel non. num. 87.*
2 *Vbi Episcopus factus Religiosus non cessit Episcopatui ex sua culpa, potest etiam ad eundem Episcopatum cessante causa reeligi. n. 88.*
3 *Non tamen si hac causa fuit simonia electo ignorante commissa. n. 88.*
4 *Episcopus depositus & detrusus in Monasterium ad pœnitendum non potest reeligi ad Episcopatum. num. 89.*
5 *An vbi Episcopus non est damnatus ad Monasterium ex eo nihilominus quod factus Religiosus, non possit eligi in Episcopum. n. 90.*
6 *Ex vi ingressus in Religionem nō impeditur Episcopus, quin possit reeligi. n. 91.*
7 *Etiam si renunciasset ex delicto & maneret irregularis posset postulari. n. 91.*
8 *Qui prius fuit Religiosus, si postea ex Episcopatu redeat ad Religionem, non potest in Religione habere afficium. num. 92.*
9 *Episcopus factus Religiosus non potest reeligi nisi seruata lege cap. si Religiosus & num. 93.*

87 IN reſponſione ad ſecundum continetur in ſumma textus *c.poſt tranſlat. 11. de renunc.* Et habentur regulæ ad diſcernendum, an qui ex Epiſcopo factus eſt Religioſus poſſit iterum fieri Epiſcopus. Datur verò diſtinctio, nam cauſa cedendi Epiſcopatui, vel non eſt culpa Epiſcopi, ſed aliquid aliud præbens temporale impedimentum Epiſcopo, ne poſſit adhibere ſtudium ſalutis animarum ſuæ Diœceſis, vel huiuſmodi cauſa eſt aliqua Epiſcopi culpa.

88 Tunc datur prima regula, & dicitur, quod vbi Epiſcopus ceſſit Epiſcopatui non ex culpa ſua, ſed ex aliquo alio temporali impedimento, eo ceſſante poteſt etiam ad eundem Epiſcopatum redire; vt ſi cauſa cedendi fuit ſcandalũ aliquod imminens, vel Epiſcopi infirmitas, vel eiuſdem ignorantia, ſcandali periculo ceſſante, vel infirmitate ſanata, vel ignorantia exuta, poteſt ad eundem etiam Epiſcopatum reaſſumi, vel ſi cauſa non fuit vniuerſalis, ſed reſpectu huius Epiſcopatus, poteſt ad aliũ promoueri. Item dicitur ſi Epiſcopus ex eo ceſſit Epiſcopatui, & factus eſt Religioſus, quod promotio eius eo ignorante & innocente fuit ſimoniaca. In hoc tamen caſu non poteſt ſine ſpeciali diſpenſatione eligi ad eundem Epiſcopatum, ſed bene ad alium. Et ita cum *D.Thom.hic ex d.cap.poſt tranſlationem docuerunt Gloſſ.ver ex præmiſſis, Panormit. nu.9. Barboſ.nu.1.& alij DD.communiter D.Anton, 3.p.tit.19.cap.3.*

89 Secunda Regula eſt, quod ſi quis ex aliqua culpa depoſitus fuit ab Epiſcopatu, & in Monaſterium detruſus ad pœnitentiam agendam, non poteſt iterato ad Epiſcopatum reuocari. Ita *D.Thom.*hic & probatur ex Conſtantinopol.Synodo prout refertur *cap. Hoc nequaquam 45. 7.q.1.& ibi.Gloſſ.in v.alterius. Turrecrem.not.2.Prap.num.3. Barboſa num.1. Albericus v. Epiſcopalis ordo, Maiol, de irregular.l.3.c.6.n.4.& cap.Poſt tranſlationem 11, de renunc.& ibi. Gloſſ in v, loquitur, Panorm. num.9. Barboſ.num.2.Flam.Pariſ.l.5.q.3.num.242.* Et ratio eſt manifeſta. Nam talis ſic publicè pœnitentiatus, vt ait *Turrecr,* cenſendus eſt irregularis tanquam publicè pœnitens, & cum non poſſit ad Sacerdotium promoueri, multo minus poteſt aſſumi in Epiſcopum. Et quidem ex multiplici capite talis Epiſcopus irregularis eſſe poteſt: primo tanquam ex cauſa publica & famoſa damnatus. *Panorm.cap. poſt tranſlat.nu.15.* ſic enim, qui ſic damnantur ſunt ipſo iure infames, ideoque & irregulares, *cap.infames 3.q.7.§.porro,* ſecundo quia damnatus ad pœnam infamantem; Depoſitio enim ab Epiſcopatu, eſt pœna ferens infamiam. *Panormit. cap.cum te nu.20.de ſent.& re iudic. Sayr.de cenſ. l.5. c.22.nu.10. Burgas de irreg.p.6.tit.de ſent.depoſ.* Et ſic talis Epiſcopus eſt infamis ex genere pœnæ & delicti per ſententiam in cauſa famoſa declarati, iuxta *d.cap.infames,* de quo genere infamiæ plura dixi *tract.de elect. cap.25. q.49.* Sed quando nulla alia adeſſet irregularitas, ſi perpetuo talis ſit damnatus ad peragendam pœnitentiam in monaſterio, eſt excluſus ab Epiſcopatu. Et tandem decretum Concil.Conſtant. & Innoc.3, prohibentis talem ad Epiſcopatum aſſumi, illum ab eo excludit.

90 Sed quid dicendum vbi cauſa cedendi Epiſcopatui eſt quidem aliqua culpa, aut irregularitas, ſed tamen Epiſcopus non eſt in cauſa famoſa damnatus ad monaſterium, ſed Epiſcopus de licentia Papæ cedit Epiſcopatui, & ingreditur Religionem? Aliqui exiſtimant, quod Epiſcopus ob crimen renuncians, vt Monachus fiat, vlterius ad Epiſcopatum redire non poſſit, ita *D.Anton.3.p.tit.19.cap.5. in princ, Flamin.Pariſ.lib.1. de reſig. qu,13. num.52.* quem ſequitur *Barboſa ad d. cap. Hoc nequaquam.* Qui immò nulla facta mentione de renunciatione ob crimen, abſolutè docet Epiſcopum renunciantem, vt fiat Monachus, vlterius non poſſe ad Epiſcopatum reuertere. *Turrecrem. autem ſuper d. cap. Hoc nequaquam art.2.diſtinguit,* & ait quod ſi Epiſcopus ſolum renunciauit loco, licet per ſe nõ poſſit reuertere ad Epiſcopatum, poteſt tamen vel ad eundem, vel ad alium eligi; ſed ſi renunciauit loco & omni Epiſcopali officio, non poteſt in Epiſcopum eligi ſine ſpeciali licentia Papæ. At *Panor. cap.poſt tranſlat. nu.15.* aliter diſtinguens ait, quod ſi conſtat Epiſcopum renunciaſſe propter crimen, non poteſt eligi, & licet poſſit poſtulari, poſtulatio non eſt admittenda. Vel non conſtat eum renunciaſſe ob crimen, & tunc vel renunciauit tantum loco, & poteſt eligi, quia præſumitur non renunciaſſe ob crimen, vel renunciauit loco, ordini, & dignitati, & tunc non poteſt eligi, licet poſſit poſtulari: quia cenſetur renunciaſſe propter crimen.

91 Sed hæc quæſtio habet claram ſolutionem ex *cap.poſt tranſlationem,* ibi *Alijs aſſerentibus ſic intelligendum eſſe Capitulum antedictum (ſcilicet Capitulum Conc. Conſtantin.) vt per ſe reſurgere nequeat, ideſt repetere quaſi debitum. quod tali modo dimiſit; quanquam eligi poſſit, præſertim ſi locum tantum, & non ordinem reſignauit.* Ex hac opinione ab *Innoc.3.* ibi approbata habetur, quod vbi qui renunciat, vt Monachus fiat, nõ eſt depoſitus ab Epiſcopatu per ſententiam, nec renunciat ratione talis criminis, aut defectus, vnde remaneat irregularis, & impeditus ab executione officij Epiſcopatus, ex eo præcisè quod fiat Monachus, ſeu Religioſus ſponte Papa id concedente, nullum incurrit impedimentum, ob quod non poſſit ſine diſpenſatione vel eligi, vel promoueri ad Epiſcopatum. *Sotus lib. 10. de iuſt.q.2.art.4.ad ſecundum.* Quamuis enim non poſſit repetere Epiſcopatum, quod reſignauit, vt ſibi debitum, poteſt tamen ad illum & quemcumque alium eligi: quod verò ſubditur præſertim ſi locum tantum & non ordinem reſignauit, ſenſum præfatum confirmat. Dictio enim præſertim comparatiuè ſumitur, & ſignificat idem quod *maximè,* vel *præcipuè,* & importat quod idem iuris ſit in caſu contrario ſecundum quod ex *Natt. conſ.590. num.4. Caſſador.deciſ 4.num.8.de conceſſ.prabend.Cened.ſing.83. num.2.probat Barboſa dict.277, num.2.* Vnde in hoc textu duo ſignificat. Primum quod vbi Epiſcopus reſignauit tantũ locum, vt eſſet Monachus poteſt eligi iterum ad Epiſcopatum. Secũdum quod idem iuris eſt etiam ſi reſignauit ordinem. Quamuis quia in hoc ſecundo caſu non eſt tam vehemens præſumptio, quod non reſignauerit Epiſcopatum ob alicuius criminis impedimentũ, poſſit de facili haberi, quod impediat eum eligi; quia nimirum vbi renunciatio facta ſit ob conſciẽtiam criminis, etiam poſt pœnitentiam impedientis executionem officij, manente eo ſic irregulari,

seu impedito non poterit eligi; poterit verò postulari; iuxta ea quæ tradidit *Panorm supra*. Et si impedimentum esset tale, in quo Ecclesia non consueuit dispensare, male facerent illum postulantes, sed tamen postulatio valida esset, nec postulantes essent priuati voce, vt probaui *tract. de elect. cap. 24. q. 12. num. 30.* Et vlterius hic considerare deberent postulantes id, quod habet *Innoc. 3. d. cap. post translationem*, scilicet quod impedimentum præfatum in Episcopo iam Religionem professo difficilioris dispensationis esset. Cæterum hoc vel alio remoto impedimento ex vi ingressus in Religionem nihil impeditur Episcopus, quin possit eligi iterum, aut promoueri ad eundem, vel aliam Episcopatum.

92 Episcopus tamen Religiosus factus, si ante Episcopatum erat Religiosus, in ea Religione ad quam transit ex Episcopatu non potest habere dignitates neque officia, ex Constit. in sacra B. Petri 45. Pauli IV. *Flam. Paris. l. 5. de resig. q. 3. num. 242. Barbosa ad d. cap. Hoc nequaquam n. 1.*

93 Et si Episcopus factus Religiosus iterum sit eligendus in Episcopum debent seruari sacri Canones, & præcipuè *cap. si Religiosus de elect. in 6.* Quoniam dum fuit Religionem professus, sub legibus Religiosorum viuere debet.

SVMMARIVM.

1 *Dicta de Episcopo renunciante cum proportione vera sunt de alijs Prælatis. num. 94.*
2 *Nulla resignatio admitti debet nisi ex aliqua ex causis à Pio V. in Constit. 58. contentis. num. 95.*
3 *Dictio taxatiua quid efficiat. num. 95.*
4 *Etiam in Regularibus non admittenda renunciatio nisi ex aliqua ex illis causis. num. 96.*
5 *Nō est omnino eadē ratio de Episcopis, & alijs. n. 96*
6 *Non tamen ex omni ex dictis causis tenentur Prælati renunciare. num. 96.*
7 *Renunciatio fieri debet in scriptis. num. 97.*

94 QVæ vero dicta sunt de renunciatione Episcopatus cum proportione intelligi debent, de renunciatione aliarum Prælaturarū & beneficiorū. Quod modo eo est certiùs, quòd Pius V. in dicta sua Const. 58. loquens de resignationibus beneficiorum faciendis coram Episcopis admittit præfatas causas in *cap. Nisi cum pridem contentas*, vnde non est dubium præfatas causas esse iustas pro renunciatione cuiuscumque beneficij aut Prælaturæ.

95 Immò nulla resignatio admitti potest, nisi ex aliqua, vel ex assignatis causis ab ipso Pio V. in d. Const. vel quæ ad illas reducantur, quia non dedit facultatem Episcopis admittendi resignationes, nisi ex prædictis causis, vt patet ex illis verbis. *Episcopi, & alij facultatem habentes eorum dumtaxat resignationes recipere & admittere possint, qui aut senio, &c.* Sufficit tamē quod causæ ad expressas ibidē reduci possint ex rationis identitate, aut similitudine. Nam tales implicitè in d. Constit. continentur, & dictio taxatiua excludit extranea, & dissimilia, includit vero casus similes, vt tradidit *Euerard. loco à natura dictionis taxatiuæ numer. 4. & ex Panorm. in cap. cum dilecta num. 8. de confirm. Barbos. dict. 97. n. 5. Ventriglia vbi supra n. 36.*

96 Et ideò etiam in Regularibus, quamuis iura communia citata loquantur de beneficijs, tamē quia declarant, quæ sint causæ iustæ renunciandi, & quæ non, saltem quantum ad vim directiuam communia sunt etiam illis, vnde non licebit Superioribus admittere renunciationes Prælaturarū, nisi ex aliqua ex causis, vel supra expressis, vel sub aliqua earum contentis. Quamuis non sit omnino eadem ratio de Episcopatu, & alijs Prælaturis propter strictissimum vinculum voti ex quo Episcopus se obligat ad officium Episcopatus. In hoc tamen est eadem ratio, quod pastorale officium quodcumque non debet dimitti, nisi vel ob vtilitatem, & commodum Ecclesiæ, vel causa salutis ipsius pastoris. Quod verò *Lezana v. renunciatio numer. 8.* dicat dari causas ex quibus Regulares nedum possunt, sed tenentur renunciare Prælaturis, quæ sunt censura, irregularitas, infirmitas corporis, vel aliud impedimentum impediens ordinis executionem, vel per simoniam, aut intrusionem officium adepti sunt, iam ex supradictis constat non esse vndequaque verum, & quomodo sit intelligendum Prælatos teneri ad renunciandum.

97 Renunciationem verò, quando fit, debere fieri in scriptis, colligi potest ex *cap. qualiter, & ex cap. quamuis 7 q. 1. & cap. Gonsaldus 17. q. 2. & §. Ecce 2. q. 1.* Sed hoc non importare præceptum, sed cōuenientiam tradit *S. Anton. 3. p. tit. 19. cap. 5. §. 1 fin.* Sed in hoc stylus curiæ seruandus est. Quod quidem vtile est, vt etiam in Prælaturis Regularibus seruetur, etsi non sint beneficia. Quia cum renunciatio sit strictissimi iuris, ad tollendas omnes lites optimum est, vt semper de ea constet per testem irrefragabilem, qui est scriptura, quæ scripta manu propria plene probat intentionem scribentis *l. publica manu, §. Titius, ff. depositi vel contra. Tablen. v. renunc. n. 1.* vbi quod fortè in alijs ab Episcopatu scriptura non est necessaria. *Peyr. in Formular. lit. N. cap. 8. num. 7. Lezana v. renunciatio n. 7.* Diuersæ etiam formę renunciandi officia habentur apud *Peyr. ibid. cap. 5. 6. 7. & 8.*

SVMMARIVM.

1 *An permutatio fieri debeat non nisi ex causis supra positis. num. 98.*
2 *Permutatio beneficiorum fieri non potest sine iusta causa. n. 99.*
3 *Vtilitas personarum potest esse ratio permutandi ex parte amantium n. 100.*
4 *Concupiscentia vtilis est dispositio ad amorem honestum. n. 100.*
5 *Sola vtilitas Ecclesiæ debet esse finis permutationum. n. 101. 102.*
6 *Permutare beneficia ratione vtilitatis est simoniacum. n. 101.*
7 *Vtilitas personarum sæpe redundat in vtilitatem Ecclesiæ, & est medium licitè assumptum ad illam obtinendam. n. 102.*
8 *Sufficit in permutatione, quod vtilitas sit ex parte vnius Ecclesiæ. n. 103.*
9 *Causa iusta permutandi est vtilitas Ecclesiæ vniuersalis etiam cum aliquali damno Ecclesiæ particularis. n. 103.*
10 *Solus fauor personalis alicuius non est iusta causa permutationis. n. 104.*
11 *Permutatio non potest fieri nisi ex aliqua ex causis ex quibus est licita resignatio. n. 105.*

Quæ-

98 Quærendũ vltimò remanet, an quæ de renũciatione dicta sũt intelligi debeāt etiam vbi beneficio renunciatur causa permutandi, vel ad fauorem alterius? Nam *Paluus p. 2. tract. 3. d. 6. p. 2. §. 1. num. 4.* habet quod solus fauor alteri factus præstat sufficientem honestatis causam, si renuncians habeat vnde aliunde viuat, & *num. 8.* docet causas à Pio V. in Constit. 58. positas non esse necessario seruandas in permutatione, quia in ea non est locus fraudi, sicut in simplici resignatione cum permutatio beneficiorum habeat reciprocam resignationem, & in supradicta Constitutione permittuntur permutationes factæ iuxta Canonicas sanctiones. Amplius verò quod permutatio fieri possit ex vtilitate personarum tenuerũt *Gloss. 2. in cap. cum vniuersorum de rerum permut.* & ibi *Panormit. num. 7. & in cap. quæsitum num. 6. eod. tit.* & pro eadem sententia referuntur *Francus, Petrus de Perusio. & Lambertinus à Garz. par. 11. de benefic. cap. 4. num. 46.*

99 Hoc certum est permutationes beneficiorum sine causa iusta fieri non posse. hoc enim expresse decernitur, *cap. quæsitum 5. de rerum permutat. & ibid. docent Canon. communiter. idemq. dixerunt Card. in Clem. de rerum permut. num. 15. Anchar. cons. 279. Rota decis. 4. de procur. in antiq. nu. 4. Bellam. dec. 94. Staphil. de lit. gratia tit. de modo & forma impetrand. §. de iurepatron. permut. num. 2. Dec. cons. 141. num 4. Aymon. Probus, Rebuffus, Gimon, Duaren, Cecbus*, quos refert, & sequitur *Garz. p. 11. de benef. c. 4. n. 44. Barbosa ad d. cap. Quæsitum num. 11. & alij*, quos infra refero.

100 Quo supposito dicitur secundo, quod non est inconueniens neque per se malum, quod vtilitas personarum sit motiuum, & ratio ex parte permutantium, vt permutent beneficia omni pacto cessante. Ratio huius est, quia cum amicabilia, quæ sunt ad alterum sint ex amicabilibus, quæ sunt ad nos, non est contra rectitudinem amoris, quod vtilitas propria honestè amata sit occasio, & dispositio ex parte amantis amandi honestum. Nam & DD. sanctus dixit. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem*, vnde vtilitas retributionis propria erat ex parte illius ratio materialis, & dispositio ad seruanda mandata. Et ita *D. Th. p. p. q. 60. a. 5. ad secundum* docet quod Angelus amat Deum inquantum est illi bonus, sed ly inquantum non dicit finem amoris, sed rationem amandi ex parte amantis. Et timor inferni, qui est ex amore vtilis non est malus, vt definiuit Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. Et ita valde bonum est, quod ex timore inferni moueatur dispositiuè voluntas ad Deum ex charitate amandum. Et ita in materia beneficiali hoc summopere considerandũ, quod vtilitas personarum si sit solũ ratio volẽdi ex parte volentis, & non sit finis volitionis, non est per se mala, sed immò potest esse honesta, si ex honesta voluntate proueniat. Et in hoc sensu intelligi debet opinio *Glossæ, & Panormitan. supra citata.*

101 Dicitur autem tertio, quod permutatio beneficiorum fieri potest & debet propter solam Ecclesiæ vtilitatem, si ly propter dicat finem proximum permutationis, & quod si fiat hoc modo propter aliquod temporale commodum est vera simonia, *D. Thom. 4. d. 25. q. 3. a. 3. ad 8. Syluest. v. permutatio 2. num. 3. Io. Bapt. Conradus q. 42. Vgolin. de sim. tab. 1. cap. 27. §. 1. num. 6.* Etenim vbi commodum terrenum est traditionis spiritualis finis proximus ibi continetur necessario pactum seu emptio, & venditio, nam vendere est dare rem vt habeatur pretium, & emere est dare pretium habendo pro fine receptionem rei emptæ. Quod late declaraui in *tract. de elect. cap. 7 q. 3.* Quamobrem dare beneficiũ ita vt huius cessionis finis sit habere vel aliud beneficium, vel aliud commodum terrenum, est beneficium vendere, & emere, quod simoniacum est.

102 Quamobrem sola necessitas & Ecclesiæ vtilitas, quæ est proprius finis ad quem sunt instituta beneficia, & Prælaturæ, potest esse vnica causa iusta & proximus finis tam permutantiũ, quam admittentium permutationes beneficiorum, vt expresse habetur *cap. quæsitum 5. de rerum permutat.* & tradunt *Anchar. Bellam. Staphil. Aym. Probus, Gimm. Garzias. & Barbosa supra citati. Boer. decis. 203. num. 7. Paris. l. 11. q. 5. nu. 24.* Non enim rectè & honestè aliquid fit, nisi tanquam ex fine proximo fiat propter id ad quod ex lege institutũ est, vt fiat. Beneficia verò, & præcipuè Prælaturæ, & maximè Episcopatus sunt propter Ecclesiarum vtilitatem, ex sola igitur hac vnica causa cõferri debent, quacumque via conferantur. Verum quidem est, quod contingere potest plerumque vt personarum vtilitas redundet in Ecclesiæ vtilitatem; qui enim patitur in vno loco inclementiam aëris minus est vtilis Ecclesiæ seruitio requirente perfectam sanitatẽ, vnde in vtilitatem Ecclesiæ cedit, si ad eam assumatur alius, cui non noceat illius aëris qualitas, & ille ad aliam Ecclesiam transferatur. Similiter dicitur de eo, qui in vno loco patitur inimicitias, qui non bene callet idioma loci, qui habet alicubi occasiones peccandi, cuius doctrina superabundat in loco vbi est, & in ampliori, & pinguiori beneficio erit magis accommodata, qui vtilior euadet minister pro Ecclesia si prouideatur de beneficio in magna ciuitate, & idem de quamplurimis alijs dici posset quorum vtilitas cedet in Ecclesiæ maiorẽ profectum. In quibus casibus vtilitas personarum potest esse finis permutationum materialis, seu melius loquendo medium ex quo resultet maior vtilitas Ecclesiæ, sic ergo bene admittitur, quod assumi potest vtilitas personarum, vt mediũ ex quo resultat Ecclesiæ vtilitas, & fieri potest permutatio intuitu vtilitatis, aut temporalis, aut spiritualis personarum, sed non propriè ratione talis vtilitatis, sed ratione vtilitatis Ecclesiæ consurgentis ex personarum vtilitate. *Vgol. d. §. 1. num. 6. fin. Gambar. in cap. 1. de rerum permut. in 6. num. 9. Anchar. in Clem. 1. de rerum permut. Butr. in d. cap. quæsitum, Calder. cons. 1. de rerum permut.* quos sequitur *Garzias p. 11. de benef. cap. 4. num. 46. Azor. p. 2. l. 7. cap. 30. q. 4. Barbosa d. cap. quæsitum n. 11.*

103 Sufficere autem in permutatione, vt vtilitas sit ex parte vnius Ecclesiæ, dum tamen non sit damnum ex parte alterius dixit *Garzias num. 49.* Cum tamen *Tuscus lit. P. concl. 305. num. 5. ex Gem. cons. 10. num. 5.* vtilitatem vtriusque requirat, sed vtrumque horum est verum, quia vnius Ecclesiæ vtilitas est, quod sine eius damno alterius crescat vtilitas. Immò aduertendum, quod in huiusmodi bene-

beneficialibus attendi debet præcipuè vtilitas vniuersalis Ecclesiæ, cuius bonum tanquam diuinius principaliu s est intentum, vnde iusta causa permutandi est maior, vtilitas Ecclesiæ vniuersalis, etiam cum aliquali damno, si opus sit, Ecclesiæ particularis.

104 Ex his concluditur nulla probabilitate asseri posse, quod solus fauor personalis alicuius sit honesta causa permutandi beneficia: quia hoc est inuertere totum ordinem diuinæ legis, quæ beneficia non instituit, vt danda fauore huius vel alterius, sed ad Ecclesiæ bonum distribuenda.

105 Vnde etiam dicitur permutationes beneficiorum non posse fieri nisi ex aliquibus ex causis enumeratis in Constit. Pij Quinti, ad quas reducitur omnis causa honesta, ex qua beneficia permutari possint, nec sola præsumptio fraudis fuit motiuum Constit. Pij Quinti, sed quia ex lege diuina beneficia non possunt conferri nisi in vtilitatē Ecclesiæ, ipse causas ad vtilitatem Ecclesiæ facientes explicauit. Permisit verò fieri permutationes, sed iuxta sanctiones Canonicas, ex quibus non possunt illæ fieri nisi ex Ecclesiæ necessitate.

ARTICVLVS V.

Vtrum liceat Episcopo propter aliquam persecutionem corporalem, deserere gregem sibi commissum?

opusc. 18. c. 19. & 20. & in 10. le. 3. c. 11. 3. & 9. Cor. 1. 1. fin. c. 1 fin. & 2. Cor. 11. fi. Hom. 14. in Eu lg. inter pri. & med.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod non liceat Episcopo propter aliquam persecutionem temporalem, corporaliter deserere gregem sibi commissum. Dicit enim Dominus Ioannis 10. quod ille est mercenarius, & non vere pastor, qui videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit. Dicit autem Gregorius in Homil. quod lupus super oues venit, cum quilibet iniustus & raptor fideles quosque atque humiles opprimit. Si ergo propter persecutionem alicuius tyranni Episcopus gregē sibi commissum corporaliter deserat, videtur quod sit mercenarius, & non pastor.

2. Præterea, Prouerbiorum sexto dicitur, Fili, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam. Et postea subdit, Discurre, festina, suscita amicum tuum. Quod exponens Gregor. in Pastorali, dicit, Spōdere pro amico est animam alienam in par. 3. c. 5. ante med. *periculo suæ conuersationis accipere. Quisquis autem ad viuendum alijs in exemplum proponitur, non solum vt ipse vigilet, sed etiam vt amicum suscitet, admonetur. Sed hoc non potest facere, si corporaliter deserat gregem. Ergo videtur, quod Episcopus non debeat causa persecutionis, corporaliter suum gregem deserere.*

3. Præterea, Ad perfectionem Episcopalis status pertinet, quod proximis curam impendat. Sed non licet ei, qui est statum perfectionis professus, vt omnino deserat ea, quæ sunt perfectionis. Ergo videtur, quod non liceat Episcopo se corporaliter subtrahere ab executione sui officij, nisi forte, vt operibus perfectionis in monasterio vacet.

Sed contra est, quod Apostolis, quorum successores sunt Episcopi, mandauit Dominus Matth. 10. Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.

Respondeo dicendum, quod in qualibet obligatione præcipue attendi debet obligationis finis. Obligant autem se Episcopi ad exequēdum pastorale officium propter subditorum salutem. Et ideo vbi subditorum salus exigit personæ pastoris præsentiam, non debet pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus pastor animam suam ponere teneatur pro ouibus suis. Si vero subditorum saluti possit sufficienter in absentia pastoris per alium prouideri, tūc licet pastori vel propter aliquod Ecclesiæ commodum, vel propter personæ periculum, corporaliter gregem deserere. Vnde Augustinus dicit in Epistola ad Honoratum, Fugiant de ciuitate in ciuitatem serui Christi, quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus quæritur, vt ab alijs, qui non ita quæruntur, non deseratur Ecclesia. Cum autem omniū est commune periculum, hi qui alijs indigent, non deserantur ab his, quibus indigent. Si enim perniciosum est, nautam in tranquillitate nauem deserere, quanto magis in fluctibus? vt dicit Nicol. Papa, & habetur septima, quæst. 1. Epist. 180. non multum remote à prin. 7 q. 1. cap. Scitis tantis.

Ad primum ergo dicendum, quod ille tanquam mercenarius fugit, qui commodum temporale, vel etiam salutem corporalem, spirituali saluti proximorum præponit. Vnde Gregorius

dicit

Hom. 14. in Euang. cit. mod. *dicit in Homil. Stare in periculo ouiū non potest, qui in eo quod ouibus praeest, non oues diligit, sed lucrum terrenum quaerit. Et ideo opponere se contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit, amittat. Ille autem qui ad euitandum periculum recedit absque detrimento gregis, non tanquam mercenarius fugit.*

Ad secundum dicendum, quod ille qui spondet pro aliquo, si per se implere non possit, sufficit vt per alium impleat. Vnde Praelatus si habet impedimentum, propter quod non possit personaliter cura subditorum intendere, sua sponsioni satisfacit, si per alium prouideat.

Ad tertium dicendum, quod ille qui ad Episcopatum assumitur, assumit statum perfectionis secūdum aliquod perfectionis genus; à quo si impediatur, ad aliud genus perfectionis non tenetur, vt scilicet necesse sit eum ad statum religionis transire. Imminet tamen sibi necessitas, vt animum retineat intendendi proximorum saluti, si opportunitas adsit, & necessitas requirat.

SVMMARIVM.

1 *Resolutio breuis Articuli. n.1.*
2 *Ordo dicendorum. n.2.*

1 HVius articuli resolutio fundamentalis est, quod cum Pastorale Episcopi officium sit institutū propter populorum salutem, ex vtilitate salutis eorum desumenda est vnica ratio, vnde dicatur Episcopum posse a sua plebe abesse, vel non abesse. Vnde duplici assertione satisfit quaesito. Quia nimirum si plebis salus exigit praesentiam Episcopi, non licet ei abesse ob quancumque temporalem persecutionem fugiendam. Sed si plebis saluti consuli potest per alium, qui Episcopi vices gerat, tunc licet Episcopo ob commodum nedum Ecclesiae, sed etiam personae abesse.

2 Haec quidem resolutio talis est, vt ex ea plurimis quaestionibus, quae in hac materia de residentia Episcoporum occurrunt secure satisfiat. Vt vero & Articuli huius doctrina, & necessitas residendi, & causae excusantes a residentia vel non excusantes manifestae fiant, plura sunt examinanda. Et quidem primo videndum est de quidditate & essētia Episcopalis officij. Nam constito quid sit esse Episcopum, manifestum erit ad quid Episcopus obligetur. Quaeritur igitur primo.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit Episcopus ostendunt Concil. Trid. & sacri canones. n.3.*
2 *Episcopi sunt pastores n.4.*
3 *Pastoris officium. n.4.*
4 *Pastor est, qui non est Praesul intrusus. n.5.*
5 *Pastoris est cognoscere oues, easque nominatim vocare. num 5.*
6 *Pastoris est oues ducere, ante eas ire, illasque defendere. n.6.*
7 *Episcopi Pastorale officium. n.7.*
8 *Episcopi est per se ipsum gregem Christi pascere. num.8.*
9 *Episcopi nomen vnde dictum. n.9.*
10 *Episcopus speculator, superinspector &c. n.9.*
11 *Episcopus, qua per se ipsum agere debeat n.10.*
12 *Episcopi est per se exercite pascere gregem. n.11.*
13 *Episcopatus est officium a Christo institutum vt Episcopus curam gregis habeat. n.12.*

Quid sit esse Episcopum, seu quid sit Episcopale officium.

3 COgnoscitur hoc ex *Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. de reformat. ibi. Cum praecepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas cognoscere, pro his sacrificium offerre, verbique diuini praedicatione, Sacramentorum administratione, vel bonorum omnium exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in caetera munia pastoralia incumbere.* His vero consona sunt, quae scripsit *S. Greg. Venantio l.1. epist. 33. & habetur cap. Ephesiis dist. 43. Ephesiis*, inquit, *Paulus dicit Munda sunt manus mea a sanguine omniū vestrum, non enim subterfugi quominus annunciarē omne cōsilium Dei vobis. Mundus ergo ô sanguine eorum non esset, si eis Dei consilium annunciare noluisset quia cum increpare delinquentes noluerit eos proculdubio tacendo pastor occidit. Et Euaristus Papa epist. 2.* omnibus Episcopis scribens prout habetur *7. quaest. 1. cap sicut*, prius dixerat. *Episcopum vero oportet opportune, & importune, atque sine intermissione Ecclesiam suam docere, eamque prudenter regere, & amore, vt à vitijs se abstineat, & salutem consequi possit aeternam.*

4 Episcopi igitur Pastores sunt, & non est dubitandum de metaphora, cum ipse Christus Dominus noster fideles suos oues vocauerit *Io: 10.* Et non sub alijs verbis Petrum suum in terris Vicarium instituerit, quam dicēdo illi *Pasce oues meas*, & ipsemet Pastorem nostrum se vocare dignatus fuerit, dum dixit *Ego sum Pastor bonus Ioan: X.* Ibidem vero Dominus officium Pastoris describit ex pluribus eius actibus, nimirum quia eius est intrare in ouile per ostium, & proprias oues cognoscere, easque vocare nomiatim, & educere, & ante eas ire, & defendere, ita quod bonus Pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Hoc totum ex *cap. 10. Io: habetur. Qui*, inquit, *intrat per ostium, Pastor est ouium.* Et haec est prima conditio. Secunda habetur ibi. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas.* Tertia & quarta ibi. *Et proprias oues vocat nominatim, & educit eas.* Quinta sequitur dum subditur. *Et cum proprias oues emiserit ante eas vadit* Vltima vero ibi additur. *Bonus Pastor animam suam ponit pro ouibus suis.* Haec vero quae de ouium Pastore dicta sunt intelligi debere secundum similitudinem de Christo fidelium Pastore, & de Prae-

fidelibus, quos Christus loco sui fidelium reliquit Pastores, indubitatum est.

5 Prima autem conditio spectat ad legitimationem Pastoris. Ille enim est legitimus Præsul, & non fur, & latro, qui intrat per Christum, qui est ostium ouilis sui. *Ego sum ostium*; quia nimirum non intrat ad regendum ouile nisi legitime electus, & promotus. Reliqua vero officium boni Præsulis exprimunt. Eius enim primo est oues suas cognoscere, Hoc enim ad Pastorem est summe necessarium, vnde & *Prou.* 27.23. *dicitur. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, greges considera.* In Pastore enim animarum hoc primo est necessarium, vt suarum ouium qualitates, conditiones, inclinationes studia, & actiones cognoscat, ita vt quantum possibile est indiuidualiter omnes cognoscat, vt eas & in se, & in ordine ad alias oues, & ad totum ouile dirigere sciat. Et tam indiuidua cognitio requiritur, vt oues suas nominatim cognoscat, & vocare valeat. Ita nimirum vt earum quamlibet si sana sit conseruare, & immo ad maiorem perfectionem deducere, si infirma autem possit curare, corrigere, & emendare.

6 Sed non sufficit cognitio, sed bonus Pastor tempore suo oues suas educit, nimirum ad pascua virentia, docendo nimirum (cibus enim animæ veritas est doctrinæ), interpretando, suadendo, corrigendo. Amplius vero Pastor oues educens ante eas vadit, quia Præsul bonus in credendo, sperando, diligendo, & operando proexemplo proprias præcedit oues. Tandem bonus Pastor oues, quas pascit, ab inimicis tuetur tanto charitatis ardore, vt animam suam ponat pro ouibus suis.

7 Episcopum igitur esse oportet Pastorem fidelium legitime promotum; eius vero officium est oues suas agnoscere, & prout opus est singulas earum ex vultu cognoscere, & nominatim vocare, easque instruere, docere, monere, suadere, illuminare, atque in obseruantia mandatorum præcedere, & ab inimicis omnibus defendere, etiam cum periculo vitæ propriæ. Sed & per Ezechielem Deus loquens contra malos Pastores fidelium, quid sit eorum officium ostendit dicens, *Ezec.* 34. *Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abiectum est non reduxistis, & quod perierat, non quæsiuistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.* Quia nimirum munus Præsulis animarum est verbo, exemplo, suasionibus, exortationibus, fauoribus, beneficijs, & beneuola charitate suos prosequi, & sic in bono vacillantes consolidare, animas ægrotis gratiæ sanitatem reddere; inter se dissidentes & odio confractos amoris vinculis alligare, contumaces ab ouili electos reducere, qui perierunt ad vitam reducere, compassione, pietate, misericordia, patientia, beneuolentia, charitate magis quam austeritate, & potentia omnes dirigere.

8 Sed vna est Episcopalis officij conditio non expressa quidem, sed sine qua præfatæ consistere non valent, scilicet vt Episcopus sit Pastor, non quidem pascens oues vt Dominus per seruos; talis enim improprie Pastor dicitur, sed Dominus dici debet, *Cutet. hic, Soiui l.* 10. *quæst.* 3. *n.* 1. sed per se ipsum munus Pastorale exercens; nam talis non potest non esse, qui proprias oues cognoscat, easque nominatim vocet, & educat, & ante eas vadat; & si opus sit pro illis animam ponat. Hoc est officium Pastoris a Christo descriptum. Talis Pastor fuit Christus: tales igitur sunt, quos ipse Episcopos posuit pascere Ecclesiam & plebem suam.

9 Nam & nomē Episcopi hoc significat, Quia siue Præsules fidelium dicti sint Episcopi, quia apud Ethnicos Episcopus significaret Magistratum cui demandata erat cura panis, & victualium. *l.* 2. *ff. de mun. & hon. Cic. ad Atticum epis.* 10. *l.* 7. *Syluest. Ang. Tabien. v. Episcopus*, siue vt magis placet *Baronio ad annum Christi* 8. *num.* 8. quia vt dixit *Suidas* in historia, illi Episcopi dicebantur, qui inspectores, & custodes ad statum rerum cognoscendum mittebantur; certum est quod immediatum ministrum significabat. Et modo simul compertum est, quod hoc nomen Episcopus idem est, quod latine speculator, *cap. cleros* §. *Episcopus, dist.* 21. vel superintendens, *cap. qui Episcopatum* 8. *q.* 1. speculari verò, & superintendere sunt actiones personales immediati ministri: & ex eo Episcopus dicitur speculator, aut superintēdens, quia cum eius officium sit proprias cognoscere oues, & nominatim vocare, eius est speculari, inspicere, attendere, inuestigare, quid ad eorum salutem spectet; & tanquam vigil pastor superintendere etiam laicis ipsis Magistratibus; & Principatibus. vnde Nicolaus Primus Epis ad Epis Galliæ, Episcopos superinspectores vocat. Et S. Bernard. l. 2. de Consid. in principio dicebat. *Blanditur tibi Cathedra? specula est, inde denique superintendis, sonans tibi Episcopi nomine, non dominium, sed officium, quid ni locatis in eminenti, vnde prospectes omnia, qui speculator super omnia constitueris? Enim verò prospectus iste ... parit, non otium. Quando libet gloriari, ubi non licet otiari?* Nil tam non otiosum, nil tam immediatum ministerium, quam esse vigilem, speculatorem, superinspectorem, superintendentem. Tales sunt Episcopi, qui propterea etiam dicti sunt oculi Ecclesiarum, lumina mundi, lux & sal terræ, Dei præcones, Dei Legati, Dei Angeli, Ecclesiarū Custodes, Rectores, Duces, Mediatores Dei & hominum pro hominibus constituti in ijs, quæ sunt apud Deum, Patres pupillorum ac viduarum, alijsque centum ac centum honorificis epithetis honorantur, significantibus immediatum ministerium, & curam, quam ex officio habere tenentur Episcopi. Et de quibus videri possunt *D. Dionys. Areopag. de Cælesti Hierarch. cap.* 1. *D. Ignat. Mart. Epist. ad Smirnenses. D. Gregor. Nazianz. in Apolog.* 1. *de laudibus Athanasij, & in carmine ad Episcopus. D. Basil epis.* 61. *cap. in nomine* 21. *dist. cap. accusatio* ... *quæst.* 7. *cap. gloria* 12. *q.* 2. *cap. si Rector* 43. *dist. cap. sicut vir.* 7. *q.* 1. *cap. solita de maior. & obed. Clem.* 1. *de pœnis. Barbos. de off. Episc. p.* 1. *tit.* 1. *cap.* 2. *Pax Iordan. Prælud.* 1.

10 Et neque tamen sensus est, quod eorum quæ ad pastorale officium pertinent Episcopus nihil possit agere per ministrum, cum & liceat ei per ministrum prædicare, & immò non nisi per ministros possit in tota Diœcesi Dei verbum proponere, ipseque indigeat Vicario, qui eum iubleuet & adiuuet, & maximè in ijs, quæ ad forum contentiosum pertinent. Sed quia & multa sunt, vt nimirum administratio Sacramentorum Confirmationis, & Ordinis, consecratio Ecclesiarum, & Virginum,

nū, & similia, quæ sunt munia Episcopalia, & quia sollicitudo Diœcesis, vigilantia super grege, cognoscere oues ex vultu, easque vbi opus est scire vocare nominatim, easque deducere, & pro tempore docere, instruere, infirmas solidare, ægrotas sanare, confractas alligare, abiectas restituere, quæ perierunt requirere, à lupis defendere, vigilare pro illis, speculari quæ earum sunt, superinspicere ne damnum irrepat, superintendere, vt cuncta prospere se habeant est personale opus Episcopi. Vnde *Io. 22. in traditione pallij S. Dunstano Cantuarien. Epis.* vt habetur apud *Baron. tom. 10. an. 960. nu. 7.* bene dicebat. *Salem geluque pro gregis custodia ferre contenti simus, & oculis conspectare vigilantibus, ne aliqua ex ouibus, aut errando pereat, aut laniata morsibus rapiatur, attendamus officium taliter exhibere, ne quasi lupo veniente, territi fugiamus, ac in die supremi examinis pro desidia nostra ante summum Pastorem excruciemur, vnde modo honoris reuerentia in sublimiori Arce cæteris collocamur.* Videri etiam possunt *epist. Arnulphi Reg. prolocutoria Concil. Tribar. S. Petri Damiani in libel. Gratissimus Zaibar. Papa in Concil. Roman. apud Baron. tom. 9. an. 743. num. 33.*

11 Quod enim præcepit Christus Apostolis fuit actualis custodia, & exercita suarum ouium cura. Non dixit enim Petro esto Pastor, habetoque titulum sublime pastoris, sed dixit. *Pasce oues meas.* nimirum exercitè doce, instrue, argue, obsecra in omni patientia, & doctrina, intende, vigila, superintende, defende oues meas. Et idem Dominus mittit Apostolos, non qui operari possent, sed qui operarentur, vnde dixit *Messis quidem multa, operarij autem pauci. Luc. 10.* Non enim dixit pauci sunt qui possint operari, sed pauci operarij, qui actu operentur. Et Paulus dixit, *qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat,* quia Episcopum esse est esse actualem operatorem. Sic & decimæ & temporalia debentur, sed pro actuali opere, ex eo quod nec miles militat suis stipendijs, & trituranti boui debetur sustentatio 1. Cor. 9. & quia præmio Ecclesiastico digni sunt, qui bene præsunt 1. Tim. 1. & Num. 18. Decimæ fuerunt institutæ pro ministerio leuitarum. Vnde *Innoc. 3. cap. secundum Apostolum de præben.* ex his probat quod stipendia Ecclesiastica dantur propter opus. Nam & *Actor. 20.* dicitur Episcopos in Ecclesia positos ad eā regendam, vnde indubitatum est, quod ex Christi institutione esse Episcopum non est habere nudam potestatem agendi, sed est esse operarium ex officio obligatum ad agendum cum subordinatione ad Summum Pontificem, & sub eius obedientia & dispositione. Et ita quod Episcopatus est officium per se ordinatū ad hoc vt Episcopus habeat actualem curam suarum ouium.

12 Itaque igitur concluditur quod Episcopatus sic est dignitas amplissima, quod tamen est officium per se à Christo institutum ad hoc vt Episcopus per se immediatè curam habeat suæ plebis, & tanquam pastor suas oues cognoscat, vocet nominatim, educat, ante eas vadat, easque defendat, & super grege suo vigilias custodiat, semper attentus speculator, superinspector, & superintendens ad ea, quæ sui gregis sunt. Ita habetur ex *Concil. Trident. loco citato & ex D. Thom. in hoc artic. Caiet. Soto l. 10. de iust. q. 3. ar. 1. Ledesma de statibus cap. 3. concl. 14. 15. & 16. Turrecremata in cap. sciscitaris 7. q. 1. Caranza opus. de residentia.*

SVMMARIVM.

1 *Residere quid sit. num. 13.*
2 *In quo loco habitare debeat Episcopus. n. 14.*
3 *Aliquando adesse alicubi non est residere. n. 14.*
4 *Nedum præsentia localis sed prouidentia sollicitā ad residentiam spectat. n. 15.*
5 *Mercenarius fugiens est Prælatus negligens. n. 15.*
6 *Residere est esse præsentem actum localiter, sed virtute, & operatione. n. 16.*
7 *Præceptum residendi solam præsentiam localem præcipit. n. 17.*

Quid sit Episcopum residere in sua Diœcesi?

13 RE sidentia enim duo importat, vnum de materiali, & hoc est præsentia localis intra Diœcesim, & aliud de formali, & hoc est actuale exercitium officij. Primò igitur residentia importat præsentiam localem intra Diœcesim. Residere enim dicitur is, qui habitat in loco vbi est Ecclesia, cuius beneficium habet. *Rub. adnot. ad decis. 576. num. 134. part. 5. tom. 4. recent. Nauar. de cler. non resid. cons. 13. num. 2. ex Panorm. in cap. altm num. 6. de verbor. signific. Cassad. dec. 1. de cler. non resid. Cauar. 2. var. cap. 13 num 3. Azor. p. 2. l. 7. c. 7. q. 5. Layman. l. 4. tract. 2. c. 6. nu. 1. Bonac. de resident. par. 1. num. 1.*

14 Sed & hæc præsentia debet considerari vt est iuris positiui, & vt est iuris diuini. Nam ad hoc vt Episcopus dicatur residere secundum exigentiam iuris positiui sufficit quod sit intra Diœcesim, ex hoc euitat pœnas à iure humano contra non residentes impositas. Ex Concil. enim Trid. nullus locus intra Diœcesim est determinatus pro residentia Episcopi, sed sess. 6. cap. 1. solum contra commorantes extra Diœcesim pœnas decernit. Vnde Sac Congreg. Concilij in vna *Cassanen. 3. Septembris 1622.* censuit Episcopum si non vadat ad Cathedralem in temporibus à Concilio præscriptis, licet malè faciat, non tamen incidere in priuationem fructuum impositam à Concilio contra non residentes. De iure diuino tenetur adesse vbi opus sit sua præsentia. Conueniens tamen est vt habitet in loco vbi est Ecclesia Cathedralis, & prope illam habeat solitam residentiam, vt colligitur ex *cap. Episcopus 7. dist. 21. & cap. peruenit ad nos 7. q. 1.* & docuit *Gloss. in cap. Episcopus 4. de consecrat. dist. 3. & Ledesm. de stat. cap. 3. concl. 16. & ex Genuen. Rota decis. 353. num. 53 par. 5. recent. vbi an. 52.* quod residentia præsumitur penes Cathedralem *Barbos. de off. Epis. alleg. 53. nu. 3.* Ad hoc autem vt residente dicatur non sufficit, quod aliquando adsit in sua Diœcesi. Episcopus enim, qui vt plurimum extra Diœcesim moratur licet aliquando visitet suam Ecclesiam, & in ea functiones Episcopales habeat, non potest haberi pro residente. *Rota decis. 70. n. 4. coram Gregor. XV.*

15 Verum præsentia localis Episcopi ad moralem eius assistentiam est ordinata & ideò hoc maximè est necessarium vt Episcopus sit præsens

secun-

ſecundum virtutem, in quacumque parte exiſtens ſua vigilantia ſollicitudine, prouidentia, & operatione. Ad quod valet illud *D. Bern.epiſ.*188.dicentis Epiſcopis *Agite pro loco, quem tenetis, pro dignitate qua polletis, pro poteſtate, quam accepiſtis.* Quid enim prodeſt localis præſentia, ſi Epiſcopus non agat pro loco, pro dignitate, pro poteſtate quam habet? Si dum eſt docendi, ſuadendi, corrigendi, arguendi locus obmuteſcat? Si interim eo redditibus Epiſcopatus perſtuente, libidines in plebe omnem continentiam comburant, vſuræ ſubſtantiam pauperum deuorent, iniuſtitiæ dominentur, langueant pauperes, viduæ inconſolabiliter ſe oppreſſas doleant, pupilli, & orphani careant defenſore & vitia vbique debachentur. Si de Epiſcopis poſſit Deus repetere, quæ per Ezechielem dixit, & vt aduertit *Zach.Papa in Concil. Rom.* dicere. *Paſtores audite verbum Domini; ecce lac deuoratis, & lanis eorum cooperitis vos, & quod craſſum eſt iugulaſtis, & oues meas diſperſiſtis, quod infirmum erat non confirmaſtis, quod malè habebat non curaſtis, & contritum non alligaſtis, & quod errabat, non conuertiſtis, & quod perierat non requiſiſtis, & diſperſa ſunt oues meæ, eo quod non ſint Paſtores, & factæ ſunt in deuorationem omnibus beſtijs agri, nec erat, qui requireret, neque qui reuocaret?* Mercenarius eſt, qui dimittit oues, & fugit, ſed vt ex *S. Auguſt. ſuper Io:* habet *D.Thom. Io: 10. lec.3.* fuga animi ad conſtituendum mercenarium ſufficit, & mercenarius fugiens & dimittens oues eſt, qui ſibi periculum metuens reſiſtere iniuſtitiæ non præſumit. *Sed fugit non mutando locum ſed ſubtrahendo ſolatium, refugiens ſcilicet gregis ſollicitudinem.*

16 Quamobrem Epiſcopum reſidere non eſt ſolum eum eſſe localiter præſentem ſuæ Diœceſi, ſed eſt eſſe in tota & qualibet Diœceſi parte præſentem per aſſiduam curam, & per prouidentiam, patientiam, & operationem paſtoralem. Reſidere enim eſt Eccleſiæ perſonaliter deſeruire, vt habetur ex *cap. quia nonnulli, 3. & cap. Conquerente 6. de Cler. non reſidente, & docuerunt Turrecrem. cap. peruenit num. 2. 7. q. 1. Caiet. hic, Sotus lib. 10. de iuſt. q. 3. a. 1.* Vnde à ſimili Canonicus &, ſi choro interſit, niſi tamen pſallat, diſtributiones quotidianas nequaquam lucratur, & multo minus ſi non ſit præſens in choro, vel Eccleſia, ſed in Ciuitate tantum, vt cenſuit S.Cong. Concilij 7. Aprilis 1618.

17 Quoniam nihilominus præſentia hæc per virtutem & operationem finis eſt præſentiæ localis, debet enim Epiſcopus reſidere, vt paſcat oues ſuas verbo, & exemplo, ſub præcepto autem humano non cadit præcepti finis, vt *D.Thom.* communiter receptus docet *p. 2. q. 100. a. 9. ad ſecundum, & 3. d. 28 a. 3. c. & diſt. 30. a. 6. c.* ideò ſub præcepto reſidentiæ cadit præſentia localis non verò diligens & ſollicita cura gregis, illaque ſufficit ad vitandas pœnas latas in non reſidentes. *Garz. de benef. par. 3. cap. 2. num. 53.* Sed de hoc dicam latius infra loquendo de reſidentia Parochi.

SVMMARIVM.

1 *Reſidentia eſt de iure humano. n.18.*
2 *Cardinales Epiſcopi teneantur reſidere. n.19.*
3 *Præceptum reſidentiæ eſt affirmatiuum. n.20.*
4 *Reſidentia non eſt detentio in carceribus. n.21.*
5 *Epiſcopi ad breue tempus poſſunt abeſſe. n.21.*
6 *Quod nam ſit hoc breue tempus. n.22.*
7 *Decretum Concilij. n.23.*
8 *Datur aliquod tempus abſentiæ tam breue, vt non ſit peccatum abeſſe. n.24.*
9 *Concilium concedit, vt ex iuſta cauſa ſibi bene viſa Epiſcopus poſſit abeſſe per trimeſtre. n.25.*
10 *Ad abſentiam per trimeſtre ſufficit cauſa leuis. num.26.*
11 *An ſufficiat cauſa recreandi animum, & inuiſendi parentes. n. 26.*
12 *Triplex tempus conſideratur. Vnum in quo abeſſe eſt nullum peccatum, aliud in quo eſt veniale, aliud in quo eſt mortale. n.26.*
13 *Ex cauſa graui approbata Epiſcopus poteſt per multum tempus abeſſe. n.27.*
13 *Epiſcopus ex cauſa approbata tuto abeſt. n.27.*
14 *Multum intereſt videre an obligatio reſidendi ſit de iure diuino. n.28.*
15 *Si obligatio reſidendi eſt de iure diuino abeſſe ſine iuſta cauſa etiam approbata eſt peccatum. n.28.*
16 *Quæ videntur probare reſidentiam non eſſe de iure diuino. n.29.*
17 *Reſidentia eſt de iure diuino, et naturali. n.30.*
18 *Pontifex an poſſit diſpenſare in lege reſidentiæ. n.31. 32. 39.*
19 *Sufficit, quod præceptum reſidendi deducatur ex ſcripturis per conſequentiam. n. 33.*
20 *Leges paſtoralis officij Chriſtus inſtituit, licet Pontifex paſtores inſtituat. n.34.*
21 *Ex eo quod ex inſtitutione Chriſti Epiſcopi ſunt paſtores tenentur reſidere. n.35.*
22 *Epiſcopatus eſt in Eccleſia ex Chriſti inſtitutione tanquam officium requirens reſidentiam. n.36.*
23 *Regere per Vicarios Diœceſes non eſt regulariter bonum. n. 37.*
24 *Regere plebes eſt officium perſonale. n. 37.*
25 *Quamuis Epiſcopus aliqua per miniſtros poſſit agere, curam totam non poteſt delegare. n.38.*
26 *Contra legem reſidentiæ, vt eſt diuina, non valet conſuetudo. n.40.*
27 *Lex humana reſiſtit conſuetudini non reſidendi. num.40.*

Ex quo iure Epiſcoporum reſidentia ſit neceſſaria?

18 QVæſtio hæc difficultatem habet ex parte iuris diuini, ac naturalis; nam de iure humano non poteſt eſſe dubium, cum tam antiqua iura, quam noua obligationem reſidendi Epiſcopis præſcripſerint. Sic *S.Greg. lib. 5. epiſt. 23. ad Anthemium Subdiaconũ decreuit, & habetur cap. peruenit 7. q. 1. & toto titulo de Clericis non reſidentibus, & cap. ad hæc, & cap. extirpanda, §. qui vero de præbend. & cap. licet de elect. in 6. & ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 1. & ſeſſ. 23. cap. 1. de reform.*

19 Immo cum antiquitus diſputatio eſſet an Cardinales promoti ad Epiſcopatum teneantur reſidere, vel potius Romæ manere poſſint. Exiſtimantibus pluribus, quos refert *Barboſa de off. Epiſ. alleg 53. n. 13.* eos non teneri ad reſidentiam, ſed habere non reſidendi cauſam iuſtam ex eo, quod ſint pars corporis Papæ, & illi aſſiſtere teneantur, & ſine eius licentia a Curia non poſſint diſcedere.

vt tradit *Flam. Parif. lib. 1. de resig. q. 10. nu. 27.* modo omnis cessat difficultas, nedum ex decreto *Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. de reform.* expresse statuentis etiā Cardinales Episcopos obligari ad residentiam; sed etiam ex speciali Constit. Vrbani VIII. quæ incipit Sancta Synodus Tridentina, & fuit data 12. Decembris 1634. Pontificatus sui anno 12. in qua decernitur Cardinales Episcopos ratione Cardinalatus non excusari ab obligatione residentiæ, & si non residcant ligari legibus, & pœnis latis in Episcopos non residentes. Vnde merito hanc partem tenuerunt *Caiet. hic, Sotus l. 10. de iust. q. 3. a. 4. Ledesm. de stat. cap. 3. concl. 16. Turrianus de resid. pag. 45. Valent. 22. tom. 3. disp. 10. q. 3. p. 4. Azor. p. 2. l. 7. c. 4. q. 7. & cap. 6. q. 1. Vasquez de beatif. cap. 4. §. 2. dub. 2. nu. 141. Sà v. residentia Sanctarel. variar. q. 11. Flam. Paris. l. 1. q. 19. a. 8. Molfes. tract. 6 c. 11. n. 34. Barbosa de off. Epis. alleg. 53. n. 23. & ad sess. 23. Conc. Trid. c. 1. n. 5.* & apud eum *Zapata, & Germon. Gonzalez ad reg. 8. Gloss. 14. nu. 346. Corduba l. 1 q. 19. Bonac. de resident. p. 5. nu. 8.*

20 Certum etiam est secundò præceptum residendi siue dicatur diuinum, siue humanum esse præceptum affirmatiuum obligans semper, sed nō ad semper, sed pro loco, & tempore, seu pro ratione circumstantiarum, sicut alia præcepta affirmatiua. Et licet gratia materiæ vt *Caietan. aduertit,* obliget ad semper, quia residentia ipsa perpetuitatem importat, cum dicat continuam curam, & vigilantiam ad ea, quæ sunt plebis, & propterea esse ad paratum Episcopum ad omnes casus contingētes circa curam pastoralem, & qui in quocumque tempore possunt contingere, vnde opportet Episcopum semper residere, vt cuicumque occurenti malo aut periculo, aut necessitati plebis possit succurrere.

21 Nihilominus duo indubitata sunt. Primum quod hæc residentia non est detentio in carceribus, sed importat continuitatem, & perpetuitatem moralem, vnde possunt Episcopi ad breue tempus abesse, dummodo fiat sine detrimento Ecclesiæ, & ex aliqua causa iusta. *Caiet. hic, Sotus d. lib. 10. quæst. 3. a. 4. Valent. tom. 3. disp. 10. quæst. 3. p. 4. Ledesma de statib. c. 3. conclus. 16. dub. 4. Azor. p. 2. l. 7. cap 4. quæst. 1. Barbosa ad cap. 1. sess. 23. Conc. Trid. num. 16. Layman l. 4. tr. 1 c. 6. num. 4. Bonac. de resid. p. 5. num. 2. & alij communiter,*

22 Quantum vero sit censendum tempus breue, *Sotus, Valentia Azor. & Barbosa* putant breue tempus esse duorum mensium vel trium. Nam & per tantum tempus eos posse abesse permittitur à Concil. Trident. & ita ad hoc vt Episcopus per tantum tempus absit, dicunt sufficere causam leuiorem, ita ut possit abesse etiam causa recreandi animum; aut inuisendi consanguineos & amicos. Sed alij negāt ex hac causa ad summū licere abesse per mensē sic enim ex *Vasq. op. de benef. c. 4. §. 3. a. 3. dub. 3. n. 14. tenet Palaus p. 2. tr. 13. disp. 5. p. 4. n. 1.* quos refert, nec reprobat *Diana p. 9. tr. 13. res. 90. Ledes.* autē loco cit. putat absentiam per tres menses non esse licitam, sine causa iusta, & Concilium Tridentinum determinasse tempus ad fugiendam pœnam iuris positiui, quam æquum putauit non afficere non residentes per illud tempus, cum tamen lex residentiæ etiam pro illo tempore vrgeat.

23 Sed puto consideranda esse verba Concilij *sess. 23. cap. 1. de reformat.* quæ talia sunt. *Quoniam autem, qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reuersuri sunt, sacrosancta synodus vult illud absentiæ spatium singulis annis, siue continuum, siue interruptum extra prædictas causas nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere, & haberi rationem, vt id æqua ex causa fiat, & absque vllo gregis detrimento, quod an ita sit, abscendentium conscientiæ relinquit, quam sperat, religiosam, & timoratam fore, cum Deo corda pateant, cuius opus non fraudulenter agere, suo periculo tenentur. Eosdem interim admonet, & in Domino hortatur; ne per illius temporis spatium Dominici Aduentus, Quadragesimæ, Natiuitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, & Corporis Christi diebus, quibus refici maxime, & in Domino gaudere Pastoris præsentia oues debeant, ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali vllo pacto absint. Nisi Episcopalia munia in sua Diœcesi eos alio vocent,*

24 Hac vero stante Conc. determinatione dicendū videtur primo dari aliquod absentiæ tēpus tam breue, vt residentiam non interrumpat moraliter, & intra quod Episcopus censendus sit non abesse; ex eo quod abesse non dicitur, qui statim est reuersurus. *l. postliminium §. captiuis, l. nihil ff. de capt. & postlim. reuer. Gonzalez ad reg. 8. Cancell. Gloss. 43. num. 5. Narbona l. 1 o gloss. 2. num. 12. tit. 6. lib. p. Recopil. Barbosa vbi supra num. 14.* Et ita vt ex quacumque causa absit intra hoc tempus, non violet præceptum residentiæ, licet, si causa alias non sit honesta, peccet ex mala circumstantia. Hoc tamen tempus ad paucos dies extendi debet. Residentia enim non est alligatio in carceribus, & si esset adhuc Episcopus ad valde breue tempus reuersurus non diceretur fugisse, & ex *Bartolo & Narbona probat Barbosa citatus.* Nam & sicut in alijs moralibus, sic & in præsenti dandum est modicum tempus, quod pro nihilo reputetur. Et licet ad fugiendum peccatum requiratur causa aliqua honesta, seu honestus finis, quia semper peccat, qui non agit ex fine honesto *D. Th. p. 2. q. 18. a. 6.* tamē nō per hoc peccatū erit contra legem nō residendi, sed contra legem naturalem præcipientē homini ne agat nisi ex honesto fine. Hoc tamen tempus paruum non est tempus trium, aut duorum mensium, aut etiam vnius mensis, aut hebdomadarum, sed paucorum dierum. Quia & in vno mense, & in tempore minori moraliter potest contingere de facili aliquid in Diœcesi, quod præsentiam requirat Episcopi. Quamuis in hac parte tam parua possit esse absentia extra Diœcesim, vt Episcopus nec abesse dicatur auctoritate, potestate, virtute, operatione.

25 Dicitur secundo quod id, quod Concilium concedit Episcopis est, quod per spatium duorum, vel trium mensium possint abesse sine licentia, & causa in scriptis approbata à Pontifice, aut Metropolitano. Episcoporum enim conscientiæ remittit iudicare, an causa recedendi sit iusta, si recessus non excedat tempus duorum, ac trium mensium. Et ad recessum hunc Concilium requirit causam iustam, non mere ex vi iuris naturalis obligantis ad non agendum nisi ex causa, & fine honesto, sed ex vi præcepti residendi, quod obligat ad non recedendum per tempus, quod iudicetur notabile; quale censendus est tempus duorum, vel trium mensium,

sium. Et ita Concilium putat fraudolentum esse, & contra præceptum & obligationem residendi, si Episcopus ex prætextu aliquo coram Deo non æquuo & iusto abesse velit ad illud tempus. Immo addendum est, quod maior absentia non est licita etiam si Episcopus velit trimestre vnius anni continuare cum trimestri secundi anni. Vt si velit abesse mensibus Octobris Nouembris, & Decembris anni 1661. Et mensibus Ianuarij Februarij & Martij 1662. Quod nedum est verum quia in hoc casu absentia per Martium incidit in tempus Quadragesimæ, in quo non licet Episcopo abesse. Sed quia continuatio ista sex mensium est contra Concilium: quia continua absentia 6. Mensium non est talis, quod de ea possit dici, quod sit paulisper adesse, & quod absentes sint illico reuersuri. Et quia in continuato spatio sex mensium plura possunt euenire, quæ præsentiam Episcopi requirunt.

26 Dicitur vero tertio ad absentiam per tres menses non esse necessariam aliquam ex grauioribus causis, quas ibidem refert *Concil. & infra* examinabuntur, sed sufficere causam leuiorem, vt ex verbis Concilij est manifestum. Causa autem animum recreandi, vel etiam inuisendi consanguineos, & amicos potest & non potest sufficere ad absentiam per tantum tempus. Sed debet considerari alia conditio, quam semper debere attendi, docet. *D.Thom.* hic, & Concilium præcepit interuenire debere, vt, scilicet, recessus fiat absque vllo gregis detrimento. Potest enim esse, quod spectatis circumstantijs & per vnum mēsem, & immo per dimidium mensis non possit Episcopus abesse sine imminenti graui periculo vrbis suæ. Et econtra potest contingere, vt pēsatis pensandis nullū imminere possit periculum moraliter loquēdo etiam ad maiorem distantiam temporis, spectata præcipue vigilantia Vicarij & aliorum ministrorum, & non multa distantia Episcopi. Quamobrem posita hac conditione quod absentia fit sine vllo periculo ac damno gregis, abesse causa inuisendi consanguineos æqua videtur, & similiter causa animum relaxandi non erit irrationabilis, si hoc videatur ex aliqua causa necessarium, aut valde vtile ad salutem Episcopi conseruandam: Nam vere sola causæ recreationis nulla speciali necessitate adiecta non sufficit ad absentiam trium, vel duorum mensium, & vix ad absentiam per mensem sufficere videtur. Quamuis etiam attendi debeat, maius tempus absentiæ requiri, vt absentia sine iusta causa sit peccatum mortale, quam vt sit veniale. Et sic tria tempora hic distinguuntur, vnum tam breue, vt absentia etiam sine iusta causa nullum est peccatum contra præceptum residentiæ, aliud in quo erit peccatum veniale, aliud in quo erit peccatum mortale.

27 Aliud vero certum, quod consequitur ex eo, quod præceptum residendi sit affirmatiuum est, quod ex iusta causa approbata secundum formam Concilij, quæ sit magni momenti, Episcopus potest abesse a Diœcesi etiam ad tempus valde longum, & latum, vt ex eodem Concil. Trid. patet exprimente causas ob quas licet Episcopis non residere, & quæ causæ examinabuntur inferius. *Carr. Sotus, Ledesma, Valentia, citati supra & alij DD. communiter.* Et vbi causa recedendi sit dubia, est in potestate Metropolitani, & Pontificis illam examinare, & interpretari, & approbare, & ea approbata tanquam legitima Episcopum tuto ex ea causa posse abesse a sua Diœcesi.

28 Quibus stantibus intrat difficultas an lex præcipiens residētiam sit solum lex humana & Canonica, vel potius per prius sit diuina, & naturalis. Et multum interest hoc cognoscere. Nam si hæc obligatio sit solum iuris Ecclesiastici, cum in eo possit Papa valide dispensare pro sua voluntate, Episcopi cum licentia Papæ non residentes sine scrupulo conscientiæ absunt, quia lex Ecclesiastica non ligat dispensatos à Papa. Sed si residendi obligatio est de iure diuino, aut naturali, in quo Pontifex proprie dispensare non potest, si causa non residendi non est vera & iusta, Episcopus de licentia Papæ non residēs, non est tutus in conscientia, quia illa licentia contra diuinum aut naturale ius non est valida.

29 Quod vero obligatio residendi sit pure Ecclesiastica, videri potest, tum primo quia nullum præceptum residendi habetur in scripturis; igitur tale præceptum non est diuini, vel naturalis iuris. Secundo nam solius Pontificis Romani est Episcopos instituere & huic, vel illi Ecclesiæ præficere; igitur etiam solius iuris Pontificij est, quod Episcopus huic, vel illi Ecclesiæ præsit, & in ea resideat. Tum tertio *nam Christus soli Petro dixit Pasce oues meas*; solus igitur Romanus Pontifex Petri successor tenetur ex Christi institutione curam Ecclesiæ habere. Alij vero Pastores solum sub Pontificis obedientia, & ex eius mandato præsunt, vel cum præsunt vel resident in hac vel illa Ecclesia non resident. Tum quarto nam Episcopi potestatem accipiunt immediate à Pontifice; igitur à solo Pontifice accipiunt præceptum vt Ecclesiæ adsint, & in ea resideant. Tum quinto quia Episcopi iuri diuino, & naturali satisfaciunt, si bonum plebes promoueant, quod quidem facere possunt etiam si non resideant. Tum sexto nam plures sunt actus, quos sufficit Episcopos exercere per ministros, vt sunt concionari, causas iudicare, conferre ordines, confirmare &c. Etenim per pauperes Episcopos, aut Titulares omnia munera Episcopalia possunt exercere; Non igitur necesse est, vt resideant. Tum septimo quia Papa non potest dispensare in ijs, quæ sūt diuini iuris; & tamē quotidie super lege residētiæ dispensat; non ergo hæc residentia est de iure diuino. Et ita hanc sententiam tenuerunt *Ambrosius Catherinus opus.de residentia, & Thom. Campeg. de residentia.*

30 Communis tamen Theologorum, & Iuristarum sententia est, quod residentia Episcoporum & aliorum habentium curam animarum sit de iure diuino & naturali necessaria, quæ sententia ex *D. Thom. in hoc artic. deducitur, & ex schola S. Thomæ docuerunt Turrecrem. ad cap. sescitaris 7. quæst. 1. Caiet. in hoc artic. Sotus l.10. de iust. quæst. 3. a.1. & 2. Caranza opus. de residentia. Bartholomeus de Martyribus Archiep. Brachar. in stimulo Pastorum par.2. fol. 51. Petrus de Ledesma de statibus cap.3. concl.14. 15. & 16. Io: Bapt. Conradus in respons. casuum conscientis quæst. 317 & præterea Francis. Turr. de resid. Gigas cap.2. Alphonsus de Castro l.3. cap.4. Paulus Grisaldus in dec. Cathol. v. Episcopus. Bott. de Synod. 3. p. a. 1. num. 150. Forretus cons. 32. numer. 14. Nauar. cap. 25. num. 121. Couar. l.3. variar. cap. 13. nu. 9. Corduba l.1. quæst. 19.*

quaest.19.Gonzalez ad reg.8.Cancell. gloss.24. nu.139. & gloss.41.num.8.& Gloss.43.num.163. Azor p.2.l.7. c.4.quaest.1.Valent.tom.3.disp.10. quaest.3.p.4. Filliuc. trac.41.cap.6.num.25. Bassaeus v.residentia. num.4. Tamburinus de iure Abb.p.p.disp.14.quaest.2. Marcus Serra de off.Parochi disp 8. quaest.1. num.1. Vargas de Episp.iurisd.axiom.12.Salzedo ad Diaz cap.52.lit.A. Azenedo in l.27. tit.3. l.1. recopil. num.8. Gallego in tract.de paroch.obligat.p.1.d.1.a num.46.Io: de Oceon in cap.1. de Cler. non resid. Quintanaduenas Eccles. l.4.num.50.& 51.Cenall. quaest.585.a.num.1. Viual. in append.Candel.aurei cap.9. nu.6. & 7. Zechius casu 3. & tit.de benefic.num.6.& de munere Epis.cap.5. num.3. Vega in speculo curatorum cap.17. Leo in thesauro fori Eccles.33. num.5. Moscon. de Maiest.milit. Ecclesiae p.1.lib.1.cap.21. Vgolin.de pot Episcopi. c.4. §.13.Lessius l.2.c.34.a num.53.Garz. de beneficijs p.3. cap.2.num.16. Sà v. residentia. Vasquez de beneficijs cap.4.§.2.d.1.num.121.Comitr.respon.Moral.l.1.q.59. num.1. Reginal.in praxi l.30.tr.3.numer.52. Molphes. trac.6.cap.11.num.13.Ricc.in praxi, resol.393. nu.5. Sanchez l.8.de matrim.disp.6.nu.3.& in Decal.lib.4. cap.37.num.15. Possenin de off. Curati cap.1. num.1. Sanctarell.variarum l.1.quaest.1. Ludouicus a S.Io: de admin. Sacram. a.1. de residen.num.3. Homobon p.3. resp.28.Lotter. de re benefic. l.3. quaest.27. numer.37. Trullench. in Decal. lib. 4. cap.1. dub. 8. numer.1. Barbosa de off. Episcopi alleg.53. numer.2. & de off. Parochi p. p.cap.8.num.1.& ad cap.1. sess.23. Concil. Tridentin. numer.3. Layman. lib. 4. tract.2. cap. 6.

Juxta igitur hanc sententiam dicitur residentiam Episcoporum & Pastorum quorumlibet habentium curam animarum esse de iure diuinae institutionis, ac propterea de iure diuino, & naturali. Quod probatur primo ex *Concil.Trid.sess.23.cap.p.* vbi in verbis supra relatis exprimit breuibus totam rationem, qua vtuntur *Caiet.* & alij Theologi ad probandam hanc sententiam. Assumnit enim Concilium primo hanc propositionem, nimirum quod omnibus quibus cura animarum commissa est ex praecepto diuino mandatum est, oues agnoscere, pro eis sacrificium offerre, eas docere, illis Sacramenta administrare, easque exemplo pascere, curam pauperum habere, & in munia pastoralia incumbere. Neque enim dicit, quod hoc eis competit ex iure Ecclesiastico, sed ex diuino praecepto. Et hoc est id, quod supra est probatum; quia nimirum Episcopus ex Christi institutione Pastor est, cuius officium est oues suas cognoscere, nominatim vocare, ad pascua educere, ante eas ire, illasque etiam cum periculo mortis defendere. Haec obligatio igitur de iure diuino est. Subdit vero Concilium, quod ea, ad quae dixit ex praecepto diuino obligari eos, quibus cura animarum commissa est, talia sunt, quae omnia nequaquam ab ijs praestari possunt & impleri, qui gregi suo non inuigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt. Ac vero ex his duobus principijs per necessariam consequentiam deducitur, quod residentia ista sine qua diuinum praeceptum nequit impleri, ex diuino praecepto sit debita: cum euidens sit medium ad finem necessarium sub eodem praecepto cadere, sub quo cadit finis consecutio. Sed & supra probatum est, officium, ad quod ex vi suae institutionis obligatur Episcopus, consistere in ijs operibus, quae non nisi à residente in Dioecesi exerceri possunt. Vnde non remanet nisi soluere breuiter, quae in contrariū adducta sunt.

31 Est tamen hic considerandum, quod cum sit controuersum inter DD. an Papa possit in iure naturali & diuino dispensare affirmantibus hoc *Gloss. in cap. à nobis 31. exemptos de decim. Panormit. ibid. & cap.cum tanto num.3.de consuetud.& pluribus alijs quos referunt Sanchez l.8. de matrim. disp.6.& Suarez l.2.de legibus cap.14.* Negantibus *D.Th.p.2. quaest.100.a.8.& quodl.4.a.13.Turrecrem.in sum. l.3. cap.54.& 57.Syluest.v.Papa.quaest.16.Soto l.1.de iust. quaest.7. a.3. & l.4. quaest.3. a.1. ad primum & l.10. quaest.3.a.4. Suarez vbi supra plures alios referente.* Quamuis inter has sententias sit discrimen maximum in verbis, & secunda melius loquatur, & sentiat. Nihilominus in puncto quaestionis huius an possit Papa dispensare super residentia Episcoporum est specialis difficultas. *Sotus d. l.10 quaest.3. a.4.* arbitratur, quod Papa in residentia non dispenset proprie, sed interpretetur legem naturalem, & declaret eam non habere locum in hoc, vel illo casu in quo adest iusta causa non residendi. Sed *Suarez d.l.7.c.14.num.21.* Sentiens hic non habere locum solam interpretationem, sed iurisdictionem, & legis relaxationem, quia tales dari possunt causae absentiae, ex quibus per solam doctrinalem interpretationem non iustificabitur absentia, quae tamen iusta erit accedente auctoritate summi Pontificis. Addit propterea *num.22.* quod Papa in lege residentiae dispensat, ait tamen dispensationem non esse in iure naturali praeceptiuo per se spectato, sed mutando materiam; sentit enim quod haec obligatio oriatur ex pacto inito inter Ecclesiam & Episcopum, & cum hoc pactum sit subordinatum Pontificis dispositioni, mutari potest, vnde & potest tolli obligatio orta ex illo. Sed nec probatur vnde & ex qua lege interueniat hoc pactum initum cum Ecclesia de residendo, maxime cum Pontifex sua auctoritate Ecclesia penitus hoc nesciente mittit in Episcopum, quem ipse vult. Nec verum est, quod haec obligatio residēdi oriatur ex pacto alio, quam ex institutione Christi, & lege connaturali institutionis officij Pastoris ouium Christi, quod officium ex natura sua petit residentiam, vt satis ex supradictis constat. Sicut & in Pastore ouium corporalium obligatio residendi non est ex pacto cum ouibus, sed cum Domino. Et adhuc non esse ex speciali pacto superinito, sed ex naturali obligatione Pastoris, quia Pastoris officium ex sui natura assistentiam personalem requirit. Vnde recipiens à Domino gregis officium Pastoris, ex hoc est obligatus residere apud gregem. Ita Episcopi ex hoc quod Episcopatum suscipiunt, quod est officium ex natura sua petens residentiam, Deo illam vouent, & Pontifici Christi Vicario, eiusdem Christi nomine promittunt.

32 Quamobrem dicitur secundo ad quaestionem, quod Papa, & potest, & de facto dispensat in lege residentiae. Quia lex residentiae quantum ad determinationem eius non est lex naturalis, sed positiua. Vt enim docet *D.Th.d.quodl.4 a.13. Lex noua, quia est lex libertatis, huiusmodi determinationes non habet* (quas scilicet habebat lex vetus) *sed est contenta praeceptis moralibus naturalis legis, & articulis fidei, & Sacramentis gratiae, vnde & dicitur lex fidei & lex gratiae propter determinationem articulo-*

rum

rum fidei, & efficaciam Sacramentorum. Cætera vero quæ pertinent ad determinationem humanorum iudiciorum, vel ad determinationem diuini cultus, libere permisit Christus, qui est noua legis lator Prælatis Ecclesiæ & Principibus Christiani populi determinanda. Inter ea vero, quæ spectant ad determinationem diuini cultus est modus, & tempus residentiæ Episcoporum. Vnde sic est de iure naturali quod Episcopi resideant, quod tamen hoc prouidentiæ, & determinationi Pontificis est commissum, vt quid quantum ad modum, & tempus ab eo determinandum. Ideo contra legem naturæ est, si Episcopus non resideat, vel sine causa iusta, vel sine dispensatione Pontificis, & absolute contra legem naturæ est, quod Episcopus sine causa iusta absit & hæc lex est in hac parte indispensabilis tamquam contraria institutioni Episcopatus, sed tamen in Pontificis potestate est, vt ex iusta causa dispenset super residentia cum hoc, vel illo, ad hoc, vel illud tempus. Quod eo amplius explicatur, quod Papa ille est, qui est Ecclesiæ Catholicæ pastor, habens plenissimam potestatem in vtilitatem Ecclesiæ assumendi alios in partem suæ sollicitudinis, & Ecclesias particulares regendi, vel per Prælatos ordinarios, vel per substitutos. Vnde magis constat quod modus residentiæ, & determinatio eius subest dispositioni Pōtificis, qui propterea in hac lege quantum ad hanc partem dispensat, quamuis licite sine causa iusta dispensare non possit.

33 Ad primum bene respondent *Caiet. & Sotus* non esse necesse vt omnia præcepta diuina per verba expressa contineantur in scriptura, sed sufficere quod ex ea per bonam consequentiam deducantur. Ratio est, quia multa sunt quæ sub præcepto cadunt per accidens, & secundario tanquam necessaria ex vi alterius præcepti, & ad huiusmodi cognoscenda sufficit quod innotescat bonitas consequentiæ. Id enim quod primo præcipitur habentibus curam animarum est assidua, diligens, amans, & perfecta cura Pastoralis, & hoc expresse in scripturis habetur, vt est illud Actorum. 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopus regere Ecclesiam Dei*. Quoniam vero Pastorale officium nequit exerceri perfecte sine residentia, ideo sub eo diuino præcepto per quod Pastores obligantur ad pascendum fideles verbo & exemplo, tenentur etiam residere.

34 Ad secundum etiam ex eosdem *Caiet, & Soto dicitur*, quod consequentia nihil valet. Nam Dominus gregis ad libitum constituit Pastores, quos vult, & destituit, & nihilominus de lege naturali tenetur Pastor institutus ad id, quod est Pastoralis officij, & vel tenetur renunciare officio, vel adesse gregi personaliter, illum ad pascua deducere, & ad aquas, & curam illius agere, illumque defendere. Sic esto sit Pontificis hunc, vel illum Episcopum facere, leges tamen Pastorales Christus instituit, qui voluit dari in Ecclesia Pastores, & ministros fidei & Religionis. Nec Papa potest facere quod Episcopatus non sit Pastorale officiū a Christo in Ecclesiæ & Ecclesiasticæ Hierarchiæ dispositione institutum ad sic operandum, & eo modo, qui ex natura sua requirit residentiam. Ideo de iure tam diuino quam naturali Pastor ouium Christi residere tenetur. Quamuis quia hæc residentia conuenienter præcipienda fuit per præceptum positiuum affirmatiuum, & vlterius cum subordinatione ad Papam, qui est vnicus supremus Ecclesiæ Catholicæ Episcopus, & Pastor, determinatio, & modus executionis sit positum in eius potestate & possit ipse causa iusta id exigente pro interim Ecclesiam aliquam particularem regere per substitutum vel à se vel ab Episcopo deputatum.

35 Ad tertium respondetur quod ex eo sumitur pro sententia posita validum argumentum, nam sicut ex quo Christus Dominus noster dixit Petro *Pasce oues meas*, sequitur quod Pontifex ex iure diuino teneatur fideles pascere; ita cum hoc dictum sit etiam de Apostolis, & Episcopis, vt patet ex verbis Actorum 20. supra recitatis & Episcopi de iure diuino teneatur pascere suos subditos, quod tamen regulariter non fit perfecte sine residentia. Et vt habet *Conc. Trid. sess. 23. cap. 1.* nomen Pastoris omnibus habētibus curam animarum conuenit, omnes igitur de iure diuino tenentur pascere fideles sibi subditos; & propterea tenentur apud illos residere.

36 Ad quartum dicitur quod Episcopatus officium saltem in communi fuit à Christo institutū, qui voluit, quod in Ecclesia essent Episcopi habentes tanquam causæ principales vniuersalem curam Diœcesum, vt patet ex loco citato Actorum 20. & ex *cap. 4. Epis. ad Ephes. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi*. Itaque ex Christi institutione in Ecclesia sunt Pastores & Doctores; Pastores scilicet, quorum interest etiam plebes docere, & sic Pastoralis lex est ex Christi institutione, sicut & officium Episcopale & Pastorale quod significauit *Innoc. 3. cap. 2. de translat.* vbi ait quod vinculum spirituale inter Episcopum & Ecclesiam est de iure diuino, & Deum posuisse Episcopos vt essent Ecclesiæ oculi tradiderūt Pius primus *epis. 1. & Cornelius epis. 2.* Et ab hoc alienus non fuit *Dyonis. de Cœlesti Hierarch. cap. 5. & 6. Cyprianus expressius epis. 95. D. Bernard. l. 3. de consider. ad Eug. D. Th. opus. 19. cap 4. Sotus l. 10. de iust. quæst. 3. a. 1. & 4. Valentia tom. 3. disp. 10 quæst. 3. p. 4. ad 4. Bellarm. l. 4. de Rom. Pontif. cap. 25. Suarez tom. 4. de pœnit disp. 25. sect. p. a. num. 7.* Et si ergo Potestas iurisdictionis à Pontifice conferatur exercite huic, vel illi promoto in Episcopum, institutio tamen Episcopalis officij à Christo est, & prout est à Christo petit residentiam, nec potest facere Papa, vt bene *Sotus* aduertit; quod Episcopus non sit ex officio suo Doctor, non sit hospitalis, non sit speculator, non sit vigilator super gregem, quibus muneribus annexa est obligatio residentiæ. Regulanda tamen quantum ad modum illius, & tempus ex circumstantijs varijs, & accidentibus, ex dispositione, & determinatione Pontificis, & sic quantum ad exercitium, & determinationem residentia huius, vel illius, in hac, vel illa Ecclesia, est quid positum in potestate Papæ, & ab eius voluntate ex iusta causa disponendum.

37 Ad quintum respondetur falsum esse quod regulariter & vniuersaliter loquendo Diœceses bene regi possint per Vicarios, aut coadiutores, seu per quoscumque ex delegata facultate regentes. Et

si hæc

si hic modus regendi Ecclesiam esset optimus, Christus non instituisset, vt Ecclesia regeretur per Episcopos ex facultate ordinaria officium Pastorale exercentes. Et licet per accidens aliquando hoc possit contingere, ea quæ per accidens sunt, attendi non debent, & solum ex hoc posset colligi quod aliquando aliquis Episcopus possit excusari à residentia, quod admittitur supposita legitima causa. & licentia. Respondetur secundo ex *Caiet. Soto & alijs*, quod consequentia est inanis, & non valet dicere, Episcopus per alium potest plebem sufficienter regere, ergo hoc ei licet. Nam Clericus potest sufficienter per alium recitare officium, & tamen tenetur illud recitare per se ipsum, quoniam hæc est obligatio personalis Ita exercere officium Episcopi est obligatio personalis Episcopi. & ipse tenetur agere & scire, quod qui Episcopatum desiderat, & recipit, desiderat bonum opus, & onus magni laboris suscipit. Sic enim dixit *Apos. 1. Timot. 3. Qui Episcopatum desiderat bonum opus desiderat*, In quam sententiam *D. Hier. ad Opiatum, opus, inquit, non dignitatem, laborem, & non delicias. Et Aug. l. 19. de ciu. Dei. cap. 19. Exponere voluit, quid sit Episcopatus: quia nomen est operis, non honoris.*

38 Ad sextum admittitur quosdam esse actus, quos potest Episcopus delegare ex legitima causa, sed curam, vigiliam, assistentiam, superintendentiam, & Pastorale studium non potest licite in alium transferre, & se liberare ab onere, quia personalis obligatio est, vt ipse suas oues cognitas vocet, deducat, reducat, conseruet, defendat. Et solum ex iusta causa & licentia Papæ potest abesse.

39 Ad septimum dicitur quod Papa in illis obligationibus, quas Episcopi habent ex iure positiuo dispensare potest proprie, sed respectu obligationum, quas habet ex iure diuino, vel naturali nec proprie dispensare potest, nec proprie dispensat sed iam dictum est, qualiter in præcepto prudentiæ dispensare possit.

40 Ex his autem concluditur, quod cum residentia sit de iure diuino, nihil valet consuetudo non residendi, vt per *Hostien. & Panorm. & Dec. in cap. cum omnes de constit. Sclu. p. 4. quæst. 2. Felin. inter consilia Rimin. Sen. cons. 239. num. 7. & 8. l. 2. dixit Rota dec. 115. nu. 2. Coram Millino. Et merito S. Congreg. apud Garz. p. 3. c. 2. num. 24.* dixit nec valere consuetudinem immemorabilem. *Barbos. all. 53. numer. 115. Bonar. de resid. p. 5. num. 6.* Et ratio est, quia ex parte Episcoporum, aut Pastorum curam animarum habētium prorsus de iure naturali est, quod resideant, ideo contra tale ius nulla præualere potest consuetudo. Et quod residentia sit in particularibus casibus regulanda ex voluntate Pontificis, non facit, quod Episcopi, vel Parochi ex vi consuetudinis acquirere possint ius non residendi; quia huic contradicit ius naturale officij illorum, vnde quantum sit ex parte illorum tenentur ex iure diuino naturali non abesse, nisi ex iusta causa, & Papæ licentia. Quod tamen intelligitur respectu legis residentiæ quatenus est diuina. Ideo nulla consuetudine introduci potest, vel quod Episcopus possit non prouiso de sufficienti substituto abesse, vel quod Episcopus sine iusta causa abesse possit. Quatenus vero lex absentiæ sit humana, contra eam præualere posset consuetudo. *cap. final. de consuetud.* Nihilominus huic consuetudini lex omnino resistit, & Concilium *d. cap. 1. sess. 23. de reformat.* vult vt consuetudine immemorabili non obstante Parochi inobedientes huic legi puniantur & si opus sit etiam beneficio priuentur. Cum enim iusta causa residendi de se accidentaria sit, & vt in paucioribus adueniens, consuetudo ordinaria non residendi corruptela merito censetur, & ideo reijcienda.

SVMMARIVM.

1 *Dari possunt causæ excusantes a residentia. n. 41.*
2 *Abesse non licet absque iusta causa. n. 42.*
3 *Licentia data sine causa iusta inualida, & insufficiens. n. 43.*
4 *Qui bona fide abest non peccat. n. 43.*
5 *Præter causam iustam necessaria est licentia seu approbatio. n. 44.*
6 *Ad Metropolitanum, seu antiquiorem Episcopum spectat inquirere ne Prouinciales Episcopi absint. num. 44.*
7 *Licentia quomodo sit necessaria de iure diuino. numer. 45.*
8 *Absentia regulanda est per Pontificem. n. 45.*
9 *Licentia non in scriptis obtenta valet in foro conscientiæ. n. 46.*
10 *Qui sincere sine fraude refert causam, si illa approbetur, non peccat Episcopus, etiam si qui approbauit deceptus fuit. n. 47.*
11 *In Synodo Prouinciali qualiter examinanda causa absentiæ Episcoporum n. 47.*
12 *In repentinis potest sine licentia abesse n. 48.*
13 *Quando præsentia Prælati est necessaria, ille non potest abesse. n. 49.*
14 *Sine damno gregis ex iusta causa Pastor potest fugere. n. 50.*
15 *Multa huius exempla. n. 50.*
16 *Ad absentiam legitimam tria requiruntur. n. 51.*
17 *Quinque causæ iustæ absentiæ, & earum ratio. num. 52.*
18 *Prima causa iustæ absentiæ charitas erga aliam Ecclesiam. n. 53.*
19 *Ita tamen vt propria Ecclesia non patiatur detrimentum. n. 53.*
20 *Pro temporali alterius Ecclesiæ vtilitate qualiter Episcopus abesse possit. n. 54.*
21 *Episcoporum officium pacem facere. n. 54.*
22 *Abusus quod Episcopi negotia secularia tractent. num. 54.*
23 *Secunda causa iustæ absentiæ necessitas Pastoris. num. 55.*
24 *Non hoc licet nisi prouiso populo de Vicario sufficienti. n. 55.*
25 *Mercenarius non eo Mercenarius quia fugit, sed quia dimittit oues. num. 55.*
26 *Grauis tamen necessitas illa est, quæ dat iustam causam absentiæ. num. 56.*
27 *Persecutio grauis dat causam iustam n. 56.*
28 *Etiam Consanguineorum, & Amicorum &c. numer. 56.*
29 *Persecutio multiplex. num. 57.*
30 *In persecutione communi, vel quæ sit ex odio fidei, aut cupiditate bonorum Ecclesiæ frequentius salus populi exigit præsentiam Pastoris, vnde non licet ei fugere. n. 58.*
31 *Quotiescumque populus non indiget præsentia Pastoris*

storis ille fuga potest declinare persecutionem.numer.58.

32 *Plures sancti etiam in persecutione causa fidei fugerunt.n.59.*

33 *Si fuga sit futura in derisionem & damnum fidei, non licet fugere.n.59.*

34 *Hoc attendendum,vt videatur si præsentia Pastoris sit necessaria.n.60.*

35 *Vbi enim Pastore aliqui remanere debeant,si sit altercatio, hac sorte dirimitur.n.60.*

36 *Infirmitas est causa iusta absentiæ.n.61.*

37 *Infirmo diuturno & ad longum tempus datur coadiutor.n.61.*

38 *Inclementia aeris accidentalis est causa iusta absentiæ. n.61.*

39 *Non vero connaturalis , & perpetua.n.61.*

40 *Episcopus tempore pestis quomodo possit abesse. num.62.*

41 *Tertia causa iustæ absentiæ est obedientia summi Pontificis.n.63.*

42 *Officia Curiæ Romanæ & alia ,quæ non requirunt exerceri per Episcopum per se loquendo non sunt causa iusta non residentiæ.n.63.*

43 *Pro obedientia Regum non excusantur Episcopi, nisi iuxta sancita à Concilio. n.64.*

44 *De licentia Pontificis possunt Episcopi esse legati Principum , & Inquisitores Generales.n.64.*

45 *Si absentia cedat in graue damnum Ecclesiæ, debet Episcopus admonere Papam de Ecclesiæ necessitate, si illi committitur offitium repugnans residentiæ.num.65.*

46 *Tempore anni sancti posse Episcopos venire Romam , qui sentiant. n.66.*

47 *Vtilitas Ecclesiæ est quarta causa iustæ absentiæ. num.67.*

48 *Etiam vtilitas Reipublicæ.n.68.*

49 *Quinta causa est officium adiunctum Episcopatui. num.69.*

50 *Episcopus habens in alia Cathedrali aut Diœcesi alia beneficia , etiam curata , tenetur residere in propria Ecclesia.n.70.*

51 *Ex alijs causis Episcopus non excusatur à residentia.n.71.*

52 *Ex eo quod melius per alium pascere possit plebem, non excusatur à residentia. n.71.*

53 *Episcopi sequentes curias merito reprehensi. n.72.*

54 *Votum longæ peregrinationis aut alterius actionis repugnantis residentiæ, si sit emissum ab Episcopo absolute, non valet.n.73.*

55 *Nec votum peregrinationis terræ Sanctæ.n 73.*

56 *Ordo ad sequentes quæstiones. n.74.*

Quæ sint causæ ex quibus Episcopus excusari potest à residentia?

41 DAri posse causas ex quibus Episcopus possit non residere salua conscientia ex eo habetur, quod præceptum residendi sit affirmatiuum; vnde etiam est , quod obliget consideratis circumstantijs , ex quarum variatione sequitur , quod aliquando non obliget.Immo quod dari possint casus, in quibus lex ipsa diuina , & naturalis obliget Episcopum ad non residendum.

42 Interim igitur hoc pro certo habitur quod est illicitum Episcopum abesse à sua Ecclesia sine iusta causa tanquam contrarium legi diuinæ, naturali & Canonicæ, vt cum *D.Th.hic docent Caiet. Turrecrem.in cap. sciscitoris.7. quæst.1. Sotus l.10. de iust.quæst.3.per totom.Ledesma de statib.cap.3.conclus. 14.15.& 16. Coranza in tract.de residen. Barthol. de Martyribus Archiepis.Bracaren. in stimulo Pastorum p.2.fol.51.Io: Baptista Conrad. in respons. conscientia quæst.317.Nauar.cap.25.num.121. Couar.l.3. variarum cap.13. num.9. Valent.t.3. disp.10. quæst.3. p.4. Azor.p.2.l.7.quæst.1.Vasquez de benef. c.4.§.2. dub.1, num.121.Sanchez de Matrim. l.8. disp.6.num.5. & in Decal.l.4.c.37.num.15.* & quam plures alij quos referunt & sequuntur *Garz de benef.par.3.c.2.num.16. Barbosa ad Concil.Trid.sess.23.cap.1.de reform.nu.3. de off. Episc.alleg.53. num.2.& de off.Parochi cap.8. num.1.*

43 Quod adeo verum est,vt non existente causa iusta non residendi à peccato non excusetur Episcopus, etiam si super non residentia fuerit per Pontificem cum eo dispensatum , seu obtinuerit licentiam dispensandi. Cum enim residentia sit de iure naturali & diuino, ita quod non liceat abesse sine iusta causa, si alias causa non residendi non est iusta , peccat Episcopus non residendo; nec obtenta licentia eum excusat, quia talis licentia est inualida contra legem diuinam , & naturalem data.*Sotus l.10.de iust.quæst.3.a.4.Ledesm.de statib.cap.3.conclus.16.dub.2.* Et quando , vel lex naturæ, vel Concilium aut leges Pontificiæ requirunt licentiam ad hoc vt Pastor absit , loquuntur de licentia valida , *ad leg.4.§.condemnatum , vbi DD.ff de re iud.Felin. cap.ex tenore a num. 3. de rescript. Rota in Corduben. Portionis 25.Octob.1557.Coram de Rubeis, quam refert Garz.p.6.cap.3.num.54.Item Rota dec.403.circa fin.p.1.diuersorũ adducta per Gonzalez ad reg.8.Gloss. 57.a num.12.* Nam paria sunt nullam habere licentiam , & illam habere nullam , & inualidam. *Garz. part.5.cap.4.num 228.Bonac.de resid.p.4.nu.11. Barbosa alleg.53.num.99.Sanctarel.var. quæst.4. num.16. Azor.p.2.lib.6.c.16.quæst.3.Passerin.cap.1.nu.24.* Nec obstat , quod dictum est supra , scilicet quod residentia quantum ad eius determinationem & modũ temporis sit iuris positiui , quia hoc est verum supposita tamen semper iusta causa. Vnde lex naturæ officij Pastoris ouium Christi est, vt abesse nõ possit , nisi ex causa iusta , & hæc lex indispensabilis est. Causa vero iusta supposita sub prouidentia Papæ est , quod hic , vel ille absit. Ideo vbi causa manifeste sit insufficiens , licet licentia Papæ alias nulla valet ad fugiendas pœnas iuris positiui , non valet ad fugiendam culpam si est data sine iusta causa: & quia lex naturæ vrget continue, vt dum non adest iusta causa non residendi Pastor adsit suo gregi , si hoc non facit peccatum non residentis durat, & non residens minime est in conscientia securus. Quamuis bene admoneat *Caiet.* quod in his bona fides à peccato excusat,quod maxime verum est , vbi quis non ex proprio iudicio, sed ex causa approbata à superiore id facit , & in dubio subditus potest stare iudicio sui superioris.

44 Ideo hoc additur , quod ad hoc vt Episcopus legitime absit, non sufficit causa iusta, sed necesse est , vt causa istatsit in scriptis approbata , vel à Metropolitano , vel in eius absentia ab Episcopo antiquiori , vel à summo Pontifice. Sic enim decreuit. *Concil. Trident. d.sess.23. cap.1.de reformat.*

Nam cum Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, ac eiusdem Ecclesiæ aut Reipublicæ vtilitas aliquos nonnumquam abesse postulent, & exigant, decernit eadem sacro sancta synodus, has legitimæ absentiæ causas à Beatissimo Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo absente, suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas, nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus & Reipublicæ officium Episcopatibus adiunctum: cuius quoniam causæ sunt notoriæ, & interdum repentinæ, nec eas quidem Metropolitano significari necesse erit, ad eundem tamen cum Concilio Prouinciali spectabit iudicare de licentijs à se, vel à suffraganeo datis, & videre ne quis eo iure abutatur, & vt pœnis Canonicis errantes puniantur. Quamobrem ex vi hujus decreti, ad Metropolitanum, aut in eius absentia ad Episcopum antiquiorem residentem pertinere curare, vt Prouinciales Episcopi in suis Ecclesijs cõmorentur, & super eorum absentiam inquirere tanquam decisum referunt *Armendar. in addit. ad recop. legum Nauar. l. 2. tit. 23. l. 2. §. 2. Barbos. ad d. cap. Concil. Trid. num. 11. & alleg 53. de off. Epis. num. 5. & Sanctarell. variar. quæst. 4. num. 7.*

45 Hæc tamen conditio necessaria est nõ omnino de iure diuino, sed de iure Ecclesiastico, nam de jure diuino, & naturali sufficit vera causa iusta non residendi, & tacitus consensus seu implicitus, Pontificis, seu negatiuus; quia scilicet voluntas Pontificis non resistat; sub cuius prouidentia residentia est constituta, vnde etiam si adsit aliqua causa rationabilis non residendi, si Papa velit Episcopum residere, tenetur obedire. Sed quod hæc licentia debeat esse approbata iuxta mentem Concilij est de iure positiuo, non vero de iure naturali.

46 Quod etiam approbatio fieri debeat in scriptis non videri ita esse necessarium, vt si alias causa sit legitima, & a superiore approbata non excuset Episcopum etiam ab obligatione restituẽdi fructus ex *less. de iust. l. 2. cap. 34. dub. 29. nu. 158. & Nauar. cons. 13. de praben. num. 1. tradit Barbosa ad d. c. 1. sess. 23. Conc. Trid. n. 12. & ex Reginal. l. 30. n. 34. Filliuc. trac. 41. cap. 6. q. 6. n. 10. Bonac. de resid. p. 3. n. 5.*

47 Et addit *Ledesm. vbi sup. ver. lo segundo.* Quod si contingat Metropolitanum decipi in approbatione causæ, si alias Episcopus non fuit in referenda causa fraudulentus, sed sincere causam retulit, Episcopus ex ea causa recedens non subditur in iudicio exteriori obligationi restituendi. Talis enim non peccat, quia bona fide recedit. Addit vero *Ledesm.* quod in Concilio Prouinciali poterit examinari dicta causa, & quod si declaretur insufficiens, declarari poterit quod Episcopus sine causa legitima abfuit, & quod ex consequenti subditur pœnæ. Quod tamen mihi videtur limitandum. Nam si in proponente causam recedendi nulla fuit fraus, aut dolus, sed sincere causam retulit talem qualis est, & causa fuit approbata à Metropolitano, aut antiquiori Episcopo, poterit quidem à Concilio examinari, & si insufficiens reperiatur decerni vt in futurum nullus ea simili causa recedat; vel etiam qui recessit ex ea causa puniri, si fuit in eo aliqua fraus, vel dolus, sed si sincere se habuit, nec coram Deo peccauit, vt ex *Caiet.* supra dictum fuit, nec coram Ecclesia, vnde nulla dignus est pœna.

48 Ex eodem autem Concilij decreto habetur quod in repentinis necessitatibus vbi Episcopus adire non possit summum Pontificem, vel Metropolitanum, potest sine causæ approbatione recedere. Tunc enim adest iuste præsumpta licentia Christi, & Papæ eius Vicarij, & veluti notoria iusta causa non residendi. *Sanctarel. d. q. 4. num. 9. Barbosa illum sequens, vbi sup. n. 13.* tenetur tamen quam primum potest Pontificem, aut Metropolitanum admonere.

49 Tandem de his causis non residẽdi in communi loquendo additur non haberi causam iustam recedendi tunc, cum præsentia Episcopi est necessaria propriæ Diœcesi. Vnde hæc est prima conclusio S. Thomæ in hoc articulo, quod vbi subditorum salus exigit personæ Pastoris præsentiam, non debet Pastor personaliter deserere suum gregem nec propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum eminens; cum bonus Pastor animam suam ponere debeat pro ouibus suis. Quamobrem potius Episcopus debet mortem subire, quam gregem suum tunc personaliter deserere, cum eius præsentia ad subditorum salutem est necessaria, vt tradidit etiam *S. Aug. epis. ad Honoratum*, & exemplo confirmauit *S. Thomas Epis. Cantuarien. & cum D. Th. tradunt Caiet. Turrecr. cap. scisitaris 7. quæst. 1. Soto l. 10. de iust. quæst. 3. a. 4. Ledesm. de stat. cap. 3. concl. 16.*

50 Sed nihilominus etiam certum esse debet, quod salua Ecclesiæ incolumitate & salute ex honesta causa fugere licet. Nam vt inductione probat *Turrecrem. in cap. scisciraris 7. quæst. 1. Elias fugit à facie Achab. 3. Reg. 19. Dauid fugit è facie Saul. 1. Reg. 24. Hieremias fugit in Aegyptum. Ierem. 44. Dominus dixit Matt. 11. Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate fugite in aliam. Petrus fugit Herodis furorem. Act. 12. Paulus dimissus in Sporta euasit. Act. 9.* Et Dominus legitur frequenter inimicorum insidias declinasse. *Propter Herodem fugit in Aegyptum. Matt. 2. Et quando in supercilio Montis voluerunt eum præcipitare ab illis euasit. Luca 4. Et quando transiuit in Galilæam relicta Iudæa Io. 4.* Summa est, vt fuga sumatur pro tempore & loco prudentia dictante pericula deuitando sibi, & alijs proficiendo. Quamuis vbi veritas & iustitia exigit sit fortitudinis propter iustitiam pati, & pro salute sui gregis etiam mori, nunquam cum dimittendo sine sufficienti custode, & Rectore.

51 Quamobrem *Concil. Trid.* ad hoc vt Episcopus non resideat præter causam iustam, & approbatam, requirit Ecclesiæ indemnitatem. *Interea inquit, meminerint discessuri, ita ouibus suis prouidendum, vt quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia, nullum damnum accipiant.* Vnde ad legitimam non residentiam tria requiruntur, scilicet causa iusta, approbatio causæ à superiore, & prouisione Ecclesiæ ex absentia patiatur damnum.

52 Quatuor autem, seu quinque causas numerat. *Concil. Trid.* in verbis supra relatis, ex quibus non residentia potest iustificari, scilicet charitas Christiana, vrgens necessitas, debita obedientia, Ecclesiæ eiusdem aut Reipublicæ vtilitas, & officium aliquod Episcopatui annexum. Horum autem ratio habetur ex *Caiet.* aduertente Ecclesiam aliquam particularem ad tria comparari posse, vel scilicet ad suos subditos, vel ad Ecclesiam vniuersalem,

ſalem, vel ad alias Eccleſias. Nam reſpectu ſuorum ſubditorum ſe habet vt totum ad partem, & reſpectu Eccleſiæ vniuerſalis ſe habet vt pars ad totum, & reſpectu Eccleſiæ alterius vt pars ad compartem. Et quia naturalis ordo dilectionis hoc habet, vt pars ſit propter totum, ideoque potius ametur bonum totius quam bonũ partis, ideo vbi bonum totius Eccleſiæ ſuæ exigit vt Epiſcopus abſit, ordo dilectionis petit, vt ſubditi tunc patiantur Prælati abſentiam. quod eo magis eſt conueniens ſi Eccleſiæ vniuerſalis bonum hoc exigat. Et quia etiam in ordine naturali pars partem periclitantem iuuat, ſic ordo charitatis exigit, vt vna Eccleſia alteri ſuccurrat. Ideo ex cauſis ſupra enarratis, prima quæ eſt charitas reſpicit ordinẽ partis ad partem, & charitatem qua vna Eccleſia aliam veluti compartem tenetur diligere. Secunda cauſa quæ eſt vrgens neceſſitas ipſius Epiſcopi reſpicit eiuſdem Eccleſiæ bonum, cum eius interſit ſui Epiſcopi ſalus & incolumitas. Tertia cauſa, quæ eſt debita obedientia reſpicit Eccleſiam vniuerſalem, & eius Præſulem, cui inferior Eccleſia ſubordinatur, & ad eius bonum eadem militare debet. Quarta cauſa reſpicit vtilitatem publicam eiuſdem Eccleſiæ. Et quinta debitum reſpectu Eccleſiæ vniuerſalis exigentis vt Epiſcopus muneri ſuo fungatur eique non deſit.

CHARITAS.

53 PRima ergo cauſa non reſidendi eſt charitas reſpectu alterius Eccleſiæ. Duæ enim Eccleſiæ conſiderandæ ſunt vt duæ perſonæ, & ſicut in hominibus nedum licet vt etiam cum aliquo ſuo incommodo vnus alium adiuuet, ſed pluries hoc etiam ex præcepto charitatis eſt debitum, ſic æquũ eſt vt vna Eccleſia alteri ſuccurrat neceſſitatem patienti. Hic tamen diſtingui debet. Nam alia Eccleſia, vel patitur neceſſitatem in ſpiritualibus bonis, vel in temporalibus. Patitur neceſſitatem in ſpiritualibus bonis ſi in ea deficiat fides, dominentur vitia, ardeant bella, deficiat miniſter Sacramentorum. Et idẽ iuſtam cauſam eſſe, vt Epiſcopus charitate ductus propria ad tempus relicta Eccleſia ea ad ſuccurrendum alteri grauem neceſſitatem patienti in ſpiritualibus eſt Chriſtianæ communioni valde rationabile. *Caietan. hic Sotus lib. 10. quæſt.3. art.4. Ledeſma dicto cap 3. concluſ.16. dub.5. Valentia tom.3. diſput. 10. quæſt.3. par.4. Sanctarell. variar.quæſt.3. num.1. Barboſ. de off. Epiſ. alleg.53. num.6. & ad ſeſſ. 23.cap.1.Conc. Trid.num.6.* Quod tamen limitatur, vt locum non habeat, vbi propria Eccleſia ex ſui Epiſcopi abſentia pateretur notabile damnum ſalutis. Quamuis vt *Caiet.* aduertit poſſet eſſe tam grandis neceſſitas boni ſpiritualis in alia Eccleſia, vt laudabile eſſet pati aliquod detrimentum etiam in ſpiritualibus, vt alteri Eccleſiæ ſubleuaretur neceſſitas, nam & natura aliquod detrimentum patitur etiam in nobiliori parte pro magna neceſſitate partis inferioris, vt ſuſtinet cauterium in capite, vt pes conſeruetur.

54 Pro temporali tamen neceſſitate alterius Eccleſiæ niſi illa ſit valde grauis, & non poſſit alia via illi ſuccurri, non licet; quamuis ad breue tempus vbi ſine detrimento Eccleſiæ id fieri poſſet, non eſſet irrationabile, vt vnius Eccleſiæ Epiſcopus alterius Eccleſiæ temporali neceſſitati ſubueniret. *Caiet. & Sotus citati.* Sicuti propterea valde proprium eſt Epiſcoporum vt pro fide tuenda, vel pro conciliianda pace Principum & Regnorum mittantur Epiſc. nam vt ex *S. Ambroſ. refert Caiet.* ſicut Sacerdotum officiũ maxime proprium eſt pacem facere, ita valde improprium eſt & irrationabilis abuſus vt Epiſcopi ad tractanda ſecularia negotia mittantur legati, quia ſcriptum eſt *2. Tim. 2. Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſecularibus.* Cæterum in his ſemper Dei honor, & vniuerſalis Eccleſiæ vtilitas eſt penſanda, & menſuranda neceſſitas, & videndum an ſimus in caſu, in quo perſona perſonæ, & Eccleſia Eccleſiæ etiam cum aliquo detrimento ſuccurrere debeat aut poſſit.

NECESSITAS.

55 SEcunda cauſa non reſidendi eſt neceſſitas. Hæc reſpicit perſonam Epiſcopi & commodum eius, vel damnum perſonale etiam temporale ſubſtantiarum, honoris, aut vitæ. Sed circa hanc cauſam hoc primo tanquam certum eſt habendum, quod hæc cauſa non habet locum vbi & quando ſalus plebis exigit præſentiam ſui Præſulis, ſed tunc ſolum cum ſaluti plebis ſufficienter in abſentia Paſtoris poſſit prouideri per alium. Circa quod aduerto illud aduerbium *ſufficienter* poſitum à *D.Th.* Quia eſto per alium non tam bene poſſet prouideri, quam fiat per præſentiam Paſtoris, ſi tamen prouidetur ſufficienter, locum habet neceſſitas fugiendi notabile damnum Paſtoris & non reſidendi. Nam & *Concil.Trid.loc.cit.* mandat vt prouideatur quantum fieri poſſit ne ex Paſtoris abſentia Eccleſia damnum accipiat. Nam *& Io.10.* & ex *S.Aug. habet D.Th. lect.3. Mercenarius non quia fugit, ſed quia dimittit oues, vituperatur.* Vnde quando Paſtor non dimittendo oues ſine legitimo cuſtode fugit corporaliter, non eſt vituperabilis.

56 Hanc cauſam tamen Concilium exprimit per nomen *neceſſitatis*, quia cum ſit ſermo de abſentia per maius tempus, quam per trimeſtre, non quælibet perſonalis vtilitas, aut commoditas Epiſcopi ſufficit ad talem abſentiam iuſtificandam, & eximendum illum à perſonali obligatione reſidendi, ſed neceſſaria eſt aliqua grauis neceſſitas. Talis eſt perſecutio, ſi ſcilicet vel Princeps illum perſequatur, aut alius potens, aut alius de Clero ſuo, vel de populo; nihil enim intereſt an perſecutio ſit intrinſeca, vel extrinſeca, vnde ex tali perſecutione imminet Epiſcopo periculum, vel carceris, vel mortis, vel vulneris. Quod extendendum credo, ſi ex odio in Epiſcopum immineat graue damnum eius Conſanguineis & Amicis; huic vero periculo non poſſit melius occurri, quam per fugam Epiſcopi. In hoc enim caſu magna eſt huius fugæ neceſſitas nedum intuitu damni perſonalis ipſius Epiſcopi, ſed etiam ratione ſcandali & peccati quod patraretur ex Epiſcopi aut alterius iniuſta morte, vel carceratione, vel vulnere, vel bonorum diſſipatione. Ideo ex perſecutione neceſſitante ad fugam oriri iuſtam cauſam non reſidendi tradunt. *Caiet. Sotus d. a.4. Caranza de Reſid. Ledeſm.d.concluſ.16. dub.5. Val.d. p.5. Barboſa de off. Epiſ.all.53.*

num.7.& ad cap.1 sess.23.Concil. Trid. num.8. Azor. p.2.l.7.c.4.quæst.4. Pax Iordan. Prælud.6. num.29. & deducitur ex cap. nisi cum pridem de renunc. & ibi Innoc.num.4. Hostien.num.4. Panorm.& alijs, & ex cap. sciscitaris 7.quæst.1.vbi Turrecrem. Et hoc est verum etiam si Episcopus dedisset causam persecutioni, adhuc enim vbi saluti & curæ plebis suæ sufficienter prouisum fuerit, licet Episcopo imminens malum per fugam euitare.

57 Distinguunt autem *Innoc. Panorm. Sotus, Ledesma* & alij inter persecutionem communem cōtra populum, & Ciuitatem, & persecutionem particularem contra Episcopum, dicentes in priori persecutione Episcopum non debere fugere, sed persistere pro defensione plebis suæ. Distinguitur etiam persecutio, quæ fit ab inimicis fidei, & in fidei odium, aut etiam contra iustitiam Ecclesiæ ab ijs, qui volunt sibi Ecclesiæ vsurpare res, ab illa quæ ob priuata studia, & inimicitias exercetur. Nam vbi fides aut Ecclesiæ iustitia periclitetur, Episcopus tanquam fortis murus debet persistere, & gregem suum, & iura Ecclesiæ se defendere.

58 Verum vt *Caietanus* aduertit non est in hoc discendendum à fundamentali distinctione data à Sancto Thoma; Quia nimirum, vel salus populi exigit præsentiam sui Pastoris, vel saluti populi sufficienter in eius absentia prouidetur. Nam quidem verum est, quod vbi persecutio sit communis & multo magis si persecutio veniat ex odio fidei, vel ex auaritia & cupiditate rerum Ecclesiæ, vt plurimum salus populi exigit sui Pastoris præsentiam, & tunc Episcopo ob quamcumque persecutionem non licet fugere. Vbi enim salus populi periclitatur debent Prælati assumere arma iustitiæ, gladium diuini verbi, scutum fidei, & galeam salutis, & vt Dauid contra Goliam pro salute populi se exponere, & murum se opponere pro domo Dei. Et eos qui hoc non faciunt increpat Deus per *Ezechielem cap. 13.* dicens, *Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini*, Sed tamen adhuc, & contingere potest, vel quod Episcopi præsentia ad nihil valeat, immo quod bona Ecclesiæ valde conueniat eius salus, & incolumitas, & quod ipse (vt de Dauide persequente eum Absalone factum fuit 2. *Reg.*17) maneat in præsidio, & tutus, vel quod in absentia Episcopi sufficienter prouideatur saluti subditorum, quorum bono etiam cōsulitur, si eorum Pastor non pereat, & in his casibus licitum erit fugere.

59 Nam & persecutio contra Athanasium erat ab Arianis ex causa fidei, sed non conueniebat Ecclesiæ, vt murus ille inuincibilis dirueretur, vnde ipse rationabiliter fugit. Et causa persecutionis *S. Thomæ Cantuar.* Episcopi erat iustitiæ Ecclesiæ defensio, & nihilominus ipse rationabiliter fugit, & restitit Regi extra regnum, & Ecclesiæ iura defendit. Et secunda vice, cum Martyrio obijt, si potuisset esse conscius persecutionis iterum secundo rationabiliter fugisset, & se suæ Ecclesiæ conseruasset. Et ex *Nicolao de Lira super cap. 10. Matt. bene aduertit Turrecrem. in cap. sciscitaris.7.quæst.1.* quod etiam vbi persecutio fit ex causa & odio fidei & iustitiæ, si sit probabilis timor, quod fuga futura sit in fidei derisionem, & conculcationem iustitiæ, non licet fugere. Secus si hoc non timeatur, sed habeatur spes probabilis, quod fuga cedet in Ecclesiæ vtilitatem.

60 Quamobrem in his casibus videndum est quid prosit præsentia Episcopi, & an sit necessaria pro salute populi, vel potius ad plebis bonum securitas Episcopi conducat, & interim omni modo possibili sufficienter per delegatum aliquem prouideatur. Nam in hoc casu & licet fugere, immo potest esse, quod fuga sit de præcepto, & vt habet *D.Th. in cap. 10. Io. lec.3.* Etiam si quæratur totus grex videndum est an oporteat vt omnes Pastores maneant cum grege, vel an oporteat, quod aliqui remaneant, & alij recedant. Et si totaliter Pastor deserat gregem, tunc verum est illud, vidit lupum venientem, & dimittit oues, & fugit. *Io: 10. Turrecremata* etiam *in cap. hoc etiam na. 2.7.quæst.1.* aduertit, quod vbi non est necesse, quod omnes remaneant cum Prælato, & tunc fit altercatio sorte decidendum sit, qui remanere debeant. Quod probat ex *S. August.*

61 Etiam ex infirmitate sumitur causa iusta non residendi, vt si mutatio aeris sit necessaria Episcopo pro recuperatione salutis. Rarius tamen continget, vt necesse sit Episcopum pro recuperanda salute ab infirmitate curabili abesse per longius tempus, quam per trimestre. Nam & si infirmitas sit vel incurabilis, vel diuturna & ad longum tempus duratura, non adest causa discedendi, sed Episcopo dabitur Coadiutor, & tales infirmitates potius dant causam permutationi, quam non residentiæ, si infirmitas ex qualitate loci proueniat. Ad hanc causam etiam reducitur inclementia aeris, sed hæc consideranda est, quia si sit accidentaria aut solum ad tempus, poterit esse facilius, vt causa vitandæ huius inclementiæ possit Episcopus non residere. Sed si inclementia sit connaturalis loco, & ideo perpetua, non est rationabile, vt qui libere consensit in Ecclesiam talem defectum patientem, velit eam relinquere. Et si talis sit casus, vt non multum intersit Ecclesiæ talis Episcopi præsentia potius quam alterius, rationabilius est vt cedat Episcopatui, vel ad alium transferratur, quam quod non resideat, quia regulariter gubernium Vicariorum deficiens est. Nec rationabile est, vt ob inclementiam aeris eximatur ab obligatione personali residendi ille, qui voluntarie se desponsari permisit Ecclesiæ talem defectum patienti, Et in his præcipue semper attendi debet vtilitas Ecclesiæ, & obligatio personalis Episcopi, non vero eius commoditas.

62 Hinc apparet quid respondendum sit interroganti, an liceat Episcopo fugere in tempore pestis. Sancti enim Episcopi non fugiunt in simili causa, vt de Sancto Carolo legimus, & Alexandrinus Clerus ob charitatem suam in assistendo laborantibus pestilentia, meruit vt in Ecclesiastico Martyrologio inter sanctos esset adscriptus, & vt tale ab Ecclesia veneraretur. Et quæ contingunt necessitates plebis in tempore pestis tot ac tantæ sunt, vt valde difficile sit, quod Episcopus, qui ex officio nedum est sūmus Sacramentorū administrator, sed pauperum, & miserabilium personarum pater, possit tunc abesse, vbi pauperes, & miserabiles personæ summopere indigent sua præsentia, prouidentia, & charitate. Nihilominus si detur casus, quod Episcopus

sur-

sufficienter prouideat plebi iuxta suam obligationem, cum tempore pestis posse non residere dixerunt *Ledes. de statib. cap. 3. concl. 16. d. 5. & Barbosa de off. Episc. all. 53. num. 8.*

OBEDIENTIA.

63 Tertia causa iusta non residendi est debita obedientia, nimirum obedientia debita summo Pontifici; Qui sine dubio habet potestatem vt quocumque Episcopo vtatur ad quodcumque Ecclesiasticum munus in vtilitatem Ecclesiæ vniuersalis eximendo hoc modo illum ab obligatione residendi. *Caiet. Sotus d. ar. 4. Val. disp. 4. Ledes. d. concl. 16. dub. 5. vers. la segunda. Caranz. de resid. Barb. d. all. 53. nu. 10.* Verum cum *Caiet.* distinguunt alij; quia ministerium ad quod assumitur Episcopus, vel est tale quod exerceri debet per Episcopum, vt est munus Nuncij missi ad Imperatorem aliquem, vel Regem pro graui negocio Ecclesiæ: Legati enim Papæ pro eorum dignitate, vel sunt Cardinales, si mittantur a latere, vel sunt saltem Episcopi. Vel ministerium Romæ, vel alibi exercendum non requirit in Ministro Episcopatum, sed per non Episcopum potest exerceri, vt sunt officia Thesaurarij, Auditoris Cameræ, Camerarij, Vicecamerarij, Auditoris Rotæ, Secretarij, Confessarij, & etiam summi Pœnitentiarij. Non est vero dubium Episcopos rationabiliter ad tractanda negotia illa Ecclesiæ vniuersalis bonum concernentia, quæ non nisi per Episcopos pro dignitate exercentur. Sed de alijs loquendo DD. præfati rationabilem causam eximendi a residentia non putant demandare Episcopis aliquod ex illis officijs, & sic eximere illos a residentia. Et unde spectata huiusmodi institutione sic dicendum est, quia nulla necessitas est eximendi Episcopum ab obligatione residendi propter officium, quod nõ requirit Episcopatum, & alias per non Episcopum potest æque bene, & forsan melius exerceri. Nihilominus tales circumstantiæ esse possunt ex conditione, vel personæ, vel temporis, vel alterius accidentis, vt vtilitas Ecclesiæ petat Episcopum in consimilem Ministerium. Et ideo in hoc standum est iudicio summi Pontificis, ad quem spectat vniuersalis cura Ecclesiæ, & Episcopos instituere, & qualibet persona vti, non in destructionem, sed in ædificationem Ecclesiæ. Ideo Camerarius, seu Vice Cancelarius licet ex officijs istis per se non excusentur à residentia; si fiant Episcopi, bene tamen secundum dispositionem Pontificis possunt, vel per alium, cui in eorum absentia commissa sunt dicta officia Romæ exercere, & in propria Ecclesia residere, vel pensatis pensandis ex dispensatione iusta Papæ Romæ manere & ab Ecclesia abesse.

64 Quærit autem *Ledesma d. dub 5.* An obedientia ad Regem possit excusare Episcopum à residentia. & respondet posse id contingere ex causa boni vniuersalis & ad breue tempus, sed pro causa particulari & ad longum tempus consulendum esse Papam. Cæterum si Rex velit vti Episcopo ad aliquod munus, puto seruandam esse omnino legem *Concil. Trident.* vt scilicet Episcopus, si debet abesse non plus, quam per trimestre possit si conscientiæ suæ causa videtur rationabilis abesse a sua Ecclesia. Sed si per lõgius tempus abesse debeat, id fieri non possit nisi ex causa iuxta sancita & à Cõcilio approbata. Non enim per longius tempus potest Episcopus ex quacumque causa sine licentia se eximere ab obligatione residendi. Et pro officio seculari perpetuo certe sine licentia Papæ non potest Episcopus non residere. *Ledes. d. dub. 5.* Papa autem consentiente poterit Episcopus à Rege mitti legatus pro pace, aut pro negotio graui Ecclesiastico, aut etiam fieri Inquisitor Generalis. *Sotus d. ar. 4.*

65 Immo etiam si Papa alicui Episcopo mandet officium, cum quo non potest residere, si alias Ecclesia sua grauem necessitatem patiatur præsentiæ suæ, debet huius necessitatis admonere Pontificem priusquam Ecclesiam deserat. *Ledesm. d. dub. 5.*

66 Alias vero tempore Anni Sancti ex vi literarum Iubilæi dicti anni posse Episcopos sine alia licentia venire Romam sentit *Barbosa d. all. 53. n. 19.* aliquos ad hoc citans DD. Sed in his casibus Bullæ indicentes Iubilæum considerandæ sunt.

VTILITAS.

67 Quarta causa est vtilitas Ecclesiæ propriæ, nimirum si pro defensione iurium tam spiritualium, quam temporalium Episcopatus, vel etiam pro defensione suæ plebis iniuste oppressæ necesse, vel valde vtile sit Episcopum adire Curiam. Vel si celebrandum sit Conciliũ Prouinciale, vel pro quocumque simili Ecclesiæ graui vtilitate, vel indigentia: *Caiet. Sotus d. a. 4. Caranza de residen. Ledesm. d. dub. 5. Toletus, Sà Moises. Gennen. quos sequitur Barbosa d. all 53. n. 14.*

68 Addit Concilium, etiam vtilitatem Reipublicæ, vbi non est alius, qui negotium graue Ciuitatis suæ, vel Regni tractare valeat, iustã causam esse, vt mittatur Episcopus. Et sic nedum pro Ecclesiæ vtilitate, sed pro defensione plebis suæ, aut Regni, aut pro alio quocumque negotio graui tractãdo pro dignitate ab Episcopo potest Episcopus abesse ad tempus à sua Ecclesia, vt puta ad hoc vt sit orator aut legatus ad Papam, aut ad Principem. ita DD. supra citati, & alij communiter.

OFFICIVM.

69 Qvinta causa est officium ab institutione vel alias ex lege adiunctum Episcopatui, vt officium eligendi Imperatorem est annexum Archiepiscopatibus Moguntino, Colonien. & Treuiren. & in aliquibus Regnis Episcopi ius habent, vt intersint Congregationibus vniuersalibus quas vocant asembleas, aut alio nomine. Et ex Ecclesiæ institutione Episcopi ius habent vt intersint Concilijs Generalibus, aut Prouincialibus. Ideo ex hac causa, vt munere sui officij fungantur possunt non residere, ita tamen vt statim ac functi fuerint officio ad Ecclesiã redeant. Et hæc causa est priuilegiata, quia illa sufficit tanquam notoria absque eo, quod indigeat approbari; & ita sine alia approbatione, ac licentia, cum vel instat Imperatoris Electio, vel Concilia, aut Congregationes legitimè indicuntur, Episcopi à suis Ecclesijs recedere possunt, vt tempore opportuno, vbi opus

est

est conueniant, vt habetur in Concil. Triden. loco citato, & in Constit. Vrbani VIII. de residentia Episc.

70 Ex eo tamen quod Episcopus habeat ex dispensatione alia beneficia etiam curata, vt quod in alterius Cathedrali habeat dignitatem, vel obtineat Monasterium Regulare habens annexas Parochias, post sui institutionem non excusatur à residentia in Diœcesi, sed in ea residens facit fructus suos aliorum beneficiorum quibus tamen debet prouidere de Vicarijs curam animarum habentibus, si beneficia sint curata, solumque priuatur distributionibus illis, quæ solum interessentibus debentur.

71 Præter has verò causas, vel alias, quæ ad istas reducantur, nulla est rationabilis causa non residendi. Nam illa quæ ex conditione personæ assumi possit, vt puta quod sit tantæ auctoritatis & prudentiæ, vt sufficienter per Delegatos possit Ecclesiam regere, etiam melius, quam regulariter fiat per Episcopos residentes merito reijcitur à *Caiet. & Soto locis citatis*; Quoniam vbi obligatio est personalis, sicut est obligatio residendi, non licet supplere per alium, etiam si ille optime sit operaturus.

72 Episcopos autem sequentes Curias sæculares ob temporalia & secularia negotia tractanda merito reprehendunt tã sacri Canones, quã DD. omnes, quatenus id sine causa aliqua ex prædictis approbata legitime absint ab eorum Ecclesijs.

73 Adeò autem Episcopus est ad residentiam obligatus, vt nec ratione voti emissi possit ab hac residentia excusari. Vnde votum longæ peregrinationis, vel cuiuscumque alterius operationis incompossibilis cum residentia non tenet, si absolutè fiat, & sine licentia Summi Pontificis, sine qua per longum tempus abesse non potest ab Ecclesia sua. *Cap. Nisi cum pridem, de renunc. Sylu. v. votum 3. q. 1. Azor. inst. p. 1. l. 11. c. 16 q. 3. Sayr. in Claui Reg. l. 6. cap. 5. num. 24. Panorm. cap. Magna de voto nu. 15. Sanchez l. 4. in Decal. cap. 25. num. 37.* Et quamuis non defuerint, qui dixerint tale votum valere in præiudicium vouentum, qui propterea teneantur ad expensas, quas eundo, & redeundo fecissent, & eos in eas debere votum commutare; tamen neque hoc admittitur, sed verè votum tanquam emissum de re prohibita non valet, nisi quatenus sit conditionatum, & emittatur sub conditione licentiæ Sũmi Pontificis; tunc enim validum est, *Tabien. ver. votum 5. q. 21. Suarez l. 3. de voto cap. 4. à nu. 4. Sanchez vbi supra 39.* Quidquid verò antiquitus diceretur de voto edidi in subsidium Terræ Sanctæ, modo hoc votum nihil valet, si non sit conditionatũ, quia ad Partes Orientales non patet aditus sine licentia Summi Pontificis. *Barbos. de off. Epis. alleg. 53. num. 32.*

74 Quoniam verò residentia necessaria etiam est Pastoribus Episcopo inferioribus, de hac etiam eorum obligatione agẽdum est quoniam *D. Thom.* doctrina vniuersalis est. Et ideò superiùs dicta magis etiam in particulari explicabuntur. Quæ enim de Episcopis dicta sunt applicantur alijs curam animarum habentibus, & quæ dicuntur de illis, cum proportione verificantur de illis,

SVMMARIVM.

1 *Pastores inferiores Episcopis curam animarum habentes ex vtroq; iure tenentur ad residentiam num. 75. 76.*

2 *Contra hanc legem non datur consuetudo. n. 77.*

An Prælati inferiores Episcopo teneantur ad residentiam?

75 PRælatos & Parochos curam animarum habentes teneri per se ipsos suos subditos regere, illisque adesse habetur ex *tit. de Cler. nõ residentibus.* Et clarius ex Conc. Trident. sess. 23. c. 1. de reformat. Vbi in principio decernit ex præcepto diuino omnes quibus animarum cura commissa est, talem curam ouium suarum teneri sumere, quę nequit expleri, nisi ab ijs, qui gregi assistunt, & inuigilant. Et infra subdit. *Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem bonorum, & pœnas de Curatis inferioribus, & alijs quibuscumque qui beneficiũ aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens obtinent, sacrosancta Synodus declarat, & decernit, ita tamen, vt quandocumque eos causa prius per Episcopum cognita, & probata abesse contigerit, & Vicariũ idoneum ab ipso Ordinario approbandum, & cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisq; concedendum vltra bimestre tempus, nisi ex graui causa non obtineant.* Et propterea adsunt circa hoc Constit. Pij IV. 10. & 91. & Pij V. 65.

76 Et nedum de iure Ecclesiastico, sed de iure diuino, & naturali tenentur omnes curam animarum habentes residere. De omnibus enim est ratio eadem, nimirum quia eorum officium est per se ipsos immediatè curam animarum gerere, quod fieri non potest sine residentia. Immò quia hoc immediatum ministerium magis conuenit Parochis, qui sunt ministri proximiores & magis particulares, & ad hoc vt immediatè per se ipsos operentur propinquius destinati, ideo ex hac parte speciali ratione & strictiori conuenit illis residentia. Itaque propterea quod Prælatis inferioribus Episcopis & Parochis, cæterisque animarum curam habentibus ex diuina & naturali lege præceptum sit residere ex *D. Thoma in hoc art. docuerunt Caiet. hic & in summa v. beneficium, Turrecr. in cap. sciscitaris 7. q. 1. Sotus l. 10. de iust. q. 3. per totam Bartbol. de Martyribus Archiep. Bracaren. in stimulo pastorum, p. 2. pag. 51. Caranza de residentia. Sylu. v. residentia n. 1. Io: Lupi. Corud. q. 317. Azor. p. 2. lib. 7. c. 4. q. 1. Sanchez de matrim. l. 8. disp. 6. n. 5. Sanctarel. var. resol. q. 1. Gunzal. ad reg. 8. Cancell. gloss. 8. 24. n. 139. & gloss. 41. n. 8. & gloss. 43. n. 163. Turrian. de residentia, & cons. 21. de cler. non resid. n. 1. Nauar. cap. 25. n. 121. Conar. l. 3. variar. c. 13. n. 9. Cordaba l. 1. q. 19. Gigas. Alphonsus de Castro, Vargas, Salzedo Galego, Io: de Ocon, Quintanaduenãs, Cenedo, Zeuallos, Angles, Vrualdus, Vega, Leo Muscon, Vgulin. Lessius,* quos refert, & sequitur *Garz. de benef. p. 3. c. 2. nu. 16. Ludouicus de S. Io: Homobon, Machado, Riccius, Possemnus, Comitol, Zalinus, Ferret, Bernard. Diaz, Trullench.* quos refert & sequitur *Barbosa de off. Epis. alleg. 53. nu. 2. & de off. Parochi n. 1. & alij cit. supr. n. 31.*

77 Quod

77 Quod veró *Nauar. consf. 21. de cler. non resid.* admittit posse ex consuetudine introduci, vt cura Parochialis in habitu resideat apud Parochú, qui non sit obligatus residere, sed sufficiat, si curam gerat per Vicarium; satis apparet nullam talem consuetudinem posse esse rationabilem; cum officiú pastorale ex natura rei sit personale, & hoc etiam de iure diuino. Et ideó prout supra dictum est, contra præceptum residentiæ, vt est de iure diuino non datur consuetudo. Et alias lex positiua in hoc valde consuetudini resistit, vt patet ex cap. 1. sess. 23. Concil. Trident. Et si detur consuetudo vniuersalis, quod Pastor alicuius Ecclesiæ nó resideat, illa potius non consuetudo, sed corruptela erit, vt habet ibid. Concilium. Quomodo enim moraliter possibile est, vt quilibet pastor alicuius Ecclesiæ in perpetuum habeat causam iustam non residendi? Consuetudo autem non residendi sine iusta causa est corruptela. Quatenus veró in singulari aliquo valde raro casu posset, maximè ex respectu necessitatis vniuersalis Ecclesiæ contingere, quod esset iustum Parochum alicuius Ecclesiæ non residere, adhuc lex huic consuetudini resistit non semel, sed pluries, & ideó non est inconsulto Pontifice toleranda. Pro huius tamen veritatis expositione plura explicare cum sit opportunum quæritur.

SVMMARIVM.

1 *De consuetudine beneficia simplicia non habentia curam animarum non obligant ad residentiam. num. 78.*
2 *Nisi ex lege vel consuetudine speciali. n. 78.*
3 *Episcopus de nouo non potest imponere onus residentiæ beneficio simplici. n. 78.*
4 *Habentes curam animarum tenentur ad residentiam. n. 79.*
5 *Etiam commendatarij. n. 79.*
6 *Non tamen si Commendatarius non habet curam animarum secularium, & tota cura Monachorum residet apud Prælatos Regulares. nu. 79.*
7 *Quid dicendum si Commendatarius non habet curam Sacramentalem. n. 79. 80.*
8 *Abbates, Priores, Præpositi habentes iurisdictionem spiritualem tenentur residere. n. 81.*
9 *Et si non sunt exempti possunt ad id cogi ab Episcopo. n. 81.*
10 *Etiam Prælati Regulares habentes curam animarum secularium tenentur ad residentiam. n. 81.*
11 *Parochus tenetur residere, nisi in totum Parochianos habere desierit. n. 82.*
12 *Etiam si maior pars fructuum alteri sit reseruata. num. 82.*
13 *Abbas, vel Prior qui nec curam, nec Conuentum habet non tenetur residere. n. 82.*
14 *Qui habet curam baptismalem tenetur residere saltem vt coadiutor. n. 83.*
15 *Vbi alicui datus sit coadiutor vterque tenetur residere. n. 84.*
16 *Nisi in coadiutorem tota cura sit translata. n. 84.*
17 *Vbi beneficium habet adiunctam coadiutoriam beneficiatus tenetur residere. n. 85.*
18 *Nisi in fundatione sit statutum quod possit coadiuuare per alium. n. 86.*
19 *Vel nisi in fundatione est expressum, quod non adsit obligatio personalis residẽdi in coadiutore. n. 86.*
20 *Vel secundum Garziam nisi coadiutor non possit coadiuuare nisi ex speciali licentia Episcopi. numer. 86.*
21 *Coadiutores manuales tenentur residere dum sunt in officio. n. 87.*
22 *Possidens Parochialem licet litiget tenetur residere. num. 88.*
23 *Prælati Regulares non subduntur legi Conc. Trid. aut alijs legibus obligantibus Beneficiatos curam animarum habentes ad residentiam. n. 89.*
24 *Concilium & leges Pontificum præcipientium residentiam Pastoribus curam animarum habentibus loquuntur de cura secularium. n. 89.*
25 *Prælati Regulares proprijs legibus ad residentiam tenentur. n. 89.*

Qui sint qui veniunt nomine Parochi ad quos se extendat obligatio residentiæ.

78 ET quidem si ius antiquum attendamus omnia beneficia etiam simplicia requirunt residentiam *cap. final. de rescrip. in 6. Gloss. in cap. extrauag. execrabilis de præbend. in extrauag. Io. 22. Albertus Sbrotius de vero, & perfecto Clerico l. 2. c. 44. Nauar. c. 25. n. 120. Perez de Aniuer. l. 2. c. 8. num. 1. Tusc. lit. B. concl. 50. Garz. de benef. p. 3 c. 2. n. 1.* exceptis tamen præstimonialibus portionibus, quæ ex eorum institutione nullum seruitium videntur habere annexum, quam recitationem horarum. *Nauar. de orat. Miscellan. 48. alias 41. num. 1. Garz. ibid. num. 2.* quamuis aliqui sentiant contrarium. Nihilominus de consuetudine vniuersali beneficia simplicia residentiam non requirunt. *Albertus Sbrotius vbi supra n. 51. Mandos. reg. 2. Cancellar. quæst. 14. & de signatura gratiæ tit. de dispensat. de non residendo vers. beneficia omnia Menoch de arbitr. l. 2. casu 202. num. 75. Flam Paris. lib. 1. q. 10. num. 366. & 367. Perez d. cap. 8. num. 52. Tusc. lit. B. concl. 62. & lit. R. concl. 150. Seraph. dec. 1039. num. 5. & Rota dec. 483. num. 2. p. 1. diuers. & apud Cæsar. de Grassis decis. 115. num. 3. & decis. 108. num. 4. & decis. 175. num. 1. coram Greg. XV. & in vna Concheu. Benef. 30. Martij 1582. coram Lancellato & in vna Virdunen Canonicatus 23. Februar. 1587. coram Gypsio, & in vna Segobien. Canonicatus 24. Nou. 1588. coram Card. Plato & in pluribus alijs, quas refert Garzias d. par. 3. cap. 2. n. 7. Nauar. de cler. non resid. cons. 4. num. 3.* Quamuis certum sit etiam beneficia simplicia habere residentiam, vbi eam requirat vel lex, vel consuetudo specialis. *Felin. in cap. cum dilectus el 2. nu. 1. de rescrip. Rota in vna Calagur. beneficij 20. Iunij 1588. coram Pamphilio, & in vna Calagurit. fructuum 4. Iunij 1600. Coram Corduba,* quas refert *Garz. vbi supra num. 11. & 12. Addit. ad decis. 175. num. 5. Greg. XV.* In beneficijs enim simplicibus cessat ratio curæ animarum, quæ est illa, quæ ex iure diuino & naturali, contra quod non valet consuetudo, petit residentiam. Vnde ablata cura animarum, & vbi beneficia dantur propter officium recitandum, vel ob aliud ex natura rei non requirens residentiam non intrat obligatio residentiæ nisi ex lege, vel consuetudine speciali. Vnde *Garzias vbi supra numer. 8. & 9.* refert sex declarationes S. Cong. Concilij,

cili, in quibus decernitur nedum quod ex generali consuetudine beneficia simplicia non habent annexam residentiam, sed quod nec Episcopus potest hoc onus illis imponere de nouo, & quod per Constit. Pij Quinti de residentia Parochorum non fuerunt obligati ad residentiam habentes beneficia simplicia.

79 Qui igitur de iure diuino obligati sunt ad residentiam sunt illi qui habent beneficia curata, & quidem nedum illi, qui habent beneficia curata in titulum, sed etiam qui habent ea in commendam cum in hoc commendæ æquentur titulis, vt ex *Conc. Trid. sess. 6. de reform. cap. 1. & sess. 23. cap. 1. & ex declarat. S. Congreg. tenet Garz. vbi supra. nu. 165. & plene constat ex Constit. Pij Quarti Rota dec. 115. num. 3. coram Milliua.* Verum hoc indiget limitatione: nam vbi commendatarius non habet curam animarum secularium, quia v. g. commendatum est Monasterium non habens curam animarum secularium, cura Monachorum tota remanente apud Superiores Regulares, talis commendatarius non tenetur residere, vt praxis confirmat, & dixit *Rota apud Farinac. dec. 112. num. 10. in nouiss.* Immo & Commendatarios habentes solam iurisdictionem, nõ vero curam Sacramentalem, nullo decreto Conc. teneri ad residendum, neque pœnis statutis in Concilio arctari, tamquam decisum à S. Congregatione referunt *Garz. p. 3. cap. 2. n. 183. Barbos. de off. Epis. alleg. 53. num. 112. Tambur. de iure Abb. disp. 14. quæst. 6. nu. 2.* Et sic ex vi Concilij Commendatarij tunc solum residere tenentur, cum aliquam habent curam Sacramentalem suorum subditorum.

80 Et nihilominus, quod nedum illi qui exercent curã animarũ in foro animæ, sed etiam qui exercẽt eam, quæ pertinet ad forum externũ circa correctione morum, quia possunt visitare, corrigere, excommunicare, suspendere, interdicere, comprehenduntur sub Constit. 91. Pij Quarti, quæ incipit in superna & data fuit 7. *Cal. Decembr. 1564. tradiderunt Sanctarell. variar. quæst. 1. num. 11. Armendar. in addit. ad Recopilat. legum Nauar. l. 2. tit. 23. l. 2. §. 2. sub rubr. an Parochi debeant residere num. 142. quos sequitur Barbosa de off. Parochi cap. 8. num. 3.* Vnde Præpositurarum curam tantum iurisdictionalem habentium esse comprehensam in Const. 65. Pij Quinti de resid. Parochorum tamquam decisum à S. Congreg. Concilij referunt *Garz. de benef. p. 3. cap. 2. nu. 179. vndecima. Armendar. vbi supra, Barbosa dicto num. 3.*

81 Sed & Abbates, Priores Præpositos, & alios Superiores Ecclesiarum Collegiatarũ, licet iuris dictionem habeant in Canonicos nedũ teneri ad residentiam, sed vt ad eam cogi possint per Episcopos sub quorum Diœcesi extant, vt decisum tenent. *Garz. p. 3. cap. 2. num. 181. Barbosa de off. Epis. all. 53. num. 108. Tambur. de iure Abbat. disp. 14. quæst. 1. n. 6.* & alij apud istos Quamuis Prælati qui nullius sunt Diœcesis, & curam animarum cum Episcopali iurisdictione exercent, non ab Episcopo, sed solum à Pontifice ad residendum cogi possint vt *Garz. & Tambur.* citati obseruant. Prælati etiam Regulares habentes curam animarum secularium eisdem legibus ad residentiam tenentur.

82 Parochi autem habentes curam animarum etiam in spiritualibus residere tenentur, etiam si Parochialis sit tenuis, & etiam si maior pars fructuum sit alij reseruata, & etiam si in ea sint solum tres aut quatuor incolæ, *Garz. nu. 179. Armendar. n. 142. Barbos. de off. Par. p. 1. c. 8. num. 4.* & nisi omnino in totum perierit, & Parochianos habere desierit, in quo casu Parochus non tenetur residere, sicut nec tenetur Abbas, aut Prior, qui nec curam, nec Conuentum habet. *Barbosa de off. Parochi cap. 8. a. num. 5. ex Ricciul. de iure pers. l. 1. cap. 14.*

83 Et qui tantum curam baptismalem habet, vnde illi incumbit baptizare omnes infantes oppidi, & existentes sub cura Archipresbyteri residere tenetur ad minus vt coadiutor Ecclesiæ Parochialis. Nam & hoc est officium cuius actus quacumque hora potest esse necessarius, vnde minister debet residere, vt sit paratus baptizare quando erit necessarium; tamquam decisum refert. *Garz. d. numer. 179. Armendad. vbi supra num. 178. Barbos. nu. 7.* Nam S. Congr. Concilij in vna Aretina censuit Parochiales Ecclesias Baptismi solummodo administrationem habentes obligare eas obtinentes ad residentiam; si Parochiani ad has Parochias tenentur accedere pro Sacramento Baptismatis, & has Parochiales comprehendi sub *c. licet canon. de elec. in 6.* Item nec excusatur á residentia Parochus ex eo, quod sit ammouibilis. Quia adhuc tenetur residere ac si esset perpetuus, vt censuit eadem S. Congreg 14. Maij 1615.

84 Et nedum Parochus residere tenetur, sed etiam coadiutor illi datus auctoritate Apostolica, in quo casu vterque residere tenetur, quia vterque tenetur ad curam animarum. *Gonzalez ad reg. 8. Cancellar gloss 5. §. 9. num. 17. Piasec. in praxi p. 2. c. 3. num. 27. Vgolin. de off. Epis cap. 15. §. 3. num. 3. Armendar vbi sup. num. 157. Sanctarel. var. quæst. 4. num. 17. Campanil Monet. Ricc. Galen quos sequitur Barbos. de off. Paroch. c. 8. num. 19. & de off. Epis. all. 53. nu. 78.* Quamobrem si datus sit alicui coadiutor ratione infirmitatis, non ob id Parochus est exemptus à residentia, vt resolutum dixerunt *Garz. num. 178. Nicolius v. Parochus num. 31. Barbos. de off. Parochi p. p. c. 8. num. 20. & in cap. p. sess. 23. num. 59. Seno de Parocho disp. 8. quæst. 2. num. 11. Bonac. de resid. p. 2. num. 5.* Et vbi in exercitio causæ datus sit vicarius ammouibilis, arguitur curam esse penes Parochum, cui datur Vicarius, & ideo illum teneri ad residentiam vt pariter decisum attestantur. *Garz. p. 3. c. 2. n. 179. & Armendar num. 141. & Barbosa. num. 21.* In his enim casibus, Parochus tenetur residere, quia non est exemptus ab obligatione exercendi curam animarum etiam per se ipsum, & coadiutor tenetur residere, quia se obligat ad eiusdem curæ exercitium, quæ cura à non residente nequit rite administrari. Vbi tamen obtinens Parochialem obtinuit in Parochiali institui Vicarium perpetuum talem tamen, in quem tota cura animarum sit translata, tunc Parochus non tenetur residere, sed sufficit quod residear Vicarius ille perpetuus. *Armendar num. 126. & 193. Barbos. num. 18. Nicolius v. Parochus num. 31. Bonac vbi sup.*

85 Circa tamen coadiutores istos aduertendum quod alij sunt, quibus datur coadiutoria in perpetuum titulum, ex vi alicuius beneficij quod habent, vt sunt clerici beneficiati in aliqua Ecclesia, in qua cura animarum exercetur per plures, quamuis singulorum beneficia non sint proprie curata,

sicut

ſicut etiam ſi in aliqua Parochiali ſit inſtitutum beneficium ad coadiuuandum Parochum. Et iſti ſine dubio tenentur reſidere, vere enim eorum beneficia ſunt curata, & Concilium, & Pontifices non reſpexerunt nomina miniſtrorum, ſed effectum, & ſubſtantiam. Vnde cum iſti beneficiati ſint ex vi beneficij deputati ad curam animarum reſidere debent. *Garz. de benef. p.3. c.2.a. num.164.* vbi ex pluribus declarationibus S. Congr. hoc probat. In quarum tertia tamen datur duplex exceptio.

86 Prima eſt, ſi in inſtitutione beneficij & coadiutoriæ expreſſe ſit ſtatutũ, quod coadiutor poſſit inſeruire per alium. Secunda eſt ſi coadiutori in ſua inſtitutione nulla expreſſe obligatio perſonalis reſidendi impoſita eſt, quia nimirum, vt *Garzias* exponit *ibid. num.169.* In inſtitutione coadiutoriæ expreſſe dictum eſt, quod nulla coadiutori iniungitur obligatio perſonalis reſidendi. Et tertiam exceptionem addit idem *Garz. num.170.* (quamuis non videam vnde id ſit approbandum) vt intelligatur adeſſe obligatio reſidendi in beneficiato, ſeu Capellano, ſi ſtatim ex vi obtenti beneficij ſine alia licentia Epiſcopi poteſt exercere curam animarũ, ſecus vbi iſti beneficiati exercere nõ poſſunt curam niſi de ſpeciali licentia Epiſcopi; Quia in hoc caſu, cum coadiutor non poſſit inſeruire niſi approbetur & habeat licentiam Epiſcopi, parum intereſt quod adiuuet per ſe ipſum, vel per alium ab Epiſcopo approbatum. Et ideo ſi alias beneficium non habet annexam reſidentiam, cum nec habet ratione coadiutoriæ, ſed poteſt per alium approbatum ab Epiſcopo coadiuuare.

87 Sed alij ſunt coadiutores veluti manuales, vt qui dantur alicui infirmo, vel ſeni, vel quomodocumque impedito durante impedimento, in quibus coadiutoria non eſt fructus, vel quid annexum alicui beneficio, ſed eſt officium datum ex cauſa pro tempore alicuius impedimenti. Et iſti reſidere tenentur, dum in officio durãt, Quia officium coadiuuandi eſt officiũ exercendi curam per ſe ipſum, & per ſe ipſum adiuuandi Parochum, & fungendi vicibus illius, vnde dum durant in officio reſidere tenentur.

88 Quamuis etiam alicuius beneficium curatum ſit ſub lite, ſi tamen beneficiatus ſit in poſſeſſione Parochialis, ſeu beneficij curati, tenetur reſidere ſi habet liberum exercitium adminiſtrationis ſuæ, & lis agatur ſuper petitorio. *Barboſa de off. Paroch. cap.8. num.8. & apud eum Riccius in praxi Reſol.393. num.5.*

89 Vltimo autem dubitari poteſt, qualiter & quomodo Prælati Regulares non habentes niſi curam animarum regularium teneantur ad reſidentiam, & præcipue an ſubijciantur legi *Concil. Trident.* vel alijs legibus Canon. contentis *ſub titul. de clerico non reſident. Nam Tambur. par.1. de iure Abbat. diſp.14. quæſt.1. num.4. & 8.* putat Regulares Prælates etiam ex legibus Canonicis ſupra relatis obligari ad reſidentiam. Et conſequenter addit, quod licet non habeant determinatum locum reſidentiæ tenentur tamen reſidere in loco vbi magis ipſorum præſentia fuerit neceſſaria. *Subdens nu.9.* Generales aut Prouinciales, ſiue Prælatos Nationales nec ad Regum inſtantiam poſſe ſine licentia ſummi Pontificis abeſſe vltra tres menſes iuxta decretum *Concil. Trid. ſeſſ.23. cap.1.* Sed dicendum eſt Prælatos Regulares ex iure diuini præcepti teneri ad reſidentiam, iuxta doctrinam & declarationem *Concilij Trident. dictu ſeſſ. in principio cap. primi*, vbi aſſerit, & declarat Prælatos habentes curam animarum ex diuino præcepto debere reſidere in ſuis Eccleſijs. Rurſus Prælati Regulares iuxta cuiuſcumque Religionis ſtatuta ex voto etiam obedientiæ obligantur ad reſidendum. Nihilominus dicitur eos non comprehendi ſub legibus aut Concilij Tridentini, aut iuris communis aut extrauagantium Pij Quarti, & Pij Quinti niſi pro quanto habeant curam ſecularium. Quia huiuſmodi leges ſolum loquuntur de Epiſcopis, & beneficiatis curam animarum ſecularium habentibus, Prælaturæ autem Regulares non ſunt beneficia. Et quidem in Regularibus, qui ſuis proprijs legibus ſtrictiſſime ad reſidentiã obligantur, Nec pœna amiſſionis fructuũ lata cõtra non reſidẽtes habet locũ, ſed de beneficiatis loquũtur iura qui habent fructus beneficij, quibus priuari poſſint. Nec modus priuandi contumaces non reſidentes officio ſeruatis illis interuallis ſex, & ſex menſium in quibus priuentur fructibus conuenit Regularibus. Quamobrem dicitur, quod ſi Prælati regulares abſint ſine legitima cauſa a ſuis Eccleſijs, ſunt compellendi ad reſidendum iuxta exigentiam legum ſuæ religionis, & etiam ſpectata contumacia ſunt officio priuandi cæterũ additur eos non eſſe ſubiectos legibus Pontificijs illis, quæ latæ ſunt contra Epiſc. vel beneficiatos non reſidentes, quia vt declarauit *S. Congreg. ap. Leſſ. l.2. c.34. dub.29. num.161. & Bonac. de reſid. p.4. num.14. Concil.* loquitur de cura animarum ſecularium; ideoque nec ex vi earundem legum neceſſe eſt, vt cauſa abſentiæ illorum ſit viſa, & approbata à ſuperiore, ita tamen quod ad ſuperiorem ſemper ſpectat examinare cauſam abſentiæ, & ſi inueniatur irrationabilis, abſentem punire, quia ex proprijs legibus eſt neceſſaria licentia. Et eiſdem etiam legibus ſpectatis erit arbitrandum quantum tempus ſit modicum, & an abſentia afferat damnum communitati, & quantum. Generales vero earum Religionum, quæ per totam Chriſtianitatem extenſæ ſunt, vix poſſunt abeſſe à ſuis Religionibus, niſi habeant ſedem fixam, vt habent Generales Ciſtercienſium, & Carthuſianorum.

90 Sed quis eſt locus vbi Parochus debeat reſidere? Et quidem hoc primo certum eſt Parochum vnam ſolam Parochialem habentem in ea debere reſidere, & quidem quantum fieri poteſt prope Eccleſiam, vt ſit paratus magis in omni repentino caſu ad miniſtranda Sacramenta. Si autem habeat, plures Eccleſias Parochiales vnitas, ſeruanda erunt, quæ decreuit S. Congregatio apud *Garzium d. p.3. cap.2. n.179. in declarat.14. & 15.* Nimirum vt vbi fuerint duæ Eccleſiæ vnitæ reſidendũ ſit in digniori, quod ſi non conſtet, quæ ſit dignior, in frequẽtiori, quòd ſi vna fuerit extra, & alia intra vrbem, reſidendum ſit in ea, quæ eſt intra. Et ſimiliter ſi populus ſit diuiſus, & vna pars habitet in ciuitate, & altera extra reſidere debere in Ciuitate ex *Armendar. vbi ſupra n.243* tradit *Barboſ. dicto cap.8. numr. 9. & 10. & de offic. Epiſ. alleg.53. numer.72.* Sed attendi etiam debet Declaratio Sacræ Congregationis in vna *Aquilanu die 15. Ianuarij 1596.* quam ſe ex Originali literarum exemplo mu-

tuasse refert *Tambur. de iur. Abb. p. 1. disp. 24. q. 1. nu. 11.* & est tenoris sequentis. *Congregatio Concilij censuit teneri eos residere in loca, in qua sita est Ecclesia Parochialis: & ideò si ea intra mœnia Ciuitatis sit, ibi ipsos residere oportere. Quod si Parochiani, qui extra Ciuitatem habitant, ob locorum distantiam, seu difficultatem patiuntur incommoda in percipiendis Sacramentis, & diuinis officijs audiendis, succurrendum illis esse remedio cap. ad audientiam de Eccles. ædifican. & decreti Concil. sess. 21. cap. 4.* Remedium autem, quod in *d. cap. ad audient. & cap. 4. sess. 21. Concilij* adhibetur est nouæ Parochialis erectio, in qua adsit Sacerdos, qui Sacramenta ministrare valeat. De quo extant apud *Tambur. in fine tertij tomi tres Rotæ decisiones 32. 33. 34.* In casu verò in quo per dispensationem Parochus haberet duas Parochiales non vnitas, quantum sit ea iure humano, resideret in qua vellet. Habens enim per dispensationem duo beneficia incompatibilia residet, in quo illorum voluerit. *Rota coram Card. Seraph. decis. 1452. nu. 5. ex Gloss. in cap. Non potest, § illud in ver. retinere, & ibi Franc. num. 5. & Gemin. num. 11. de præb. in 6.* Nisi inæqualitas notabilis esset inter illas, quia tunc certè in digniori residere deberet, sed iure diuino spectato residere deberet, vbi maior est necessitas præsentiæ illius. Attendi enim deberet non tam lex humana, quam lex diuina obligans pastorem, vt ibi sit, vbi eius maior est necessitas.

91 Quamuis ad hoc vt Parochus euitet pœnas contra non residentes latas, sufficiat, quod resideat intra confines Parochiæ; Et ad hoc vt non peccet cōtra ius diuinum, necesse est & sufficit, vt fungatur munere suo absque detrimento salutis suarum ouium. Ad quod præstandum conueniens est, vt maneat in loco aptiori ad talem effectum, is verò locus designādus est iuxta præfatas declarationes, vel spectatis locorum circumstantijs, vbi Episcopus iudicauerit. Maximè verò attendi debet multitudo subditorum, & situs à fluminibus, vel aliunde non impeditus à libero transitu Parochi ad Sacramenta salutis administranda.

92 Ex declarationibus etiam Sac. Congregat. apud *Garziam p. 3. cap. 2. num. 179.* habetur Parochum debere residere in domo Parochiali, vel si non habetur in alia domo vicina Parochiali, ita vt Parochus possit per se ipsum inseruire. Ita ex *declar. 21. Sanctar. var. q. 4. num. 46. & ex Armendar. Ricc. & Ludan. à S. Io: Barbosa d. cap. 8. num. 34. & de off. Epis. alleg. 53. nu. 71.* Et fuisse aliquando dispensatum, vt Parochus habitet in loco vicino, dummodo substitutum habeat prope Ecclesiam, immo & aliquando sine hac cōditione habetur *ibid. decl. 25.* Sed hodie nequaquam hoc esse concedendum ex alijs declarationibus, & præcipuè ex vna *Sarzanen. 13. Nouembr.* 1617. deducit *Barbosa d. cap. 8. num. 36.* Sed si Parochus habeat propriam domum ea qua possit sufficienter inseruire Parochiæ, poterit non contradicente Episcopo in ea habitare. Non potest verò Parochus haberi pro residente, qui habet Parochiam distantem à Ciuitate tribus, vel quatuor milliaribus, si habitet in Ciuitate, & Dominicis, & festis diebus ad eam accedat. Ita ex *declar. 17.* & propterea, vt refert *Barbosa num. 39.* Sac. Congreg. sub die 13. Nouemb. 1627. Parocho Villæ Merteti diœc. Sarzanen. qui se excusabat à residentia, quia non habebat domum Parochialem, ob aeris inclementiam, & habebat in Parochia Capellanum præcepit, vt intra mensem conduceret domum in Parochia, & intra sex menses domus Parochialis repararetur. Vnde & ex *declar. 19. ibid.* habetur nō excusari Parochum docentem Grammaticam in Ciuitate, etiam si ad Parochiam existentem extra ciuitatem non vltra duo milliaria accedere velit diebus festis & Parochiali interesse, *Sanctarel. variar. q. 3. nu. 33. Barbos. de off. Epis. alleg. 53. num. 75. & d. cap. 8. num. 39.* Etiam si non esset alius idoneus in ciuitate ad docendum, & fuisset relictus idoneus Vicarius. *Barbos. ibid.* Debet igitur domus Parochi esse intra terminos Parochiæ, ibique si adest, debet Parochus habitare, vel si non adsit, debet in modica distantia habitare. *Diana 3. p. tr. 4. res. 156. Bonac. de oblig. residentiæ p. 1. Nicolius v. Parochus num. 31.* ita tamen vt commodè per se ipsum possit curam exercere.

93 *Bassæus tamen in v. residentia num. 10.* omnino vult, quod habitatio Parochi necessario debeat esse intra fines Parochiæ. Tum primo ex declaratione Sacræ Congregationis. Tum secundò quia morari extra Parochiam impedit munus Parochi. Tum tertiò, quia quando à iure præscribuntur termini non datur parua materia. Hic autem duo dubitari possunt, primum est an habitare extra terminos Parochiæ in modica distantia sit contra iura. Secundum an vnum milliare distantiæ, sit modica distantia. Quantum ad primum dicitur quod vbi Parochus non habet domum Parochialem intra terminos Parochiæ, habitare extra in modica distantia, ex qua commodè Parochus potest inseruire Parochiæ non est contra iura. *Marcus Serio de Parocho disp. 6. q. 1. num. 6. & Barbosa d. cap. 8 num. 34.* Hoc habetur ex declaratione Sac. Congregat. quæ est 21. apud *Garziam d. num. 179.* quæ est sequentis tenoris. *Congregatio Concilij censuit Rectores Parochialium debere residere in domo ipsarum Parochialium, quod si Parochiales domos non habent, tunc in alia domo, quæ sit intra limites Parochiæ, aut saltem ita vicina Parochiali Ecclesiæ, vt inde commodè possint per se ipsas ei inseruire.* En quod vbi Parochiales non habent domos, Congregatio subdistinctione vult vt Rectores, vel intra fines Parochiæ habitent, aut in domo vicina Ecclesiæ Parochiali ita commodè, vt Parochi possint per seipsos inseruire. Et merito sub distinctione hoc præcipitur, quia vbi Ecclesia Parochialis sit in extrema parte finiū Parochiæ, quod potest de facili contingere, cōmodius sæpe Parochus inseruiet Parochię habitādo prope Ecclesiā licet extra fines Parochię, quā intra Parochiæ terminos. Et ita motiua allata non valent, quæ supponunt dari legem omnino præcipientem, vt habitatio Parochi sit intra confines Parochiæ; at verò hæc lex non datur, sed immò lex admittit in casu Parochum posse habitare extra. *Bonac. de residentia p. 1. n. 3.*

94 Quantum verò ad secundum *Bonac. vbi supra num. 4.* ait distantiam trium, aut quinque milliarium esse excedentē. *Rota autem 4 p. cas. 21. apud Bassæum vbi supra* modicam existimat distantiam vnius milliaris. Sed quidquid dixerint isti, quos impugnat meritò *Bassæus*, distantia vnius milliaris ab ambitu Parochiæ est nimia, nec sufficit ad hoc vt Parochus ibi habitans dicatur residere, quia ad tātam distantiam non potest Parochus commodè

per

Per se ipsum in casibus occurrentibus inseruire Parochiæ.

95 Considerandum tamen semper est, quod hæc localis & personalis residentia est medium ordinatum ad hoc, vt Parochus diligẽtem curam per se ipsum habeat suorũ subditorum. Quamobrem si personaliter resideat, sed non per se ipsum, sed per Capellanum, aut Vicarium curam administret, eum censendum esse non residere, nec satisfacere suæ obligationi tradunt *Layman l.4.tr.2.c.6.num.1. Bonacina de resid.p.2.nu.2. & ex Posseuino, Vasquez, Lessio, & Card. Zapata, Barbosa de off. Epis. alleg.53. num.186. Bassæus in v. residentia, num.3. Marcus Serio de Parocho dis.8.q.1.n.3. & 7.* Sed distinguendũ est primò, quia vel Parochus omnimodè prorsus curam reijcit in Vicarium, ipseque habitat in Parochia, ac si non esset Parochus, nihil inuigilans super grege suo; Vel non omnem curam transtulit in Vicarium; sed ipse superinspectat, & superintendit omnibus, & vbi opus est occurrit ipse personaliter, nedum administrando Sacramenta, sed subueniendo miseris, consulendo in dubijs, suadendo bonum, cohibendo scandala, & alia operando, quæ sibi opportuna videntur. In hoc secundo casu residet nedum materialiter, sed formaliter. Residentia enim formalis consistit in Parochi vigilantia, & superintendentia, tali, vt vbi opus sit Parochus semper præsens esse possit. Nam alias quantum ad administrationem Sacramentorum non multum interest, quod per Vicarium sufficientem administrentur. Et hoc præcipuum est in Parocho, vt doceat suos verbo & exemplo omni modo sibi possibili dirigens illos in bonũ, & detinens à malo. In primo autem casu, cum deficiat muneri suo, & non satisfaciat obligationi, quam habet ex officio, peccat quidem, & est sacrilege iniustus contra ius diuinum, & naturale, & Ecclesiasticum, sed nõ peccat contra legem residentiæ. Vnde si v. g. iurasset residentiam, sic inutiliter residendo non per hoc esset periurus, *Layman loc. cit.* Sic etiam si Parochus otiosè & prorsus inutiliter resideat, non per hoc peccat contra legem humanam præcipientem residentiam, quia hæc præcipit corporalem præsentiam, & interessentiam, & talis corporaliter residet. Nec obstat, quod finis legis sit, vt Parochus muneri suo satisfaciat, quia finis legis non cadit sub præcepto legis, quæ præcipit medium ad finem, vt ex *D. Thom. p.2. q.100.a.9. ad secundum* dictum est supra. Ideò talis nec incurrit pœnas latas contra non residentes, nec ob hanc causam potest puniri, sed bene incurrit pœnas contra Parochos negligentes & muneri suo non satisfacientes.

96 An verò peccet Parochus, si quidem superintendat, interim tamen relinquat Capellano pondus diei, & æstus, non vtens eo vt Socio laboris, sed omnem laborem ei remittens. Affirmat *Marcus Serio de Parocho disp.8.q.1.n.4. ex Barbosa de off. Parochi p.p.c.8. nu.41. & Posseuin.c.1.n.10.* ex hoc vltimo addens non excusari à graui peccato veniali Parochum, si personaliter vocatus nolit ire. Et *n.7.* addit hunc residentem corporaliter, sed nõ exercentẽ munus suum peccare, vel mortaliter, vel venialiter secundum qualitatem personæ. Sed primò dicendum est ex qualitate personæ non posse diminui peccatum, quia cuiuscumq; qualitatis sit Parochus tenetur personaliter exercere munera Parochialia, si nõ sit iustè impeditus: quia ob actualem infirmitatem, vel aliud iustum impedimentum non potest quis priuari stipendio personali. *Franc. in c.1.§. qui verò, n.1. & 2. de Cler. non resid. in 6. Gemin. ibi. nu.1.* Si enim sine iusta causa omnia Parochialia munera relinquat Capellano, grauiter peccat, quia muneri suo, quod est personale, non satisfacit. *Bonac. de resid p.2. nu.3.* Sed Parochus qui superintendit Parochiæ, & vbi opus sit per se immediatè agit, non relinquit omnia Capellano. An verò Parochus vocatus teneatur ire, & non possit mittere Capellanum alia quæstio est.

SVMMARIVM.

1 *Ad hoc vt Parochus iustè absit necessaria est licentia etiam ex iure antiquo. n.97.*
2 *Consuetudine posset introduci, vt non esset necessaria licentia. n.98.*
3 *Dubium proponitur. n.99.*
4 *Datur breue tempus in quo Parochus potest abesse sine licentia. n.100.*
5 *De iure diuino licentia expresse petita non est necessaria. n.100.*
6 *Qui paruo tempore abest, dicitur continue adesse num.100*
7 *Quod nam tempus sit breue, diuersimode assignatur. n.101.*
8 *Vbi in Parochia sunt graues infirmi, & ideò necessaria est præsentia Parochi, ipse nedum non potest abesse, sed nec vagari per Parochiam. numer.102.*
9 *Vbi nullum imminet periculum tempus breue per quod Parochus nullo relicto substituto potest abesse ex praxi timoratorum est mensurandum. numer.103.*
10 *Parochi vicini sese iuuare debent. n.103.*
11 *Vbi Parochus relinquit Vicarium potest sine licentia abesse ad aliquos dies. n.104.*
12 *Non abest statim reuersurus. n.104.*
13 *Opiniones variæ. nu.105.106.107.108.*
14 *Ex lege diuina non est determinatum tempus vltra quod Parochus ex iusta causa relicto sufficienti Vicario possit abesse. n.109.*
15 *Non potest Parochus abesse per bimestre sine licentia. n.110.*
16 *Non potest Parochus abesse per hebdomadam sine licentia. n.111.*
17 *Episcopus potest præcipere ne Parochi sine licentia absint vltra biduum. n.111.*
18 *In hoc attendi potest consuetudo cuiuscumque Diœcesis. n.112.*
19 *Parochus diuisim recedendo per minima tempora potest forsan per bimestre abesse. n.113.*
20 *Abesse per horas est res leuis. n.113.*
21 *Peccat mortaliter Parochus qui per bimestre continuum abest sine licentia. n.114.*
22 *Vrgente necessitate potest Parochus recedere sine licentia. n.115.*
23 *Prælati Regulares suis legibus relicti secundum eas iudicari debent, si absint. n.116.*

An ad hoc vt Parochus licitè absit, sit necessaria licentia?

97 EVidens est duo ex S. Canonibus & Concil. Trid. loco supra relato, requiri vt Parochus possit non residere, scilicet causa iusta, & licentia Episcopi, vel Superioris, ad quem pertineat hanc licentiam concedere. Nam & iuxta antiquos Canones huiusmodi licentia requirebatur, vt patet ex *cap. Relatum, de cler. nō residen. vbi Glos. in v. Prælatorum. Panorm. cap. inter quatuor num. 4. eod. tit. Syl. v. residentia num. 5. Pisanell. num. 4. Rosell. nu. 3. Angel. v. Clericus 7. num. 3. Tabien. ver. beneficium 3. num. 6. Salon p 4. q. 6. num. 34. 35. & cap. præsentium 7. q. 1. Rota in Burgen. residentiæ 4. Iuly 1586. coram Plutio. Seraph. decis. 1131. num. 6. & in Placentina Salary 7. May 1607. coram Penna, Tambur. de iure Abb. d. 14. q. 4. n. 12.*

98 An verò ex consuetudine introduci possit, vt Pastor ex causa iusta possit non petita licentia abesse, affirmant *Innoc. in cap. ex tua de cler. non residen. Panorm. ibid. in cap. inter quatuor num. 3. Sylu. Ang. Tabien. Tambur. loc. cit.*

99 Verum cum Concilium videatur permittere, vt Parochus possit abesse per bimestre, dubiū est, an ad hoc sit necessaria aliqua Episcopi licentia, vel potius conscientiæ Parochi sit remissum iudicare de causa non residendi, & sic possit per illud tempus sine licentia non residere.

100 Sicut autem dixi de Episcopo, sic dico de Parocho, quod datur aliquod breue tempus per quod Parochus sine licentia potest ab Ecclesia sua abesse, quod pro minimo, aut nihilo reputatur, & non compreheditur sub lege prohibente absentiam sine licentia. De iure enim diuino supposita sufficienti prouisione pro indemnitate gregis, non est prohibitum iu sensu vt supra num. 45. exposito ex causa legitima abesse etiam ad multum tempus, vt ex *2. conclus. D. Thom.* habetur, & fatentur communiter DD. lex verò positiua iudicauit bonum esse, vt iudicium hoc de causæ legitimitate & iustitia non residendi non omninò relinqueretur conscientiæ Parochorum, sed committeretur superiori. Sed adhuc quia in moralibus sumus, in quibus minimum pro nihilo reputatur, datur in hac parte tempus tam paruum, quod à lege pro nihilo habetur, & sub ea non comprehenditur. Nam & qui paruo tempore abest non efficit, quominus dicatur continuo abesse, *Iacob. de Graff. in aureis decis. l. 2. c. 97. n. 57. Ludou. à S. Io. de administr. Sacram. a. 1. tit. de resid. num. 9. Possen. de off. Curati cap. 1. nu. 3. Barbos. de off. Parochi cap. 8. n. 42.*

101 Quantum verò sit hoc tempus, nec potest sine distinctione assignari. Nam si Parochus nullum relinquit substitutum, qui in casu necessitatis possit Sacramenta ministrare, hoc tempus valde breue est assignandum. *Barbosa de off. Epis. alleg. 53. num. 106. ait*, quod Parochus poterit etiam sine licentia, & substitutione Vicarij discedere per aliquot dies cum causa est vrgens, & non patitur dilationem, nec habet quem mittat ad Episcopum pro licentia, & pro Vicario substituendo, & citat *Azor. p. 2. l. 7. c. 4. q. vlt.* idem verò *Barbosa subdit*, quod si Curatus rationabiliter iudicauerit (veluti quia nullus infirmatur) posse abesse per duos, aut tres dies non festos, licitè abierit, etiam si nullum substituat, quia consuetudo optima legum interpres ita declarat, etiam apud timoratos, & si cōtingat tunc aliquem mori sine sacramentis, quæ alias recepisset, non peccabit Parochus, quia rationabiliter abfuit. Sed idem *Barbosa de off. Parochi cap. 8. num. 44.* longe aliter sentit. Inquit enim, quod si Parochus, vbi nullus infirmatur, velit, potest abesse per aliquas horas nullum substituendo, quia consuetudo ita declarat apud timoratos. Abesse verò quando nullus infirmatur tota die & raro in anno, nec laudat, nec vituperat. Abesse autem per duos, aut per tres dies nullo infirmante, & nulla causa iustificante habet valde de rationabili esse mortale propter multa, quæ possunt eo tempore euenire, maxime in villis, vbi nullus est alius Sacerdos à Parocho. In locis autem vbi sunt alij Sacerdotes erit maius, vel minus peccatum ratione damni possibiliter euenturi, cui tamen facilius, quam in villis potest obuiari. Idem prorsus habet in *sess. 23. Concil. Trid. de reform. cap. 1. num. 49.* & cum *Barbosa* etiam in verbis concordat Serio *de off. Parochi disp. 8. q. 1. n. 8.*

102 Non dubito, quod vbi in loco aliquis grauiter infirmatur, vel ex quacumque causa instat periculū, quod Parochus potest, & ideò debet præuidere, nedum non licet eidem nullo relicto substituto exire de Parochia, sed nec vagari per eam, sed debet manere in domo sua, vel vbi de facili inueniatur, si sit opus, *Barbosa de off. Parochi p. p. c. 8. num. 42. & 43. Serio de Parocho disp. 8. nu. 8.* Et hoc tanta necessitate debet seruari, vt propter nullum sui, aut alterius damnum, vel periculum, possit recedere, & non adesse necessitati spirituali sui subditi. Hoc enim est, quod docet *D. Thom. in prima conclus. huius articuli*, & cum eo docent *Caiet. Sotus, & alij DD. communiter.*

103 Sed vbi nullum prorsus imminet periculum, quod probabiliter proxime timeri possit, sed solum adest casualis imminētia periculi & damni, quod potest adesse, potentia tamen valde remota, & quæ raro reducitur ad actum, nec humana prouidentia potest præuideri, certè ratio dictat, vt ex obligatione residentiæ Parochus nō censeatur positus in carceribus. Ideò puto in hoc standum esse praxi, & cōsuetudini apud timoratos viros approbatæ, & ab Episcopis non reprehensæ. Nam & Sac. Congreg. Episc. & Regular. sæpius puniri vetuit Parochum absentem per paucos dies absque licentia Episcopi, non obstante prohibitione seu edicto eiusdem Episcopi, maxime si coactus fuit abesse ab aliquo improuiso accidenti 1593. *Treuis. 9. Maij, & 1606. Ventimil. 6. Decembr. & Sac. Congreg. in vna Castellanæ Ciuitatis 27. April. 1581.* mandauit tolli pœnam excommunicationis latę sententię ab edicto prohibente Parochis abesse vltra duos, vel tres dies sine licētia. Alias vero vbi in Parochia nullus alius est Sacerdos approbatus ab Episcopo ad ministranda Sacramenta, vel qui ea administrare possit in casu extremæ necessitatis, debent Parochi propinqui sese inuicem adiuuare, & quilibet illorum bene inuigilare ne ex eius absentia aliquis suorum subditorum patiatur damnum salutis æternæ.

104 Sed si Parochus relinquit substitutum, qui in casu necessitatis aduenientis possit adesse, &

prout

prout opus erit operari, ad paucos dies potest sine petita licentia abesse. Vt enim dicebatur, non debet Curatus manere in Parochia tanquam in compedibus & quin aliqnado possit discedere cessante fraude, & negligentia, vt ex *Io: Andrea dixit Tabien. v. beneficia 3. n.6.* & aduerterunt *Satus l.10. de iust. q.3. a.4. Posseuin. de off. Curati cap.1. num 6. Graff. decis. lib.2. cap.97. num.57. tom.1. Barbosa d. alleg.53. num.92. Serius vbi supra num.10.* Vnde non desijt residere, qui ad breue tempus absuit vt ex *Archid. & Gemin. probat Perez de Lara de anniuers. l.2. c.8. à n.20.* Nam abesse non dicitur, qui statim est reuersurus, *l. postliminium §. captiuis, & in l. nihil, ff. de captiuis & postlim. reuers. vt videre est apud Rebuff. in praxi p.3. tit. de permut. n.12. & in concord. Gallia rubrica de collat. §. 1. Gloss. in ver. Etsi residentiam. Tiraquel. in l. si nunquam, verb. susceperis liberos num.176.* Et in his residentiæ terminis, vt dictum est supra aduertit *Concil. Trident. d. sess. 23. cap.1.* & probat *Gonzalez ad regul. 8. Cancell. gloss. 43. num. 5.*

105 Hoc verò breue tempus per quod Parochus relicto substituto possit abesse sine licentia, quidam restringunt ad 8. dies. *Posseuin. d. c.7. n.19. & alij ad sex vel septem Barbos. de off. Parochi p.1. c.8. nu.52.* At verò alij extendunt dummodo ad tres hebdomadas non perueniat, *Reginald. in praxi l.1. cap.6. sect. vlt. num.51.* Sed alij absolutè affirmant Parochum relicto substituto posse abesse per tres hebdomadas, & hoc videtur habere fundamentum in decreto *Concilij Agathensis cap.84.* & habetur *cap. si quis in clero 29.7. qu.1.* ibi *Similiter Diaconus, vel Presbyter, si per tres hebdomadas ab Ecclesia sua defuerit, huic damnationi succumbat.* Et hoc approbant *Barbosa dict. alleg.53. numer.92. & Serio vbi supra, numer.11. Et ex Beia par 4. casu 21.* addit *Barbosa* non peccare mortaliter Parochum, nec teneri ad restitutionem fructuum, qui singula hebdomada venit ad Ciuitatem ad parentes inuisendos, & cum eis vno die moratur relicto sufficienti Vicario.

106 Verum hoc alij extendunt ad bimestre, sentiunt enim, quod vbi Parochus non velit abesse, nisi per bimestre sit relictum conscientiæ suæ abesse ex causa rationabili, cumque non teneri ad petendam licentiam ab Episcopo. Hoc enim videtur sibi cōcedi à *Conc. Trid. d. sess.23. cap. 1.* Sicut Episcopo concessum fuit posse abesse per trimestre. Tum quia hoc fieri poterat ante Cōcilium per *cap. præsentiam 7. q.1.* & à iure antiquo non est recedendum sine nouo expresso, *l. præcipimus, C. de appellat.* Tum quia Cōcilium dicit omnia seruanda in Parochis, quæ in Episcopis. Tum quia hæc est pars benignior, & ideò amplectenda. Vnde eam tenent *Nauar. cap.25. num.121. Salzedo ad Diaz cap.52. lit. C. Ludouicus Lopez tom.1. cap. 148. Rodriquez tom.1. cap.36. fin. Emanuel Sà verb. resid. nu.7. Quintanaduenas, Cenedo, Villar. Zechius, Zeuallos apud Garziam de benef. p.3. c.2. nu.19. Io: Bapt. Conradus q.317 Azor. p.2. lib.7. cap.4. q.10 Camit. Franciscus Leo, Valetius apud Barbosam de off. Parochi p.p. cap.8. n.53. Bassaus v. residentia n.9. Bonacina de resid. puncto 4. num.9.*

107 Verum oppositum sentiunt *Io: de Ocon. in repetit. cap. 1. de Cler. non resident. in 6. nu.51. Gomez in explicat. Bullæ Cruciatæ cap.7. in 4. Claus. num.27. Vgol. de off. Episc. cap.15. §.5. num.1. Posseuin. de off. Curati cap.1. num.11. Less. de iust. l.2. c.34 numer.159.* vbi tamen dicit se credere, hoc non esse vsu receptum. *Vasquez de benef cap.4. §.2. a.1. dub.3. n.149. & a 2. dub.3. num.188. Filliuc. p.3. tr.41. cap.6. nu 26. Squillante de oblig. Cleric. p.1. nu.116. Sanctarel var. resol. quæst.4. nu.12.* quos referunt & sequuntur *Garz. de Benef. p.3. cap.2. num.23. & Barbosa de off. Parochi p.1. cap.8. n.54. Tambur. de iure Abb. p. prima disp 24. quæst.5. Bonac. de resid. p.3. num.6.* Et hoc probatur, tum quia ita praxis obseruat. Tum quia Concilium voluit, quod ad absentiam per bimestre sufficiat causa quæcumque rationabilis, sed ad absentiam per maius tempus requiratur grauis causa, ita tamen vt semper causa approbetur ab Episcopo, vt patet ex illis verbis, *ita tamen, vt quandocumque eos causa prius per Episcopum cognita, & probata abesse contigerit &c.* Tum propter tres declarationes S. Congreg. Concilij quas refert *Garzias ibid. num.23.* & quartam quam refert *idem p.9. c.2. num.295.*

108 Ex quibus declarationibus alia habentur aduertenda, vt quod valet constitutio Episcopi, quod Parochus non possit abesse vltra duos dies sine licentia. Quod Episcopus potest hoc præcipere non quidem sub pœna excommunicationis, sed sub pœna pecuniaria, quæ non excedat dimidiam *Garzias p.3. c.2. n.23. Barbosa d. alleg.53. num.97. Bonac. de resid. p.3. nu.7.* Quod Parochus non petita & obtenta licentia non potest abesse per hebdomadam etiam relicto Vicario.

109 In hac parte mihi primo videtur dicendum quod de iure diuino, & naturali vbi adest causa iusta discedendi, & relinquitur sufficiens vicarius, non est tempus determinatum per quod Parochus posit abesse sine licentia. Quod dicitur non quia Episcopus non possit velle scire causam absentiæ, & illam reprobare, si sit digna reprobatione, & præcipere Parocho vel vt non discedat, vel vt redeat, siue quia non sit in Parocho debitum subordinationis respectu Episcopi in ijs, quæ spectant ad curam animarum, cum Parochi sint ministri Episcopi in partem sollicitudinis eius assumpti. Sed quia lex diuina quantitatem hanc temporis per quod Parochus Episcopo non admonito posit a sua Ecclesia abesse non determinauit sed illud Ecclesiæ determinandum reliquit.

110 Dicitur vero secundo ex lege Ecclesiastica in Concil. Trid. statuta non posse Parochum etiam relicto Vicario abesse per bimestre, sed immo non posse abesse quandocumque sine causa per Episcopum approbata. Concilium enim sic voluit ea, quæ de residentia Episcoporum dixerat, communia esse Parochis, quod tamen hoc explicauit, & limitauit, per illa verba sequentia, *ita tamen, vt quandocumque eos causa prius per Episcopum cognita & probata abesse contigerit, Vicarium idoneum, ab ipso ordinario approbandum &c.* Et ita vbi in sta loquitur de absentia per bimestre, non concedit, quod possint per id tempus abesse sine licentia, immo supponens & tunc requiri licentiam, decernit vt vltra bimestre eam nisi ex graui causa non obtineant. Et merito Concilium noluit conscientiæ Parochorum committere absentiam etiam per bimestre, cum Episcopis concesserit per trimestre, tum quia non est eadem prudentia in Parochis,

quæ

quæ in Episcopis. Tum quia Episcopale gubernium ex sui natura non est ita immediatum, sicuti est officium Parochiale, quod est officium omnino proximi, & immediati instrumenti, cui omnino repugnat absentia. Tum quia in Cathedralibus non desunt ministri valde sufficientes, qui possint in absentia Episcopi plebem regere, & Episcopus absens in quampluribus negotijs potest per Epistolas muneri suo satisfacere, vnde est quod multo magis est necessaria præsentia localis in Parocho, quam in Episcopo. Tum etiam quia longe facilius est, quod Parochus exponat necessitatem absentiæ suæ Episcopo, quam quod Episcopus illam referat Metropolitano, vel Pontifici. Tum quia Concilium iudicauit absurdum quod Parochiales per bimestre maneant sine Sacerdote ab Episcopo approbato, & eo ignorante; cum sidrles sint Episcopi oues, & ad ipsum spectet & eas & eorum doctores cognoscere. Quamobrem Concilium merito voluit, quod quandocumque Parocho accidit causa recedendi à Parochia, ipse Parochus non possit ex ea recedere, nisi sit ab Episcopo probata. Vnde per hoc soluta manent prioris sententiæ motiua. Cui non fauet *cap. præsentiam 7. quæst. 1.* vbi est sermo de Parocho, qui cum licentia Episcopi discesserat, & cum ægritudine detentus per duos menses, absuisset Episcopus alium Parochū instituerat S. Greg. vero optime decernit eum non fuisse priuandum, non quia Parochus possit per duos menses abesse sine licentia; sed quia & ille cum licentia discesserat ad negotia peragenda; & quia ob non residentiam per bimestre ex accidenti ægritudine causatum non debuit ille priuari parochia. Alias vero ex *cap. Relatum de cler. non residen.* potius deducitur nunquam licuisse Patocho abesse à Parochia sine licentia.

111 Dicitur tertiò, quod paruum tempus, quod in proposito sit pro nihilo reputandum est tempus infra hebdomadam. *Nicolius in verb. Parochus. numer. 29.* Tertia enim declaratio Sacr. Congreg. quam refert *Garz. d. num. 23.* sonat in hæc verba. *Nec potest per hebdomadam abesse non petita, vel non obtenta licentia, etiam relicto Vicario idoneo ab ipso Ordinario approbato.* Et hoc quoque tempus posse per Episcopum minui, & statui etiam per legem pœnalem pecuniariam non excedentem dimidiam, ex secunda declaratione ibidem recensita constat. Et est rationabile, quia determinate huius absentiæ tempus & modum recedendi a Parochia spectat ad Episcopum, & ideo quod possit Episcopus præcipere Parochis, vt sine licentia non recedant si sint mansuri magis quam per biduum dixerunt *Garzias loco citato. Armendar. etiam loco citato num. 155. quos sequitur Barbos. de off. Parochi p. 1. c. 8. num. 57. & Sterius de off. Parochi disp. 8. quæst. 1. num. 9. Nicolius d. num. 29.*

112 Dicitur nihilominus quarto securum esse in hac DD. contrarietate sequi consuetudinē cuiuscumque Diœcesis *Layman l. 4. tr. 2. c. 6. num. 7.* Com enim sinua in materia legis Canonicæ; Nam alias ex natura rei abesse per bimestre a Parochia ex causa rationabili sine Ecclesiæ incommodo, & pronisio de sufficienti Vicario non est de se malum, & irrationabile; bene in hac parte attendi potest consuetudo cuiuscumque Diœcesis.

113 Sed & additur quinto esse rationabile, vt secunda & tertia conclusiones limitentur, vt intelligi debeant de absentia continuata, & quod licet continue non possit Parochus relicto Vicario abesse per hebdomadam, dinisim tamen recedendo & cum rationabili interpollatione non nisi per diem, vel ad duos dies, possit in anno toto abesse ad tempus forsan etiam duorum mensiū. Declarationes enim S. Congr. quas affert *Garzias* admittunt hanc intelligentiam, cum non exprimnnt absentiam habitam per bimestre dinisim. Alias vero non est res magni momenti sine Ecclesiæ incommodo abesse ab ea in toto anno dinisim per aliquod tempus excedens aliquas hebdomadas. Et huiusmodi parua in se ipsis pro nihilo sunt cōputanda, cū non relinquant damnum graue in quo coniungantur, sed sine damno Ecclesiæ diuisim fiant, non est vnde necessario coniungantur. Et ita in hoc sensu *Bria* supra citatus quem refert & sequitur *Bonac. p. 3. num. 6.* & cui consentit *Barbosa loc. supra cit.* admittit Parochum non peccare, qui semel in hebdomada relicto Vicario abest per vnum diem, &c. DD. qui volunt absolute, quod Parochus relicto Vicario ex iusta causa possit abesse per bimestre non petita licentia, multo magis hoc admittunt, si intelligatur fieri diuisim. Alij vero rigorose admodum sentirent, si hoc negatent. In hoc tamen standum & particulari dispositioni Epitcoporum, vel etiam consuetudini. Nam hoc quoque consuetudo habet, quod recedere à Parochia per aliquas horas etiam recreationis gratia etiam sæpissime, cum non immineat periculum gregis, non censetur culpa contra præceptum residendi. Vnde vt colligit *Bonacina de resid. p. 1. num. 5.* licet Parochia exire ad funera in vicinioribus oppidis ducenda, vel ad anniuersaria celebranda, vel ad menstruas congregationes.

114 Sed numquid si Parochus ex vera, & legitima causa absit per duos menses sine licentia Episcopi peccabit mortaliter? Negat *Bonacina vbi supra num. 9.* Tum quia quod fit rationabiliter fit prudenter, tum quia aliter non esset permissum à Triden. Tum quia bimestre censetur modicum tēpus. Sed *Bonacina* non loquitur consequenter. Supposito enim, vt ipse ibi fatetur, quod ex decreto Concil. Trid. sit necessaria licentia ad hoc vt Parochus absit per bimestre, nec rationabiliter, nec prudenter fit, quod fit sine necessaria licentia; neque id est permissum à Concilio Trid. a quo si bimestre fuisset iudicatum tempus modicum in ordine ad Parochos, reliquisset conscientiæ illorum posse abesse, sicut fecit cum Episcopis. Alias vero cum negari non possit, quod Parochus absens per bimestre sine licentia non perdat fructus pro rata, negari etiam non potest, quin idem sit inobediens in re graui si tunc absit, cum per S. Congreg. decisum sit eidem non licere abesse sine licentia, nec etiam per integram hebdomadam. Nec *Barbosa, & Garzias, ab eo citati ei suffragantur. Barbosa tum alleg. 53. num. 92. & cap. 1. sess. 23. num. 8. vbi citatur id non dicit, & Garzias p. 3. cap. 2. nu. 315.* bene de Canonicis inquit, quod possunt abesse per trimestre; quia id sine licentia possunt facere.

115 Tandem dicitur, quod in casu necessitatis repentinæ, non dantis tempus petendi licentiam potest Parochus nedum relicto Vicario, sed etiam vbi nullum de proximo immineat subditis salutis peri-

periculum, aut necessitas, & non habeat quem sobstituat; nullo relicto substituto sine licentia Episcopi recedere à Parochia; statim admonendo quando, & quomodo possit Episcopum per Vicarium Foraneum, vel alio simili modo sibi possibili. Necessitas enim legem non habet. Et supra hoc idem de Episcopo dictum est, & in terminis residentiæ Parochi docent *Azor. p. 2. l. 7. c. 4. qu. vlt. ex Sela. 4. par. 6. Hostien. Io. Andrea, & Abbate in cap relatum num. 6. de cler. non resident & ex Possen. Barbosa de off. Epis. all. 53. num. 106. & de off. Parochi p. p. c. 8. num. 66.* & tamquam declaratum pluries a S. Congregatione docet *Garz. p. 3. c. 2. nu. 35. Armendar loco citato num. 62. Bonac. de resid. p. 3. num. 5. & p. 4. num. 13.*

116 De Regularibus autem loquendo, *Tambar. de iure Abb. disp. 14. quæst. 6.* sentiens eos obligari ad residentiam etiam ex lege Concil. Trid. arbitratur eorum absentiam regulandam ex ijs, quæ de Episcopis Concilium decernit, & iden quod possint abesse per trimestre sine licentia ex causa ab illis iudicata tamquam iusta, & quod sit idem dicendum de omnibus Prælatis animarum curam cum Episcopali iurisdictione habentibus. Verum pro nunc de Regularibus loquendo dicitur, quod non loquitur de illis Concilium, & quod absentia Prælatorum localium, quorum præsentia maxime necessaria est, quia sunt ministri immediati, potius regulanda esset ex sancitis de Parochis. Quia omnes sunt immediati ministri, & in Prouincialibus, & Generalibus, qui sunt ministri mediati longior tempus absentiæ, quam sit Bimestre possit concedi sine incommodo gregis. Vnde in Regularibus attendi debent eorum leges, ex quibus etiã est specialis necessitas non deserendi Conuentus sine licentia Superioris.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi est dare licentiam absentiæ Parochis. numer. 177.*
2 *Etiam si collatio pertineat ad alium. n. 117.*
3 *Prælati tamen exempti sunt ordinarij, qui suos licentiant pro absentia. n. 117.*
4 *Apud Regulares superiores dant inferioribus Prælatis licentiam absentiæ. n. 118.*
5 *Generales non absunt, si manent, vbi possint omnibus superintendere. n. 118.*
6 *Ex ijs quæ Concilium decrenit de absentia Parochorum & Episcoporum possunt Superiores Regulares dirigere iudicium suum. n. 118.*
7 *Capitulum Sede vacante dat hanc licentiam absentiæ. n. 119.*
8 *Non sufficit licentia tacita. n. 120.*
9 *Etiam in casu notorio. n. 120.*
10 *Qui bona fide recedit in conscientia non peccat. num. 120.*
11 *Non sufficit licentia petita. n. 121.*
12 *Causa debet exprimi in specie. n. 121.*
13 *Si Episcopus causam non approbet, non licet recedere. n. 121.*
14 *A denegata licentia datur appellatio. n. 122.*
15 *Licentia inualida non suffragatur. n. 123.*
15 *Licentia non in scriptis non suffragatur in foro externo. n. 123.*
16 *Licentia falsa non iuuat. n. 123.*
17 *Parochus non tenetur iuridice causam probare, num. 124.*

Quæ nam licentia sit necessaria, & quis illam dare possit?

117 EPiscopum respectu suorum subditorum posse huiusmodi licẽtiam dare, seu causam non residendi examinare, & eam vel reprobare, vel approbare, indubitatum est, cum hoc expresse decernat Concil. Trid. sed dubium esse posset de Ecclesijs, quarum collatio spectat ad Abbates aut alios Prælatos inferiores etiam Regulares. Nam huiusmodi Prælatos posse dare suis Parochis licentiam non residendi ex iusta causa, tenuerunt. *Azor. Possen. & Santlarel.* quos refert, & sequitur *Barbosa de off. Parochi p. 1. cap. 8. numer. 63. de off. Epis. all. 53. nu. 95. Tambar. de iure Abb. p. p. disp. 14. quæst. 1. & 3. & quæst. 5. num. 2.* Verum econtra adest declaratio S. Congr. quam refert *Garz. p. 3. capit. 2. num. 179. & est 26.* ibi recensita, & data pro explicatione illius clausulæ Concilij *causa prius per Episcopum cognita*, per sequentia verba. *Omnia hæc committantur Episcopo, qui executioni demandet etiã in Ecclesijs Parochialibus, quarum collatio ad inferiores spectat, etiam si inferiores essent Abbates regulares.* Quamobrem iuxta hanc declarationem nullus Parochus potest ab Ecclesia abesse nisi prius causa sit ab eo Episcopo approbata, in cuius Diœcesi est Parochialis. Dicendum vero pro concordia, quod vbi Prælati inferiores sunt exempti, & ipsi sunt Ordinarij, & habent iurisdictionem in Parochos, & non nudam collationem; ad ipsos spectat tamquam ordinarios examinare causam recedendi ab Ecclesia Parochiali, & dare licentiam recedendi. Tales enim sunt ordinarij & se habeãt tamquam Episcopi; sed vbi Prælati inferiores solum habent collationem Parochialis Ecclesiæ, non vero iurisdictionem in Parochos, spectat ad Episcopum dare talibus licentiam recedendi a Parochia.

118 Apud Regulares autem Prouincialis dat licentiam Priori, & Generalis Prouinciali *Tambar. de iure Abb. disp. 14. quæst. 3.* Generalis vero si velit discedere Roma, id non facit incõsulto sũmo Pontifice. Et si habet sedem fixam ab ea non discedit, nisi ex causis in iure constitutionum suæ Religionis expressis, & approbatis, vel de licentia summi Pontificis. Cæterum Generales non habentes sedem fixam, semper residene, si sunt in aliquo suorum Conuentuum, nec absunt, ex eo quod occasione transitus de vno ad alium Conuentum, manent extra ordinem transeundo. Immo nec abesse dici debent si extra Conuentum maneant, vbi tamen Religioni superintendere possint: Quamuis vt religiosi intra claustra viuere debeant: Quia eorum officiũ est omnibus superintendere non vero per se ipsos adesse huic vel alteri Conuentui. Nisi simul sint Prælati locales alicuius Prouinciæ, vel Monasterij. Quamuis vero supra dictum sit, & sit verum, quod Regulares non comprehenduntur sub legibus Põtificijs præcipientibus residentiam Episcopis & beneficiatis. Tamen est aduertendum, quod ex eisdem in multis dirigi possunt etiam Regulares nam v. g. ex quo Concilium decernit, quod in Episcopis absentia per tres menses est modica, ex hoc di-

rigi

rigi poterit superior vt (spectatis tamen proprijs legibus, & natura Prælaturæ) videat an tempus absentiæ Prælati inferioris censenda sit modica, vel non modica.

119 Ideo in sede vacante hanc licentiam dare potest Capitulum, cum tunc sit ordinarius. *Sanctar.variar.q.5.n.64.Barbosa vbi sup n.64.& d.n.95.*

120 Licentia vero, non sufficit, quod sit præsumpta, vel tacita, sed necesse est, vt sit expressa. Sic enim declarasse S.Congregat. refert *Garz. p.3.cap.2. num.35.Sanctarel. variar.quæst.4.num.16. Armendar num.164.Bonacina de off.Parochi p.p. c.S. num.65.Barbosa de praced.p.4. nu.12.* Etiam si causa esset omnino notorie iusta, vt apud eundem *Garziam* duabus vicibus S. Congr. declarauit. Et ita vt nec excusetur, qui bona fide putans euidentiam causæ satis esse recessit a sua Parochia. Quod tamen bene explicat *Garz.num 36.*vt non intelligatur in foro conscientiæ; nam in eo foro excusandus est, qui bona fide abest sine licentia, quia talis a peccato,& ideo etiam à pœna excusatur.

121 Pariter vero non sufficit licentia petita, sed non obtenta, quia Concilium requirit vt causa absentiæ sit ab Episcopo approbata. *Panorm. in cap. relatum num.5.de cler.non resid.Tabien. v.beneficium 3.num.6.* & tamquam decisum sequitur *Garz n.37. Bonac.de resid.p.4.num.13. & apud eum Rota in Calagurit. fructuum 26.Maij 1614. Coram Vbaldo n.6.* Et ex declarat. Sacr. Congreg. quam ibi refert duo alia colliguntur. Primum quod non sufficit afferre causam in genere, & iurare, quod datur causa vere iusta, licet non possit, aut non expediat eam propalare, sed necesse est causam exprimi in specie. Secundum quod licet causa sit iusta, si Episcopus illam, etsi nimis rigidus, non approbat, non licet abesse. *Garz.ibid.& ex Squillante de oblig.Cleric.p.1.num 117. Armendar & Valer. Barbosa de off.Parochi p.p.c.8.num.59.*

122 Et quamuis à denegata licentia detur appellatio vt ex *Concil.Bonon.tit.de resid.§.de causis excusantibus & Panorm.in cap.relatum, num.6.& cap. tua,& ibi Butr.de cler.non residen.Felin.in cap.finali. de magistris nu.3.ver.6. limita. Tabien.v.beneficium. 3.num.6. Selua de benef.4. p. quæst.7. num.29.* docet idem *Garz. d.num.37.* tamquam declaratum à Sacr. Congreg.tamen interim *vt ait Garzia t.num.39.*Parochus abesse non potest, cum interim non habeat licentiam ab Episcopo.

123 Licentia etiam talis, quam Episcopus dare non potest, si detur, non excusat à residentia. An vero sufficiat licentia,si non sit data in scriptis, dicitur quod in foro conscientiæ sufficit,supposita iusta causa, & forsan sufficere posset in foro externo coram summo Pontifice, si de ea constaret.Sed iudices inferiores tenentur iudicare secundum leges;ideo in foro externo non sufficiet,quod Pastor sine licentia in scriptis absit a sua Ecclesia. *Nauar. cons.22.de cler.non resid.num.vlt. Bonac.de resid.p.4. num.12.* Licentia tamen inualida; vel falsa & fraudolenter obtenta ad nihil valet, vt ex *Felin.& Rota tradit Garz.p.5.c.4.num.228.Barbos.alleg.53.numer.98.Bonac.de resid.p.4.num.11.*

124 An vero Parochus teneatur iudicialiter probare iustam causam absentiæ. *Barbos.numer.61. remittit ad Ricciam decis.152.p.1.* Sed dicendum est non adesse hanc necessitatem, sed sufficere notitiam extraiudicialem, & ad iudicium prudens sufficientem. Hoc enim est negotium extraiudiciale, vbi nullus est actor, sed Parochus petit licentiam.

SVMMARIVM.

1 *Debet relinqui Vicarius approbatus ab Episcopo. num.125.*
2 *Quando Parochus ad paucos dies abest,sufficit,quod relinquat Sacerdotem vniuersaliter ad Sacram. administranda approbatum. n.125.*
3 *Potest relinqui Parochus vicinæ Parochiæ, si commode potest inseruire.n.125.*
4 *Si Vicarius velit gratis seruire, non est necesse dare illi stipendium.n.126.*
5 *Vicarius relictus potest sibi coadiutores adiungere, & in casu absentiæ substituere. n.127.*

Qualem Vicarium relinquere debeat Parochus, qui vult abesse à Parochiali?

125 HVnc debere esse approbatum ab Episcopo constat ex Concil.Trid.decreto. Nihilominus quando sine licentia Episcopi potest Parochus ad paucos dies abesse, sufficit quod substituat Sacerdotem ad Sacramenta omnia administranda quibuscumque personis alias approbatum. Hoc enim habet vniuersalis consuetudo. Nisi Episcopus per suas constitutiones speciale quid in hac parte disposuerit. *Possess.d.c.1.num.19. & ex Ludouico à S. Io: Barbosa vbi sup. num.52.Sertio de Parocho disp.8. quæst.2. num.10.* Quare Parochus posset ad hoc vicinum Parochum substituere, si ita de propinquo maneret, vt posset commode inseruire suæ Ecclesiæ. Non enim repugnat Parocho vnius Ecclesiæ ex delegatione exercere curam in alterius Parochia, vt colligitur ex *Concil. Trid.sess.13.cap.15.*

126 Quamuis etiam Concilium velit, vt Vicario assignetur pro sustentatione pars fructuum beneficij, si ille velit seruire gratis, non erit hoc necessarium, potest enim quilibet gratis seruire si velit, & debitam sibi mercedem remittere.

127 Ex *Machado etiam de perfecto Curato l.4. p.2.tr.4.doc.4.* docet *Barbosa vbi supra num.53.* Substitutum à Parocho in Parochi absentia posse sibi coadiutores ad aliquod ministerium, licet non ad totam curam adiungere, immo & si illum abesse contingeret posse alium substituere. Hæc enim est praxis, & Parochus pro sui absentia Vicarium relinquens censetur dare illi facultatem subdelegandi. Delegatus vero potest subdelegare, si hoc sibi ab ordinario fuerit concessum per ea, quæ late tradit *Sanchez.l.3.de matrim.disp.31 num.6.* qui *nu.15. ex Adriano & Metina* ait consuetudinem vigere vt vicecurati in eorum absentia substituant aliquem eique curam Parochiæ delegent.

SVMMARIVM.

1 *Quinque, sunt causæ ex quibus Parochus iuste abesse potest relicto Vicario. n.128.*
2 *Prima causa charitas pro negotio graui alterius Parochiæ.n.129.*

Quæ sint causæ iustæ non residendi in Parochiali?

128 CVm vero Concilium dicat eandem esse in hac parte rationem de Episcopis, & de alijs curam animarum habentibus, ad quinque autem causas Concilium reducat omnes causas, ex quibus Episcopi possunt non residere, tot & non plures sunt ex quibus Parocho concedi potest, vt non resideat, scilicet charitas, necessitas, obedientia, vtilitas, & officium annexum Parochi officio.

CHARITAS.

129 CHaritas erga aliam Ecclesiam est prima causa, circa quam nihil speciale dicendum occurrit, sed vbi id fieri possit sine detrimento salutis propriæ Parochiæ rationabile est, si Parochus ad tempus abiit ad iuuandam aliam Ecclesiam eius ope indigentem, ad dirimendas inimicitias, conciliandos animos, & cõponendas lites: *Caiet hic Sotus lib.10.quæst.3.art.5.& alij supra citati Azor.p.2.l.7. p.4. qu.4. Barbosa de off. Parochi p.p.c.8.nu.46.Serius de off. Paroch.disp.8. quæst.21 Bassaus v.residentia.num.5.Tambur. de iur.Abb. disp.14. quæst.4.num.1.*

130 Necessitas vrgens ipsius Parochi est causa secunda excusans a residentia. Appellatione autem necessitatis venit omne iustum impedimentum, quo quis impeditur residere. *Archid.in cap.1. de cler.non resid.in 6.& ibi Gemin.num.5. Franc.nu.12. Feder.de Senis cons.246.num.2.Calder.cons.15. circa finem.Tambur.de iure Abb.p.p.disp.14.quæst.4. nu.3.* Et licet absentia pro proprijs negotijs dici possit ex causa rationabili. *can.præsentium.7.quæst.1. Gloss. in cap.relatum v.Prælatorum & in cap.ex parte el 2. v.pertinuimus de cler.non residente, & ex Tholos.& Nata.Tambur.num.5.* tamen iusta causa debet esse talis, quæ præbeat iustum impedimentum. *Rota apud Seraph. decis.1131. & in Alarien.fructuum 21. April.1603. coram Pamphilio.* Ac vero vbi negotium possit tractari per procuratorem non est iustum impedimentum. *Seraph.d.decis.num.4.& 5.& ex Bart.Bald.& Boer.Tambur.vbi sup.n.6.*

131 Hæc verò necessitas iusti impedimenti ad duo capita principalia reducitur scilicet ad necessi-

sitatem fugiendæ persecutionis, & ad necessitatem conseruandæ salutis, aut alicuius alterius boni. Quantum igitur ad persecutiones, & inimicitias, supponendum est has esse ortas post obtentam Parochialem; quia alias non est verisimile, quod habenti capitales inimicitias in loco, quæ possint impedire à residentia, Parochialis fuerit collata, & si forsan Parochus decepisset Collatorem, esset puniendus, & vbi inimicitiæ non possent componi cogendus esset ad cedendum, tamquam is, qui ab initio non erat dignus, vt promoueretur, & contra Sacrorum Canonum præscripta fuit promotus. Sed si post legitimam collationem ortæ sunt inimicitiæ, & persecutiones, si ex culpa Parochi ortæ sunt, debet Parochus puniri. Et licet in hoc, & superiori casu ad scandalum vitandum remouendus sit Parochus a loco, tamen puniendus est iuxta qualitatem culpæ, & quatenus inimicitiæ durent, & scandali immineat periculum cogi potest, vt cedat Parochiali in qua ex sua culpa non potest residere.

132 Sed vbi absque culpa Parochi inimicitiæ ortæ sunt, & insurexit persecutio merito timenda, & fugienda Saer. Congreg. Concilij prout habetur apud *Garziam de benef. par. 3. cap. 2. num. 179.* ita declarauit. *Graues inimicitiæ culpa Parochi non contractæ, & post obtentam Parochialem exortæ excusant à residentia, & cum talibus Episcopis conceditur dispensare per annum, vt in alia viciniori, ac tutiori loco manere possint, dummodo in Parochiali expensis Rectoris maneat idoneus Vicarius, ac interim curare debet Episcopus, vt inimicitiæ extinguantur: si id perficere non potest, rescribere debet ad Card. Congregationis Concilij cuius culpa factum fuit quominus reconciliatio processerit.* Et alia vice, ita declarauit. *Propter inimicitias, quæ superuenerunt sine culpa Parochi datur annus, & crescentibus, inimicitijs datur alius annus, sed odium solum Parochianorum non sufficit.* His vero concordare *Concilium Mediolan. 5. & Concilium Bonon.* refert *ibid. Garz.* Et ita, quod Episcopi in hoc casu dispensare possint vt Parochus per annum non resideat, & per duos annos, si crescant inimicitiæ docuerunt *Bonac. de resid. disp. 5. p. 5. num. 2. & Ricc. Armendar. Comit. Ludouicus de S. Ioanne, quos refert Barbosa de off. Parochi p. p. c. 8. num. 32. & Salzedo & Gallet. quos idem Barbosa sequitur de off. Epis. alleg. 53. num. 89.* sed *de off. Parochi d. num. 32.* in fine concludit hodie hoc non licere, sed consultius esse consulere Sacram Congregationem *Nicolius quoque in Flosculis v. Parochus* ait tutius esse à S. Congr. Episcoporum & Regularium licentiam petere, quam regulariter concedere solet ad sex menses, ea conditione adiecta, vt interim, vel inimicitias cōponat, vel beneficium permutet, vel alias dimittat. Sic enim eandem Sacr. Congr. die 15. Februarij 1619. Archipresbytero Ripæ ob causam inimicitiæ concessisse licentiam non residendi relicto tamen Vicario ad sex menses vt interim resignaret, aut permutaret, refert idem *Barbosa d. n. 32.*

133 Quantum vero ad infirmitatis necessitatem, si Parochus intra suæ Parochiæ fines non potest curari defectu medicorum, aut medicinarum posse Episc. dare licentiā vt in loco aliquo viciniori maneat ad tres vel quatuor menses donec sanitatem recuperet, prouiso tamen de Vicario sufficiēti, tamquam decisum à Sacr. Congreg. Concilij tenet *Garz. d. cap. 2. num. 179. in 4.* declaratione ibi recensita, cui concordare asserit *Concilia Mediolanen. 5. par. 3. tit. de resid. & Bononien. decis 4. par. tit. de resident. §. de causis excusantibus &c.* Et idem sentetiunt *Armendar. loco supra citato num. 18. Barbosa d. cap. 8. num. 30.* Cæterum vbi Parochus potest curari in sua Parochia, nulla infirmitas, vel debilitas, vel senectus excusat eum à residentia. Et vbi ex ratione ætatis, aut infirmitatis non possit per se ipsum inseruire, datur quidem illi coadiutor, sed non per hoc eximitur ille ab obligatione residendi. *Barbosa d. cap. 8. num. 33.* Posset tamen ex causa senectutis absolui a residentia, maxime si ætati sit iuncta infirmitas, prouiso tamen de idoneo Vicario, in quem tota cura transferatur. Et quatenus redditus Parochiæ non sufficerent alendis Parocho, & Vicario, inducendus esset amicabiliter populus vt indigentiæ huic supplerec. Nam Parochus qui in seruitium populi ætatem consumpsit meretur sustentari, etiam si non possit inseruire, qui vero datur illi in coadiutorem de altari viuere debet.

134 Nec propter aeris intemperiem excusatur Parochus à residentia. *Barbos. d. cap. 8. num. 29. & apud eum Vgol & Armendar.* Quamuis si intemperies sit temporalis, & adsit consuetudo, vt tali tempore sacerdotes omnes recedant, & alibi in proximo loco habitent, possit etiam tunc Parochus recedere, & in vicino habitare. Nec ratione pestis grassantis potest Parochus plebē suam deserere, nisi alias ministros sufficientes substituerit. *Bonac. de legibus disp. 3. quæst. 4. p. 4. num. 5. Nicolius in Flosculis v. Parochus n. 32.*

135 Aduertendum est etiam, quod si infirmitas superueniat ei, qui non erat solitus residere, quod nō debentur ei fructus beneficij tamquam ei, qui sit legitime impeditus, vt probat *Eminentiss. Ottobonus dec. 14. num. 12.* præsumitur enim non residere libere ea causa, qua prius non residebat, & quod infirmitas solum concommitanter se habeat ad non residentiam. In foro tamen conscientiæ, & coram Deo non erit reus, si vere pœnituerit, & infirmitas superueniens sit vera causa, quod moram trahat extra suam Diœcesim, aut Parochiam. Et hic animus verus residendi, & quod infirmitas fuerit causa non residentiæ inde colligi poterit, si sanatus statim ad Ecclesiam suam se conferat. Quia animus residendi ex euentu colligitur, vt ex *Bartol. probat Rota dec. 163. num. 3. coram Greg. XV.* Vbi plura habentur quæ ad præsumptionem animi residendi probandam iuuant.

136 Quamobrem quod dicitur licere Parocho abesse ob morbum curandum, bellum, hostium incursum, pestem sæuientem, aeris intemperiem, vel ob inimicitias, odium Principis aut populi declinandum. *Azor. p. 2. l. 7. c. 4. quæst. 4. Barb. d. cap. 8. numero 47. Sernus de Parocho disp. 8. quæst. 2.* Nedum etiam secundum hos DD. & alios sæpe citatos, non habet locum quando Parochis absentia cedat in detrimentum salutis plebis sibi commissæ, cum pro ea promouenda teneatur etiam mortem subire si opus sit. Sed neque est verum absolute & prouisa Parochia de Vicario substituto. Odium enim populi non esse causam sufficientem non residendi habetur ex *declar. Sacr. Congreg. supra nu. 32* relata, & idem dicitur de odio Principis, vbi alias non immineat Parocho damnum graue iniustum.

Et

Et qualiter etiam ob inimicitias liceat abesse explicatum est, aeris vero intemperies non excusat, nisi ex circumstantijs adiunctis. Et in bello, hostium incursu, & alijs repentinis periculis abesse ad breue tempus sine damno plebis licebit, verum vbi mali imminentis periculum sit diuturnum, & longum, & impediens per multum tempus à residentia, hæc necessitas est quidem iusta causa permutandi, vel etiam resignandi, sed non est iusta causa solum non residendi, nisi attentis circumstantijs aliter videatur superioribus.

137 Obedientia debita etiam est tertia causa, ob quam Parochus iustè excusari potest à residentia, cum ipse abest, vt pareat Papæ, vel eius Legato, vel Episcopo iustum obsequium imperāti. *Tambur. de iure Abb. p. p. disp. 14. q. 4. num. 7.* addit, cum abest ad breue tempus. Sed hæc additio non est necessaria; nam Pontifex etiam ad longissimum tempus potest ad vtilitatē Ecclesiæ vniuersalis vti Episcopo, vel Parocho extra residentiam. Causa igitur attendi debet, ex qua superior mandat alicui non residere, & si superior possit dispensare ex ea causa super non residentia. Episcopus enim manus habet valde restrictas in hoc. Huius verò obedientiæ exemplum datur, & si Episcopus vti velit Parocho ad visitandā Prouinciam, vel Diœcesim, aut ad pacem componendam. *Azor. d. q. 4. Barbos. d. cap. 8. n. 48. Marcus Serio de off. Parochi disp. 8. q. 2. num. 4.*

138 Sed quod dicitur de visitatione non subsistit. Tanta enim est obligatio residendi in Parochis, vt ab ea non excusentur, & possint vltra duos menses permanere in seruitio Episcopi, aut Ecclesiarum Cathedralium, vt sint vel Vicarij, vel Visitatores, vel Secretarij, vel Fiscales, vel Notarij &c. vt patet ex declarat. S. Congr. Concilij relatis per *Gonzal. ad reg. 9. Cancell. gloss. 6. num. 254. Quarant. in v. residentia, Garz. p. 3. cap. 2. n. 42.* vbi ait concordare etiam *Concil. Mediolanen. 5. p. 3. tit. de residen. & Bononien. tit. 6. de resid. § de causis excusantibus &c.* vnde hoc idem docuerunt citati *DD. Gonz. n. 254. Quarant. & Garz. d. num. 42. Emanuel Sà v. residentia, Possenin. de off. Curati c. 1. num. 12. Bonac. de resid. disp. 5. p. 5. n. 14. Sanctarel. var. q. 3. num. 49. Piasec. p. 2. cap. 31. n. 27. Ric. Valer. Alzed.* quos sequitur *Barbos. d. c. 8. n. 23. & de off. Epis. alleg. 53. nu. 85.* Quidquid dixerit *Hieron. Venero de exam. Episc. par. 4. cap. 47. num. 16.* scilicet posse Episcopum ad quatuor menses vti Parocho pro Visitatore Diœcesis. Quem refert, nec reprobat *Serio de off. Parochi disp. 8. q. 2. num. 11.*

139 Quamuis si quis sit Parochus in Cathedrali poterit esse Vicarius Episcopi, vt ex *Riccio* tradit idem *Barbosa num. 4.* Vbi quod in tota Prouincia Toletana Parochi non possunt esse iudices Ordinarij, vel delegati appellationum ex Constit. *Ecclesia vniuersa*, data 17. August. 1615. à Paulo Quinto, quam Greg. XV. in Constit. *Aitas à felicis*, sub die 9 Maij 1622. extendit ad Parochiales Regnorum Castellæ, & Legionis. Quanobrem bene admonet *Garzias citatus num. 45.* falsum esse consilium *Nauar. 15. de cler. non resid.* admittentis hodie etiam Parochum posse abesse ab Ecclesia, vt sit Vicarius alterius Episcopi; quod reprobauit etiam *Gonzal. vbi supra num. 259.* Et præterea falsum est aliud consil. *Nauar. 5. de atat. & qualit.* admittentis Prælatum Ecclesiæ Collegiatæ curatæ, si Episcopus ex graui causa cum auocet ad suum seruitium excusari à residentia. Hæc enim dictis declarationibus Sac. Congreg. aduersantur.

140 Ideò hoc extenditur, vt nec ob officiū Subcollectoris Apostolici excusetur Parochus à residētia. Etenim semper attendi debet distinctio illa *Caiet. in hoc artic.* quod officiorum alia sunt, quæ non exercētur nisi per Episcopum, & in proposito nostro per Parochum, & alia sunt officia, quæ à non Episcopo, & non Parocho, possunt exerceri, & per se loquendo cum non sit necesse huiusmodi officia committere Episcopis, vel Parochis, ita neque ob impositionem talium officiorum habetur per se iusta causa non residendi. quia non est necessitas occupandi Episcopum, vel Parochum in illis, & propterea quod per officium Subcollectoris non excusetur Parochus à residentia docuerunt *Garz. d. num. 42. in 3. declarat. Sac. Congreg. Gonzal d. gloss. 6. n. 266. Ricc. Vgolin. Armendar.* quos sequitur *Barbos. d. c. 8. n. 25.*

141 Immò quod nec Inquisitoris officium det causā non residendi, & excuset à residentia Parochos, aut Vicarios perpetuos, aut Beneficiatos curam animarum habentes dixerunt *Gonz. d. gloss. 6. num. 266. & gloss. 43. num. 164. Sanctarel. variar. q. 11. num. 4. Alzed. de præst. Epis. p. 2. c. 9. nu. 37. Ricc. resol. 393. num. 3. Barbos. d. c. 8. num. 26. & de off. Epis. alleg. 53. num. 87.* Nam & priuilegium concessum Inquisitoribus contra hæreticam prauitatem, Consultoribus, & Procuratoribus in Romana Curia, & alias vbilibet residentibus, Secretarijs, Fiscalibus, Relatoribus, ac Commissarijs, actu seruientibus Castellæ, Legionis, Aragonum, Hispaniarum, & vtriusque Siciliæ ad lucrandos fructus in absentia quorumcumque beneficiorum. Quod priuilegium dari solitum à tempore Innocentij VIII. vsque ad Paulum V. retulit *Barbosa de off. Episc. alleg. 53. num. 156.* excipit Ecclesias Parochiales, Vicarias perpetuas, & beneficia curam animarum habentia. Aliud vero priuilegium per quod Inquisitoribus concessum fuit, vt in suis præbendis, ac dignitatibus habeantur pro præsentibus & integros fructus percipiāt simul cum distributionibus quotidianis, & fuit illis concessum à Paulo III. & Pio V. eiusq; mentionem faciunt *Rojas de priuil. Inq. nu. 420. & in tractat. de hæret. singul. 96. Castro Palaus tractat. 7. disp. 3 puncto 9. § 8. num. 3. Armendar. in recopil. legum Nauar. lib. 2. tit. 23. leg. 2. § 2. num. 7. Garz. par. 3. cap. 2. num. 356.* vbi quod huiusmodi priuilegia Inquisitorum fuerunt a Sac. Congregatione confirmata, *Sanctarell. variar. q. 11. nu. 3. Cened. q. Canon. q. 1. num. 28. Cenal. in pract. com. opin. q. 585. num. 12. Escobar de nobilit. probanda p. 1. q. 4. § 5. nu. 71. Spino in spec. testament. gloss. 3. prin. num. 78. Diana p. 4. tr. 8. resol. 72. Carena p. p. tit. 5. nu. 93. Barbosa de off. Epis. alleg. 53. num. 156.* non se extendit ad Parochiales, & beneficia curata, vt tradunt *Cenal. Sanctarell. Castro Palaus, Diana, & Barbosa citati, & Gonz. in regul. 8. Cancell. gloss. 6. nu. 265. & gloss. 13. num. 163. Rubeus decis. 393. num. 4.* Quidquid in contrarium senserit *Spino*, sed vt ait *Castro Palaus*, sine fundamento, & contra expressam declarationem Sacræ Congregationis relatam à *Gonzal. vbi supra.* Sed considerandum est, quod in his Pontifex multa disponere potest. Et quod licet vbi officium potest

exerceri per non Episcopum, & pec nō parochum, per se non habeatur causa iusta occupandi illos & impediendi à residentia, tamen attentis circumstātijs potest haberi causa iusta detinendi Pastores præcipuè occupando illos in seruitio S. Inquisitionis.

142 Hinc est, quod Parochi ab Episcopo nec possunt assumi vt doceant, nec modo officium docendi vel Grammaticam, vel etiam Theologiam non præstat grauem causam ob quam possint Parochi excusari à residentia. Et in præsenti censetur derogatum *cap.fin.de Magis.* Et ita vt nec sufficiat si Parochus in diebus festis adsit Ecclesiæ suę. Vnde nunc licet possit admitti, vt in Ciuitate, vel loco proprio Parochus docere possit, vbi residentia non impeditur, vbi tamen munus docendi residentiam impediat, non potest Parochus deputari, vel vt doceat in Seminario, vel vt legat in vniuersitate, vel vt interpretetur Scripturam in Cathedrali, vel vt quodcumque doceat, vt tanquam declaratum, & decisum à S. Congregatione tenent *Garzias de benef.p.3.c.2.n.84.Gonz.ad.reg.8.Cancel.glos. 6.num.354. Armendar.loco citato nu.134. Ricc. resol. 393.n.2. Barbos.de off.Episc.alleg.53. num.76. & de Parochs p.p.c.8. num.28. Sanctarel.var.q.3.num.32. Bassaus in v.residentia num.7.* Quidquid in contrarium dicat *Castro Palaus*, cum declaratio Sac.Congregat. quam refert *Garzias nu.81.* & fuit data ad explicationē illorū verborum *Priuilegium omnibus de perceptione fructuum, sess.5.cap.1.de reform.* & ea sit interpretata vt sonant hæc verba. *Nō excusantur residentia in Parochialibus,nec possunt habere beneficia incompatibilia ratione illorum priuilegiorum.* Et malè pro hac sententia refert *Garziam*, qui post multam disputationem circa hanc materiam a num. illo 81. resoluit Parochos non excusari à residentia ob munus docendi, vel studendi.

143. Vnde est, quod licet olim Parochi possent per septennium abesse causa studij, vt illis concessum fuerat *cap. cum ex eo, de elect. in 6.* Nunc cum Ecclesiæ Parochiales dentur per concursum ijs, qui sufficiēter inuenti sint docti, & apti ad curam animarum ex præscripto *Conc.Trident. sess.24. cap.18.* ideò Sac.Congregatio sæpius declarauit non licere Parocho abesse causa studendi in aliqua vniuersitate, Ordinarioſque non posse talem licentiam concedere, vt referunt *Gonzal. dicta gloss. 6. numer.251. Garz.d.cap.2.d nu.81. Prosper de Aug. add. ad Quarant.v.residentia, Sanctarel.d.q.3.nu.25. Salzed.& Ludouicus à S.Io:* quos sequitur *Barbos.d.c.8. nu.27.Candid.disquis.18.a.30.dub.2. Serio de off. Parochi disp.8.q.2.n.12.Bonac. de resid. p.5. num.16.* Et quamuis oppositum probabile censeat *Castro Palaus tract.7.disp.3.p.9.§.9.* motus auctoritate pluriū DD. qui post Concilium scripserunt, & nihilominus docuerunt etiam in Parochis vigere priuilegiū *d.c.cum ex eo,de elect.in 6.* nec obstare, quod Parochiales dentur per concursū; quia etiā antiquitus in Parocho erat necessaria sufficiētia,sed ob scientiæ augmentum concessum fuit,vt Parochus posset abesse causa studij; nihilominus dicitur insufficiēter responderi, quoniam nunc Parochiales debent dari nedū sufficiēti,sed meliori & aptiori & cæteris paribus doctiori inter concurrentes; & iam est necessaria actualis sufficientia & idoneitas absoluta, & non deficiēns tempore collationis: qua posita non iudicatur causa grauis, & necessaria vt ob augmentū scientiæ quod interim Ecclesiæ maneāt sine Parocho; & eo magis, quod vt refert *Garz.d. c.2.n.109.* adest alia Sac.Congreg. declaratio, per Papam approbata, qui respondit Ordinariom, nō posse dare licentiam absentiæ à Parochiali ratione studij, & iussit Episcopum abstinere à concessione similis licentiæ.

144. Est nihilominus, vt dicebatur, considerandum, quòd multæ sunt causæ, quæ se solæ nō censebuntur graues, sed tamen ex adiunctis circumstantijs poterunt esse tales, vnde si non ab Episcopo, saltem à Summo Pōtifice possint approbari tanquam legitimæ, & iustæ ex quibus ipse possit alicuius Parochi opera vti, & si contingat ex eo eum non posse residere tunc debita obedientia excusabitur eum à residentia.

145 Vtilitas etiam Ecclesiæ vel Reipublicæ est quarta causa, quæ potest excusare à residentia. Hoc intelligendum esse de vtilitate propriæ Ecclesiæ, non verò alienæ ex *cap.cum non deceat, verb. in illis Ecclesijs, quorum negotia prosequuntur,* & ex *Io: Monach. Io: Andr. Anchar. Probo.& Gemin. ibid. tradit Tambur.de iure Abb.p.p.d.14.q.4. n.9.* Nisi illa alia Ecclesia haberet dependentiam ab Ecclesia propria, vt citati DD. volunt. Sed hoc quidem verum est, quod hæc causa respicit vtilitatem propriæ Ecclesiæ. Verum hoc intelligi debet sine præiudicio primæ causæ assignatæ à Concilio, quæ est charitas, ex qua oritur insta causa, vt Prælatus vnius Ecclesiæ aliquando inuer aliam. Et addendum est quod Concilium nedum vtilitatis Ecclesiæ, sed etiā necessitatis Reipublicæ vult haberi rationem. Datur verò exemplum huius vtilitatis. Vt si absit Parochus ad Synodum Generalem, aut Prouincialē, aut Diœcesanum legitimè vocatus, vel pro lite Ecclesiæ, vel pro obtinenda reformatione in varijs emergentibus. *Azor.p.2.l 7.c.4.q.4. Barbosa d.cap.8. num.49.*

146 Sed quantum ad id, quod dicitur de absentia causa litis obstar declaratio Sac. Congregat. quam referunt *Gonz. d.gloss.6.n.167.& Garz.d.c.2. n.42.in declar.3.* Sed distinguendū est, nam alia est lis, quæ concernit interesse propriū Parochi, qualis est, si esset lis super Parochiali an ad ipsū pertineat, vel ad alium. Alia est lis, quæ cōcernit iura Ecclesiæ, & officij, vt si litigetur super decimis debitis Ecclesiæ, vel super alio Ecclesiæ iure. Negotiū propriū, & lis propria Parochi interesse concernens est causa iusta absentiæ infra bimestre, sed non vltra illud, etiam si esset lis criminalis, *Rota in Carthag. fructuum 29. May 1595.coram Card.Seraphino, & in Lerien. fructuum 21. Aprilis 1603.coram Penna,* quos refert, & sequitur *Garz.p.3.cap.2. num.49. Bonac.disp.2 q.5.p.2.§.3. nu.2. Castro Palaus tract.7.disp.3.p.9.§.3. n.1. Nauar.de Cler.non resid. cons.14.n.1. vbi n.3.* quod sufficiat ad hoc tacita licentia Superioris, scilicet Papæ videntis, & consentientis. Quod tamen difficultatem habet, quia vt dictum est, non sufficit licentia tacita, nisi sit causa grauis, & rednndet in necessitatem grauem, & talem, quæ sufficiat ad hoc vt Episcopus concedere possit licentiam non residendi; cum inter causas iustas recensitas à Concilio sit etiam grauis necessitas personalis ipsius Parochi, vt dictum est supra & aduertit *Garzias num. 37.* Sed prosecutio litis

litis concernentis iura Ecclesiæ est causa iusta absentiæ etiam vltra bimestre prout declarauit Sac. Congreg. & fuit resolutum in vna *Burgen.iurisdict. 4.Maij* 1584.*coram Card.Seraph. inter eius impressas 662.num.2.Ratn decis.163.num.11.p.4. tam.2. recent.* & tennit *Nauar. cons.14. de cler.non resid.* & habetur ex *cap.ex parte. & c.cum non deceat, & Hostien. in sum.de cler.non resid.Afflict.decis.189 num.35.Bonac. & Palaus vbi supra. Barbosa pluribus citatis de off.Epis.alleg.53.num.172.* Et Ita vt sic iuta Ecclesię seu beneficij defendens lucretur fructus, etiam si ob hoc excommunicetur Iniustè, *Palaus, & Barb. num.173.* Immò etiam si iustè excommunicetur, quousque iuridice conuincatur, quia iuste causam defendit dum non conuincitur Iniustam causam fouere. *Barbos.num.173.Palaus d.nu.11.* Qui idem dicunt si Parochus, vel prouisor ob causam officij sui excommunicetur DD.

147 Vtilitatem autem Ecclesiæ adhuc, vt excuset debere esse euidentem, loquens de distributionibus tradidit, *Gemin.in c.1.de cler.non residen.in 6. §. Qui verò num. 8.* Sed cum pro Episcopis & Parochis causa non residendi debene esse per superiorem approbata, debet hoc modo esse ita manifesta, vt meritò approbari possit.

148 Quinta tandem causa est officium Parochiali adiunctum ex sui institutione, vel ex lege, vt si officio Parochiali esset iniunctum ius eligendi Episcopum, tunc tempore electionis posset abesse, sicut potest abesse si legitimè vocatur ad Concilium.

149 Non tamen ex hac parte excusatur, si habeat aliud beneficium annexum ex speciali concessione, licet enim si Parochialis sit perpetuo vnita alicui diguitati, vel Præbendæ, tunc residens in Parochiali lucretur distributiones quotidianas licet nō intersit choro. Et nihilominus nō teneatur residere in Parochiali, sed possit residere in Canonicatu, & Parochiali deseruire per Vicarium ab Episcopo approbatum. Tamen si Parochialis sit vnita Canonicatui non in perpetuum & per se, sed per dispensationem ad vitam obtinentis, intrat tunc Consilit.65. Pij Quinti per quam Parochus tenetur residere in Parochia, & amittit distributiones quotidianas, non obstante quacumque nobilitate Canonicotum, aut Ecclesiæ Cathedralis, etiam Metropolitanæ, prout decisum fuisse à Sacr. Congr. refert *Garzias de benef.par.3. cap.2. num.179. in 7. & 13.* declaratione ex ibi relatis. Nisi vbi in eodem loco sint Parochialis, & Canonicatus, & Parochus vtrique Ecclesiæ possit inseruire, vt apparet declatarum a Sacr.Congreg.fuisse apud *Garz.d. nu.179. 147.declarat.& tenet Barbosa d.cap.8 num.12.* Si autem vacet Parochialis non posse Episcopum inconsulto Pontifice illam conferre habenti Canonicatum licet tenuem dictum fuit in *Rom in vna Leodien.Canonicatus 5.Iunij 1510.Coram Cavtiaa, quam ex lo: à Cuchier. ad reg.5. Cancell. a. num.4. refert Barbosa num.14.vbi num.15.*idem dicendum putat de habente dignitatem licet tenuem. Ex *declarat. etiam 8.Sacr.Congr.apud Garziam d.num.179.* habetur, quod si Parochialis non longe absit à Collegiata, Parochus residens in Parochiali potest diebus ferialibus ad Collegiatam accedere, & in ea inseruire, dummodo omnibus diebus & horis suis debitis, & congruis Parochiali inseruiat, & nihil prorsus relinquat ex debito seruitio ipsius Parochiali. *Barbosa d. cap.8. num.16. & Armendariz vbi supra num.136.*

SVMMARIVM.

1 *Non residentes non faciunt fructus suos.* n.150.
2 *Duplici genere fructuum priuantur non residentes.* num.151.
3 *Eadem pæna puniri debent Parochi.* n.152.
4 *Non tamen seruatis internallis statutis pro Episcopo.* num.152.
5 *Parochus peccat, & non facit fructus suos, si per bimestre absit sine licentia, & Episcopus si absit vltra trimestre.* n.153.
6 *Et vterque si absit cum licentia inualida.* n.153.
7 *An qui absuit per quadrimestre restituere teneatur fructus quatuor mensium, vel solum duorum.* num.154.
8 *Qui ex causa falsa abest, tenetur restituere fructus.* num.155.
9 *Qui abest sine licentia, tenetur restituere fructus.* num.156.
10 *Qui non relinquit Vicarium tenetur restituere fructus.* num.157.
11 *Non residens tenetur restituere fructus in conscientia.* num.158.
12 *Non residens tenetur integros fructus restituere, pro rata absentiæ.* n.159.
13 *Fructus ex iure antare non sunt ipso restituendi ipso facto.* n.160.
14 *Parochus residens, sed negligenter exercens offitiū, non tenetur ipso facto restituere fructus ob non residentiam restituendos.* n.161.
15 *Parochus residens & per alium pascens gregem, non tenetur restituere fructus.* n.161.
16 *Non residens non tenetur restituere fructus industriales.* n.163.
17 *Fructus restitui debent Ecclesia & pauperibus.* num.164.
18 *Fructus integri restituendi, nec potest de his ex priuilegia enunciata componi.* n.165.
19 *Non residentes sine monitione cogi possunt ad restituendos hos fructus.* n.166.
20 *Non residentium bona spectant ad spolium.* n.167.
21 *Prælati exempti ad modum Episcoporum iudicantur, sed non exempti ab ordinario cogantur restituere.* num.168.

Qualiter non residentes Episcopi aut Parochi teneantur ad restitutionem fructuum?

150 Concil.Tridentinum *sess.23. cap.1.* decernit fructus restituendos ad ratam. *Si quis autem*, inquit, *quod vtinam numquam eueniat, contra huius decreti dispositionem abfuerit, statuit sacrosancta Synodus præter alias pœnas aduersus non residentes sub Paulo III. impositas, & innouatas, ac mortales peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia illa etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse, sed teneri nat ipso cessante per Superiorem Ecclesiasticum illas fabricæ Ecclesiarum aut pauperibus loci erogare: prohibita quacumque com-*

pen-

pensatione, vel compositione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum aut pro parte ei remitterentur: non obstantibus quibuscumque priuilegijs cuicumque collegio, aut fabricæ concessis.

151 Considerandũ vero est primo circa huiusmodi decretum, quod non est contrarium decreto dato ab eodem *Concil. sess. 6. cap. 1. de reformat.* vbi Episcopis per sex menses continuos non residentibus imposuit priuationem quartæ partis fructuum vnius anni ipso iure, cum hic imponatur solum priuatio fructuum pro rata absentiæ & etiam si absentia non sit ad 6. Menses. Nam duo genera fructuum hic sunt consideranda, aliud scilicet respondens absentiæ, & hos fructus Episcopi suos non faciunt, & his fructibus in totum priuati sunt, si contra decretum Concilij etiam non per sex menses continuos absint. Aliud est genus fructuum respõdentium tempore residentiæ, quos Episcopi faciunt suos, & si absint per sex menses nedum priuati sunt omnibus fructibus respondentes tempore absentiæ, sed etiam quarta parte eorum, quos tempore residentiæ fecerunt suos. *Castro Palaus tract. 13. disp. 5. p. 3. num. 2.*

152 Considerandum est secundo eandem rationem esse de Parochis alijsque curam animarum habentibus, vt constat ex *Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. de reform. §.* Eadem omnino, vbi decernit eandem omnino de illis omnibus habendam esse rationem, & quantum ad culpam, & quantum ad amissionem fructuum, & cæteras pœnas. Est tamen discrimen quantum ad pœnam latam in *sess. 6. cap. 1. de reformat.* quia cum Parochis in ordine ad priuandum illos fructibus, quos fecerunt suos tempore residẽtiæ non sunt seruanda eadem interualla, quæ Concilium ibidem seruari iussit cum Episcopis, vt declarauit Sacr. Congreg. quam refert *Garz. p. 3. c. 2. num. 32. Castro Palaus vbi supra.*

153 Considerandum est tertio certum esse pœnam hanc incurri ab Episcopo, si sine iusta causa approbata iuxta decretum Cõcilij absit per maius tempus, quam sit trimestre, & Parochus quam sit bimestre. Sed non est ita certum an incurratur hæc pœna si Parochus sine licentia absit intra bimestre. Nam Parochum hunc non teneri ad restitutionem fructuum tenet *Bonacina de resid. p. 4. num. 8.* Tum quia iste non peccat mortaliter. Tum quia bimestre est tempus modicum: tum quia Tridentinum impune hoc admittere videtur. Verum hæc sententia locum haberet, si Concilium non prohiberet Parocho abesse sine licentia, etiam infra bimestre. Sed cum Sacr. Congreg. declarauerit, vt supra dictum est, non licere Parocho abesse sine licentia per hebdomadam; igitur Parochus qui per maius tempus abest, est inobediens Concilio; igitur subest pœnæ latæ à Concilio contra inobedientes seu contra absentes non seruato eius decreto. Nec modicum tempus est censendum illud pro quo Concilium noluit Parochũ abesse posse sine causa approbata ab ordinario. Vnde, vt supra etiam est probatum, falsum est, quod Parochus non peccet mortaliter, cum abest sine licentia tunc, cum est necessaria. Verum quidem est, vt dictum est supra, quod vbi sit consuetudo legitime præscripta, vt Parochi intra bimestre ex causa rationabili possint abesse sine licentia, ibi tales absentes non tenentur restituere fructus respondentes tempori absentiæ. Tam Episcopus vero, quam Parochus eandem pœnam incurrunt, si mala fide ex causa falsa, & per fraudem approbata absint. Quoniam vero abesse per trimestre remissum est conscientiæ Episcopi, vix dari potest casus, in quo tunc absit ex causa nõ rationabili, cum etiam sola recreandi animi gratia per aliquod tempus abesse possit.

154 Sed hic aliud insurgit dubium. Nam si Parochus sine licentia absit per quatuor menses tenetur ne restituere fructus respondentes quatuor mensibus, vel potest detrahere bimestre, & solum restituere fructus respondentes duobus mensibus? Hic distingui debet. Nam qui habebat licentiam absentiæ pro bimestri, & abfuit pro quadrimestri quia sine licentia non abfuit nisi per bimestre, non tenetur restituere nisi fructus respondentes inobedientiæ, duorum mensium. Et idem dicendum est, vbi sit consuetudo, quod Parochi per bimestre ex iusta causa possint abesse. Nam hoc dato, qui abest per quadrimestre sine licentia non est inobediens nisi per bimestre, igitur non cadit in pœnam nisi per bimestre, & sic non tenetur restituere nisi ad ratam temporis pro quo fuit inobediens. Et sic explicata, & limitata admitti potest sententia. *Bonac. de resid. p. 4 num. 8. & 9.*

155 Nihilominus quia ad licitam absentiam necessaria sunt tria, iusta, scilicet, licentia, & eius approbatio in scriptis, & prouisio Vicarij seu substituti ne Ecclesia patiatur damnum ex absentia Pastoris, & Concilium requirit hæc tria copulatiue; ideo ex vnius solius defectu istorum absentia & est contra decretum Concil. Tridentini, & est culpa mortalis, & subiacet pœnis contra non residentes per Concilium latis. De eo qui fingit iustam causam, quam re vera non habet, quod peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem, tenet *Barbosa d. cap. 8. num. 60. & de off. Episcopi alleg. 53. n. 99. & dictum est supra num. 43. & 123.* Supposita vero causa rationabili defectus licentiæ, seu approbationis in scriptis, vt supra dictum fuit non credo esse substantiale, quia vbi causa sit tamquam legitima approbata à superiore, quod sit approbata in scriptis est requisitum potius institutum pro iustificanda causa in foro externo, quam pro substantia necessaria in foro conscientiæ.

156 Sed & vlterius, quod vbi causa vere sit legitima, & sit prouisum sufficienter Ecclesiæ, ex sola inobedientia non adsit locus pœnæ priuationis fructuum nec obligatio ad restitutionem voluit Zechius de casibus reseruatis casu tertio *numer. 3.* quem refert, & sequitur *Barbosa de off. Epis. all. 53. num. 100.* Sed hoc sine fundamento asseritur, nam Concilium maxime petit, vt causa sit approbata, & ita vt licet pro aliquo paruo tempore Episcoporum conscientiæ reliquerit decernere, an causa absentiæ sit legitima, absolute tamen voluit vt pro longo tempore hoc iudicium non sit commissum conscientiæ volentis residere, & sic voluit hoc esse de forma iustæ absentiæ, & sicut non posset negari quin voluntarius defectus talis approbationis sit inobedientia notabilis præcepti Concilij, & culpa mortalis, sic non potest negari, quod non sit subdita pœnæ latæ contra inobedientes decreto Concilij *Bassæus v. residentia num. 4. Serio de Parocho disp. 8. quæst. 1. num. vlt. Bonac. de resid. p. 4. num. 10.* referens

ferens id fuisse decisum per Rotam in vna Calagur. 26. May 1614. & in altera Astensi fructuum 10. Ianuarij Coram Manzanedo. Et bene addit tunc substitutum per Parochum ali debere fructibus beneficij.

157 Tertia vero conditio, scilicet quod relinquatur Vicarius, qui curam Ecclesiæ habeat sũmæ est necessitatis. Quia immo intantum absentia est prohibita, & præcepta residentia, vt plebs damnum absentiæ Pastoris non patiatur, & sentiat. Et ita quod, vt docet *D. Th. in 2. conclus. artic.* Vbi sic res disponitur, quod præsentia Pastoris non sit necessaria, potest Pastor ex causa rationabili etiam spectante ad proprium commodum abesse. Propterea quod Concilij Tridentini decretum, quantum ad hanc pœnam priuationis fructuum, non sit receptum in eo rigore vt afficiat Pastorem, qui sine damno plebis, relicto sufficienti Vicario recedit illegitime, tenuit *Layman. l. 4. tr. 2. cap. 6. num. 6. in fine*, quod tamen est contra communem sensũ DD. nec asseritur cum fundamento. Ad hoc tamen valet, vt appareat, quod ad absentiam iustificandam omnino necessarium est, quod prouideatur plebi, ne damnum patiatur. Ideo si Episcopus, vel Parochus absit relinquando gregem destitutum Pastore, & est contra legem Concilij inobediens, & pœnæ ab eo latæ subijcitur.

158 Considerandum est quarto inobedientem absentem illicite contra decretum Concilij esse priuatum ipso facto fructibus respondentibus pro rata temporis absentiæ, ita quod non facit fructus suos dum abest, & sine controuersia est in conscientia obligatus ad eos restituendos nulla expectata sententia vt DD. omnes docent, nec bene a *Bonar. pro opposita sententia referuntur Nauar. 25. num. 121. & Layman. l. 4. tr. 2. c. 6. num. 6.* quia illa loquitur in terminis ante Concilium, & iste communem sententiam tenet.

159 Verum dubium hic esse potest, an Pastor absens restituere teneatur omnes fructus respondentes absentiæ, vel solũ illos, qui ratione residentiæ percipiũtur. Hos enim solos debere restitui tenet *Bonar. de resid. p. 4. num. 5.* Tum quia Pastor recipit fructus non solum pro residentia, sed etiam pro recitatione officij: ergo in restitutione vtriusque oneris debet haberi ratio. Tum quia Concil. non expresse dicit contrarium, ergo standum est iuri naturali. Tum quia hæc est materia pœnalis, quæ benigniorem admittit interpretationem. Sed hæc opinio illudit Concilio, ea enim admissa parum fiet, vt Pastor nihil fere restituere teneatur, quia detrahi etiam debebit pars fructuum, quæ respondet officio quantum ad ea in quibus Pastor potest deseruire per alium, quam partem de iure naturæ restituere non tenetur. Et quæ nam est hæc pars, quæ respondeat residentiæ corporali? Fructus dantur pro sustentatione ratione officij non vero proprie ratione residentiæ, vnde de iure naturali, qui ex causa rationabili abest facit fructus suos, & ad nihil tenetur, quia sufficit tunc, quod Pastor gregem pascat per alium, & quatenus Pastor per aliũ gregem pascat, etiam si sine rationabili causa non resideat, enim ex lege naturali non tenetur restituere dicam infra cum eodem *Bonacina*. Qui ergo sunt hi fructus, qui respondent residentiæ? Concilium igitur absolute loquens, absolute debet intelligi, quia aliter sine absurdo intelligi non potest. Et hic est sensus communis DD. quod Pastor non residens debeat integre restituere fructus qui respondent tempori absentiæ, nec *Barbosa citatus alleg. 53. num. 101.* innuit oppositum.

160 An vero hæc obligatio sit iuris naturalis vel positiui, non desunt multi, qui dicunt eam esse obligationem iuris naturalis; quia quod datur pro officio præstando, si officium non præstatur debet restitui. Pro qua sententia steterunt *Conar. l. 3. var. c. 13. nu. 9. Vasquez de benef. cap. 4. §. 2. a. 2. d. 4. n. 153. alios plures referens, Bonacina de resid. p. 4. num. 7.* Sed considerandum est bona temporalia esse annexa officijs Ecclesiasticis non immediate ex aliquo contractu, & pacto; Nam alias si hoc esset collatio officiorum huiusmodi, & eorum collatio simoniaca esset, emeretur enim spirituale seruitium pro prætio; sed temporalia dantur habentibus officia spiritualia instituta ex Christi auctoritate in finem religionis, & vt religiosa munera, tamquam quid consequens, & in vim prioris debiti quod homines habent cum Christo, qui ad eorum salutem promouendam officia Ecclesiastica instituit. Quando igitur dicitur, quod id quod datur propter officium, si officium non redditur, debet restitui, hoc est verum de eo quod datur ex contractu, & pacto, non de eo, quod datur vt alias debitum ex priori causa & altiori iustitia: Sic ergo fructus beneficiorum dantur non ex pacto nec vt prætium, sed tamquam sustentamentum debitum ministris a Christo & Ecclesia institutis ad populi salutem: vnde si ministri deficiunt tamquam Christo infideles ei reddent rationem suæ villicationis, plebibus vero ex iustitia non tenentur, nisi interuenerit cum illis aliquis specialis contractus, seu pactum, aut promissio. Præterquam quod debitum Pastoris non est solum residere, sed multa alia ad illum spectant, quæ potest absens præstare, & vbi curam habeat plebis per Vicarium, vel Vicarios, illi satisfit, & obligatio personalis Pastoris est ex Christi institutione, & præcepto, non ex pacto cum plebe inito. Et Pastori ex solo titulo Pastoris, & ex eo quod in Cathedra sedet legitime promotus ratione officij debetur sibi sustentatio. Vnde merito dicunt alij, quod obligatio restituendi fructus ipso facto pro rata absentiæ non est de iure diuino, vel naturali, sed de iure Ecclesiastico. *Panorm. in cap. 1. de celebrat. missarum nu. 8. Sylu. v. Clericus 3. quæst. 23. Rosella eod. n. 23. Azor. p. 2. l. 7. c. 6. quæst. 6. Castro Palaus tract. 13. disp. 5. punc. 3. num. 4.* Et ideo quod ante Concil. Trid. huiusmodi fructus non essent restituendi ipso facto ante sententiam, neque etiam ex iure positiuo ex *Panorm. probat Azor. loco citato, & sensit Nauar. cap. 25. num. 121.*

161 Considerandum est quinto, quod multi DD. docent, quod si Parochus sit præsens loco, sed tamen sic negligens & animarum curam non exercet, quod nec satisfacit præcepto residentiæ, & tenetur ad restitutionem fructuum; quia qui non facit quod debet, non recipit, quod oportet. Ita ex *Conarun. & Vasquez; Bonac. de resid. p. 2. num. 3. Diana p. 3. tract. de Sacram. resol. 150. Bassæus in v. residentia. num. 3.* Sed vt supra dicebatur, hoc non habet rationem quæ vrgeat. Nam aliud est præceptum residendi, & aliud est præceptum diligenter pascendi oues. Et licet illud primum ordinetur ad hoc secundum, tamen hoc secundum est finis primi

mi præcepti, ſed non eſt materia illius, *Garz. p. 3. c. 2. num. 53. & apud eum Vgolin.* Ideo qui corporaliter reſidet ſatisfacit præcepto reſidendi, nec ex hac cauſa tenetur ad reſtitutionem, neque ſubditur obligationi reſtituendi indictæ à Concilio Tridentino, quia reſidet. Et eſto non ſatisfaciat obligationi perſonali paſcendi gregem, peccat quidem grauiſſime, & eſt puniendus, & merito ei ſubtrahentur etiam fructus, ſed tamen non eſt illis ipſo iure priuatus.

162 Si vero Parochus reſidens curam gregis habeat per alium, ſine gregis detrimento, eum non teneri ad reſtitutionem fructuum tenent *Layman. à fortiori l. 4. tr. 2. c. 6. num. 6. Garzias vbi ſupra, quos ſequitur etiam Bonac. d. p. 2. num. 6.*

163 Conſiderandum eſt ſexto per huiuſmodi fructus reſtituendos intelligi fructus naturales tantum, & naturales ſimul & artificiales, non vero induſtriales, qui ex mera hominis induſtria, & labore acquiruntur, vt qui acquiruntur prædicando, & Sacramenta adminiſtrando. Ita ex *Poſſeu. & Ludouico à S. Io: Barboſ. d. cap. 8. num. 70.* Verum prædicare, & Sacramenta adminiſtrare ex officio non eſt induſtria propria, ſed officij exercitium, & fructus qui percipiuntur ex iſtis ſunt connaturales fructus beneficij.

164 Conſiderandum eſt ſeptimò, huiuſmodi fructus debere reſtitui vel Eccleſiæ, vel pauperibus, nimirum ſi Epiſcopus reſtituere debeat Eccleſijs ſuæ Diœceſis, ſi verò Parochus Eccleſiæ Parochiali. Quod ſi non adſint in Parochia pauperes, nec Eccleſia indigeat ædificio, nihilominus Eccleſiæ reſtitui debent pro fabrica illius, aut ſaltem pro vtenſilijs, vt tanquam deciſum à Sac. Congregat. docent, *Garz. p. 3. c. 2. num. 30. Sanctarel. variar. q. 4. num. 2. Barboſ. d. c. 8. n. 68. & d. alleg. 53. num. 103.* & apud eum *Henriq. Rodriq. & Ludou. de S. Ioanne, & dixerat Nauar. c. 25. num. 21. Caſtro Palaus vbi ſupra num. 5.*

165 Conſiderandum eſt octauò, fructus eſſe reſtituendos totos & integros nulla obſtante compoſitione, aut priuilegio componendi pro fructibus reſtituendis cuicumque conceſſo, ac propterea non poſſe Paſtorem ſic abſentem & obligatum ad reſtituendum componere virtute Bullæ Cruciatæ, aut ex alio ſimili priuilegio dixit *Barboſ. d. all. 53. num. 101.*

166 Conſiderandum eſt nonò. Huiuſmodi inobedientes ſi non reſtituant cogendos eſſe ad id præſtandum à ſuperiore, & ad hoc faciendum non eſſe neceſſe præmittere citationem, aut monitioné, vt declarauit Sac. Congreg. apud *Garz. vbi ſupra* Abſentis enim ſi adeſt, notoriè adeſt, nec eſt opus alio iudicio, niſi quod inobediens vel ad præceptum Superioris reſtituat, vel ſe reſtituiſſe demonſtret. Verum vbi abſenti poſſit competere aliqua iuſta defenſio, & non ſit notorium hanc non competere, citandus erit, & audiendus.

167 Conſiderandum eſt decimò, quod præter obligationem reſtituendi fructus pro rata abſentiæ aliam pœnam incurrit abſens illicitè ab Eccleſia, quia nimirum ſi moriatur in ſua inobedientia, & non reſidétia bona eius Eccleſiaſtica pertineant tanquam ſpolium ad Cameram Apoſtolicam ex Conſtitut. In ſuperna 91. Pij Quarti. *Caſtro Palaus vbi ſupra nu. 1.*

168 Conſiderandum eſt vltimò, quod dubium eſſe poſſet, qualiter agendum ſit cum Prælatis inferioribus Epiſcopo habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem. An ſcilicet iudicandi ſint iuxta ea, quæ Concilium tradit de Epiſcopis, vel potius ſecundum ea, quæ tradit de Parochis, & alijs inferioribus Epiſcopis. *Tambur. de iure Abb. diſp. 14. q. 7.* cenſet eos ſi non reſideant iudicandos eſſe ac ſi eſſent Epiſcopi. Dicitur verò hoc eſſe verum de omnibus Prælatis à iuriſdictioné Epiſcoporum exemptis. Iſti enim nedum ſicut Epiſcopi diſpenſare poſſunt cum ſuis ſubditis ſuper reſidentia, ſed cum non poſſint cogi ad reſidendum ab Epiſcopo, non ſubduntur pœnæ Parochorum, qui ab Ordinario puniri poſſunt, ſi non reſideant, iuxta Concilij decretum. Sed qui ſubduntur iuriſdictioni Epiſcopi, comprehenduntur ſub lege contenta in dicto *cap. 1. ſeſſ. 23. de reform. §. Eadem,* & ab Ordinarijs ea forma coërceri poſſunt, quo Parochi, & eiſdem pœnis, ſubijciuntur. Concilium enim vniuerſaliter loquitur de omnibus habentibus curam animarum, vt poſſint ab Ordinario puniri ſi non reſideant. Hęc verò reſpectiue vera ſunt etiá de Regular. quatenus habét curam animarũ ſecularium. Quia de huiuſmodi etiam loquitur Concilium, vt tanquam deciſum à S. Congreg. ex *Leſſio l. 2. c. 34. d. 29. num. 161.* refert *Tambur. vbi ſupra n. 3.* Prælatos vero Regulares reſpectu Regularium ſubditorum ſuis legibus reliquit.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non reſidens non eſt ipſo facto priuatus Epiſcopatu. n. 169.*
2 *Parochi an iure antiquo eſſent priuati, ſi non reſiderent. n. 170.*
3 *Parochi iure nouo non ſunt ipſo facto priuati officio, ſi non reſideant. n. 171.*
4 *Epiſcopi contra non reſidentes poſſunt immediatè procedere ad priuationem beneficij. n. 172.*

Quæritur tertiodecimò, an non reſidentes ſint priuati beneficijs?

169 Diſtinguendum hic eſt inter Epiſcopos, & inferiores Paſtores. Nam vel iure antiquo Epiſcopi non reſidentes erant ipſo iure priuati Epiſcopatu. Nam 7. q. 1. canones pœnam depoſitionis, & reclusionis in monaſterium non latam, ſed ferendam impoſuerunt, vt patet *c. peruenit 7. q. 1. & alijs.* Idemque habetur in toto titulo *de cler. non reſidentibus.* At verò nec de iure nouo impoſita eſt contra Epiſcopos non reſidentes pœna priuationis, niſi quod vt poſt aliqua interualla ad arbitriũ Summi Pont. ferenda ſtatuta eſt in *Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 1. de refor.* & in Conſtit. *De ſalute,* 10. Pij IV. Vt ſcilicet Epiſcopus ſi ſine cauſa rationabili per ſex menſes continuos abfuerit quarta parte fructuum vnius anni fabricæ Eccleſiæ, & pauperibus applicandæ ſit ipſo iure priuatus, & ſi per alios ſex menſes continuos abfuerit aliam quartam partem fructuum eo ipſo amittat, quæ pariter fabricæ Eccleſiæ, & pauperibus ſit applicanda, creſcente vero eius contumacia Pontifex per Metropolitanum, aut reſpectiue (ſi Metropolitanus

litanus ipse fuerit contumax) per antiquorem Episcopum admonitus (sicut sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda intra tres menses tacere tenetur) pro grauitate contumaciæ poterit in non residentem animaduertere, & eum etiam ab Episcopatu deponere.

170 Sed de inferioribus pastoribus loquendo fuit controuersia de iure antiquo, an Parochus esset ipso iure priuatus beneficio, si non resideret, & circa intelligentiam *cap. extirpandæ, §. qui vera de præbendis*, fuit magna concertatio inter Canonistas ad illud, cap. scribentes, de qua videri potest *Garz. p. 3. de benef. c. 2. d. num. 131.*

171 Sed de iure nouo non residens non est ipso facto priuatus beneficio, sed standum est decreto *Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. de reformat.* quod sic habet. *Quod si per edictum citati etiam personaliter contumaces fuerint, non liberam esse vult Ordinariis per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliaque iuris remedia, etiam vsque ad priuationem compellere, nec executionem hanc, qualibet priuilegio, licentia, familiaritate, exceptione, etiam ratione cuiuscumque beneficij, pactione, statuto etiam iuramento, vel quacumque auctoritate confirmato, consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela censenda est, siue appellatione, aut inhibitione, etiam in Romana Curia vel vigore Eugenianæ Constitutionis suspendi posse.* Ex hoc enim statuto ponente in arbitrio Episcopi facultatem priuandi Parochum beneficio constat Parochum non esse ipso iure priuatum, sed prius monendum, & priuandum ad Episcopi arbitrium. *Garz. d. cap. 2. numer. 139. Flamin. Paris. de resig. l. 1. c. 10. n. 61. Barbosa de off. Parochi p. p. c. 8. n. 72. & de off. Epis. alleg. 53. nu. 105. Castro Palaus tr. 13. disp. 5. puncto 3. num. 9. Rota decis. 163. n. 9. p. 4. to. 2. rec.*

172 Est verò etiam considerandum, quod licet *Rota in vna Salmant. del Pedrosa 5. Decembr. 1567. coram Card. Seraph. quam refert Garz. d. n. 139. simul cum Vgol. de off. Episc. cap. 15. §. 4. num 4.* & sequitur *Barbosa de off Episcopi alleg. 53. num. 105.* & tenuit *Rota decis. 131. numer. 2. par. 4. tom. 2. recent.* voluerit, quod ab Ordinario non possit Parochus residens immediatè priuari beneficio, sed debeat prius contra illum procedi per censuras & subtractionem fructuum & alia iuris remedia; quia nihilominus verè Conc. vsum talium remediorum iuria relinquit arbitrio Episcopi, propterea quod illi liberum sit non procedendo prius per alias pœnas immediatè posse procedere ad priuationem beneficij seruato ordine iuris tenuerunt *Garz. ibid* referens sic fuisse à Sac. Congreg. decisum. *Barbosa ad d. cap. 2. num. 10. & de off. Parochi p. p. cap. 8. num. 73. Castro Palaus d. puncto 3. num. 10.* & addit *Barbos. d. cap. 8. num. 74.* quod hoc modo Domini de *Rota apud Mantic. decis. 67.* dixerunt intelligendum esse idem *Conc. sess. 24. cap. 12. de reformat. ver. præterea*, quemadmodum per Eminentiss. Sac. Congreg. interpretes fuit declaratum, vt non afficiat Episcopos, qui possunt procedere ad priuationem ob non residentiam, tametsi illa temporum interualla non fuerint obseruata.

SVMMARIVM.

1 *Absens cuius habitatio est ignota citandus per triplex edictum. n. 173.*
2 *Vel si commodè ob distantiam non potest personaliter citari. n. 173.*
3 *Personalis citatio necessaria, si haberi potest. num. 173.*
4 *Pro absente citando per edictum requiritur trina monitio. n. 174.*
5 *Post vltimā monitionem expectandi sunt sex menses. n. 174.*
6 *Vbi citatio est personalis sufficit vna. numero 174.*
7 *Nec est necesse expectare sex menses. n. 174.*
8 *Contra sententiam Episcopi non valet priuilegi consuetudo, appellatio &c. n. 175.*
9 *Appellatio deuolutiua admitti debet. n. 175.*
10 *Si non seruatur iuris ordo, valet appellatio etiam suspensiua. n. 175.*
11 *Vbi Episcopus procedat ad infligendas alias pœnas à priuatione etiam contra absentem, non est necessaria trina monitio. n. 176.*
12 *Nec expectare sex menses. n. 176.*

Qualis iuris ordo seruandus sit vt non residens priuetur beneficio?

173 DIstingui debet inter absentes, quorum habitatio ignoratur, & nescitur vbi sint, & inter præsentes, vel ita absentes, quod scitur vbi sint, & possunt personaliter citari. Nam primo, vbi non residens potest personaliter citari, ita citari debet, *cap. ex parte 8. de cler. non residen. & Gloss. in vero in canonibus, in cap. quoniam frequenter, §. si vero vt lite non contestata*, quam sequuntur *Capataquen. decis. 375. num. 3. & decis. 378. p. 2. Seraph. decis. 1346. numer. 5. & decis. 290. numer. 4. Panorm. in d. c. Quoniam frequenter, §. si vero numer. 10.* ibi *gloss. in v. redierint cap. peruenit il 2. de appellat. Seraphin. dec. 1548. num. 5. Rota in Oriolen. Decanatus 14. Martij 1622. coram Nauarro, Garz. de benef. p. 3. cap. 2. num. 155.* & apud eum *Rota in Gienen. Canonicatus 11. Decembr. 1587. coram Mantica. Barbosa de off. Parochi p. p. cap. 8. num. 75. Castro Palaus tr. 13. disp. 5. p. 3.* Sed si nō residens ita sit absens vt ignoretur vbi sit, debet citari per triplex edictum in sua Ecclesia Parochiali affixum, *cap. tua, de Cler. non resid.* & ibi *Io. Andr. in princ. Io. de Anan. num. 1. Panorm. num. 10. & cons. 67. num. 2. lit. C.* Rota citata in *Gienen. Canonicatus, & in Terdonen. Præpositura 17. Martij 1600. seu dec. 1346. & 1366 & 5. Ianij eiusdem anni coram Seraph.* quos sequitur *Garz. vbi sup.* item Rota *dec. 163. n. 1. & 2. p. 4. to. 2. rec. & dec. 131. n. 8.* & tenent *Barbos. & Palaus citati*, & plures alij apud *Garz.* apud quem quāuis *Cenal* dixerit, quod vbi scitur vbi residens sit, debeat citari personaliter etiam si sit extra Regnū, & etiam si sit in India, & ita fuisse iudicatum in quadam causa Capellaniæ; tamen communis opinio est, vt qui ex eo, quod longè abest non potest commodè citari personaliter, citetur per edictum triplex. *Rota in d. Gienen. Canonicatus*, Garz. *d. nu. 155. Barbosa d. nu 75. Nec Garz.* sequitur opinionem *Cenal.* vt refert illum *Palaus*, nec refert iuxta eam fuisse iudicatum in Rota, *sed* Garz. vbi secundum propriam opinionem respondit, quod non residens per edictum citari debet, quando nescitur vbi sit, vel commodè non potest personaliter citari, per parenthesim interponens

ponens opinionem *Ceual.* parenthesi clausa, inquit sic iudicatum fuisse, nimirum sicut ipse ante parenthesim dixerat. per *Rotam in vna Gienen. Canonicatus* 13. *Decembr.* 1587. *coram Mantica, & in vna Zamaren. Capellania* 12. *Iunij* 1589. *coram eodem, & in vna causa Terdonen. Præposit.* 17. *Martij, & 5. Iunij* 1600. *coram Seraphin. in dicta autem Gienen. Canonicatus* expresse dicitur citandum per edictum eum, qui ex quo longe abest non potest personaliter citari.

174 Stante autem hoc diuerso modo citandi discrimen est in multis. Nam vbi absens citatur per edictum non sufficit vna citatio, sed triplex requiritur interposito inter eas cōpetenti tempore spectata persona, & distantia loci, vt citatus possit comparere, nec sufficit vna citatio pro tribus. Secundo post tertiam citationem expectandi sunt vlterius sex menses & interim examinandæ sunt causæ absentiæ, vnde non nisi illis sex mensibus transactis potest deueniri ad priuationem beneficij, vt ex *cap. ex tuæ, de cler. non residente* declarauit Sacr. Congregat. apud *Garz. num* 154. & tenuit *Rota in d. Gienen. Canonicatus*, ex *Io: Andr. Io: de Anan. & Panorm. Tabien. v. beneficium* 3. *num.* 6. *& in dictis Terdonen. Præposituræ, & iterum Rota decis.* 163. *& dec.* 131. *p.* 4. *tom.* 2. *recent.* & tenuerunt *Selua, Maranta, Zechius, Felin. & Vgolin* quos ibid. sequitur Garz. *Barbosa d. cap.* 8. *nu.* 75. *Palaus d. punct.* 3. Sed vbi non residens citatur personaliter sufficit vna citatio, & quidem extraiudicialis, vt docent *Garz. Barb. & Palaus cit.* Et nec esse necesse expectare sex menses post citationē tradidit Garz. *ibi.* quē sequutus fuit *Barb. d. c.* 8. *n.* 75. Sed idem *Barb. de off. Episc. a leg.* 53. *n.* 105. quē sequutus fuit *Palaus d. pū.* 3. *n.* 11. tenuit expectandos esse post citationem quamlibet per sex menses. Ibi enim *Barb.* voluit, quod prius per censuras, & subtractionem fructuum cogendus sit Parochus ad residentiam, & ita dixit, quod priuationem debet præcedere monitio, & deinde pœna censurarum & deinde subtractio fructuum, ita quod post quemlibet terminum pœnæ expectetur ad minus per sex menses, aliter non seruata hac forma non tenet sententia priuationis. Verum cum in *d. cap. ex tuæ*, expresse sit sermo de vocato per edictum, dum decernitur trina monitio, & vt expectentur per sex menses post vltimā monitionē. Alias verò in Concil. Trident. nihil decernitur de hoc tempore expectando, sed in arbitrio Ordinarij ponatur non residentem monitum etiam priuare beneficio, non est vnde colligatur necessitas expectandi per sex menses nō residentem monitum ad priuandum illum beneficio, sed in arbitrio Episcopi est determinare hoc tempus, dum tamen detur tempus competens spectata persona, & loci distantia.

175 Quod verò Concilium habet, quod contra Ordinarij sententiam priuantem non residentem beneficio non valeat priuilegium, familiaritas, licentia, exceptio, consuetudo etiam inmemorabilis, appellatio, seu inhibitio, vt illam suspendat, generaliter esse intelligendum siue sententia lata fuerit contra absentes, siue obedientes, siue contumaces aduerterunt, *Ocon, Gomez, Sabagua,* quos refert, & sequitur Garz. *num.* 161. *& Barbos. d. cap.* 8. *num.* 75. Ibidem vero per Concilium tolli solam appellationem suspensiuam, non verò deuolutiuam, tradiderunt, *Garz. numer.* 162. *Quaranta in verb. Archiepiscopi auctoritas, ver. quinto quæro. Barbosa d. nu.* 75. *Seraphin. dec.* 1346. *vbi num.* 7. quod quando sententia data est iuris ordine non seruato valet appellatio etiam quantum ad effectū suspensiuum, quia sententia nulla est, & sententia nulla, nullum parit iuris effectum.

176 Idem vero *Garzias num.* 160. aduerterat, quod ad procedendum contra absentes ad *alias* pœnas præter priuationem, non videtur necessaria trina citatio per edictum, sed sufficiet vna peremptoria, quamuis trinam requiri etiam ad priuationem fructuum tenuerit *Rota in Caurien. fructuum coram Orano* 10. *Aprilis* 1592. iuxta tradita per *Abb. con.* 67. *p.* 1. *& Felin. in c. Consuluit num.* 13. *de off. deleg.* qui tamen loquuntur in terminis *d. c. ex tua de priuatione beneficij*, nec etiam erit necessarium expectare per sex menses. Et hoc à *Garzia* rationabiliter dicitur, quia trina monitio & expectatio per sex menses est forma specialis instituta ad condemnandum absentem in priuationem beneficij, quæ ad alias pœnas non debet extendi.

SVMMARIVM.

1 *Alternatiua quid sit. n.* 177.
2 *Qualiter Episcopi ex non residentia perdant alternatiuam remissiue. n.* 177.

Qualiter ex non residentia Episcopi perdant gratiam alternatiuæ?

177 ALternatiua est contractus inter Papam, & Ordinarium in quo Papa ex mensibus Ordinarij sibi sumit duos, & concedit Ordinario quatuor ex Apostolicis, adeo vt post hunc contractum menses Martij, & Septēbris, qui erant ex Ordinarijs iuxta regulam octauā, ante & post cōtractum fiunt Apostolici, & viceversa Februarius, Aprilis, Augustus, & October ex Apostolicis efficiuntur Ordinarij. Imparitas autem huius contractus per quem Pontifex pro duobus mensibus concedit quatuor fit in gratiam, & sub conditione veræ residentiæ in propria Ecclesia. Et propterea dicitur contractus fauorabilis, & tamen contractus est, & non mera gratia. Et solum conceditur Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, non verò inferioribus Collatoribus, & Ordinarijs, & datur ad petitionem Ordinarij. Et de hac alternatiua, & quomodo ex non residentia illam amittant Episc. tractant abunde. *Gonz. ad regul.* 8. *Canc. Paris. lib. de resign. cap.* 10. *Garz. de benef. p.* 5. *c.* 1. *n.* 503. 704. *&* 686. *Barbos. de off. Episc. alle.* 53. *n.* 34. *& seqq. Castro Palaus tract.* 13. *disp.* 2. *punct.* 23. *Theodorus Amydenus de stylo Dataria cap.* 29. Verum quia quæstio ista, quæ concernit difficultatem mere iuris Canonici, & in se est valde implicata, & in qua Rota ipsa pluries non eodem modo eam resoluit, vt videre est apud præfatum Amydenum, ne valde crescat Articuli commentarius, sufficiat eam insinuasse, & remisisse Lectorem ad Canonistas de ea tractantes.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Salute gregis salua non est mercenarius, qui fugit num.178.*

AD PRIMVM.

178 IN hac responsione bene habetur, quod punctum ex quo resolui possit, an absẽtia Pastoris sit iusta, & non sit opus mercenarij est salus gregis, hac enim firmata, & assecurata non est mercenarius Pastor si etiam ad fugiendum personale damnum non residet.

SVMMARIVM.

1 *Fidelis est pastor, qui per alium pascit gregem. num.179.*

AD SECVNDVM.

179 EXplicatur in hac responsione quomodo salua fidelitate promissionis Pastor possit abesse; quia nimirum stat promissis etiam qui per alium promissa implet, & ideo stat promissis Pastor, qui sine gregis detrimento illum pascit per Vicarium.

SVMMARIVM.

1 *Perfectio status Episcopalis diuersi generis a perfectione Religiosa. n.180.*
2 *Relinquens Episcopatum non tenetur fieri Religiosus. n.180.*
3 *Qui vouit Religionem non potest fieri Episcopus nisi satisfacto prius voto. n.181.*

AD TERTIVM.

180 ADuertit *Caiet.* circa hanc responsionem quod perfectio status Episcopalis, & status Religiosi non distinguuntur tanquam duo genera, aut duę species subalternæ & subordinatæ, quarum vna perfectior aliam comprehendat, illiq; addat, & se habeat ad illam sicut totum ad partem, sicut in homine se habet intellectiuum ad sẽntiuum. Nam nec perfectio status Episcopalis continet perfectionem votorum, quam continet status Religiosus, nec perfectio status Religiosi continet perfectionem obligationis & voti ad curam animarum, quam continet Episcopatus. Ideò sunt perfectiones duorum generum disparatæ. Et qui deserit Episcopatum, non per hoc tenetur fieri Religiosus. *Turrecrem. in cap. sciscitaris 7. quæst.1. ad quartum.*

181 Ex quo concludit *Caietanus*, quod qui vouit Religionem non excusatur ab obseruantia voti per assumptionem ad Episcopatum, licet status Episcopalis sit perfectior, quia est perfectior alterius generis, ad quam etiam nullus transire potest sua sponte, & voluntate, sed ex Pontificis concessione. Et ideò qui vouit Religionem, si vocetur ad Episcopatũ debet prius Religionem ingredi, & voto satisfacere. *Cap. per tuas 10. de voto, Syluest. ver. votum 3. quæst. 9. Angelus ver. votum 2. num.12. Suarez tom 3. de Relig. lib.1. c.19. a n.3. Azor. instit. moral. p.1. l.3. c.16. q.2. & c.22. q. vlt. A S. Fausto, Vecbius, Hieron. Rodriq. Reginald. Graff. Gennen.* quos sequitur *Barbosa ad d.c. per tuas & de off. Epis. alleg.53. num.25. Lezana p.p. cap.24. num.17.*

ARTICVLVS VI.

Vtrum liceat Episcopo aliquid proprium habere?

AD sextum sic proceditur. *Videtur, quod Episcopo non liceat aliquid proprium possidere. Dominus enim dicit Matthæi decimonono, Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me Ex quo videtur, quod voluntaria paupertas ad perfectionem requiratur. Sed Episcopi assumuntur ad statum perfectionis. Ergo videtur, quod non liceat eis proprium possidere.* infr q.186. a.3. ad 5. & opusc.18 c.17. & 18.

2. *Præterea, Episcopi in Ecclesia tenent locum Apostolorum, vt dicit glossa, Lucæ decimo. Sed Apostolis Dominus præcepit, vt nihil proprium possiderent, secundum illud Matthæi 10. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Vnde & Petrus pro se & pro alijs Apostolis dicit, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; Matth. 19. Ergo videtur, quod Episcopi teneantur ad huiusmodi mandati obseruantiam, vt nihil proprium possideant.* est gl. Bedæ, c.10 in Lucam nõ longe à pri. t.2.

3. *Præterea, Hieronymus dicit ad Nepotianum, Cleros Græce, Latine sors appellatur, propter quod clerici dicuntur, quia de sorte Domini sunt, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars clericorum est. Qui autem Dominum possidet, nihil extra Deum habere potest. Si autem aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem habet, cum istis partibus non dignatur Dominus fieri pars eius. Ergo videtur, quod non solum Episcopi, sed etiam clerici debeant proprio carere.* tom. 1. Et refertur 12. q. 1. c. clericus.

Sed contra est, quod dicitur 12. q. 1. Episcopus de rebus proprijs, vel acquisitis, 12. q. 1. c. Episcopi.

sitis, vel quicquid de proprio habes, haredibus suis derelinquat.

Respondeo dicendum, quod ad ea epist. 45. non multū ten ote à fi. 1.3. *qua sunt supererogationis, nullus tenetur, nisi se specialiter ad illud voto astringat. Vnde Aug. dicit in Epistola ad Paulinam & Armentarium, Quia iam vouisti, iam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Priusquam esses voti reus, liberum fuit, quod esses inferior. Manifestum est autem quod viuere absque proprio, supererogationis est. Non enim cadit sub pracepto, sed sub consilio. Vnde Matthai decimonono, cum dixisset Dominus adolescenti, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: postea superaddendo subdidit, Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia qua habes, & da pauperibus. Non autem Episcopi in sua ordinatione ad hoc se obligant, vt absque proprio viuant, neque etiam viuere absque proprio ex necessitate requiritur ad Pastorale officium, ad quod se obligant. Et ideo non tenentur Episcopi ad hoc, quod sine proprio viuant.*

Ad primum ergo dicendum, quod q. 184. a. 3. *sicut supra habitum est, perfectio Christiana vita non consistit essentialiter in voluntaria paupertate: sed voluntaria paupertas instrumentaliter operatur ad perfectionem vita. Vnde non oportet, quod vbi maior paupertas est, ibi sit maior perfectio: quinimmo potest esse summa perfectio cum magna opulentia. Nam Abraham, cui dictum est Genes. decimoseptimo, Ambula coram me, & esto perfectus, legitur fuisse diues.*

Ad secundum dicendum, quod verba illa Domini possunt tripliciter intelligi. Vno modo, mystice, vt non possideamus, neque, aurum neque argentum; id est, vt pradicatores non innitantur principaliter sapientia & eloquentia temporali, vt Hieronymus super illud Matt. 10. to 9. *exponit †. Alio modo, sicut August.* * li. 2. c. 30. à me. to 4. *exponit in lib. de Consensu Euangelistarum, vt intelligatur hoc Dominum non pracipiendo, sed magis permittendo dixisse. Permisit enim eis, vt absque auro & argento & alijs sumptibus ad pradicandum irent, accepturi sumptus vita ab his quibus pradicabunt. Vnde subdit, Dignus est enim operarius cibo suo. Ita tamen, quod si aliquis proprijs sumptibus vteretur in pradicatione Euangelij, ad supererogationem pertineret: sicut Paulus de seipso dicit prima ad Corinth. 9. Tertio modo, secundum quod Chrysostomus* in Hom. super illud Pauli, salutate Priscam & Aquilam, circa med. sic habetur immediatè post expositionem Epist. ad Rom. to. 4. *exponit, vt intelligatur illa Dominum pracepisse discipulis, quantum ad illam missionem, qua mittebantur ad pradicandum Iudais, vt per hoc excitarentur ad confidendum de virtute ipsius, qui eis absque sumptibus prouideret. Ex quo tamen non obligabantur ipsi vel successores eorum, vt absque proprijs sumptibus Euangelium pradicarent. Nam & de Paulo legitur secunda ad Cor. 11. quod ab alijs Ecclesiis stipendium accipiebat ad pradicandum Corinthijs, & sic patet, quod aliquid possidebat ab alijs sibi missum. Stultum autem videtur dicere; quod tot sancti Pontifices, sicut Athanasius, Ambrosius, & Augustinus, illa pracepta transgressi fuissent, si ad ea seruanda se crederent obligari.*

Ad tertium dicendum, quod omnis pars est minor toto. Ille ergo cum Deo alias partes habet, cuius studium diminuitur circa ea qua sunt Dei, dum intendit his qua sunt mundi. Sic autem non debent, nec Episcopi, nec clerici proprium possidere, vt dum curant propria, defectum faciant in his qua pertinent ad cultum diuinum.

SVMMARIVM.

1 *Sensus quaestionis. num. 1.*
2 *Varia hareses. num. 2.*
3 *Licet Episcopis habere proprium. n. 3.*
4 *Pauperem esse est de consilio. n. 3.*
5 *In veteri testamento leuita proprium habuerunt. num. 4.*
6 *Ab initio Ecclesia possederunt bona. n. 4.*
7 *Episcopis conuenit habere diuitias. n. 5.*
8 *Ab initio Ecclesia possederunt proprium n. 5.*
9 *Plures conuenientia ob quas diuitia competunt Episcopis. nu. 6. 7.*

1 ABsolute quærit *D. Th.* an liceat Episcopo habere aliquid proprium, & vt aduertit *Sotus l. 10. de iust. quæst. 4. a. 1.* non distinguit inter bona secularia, & Ecclesiastica, quia an Episcopo conueniat dominium bonorum Ecclesiasticorum tractatur ex proprijs in articulo sequenti; hic vero prius in terminis communioribus quæritur an Episcopo liceat dominium rerum temporalium, illorumque proprietatem habere.

2 Non licere autem Episc. habere proprium, plures hæretici docuerunt. Vt enim habet S. Aug. hæresi 50. Vadiani seu Aridiani, qui & Atropophor-

phormitæ dicti sunt, culpabant Episcopos diuites. Hos autem non hæreticos, sed schismaticos dans veniam eorum rusticitati vocauit Epiphanius; & hæc fuit præcipua causa, quod a Catholicorum communione se separassent, quod Episcopos diuites esse clamarent, cum Christus laicos etiam diuitias contemnere iubeat. Hos sequuti sunt Vualdenses, seu pauperes de Lugduno, qui vt refert *Aeneas Siluius de orig. Bohemorum cap.35.* dixerunt Sacerdotes Christi pauperes esse debere, & viuere de eleemosyna. Huius tamen erroris mentionem non facere Guidonem, dum Vualdensium errores refert, adnotat *Alphonsus de Castro de hæres.l.6. ver. Ecclesia hæresi* 4. Verum eos hunc errorem habuisse, quod Ecclesiasticis non liceat possidere prædia agros, diuitias dixit *Turrecrem. ad cap. expedit. 12. quæst. 1. & ex Sandero, & Prateolo tradit. Salelles. de matertribunalis fidei lib.3. cap.14. Reg.271. numer.221. Thomas quoque Vualdensis lib 4. doct. fidei a.3. cap.42. apud Bellarm. l.1. de Clericis cap.27.* dixit Clericos esse debere pauperes, & suas possessiones, vel pauperibus distribuere, vel in communi ponere. Eundem errorem habuerunt fraticelli, seu fratres de paupere vita, vt tradunt *Turrecrem. d. cap. expedit. 12. quæst. 1. & ex Prateolo, & Gualterio Salelles d. l.3. c.15. Regula 278. num. 127.* dicebant enim Nephas maximum esse aliquid proprium habere. Beguini quoque crediderunt facere contra perfectionem, qui aliquid in commone possident, vt videre est apud *Gualterium, & Sanderum* quos refert *Salelles, cap.16. Reg.279.* Hunc etiam errorem habuit *Io: Vuicleph*, cuius decimus articulus inter damnatos à *Concil. Constan. sess.8.* est, *quod contra scripturam sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones, & articulus 32. Ditare Clerum est contra regulam Christi. & 33. Syluester Papa, & Constantinus Imperator errauerunt Ecclesiam dotando: & 36. Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus, sunt hæretici, eo quod possessionem habent, & consentientes eis, omnes; videlicet Domini seculares, & cæteri laici, & 39. Imperator, & Domini seculares seducti sunt à Diabolo, vt Ecclesiam dotarent bonis temporalibus: & 44. Augustinus, Benedictus, Bernardus damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc, quod habuerunt possessiones &c.* Huius errores amplexus fuit *Io: Hus*, cum suis discipulis, vt patet ex eius *artic.25. inter damnatos in Concil. Constant.* Et eumdem errorem habuisse *Bohemos tradit Turrecrem. vbi supra.* Sed & Lutherum docuisse non licere Ecclesiæ & Ecclesiasticis habere bona, agros, possessiones, ideoque tradidisse Principibus, vt Ecclesiam talibus bonis spoliarent, sicut de facto fecerunt, referunt *Alphonsus de Castro v. Ecclesia hæres.4. Prateolus, l.10. v. lutherani. Gualterius anno 1600. cap.1. Salelles d. l.3. cap.18. Regula* 288.

3 Sed veritas Catholica est licere Episcopis & Clero seculari non habente votum paupertatis habere proprium dominium possessionum & bonorum temporalium. Reseruantes vero sequenti articulo discutiendam quæstionem, an de facto Episcopi sint domini bonorum Ecclesiasticorum, in præsenti absolute asseritur quod eorum statui non repugnat eos habere dominium rerum temporalium, vnde ex consequenti nedum possunt esse domini bonorum secularium, quæ eis titulo vel hæreditatis, vel donationis, vel cuiuscumque liciti contractus conueniunt, sed nec ex hac parte repugnat eos posse esse dominos redditūū Ecclesiasticorū. Probatur autem hæc Catholica Conclusio simul & ratione, & auctoritate scripturarum. Nam ad ea, quæ sunt supererogationis & de consilio, non vero de præcepto, nullus qui talia non vouerit tenetur, Consilia enim Euangelica non obligant, vt probatū etiam est supra *quæst.184. a.3. Et docent cum D. Thoma in hoc articulo Caietan. & Turrecremata 5. Clericos 12. quæst.1. Sotus lib.10. de iust. quæst.4. a.1. Ledesma de statibus cap.3. concl.17. Valentia hic disp.10. quæst.3. p.6.* At vero pauperem esse non est de præcepto, sed est opus supererogationis, & de consilio, vt habetur Matth.19. vbi Dominus adolescenti ostendens necessariam viam salutis, dixit *si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Obseruantia enim mandatorum est omnino necessaria ad salutem. Sed quod pauperem esse non sit sub mandato statim Dominus explicauit, dum eidem adolescenti bonum supererogationis volens ostendere, eumque docere, quid facere deberet nedū vt saluus fieret, sed vt ad excellentiam perfectionis perueniret, subiunxit, *si vis perfectus esse vade vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, si enim hoc fuisset præceptum, non erat vnde Dominus diceret. *Si vis perfectus esse*, quasi nouum Consilium dans a priori documento distinctum, quia si pauperem esse fuisset præceptum, continebatur in illo priori dicto *serua mandata*, pauperem igitur esse est de consilio; igitur Episcopus non tenetur pauperem esse.

4 Quod pluribus scripturarum testimonijs probatur. Quæ latius à *Turrecrem. in cap. expedit. a.1. 12. quæst. 1.* proponuntur, & explicantur. Nam primo Sacerdotes veteris legis possessiones, & agros, & dominium temporalium habuerunt. Quamuis enim illi non fuerint in numero tribuum, quibus diuisa fuit terra promissionis; nihilominus ex Dei mādato *Num.35. Iosu.c 21.* tribui Leui datæ sunt 48. vrbes ad habitandum cum suburbanis earum ad distantiam mille passuum, vnde Sacerdotes & Leuitæ domini erant harum Ciuitatum & bonorum & terrarum illis adiacentium & animalium pecorum, & armentorum ad quæ alenda Ciuitatum suburbana eis assignata fuerunt. Sic Leu. vlt. Deus præcepit, vt si quis Domino vouisset agrum, illum Sacerdotes possiderent & 3. Reg.2. dixit Rex Abiabar sacerdoti, *Vade in agrum tuum.* Hieremias quoque scribit se emisse ac possedisse agrum, qui fuerat patruelis sui, & Act.4. legimus Barnabam Leuitam vendidisse agrum, quem habebat. Et considerandum, quod cum Dominus noluerit tribum Leui esse cum alijs in partem hæreditatis, sed dixerit ego Dominus hæreditas Leuitarum sum, nihilominus ipsemet de terra promissionis sibi partem elegit, quam suis concessit Leuitis, & sic voluit, quod ipsi partem longe maiorem possiderent, nimirum decimam partem, cum ipsi essent vix pars sexagesima populi, vt aduertit *Bellarm. l.1. de Cler. cap.26.* Eadem igitur ratione bene conuenit, quod etiam Clerus Ecclesiasticus, & præcipue Episcopi bona habeant etiam Ecclesiastica, illaque possideat sicut ab initio etiam Ecclesiæ vsque ad hæc tempora habuerunt, & legitime possederunt, & licite, vt ex Pontificum, & Conciliorum decretis habetur, nimirum ex Epist.2. Pij Papæ primi, & in Epist. 1.

Vrba-

Vrbani Primi ad omnes Episcopos, Lucij Papæ & Martyris ad Episcop. Galliarum & Hispaniarum, & ex *Concil. Anthioc.c.25. Ancyran.c.15. Carthagin.4. cap.32.Carthag.5.c.4.Hispalen 1.c.1.Tolet.4.can.32. & 68. Agathen. c. 49. & 51. Moguntinen. sub Arnul. c.12.Rom. 6. sub Symacho*. Et possessionum Ecclesiasticarum meminerunt *Ambros. epis.32. Chrysos. hom.37.ad pop.Antioch.Aug. ser. 1. & 2.de communi vita Clericorum Prosper l.2.de vita contemplat.Greg. l.4. Epis.33.* & ex *causa 12. quæst.2.* vbi ex professo de rebus Ecclesiæ agitur, plura, quæ hanc veritatem probant desumuntur,

5 Sed & in particulari de Episc. loquendo clarius probatur eos posse habere propriũ. Episcopus enim iuxta Pauli Apost. documentum *in 1. ad Tim.3.* oportet esse hospitalem, & domui suæ bene præpositum. At vero hospitalitas præsuponit diuitias, quas hospitalis communicet, & domus præpositus filios habens subditos, necesse est, vt habeat vnde vxorem, & filios alat. Præterea Philemon habuit seruos, & diues erat, vt patet ex *Epis. Pauli ad ipsum*, & tamen Philemon *teste Hieron. in dictam Epistolam* erat Euangelista, & *teste Anselmo* Episcopus. Sed & ab initio Ecclesiæ diuisa erant bona propria Episcoporum, a bonis Ecclesiasticis, & illa poterant Episcopi suis relinquere, vt habetur ea *Concil. Agathen. c.48.& ex Conc.Rom.sub Martino Papa c.15.& ex Canon.Apostolorum 39. prout habetur cap.Episcopi, c.manifesta, cap.sint manifestæ 19. 20.& 21.12.quæst.1.*

6 Et hoc rationabiliter esse institutum quatuor rationibus probat *Turrecrem. in d. §. Clericos 12. quæst.1.* Prima est necessitas corporalis sustentationis; non enim conueniens esset, vt Episcopi cogerentur mendicare, si vellent sustentari. Secunda est hospitalitas, & necessitas eleemosinas largiendi. Quomodo enim Episcopus posset esse pauperum pater, & sustentator, si non haberet, vnde eleemosinas largiretur. Tertia est vt vitetur occasio hypocrisiæ, & simulationis, vt habetur *cap. certe 12. quæst.1.* ob quam causam *S.Aug.* vt ipse fatetur *ser. 2. de communi vita Clericorum*, qui statuerat nullum admittere ad Clericatum, qui non admitteret vitam communem, mutauit sententiam, & habentes, & volentes retinere proprium ordinare proposuit. Quarta causa est infirmitas. *cap.prosperi.12. quæst.1.* Quamplures enim alias docti, & ad regimen Ecclesiæ idonei, ex propriorum bonorum, amore detinerentur, ne essent Clerici, vel Episcopi, si Clericatus, vel Episcopatus non nisi dotem extremæ paupertatis haberet, seu si Clericandus sua relinquere deberet. Accedit quinto, quod contemnerentur Episcopi, si diuitias non haberent, quibus etiam tamquam corporalibus armis se defenderent. Quamplures enim sunt, qui arma spiritualia contemnunt, & magis contemnerent, si Episcopi pauperes non haberent vnde etiam per vim corporalem inobedientes coercerent. Et alias etiam mundus pauperes contemnit, & non reueretur, vnde ob decorem dignitatis & splendorem oportet Episcopos diuitias habere, pauperesque non esse.

7 Verum est, quod huiusmodi rationes omnes non probant directe, quod Episcopi possint habere proprium; quoniam ad sustinendam pro dignitate Episcopali auctoritatem sufficerent bona Ecclesiastica in communi possessa, sicut fiebat antiquitus, & probabitur *art. seq.* Nihilominus præfata probant licere Ecclesiæ habere proprium; ex quo etiam colligitur hoc non esse illicitum Episcopis, maxime cum pauperem esse sit consilij, & ab initio Ecclesiæ de facto Episcopi proprium habuerint, vt habetur *ex can.39. Apos.*

SVMMARIVM.

1 *Paupertas est instrumentum perfectionis acquirendæ.num.8.*

2 *Paupertas minus apta perfectioni communicandæ. num.8.*

3 *Paupertas neque necessaria ad acquirendam perfectionem.num.8.*

4 *Actus charitatis eius qui habet officium sanctificandi alios valde vtile ad perfectionem maiorem acquirendam.n.8.*

AD PRIMVM.

8 IN primo argumento petebatur difficultas ex eo quod paupertas ad statum perfectionis spectet, Episcopatus vero sit status perfectionis. Sed respondet *D.Th.* paupertatem non esse de essentia perfectionis, sed esse instrumentum perfectionis acquirendæ. Quamobrem distingui debet status propriæ perfectionis acquirendæ, à statu perfectionis communicandæ alijs, Nam ad primum statum spectat paupertas, vt instrumentum aptum ad perfectionem acquirendam, sed paupertas non est apta perfectioni communicandæ. Quod *Caiet. hic, & Sotus l.10.de iust. quæst.4. a.1.* ad primum colligunt ex verbis Christi Domini Matth.19. Qui dixit, *si vis perfectus esse*, nimirum si vis perfici, *vende quæ habes, & da pauperibus*, quia paupertas est instrumentum perfectionis propriæ acquirendæ. Sed non dixit *si vis perfector esse*, nimirum si vis habere officium ad sanctificandum alios per se ordinatum vende &c. quia ad huius officij exercitium paupertas non est apta, & adhuc nec paupertas est necessaria etiam ad propriam perfectionem acquirendam, quia multi diuites fuere Sanctissimi, & Deus Gen.17. dixit Abrahæ, *ambula coram me & esto perfectus*, & fuit Abraham perfectissimus, & tamen fuit ditissimus. Et per alia opera potest etiam valde maior perfectio propria acquiri, quam per paupertatem, nimirum per opera charitatis, & dilectionis proximi; vnde est quod onus officij deputati ad sanctificandum alios est opus altissimæ charitatis, & conducere valens ad altissimam perfectionem; cum tamen huic operi exercendo diuitiæ comperant, quibus iuuari possit proximus. Ideo bene aduertit *Sotus*, quod Dominus Petrum instituens in Episcopum Ecclesiæ non interrogauit eum an esset pauper, sed an se diligeret quia dilectio Dei illa est, quæ in Pastore summe desideratur. Sed paupertas exercita & actualis impediret Episcopum ab exercitio officij, & charitatis. Quapropter vt ea *D. Thom. aduertit Turrecrem. in cap.Episcopi num.2.12. quæst.1.* Requiritur in Episcopo paupertas in animi promptitudine, vt paratus sit & diuitias pro salute sui gregis nedum abundanter largiri, sed profundere, & perdere.

SVMMARIVM.

1 *Quod Christus dixit nolite possidere aurum &c. fuit permissio non praeceptum. n.9.*
2 *Vel fuit praeceptum datum pro prima missione ad Iudaeos. num.10.*
3 *Paulus subsidio habito ex alijs Ecclesijs, & etiam proprio labore se sustentabat. num.10.*
4 *Paulus non semper viuebat ex Euangelio. n.10.*
5 *Conuenit Episcopos posse viuere de proprio. numer.10.*
6 *Possunt Episcopi habere proprium & in communi & in particulari. n.11.*
7 *S. Ambros. habuit proprium patrimonium. numer.11.*

AD SECVNDVM.

9 TRes responsiones adhibet *D.Th.* ex quibus secunda, quae est S. Augustini *l.1.de consensu Euangel. cap.30.* exponit verba Christi Domini *Matth. 10.* dicentis, *Nolite possidere aurum neque argentum &c.* vt contineat permissionem, non praeceptum. Voluit enim ostendere non esse necessarium, quod ministri Euangelici sint ex proprijs diuites, quia debent alias honorifice sustentari à populis quibus Euangelium ministrant, vnde subdit Dominus, *Dignus est enim mercenarius mercede sua.* Quando igitur dicitur, *Nolite possidere, &c.* idem est ac si diceretur, non est necesse vt possideatis, nec ex eo quod sitis pauperes debetis relinquere opus Apostolicum, quia dignus est operarius mercede sua, & ideo merces vobis reddita sufficiet vobis. Alias vero, proprium posse habere ministros Euangelij ex hoc colligitur, quod mercedem habere possunt, & immo haec illis debetur.

10 Alia responsio datur ex *S. Ioan. Chris. Homil. super illud Pauli, Salutate Priscam & Aquilam*, quae habetur *post exposit. Epis. ad Rom. tom.4.* quia nimirum Dominus illud praeceptum dedit, vt obseruandum in prima missione, in qua misit Apostolos ad praedicandum Iudaeis, apud quos mos erat, vt suos Doctores alerent, & Magistris necessaria prouiderent. Et Dominus tale praeceptum dedit, vt Apostoli experimento comprobarent Dei prouidentiam, & addiscerent eis non esse necessariam sollicitudinem, quando Dei seruitium agerent Euangelium praedicantes. Quod vero Dominus illud praeceptum non dederit nisi vt obseruandum ad tempus; non vero vt obseruandum in secunda missione, cum Apostoli missi fuerunt ad Gentes colligitur primo ex verbis Christi Lucae 22. dicentis Apostolis, *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil. Dixit ergo eis, sed nunc, qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Ex his enim verbis habetur, quod mandatum illud, vt Apostoli nihil possidentes non portarent secum, neque sacculum, neque peram, fuit datum vt obseruandum ante passionem, non vero post passionem; cum ituri erant ad Gentes conquerendas. Quod & facto comprobatur. Nam in *2. ad Cor. cap.11.* Paulus haec refert de se ipso. *Quoniam gratis Euangelizaui vobis? Alias Ecclesias expoliaui, accipiens stipendium ad ministerium vestrum. Et cum essem apud vos, & egerem, nulli onerosus fui: nam, quod mihi deerat, suppleuerunt fratres, qui venerunt ex Macedonia, & in omnibus sine onere me vobis seruaui, & seruabo.* Quae ergo ex Macedonia recipiebat Paulus, possidebat, & ex eis iam se sustentabat, gratis omnino, & sine onere praedicans Corinthijs. Sed & idem Paulus ex proprio labore sibi necessaria ad victum acquirebat saepius, vnde *in 1. ad Corinthios 4. dicit vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis caedimur, & instabiles sumus, & laboramus, operantes manibus nostris &c. Et ibid. cap.9.* Postquam ostendit, se potuisse tamquam minister Euangelij habere & praetendere à Corinthijs sui operis stipendium, & sustentamentum, & viuere de Euangelio, nihilominus dixit: *Sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi.* Paulus igitur non semper viuebat ex Euangelio, sed ex aliunde acquisitis, & praecipue ex ijs, quae ex labore manuum lucrabatur, quae iure possidebat; non ergo est praeceptum Christi vt Apostoli, & Episcopi non viuant nisi ex Euangelio, sed immo maxime conuenit vt viuere possint de proprio, vt sine impedimento & grauamine populorum vbi opus est possint nedum & ipsi viuere, sed per eleemosinas aliorum necessitatibus subuenire, vt docent *D. Thom. hic ad 2. & super Matth. cap.10. & Caiet. hic Turrec. ad §. Clericos, & ad cap. Episcopi num.3.12. quaest.1. Sotus l.10. de iust. quaest.4. a.1. ad 2. Ledesma de statibus cap.3. conclus.17. Bellarm. l.1. de Cler. cap.26.* Et comprobatur ex eo, quod in Ecclesia Sanctissimi viri fuerunt vt *Athanas. Ambros. Aug.* & alij, qui bona temporalia possederunt.

11 Aduertit vero *Caiet. quod textus D. Thom.* intelligitur de possessione & proprietate habendi bona temporalia tam in communi, quam in particulari, quod verum est, sed subdit, quod *D. Th.* probationes adduxit de proprio in communi, quoad Paulum, Ambrosium, & Augustinum. Quod tamen habet difficultatem. Quia S. Ambrosius proprium patrimonium habuit separatum à bonis Ecclesiasticis, vt aperte de se ipso refert Ambrosius ipse *l.2. Epist.14.* ad Marcellinam in principio. Cum enim rogaretur, vt Ecclesiam vnam traderet Arianis refert, se negasse illam. *Respondi*, inquit, *si a me peteret, quod meum esset, idest fundum meum, argentum meum, quiduis huiusmodi meum, me non refragaturum, quamquam omnia, quae mea sunt, essent pauperum: verum ea, quae diuina, imperatoriae maiestati non esse subiecta. Si patrimonium petitur, inuadite; si corpus occurram.* Habebat igitur Ambrosius patrimonium proprium.

SVMMARIVM.

1 *Clerici sors Deus est, si ille nihil. nisi propter Deum amat. n.12.*
2 *Canones antiqui varie interpretari possunt. numer.13.*
3. *Status vitae communis quantum durauerit in Ecclesia. num.14.*
4. *Ab initio Ecclesia praedia habuit. num.14.*
5 *Et Episcopi proprium patrimonium n.14.*

AD

AD TERTIVM,

12 DOminus est pars hæreditatis sanctorum, quia est illorum totum, solum, & vnicum bonum, sed hoc vnicum, & solum non dicit vnitatem numericam per exclusionem cuiuscumque alterius boni, quia Sancti alia bona possident præter Deum, sed dicit vnitatem analogicam, & causalitatis, quia Sancti nihil possident, quod non sit à Deo, & in Deum, quem solum diligunt, quia nihil nisi propter illum diligunt, & ab amore eius eos non amouet amor diuitiarum vel alterius rei. Et hoc modo non licet Episcopis habere aliquid proprium præter Deum, quod scilicet ament & non propter Deum ament, & explicant *D. Thom. & DD. citati.*

13 Immo ex hoc *Turrecr. §. Clericos* sumit doctrinam vnde explicet multos canones ex recensitis 12. *quæst.* 1. in quibus videtur prohiberi Clericis habere proprium, intelliguntur enim de eo, quod est habere affectum proprium ad terrena, qui non sit Dei affectus, sed a Dei amore & studio auertat vt habetur *can. Habebat eadem causa*, & docuit *Aug. tract. 62. in Io:* Quamuis vt explicat *Turrecr. §. Clericos eadem causa* canones illi intelligi possint, vel de clericis, qui vouerunt paupertatem, vel vt exprimant consilium, non præceptum, vel accipi debent secundum praxim primitiuæ Ecclesiæ, in quo iuxta ea quæ dicuntur Actor. 4. Nullus fidelium siue secularis, siue Clericus habebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia, immo Ecclesia prædia non habebat, sed fideles prædia sua vendentes ponebant pretium ad pedes Apostolorum *cap. futuram & cap. videntes* 12. *quæst.* 1.

14 Quantum autem durauerit hic status, non est facile inuenire, *Turrecrem. d. §. Clericos num. 2. vers. secundus status, & ad cap. videntes art. p.* existimat, quod hæc mutatio circa tempora Constantini facta fuerit per approbationem vniuersalem, licet ante fuerit circa hoc aliqua mutatio particularis. Sed de his dicam vberius art. sequenti. Interim dico, quod multo ante praxis illa mutata fuit per Ecclesiam Romanam. Nam Luicus primus, qui fuit creatus Pontifex anno Christi 256. in Epis. ad Episcopos Galliarum & Hispaniarum anathematizat alienatores facultatum Ecclesiæ. Et ante illum Vrbanus primus promotus anno 227. vt habetur *cap. videntes* 12. *quæst.* 1. refert, quod videntes Prælati Ecclesiæ, quod plus vtilitatis erat futura Ecclesiæ, si fideles prædia non vendidissent, sed Ecclesiæ donassent, vt ex eorum fructibus & Dei cultus augeretur, & pauperes, & vitam communem amantes commodius sustentur, vendere prædia cessauerunt, & Matricibus Ecclesijs contulerunt, Sed & tempore Pij primi Papæ, qui floruit anno 154. iam Ecclesia prædia habebat, nam ipse in Epistola 2. Italicis fratrib. scripta prohibet ne prædia Ecclesiarum diuinis vsibus tradita ad vsus humanos applicarentur. Verum est, quod vt habetur ex dicta Epist. Vrbani primi tunc vigebat etiam vita communis apud multos præcipue apud Clericos, vnde licet Ecclesia possideret prædia & bona immobilia, tamen ea possidebat veluti in communi, viuentibus nedum Clericis, sed & pluribus laicis in communi; sic Gregor. scribens ad Augustinum Anglorum Apostolum vt habetur *cap. quia d. 12. quæst.* 1. mandat vt Ecclesiam illam recenter natam iuxta primam Ecclesiæ praxim & vitam communem instituat. Nihilominus ex illa Vrbani primi Epistola habetur, quod eo tempore erant ex fidelibus, qui propria retinentes communem vitam non sequebantur. Sed quod à temporibus Apostolorum in Ecclesia nedum seculares, sed Clerici, & Episcopi habuerint bona propria præter bona Ecclesiastica habetur ex Apostolorum canone 39. qui sic habet *manifesta sunt priuata res Episcopi: si modo, & priuatas habet: manifesta etiam sunto dominica, vt priuatas quidem res Episcopus cum moritur, quibus vult, & quomodo vult, relinquendi facultatem habeat: neque occasione Ecclesiasticarum rerum intercidant res Episcopi, nonnunquam vxorem, & liberos aut cognatos, aut seruos habet &c.* Quamobrem ex his habetur, quod praxis illa, de qua fit sermo in actis *Apos. cap.* 4. parum durauit, & pro quanto colligi potest, ex *cap. futuram* 12. *quæst.* 1. illa praxis locum habuit in Iudæa. *Futuram*, inquit, *Ecclesiam in gentibus Apostoli præuidebant: idcirco prædia in Iudæa minime sunt adepti, sed pretia solummodo ad soluendos egentes. At vero cum inter turbines, & aduersa mundi succresceret Ecclesia, eousque peruenit &c.* Itaque dum Ecclesia orta est in Iudæa, prædia noluit admittere, quia non ibi, sed inter gentes dilatanda erat, & in æternum mansura, sed tamen ab Ecclesiæ exordio iam extra Iudæam prædia admisit & vitam communem, quam vniuersaliter sequi impossibile erat, reliquit taliter tamen, quod semper in Ecclesia fuerunt & erunt, qui in communi viuant. Et iam etiam ab exordio Ecclesiæ sic Episcopis de Euangelio & sumptibus communibus viuere datum erat, quod tamen si habebant propria illa detinebant, & de illis pro libito disponebant. Sed de his in sequenti articulo distinctius est agendum.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Episcopi mortaliter peccent, si bona Ecclesiastica quæ procurant, pauperibus non largiantur.

A*D septimum sic proceditur. Videtur, quod Episcopi mortaliter peccent, si bona Ecclesiastica, quæ procurant, pauperibus non largiantur. Dicit enim Ambros. exponens illud Luc. 12. Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit. Proprium nemo dicat, quod è communi plus quam sufficiat sumptum, & violenter obtentum est. Et postea subdit, Neque minus est criminis habenti tollere, quam cum possis & abundas, indigentibus denegare. Sed violenter tollere alienum,* quol. 6. ar. 12. In ser. 8e. declinando ad fin. to. 3. a eodem loco nunc dicto.

est

est peccatum mortale. Ergo Episcopi mortaliter peccant, si ea quae eis superfunt, pauperibus non largiantur.

In hunc locum Esa. 10.5. 2 *Praeterea, Super illud Isa. 3. Rapina pauperum in domo vestra, dicit gloss. Hieron. quod bona Ecclesiastica sunt pauperum. Sed quicumq; id quod est alterius, sibi reseruat, aut alijs dat, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. Ergo si Episcopi bona Ecclesiastica, quae eis superfluunt, sibi retineant, vel consanguineis vel amicis largiantur, videtur quod teneantur ad restitutionem.*

Habetur 1. q. 2. c. clericos. & 16. q. 1. c. quoniam. 3 *Praeterea, Multo magis aliquis potest de rebus Ecclesiae ea quae sibi sunt necessaria, accipere, quam superflua congregare. Sed Hieron. dicit in epistola ad Damasum Papam, Clericos illos conuenit stipendijs Ecclesiae sustentari, quibus parentum & propinquorum bona nulla suffragantur. Qui autem bonis parentum & opibus proprijs sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium committunt & incurrunt. Vnde & Apostolus dicit primae ad Timot. 5. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, & non grauetur Ecclesia, vt his quae vere viduae sunt, sufficiat. Ergo multo magis Episcopi mortaliter peccant, si ea quae eis superfluunt de bonis Ecclesiasticis, pauperibus non largiantur.*

Sed contra est, quod plures Episcopi ea quae superfuunt, non largiuntur pauperibus, sed expendere videntur laudabiliter ad reditus Ecclesiae ampliandos.

Respondeo dicendum, quod aliter est dicendum de proprijs bonis quae Episcopi possidere possunt, & de bonis Ecclesiasticis. Nam propriorum bonorū verum dominium habent. Vnde ex ipsa rerum conditione non obligantur, vt ea alijs conferās, sed possunt ea vel sibi retinere, vel etiam alijs pro libito elargiri. Possunt tamen in eorum dispensatione peccare propter inordinationem affectus, per quam contingit, quod vel sibi plura conferant, quam oporteat, vel alijs etiā non subueniant, secundum quod requirit debitum charitatis. Non tamen tenentur ad restitutionem, quia huiusmodi res sunt eorum dominio deputatae. Sed Ecclesiasticorum bonorum sunt dispensatores, vel procuratores. Dicit enim August. ad Bonifacium, Si priuatum possidemus bonum, quod nobis sufficiat, non illa bona nostra sunt, sed illorum quorum procurationem gerimus, non proprietatē nobis vsurpatione damnabili vendicemus. Ep. 50. inter med. & finem, i. scilicet quae nostra sūt & pauperum. *Ad dispensatorem autem requiritur bona fides, secundum illud primae ad Corinth. 4. Hic iam quaeritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Sunt autem bona Ecclesiastica non solum in vsus pauperum, sed etiam ad cultum diuinum & necessitates ministrorum expendenda. Vnde dicitur duodecima, quaestione secunda,* 12. q. 2. c. de redditibus Eccl. *De redditibus Ecclesiae vel oblatione fidelium, sola Episcopo ex his vna portio mittatur, duae Ecclesiasticis fabricis, & erogationi pauperum profuturae, a Presbytero, sub periculo sui ordinis ministrentur, vltima clericis pro singulorum meritis diuidatur. Si ergo distincta sint bona, quae debent in vsum Episcopi cedere, ab his quae sunt pauperibus, & ministris, & cultui Ecclesiae eroganda, & si aliquid sibi retinuerit Episcopus de his quae sunt pauperibus eroganda, vel etiam in vsum ministrorum, aut in cultum diuinum expendenda: non est dubium quin contra fidem dispensationis agit, & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur. De his autem quae sunt specialiter suo vsui deputata, videtur esse eadem ratio quae est de proprijs bonis: vt scilicet propter immoderatum affectum & vsum peccet quidem, si immoderata sibi retineat, & alijs non subueniat, sicut requirit debitum charitatis. Si vero non sint praedicta bona distincta, eorū distributio fidei eius committitur. Et si quidem in modico deficiat, vel superabundet, potest hoc fieri absque bonae fidei detrimento: quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud, quod fieri oportet. Si vero sit multus excessus, non potest latere. Vnde videtur bonae fidei repugnare: & ideo non est absque peccato mortali. Dicitur enim Matth. 24. quod si dixerit malus seruus in corde suo, moram facit* gloss. ord. & interl. ibid. *Dominus meus venire (quod pertinet ad diuini iudicij contemptum,) & coeperit percutere conseruos suos (quod pertinet ad superbiam,) manducet autem & bibat cum ebriosis (quod pertinet ad luxuriam:) veniet dominus*

serui illius in die qua non sperat, & diuidet eum (scilicet a societate bonorum,) & portem eius ponet cum hypocritis (scilicet in inferno.)

Ad primum ergo dicendum, quod verbum illud Ambrosij non solum est referendum ad dispensationem rerum Ecclesiasticarum, sed quorumcumque bonorum, ex quibus tenetur aliquis debito charitatis prouidere necessitatem patientibus. Non autem potest determinari, quãdo sit ista necessitas quæ ad peccatum mortale obliget, sicut nec cætera particularia quæ in humanis actibus considerantur. Horum enim determinatia relinquitur humanæ prudentiæ.

Ad secundum dicendum, quod bona Ecclesiarum non sunt solum expendenda in vsus pauperum, sed etiã in alios vsus, vt dictum est. Et ideo si de eo in eo art. *quod vsui Episcopi vel alicuius clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, & consanguineis vel alijs dare, non peccat dummodo illud faciat moderate, id est, vt non indigeant, non autem vt ditiores inde fiant. Vnde Ambrosius dicit in libro de Officijs. Hæc est approbãda liberalitas, vt proximos seminis tui non despiciat, si egere cognoscas, non tamen vt illos ditiores fieri velis ex eo, quod tu potes conferre inopis.*

L. 1. c. 30. par. ante me 10. 2. & habetur in Decr. d. 86 c. est probanda.

Ad tertium dicendum, quod non omnia bona Ecclesiarum sunt pauperibus largienda, nisi forte in articulo necessitatis, in quo etiam pro redemptione Captiuorum & alijs necessitatibus pauperum, vasa cultus diuino dicata distrahuntur, vt Ambros. * *dicit. Et in tali necessitate peccaret clericus, si vellet de rebus Ecclesiæ viuere, dummodo haberet patrimonialia bona, de quibus viuere posset.*

* l. 2. de off. c. 28. c. 1. & habetur 12 q. 2. c. Auru.

Ad quartum dicendum, quod bona Ecclesiarum vsibus pauperum deseruire debent. Et ideò si quis necessitate non imminente prouidendi pauperibus de his quæ superfluunt ex prouentibus Ecclesiæ, possessiones emat, vel in thesauro reponat in futurum vtilitati Ecclesiæ & necessitatibus pauperum, laudabiliter facit. Si vero necessitas superflua immineat pauperibus eroganda, superflua cura est & inordinata, vt aliquis in futurum conseruet. Quod Dominus prohibet Matth. 6. dicens. Nolite solliciti esse in crastinum.

S V M M A R I V M.

1 *Quæstionis status. num. 1.*

1 AMplissimam discurrendi materiam præbet doctrina *D. Thomæ* in hoc articulo, in quo ostenditur quanta & qualis obligatio sit Episcopi, & Clericorum in procurando & dispensando Ecclesiastica bona, qualeque illorum habeant, vel non habeant dominium, & an ea alienare, ad libitum possint, & cui voluerint tribuere. Sed quia tota huius articuli resolutio maxime pendet ab historia, & notitia antiquarum legum, & praxis Ecclesiasticæ, sine qua nec antiqui Canones possunt intelligi, nec iustitia præsentis status Ecclesiæ plene percipi, ideo prius ab historia initium sumendo.

S V M M A R I V M.

1 *Vita communis fidelium Hierosolymis. n. 2.*
2 *Hic primus status fidelium quatuor singularia habebat. num. 3.*
3 *Hæc communis vita non erat tunc in præcepto num. 4.*
4 *Nec apud omnes omnino communis. n. 5.*
5 *Hic status vitæ communis extra Iudæam non se extendit. num. 6.*
6 *Fideles ex gentibus conuersi sua retinebant. n. 6.*
7 *Secundus status Ecclesiæ. n. 7.*
8 *In hac fideles bona retinebant. n. 7.*
9 *Et Clericis proprium habere non erat prohibitum. num 8.*
10 *An qui proprium habebant ex bonis Ecclesiæ viuere possent. n. 8.*
11 *Ecclesiastica bona communia erant. n. 9.*
12 *Clerici in communi habitabant. n. 10.*
13 *Tunc & ex laicis, & ex Clericis multi viuentes sine proprio in communi. n 11. 12. 13.*
14 *Institutio Clericorum viuentium in communi sine proprio est ex Apost. n. 14.*
15 *Vita communis sine proprio non fuit in præcepto. num. 15.*
16 *Substantia secundi status Ecclesiæ, quæ fuit. n. 16.*
17 *Tertius status Ecclesiæ. n. 17.*
18 *Bona Ecclesiæ in quatuor partes diuidenda &c. num. 17.*
19 *Decretum Simplicij. n. 17.*
20 *Episcopus aliorum portiones vsurpans obligabatur ad restitutionem. n. 17.*
21 *Decretum Gelasij. n. 18.*
22 *Pars pauperum an publice dispensanda. &c. numer. 19.*
23 *Diuisio illa fiebat in partes proportionales. numer. 19.*
24 *Episcopus ex sua parte peregrinis & captiuis subueniebat. n. 19.*
25 *Prius tres portiones assignabantur, & quod remanebat erat Episcopi. nu. 19.*
26 *Etiam de nouiter acquisitis fieri debebat diuisio. num. 19.*

Pa-

27 *Parochiarum distinctio antiquior, quam illa quadripartita diuisio.n.20.*
28 *Tituli Cardinalium etiam antiquiores n.20.*
29 *Ecclesijs quæ sunt tituli Cardinalium relictæ prædia, & possessiones.n.20.*
30 *Tituli Cardinalium a possessionibus Ecclesiarum desumpti.n.20.*
31 *Etiam post Simplicium & Gregorium fuerūt Episcopi qui viuebant in communi cum Clericis. numer.21.*
32 *Varie etiam facta distributio, vt aliquando tertia aliquando media pars daretur Epis.n.21.*
33 *In hoc statu adhuc fructus communes erant, sed collectis fiebant proprij per diuisionem. n.21.*
34 *Vltimus Ecclesiæ status in quo sunt diuisæ præbendæ.nu.22.*
35 *Origo istius diuisionis vnde acciderit. n.22.*
36 *An facta per decretum. num.22.*
37 *Consuetudine potuit intro duci.n.22.*
38 *Pauperes ex misericordia Ecclesiæ accipere debant alimenta.n.22.*
39 *Vnde nomen beneficij ortum.n.23.*
40 *Baronius defensus. n.23.*

Quid de facto per tempora diuersa actum sit circa Ecclesiastica bona ab Ecclesia possessa, & qualis fuerit circa hæc Ecclesiæ praxis, & quæ leges?

2 PLures igitur Ecclesiæ status distinguuntur. Primus est, quem habuit Hierosolymis in sui i[illegible]io, quem S. Lucas Euangelista describit in Act. Apost. [illegible]lorum cap.4. [illegible] 5. *Multitudinis autem*, inquit, *fidelium erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*. Et infra. *Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut dom[illegible]rum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ [illegible]endebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat. I[illegible]seph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Ap[illegible] quod est interpretatum filius consolationis [illegible] Cyprius genere cum haberet agrum [illegible]ndidit [illegible] attul[illegible] pretium, & posuit ante pedes Apostol[illegible]rum.* Cap. aut[illegible] q[illegible] habetur. *Vir autem quidam nomine Ananias cum Saphira vxore sua vendidit agrum [illegible] fraudauit de [illegible]tio agri, conscia v[illegible]ore sua: & afferens partem quandam ad pedes Apostolorum p[illegible]suit. Dixit autem Petrus, Anania cur [illegible]ntauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui San[illegible]o, & fraudare de pretio agri? [illegible]on ne manens tibi ma[illegible]ebat, & venundatum in tua erat potestate?*

3 Ta[illegible] erat E[illegible]æ status in su[illegible] initio, n[illegible]rum anno Domini 34. statim post Christi Passionem, Resurrectio[illegible]m, & Ascensionem, & Spiritus Sancti aduentum. Ad hunc enim annum huiusmodi acta ref[illegible]unt *B[illegible]ron. ad annum 34. num.267. B[illegible]zouius ibid. & Ciaconius in [illegible] a S. Petri*. Quatuor autem sing[illegible]ria hab[illegible]at [illegible]atus, [illegible] c[illegible]mmunio [illegible]on[illegible]um ta[illegible] qu[illegible]ue c[illegible]m[illegible]io vt [illegible] Apostoli, [illegible] nedum C[illegible] & E[illegible] ta[illegible]ti, quam m[illegible]res om[illegible] hab[illegible] T[illegible]tio, [illegible]d tunc E[illegible] h[illegible]at prædia neque dom[illegible]s, sed hæc vendebantur & pretium ponebatur a[illegible] pedes Apo[illegible]um etiam a mult[illegible] ducitur, [illegible] proprietatis & electio com[illegible] voto consecrarentur Deo, [illegible] vo[illegible]unt, quòd Ananias & Sap[illegible] morte re[illegible]ina quia pret[illegible] quod Deo v[illegible]ant, non integrè a[illegible] pedes Ap[illegible]rum [illegible]po[illegible]uerunt.

4 V[illegible]um [illegible]ndum hic [illegible] primo quòd hæc v[illegible] com[illegible] tunc erat ex aliqua lege, au[illegible] p[illegible] Ne[illegible] Apostoli [illegible] ce[illegible] quod decret[illegible], per quod [illegible] communis pr[illegible]ipe[illegible]r, sed p[illegible] hi[illegible] tur, quod [illegible] cor vnū &c. Vnde cap.5.[illegible] ad Anan[illegible] *[illegible] manens tibi manebat, [illegible] venundatum in tua [illegible]state*? Clare ex hoc infi[illegible], quo[illegible] at necesse vt Ananias [illegible] ret, vel pre[illegible] lorum. Quod [illegible] & d[illegible]o, [illegible], & nec[illegible] *Suarez tom. [illegible] de R[illegible] lib. [illegible] cap.3 n.4.*

5 Addit idem *Suarez ex [illegible] de Monach[illegible] 5.* quòd fortasse [illegible] omnes fid[illegible] paup[illegible] Nam & h[illegible] verba: *Nonne ma[illegible] tibi manebat*. Ex [illegible] pau[illegible]pertatem [illegible] seu communem vitam non fuisse de præcepto, sed quòd & sine scandalo, & admiratione potuisset Ananias agrum sibi retinere, sicut fortasse alij faciebant. Et certè, esto dicatur, quòd fi[illegible]s vend[illegible]ant agros & domos, numquid verisi[illegible]e est, quòd omnes domos vendiderint? Et [illegible]d do[illegible] proprias ad habitandum nulli retin[illegible]? Neque enim con[illegible] vt omnes simul viri, & mulieres habitarent. Neque dici potest, quòd habitarent simul viri, & seorsum simul mulieres, quia rationa[illegible] non [illegible] vt vxores a maritis vi[illegible] & habitaren[illegible] [illegible]aratim, c[illegible] h[illegible] statui [illegible]nu[illegible]iali non conueniat. E[illegible]lesia [illegible] ut tun[illegible] domum in qua congregabantur ad C[illegible], ad d[illegible]inam, ad orationem, quæ vel erat Ec[illegible] vel alicuius particulari fidelis. Sed quod fi[illegible]les retin[illegible] sibi domos proprias ad habitandum habetur ex cap. 12. Act. Apostol. vbi r[illegible]r, quod Petrus exiens de carce[illegible] in quo detinebat[illegible]r iussu Herodis, venit ad domum Mariæ M[illegible], qui cognominatus est Marcus, vbi [illegible] con[illegible]ari, & orant[illegible]s, & neque tamen ibi [illegible]nt Apostoli, quia i[illegible] I[illegible] mandauit vt qui ibi tunc erant eius li[illegible] nunciaret Iacobo & fratribus, & ipse egre[illegible]us iuit ad a[illegible] locum, ad aliam nimirum domum a[illegible] secretiorem & d[illegible] ab illa in qua habitabant Iaco[illegible] & [illegible]j Apostoli. Sic quoque d[illegible] quod in domibus haberent mobilia, quia de [illegible]is non di[illegible]r, quòd venderentur, & quia necessaria erant [illegible] pro vsu quotidiano. Sed & ex eo, [illegible]r *ex epist. Pauli ad Hebr. capit. 10.* co[illegible], quod & ex fidelibus Hebræis aliqui pro[illegible]. Inquit enim [illegible]s. *Sed & [illegible] in[illegible] impa[illegible], & rapinam b[illegible]um vestrorum [illegible] gau[illegible] suscep[illegible] cognoscentes vos [illegible]e meliorem & manentem substantiam.* Vbi, vt [illegible] exponit, rapinam int[illegible]it [illegible] bon[illegible] cōfi[illegible] tam contra illos in odium fidei. Et ex Hebræis

igitur erant habentes bona, quorum confiscationem & rapinam, boni illi fideles cum gaudio susceperunt. Et quod dicitur, quòd *multitudinis erat cor vnum, & anima, & quòd nullus eorum aliquid suum dicebat*, & Infra. *Quotquot habebant agros &c.* intelligitur dictum iuxta consuetum modum loquendi scripturæ, quæ cum de multitudine loquitur, omnibus solet tribuere, quod in pluribus inuenitur. In illo verò initio Ecclesiæ propter fidei feruorem plures erant, qui agros, & domos vendebant, & pretium ponerent ad pedes Apostolorum. Quamuis & quod non vendebant, sed sibi retinebant, suum non dicerent, quia ob communionem charitatis alijs sponte communicabant, ac si non esset suum, sed commune. Sic ergo vita illa communis nec erat de præcepto, sed liberè assumebatur, & liberè fideles sua vendentes pretium pro communi Ecclesiæ vtilitate impendebant. Et adhuc non omnes omnino agros, vel domos vendiderunt, sed & aliqui sua retinentes Ecclesiam fidelium iuuabant oblationibus, & communicatione vsus rerum, quas sibi retinebant; vnde & id, quod suum erat verbis & factis, tamquam non esset suum, commune esse dicebant.

6 Hic status Ecclesiæ extra Hierosolymam vel Iudæam non se extendit. Vnde *Turrecrem. in tao. fiat manifestæ 12. quæst. 1. ex S. Aug. de doct. Christ.* inquit, quòd Ecclesia, quæ in communi viuebat, erat congregata ex ijs, qui in Iudæa erant conuersi pro maiori parte. *Valentia etiam hic p. 7. §. Tertio certum*, ait, quòd hic modus viuendi durauit breuissimo tempore apud fideles. Quod nedum ex dictis artic. superiori, sed ex sacra historia euidentiùs comprobatur. Nam Actorum 9. dicitur de Thabita, *quod erat plena operibus bonis, & eleemosynis, quas faciebat*. Et quòd Petrum circumsteterunt omnes viduæ flentes, & ostendentes illi vestes, & tunicas, quas faciebat illis Thabita. Illa igitur diues erat, & proprietatem suorum bonorum sibi retinens, ex illis pronidebat viduis, & egenis, quod facere minimè potuisset, si diuitias non possedisset. *Ibidem etiam & cap. 10. sequenti* dicitur, quòd Petrus habitabat apud Simonem quendam coriarium, cuius domus erat iuxta mare, vnde habetur, quod ille Simon habebat, vnde hospitio Petrum susciperet. *& cap. 11. in fine* dicitur. *Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus, quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ, & Sauli*. Christiani igitur, qui erant Antiochiæ possidebant sua, & eorum quilibet prout diues erat misit eleemosynam ad fideles & fratres in Christo existentes Hierosolymis. [illegible] *cap. 16.* Lydia ad doctrinam Pauli fidelis facta & cum tota domo baptizata dixit Paulo: *Si iudicastis me fidelem domino esse introite in domum meam & manete & coegit nos*. Non ergo Lydia suis [illegible] bonis, sed illa retinens Paulum hospitio [illegible]. *Et in eodem cap.* legitur, quòd carceris [illegible] a Paulo conuersus ad fidem, Paulum & [illegible] perduxit in domum suam, & app[illegible] fuit eius mensam. Sed & *cap. 20.* Paulus dixit Ephesijs. *Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui, sicut [illegible] quoniam ad ea, quæ mihi opus erant & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus meæ*. Ex quo habetur, & quòd Ephesij fideles sua quisque possidebant, & quòd nedum ibi Ecclesia non habebat [illegible] munia bona, quibus Apostoli, & clerici [illegible] Christi viuerent, sed quòd Paulus suis manibus laborando sibi & socijs victum lucrabatur. Quod [illegible] colligitur ex ijs, quæ Paulus ipse de se refert [illegible] *ad Corinth. cap. 4. & in 2. cap. 11.* prout consider[illegible] est *art. sup.* Dum enim Paulus mansit Corint[illegible] subsidio sibi delato ex fratribus, qui venerunt [illegible] Macedonia, vel suis manibus laborando [illegible] sibi parauit, non verò de aliquo communi [illegible] illius Ecclesiæ vixit. Et cum Paulus *ad Rom. cap.* [illegible] hortetur fideles Romæ existentes, ad c[illegible] & hospitalitatem, dicens: *Necessitatibus san[illegible] communicantes, hospitalitatem sectantes* pr[illegible] bio supponit eos proprias diuitias posside[illegible] bus possent necessitatibus pauperum subuen[illegible] & peregrinos ad hospitium recipere. Const[illegible] quod etiam temporibus Apostolorum [illegible] communis extra Iudæam non fuit [illegible] quod fideles propria retinentes, & ex [illegible] nas facientes, & peregrinos hospitio [illegible] Deo seruiebant.

7 Est ergo secundus status Ecclesiæ in quo vita communis seruata fuit non ab omnibus sed a Religiosis & Clericis. In pluribus ve[illegible] hic status à priori. Primò quia [illegible] non alienabant agros, & domo[illegible] bona retinebant ex eis offerente[illegible] nes & eleemosynas pro temporum [illegible] eorumdem fidelium pietate. Hoc [illegible] ex supra probatis, sed etiam ex colle[illegible] tiquissimo in Ecclesia. Erant ver[illegible] nationes eleemosynarum, quæ ex [illegible] stolica in aliquibus anni tempo[illegible] tur pro Ecclesiæ necessitatibus. De qui[illegible] quitur *S. Leo Papa* in pluribus sermonibus [illegible] habuit de ieiunio decimi mensis, & co[illegible] de his agit *Baronius ad annum Christi* 44 [illegible] *Apost. in 1. ad Cor. cap. 16.* de his sermo [illegible] dixit: *De collectis autem, quæ fiunt in sa[illegible] ordinaui Ecclesijs Galaciæ, ita & vos fac[illegible] per [illegible] sabbati &c.* Quia enim ob ortam famem va[illegible] vt habet *D. Thomas* [illegible] Sancti i[illegible] inopia valde grauabantur, communium [illegible] lo & Barnabæ, vt ab alijs Ecclesi[illegible] uenirent, & propter[illegible] Paulus instat a[illegible] chios pro colligenda eleemosyna ad [illegible] Hierusalem transmittenda. Ex huiu[illegible] exemplis & Apostolorum institutione [illegible] apud Ecclesiam Romanam, vt in certis [illegible] indicerentur collectæ pro Ecclesiæ nec[illegible] Igitur fideles suorum bonorum dom[illegible] pro opportunitate [illegible] emosynas erogabant, & [illegible] dem cum abundantissima charitate.

8 Sed secundò discrimen erat, quod ne[illegible] seculares non vendebant agros, & domo[illegible] Clerici, & Episcopi si prædia, & domos [illegible] ti[illegible]ulo aliquo ciui[illegible] habebant, ea si vo[illegible] fidebant, quod [illegible] habetur ex[illegible] R[illegible]mano *sub Martino Papa cap.* [illegible] c[illegible] *Agathen. cap. 8. & ex Canon.* [illegible] prout ref[illegible]tur *cap. manifest.* [illegible] *cap.* [illegible] *fiat manifestæ quæst. 1.* & [illegible] Superiori. Et pr[illegible] Apostolorum [illegible] h[illegible] *Turrecremata ex S. Aug. lib. de doc. Christ.* in d. cap. [illegible]

nifesta num. 1. Raphael a Turre supra quaest. 86. a. 2. disp. 2. num. 2. Valentia hic. p. 7. §. Tertio certum. Ita tamen licitum erat Clericis habere de proprio vt si propterea non indigerent vti pro eorum sustentatione bonis Ecclesiasticis, eis vti non deberent sic enim dicitur in can. 40. Apost. Percipiat autem & ipse (si modò indiget) quantum ad necessarios suos, & hospitio exemptorum fratrum vsus opus habet, ne quo modo ipse posteriore loco habeatur quàm caeteri. Ordinauit enim lex Dei, vt qui altari inseruiunt, de altari nutriantur, quando nec milites vnquam sui annonis arma hostibus inferant, & ita, licet sub alijs verbis habetur cap. ex his. 12. 1. quaest. 2. & Concil. Antioch. cap. 25. prout refertur cap. Episc. 23. eadem causa & quaest. habet. Episcopus Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes, qui indigent cum summa reuerentia & timore Dei. Participet autem ipse, quibus indiget (si tamen indiget) tam in suis, quàm in fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessarijs vsibus profuturis. Et hoc idem habetur ex Prospero cap. illi, eadem causa & quaest. & ex Hier. & Prospero cap. Clericos 6. cap. Pastor Eccl. 14. 7. cap. si quis propter. 8. & alijs 1. quaest. 2. Quod tamen an etiam consilium, vt multi volunt, & refert Turrecrem. d. cap ex his, vel potiùs praeceptum, quoniam hoc spectat ad ius, & non ad facti historiam, infra considerabitur. Nunc satis sit aduertisse, quod in Ecclesia conuersa ex gentibus etiam Clerici ab initio propria illis titulo aliquo Ciuili obuenientia possederunt, si voluerunt possidere.

9 Nihilominùs tunc Ecclesiastica bona communia erant, & nulli propria, & ex illis tamquam ex bonis communibus Episcopo dispensante viuebant Episcopus, Clerici, peregrini, & pauperes, & fabricae Ecclesiae prouidebatur. Huiusmodi vero bona communia non consistebant in solis pecunijs vel fructibus praediorum, sed etiam in praedijs ipsis, domibus, & possessionibus, & bonis stabilibus, quae ab initio Ecclesia possidere coepit vt videre est ex epist. 2. Pij Primi, & ex epist. Vrbani I, Sic enim & tituli Cardinalium vt infra explico, ex domibus & possessionibus desumebantur, antequam Ecclesia publicè Ecclesias fabricare posset, & tituli ex fundatis Ecclesijs denumerentur. Constantinum etiam, & Licinium iussisse, vt omnes possessiones ablatae a Christianis tempore persecutionis Diocletiani restituerentur ex Eusebio l. 10. cap. 5. aduertit Raphael a Turre supra. quaest. 6. a. 2. disput. 2. num. 3. Bona ergo Ecclesiae etiam in bonis stabilibus fructiferis consistebant. Quae tamen bona vt communia possidebantur. Et sic Episcopi non habebant redditus Ecclesiasticos pro illorum mensa appl[i]icatos, sed bona Ecclesiastica communia erant, pro Dei cultu, & Clericorum sustentamento, & pijs vsibus Episcopo praeside eroganda. Hoc habetur primò ex 40. Can. Apostol. ibi. Praecipimus vt Episcopus res Ecclesiae in potestate habeat. Nam si pretiosae hominum animae fidei eius committendae sunt: multò vtique magis oportuerit, & de pecunijs mandatum dare, vt illius arbitratu dispensentur, neque non cum timore Dei summaque sollicitudine per presbyteros, & diaconos erogentur in pauperes. Et postea subdit per verba num. sup relata, quomodo Episcopus ipse eisdem bonis vti possit, & habetur capit. Praecipimus 24. 12. quaest. 1. Et in eundem sensum Vrbanus Primus epist. vnica, vt habetur cap. Res 16. 12. quaest. 1. dixit. Res Ecclesiae non quasi propriae, sed vt communes, & Domino oblatae, cum summo timore non in alios quàm in praefatos vsus sunt fideliter dispensandae. Et eadem colliguntur ex cap. sicut 21. quod est eiusdem Vrbani ibidem, & ex c. nulli 27. quod est Concil. Rom. sub Eug. II. eadem causa & quaest. & cap. Decimae, 66. quod est Aug. ser. 219. de temp. & cap. fin. quod est Hieron in Epist. ad Damasum, 16. q. 1.

10 Sed in eo statu & habitatio ipsa Clericorum communis erat, vnde communes res, commune domum, commune refectorium, & mensa habuerunt. Sic enim in Conc. Rom. 1. sub Eug. II. & postea sub Leone IV. statutum fuit, & habetur 12. q. p. cap. Necessaria etenim res exigit, vt iuxta Ecclesiam claustro constituantur, in quibus Clerici disciplinis Ecclesiasticis vacent. Itaque omnibus vnum sit refectorium, ac dormitorium, seu caeterae officinae ad vsus Clericorum necessariae. Ministri vero post Episcopum super eos eligantur, quorum vita atque doctrina illos potiùs exornet, quàm dehonestet. Nicolaus etiam Papa similia decreuerat, vt habetur eadem causa, & quaest. cap. Nulla aedificia in atrio Ecclesiae ponantur, nisi tantum Clericorum. Vbi tamen contigisset clericum esse vxoratum, illum stipendia [illegible] exteriùs recipere statuit S. Gregor. scrib. ad Augustino Anglorum Episcopo, & habetur c. quia tua. [illegible]

11 Verùm tunc aderant multi nedum viuentes ex bonis Ecclesiae communibus, sed qui ad exemplum primorum illorum fidelium Iudaeorum primi status Ecclesiae omnia sua vendebant, & contemnebant, & pauperibus erogabant sola communi vita contenti. Quamobrem modus ille viuendi institutus in principio nascentis Ecclesiae, in eadem Ecclesia ex gentibus conuersa continuatus fuit tam in laicis, quàm in Clericis. In laicis quidem, quales erant tunc Monachi, vt constat ex Dyon. cap. 6. de Eccles. hierar. Nam licet modus ille viuendi in communi sine proprio non potuerit continuari in tota Ecclesia, immò nec esset modus aptus ad fidei propagationem, cum maxima enim difficultate fidem accepissent gentes, si propria dimittere debuissent, vnde vt dictū est, nec etiam in illo feruentissimo adventu Spiritus sancti & Ecclesiae initio talis modus viuendi sine proprio fuit in praecepto, tamen sicuti tunc, sic postea quàmplures etiam ex laicis abdicatis proprijs Deo in paupertate seruire elegerunt. Nam & sub Marco Euangelista fuisse Alexandriae Monachorum Monasteria erecta, tradiderunt Hieron. de viris Illustr. in Marco Euseb. lib. 2. histor. cap. 16. Cassian. l. 2. de instit. cap. 5. & Dyon. Areop. lib. de Eccles. hierar. c. 6. de Monachorum institutione plura habet, sicut & videri possunt hic de re tractantes, Io. Chrys. lib. 3. contra vituper. vita Monasticae, Basil. in constit. Monast. cap. 19. & 23. Cass. l. 18. c. 5. Bernard. in Apolog. ad Guillel. Abb. & Concil. Meld. cap. 9. & alia plura, quae habet Suarez tom. 3. de Relig. l. 3. cap. 4.

12 De clericis verò certiora habentur testimonia. Nam Pius V. in Bulla sententiae, quam dedit pro praecedentia Clericorum Regularium, quae habetur apud Nauar. Commen. 4. de Regular. nu. 7. & 8. de eisdem Canonicis asserit. Quòd ipsi Canonici fuerunt, & sunt de illis clericis à Sancto Augustino immò a S. Apostolis institutis &c. Vnde habetur Apostolos Clericorum religionem congregasse, itamque vsque ad S. Augustinum continua successione

per-

perdurasse, & ab Aug... ad Pium Quartum sicut & ... ad h... ta floret & perseuerat. Nam & ... *August. cap. 5.* narrat Augustinum fa... m ... Monasterium Cle... orum mox instituisse, ... cœpisse viuere secundum regulam sub S... is Ap... olis ... stitutam. Hoc enim ... isse Monasterium Cl... traditetiam Ecclesia in 3. ... Laudum, dicens: *Factus ergo presbyter Mon... um ... clericorum mox instituit, & cœpit viuere secundum regulam sub Sanctis Ap... lis institutam.* E... S. *August.* ... confirma... m ab Ecclesia Romana per Bullam Pij V. quæ incipit, *... et Ecclesia D...*, datam Anno Domini 15... ... *Pe... iotus in h... stor. Canon. Regu. p. 1. cap ...* ... adducit ... eandem Bullam, auctorem ... officij ... S. Thomã. Vnde hoc idem, ... quod ... Monasterium fuerit Monasterium Clericorum ... *V... acent. Bellonac. l. 17. speculi h... ... ap. 5 ... S. An... n. ... par. histor. tit. ... cap. ... §. ... Bellarm. lib. de scrip. Eccles. in August. vbi tractat de sermonibus ad fratres in eremo, Suarez tom. 3. de Relig. l. ... 3. c. 4.*

13 Sed huius institutionis Clericorum in communi viuentium aliquod vestigium ... ut e... in *cap. præter dist. ... quod est Alexandri Secundi, Ad August. etiam Episcopum Ar... ora scripsit ... g.* vt habetur *c. quia tua, 12. q. 1.* vt in Anglicana Ecclesia institueret conuersationem, quæ erat in initio Ecclesiæ, in quo viuebatur in communi sine proprio. Vrbanus etiam Primus in Epist. vnica, vt habetur *cap. scimus 12. q. prima ait. Scimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter omnes Christianos viguit, & adhuc gratia Dei viget, & maximè inter eos, qui in sortem Domini sunt electi, id est Clericos, sicut in Actibus legitur Apostolorum.* Et ad hoc faciunt quæ ex *c. duo sunt*, quod est *H... ron. & c. Nolo, & c. non dicatis*, quæ sunt August. habentur *eodem can. 12. q. 1.*

14 Apostoli enim ... cum congregarunt religiosos viros, qui eo... rium ... intend... ... & ad ... em ... erat ... vitam propriam, ... hoc eo... ... stantis relictis. T... sunt Paulus, & Barnabas qui tradiderunt ... as pro nomine Domini nostri Iesu Christi, *A... 15.* talem dicendum est fuisse Titum, & ... est fuisse ... um, & Dionysium Areopagitam, sicut ... um ... fuisse Lucam, & Ma... Post à verò ... m Episcopi ... sedes ... erunt, ipsi ab Apostolis in hac communi & paupere vita instituti cœperunt presbyteros, & clericos, secum congregare, vt cum eis vitam communem sine proprio haberent. Hunc morem ... Ap... a instaurauit S. August. & ... Papa ta... ... cos sub regula S. August. co... ocauit in Ecc... ia La... en vbi vixerunt vsque ad tempora Bonifac. VIII. Et eundem viuendi m... dum per Isidorum fuisse in Hispania separatum, ... gna vestigia ... hodie manere ... *Cæsaraugustana, Pampilonen. & Taraconen.* tradit Suarez *d. tom. 3. de Relig. l. 3. c. 3. n. 8.*

15 Verum quidem ... d ... communem sine proprio an... erat in præcepto, nec etiam Cl... *Prap... ap. ... d. 3. & Guliel. Duran in ra... n. diu... um offi... rum ... p. de ... d... ebus Paschæ docet Suarez ... n. 6.* Et habetur hoc ex *Vrbano Primo in epist. vnica*, vt ... *cap. scimus 12. q. 1. ibi quicumque vestrum communem vitam susceptam habet, & vouit se nil proprium habere, ... at ne pol... tationem suam irritam faciat &c.* ... ergo comunem vitam sine p... assumebant, qui libe... vo... bant, i... lam ... e vo... bant. Et cum eam assumpsissent, non licebat propria hab..., & de his expresse loquitur ... *A... in serm. de communi vita clericorum relatis cap. ... & c. non di... at 12. q. 1. Tu... em: in §. cleri...*

16 Itaque huius secundi status ... stantia fuit, quòd bona Ecclesiastica n... propria, sed communia, quamuis sub pot... Episcopi esset eorum distributio, quæ fieri d... p... itat... Episcopi, & Cleri, & pro a... nia pauperum, & Ecclesiæ fabrica, or... cultu. Cæterum non erat nec ... n... & possidendi propria bona, quamuis ... tam ex laicis, quam ex Clericis, qui ab ... propio viuerent & etiam a... vitam voto ... ligarent. Et qu... parte in vita communi ... per adhuc ... flor... etiam in Canonic... & ... tũ ad hanc partem. quod est ex libe... paupere vitam, Ecclesia non mu... ea hic viuendi modus durat imm... vero ... quantum admodum possidendi bona Ecclesiastica.

17 Tertius status est in quo bona Ec... ca cœperunt appropriari, & app... hæc appropriatio facta fuerit determinate ... ta fuerunt ab administratione Ep... dec... tum fuit, vt redditum Ec... quatuor partes fierent, quarum vna ... copi, altera Clericis, a... tera pauperibus fuit a... data. ... in arbi... rio Episcoporum posi... tis causis expendere red... dete... minationem, postea cum ... quæ ... termi... est quarta pars pro... corum, & pi... um ... bus pro alijs ... s ... fuorum. P... curauer... à *Raphaele de Tur... n. 4. dicit...* ... *Quod & a... a d. p... pretus Papa p... m. Nam ... tiam, Acquirium ... S... etiam de ... de... um quid de... at ... so... et ex his ... fabri... futur... Bona... pre... nis ... se C... me... ad... ... lies Gandentio Ep... Susinien.) ... cipimus immine... vt tres ilias por... ... tantummodo ... tus. ... ex ... di... 28. 12. q. ... quo d...* ... n ... per ... vt si ... as ... ea...

18 H... romani de...

per

*per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam cap.*29.sic dicens. *Quatuor autem tam de reditu, quàm de oblatione fidelium, prout cuiuslibet Ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, conuenit fieri portiones. Quarum sit vna Pontificis, altera Clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. De quibus sicut Sacerdotis intererit, integram ministris Ecclesiæ memoratam dependere quantitatem, sic Clerus vltra delegatam sibi summam nihil insolenter nouerit expetendum. Ea verò quæ Ecclesiasticis ædificijs attributa sunt, huic operi veraciter prærogata, locorum doceat instauratio sanctorum: quia nephas est, si sacris ædibus destitutis in lucrum suum præsul impendia, his designata, conuertat. Ipsam nihilominus adscriptam pauperibus portionem, quàmuis diuinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur, tamen iuxta, quod scriptum est, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est, oportet etiam præsenti testificatione prædicari, & bonæ famæ præconijs non taceri.* Hoc etiam ex Gelasio refertur *cap.quatuor* 27. 12.*quæst.*2. *vbi cap. Concesso* 26. idem statuitur ex *Epis. Gelasii ad Clerum. & plebem Brundusij*, quam missam ex Hispania & inter Epis. Greg.2. impressas numerari tertiam, refertur in *adnotat.ad d. cap. Concesso.*

19 Ex huius decreti vltimis verbis *Baron. ad annum* 494.*& ibid. Bzouius, Ciacconus in Gelasium. Pax Iordan.l.*2. *tit.*12.*num.*21. *Raphael à Turre supra nu.*87. *a.*3. *disp.*4. *n.*13. colligunt Gelasium decreuisse, quòd pars, quæ spectabat ad pauperes palam dispensaretur omnibus videntibus, ne eam diminuendi daretur occasio. Sed ex eo decreto hoc minimè colligitur, sed bene quòd ita fieret distributio, vt de ea constare posset saltem per bonæ famæ præconia. An verò bona communia tunc in quatuor partes æquales essent diuidenda, id non exprimitur. *Et Ledesma de statib. conclus.*24. *diff.*1. *§. a la confirmacion.* non improbabiliter credit eam non in partes æquales sed proportionales factam iuxta exigentiam & necessitatem cuiuscumque partis. Nam cum bona Ecclesiastica illa communia essent principaliter ad sustentationem Episcopi, & Clericorũ istis fuit omnino assignanda pars quæ eorum sustentationi sufficeret. Maximè quòd Episcopis erat impositum onus nedum alendi se & suam familiam, sed etiam hospitandi peregrinos, & captiuis succurrendi, vt patet ex decreto eiusdẽ Gelasij, cuius meminit idem *Baron.*& est sequens desumptum ex *Epis.*7. ad Episcopos Siciliæ: *Præsulum auctoritas nostrorum emanauit, vt facultates Ecclesiæ Episcopi ad regendum habeant potestatem; ita tamen, vt viduarum pupillorum, atque pauperum, nec non & Clericorum stipendia distribuere debeant. Hoc eis etiam statuimus dari, quod hactenus decretum est. Reliquum sibi Episcopi vendicent, vt (sicut ante diximus) peregrinorum, atque captiuorum largitores esse possint.* Est autem considerabile hoc decretum, ex quo colligitur, quòd pro Clericis, & pauperibus, seu fabrica, pars determinata erat in sui quantitate. Quam determinationem, vt puto, fecerant Episcopi ipsi, consulto etiam Clero, vt verisimile est. Vel forsan a Pontifice statutum aliquod proportionale emanauerat. Sed pars Episcopi non erat determinata, sed eius erat totum id, quod detractis alijs tribus portionibus residuum erat. Cum verò aliqui Episcopi hoc decretum de diuidendis redditibus interpretarentur de bonis antea acquisitis non verò de nouo. *S.Greg.l.*3.*Epis.*11. *ad Maximianum Epis. Syracusanum* vt habetur *cap. cognouimus* 29.*eadem* 12. *quæst.*2. declarauit, etiam de bonis de nouo acquisitis. Eandem quoque quatuor portionum diuisionem fieri debere scripsit *idem S.Greg.ad Aug. Epis. Anglorum in p.respons. & habetur ibid.cap.Mos est.*30.

20 Ante quidem hos Pontifices diuisæ erant Diœceses & Parochiæ, quia eas diuiserat Dionysius Papa, qui creatus fuit Pontifex anno 261. iuxta Ciacconium. Sed & Romæ tituli Cardinalium multò ante diuisi fuerant. Nam primò Euaristus Pontificum sextus, qui Pontificatum inijt ab anno 110. titulos in Vrbe Presbyteris diuisit, vt vnusquisque suæ Parochiæ terminis certisque limitibus distingueretur, deinde Hyginus Papa, qui pontificatum habuit anno 150. in vnoquoque titulo ordines Clericorum distinxit, *Ciacconus in Euaristo, & Hygino*. His verò titulis plura contulit fidelium pietas, etiam ante Syluestrum & Constantinum, vnde & denominationem sumpserunt ab ædificijs, & patrimonijs à pijs viris eisdem relictis, & hinc prouenerunt tituli Equitij, Vestinæ, Pamachij, Lucinæ, Iulij, Calisti, Damasi Papæ, Pastoris, Eudoxiæ, Equilianæ, Crescentianæ, Fasciolæ, Tigridæ, Hi enim tituli, *vt habet Ciacconus in Hygino* nihil aliud erant, quàm redditus vel prouentus ex villis, prædijs, fundis, aut agris à pijs siue viris siue fœminis ad alendos Ecclesiæ ministros relicti. Quàmuis, verò Parochiæ diuisæ essent, & Episcopatus, & tam Cathedralibus, quàm Parochialibus Ecclesijs relicta essẽt bona, redditus, & prouentus; nihilominùs bona illa non erant per Ecclesiam determinata in particulari vel pro persona Episcopi, aut Parochi, vel pro Clero, vel pro fabrica, vel pro pauperibus, sed pro omnibus indeterminatè, quàmuis cum ordine, scilicet principaliter pro Clericis ministris, & Dei cultu sustinendo, & minùs principaliter pro ædificijs & pro pauperibus, sed postea per Syluestrum & Simplicium & Gregorium statutum fuit, vt ex his prouentibus quatuor fierent partes.

21 Et nihilominùs etiam post Simplicium, & Gregorium fuerunt Episcopi, qui viuebant in communi cum Clericis, vt habetur de *S.Aug.* & refertur *cap. Certè.*12. *quæst.*1. & adnotarunt *Sotus l.*10. *de iust. quæst.*4. *a.*3. *& Raphael a Turre supra quæst.*86.*a.*2.*disp.*2. *num.*5. *& Valentia hic puncto* 7. *vbi ex cap. Requisiuisti de testamen. addunt Raphael, & Valentia* in aliquibus Ecclesijs consuetum fuisse, vt Episcopi tertiam partem oblationum haberent, & immò dimidiam, *cap.antiquos*, 10.*quæst.*1.*ex Concil. Aurelian.* Sed hæc pertinent ad quartum sequentem Ecclesiæ statum. In quo præfatus *Raphael fuit minùs attentus num.*7. habens pro eodem statum partitionis factæ tempore Simplicij, cum eo, qui nunc est, illumque etiam nunc durare; cum nunc bona sint applicata mensis Prælatorum, quod tunc non erat. Ideo hoc summè aduertendum, quòd in hoc tertio statu redditus Ecclesiastici adhuc erant communes; & prædia seu fundi Ecclesiæ vt res communitati fructificantes administrabantur, & ex eis vna resultabat communis massa, quæ postea diuisione fiebat particularium, sed antequam, hi redditus & fructus diuiderentur, bona communia

nia

nia erant, diuisione verò fiebat, vt vna pars esset Episcopi, alia Cleri, alia fabricæ, alia pauperum. Et sic fructus & redditus, vt communes maturescebant, & colligebantur, sed collecti diuidebantur.

22 Vltimus Ecclesiasticorum bonorum status est, quem modò habent. Nam Clericis, Canonicis, Parochis suæ præbendæ & reditus assignati sunt, sicut & Episcoporum mensæ sua bona determinata. Plura etiam sunt pro pauperibus hospitalia erecta, & piæ eleemosynæ institutæ, quamuis non vbique, sicut nec vbique, sed solùm alicubi sunt reditus speciales pro fabrica Ecclesiarum determinati. Vnde quid sit factum de portionibus duabus fabricæ, & pauperibus determinatis remanet satis dubium, & quæstioni huius articuli resoluendæ præbens non leue impedimentum. Originem istius applicationis, & determinationis reddituum, præbendarum, & fructuum colligit *Baron. ad annum 502. ex Epis. Symachi Papæ* ad Cæsarij consultationes, sic respondentis: *Possessiones igitur quas vnusquisque Ecclesiæ proprio dedit, aut reliquit arbitrio, alienare quibuslibet titulis atque distractionibus, sub quocumque argumento non patimur: nisi forsitan aut Clericis bonorum meritis, aut Monasterijs Religionis intuitu, aut certè peregrinis (si necessitas largiri suaserit) sic tamen, vt hæc ipsa non perpetuò, sed temporaliter perfruantur*. Cœperunt igitur Episcopi vel vt Ecclesiæ prædia diligentiùs colerentur, vel vt Clericorum desiderio satisfacerent, vel vt se liberarent ab onere distribuendi communes fructus (quod est opus plenum murmuribus, & inquietudinibus ex eo, quòd priuati difficillimè sua portione contenti sunt), vel etiam honoris causa assignare Clericis, & Monasterijs possessiones Ecclesiæ, & administrationem illarum. Quod fuit etiam in prædictis terminis approbatum à Sede Apostolica: Et sic verisimile est, quòd hic mos paulatim vires sumpserit. An verò de hoc emanauerit decretum à Sede Apostolica, ignoratur. Sed hoc esse præsumendum putat *Ledesma de statib c. 3. concl. 24. diff. 1. pag. 39. fin.* Sed & consuetudine hoc potuit introduci, quod potuit decreto legis positiuæ sanciri, & per tot, ac tot secula in Ecclesia est introductum, & toleratum. Sed certè consideratione dignum est, quòd Symachus concessit posse dari possessiones Ecclesiæ Clericis, vel peregrinis, non verò id concessit pro pauperibus; iustum enim erat vt hi de manibus Episcopi eleemosynas expectarent ex misericordia Ecclesiæ recipiendas, & ne paulatim prædia Ecclesiæ vsurparent.

23 Coniectatur etiam *Baronius vbi supra*, quòd inde ortum habuerit hoc nomen *beneficium Ecclesiasticum*. Etenim cum solerent Clerici ab Ecclesia per Episcopum mensib. singulis victus causa meritam stipem accipere, vt ex S. Cypriano ipse probauerat tomo secundo annalium postea verò factum est, vt aliquib..s ex hi Eccl..ia possessiones, quoad viuerent ab Episcopo concederentur, quæ *beneficia* dici cœperunt, eo quod (vt habet *Symmachus Epis. citata*) benemeritis tantummodo ea concedi liceret. Hoc verò satis d..plicet *Lotter. de re benef quæst. 1. a. num. 52.* Tum q..ia Symachus non loquitur de benemeritis, se.. de honorum meritis, Tum quia Symachus non dicit illas possessiones ex hoc dici cœpisse beneficia. Sed neque *Baronius* asserit Symachum dixisse possessiones illas vocatas fuisse beneficia, sed optima coniectura id deducit ex verbis Symachi supra relatis. Nam & honorum meriti, benemeriti sunt, & ex hoc quod possessiones non nisi honorum meritis, seu, benemeritis concedebantur ad vitam, bene potuit contingere vt possessiones illæ *beneficia* tamquam benemeritis data dicerentur. Nec obstat, quòd beneficium modò dicatur ius percipiendi redditus, quod non nisi per Canonicam institutionem, neque alteri, quàm Clerico attribuitur. Quia nominum significatio ab vno incipiens sæpe ad aliud transfertur, & bene contingere potuit, vt hoc nomen primò impositum fuerit possessionibus significandis, & postea à iuristis fuerit translatum ad significandum ius percipiendi redditus possessionum, & fructus.

SVMMARIVM.

1 *Diuiditur textus articuli. n. 24.*

24 His suppositis ad expositionẽ textus accedẽdo, cõsideratur, quòd huius articuli corpus in 6. partes diuiditur, In prima definitur, quid Episcopus possit circa bona propria seu patrimonialia; in secunda in generali statuitur, quòd Episcopi & alij beneficiarij sunt procuratores, & administratores bonorum Ecclesiæ; in tertia ostenditur, in quos vsus sint expendenda bona Ecclesiastica, in quarta agitur de bonis ad speciales vsus deputatis; in quinta de applicatis ad sustentamentum Episcoporum; in sexta verò de [illegible] bonis & communibus.

SVMMARIVM.

1 *Bonorum patrimonialium Episcopi sunt domini vt sine iniustitia in quoscumque vsus illis vtantur. num. 25.*
2 *Episcopus abutens patrimonialibus magis peccat quam laicus. n. 26.*

25 Quantùm autẽ ad primam partẽ, & loquendo de bonis patrimonialibus certa est prima Conclusio & cõmunis resolutio, quòd E[illegible]copi talium bonorum sunt domini, ideo[illegible] vt ea quomodocumque consumant sine iniu[illegible]. Quàmuis ex nimia affectione possit es[illegible] in eorum vsu peccent, vel ex prodigalitate, vel ex luxuria, vel ex crudelitate seu immisericordia [illegible] pauperes, vel ex quacumque alia mala affectio[illegible]. [illegible] circa hanc partem.

26 Hoc solum aduertendum occurrit, [illegible] cum Episcopi ex officio debeant esse subdit[illegible] ma viuendi, regula morum, & virtutum exemplar. Ideo etiam in abusu patrimonij magis peccant quàm laici, sed non peccato iniustitiæ, sed quia magis indecens est, & contra rectam rationem vt ille peccet, qui debet ex officio alijs esse virtuosè viuendi regula.

SVMMARIVM.

1 *Bonorum Ecclesiasticorum Episcopi non sunt domini, sed administrat[illegible] &c. num. [illegible]7.*

In

27 IN secunda parte ponitur hæc secunda Coelusio, quòd bonorum Ecclesiasticorum Episcopi & alij Clerici non sunt Domini, sed solùm sunt procuratores, & administratores. In intelligentia istius Conclusionis consistit principaliter tota difficultatis resolutio, sed pro huius intelligentia, videndum est.

SVMMARIVM.

1 *Bonorum Episcopi alia patrimonialia, alia Ecclesiastica, alia quasi patrimonialia. n. 28.*
2 *Hæc distinctio supponit opinionem particularem controuersam. n. 28.*
3 *Bonum Ecclesiasticum quid sit. n. 29.*
4 *Bonum Ecclesiasticum est res sacra. n. 30.*
5 *Res sacra multiplex. nu. 30.*
6 *Sub nomine bonorum Ecclesiasticorum quæ veniant. nu. 30.*
7 *Bonorum Ecclesiasticorum alia ad fundum Ecclesiæ pertinent, alia sunt redditus & prouentus ex fundo Ecclesiæ vel ex Ecclesiastico opere acquisiti. num. 31.*
8 *Redditum alia proueniant ex fundo Ecclesiæ, alia ex opere personali Episcopi. n. 31.*
9 *Bonorum personalium Ecclesiasticorum alia eis dantur vt absolute non impendenda nisi in Dei cultum, alia vero pro indiuiduali, & determinato sacro opere. n. 32.*

Quæ & quot sint bona Ecclesiastica?

28 NEque enim omne bonum ab Ecclesiasticis possessum est Ecclesiasticum. Datur ergo distinctio, quòd bonorum, quæ Ecclesiastici possident, alia sunt patrimonialia de quibus fuit sermo in priore parte articuli, alia sunt Ecclesiastica, alia quasi patrimonialia. Prima sunt, quæ conueniũt Ecclesiasticis ex titulo ciuili, & cõmuni etiam laicis, & nõ supponunt in Ecclesiastico aliquod spirituale ministerium, officium, vel titulum, sed ciuili titulo illis adueniunt vel ex parentum hæreditate, vel ex donatione, vel ex contractu, vel alio simili titulo ex quo ea bona haberent etiam si Ecclesiastici non essent. Bona verò Ecclesiastica sunt, quæ Ecclesiæ donata sunt in Dei cultum, & intuitu religionis, & per Ecclesiam ministris applicantur, vt sunt beneficia, & beneficiorum fructus. Quasi verò patrimonialia dicuntur, quæ immediatè dantur ministris ratione alicuius ministerij personalis tamquam laboris & vitæ sustentamentum. Sed hæc distinctio; quam dedit *Nauar. de redit. Ecclesi. quæst. 1. mon. 19.* eius sententiam præsupponit, nimirum; quòd Ecclesiastici redditus, qui supersunt eorum sustentationi ex iustitia debeantur pauperibus, & quia huic oneri censet non esse subdita ea bona, quæ pro ministerio personali dantur Clericis, ideo vocat ea quasi patrimonialia. Alijs igitur distinctionibus in omni opinione subsistentibus, quæstio posita est resoluenda.

29 Nam bonum Ecclesiasticum in communi est omne illud, quòd Ecclesiæ aut Ecclesiastico datur ratione & intuitu alicuius Religiosi & Ecclesiastici cultus, vnde est, quòd bonum Ecclesiasticum essentialiter est religiosum, tamquam datum ad finem cultus Christianæ religionis, vel in sustentamentum ministrorum, vel tamquam materia divini cultus, vel tamquam instrumentum aliquod ad Dei cultum necessarium, vel ob aliam similem rationem spectantem ad Dei cultum.

30 Inde est, quòd bonum Ecclesiasticum est res sacra. Vt enim ex *D. Th. habemus sup. quæst. 99. a. 3.* Tres sunt species sacrorum, personæ scilicet sacræ, loca sacra, & res sacræ, & quatuor species rerum sacrarum, nimirum, Sacramenta, vasa sacra, ornamenta sacra, & bona ad prædicta sustentanda deputata. Hæc verò omnia venire possunt sub nomine bonorum Ecclesiasticorum, nam & personæ bona sunt ad Ecclesiam spectantia; Nihilominùs ex communi vsu sub nomine bonorum Ecclesiasticorum non veniunt personæ, sed illa quibus personæ Ecclesiasticæ vtuntur. Vnde nec Sacramenta quæ formaliter & simpliciter sunt spiritualia veniunt sub nomine bonorum Ecclesiasticorum in communi vsu, licet sacramenta sint rès sacræ, & sint in potestate Ecclesiæ tamquam bona, quæ Ecclesia in fideliũ salutem dispensat, & pretiosissima hæreditas, & sacratissima, qua Ecclesia genitos in Christo spiritualiter nutrit, sanat, sustentat, & auget; quia licet sint materiales res quantum ad materiam, & formam, tamen Christi instrumenta sunt, & ratione virtutis spiritualis instrumentalis, quam habent vt causent gratiam, spiritualia sunt, tamen communiter non dicuntur bona Ecclesiastica, quia sub nomine bonorum veniunt corporalia quibus Ecclesia vtitur ad cultum Dei, nimirum Ecclesiæ in Dei & Sanctorum cultum dicatæ, vasa sacra, supellectilia sacra, & sacra ornamenta, Domus, prædia, census, & alia ad personarum, & ministrorum sustentamentum ordinata, vel ad ædificia Ecclesiarum, vel ad pauperum fidelium alimoniam deputata, vel ad quemcumque Dei cultum destinata.

31 Hæc igitur bona distinguuntur, quia alia sunt immobilia, vel etiam mobilia Ecclesijs applicata, licet earum vsus concedatur ministris, ex quibus scilicet fundus Ecclesiæ constat, vnde & sunt bona, quæ Beneficiati inueniunt, dum illis conferuntur beneficia, vel etiam si de nouo acquiruntur, non ipsis beneficiatis, sed Ecclesiæ acquiruntur & in thesauris Ecclesiæ reconduntur, aut inter Ecclesiæ diuitias & possessiones numerantur, vnde & ad successorem, vel successores in beneficio transeunt, ab eo, vel eis tamquam Ecclesiæ bona seruanda, & custodienda. Et huiusmodi sunt prædia, domus, census, & etiam domorum vtensilia, & supellectilia, armenta, greges, & similia, quæ etiam beneficiati inueniunt dum illis conferuntur beneficia. Alia verò bona sunt fructus, prouentus, & reditus, qui ex bonis præfatis, vel ex opere ministrorum habentur. Et hæc distinguuntur, quia scilicet redituum Ecclesiasticorum alij habentur ex rebus Ecclesiæ applicatis, & quæ secundùm originem suam ad Ecclesiam pertinent, vt sunt fructus, qui habentur ex prædijs, vineis, armentis, domibus, censibus, & fundis beneficij. Sed alia sunt bona, quæ proueniunt ratione alicuius operis, & dantur ministro in laboris stipendium & vitæ sustentamentum. Hæc vero sunt Ecclesiastica bona, quia dantur intuitu rei sacræ pro celebratione missarum, aut administratione Sacramentorum,

ſeu pro opere Eccleſiaſtico, & in aliquem Dei cultum ordinato, & n h ion.inùs dicuntur quaſi patrimonialia, quia ad ſim litudinem patrimonialium aduenıunt pro opere, & labore, & quia videtur, quòd beneficiatus ſit eorum Dominus ad inſtar patrimonialium.

32 Sed alia diſtinctio conſideranda eſt, quia bonorũ quæ dantur perſonis Eccleſiaſticis, tanquã fructus, & prouentus quibus ipſi frui poſſint, quædam dantur vt expendenda abſolutè in Dei cultum aliquem, & licet principaliter dentur verbi gratia in ſuſtentationem miniſtrorum, tamen ſecundariò & conſequenter dantur in alium ſacrum vſum, vt in reſtaurationem Eccleſiæ, vel alimentum pauperum. Sed alia ſunt, quæ adæquatè dantur pro aliquo determinato, & indiniduali vſu ſacro habendo, & ad nullum alium vſum ſacrum ſiue primariò ſiue ſecundariò ex intentione dantium, & recipientium dantur. Sicut, quod datur Sacerdoti pro celebranda miſſa, datur pro miſſæ celebratione determinatè tamquam ſuſtentamentum Sacerdotis, & adequatè pro hoc datur, nec dantis intentio eſt, vt Sacerdos vtatur eo non ad alium vſum ſacrum, ſed abſolutè & adæquatè pro ſola miſſæ celebratione datur. Vnde eſt diſcrimen, quòd bona prioris generis ſemper manent cum onere aliquo, vt non niſi in vſum ſacrum impendantur, quia ad eum finem dantur, vt ad aliquem pium vſum deſeruiant, ſed bona ſecundi generis perfecto illo opere pro quo datur, manent libera, & indifferẽtia, quod magis etiam explicabitur infra. Multiplicis igitur generis ſunt bona Eccleſiaſtica, & horum diſcrimen attendi debet, vt videri poſſit qualiter Epiſcopi eorum ſint, vel adminiſtratores, vel Domini.

SVMMARIVM.

1 *Bonorum Eccleſiaſticorum dominium eſſe apud beneficiatos, aliqui dixerunt. n. 33.*
2 *Hoc reprobatur. n. 33.*
3 *Alij dixerunt bona Eccleſiæ nullius eſſe, ſed illa eſſe Dei, & Chriſti. n. 34.*
4 *Non admittitur. nu. 35.*
5 *Deo altiſſimum dominium rerum conuenit. n. 35.*
6 *Res Eccleſiaſticæ ſpeciali titulo ſunt Dei, ſed non niſi per dominium altiſſimum. n. 35.*
7 *Deo nil datur, niſi quod ipſe donat. n. 35.*
8 *Qui non dat quod debet in Dei cultum non eſt in Deum iniuſtus, ſed ſacrilegus. nu. 35.*
9 *Chriſtus etiam vt homo eſt dominus bonorum Eccleſiaſticorum, ſed dominio altiſſimo, ſcilicet dominio Capitis Eccleſiæ. n. 36.*
10 *Nec Chriſto aliquid damus, niſi quod ab eo recipimus, & numquam damus aliquid, quod alias eidem maius non debeamus. nu. 36.*
11 *Res Eccleſiæ debent habere dominum ciuilem, & humanum. n. 37.*
12 *Bona Eccleſiaſtica ſunt Eccleſiæ vniuerſalis, & particulariam. n. 37.*
13 *Eccleſia contra Eccleſiam præſcribit. nu. 37.*
14 *Prælati ex multiplici capite dicti adminiſtratores rerum Eccleſiæ. n. 38.*
15 *Argumenta contrariæ ſententiæ ſoluuntur. n. 39.*

Apud quem ſpectet dominium bonorum Eccleſiaſticorum?

33 RElictis autem plurium antiquorum opinionibus quas refert *Turrecr. in cap. videntes. a. 2. 12. quæſt. 1.* Tres ſunt apud modernos, quæ conſiderandæ ſunt. Prima eſt, quòd bonorum Eccleſiaſticorum etiam immobilium dominium ſit apud beneficiatos. Et hanc tenuiſſe *Sarmientum refert Nauar. de reddit. Eccleſ. quæſt. 1. monito 40. nu. 1.* Sed merito ab eo reijcitur tamquam contraria Sacris Canonibus, apud quos beneficiati non Domini, ſed adminiſtratores, & procuratores dicuntur. Quod ſaltem verificari debet reſpectu bonorum immobilium. *cap. quod autem 23. quæſt. 7. ex S. Aug. Epiſ. 50. ad Bonif. cap. conuenior. 23. quæſt. 8. ex S. Ambroſ. ad Marcellinam Epiſ. 33. cap. videntes, ex Vrbano primo Papa, cap. Epiſcopi, ex Concil. Agathen. cap. Epiſcopi, ex Concil. Antioch. cap. res Eccleſiæ. ex eodem Vrbano Papa 12. quæſt. 1.* Vnde beneficiati huiuſmodi bona alienare non poſſunt, vt patet *12. quæſt. 5. ferè per totam, & ex toto titulo de rebus Eccleſiæ non alienandis.* Et propterea, quòd nec Papa ſit dominus bonorum Eccleſiæ licet ſit eorum ſupremus adminiſtrator, docuerunt *Caiet. ſup. quæſt. 43. a. 8. Turrecr. ad cap. videntes 12. quæſt. 1. Nauar. d. monito 40. Panorm. in cap. cum eſſes de teſtam. nu. 29. & 30, Bonac. de alien. rerum Eccl. diſp. 2 §. 2. num. 2.* Quamuis non ſit adminiſtrator per modum Procuratoris, ſed tanquam Chriſti Vicarius.

34 Hac ergo ſententia reiectã, ſecunda affirmat Dominium rerum Eccleſiaſticarum eſſe apud Chriſtum, ex eo, quia harum rerum nedum ſit dominus ex eo titulo, quo Dei ſunt omnia, ſed ſpeciali dominio, quia hæc Deo conſecrantur, donantur, & traduntur in Dei cultum, & honorem. Et ita hanc ſententiã tenet *Nauar. vbi ſupra & mon. 16.* Et fuit priùs opinio *Innoc. in cap. cum ſuper, de cauſa poſſeſſ. & Panorm. in cap. cum eſſet de teſtam. num. 29.* & pro eadem refertur *Dec. in cap. conſtitutus de reſcript.* quos poſtea ſequuti ſunt *Azor. p. 2. l. 6. cap. 1. quæſt. 4.* & apud eum *Maior 4. d. 24. quæſt. 18. concl. 1. & 2. Barboſa in c. cum ſecundum de præbend.* & apud eum *Valor. & Guiſler. Sebeutch.* Et probatur tum primo, quia huiuſmodi bona dicuntur patrimonium Chriſti. *cap. cum ſecundum de præbend. & cap. cum ex eo, de elect. in 6.* & pecuniæ Chriſti *cap. qui Chriſti, & cap. qui abſtulerit 12. quæſt. 2.* Tum ſecundò, quia ſacra ſunt ſolius Dei, omnia verò bona Eccleſiaſtica ſunt ſacra quartæ ſpeciei. *D. Th. ſupra quæſt. 99. a. 3.* vnde qui illa furatur eſt ſacrilegus. *cap. prædia, & cap. qui abſtulerit, & cap. nulli. 12. quæſt. 2.* Et hæc eſt ratio, quòd huiuſmodi bona dicuntur eſſe nullius, quia ſolius Dei ſunt. *§. nullius Inſtit. de rer. diuiſ.* Tum tertiò, quia Eccleſia habet ſolam adminiſtrationem horum bonorũ, vnde Eccleſiæ Prælati dicuntur eorum procuratores, & adminiſtrarores.

35 Sed hæc opinio non propriè loquitur, & non eſt amplectenda, quia derogat diuinæ dignitati, & rem non explicat. Eſt enim duplex dominium, altiſſimum ſcilicet, quod eſt ius habendi, poſſidendi, vtendi, conſeruandi, & deſtruendi rem pro libito voluntaris conueniens Deo, ex eo, quod rerum ſit principium, & finis. Et hoc eſt domi-

minium Dei? Quamuis verò quis per actus religionis se vel sua Deo consecret, donet, & tradat, non resultat ex hoc in Deo alia species dominij, sed eiusdem dominij altissimi nouus titulus. Huic que dominio, seu iuri habendi non respondet in creatura iustum propriè dictum, quod est iustum iustitia commutatiua, quia vt docet *D. Th. p. p. quæst. 21. a. 1.* hæc locum in Deo non habet. Et cum hæc iustitia requirat aliquam talem qualem æqualitatem inter personas in dando, & recipiendo, importat essentialiter imperfectionem. Homines verò Deo sua offerunt, & quod debent reddunt, & ei cui nunquam tantum dare possunt, quantum deberent, dant quantum ipso inspirante, adiuuante, & donante illis dare conceditur, ita vt, & quando sua tradunt in Dei obsequium, Dei in illos est donum illis misericorditer concessum. Et sic per huiusmodi oblationes, quæ dona Dei sunt, Deum vt principium, & finem recognoscentes speciali modo Dei sunt, & Deus illorum Dominus est, sed non dominio priuato, & tali, quale est dominium creaturarum, sed dominio altissimo, & Dei proprio, cui ex parte nostri non respondet iustitia, sed religio; Vnde, qui Deo aufert, quod Deo in sui cultum dedit, non est in Deum iniustus, sed est in Deum sacrilegus.

36 Idem dicitur de Christo nedum, quia est Deus, sed etiam, quia in quantum est homo sic est Dominus totius Ecclesiæ, seu Caput Angelorum, & hominum, & Dominus omnium rerum, quod hoc dominium est altius, quàm humanum. Nam nec Christo nos possumus reddere æquale, & quantum ad ea, quæ pietatis, religionis, & gratiæ sunt nihil damus, quod ab eo non recipiamus, quia & ipsum nostrum dare est gratia, quæ in membra redundat ex Capite Christo, de cuius plenitudine nos omnes accipimus, vt ampliùs explicatur *3. p. quæst. 8.* & sic verissimum est, quòd Ecclesiastica bona sunt Christi, ipseque est eorum Dominus speciali iure, & titulo, sed dominio altissimo, & alterius rationis à dominio, quo res creatæ ab homine possidentur. Et propterea huiusmodi res meritò dicuntur patrimonium Christi *cap. cum ex eo § 4. de elect. in 6.* Et pecuniæ Ecclesiæ dicuntur pecuniæ Christi. *cap. qui Christi 1. & cap. qui abstulerit 6. 12. quæst. 1.* Et res huiusmodi sunt Deo oblatæ, *cap. nulli liceat, cap. res, cap. videntes 12. quæst. 1.* Quoniam huiusmodi res speciali titulo sunt sub dominio Dei, & Dei sunt & Christi per dominium tamen altissimum Deo, & Christo dignum.

37 Sed præterea sicut aliæ res, ita sunt Dei, & Christi, quòd tamen dominio inferiori, & humano, quod est ius habendi, & possidendi, & disponendi nomine proprio in suam vtilitatem lege non prohibente, & est ius cui correspondet iustum propriè, contra quod, qui agit non est ex hoc sacrilegus, sed iniustus, & ad restituendum obligatus. Ita rerum Ecclesiasticarum debet dari dominus propriè, & priuatè dictus, qui habeat ius habendi, & possidendi res istas nomine proprio & priuato lege non prohibente, cui correspódeat iustum propriè, & cui qui contrafacit sit propriè iniustus. Et in quem donantes transferant ius suum proprium, quod habent; Hoc ergo dominium rerum temporalium, quæ à fidelibus ad Dei cultum offeruntur dicimus esse non apud Prælatos, aut alios Clericos, sed apud Ecclesiam, ità quòd supremus Dominus sit Ecclesia vniuersalis, quæ est congregatio fidelium credentium in Christum, singulæ verò Ecclesiæ particulares sint veræ Dominæ bonorum, quæ illis donata sunt, Prælati verò sint horum bonorum Procuratores & dispensatores; iuxtà illud *1. ad Cor. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Et propterea huiusmodi bona dicuntur res Ecclesiæ, *cap. Saluator ex Vrb. II. 1. quæst. 3. & ex Vrb. I. cap. res Ecclesiæ 12. quæst. 1. & in Concil. Agathen. cap. 6.* hoc satis expressè decernitur, & habetur *12. quæst. 3. cap. Pontifices quibus in summo Sacerdotio constitutis ab extraneis aliquid, aut cum Ecclesia aut sequestratim aut dimittitur, aut donatur, quia hoc ille, qui donat pro redemptione animæ suæ, non pro commodo Sacerdotis offerre probatur, non quasi suum proprium, sed quasi dimissum Ecclesiæ inter facultates Ecclesiæ computandum.* Et idem satis colligitur ex *cap. 1. 23. quæst. 7.* Hoc verò cum hac distinctione intelligitur, quòd bona vniuersalia sint Ecclesiæ vniuersalis, & bona particularia sint particularium Ecclesiarum, vt habetur *ex cap. 1. & 2. de reb. Eccl. non alienan. in 6. & c. 1. & cap. cum ad sedem de restit. spol.* vnde vna Ecclesia præscribit contra aliam *cap. illud de præscript.* & sic quælibet Ecclesia habet bona propria, & quilibet Episcopus est dispensator bonorum suæ Ecclesiæ. *cap. videntes 12. quæst. 1.* Quod tamen ità est intelligendum, quòd sicut omnes partes sunt totius; & totius bonum diuinius est, ita particularium Ecclesiastica bona sunt Ecclesiæ vniuersalis, quæ omnium Domina est. Et bene stat, quòd diuersæ personæ cum subordinatione sint eiusdem rei Dominæ vna scilicet dominio vniuersali, & totius, & alia dominio particulari. Et sic cum Papa sit Ecclesiæ vniuersalis administrator, est etiam supremus administrator particularium Ecclesiarum, Dominium igitur bonorum Ecclesiasticorum est apud Ecclesiam, prout tradiderunt *Turrecremata ad cap. videntes a. 2. 12. quæst 1. Caiet. supra quæst. 43. a. 8. Adrian. in 4. de restit.* quem refert. *Azor. vbi sup. Innoc. etiam in d. cap. cum super de caus. possess.* eandem approbat.

38 Optima verò ratione Prælati dicuntur procuratores dispensatores, & administratores rerum Ecclesiæ. Tum primo, quia fundi Ecclesiæ non sunt Domini, vnde eius bona immobilia, & mobilia Ecclesijs incorporata alienare non possunt, nisi sub certis solemnitatibus per Ecclesiam statutis. Tum quia nec fructibus frui possunt nisi ad eiusdem Ecclesiæ præscriptum. Tum quia non nomine proprio, sed nomine Ecclesiæ res Ecclesiasticas administrant. Verum cum procurator & administrator possit esse sui salarij Dominus, & præterea etiam dominus omnium illorum, quæ sibi à mandante Domino conceduntur, ideò stare potest, quòd beneficiati sic sint administratores, quod tamen multarum rerum Ecclesiasticarum efficiantur Domini. Præterquamquod Episcopi iuxta leges secundi status Ecclesiæ etiam reddituum administratores erant. Sed & in tertio statu post factam reddituum diuisionem Domini erant suæ portionis. Cum tamen bona administrarent nomine communi, & fructus eis procurantibus & dirigentibus collectos postea iuxta leges in quatuor partes diuidentes, suam sibi retinebant, & alias

Clero, Fabricæ, & pauperibus distribuebant. Quomodo verò hodie res se habeat, dicendum est infra.

39 Ad argumenta igitur in oppositum respõdendo, dicitur ad primum, quòd bona Ecclesiastica dicuntur patrimonium Christi, quia ipse est finis propter quem à fidelibus hæc bona Ecclesiæ donata sunt, & quia verè sunt illius, sed dominio altissimo, & præexcellenti, scilicet diuino dominio & capitis, & superioris: cum quo stat, quòd dominio ciuili, quod est dominium priuatum, & humanum, eadem bona sint Ecclesiæ vt Dominæ, Prælatorum vt administratorum, pauperum vt eorum qui ex eis sustentantur. Ad secundũ dicitur quod sacra sunt & Dei & Ecclesiæ, vt est explicatum. Ad tertium dicitur, quòd assumit probandum.

SVMMARIVM.

1 *Aliud quærere an Episcopi sint domini redditnum suarum præbendarum, & aliud an ex iustitia teneantur de superfluo alere pauperes. n.40.*

2 *Dominus sub pacto tenetur ex iustitia. n.40.*

3 *Diuisionem præbendarum non mutasse bonorum Ecclesiasticorum conditionem, aliqui sentiunt, num.41.*

4 *Hoc verum de conditione quæ illis conuenit ex iure naturali, vel diuino. n.42.*

5 *Conditio quæ illis conuenit ex contractu potuit præscriptione mutari. nu.42.*

6 *Modo Beneficiati sunt Domini fructuum beneficij. num.43.*

7 *Conclusio secunda D. Thom. explicata. n.44.*

An Episcopi ita sint administratores, quòd tamen sint Domini fructuum & redditũum Ecclesiasticorum suarum præbendarum?

40 ADuertendum *ex Palud. in 4. d.24. q.3. in fine & Nauar. de redditibus Eccles. quæst.1. mon.51. num.2. & Laym. lib.4. tract.2. cap.3. numer.3.* quòd hæc quæstio longè est diuersa ab illa, in qua quæritur, an Episcopus quod superest ad sui sustẽtationem teneatur ex iustitia impendere in pias causas, & teneatur ad restitutionem, si id non faciat. Nam stat aliquem esse dominum non absolutè, sed sub conditione, & pacto, & ideò si non stet pactis teneatur ad restitutionem. Sic enim cum aliquid donatur ob certam causam, seu aliquid alicui legatur sub certa cõditione, donatarius efficitur Dominus, & tamen tenetur ex iustitia seruare conditionem sub qua illud fuit donatum. Ideò relinquendo nunc quæstionem illam de obligatione iustitiæ ad alendos pauperes ex redditibus superfluis, quæritur, an Episcopi sint verè Domini redituum sui Episcopatus.

41 Sed superiori aduertentia supposita non multam habet vel difficultatem, vel controuersiam hæc quæstio. Immiscetur tamen illi hæc altera: an scilicet ex diuisione bonorum Ecclesiasticorum facta, mutata sit illorum conditio, & natura. Eam enim non fuisse mutatam probat *Nauar. de reditub. Ecclesiast. q.1. mon.50. pluribus argumentis*, Sed econtra quòd diuisio bonorum Ecclesiasticorum in præbendas mutauerit eorũ naturam post *Sarmien.* docent *Barbosa ad cap. quia tua 12. q.1.*

42 Sed dicendum est, quòd quantùm ad ea, quæ bonis Ecclesiasticis conueniunt de iure naturali, & diuino, immutata remanent *Caietan. hic ad primum dub. in fine.* Etiam nunc enim sunt res Deo consecratæ, patrimonium Christi, & bona tam ex parte dantium, quàm recipientium sanctificata & deputata in Dei cultum; vnde & nunc conuenit illis quidquid ex ratione huius consecrationis cõsequitur, si aliqua etiam fuerunt data Ecclesiæ sub onere & pacto, adhuc sub eo onere manent, nisi quatenus cõtra talem obligationem ortam ex contractu valere potuerit præscriptio, & consuetudo. Sed quantùm ad ea, quæ sunt iuris positiui, facta est mutatio illa quæ consequitur diuisionem hanc, & præbendarum institutionem, *Caiet. vbi sup.*

43 Et præcipuè hoc sequutum est, quòd modò beneficiati sunt verè Domini suorum beneficiorum, seu redituum illorum. Ita *D. Thom. hic & quod.6. a.12. ad tertium, Turrecrem. in cap. Videntes 12. q.1. Palud. in 4 d.3. in fine Caiet. supra q 62. a.5. in fine, Sotus l.10. de iust. p.4. a.3. Ledesm. de statibus c.3. conclus. Bannes 22. q 32. a.6. dub. vlt. concl.4. Garz. de benef. p.2. cap.1. num.5. Mortinus de Ledesm. 2.4. q.18. ar. penul. Conar Sarmient. Molin. Marsil. de Columna, Gutier.* quos sequitur *Barbos. ad d. c. quia tua Layman. l.4. tract.2. cap.3. num.3. Bonac. de obligat. benefic. par.2.3. & 4. Pax Iordan. lib.2. titul.1. num.78.* Et hoc habetur clarè ex *cap. vnic. de cler. non resid. & ex Conc. Trident. sess.23. cap.1. de reform.* ibi *eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, & sess.24. c.12.* ibi *quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ fecit suos,* & rursum ibi, *fructus non faciunt suos, & ex decr. Concil. Later. vltimi sess.9. c.9.* quod habetur *in Const.138. Pij Quinti*, ibi, *beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officij, & temporis suos non faciant.* Dum igitur vel non residentes, vel non interessentes choro, vel non recitantes officium puniuntur, vt fructus non faciant suos, immò respectiuè, vt quos fecerunt suos perdant, igitur qui suo funguntur officio, & pœnæ non subduntur, fructus suos faciunt. Et in hac parte neque *Nauar.* & qui illum sequuntur contradicent. Quia vsque modò non asseritur, quod beneficiati sint Domini absolutè suorum beneficiorum, sed solùm quòd illorum Domini sunt. An verò sint Domini sub onere aliquo iustitiæ infra est examinandum.

44 Manet ergo explicata conclusio secunda articuli, quia scilicet Episcopi non sunt Domini bonorum Ecclesiasticorum, quia fundi Domini nõ suoi, sed procuratores, redituum etiam in vniuersum administratores, seu procuratores, seu defensores sunt, præbendarum verò suarum sunt Domini; quòd non repugnat administratori, quia immò benè conuenit vt sui salarij sit Dominus, & eorum quæ sibi pro sui sustentatione conceduntur.

SVMMARIVM.

1 *Tertia conclusio D. Thom. quod redditus Ecclesiastici non in solos pauperes sunt impendendi. num.45.*

45 Ter-

45 TErtia conclusio *D.Th.* est, quòd redditus Ecclesiastici nō sunt impendendi solùm in vsus pauperū, sed & in Dei cultum, & in necessitates ministrorum. Quod probat ex *c. De redditibus 12.q.2.* & patet ex alijs decretis, quæ relata sunt supra in *prima quæst.* Cum verò ex sacris antiquis Canonibus hæc conclusio sit certa quantùm ad *quia est*, incerta valde est quantum ad *propter quid* est, vnde scilicet oriatur necessitas impendendi huiusmodi bona in pauperes. Nam quòd impendi debeant in vsus ministrorum certum est hoc esse de iure diuino, nam dignus est operarius mercede sua *Luc. 10.* Et qui altari seruit, de altari viuere debet *1. ad Corinth. 9.* Pariter de iure diuino est, quod bona Ecclesiastica impendantur in Dei cultum, quoniam Dei cultus est Ecclesiæ finis in quem populus etiam ex debito tenetur dare, & dedit, & dat suas opes.

SVMMARIVM.

1 *Prima opinio refertur, num.46.*
2 *Eius motiua soluuntur. n.47.*
3 *Altera opinio. n.48.*
4 *Eius motiua speci alia.n.49.*
5 *Ea soluuntur. n.50.*
6 *Quæ sit causa vnde Episcopi strictius teneantur ad opera misericordiæ secundum multos. n.51.*
7 *Episcopi strictius tenentur ad opera misericordiæ. num.52.*
8 *Hoc est verum quia speciali titulo ad id tenentur. num.53.*
9 *Et quia in eis præceptum misericordiæ est extensius, num.54.*
10 *Ex officio sunt patres pauperum. n.54.*
11 *Ex iustitia Religiosi officij tenentur Episcopi ad opera misericordiæ. n.54.*
12 *Ex hac iustitia tenentur ad opera misericordiæ nedum ex bonis Ecclesiasticis & ex superfluo, sed etiam ex proprijs, & necessarijs. n.55.*
13 *Hoc est commune omnibus animarum pastoribus. num.56.*
14 *Alij beneficiati ad eleemosynas tenentur quia bona Ecclesiastica sunt patrimonium Christi. n.56.*
15 *Necessitas alendi pauperes ex bonis Ecclesiasticis non est ex iustitia. n.57.*
16 *Bona data in sustentationem ministrorum non sunt data sub onere alendi pauperes de superfluo. numer.57.58.*
17 *Christus Ecclesiæ Prælatis non dedit administrationem bonorum temporalium Ecclesiæ ex contractu & pacto iustitiæ. n.59.*
18 *Ecclesia non dedit administrationem bonorum Prælatis obligando eos ad erogandum superfluum ex iustitia in pauperes. n.60.61.62.*
19 *Episcopi tenentur ad impendendū redditus in vsus pios ex fidelitate religiosi officij. n.63. 64.*
20 *Contra virtutem religionis est abuti redditibus Ecclesiasticis ad profana. n.65.*
21 *Et contra iustitiam habentem quendam modum commutatiuæ. n.66.*
22 *Religio deficit à ratione iustitiæ, quia non potest reddere æquale. n.66.*
23 *Episcop ex iure diuino non tenentur aliquid erogare determinatè in pauperes, sed sufficit, quod redditibus vtantur ad vsus pios. num.67.*
24 *Tunc tenentur ad eleemosynam cum id necessitas petit. n.67.*
25 *Determinatio per quam statuitur, quod Episcopi vtantur redditibus ad hunc vel illum vsum pium determinatè est ex lege positiua. n.68.*
26 *Non est verum quod Episcopi teneantur omne superfluum erogare in pauperes. n.68.*

Ex qua causa oriatur obligatio alendi pauperes ex bonis Ecclesiastici?

46 VBi Episcoporum redditus superabundant teneri Episcopos de superfluo ex iustitia diuidere illos, & vnam partem assignare fabricæ, aliam verò pauperibus, vel in magna pauperum necessitate etiam portionem fabricæ pauperibus posse distribui, si fabrica non multum indigeat docuit hic *Caiet. ad primum dubium, & secundum*, & ratio est, quia redditus superabundantes censendi sunt, vt bona communia, & tamquam commissa Episcopo, vt Patri pauperum, & Ecclesiæ reparatori, vnde redditus illi censendi sunt subiecti antiquis legibus volentibus ex bonis Ecclesiæ vltra Episcoporum sustentationem; vnam portionem deberi fabricæ, & aliam pauperibus. Nec obstat si dicatur, leges illas consuetudine abrogatas, quia ad minùs sequitur, quod maneant, vt sunt iuris diuini, nimirum inquantum Episcopi vt Patres pauperum & Ecclesiarum reparatores tenentur curam pauperum habere, & Ecclesias reparare, & sustentare. Excipit tamen *Caiet.* bona temporalia, quæ Episcopis vt Dominis temporalibus conueniunt, quia de istis putat Episcopos non teneri ad dandam eleemosynam nisi sicut tenerentur Domini laici. Huic etiam obligationi *Caiet.* solos Episcopos subdit, & ex hoc videtur admittere alios beneficiatos etiam ex superfluo non teneri ex iustitia ad eleemosynas faciendas.

47 Sed huius sententiæ ratio firma non est. Quia admisso quòd Episcopi sint Patres pauperū, & quod vt sic teneantur ad curam pauperum, quod verum est, & asserit *Conc. Trid. sess.23. cap.1. de reform.* probandum erat, quod hæc sit obligatio iustitiæ, cum possit esse obligatio fidelitatis Religiosi officij, qua Episcopus etiam vitam pro ouibus suis dare tenetur. Tum secundò quia hæc obligatio non respicit solùm bona superflua, sed bona etiam Episcopis propria, cum & ad vitam donandam pertingat. Tum Tertiò, quia ad hoc nedum Episcopi, sed omnes curam animarū habentes sunt obligati. Tum quartò, quia determinatio portionis quartæ assignatæ pauperibus cum fuerit iuris positiui, potuit lege, vel etiam consuetudine abrogari, vt ipsemet *Caiet.* fatetur.

48 Hanc tamen obligationem oriri ex virtute iustitiæ commutatiuæ sensit *Nauar. in tractatibus*, quos scripsit de redditibus Ecclesiasticis, hanc sententiam mordicus defendens, & cum *Franciscus Sarmiento Episc. Gienen. in suo tractatu* oppositū docuisset, *Nauar.* vt aduertit Garz. *p.2. de benef. c.1. n.3.* edidit Apologiam, & in ea inseruit librum de redditibus contra quem Sarmiento protulit defensiones sui libri, & *Nauar.* addidit propugnaculum suæ Apologiæ, ex quo & Apologia demum edidit

alium

alium tractatum cum esset ætatis annorum 91. vt ipse fatet in *quæst. prima*, & tandem *Sarmiento lib.6. Selectar. im capit.* 1. fecit vnum capitulum de his quæ in defensionibus suis dixit. Itaque *Nauar.* putat Episcopos, & reliquos beneficiatos ex iustitia teneri ad alendum pauperes ex eo, quod superest eorũ honestę sustentationi, seu quod aliqua pars prouentuũ Ecclesiæ cedere debeat in vsum pauperum, si supersit sustentationi ipsorum Episcoporum, & aliorum ministrorum respectiuè. Probatur autem primò à *Nauar.* ex multis, vt quia Episcopi non sunt Domini horum redditŭum, sed hæc sunt patrimoniũ Christi, quia sunt eorumdem procuratores, & administratores, quod iura omnia clament redditus Ecclesiasticos diuidendos esse in quatuor partes, quarum vna cedat in vsus pauperum, quòd Episcopi de his bonis non possunt nec ditare parentes nec testari, sed debent habere pauperem supellectilem, & alia multa cõgerit, quæ rem non probant; quia illis omnibus datis, & admisso, quòd sit obligatio impendendi in pauperes, quod superest, non est probatum intentum, scilicet quòd hæc obligatio sit ex iustitia, quia potest esse de iure positiuo, vt alij dicunt, vel vt alij volunt ex præcepto misericordiæ, vel (quod verum est, vt probabitur) ex virtute Religionis & ex officio Episcoporum, & natura redditus sacri, adiuncta legis positiuæ determinatione.

49 Quæ verò directè probare videntur, quod hæc obligatio sit ex iustitia commutatiua, sunt primò, quoniam redditus Ecclesiastici sunt tributa pauperum, *cap. decima* 36. *q.* 1. Quidquid habent clerici est pauperum, *cap. quoniam quidquid* 16. *q.*1. Et ita quòd, quidquid præter necessarium victum, & simplicem vestitum de altari retinetur rapina pauperum est, & sacrilegium, & in hunc sensum etiam loquuntur alij canones, *capit. Quod sicut* 23. *quæst.* 7. *& cap. conuenior.* 23. *quæst.* 8. Secundò quia redditus Ecclesiastici dati sunt Ecclesiæ sub hoc onere, & pacto, vt quod ex eis superest detur pauperibus. Quod probatur, quia sub hoc onere in primitiua Ecclesia data sunt bona à fidelibus ipsi Ecclesiæ, vt patet ex *Act. Apost. cap.*4. *&* 5. At verò sub eodem onere Ecclesia in subsequentibus temporibus retinuit prædia, vt patet ex Melchiade Papa, vt habetur *cap. futurum* 12. *q.*1. *& ex Vrbano Primo ibid. cap. videntes*. Tertiò, quia redditus Ecclesiastici habiti fuerunt, vt bona communia non in alios, quàm in præfatos vsus religiosos, & pios expendenda, vt habetur *cap. res Ecclesiæ, & cap. Episcopus, & cap. præcipimus*, bona verò communia ex iustitia distribui debent, vt in specie de bonis Ecclesiæ dicitur *l.*2. *Const. Clem. cap.*28. Quartò quia dictio ista *vt*, dicit cõditionem & modum, iuxta *l.*2. *C. de his, sub cond. & l.*2. *&* 3. *de donat. quæ sub modo Gl. in c. verum, de condit. appos. & Bar. receptus in l. quibus diebus §. Terminus, ff. de condit. & demonst.* Et idem iuxta has leges, & DD. dicendum est de hac dictione *ad*, & de his *ne pro, vt non*, & in quoties adijciuntur alicui rei postea explicandæ. At verò bona Ecclesiastica data sunt ad vtilitatem ministrorum, & ad escam pauperum. *cap. Apostolica* 12. *q.* 2. *ex sexta Synodo*, & in *cap. peruenit* 16. *q.*7. *& Conc. Trid. sess.*25. *cap.*1. *de reform.* interdixit ne hæc bona dentur consanguineis, & *c. in sacris eod. caus. & q.* decernitur vt dispensentur iuxta dispositionem Episcopi. Et in *c. decimas ead. caus. & q.* hæc bona impẽdi debent in causas pias. Et in *cap. in canonibus* dicitur, Episcopum poni ad dispensandum misericordiam pauperibus. Et *cap. decimas eadem causa & quæst.* dicitur. *Has verò sub manu Christi esse censemus, vt ille qui cæteris præest omnibus iustè distribuat.* Quintò idem probatur; quoniam communiter DD. dicunt Episcopos, & Beneficiatos expendentes bona Ecclesiastica in vsus profanos, & non pios peccare mortaliter, at hoc non est verum, quia trasgrediantur præceptum misericordiæ, quia potest contingere, vt non adsint pauperes grauem necessitatem habentes; igitur hoc erit, quia faciant contra præceptum iustitiæ. Sextò probatur ex multitudine DD. qui tenent hanc sententiã tum ex Theologis, tum ex Canonistis, quorum nomina dat *Nauar. de redditib. quæst.* 2. *monito* 7.

50 Sed neque huius sententiæ motiua vrgent. Non quidem primum, quia *D. Thom. hic ad argumenta* explicat quomodo bona Ecclesiastica sint pauperum. Hoc enim verum est tum ratione specialis obligationis, quam habent Prælati Ecclesiastici ad actus misericordiæ in pauperes, tum ex præcepto positiuo Ecclesiæ, quod modò potuit esse vel abrogatum, vel mutatum, & in omni casu non importat obligationem iustitiæ. Ad secundum negatur assumptum vniuersaliter, licet enim aliqua bona data sint sub onere, vt in pauperes distribuantur, hoc de præbendis beneficiatorum minimè probatur. Nec facit ad rem exemplum Ecclesiæ Hierosol. cum tunc fideles in communi viuerent sine proprio; quod Clericis secularibus minimè conuenit, & quod ibi factum fuit retentum fuit ab Ecclesia vt sequendum liberè & ex cõsilio, sicut fit in regularium monasterijs. Tertium arguit ab eo, quòd Ecclesia via fuit in secundo statu, & etiam in tertio ad id, quod modò est, cum tunc bona Ecclesiæ ex Ecclesiæ præscripto, non ex iure diuino administrarentur vt communia, & nunc Ecclesia præbendas diuiserit, & ita vt beneficiati fructus præbendarum faciant suos. Ad quartum dicitur, quòd dictio vt, regulariter non dicit conditionem sed modum; & quòd in dubio potiùs debet intelligi ve dicat modum, & quòd regula est vt dicat modum, quando aliquid impendũ est post emolumentum quæsitum, per DD. quos refert, & sequitur *Barbosa dict.*479. *num.*2.5. *&* 6 Et idem dicendum de alijs dictionibus, ex quo colligitur, donationes fidelium dantes bona, etiam vt pauperibus subueniretur, fuisse non conditionales, & ferentes onus iustitiæ, sed modales. Et verè sic est, quòd exceptis ijs, quæ data sunt principaliter vel pro fabrica, vel pro pauperibus (ex quibus non integrantur præbendæ) alia bona data sunt principaliter & sub pacto pro sustẽtatione Cleri, licet sub spe, quòd Clerus superfluo non abuteretur, sed eo vteretur ad vsus pios. Quintum soluitur, quia verum est, quòd bona Ecclesiæ non nisi in vsus pios impendi debent; sed si hoc esset ex conditione & pacto, & iustitia Beneficiati abutentes dictis bonis etiam propriam sustentationem amitterent, quia non implerent conditionem sub qua res sibi donatæ fuerunt. Ostendetur verò ex qua virtute sit præfata obligatio. Ad sextum dicitur, non esse minoris ponderis, & numeri DD. qui hanc iustitiæ obligationem non ad-

admittunt. Inter quos *D. Thom.* summè est æstimandus.

51. Quòd Episcopi igitur non sint ex iustitia obligati ad alendos pauperes ex fructibus Episcopatuum, & beneficiorum, tenent modò communiter magis DD. in præsenti tempore. Sed conueniunt quidem in hoc, quòd Episcopi id, quod superest tenentur expendere in vsus pios, & ita vt mortaliter peccent si id non faciunt: Ita enim tenent *Sotus l. 10. de iust. quæst. 4. 3. & 4. Ledesma de stat. cap. 3. a concl. 17. Bannes supra quæst. 32. a. 6. dub. vlt. conclus. t. 4. & 6. Pax Iord. l. 2. tit. 1. n. 75. Valentia hic disp. 10. q. 3. p. 7.* & alij plures, quos refero infra. Sed non conueniūt in assignanda causa istius obligationis, nam quidam reducunt illam in statum perfectionis Episcopi, qui ex officio est pater pauperum, & exemplar perfectionis, vnde dicunt strictiori vinculo teneri ad opera misericordiæ in pauperes. *Ita Sotus, Ledesma, & Bannes.* Sed alij hoc in præceptum Ecclesiasticum referunt, & sentientes beneficiatum teneri ad eleemosynam erogandam ex eo quod superest in consuetas pauperum necessitates, dicunt hanc necessitatem esse ex iure Ecclesiastico. Ita *Azor. p. 2. l. 7. c. 8. quæst. 2.* Vbi in fine habet, in malo statu esse illum beneficiatum, qui habeat in animo non insumendi superfluum in communes pauperum necessitates, sed solùm in graues vel extremas. *Raphael à Turre supra quæst. 87. a. 3. disput. 4. concl. 1. Et apud eum Aragon. ad art. 2. dict. quæst. Pax Iordan. lib. 2. titul. 1. num. 81.* Vbi quarta portio non est pauperibus assignata.

52 Ad huius quæstionis resolutionem accedendo, dicitur primò, quòd Episcopi, & cæteri animarum pastores ex officio speciali iure tenentur ad opera misericordiæ in pauperes. Probatur primò. Nam cum teste Apostolo *in primo ad Thimoth. cap. 3. Oporteat Episcopum irreprehensibilem esse*, dicendum est Episcopum, si non seruet præceptum misericordiæ in ijs casibus in quibus obligat, deficere specialiter à munere suo, grauiùsque etiam in eodem genere peccare, quàm seculares. Probatur secūdò nam immò & ex Apost. ibidem oportet esse hospitalem, sub quo vocabulo liberalitas in omnes necessitatem patientes significatur *Raphael à Turre vbi supra num. 10.* Vnde non est dubium, quòd Episcopus, qui dicitur & est pauperum pater, & viduarum, & pupillorum protector, ex vi officij sui tenetur strictiùs, & speciali iure ad actus misericordiæ in pauperes præter obligationem, quæ communiter competit omnibus ex vi præcepti misericordiæ. *Sotus l. 10. de iust. quæst. 4. a. 3. & 4. Bannes vbi supra. Raphael à Turre supra quæst. 87. a. 3. disp. 4. S. Dico primo. Ledesma de statibus cap. 3. concl 23. diff. t. S. de toda lo dicho &c. Pax Iardan. l. 2. t. 1. num. 75. Valentia hic disp. 10. quæst. 3. p. 7.* Et Etimologia nominis *Episcopi*, hoc idem declarat. *Episcopus* enim apud antiquos dicebatur Magistratus, cuius officium erat habere curam panis & aliarum rerum, quæ ad cibum pertinent, vt supra etiam probatum est. Et aduertit ad hoc propositum *Bannes supra quæst. 32. a. 6. dub. vlt. concl. t.* Meritò enim Prælatis Ecclesiarum impositum est hoc nomen, vt sciant se esse Pastores, qui tenentur oues suas nedum spiritualiter, sed etiam temporaliter pascere.

53 Dupliciter tamen intelligi potest, quòd Episcopus ad actus misericordiæ obligetur Primò, quia hæc obligatio sit veluti intensior, & ex speciali titulo, & ita vt tunc cum præceptum misericordiæ obligat laicos, obliget strictiori iure Episcopos. Et hoc est verum. Et id probat ratio illa, qua vtuntur *Sotus, Bannes, Ledesma*, quia scilicet status Episcopalis, qui est status perfectionis obligans Episcopum ad hoc vt sit forma gregis, & exemplar virtutis suis fidelibus, petit vt dum præceptum misericordiæ vrget, exemplo suo alios doceat, & in dicti præcepti obseruantia alios præcedat. Alias enim ex eo, quòd Episcopus debeat esse exemplar agendi suis subditis non sequitur, quòd ex præcepto teneatur ad opera consilij, & supererogationis, sed bene sequitur, quòd debeat abstinere ab omni malo, & Dei legem inuiolabiliter seruare.

54 Verùm in alio sensu intelligi potest, & debet quòd Episcopus etiam teneatur ad præceptum misericordiæ extensiùs obseruandum, & quia nedum in illis casibus in quibus illud præceptum obligaret etiam laicos, sed in pluribus alijs obliget Episcopum vt ex *Hostien. probat Sylu. v. Clericus 4. num. 12.* asserens beneficiatos etiam extra casum extremæ necessitatis debere largas eleemosynas facere. Hoc autem nedum verum est ex ea ratione, qua vtuntur *Sotus Turrecr. & Ledesma*, ex eo scilicet, quòd in Episcopis minor sit necessitas insumendi pro victu, & vestitu, & sustentatione familiæ, cum vita eorum debeat esse frugalis, & pauper supellex, nec habeant vxorem & filios, quibus prouidere debeant. Vnde in Episcopis maior esse potest superfluitas bonorum, quàm in laicis, & ideo maior obligatio ad largiendas eleemosynas. Sed ratio est, quam latè prosequitur *Bannes d. dub. vltima concl 1.* quia Episcopi ex officio sunt patres pauperum, & qui hoc non præstant vacuum nomen Episcopi tenent, vt dixit S. Greg. & habetur *cap. fratrem nostrum dist. 80* Et ob tenacitatem in eleemosynis elargiendis ab Episcopatu exclusus fuit Archidiac. Florentinus, c. *Florentinum dist 88. & Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. de ref.* ait Episcopos iure diuino obligati ad habendam specialem curam pauperum, & miserabilium personarum. Et ideo Episcopi, qui ex officio in multis casibus tenentur etiam vitam dare pro ouibus suis, multò magis teneatur diuitias & pecuniam profundere, vbi hoc sit necesse pro salute suarum ouium. Nam & sepissimè lupus rapiens oues est necessitas temporalium, qua mediante Dæmon animas rapit, & dispergit, vnde mercenarius erit Episcopus si videat hunc lupum venientem, & dimittat oues, & fugiat. Ex iustitia igitur officij sui tenetur Episc. ad vitam & opes dandas pro salute gregis. Et hæc iustitia, quæ competit Episcopo ex officio habito à Christo, licet propriè non obliget ad restitutionem, quia non est iustitia commutatiua, obligat tamen semper & continuè ad reparanda damna si quæ ex eius immisericordia sequuta sunt, & ita hæc obligatio non est obligatio præcepti solius misericordia, sed est obligatio illius iustitiæ ex qua Episcopus tenetur pro suo grege vitam etiam profundere. Et ita eleemosyna in his casibus est elicitiuè opus misericordiæ, sed imperatiuè est actus Religionis, & fidelitatis seu iustitiæ officij Episc.

Hinc

55 Hinc valde considerandum est id, quod admonet *Bannes d.dub.vltimo concl.p.* nimirum, quòd hæc obligatio non respicit sola bona Ecclesiastica, sed etiam propria, & non solùm superflua, sed etiam necessaria, & non solùm si Episcopus habeat, sed etiam si non habeat; quia etiam si non habeat tenebitur ab alijs petere, & collectas indicere, & omni modo sibi possibili siue per se, siue per alios necessitati salutis suarum ouium sucurrere. Nam semper vrget illud Christi *Io:X. Bonus Pastor animã suam dat pro ouibus suis, mercenarius autem, & qui non est Pastor vidat lupum venientem, & dimittit oues, & fugit*. Vnde manifestum est, quod si obligatio Episc. est, vt pro ouium salute det vitam, multò magis est, vt det opes: itaque si loquamur de obligatione, quam Episcopus habet ex officio ad opera misericordiæ, hæc non respicit solùm bona Ecclesiastica, sed etiam propria. Quàmuis hæc obligatio multò fortiùs respiciat bona Ecclesiastica, quæ sunt patrimonium Christi, & dicuntur esse pauperum, quia per ea sustentantur.

56 Quæ verò dicta sunt de Episcopis cum proportione vniuersaliter intelligi debent de beneficiatis, quatenus præbendæ omnes beneficiales sunt patrimonium Christi non nisi in sacros vsus, & pauperum alimoniam consumendum. Sed præcipuè verum est de Parochis, qui sunt ouium Pastores, ideoque gregem suum etiam temporaliter pascere debent. *Bannes supra quæst.32.a.6.dub vlt.post concl.6.* Isti enim sunt, qui ex iustitia officij sui tenentur pascere suos etiam temporaliter. In alijs enim beneficiatis hæc ratio non vrget; sed in illis valet alia, scilicet, quia bona Ecclesiastica sunt patrimonium Christi solùm in vsus pios, & præcipuè in vsum pauperum impenpendum.

57 Dicitur igitur secundò, quòd necessitas alendi pauperes ex bonis Ecclesiasticis non est ex iustitia commutatiua. Hanc conclusionem contra *Nauar. & alios sustinent DD. supra nu.51.55.citati.* Probatur autem, quia ex duplici capite potest hæc iustitia imaginari. Vel quia bona Ecclesiastica a pijs fidelibus data sint Christo, & Ecclesiæ cum onere alendi pauperes, vel quia Christus & Ecclesia ea dent Episcopis cum simili onere. Hæc enim obligatio iustitiæ non nisi ex aliquo contractu oriri potest, quia bona cum hoc onere donata sint: sed hoc non probatur. Aliud enim est dare aliquid sub pacto, & dare illud sub spe. Certè verisimile est, quòd Reges, optimates, nobiles videntes Ecclesiam vti bonis Ecclesiasticis religiosè, & in pios vsus, & præcipuè in opera misericordiæ, sicut est Ecclesiasticorum Præsulum obligatio, dederint abundè, sicut dederunt bona Ecclesiastica Ecclesiæ, sub spe, quòd ipsa prout debet in pios vsus ea impenderet. Sic enim videmus etiam quotidie fieri, & Ecclesijs redditus opulentissimos sine aliqua obligatione huiusmodi donari. Sed quòd huiusmodi bona vniuersaliter à fidelibus donata fuerint sub pacto, quòd impendantur in pauperes, hoc non probatur, nec est verisimile, nec credo, quòd Ecclesia illa voluisset sic vniuersaliter recipere, & in magnum dedecus Ecclesiæ fuisset, quòd fideles noluissent vniuersaliter confidere Sanctitati Ecclesiæ, quæ aliàs tenetur Deo consecrata non nisi in pios vsus erogare. Et quòd factæ fuerint, & fiant multæ donationes conditionatæ sub pacto vel alendi pauperes, vel dotandi virgines, vel curandi infirmos, vel ad specialem Dei cultum, hoc prouenit ex pia affectione fidelium magis ad vnum vsum pium, quàm ad alium; alij verò solùm diuinum cultum respicientes in redemptionem suarum animarum sua Deo consecrant. Et ita intelligi debent factæ donationes, vbi aliud aliunde non constat.

58 Quod confirmatur, nam ex iure diuino Ecclesiarum ministris debetur sustentatio; vnde regulariter loquendo bona quæ Ecclesiæ donata fuerũt, data fuerunt principaliter in sustentationem ministrorum, & hoc est certum. Quòd verò data fuerint bona superabundanter, hoc etiam conueniens fuit, quia valde decet, vt non minùs in noua lege sacri ministri habeãt abundanter, vnde viuant, quã haberent Leuitę in lege veteri, vt habet *D. Thom. supra quæst.87.a.1.* Et quia etiam conuenit vt Prælati Ecclesiarum hospitalitatem exercere valerent, & curam pauperum habere. Sed cum ad hoc ipsi teneantur ex officio, non fuit illis sub nouo onere iniungendum; sed fideles dederunt abundanter vnde ministri Ecclesiæ & se sustentarent, & suis obligationibus satisfacere possent, nullum aliud iustitiæ onus imponentes.

59 De Christo verò non est verisimile, quòd cum Ecclesia suo grege voluerit agere ex æqualitate iustitiæ commutatiuæ, quæ imperfectionem in personis importat, vnde non est in Deo. Sed Prælatis Ecclesiæ sic voluit competere administrationem bonorum Ecclesiasticorum, quòd eos non obligauit nisi obligatione suorum officiorum, quæ est obligatio Religionis, fidelitatis, ideoque cuiusdam altioris iustitiæ, per quam Prælati tenentur Christo fideliter bona sibi commissa non nisi in pios vsus distribuere. Et qualiter Episcopi, & ex quibus bonis Christo restituerent ex æqualitate iustitiæ commutatiuæ, si nedum omnia bona Ecclesiastica Christi sunt, sed actus ipse restituendi bonus, & virtutis actus ab ipsis haberi non potest nisi per gratiam Christi, idcoque & ille actus non nisi donum Christi est, & sic non nisi donum Christi esset, quòd Christo restituerent? Et illi soli restituerent, quibus ipse donaret, vt hoc facerent? Non est igitur vt dicamus Christum ex iustitia commutatiua contraxisse cum Prælatis Ecclesiæ, vt Ecclesiæ bona non nisi hoc vel illo modo distribuerent, sed tamquam Ecclesiæ caput & Superior illis hoc præcepit, vt non nisi in Dei cultum illa impenderent, & sic ex virtute religiosi efficij ad hoc eos obligauit obligatione obedientiæ religiosæ, seu virtutis religionis, quæ est iustitia longe altior, quàm sit iustitia commutatiua, cum eidem Christo modi non deficiant infideles dispensatores puniendi.

60 Sed hoc stante intrat difficultas, an adhuc habeat locum obligatio ex iustitia orta ex lege positiua Ecclesiæ præcipientis bona dispensari pauperibus. Hanc enim obligationem esse iustitiæ commutatiuæ probatur, quia quando aliquis dat alicui bona communia vt distribuenda pauperibus, iam pauperes illorum bonorum domini sunt, vel saltem ad illa ius habent; igitur qui tenetur illa distribuere ad id tenetur ex iustitia, & iniustus est, si id non faciat. Quod confirmatur, nam quando bona Ecclesiæ in communi erant, licet essent sub ad-

mini-

ministratione Episcopi, tamen ex præcepto Ecclesiæ Episcopus tenebatur ex eis etiam alere pauperes, vnde est, quòd bona illa dicebantur esse pauperum: igitur Episcopi ex iustitia ad id obligati erant. Tertiò nam post Simplicium Papam, cum statutum fuit bona Ecclesiastica in quatuor partes diuidenda, certè quarta pars deputata pauperibus illorum erat, & ideo contra iustitiam fuisset, si Episcopi eam sibi vsurpassent, vel in alium vsum expendissent. Ex iustitia igitur saltem, quæ ex applicatione Ecclesiæ ortum habeat, obligati fuerunt Prælati pauperes alere. *Raphael à Turre supra quæst.86. a.2. disp.2.num.9. & quæst.87.a.3.disput.4.* At econtra alij senserunt, quòd etiam tunc cum ex redditibus Ecclesiasticis fiebant quatuor portiones, & vna dabatur pro pauperibus, Episcopi ex charitate, & misericordia portionem illam separarent. Quæ separata & Clerico dispensaturi tradita ex iustitia ab eo erat pauperibus eroganda. *Bannes supra quæst.32. a.6. dub.vlt. post.4.concl.ver.non probatur sufficienter. Azor.etiam p.2. l.7. c.8. in fine* sic tenent, quòd beneficiati ex præcepto Ecclesiæ teneantur ad erogandum superfluum in pauperes, quòd tamen non teneantur ad hoc ex iustitia, & obligentur ad restitutionem, si id non præstent.

61 Sed dicendum est, quòd nec antiquitus vbi bona Ecclesiastica erant communia, Episcopi vel Ecclesia tenebantur ex iustitia commutatiua ad eleemosynas. Ratio est, quia non est verisimile, quòd Ecclesia alio modo contraxerit cum Prælatis, quàm Christus cum illis fecerit. Et certè bonorum Ecclesiæ administrationem supremam Papa non habet ab Ecclesia, sed immediatè eam habet à Christo, qui cum illo ex æqualitate & tamquam priuatus cum priuato non contraxit ex iustitia commutatiua, sed tanquam superior, quid illi agendum esset præscripsit. Sic verò credendum est etiam Papam fecisse, & facere cum alijs inferioribus Prælatis. Præterea Ecclesia supponens præceptum diuinum de aliqua actione, & illius obseruantiam promouens, & modum obseruantiæ illius determinans, non id facit intuitu alterius virtutis ab ea, ex qua illud præceptum obligat. Cum ergo Prælati ex iure diuino bona Ecclesiastica in pios vsus, & præcipuè in vsus pauperum impendere debeant, quod præceptum non est iustitiæ commutatiuæ, sed religiosi officij, & quia sic decet facere Pastorem ouium Christi, Ecclesia non intuitu iustitiæ commutatiuæ, sed iustitiæ, quam importat Religio, & ex qua Religio Christiana obligat Pastores ouium Christi, præcepit bona Ecclesiastica in alimonium pauperum esse impendenda.

62 Et ita ad primum in oppositum dicitur, quòd præceptum distribuendi pauperibus bona communia non obligat ex iustitia commutatiua, quando illa bona nec propriè sunt pauperum, nec præceptum oritur intuitu iustitiæ commutatiuæ sed alterius virtutis, distributionem illam imperantis. Vnde patet responsio ad secundum. Ad tertium dicitur, quòd antequam fructus Ecclesiastici diuiderentur, non erant pauperum nec illis debebantur ex iustitia commutatiua, sed ex præcepto Ecclesiæ diuidi debebant, per diuisionem verò portio pauperum fiebat illorum, vnde minister cui tribuebantur, ea ex iustitia commutatiua tenebatur distribuere. Et sic si Episcopus eam portionem sibi retinuisset tenebatur eam restituere, vt colligitur ex *cap. de redditibus 12. quæst. 2.* Quod si Episcopus diuisionem non fecisset, coactus fuisset à Papa illam facere per Ecclesiæ præceptum.

63 Dicitur tertiò, quòd ex eo, quia bona Ecclesiastica sunt res diuinæ *cap. conuenior 23. quæst.8. ex S. Ambros. Epist. ad Marcellinam*, & sunt patrimonium Christi. *capit. qui Christi & capit. abstulerit, ex 12. quæst.1. & cap. cum ex eo de electione in sexto.* Et sunt res Deo oblatæ, & consecratæ, ideoque sanctæ, & sacræ, *D.Thom.supra quæst.99. a.3.* sequitur, quòd Episcopi eis vti non possint nisi in vsus pios saltem ex virtute fidelitatis, & Religionis, seu cuiusdam etiam iustitiæ ad Deum & Christum Dominum nostrum. Et nihilominùs ex hac ratione nulla est determinata necessitas impendendi ea in alimoniam pauperum, vel in alium vsum pium. Sed Ecclesia tunc cum iussit redditus Ecclesiasticos diuidi in quatuor partes, hanc indeterminationem determinauit; Nam indeterminationes præceptorum legis diuinæ, & naturalis determinare & dirigere ad Ecclesiam spectat. Plures habet partes hæc assertio, quæ sigillatim sunt explicandæ, & probandæ.

64 Prima de facili intelligitur, cum enim Prælati administrationem bonorum habeant à Christo, tamquam à supremo eorum Domino, vt ex secunda Conclus. & scripturis, & canonibus sacris ibi adductis est manifestum, & vt habet *D.Thom. hic in textu*, ex illo *p.ad Cor.4. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur*, ad administratorem vero necessaria est fidelitas, ad minùs ex lege diuina, & naturali huius virtutis, Papa, & reliqui Prælati tenentur huiusmodi res administrare secundùm quòd earum consecratio exigit, & intendit Dominus IESVS Christus, nimirum ad pios vsus, & in Dei cultum, non verò ad luxum, ad vindictas, ad ditandos parentes, ad superbiam vitæ, ad conuiuia, & crapulas, & tandem ad profana. Quod certò habetur *Lucæ 12.* ex illis verbis Christi. *Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?* Et infra. *Quòd si dixerit seruus ille in corde suo: Moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere seruos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari, veniet dominus serui illius, in die, qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.* Infidelis est administrator, qui rebus sibi commissis abutitur in alium finem, quàm sit ille propter quem Dominus illas impendendas tradidit. Et tales sunt Prælati Ecclesiastici (de quibus ibi specialiter loquitur Christus) qui non ad Dei cultum sed ad profanos vsus patrimonio Christi abutuntur.

65 Sed hic sine dubio adest etiam obligatio ex lege diuina, & humana proueniente ex virtute Religionis, vt verè sacrilegus sit, qui illa furatur, vel eis abutitur. *D. Thom. supra quæst.99. a.3. c.* Cum ergo bona Ecclesiastica sint res Deo donatæ, & in eius cultum ex sui natura consecratæ, dantur enim Ecclesiæ ex Christi Ecclesia ad Dei, & Christi cultum secundum ritum Christianæ religionis congregatæ sub vno capite Christo, & sub vno summo Sacerdote Pontifice Romano, & postea sub alijs

primarijs Sacerdotibus, qui sunt Episcopi, in earum cedit iniuriam si earum sanctitas contemnitur, & Prælati ad vsus profanos illas conuertunt; nam & collectas quæ fiunt in sanctos sanctas esse habetur ex p. ad Cor. cap. 6.

66 Verùm satis etiam verisimile est, quòd hic adsit alia quædam altior iustitia ad Christum Dominum, quæ habeat quemdam modum commutatiuæ iustitiæ, quia sit ex re accepta, nimirum ex accepto à Christo officio administratoris, & etiam velut stipendio. Cum Christus præceperit Ecclesiæ & fidelibus vt tradant decimas & subsidia in sustentationem horum administratorum. Quod si quis voluerit hanc iustitiam non distingui, à iustitia Religionis quatenus est in ministro à Christo principaliter ad Dei cultum deputato: ego pro nūc ab hac quæstione abstrahens, solùm aduerto, quòd religio quædam iustitia est deficiens à ratione iustitiæ propriæ non ex defectu debiti, sed ex defectu æqualitatis, quia vir religiosus in Dei cultum non potest tantum facere, quòd suo debito satisfaciat. D. Thom. supra quæst. 80. a. 1. Vnde quando etiam Episcopus religiosus minister & dispensator bonorum Ecclesiæ, omnia illa, eo minimo excepto, propter solum Dei cultum impenderit, adhuc minus fecerit, quàm facere debuerit. & sic prima pars assertionis est manifesta.

67 Secunda probatur nam ad satisfaciendum legi diuinæ & naturali prouenienti ex eo, quòd res Ecclesiæ sint sacræ, etiam si hæc lex nedum sit lex fidelitatis, & religionis, sed etiam sit lex commutatiuæ iustitiæ, sufficit quòd vsus rerum Ecclesiæ sit sacer & pius. Nec obstat, si dicatur, quòd Episcopus cum sit pater pauperum tenetur ad subueniendum pauperibus. Tum quia non est verum nisi in casu alicuius necessitatis, vt habetur ex D. Th. hic ad p. Quare si in Diœcesi nullus esset pauper, nulla esset necessitas expendendi in subditos. Tum quia hæc necessitas nec est formaliter ex virtute religionis nisi consecutiuè, & per accidens, nec actus misericordiæ per se secundum substantiam, & speciem suam est actus religiosus nisi materialiter. Tum quia lex Religionis vt est imperatiua actus misericordiæ non respicit solùm bona Ecclesiastica, sed bona omnia etiam patrimonialia, quæ habet Episcopus, sed lex Religionis, vt respicit res vt sacras obligat solummodò ad vsum sacrum, seu religiosum. Et de cætero quantùm sit ex vi huius legis diuinæ stat in prudenti arbitrio Prælatorum iudicare quando vrgeat necessitas pauperum vt dicitur hic ad primum, vel quando in alios vsus religiosos sint impendendæ.

68 Hinc patet tertia pars conclusionis, quia scilicet determinatio vsus redditum Ecclesiasticorum in hunc, vel alium vsum pium, est ex lege positiua. Non quia possit Ecclesia decernere quod Ecclesiastici licitè vtantur rebus sacris ad profana, quia hoc esset contra diuinam legem. Sed quia hic, nunc, hoc vel illud, in hunc, vel illū vsum tantum vel minus impendere est quid, quod est per Summum Pontificem dirigendum. Quare quod habet Sylu. v. Clericus 4. num. 14. nimirum quod Beneficiati tenentur omnia superflua erogare in pauperes, nisi vel fabrica Ecclesiæ egeat, vel Beneficiatus velit in sua Ecclesia Dei cultum ampliare, nulla extrema occurrente pauperum necessitate, non est vndequaque verum, nec ex iure diuino, ex quo sufficit quòd res sacræ in vsus sacros erogentur, & non est necesse quod erogentur in pauperes, nisi aliunde obliget lex officij Ecclesiastici ad eleemosynam erogandam. Neque ex iure positiuo. Nam ex eo sola quarta pars debebatur pauperibus, vnde non omnia superflua illis debentur, sed Beneficiatus in Dei aliquem cultum potest impendere. Eò magis, quòd non dubium est infra discutiendum an lex illa positiua de eroganda quarta parte in pauperes modò vigeat. Ex quo colligitur, quòd iuris humani fuit, vel quòd res essent communes, vel quod diuidi deberent in quatuor partes, vel quod sint diuisæ præbendæ, nam ex lege diuina sufficit, quod res Ecclesiæ non profanè tractentur.

SVMMARIVM.

1 Vsurpans de parte applicata pauperibus, vel Clero &c. peccat contra iustitiam. n. 69.
2 Vbi inueniatur partem assignatam pauperibus possideri à Clero, vel ab Episcopo, tenentur isti ad restitutionem non erogata. n. 69.
3 Idem si de hoc sit vehemens suspicio. n. 69.
4 Nisi locum habere potuerit legitima præscriptio. num. 69.

69 TExtus quarta conclusio est, quòd Episcopus vsurpans sibi de portione quę per Ecclesiam determinata est, vel pro alijs clericis, vel pro diuino cultu, vel pro pauperibus, est infidelis, & peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. Hæc cōclusio cōmunis est & indubitata, quia bona per Ecclesiā distributa vel Clericis, vel loco sacro & cultui, vel pauperibus per hanc determinationem facta sunt aliorum, qui verò alienum furatur tenetur ad restitutionem. Et ideò Simplicius Papa, vt habetur cap. de redditibus 12. q. 2. præcepit vt Episcopus quidam tres aliorum portiones quas sibi triennio vsurpauerat, restitueret. Ideò, si alicubi inueniatur portionem ab Ecclesia assignatam pauperibus, nunc possideri ab Episcopo, aut Clero, retinentes tenentur eam integrem pauperibus erogare, & non erogatam restituere, quia illa portio res aliena est. Et immò vt ex Soto aduertit Raphael à Turre de disp. 4. num. 15. quando est vehemens suspicio, quòd Episcopus aliqua bona pauperibus designata sibi applicauerit, tenetur Episc. ad restitutionem. Nisi tamen locum habere potuerit legitima præscriptio.

SVMMARIVM.

1 Partis sibi applicata Episcopus est Dominus. num. 70.

70 QVinta conclusio est, quòd supposita diuisione bonorum Ecclesiasticorum eius partis, quæ ad vsum Episcopi est applicata ipse dominus est, ac si bonorum illa pars esset sibi propria, & titulo ciuili & patrimoniali acquisita. Vnde ex sola immoderatione alicuius illicita affectus peccare potest in talis partis vsu, vt de patrimonialibus dictum fuit. Et hæc quoque conclusio communis est, quam cum D. Thom. docent Sotus l. 10. de iust.

q. 4.

q.4.a.3. Bannes supra q.32.a.6.dub. vltim. Raphael à Turre supra q.87.a.3.disp.4. num.14. Ledesma de statibus c.3.concl.23. Nauar. de reddit.q.1.mon.26.43. & 44. Layman l.4.tr.2.c.3.n.2.

SVMMARIVM.

1 Si bona non sunt diuisa Episcopus potest sumere ex eis, quod est necessarium ad sui honestam sustentationem. n.71.
2 Si in modico excedat non censetur infidelis. numer.71.
3 Etiam si Episcopus sit diues potest ex bonis Ecclesiæ suam sustentationem accipere. n.72.
4 Vbi portio Episcopi sit separata ea debet esse contentus. n.73.
5 Si Episcopus parce viuendo cumulet aliquid ex parte sua sustentationi debita, est illius dominus. num.74.
6 Parce viuere est res indifferens, & potest honeste, & non honeste fieri. n.75.
7 Parce viuens ex auaritia est dominus eius quod ex eo superest. n.75.
8 Parce viuens si ex hoc auget redditus est illorum dominus. n.76.
9 Qui viuit ex proprio patrimonio potest tantumdem sibi ex bonis Ecclesiæ accipere. n.77.
10 Quantitas necessaria ad sustentationem mensurari debet spectatis officio, persona, loco & Ecclesiæ dignitate. n.78.
11 Vbi Ecclesiæ fabrica indigeat non debet attendi qualitas personæ, sed Ecclesiæ. n.78.
12 Quantitas sustentationis non consistit in indiuisibili. n.78.
13 Qui plusquam debet Ecclesiæ seruit plus potest de Ecclesiæ bonis percipere. n.79.

71 Sexta conclusio est, quòd vbi bona non sunt diuisa, administrator potest ex massa communi sumere, quod ad sui sustentationem est necessarium. Et quatenus excedat, si excessus est modicus, hoc fieri potest sine bonæ fidei decremento, sed si excessus non est modicus, talis est infidelis, & peccat mortaliter. Hanc etiam conclusionem docent Caiet. hic Sotus lib.10. de iust. q.4. a.3. Bannes supra q.32. art.6. dub. vlt. Raphael à Turre supra q.87.a.3.disp.4.n.12. Ledesma de statibus cap.3.concl.6. Sylu.v. Clericus 4.num.15. Pax Iordan. lib.2.tit.1.n.60. & 73 & commun. DD. plura tamen circa illam sunt explicanda.

72 Cum verò dicatur, administratorem bonorum Ecclesiæ posse sumere ex bonis communibus & non diuisis, quæ sunt necessaria ad eius sustentationem, hoc primò intelligitur esse verum etiam si Episcopus, seu administrator habeat ex proprio abundanter vnde se sustentet. Quia ex hoc non priuatur quin viuere possit de altari, si altari deseruit, nam altare debet ministro sustentationem, D. Thom. hic ad primum Sotus lib.10. de iustit. q.4.a.3. Innoc. in cap. Episcopus de prabend. & in c. quoniam, ne Prælati vices &c. Panorm. in cap. Episcopus. Decius in cap. postulasti de rescrip. Ledesm. de stat. c.3. concl.24. Nauar. de reddit. monito 35. & apud eum Adrian. & Maior. Syluest. v. Clericus 4. n.12. Conar. Molina, Sopranus, quos refert, & sequitur Barbosa de obligatione beneficiatorum p.2.n.5. Redditus enim Ecclesiastici primo & principaliter instituti sunt pro sustentatione ministrorum.

73 Addit verò Ledesm. concl.24. quòd Episcopus ex bonis Ecclesiæ potest sumere, quod est necessarium suæ sustentationi, etiam si portio Episcopi sit separata, quia omnia bona ex iustitia debentur pro Episcopi sustentatione. Sed hoc non subsistit; Ecclesiæ enim vniuersalis, seu Pontificis Romani est determinare ad quem vsum inseruire debeant redditus Ecclesiastici. Ideò vbi est separata portio pro Episcopo, & alia bona ad alios vsus per Pontificem sunt applicata, non licet Episcopo de alijs portionibus sibi aliquid vsurpare, sed sua portione debet esse contentus.

74 Imò ampliatur, vt si Episcopus vel administrator de parte sibi competente ratione sustentationis parcè viuendo aliquid detrahat & reseruet, possit de illa parte vt de proprijs bonis disponere. Ita D. Thom. in hoc artic. Sotus l.10. de iust. q.4.a.3. Ledesm. de stat. c.3. concl.22. Raphael à Turre supra q.87. a.3. disp.4. num.14. Valent. a disp.10.q.3. p.7. & ex Maiore in 4.d.24.q.17. & Adrian. in 4.de restit.q.12. Nauar. de reddit. q.1. mon.26. & 43. Garz. de benef. p.2.c.1. num 10. & apud eum Azor. p.2. lib.7. cap.9.q.14. Bonac. vbi supra, & apud eum Molina, Pax Iordan. lib.2.tit.1.num.57. Laymann. l.4. tract.2. cap.3.num.2. Quamobrem si huiusmodi bona consumat etiam in vsus turpes non peccat contra iustitiam, Ledesm. vbi sup.

75 Nec est verum, quod ait Sarmiento contrarium tenens apud Nauar. vbi supra. monitu 45. scilicet Episcopos parcè viuentes, & de eo quod possunt expendere subtrahentes peccent. Nam id verum est, si id faciant ex auaritia, vel ob alium malum finem, vel etiã si parcitas sit indecens & scandalizans videntes; sed qui ex motiuo virtutis abstinentiæ, sobrietatis, humilitatis, modestiæ, vel ob alium bonum finem, & intra cancellos decentiæ parcè viuunt, benefaciunt, & ita fecerunt quàm plures Sancti Episcopi, & inter Pontifices Pius V. de quo de visu testatur Nauar. d. monit. 45. quòd adeo simplici mensa vtebatur, vt nullus vel rarus esset beneficiatus, qui tam simplici mensa vteretur. Sed dato etiam, quòd hic administrator parcè, sed indecenter viuendo, & ob auaritiam peccet, non inde sequitur, quòd non sit dominus illius, quòd potuisset consummere. Neque enim beneficiatus est purus vsuarius, sed est cui debetur stipendium sustentationis, vnde sine iniustitia & sacrilegio potest illud in quos vsus voluerit conuertere. Nauar. mon.46. Ledesm. vbi supra.

76 Addit etiam Ledesma vbi supra, quod ex paruo victu si Episcopus procuraret augere redditus Episcopales, qui ex eius industria valde crescerent, quod hoc lucrum non esset licitum, sed tamẽ Episcopus totius illius substantię teneret dominiũ, sicut & principalis ita quòd sine alicuius iniuria posset, illam consumere. Verum dicitur, quod si sobrietas non fuit vitiosa, nec tale lucrum est illicitum. Sed siue licitum, siue illicitum, eius Episcopus est Dominus, sicut & bonorum quæ ex illo emit, & acquisiuit. Nauar. l.1. de red. q.1. mon.36. Pax Iordan. l.1. tit.11. num.18. & l.2.tit.1.n.26.

77 Sic etiam si beneficiarius viuat ex patrimonio suo, potest eo quod sibi competit ex bonis cõmunibus ratione suæ sustentationis liberè vti ac si

esset pnpetium: hæc enim iusta est compensatio, & cum in sustentationem suam consumpsetit proprium ad qund non tenebatur, potest tantumdem de communi, quod sibi debetur, recipere, & inter propria reponere. *Nauar. de reddit. q. 3. mon. 4. n. 3. Sylu. v. Clericus 4. num. 15. Conor. Reginal. Sayrus, Fillincc.* & alij contra *Redoannum de spolijs q. 3. §. 2. num. 3.* quos refert, & sequitur *Barbos. vbi supra n. 5. Valentia hic disp. 10. q. 3. p. 7.*

78 Ex quo autem mensurari debeat quantitas quam administratnr bonorum Ecclesiasticorum sibi applicare potest pro sui sustentatione, ex multiplici causa id colligi debet. Nam spectari debet primo officium, quia plura requirit pro sui sustentatione Episcopus, quàm Parochus, & plura Cardinalis, quàm Episcopus. Secundò attendi etiam debet conditio personæ habita ratione scientiæ, nobilitatis, aut dignitatis *cap. de multa de præbend.* Nam & diuites cogendi non sunt viuere pauperũ cibo. *c. non cogatur, d. 41. Et in Extrau. Execrabilis Io. 22. de præben. & dign.* cum iniunctũ fuerit omnibus qui habebant beneficia incompatibilia, vt ea dimitterent, excepti sunt Cardinales, & Regum filij, ex quo manifestè innuitur attendendam esse etiam conditionem personæ, & quòd quantitas debita beneficiato pro sui sustentatione, non debet mensurari solum ex qualitate beneficij, sed ex conditione personæ cui confertur. Et ita quod ex eodem beneficio plura pro sui sustentatione potest sumere Cardinalis, quàm simplex clericus. Aduertit verò *Nauar. monit. 36.* quòd cum portio debita beneficiato sit potioris iuris, quàm illa, quæ debetur fabricæ, & in casu deficientiæ, portio sua danda sit beneficiato, & solum si quid supersit Ecclesiæ remaneat; nihilominùs tunc portio beneficiati non est omnino mensuranda ex conditione personæ. Nam si filius Regis plura habet beneficia, si Ecclesiæ fabrica necessitatem habet, non potest ille quia redditus beneficij omnes sint necessarij ad sui sustentationem pro sui dignitate relinquere Ecclesiæ fabricæ necessitatem; sed tunc poterit quidẽ beneficiatus spectata, qualitate beneficij accipere sibi alimenta mensurata ex Ecclesiæ qualitate, sed de reliquo debebit necessitati Ecclesiæ subuenire. Tertiò in mensuranda hac eadem decenti sustentatione attendi debet etiam Ecclesiæ dignitas, & amplitudo. Et si beneficium sit in Ciuitate vel in villa, vel in loco vbi est inopia aut abundantia. *Ledesm. de statib. cap. 3. concl. 22. Azor. par. 2. l. 10. cap. 10. q. 9. fin. Garz. p. 11. cap. 5. n. 320. Layman l. 4. tr. 2. c. 3. n. 1. Molina, Molfesius, Gonzal. Lessius,* quos sequitur *Bonac. vbi supra p. 2. n. 7. & 8.* vbi ex *Nauar. Azor. & Fillincc.* dat rationem assignandi quantitatem cuicumq; debitam pro sustentatione. Sed hoc est arbitrarium, & ad hanc determinationem faciendam multùm conducere potest consuetudo. Hoc etiam aduertendo, quòd hæc quantitas non est determinata in indiuisibili, sed sicut in pretio datur infimum, medium, & supremum, sic in quantitate ista assignari debet infima, media, & suprema. *Pax Iordan. l. 2. t. 1. nu. 74. Bonacin. citatus & aly.*

79 Sed & hæc quantitas mensuranda est ex quantitate seruitij, vt qui inseruit Ecclesiæ diligentiùs, & faciendo opera, ad quæ non teneretur, vnde inseruit Ecclesiæ ampliùs, quàm faciunt regulariter beneficiati eiusdem generis, & ordinis plura etiam ex Ecclesiæ bonis possit sibi assumere. Si enim Ecclesia haberet fructus suos & prouentus in vno cumulo, certum est, quòd ministris spectata quantitate laboris, seruitij, vtilitatis, & meriti bona illa distribueret, igitur qui plùs de facto seruit, & est Ecclesiæ vtilior, maiora etiam potest de Ecclesiæ prouentibus percipere. *Nauar. de red. q. 1. mon. 29. ex Maiore in 4. d. 24. col. 4. Azor. p. 2. l. 7. c. 10. qu. 9. Pax Iordan. l. 2. tit. 1. n. 67. Laym. l. 4. tr. 2. c. 3. n. 2.*

SVMMARIVM.

1 *Episcopi, quod superest in vsus pios erogare tenentur. n. 80.*
2 *Vnde hoc probetur, & ex qua virtute sit necessarium. n. 81.*
3 *Quæ nam opera censenda pia. n. 82.*
4 *Hospitalitas, gratitudo, honesta etiam recreationes licent Episcopis. n. 82.*
5 *Beneficiatus potest, si sint, pauperes filios & filias etiam spurias alere ex fructibus beneficij. n. 83.*
6 *Et etiam dotare dote respondente alimentis. numer. 83.*
7 *Actus misericordiæ est pius & religiosus. nu. 84.*
8 *Non est necesse dare eleemosynam solum pauperibus loci. nu. 84.*
9 *Pauperes, qui sint. n. 85.*
10 *Consanguinei si indigeant veniunt nomine pauperum. nu. 85.*
11 *Dignitas Episcopalis auget dignitatē familiam, non simpliciter sed secundum quid. n. 85.*
12 *Consanguineis possunt Episcopi multa dare, si indigeant, sed tamen dando vt non egeant, non vt ditentur. n. 85.*
13 *Concilium Tridentinum interdicens ditare, consanguineos, non monet, sed præcipit. n. 86.*
14 *Episcopi qualiter possint aut non possint officia tradere consanguineis. nu. 87.*
15 *Titulus nudæ liberalitatis non sufficit ad licite impendendas res Ecclesiæ. n. 88.*
16 *Tamen & decet Ecclesiæ ministrum esse modeste liberalem. n. 88.*
17 *Abusus est vti bonis Ecclesiæ nedum ad mala, sed etiam ad profana. n. 89.*
18 *Motiuum religionis est illud proprium ex quo iustificantur alienationes redituum Ecclesiæ. n. 89.*

Quæ sunt opera pia in quibus Episcopi, & beneficiati tenẽtur impendere, quod superest eorũ congruæ sustentationi?

80 EX antiquis DD. nõ pauci absolutè dixerũt, Beneficiatũ fructus beneficij debere impẽdere sui sustẽtationẽ, & quod superest in alimoniã pauperũ. Sed isti nomine pauperũ intellexerũt (satis quidem impropriè) etiam opera pia. Sic enim illos interpretatur *Nauar. de redd. quæst. 1. monito 20. nu. 1.* In hoc autem sensu beneficiatum peccare mortaliter, si quod superest non consumet in vsus pios, nedum tenent *Nauar. de red quæst. 1. mon. 48.* & alij multi, qui tenent beneficiatum ex iustitia debere in vsus pios superflua impendere, sed etiam communiter alij DD. aliàs existimantes beneficiatum esse Dominum redituum sui beneficij. Communiter enim docent, beneficiatum superflua sui beneficij

pro-

pro ſanè expendentem peccare mortaliter. *D. Th. in hac 6.concluſ.& Caiet.ibid.Sot.l.10.de iuſt.quæſt.4. a.3.Ledeſma de ſtat.cap.3.concl. Bannes ſup. quæſt.32. a.6.d.vlt. Azor p.2.l.7.cap.8.quæſt. 2 Raphael à Turre ſupra quæſt.87.a.3.dub.4. num.9. Sylu. v.Clericus 4. num.14.Layman.l.4. tr.2. cap.3. num.3. Garzias p.5. cap.1.num.6.& apud eum Marſilius Columna,Conar. Molina, Gutierez Adrian. Corduba, Arragon, Lopez Leſſius, Molina Chartuſ. Valentia 22. contron. 10. quæſt.3.par.7.& ex Molfeſ. & Filliuc. Bonac.de obligat. beneficiat. par.2. numer.2.Pax Iordan lib.2.tit.1, num.75.*

81 Probant autem hoc *Bonac. & Pax ex Concil.Trid.ſeſſ.25.cap.1. de refor.* Sed ibi Concilium præcipit quidem Epiſcopis vt in ſui ſuſtentatione ſint modeſti, & quòd ex redditibus beneficij non ditent parentes, ſed non prohibet vniuerſaliter ne beneficiati non niſi in vſus pios redditus ſuorum beneficiorum expendant. Alij autem vt *Garzias* putat hoc peccatum eſſe contra charitatem,& præceptum miſericordiæ. Et hoc aliqui alij affirmant, ſed non valet, quia præceptum miſericordiæ non obligat niſi in caſu neceſſitatis, & tunc obligat etiam ſi opus eſt ad expendendum propria. Ratio igitur eſt, quia vt habet *D. Thom. ex Matt. cap.24.* hoc eſt contra fidelitatem officij Religioſi, vt patrimonium Chriſti in alios, quàm in vſus pios diſtrhaatur. Et probatur vniuerſaliter, & efficaciter. Tum quia Redditus Eccleſiaſtici ſunt de patrimonio Chriſti, & pauperum. Tum quia ab initio Eccleſiæ vſque ad hæc tempora iura omnia clamant Eccleſiaſticos redditus non niſi in vſus Eccleſiaſticos, & pios eſſe conuertendos, vt patet præcipuè ex tota *cauſa 12.quæſt.1.& 2.* Tum tertiò, quia Chriſtianas aures offendit, audire quòd Eccleſiaſtici bona Eccleſiæ in profanos vſus conſumere valeant ea libertate, qua poſſunt ſeculares diuites, Principes, & Reges. Tum quia hoc reuocaret fidelium animos ne Eccleſiæ bona relinquerent, ſi ſcirent ea non in vſus pios eſſe impendenda. Videatur *Nauar.de red.quæſt.1.mon.40. 42. & 48.* vbi pluribus meritò reijcit ſententiam aſſerentem non plus eſſe illicitum Eccleſiaſticis vti bonis Eccleſiæ ad profana, quam ſit laicis, vel quàm ſit ipſis vti ad eadem profana proprio patrimonio. Et hinc eſt, quòd Beneficiati ſic d cendi ſint domini redditunm beneficij, quòd ſunt Domini affecti ſeu adminiſtratores liberi, qui quidem ſaltem ex officij fidelitate tenentur eos non niſi in vſus pios conſumere. Et licet eos poſſint alienare cum facti ſunt ſui, & ex eis emere prædia, & domos, quæ ſub eorum dominio ſunt, ſicut alij fructus & redditus beneficij, vt latè probat *Nauar.de red.quæſt.1.nu.47.* vnde etiam poſt mortem illorum ſpectant ad Spolium Cameræ Apoſtolicæ, tamen Beneficiatus ſemper illicitè & emit talia bona & eis vtitur, ſi non emit ea & vtitur eis vel ad ſui ſuſtentationem, vel ad pios vſus, vt latè probat *ibid. Nauar.*

82 Quinam igitur ſunt hi vſus pij in quos ſuperflua beneficiorum debent impendi? Ea omnia & ſola eſſe opera pia, quæ ad diuinum cultum, pietatem, & miſericordiam pertinent dixit. *Nauar. de redd.q.1.num.26.* Non eſt dubium vſus ſacros eſſe pios, vnde beneficiatus expendens pro fabrica Eccleſiæ, & pro ſuppellectilibus ſacris, in vſus pios fructus beneficij erogat. Et quia ad Dei cultum ſpectant virtutes omnes,& præcipuè Theologicæ, ideo opera, quæ ad fidem propagandam valent, & augendam, & conſeruandam, quæ charitatem in Deum & proximum inducunt, quæ virtutes ſeminant, & nutriunt, & diſſipant vitia, qualia ſunt opera miſericordiæ ſpiritualia, ſtipendia Magiſtrorum docentium Theologiam, vel Canones, & Concionatorum,& miniſtrorum altaris Opera miſericordiæ corporalia, redditus hoſpitalium, ſacrarum confraternitatum, & alia ſimilia opera, pia ſunt, & in Dei cultum ordinata; Ea etiam, quæ ad honeſtam miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentationem requiruntur ad pios vſus reducuntur. Ideo hoſpitalitatem etiam eſſe, quid pium, quod ſpectat ad Epiſcopum, ex eo conſtat, quòd ſecundùm Apoſtolum *in p.ad Timoth.3. Oportet Epiſcopum hoſpitalem eſſe.* Verùm hoſpitalitas alia eſt miſericordiæ, dum pauperes peregrini recipiuntur hoſpitio, & hæc ſine dubio pia eſt, alia eſt vrbanitatis, qua amici, ciues, & domeſtici aliquando conuiuio, & hoſpitio recipiuntur. Et hæc ſi ſit modeſta etiam bona eſt, & licet Epiſcopis *Azor. p 2.l.7.cap.20. quæſt.1. Pax Iordan l.2.t.1.num.65. Nauar.de red.quæſt.1.mon.27. & 28.Layman l.4.tr.2.cap.3.num.2.* Sed non tam ratione pietatis, quàm quia ſpectat ad ſumptus, quos pro ſuſtentando ſe vrbanè, & pro dignitate tenetur Epiſcopus facere. Vita enim noſtra in conuerſatione mutua conſiſtens exigit vt beneficiati modeſtè vrbanitatem ſeruent. Ideo & ad vſum pium reducitur ab aliquibus, quòd datur ex gratitudine, *cap.Eccleſiaſticis. 12.quæſt.2.& cap.relatum lo.2.§.licet de teſtam.& ibi Panorm.nu.8. Sylu.v. Clericus.4. num.16. Azor.p.2.l.7 cap. 10.quæſt.2. Pax Iordan. l.2. t.1 nu.63.ex Innoc.in cap.indecorum. de ætat. & qual. Nauar.de redd.quæſt.1.mon.27.& 36.Layman vbi ſupra:* Sed & hoc poteſt reduci ad Epiſcopi ſuſtentationem honeſtam, quæ haberi nequit honeſtè, ſi Epiſcopus ſit ingratus; imò ex hoc titulo poteſt Epiſcopus nedum donare quantū ſufficit ad æqualem remunerationem obſequij, vel muneris recepti, ſed aliquid plus, vt nedum compenſetur æqualitas rei, vel officij recepti, ſed etiam libera dantis voluntas: Gratiæ enim recompenſatio eò tendit, vt pro poſſe aliquid maius retribuat. *D. Thom. ſupra.quæſt 106.a.6. Nauar. d. mon.36.* Et ideo quantum prudentia cordati viri iudicauerit poteſt Epiſcopus ex gratitudine pro acceptis retribuere. Et propterea ad hanc etiam ſuſtentationem reducuntur ludi aliqui & recreationes honeſtæ, quæ non dedecēt Dei miniſtros, qui cum ſint homines indigent moderatis recreationibus ſpectata perſonæ, & Clericatus conditione, *Bonac.d.p.2. num.12.Layman.l.4.tr.2.c.3.num.2.* Et idem dicitur de eo, quod expenditur in conuiuijs neceſſarijs, & modeſtis; *Nau.nu.27. Pax.num.66.*

83 Addunt verò multi, beneficiatum poſſe ex fructibus beneficij alere filios ſuos etiam illegitimos, & dotare filias, etiam illegitimas, & ſorores, ſi non habeat, vnde tales aliunde alat. Nam filij etiam illegitimi, ex quo ſunt nati non ſunt perdendi, ſed alendi tamquam pauperes. Et ſi ſunt alendæ filiæ, vel ſorores pauperes, poſſunt etiam dotari, quia dos ſuccedit loco alimentorum. *Sylu. v.Clericus 4.num.11.Nauar.de ſpol.in fine Azor. p.2. l.6.c.10.quæſt.10.Layman l.4.tr.2. c.3.num.4. Bonac. d.p.2.num.15.& 16. Et apud eum Sylu.v.Clericus 4.*

quæſt.

quæst.15.Angelus. Armilla, Tabien. Pax Iordan l.1. tit.1. nu.49. & apud eum *Surdus de alimentis tit. 1. quæst.2. Rota dec.224. p.1.nouiss.* Sed hoc verum est, vt aduertit *Syluester Nauar.* & alij, vbi militer titulus paupertatis; & filij non habeant aliunde vnde viuant. Quamobrem cum Pater habet de suo vnde filios alat, non potest eos alere de Ecclesia, nec filij sunt pauperes, qui habent Patrem diuitem, qui eos alere valeat. Et quod de dote dicebatur debet sic intelligi, vt dos respondeat alimentis illaque non excedat, sed sit congrua modesta, & non excessiua, vt post *Bald. in Authent. ex complex. ver. ex quo dixi. Abb.cons.115. col.p.ver. sed his non obstant.vol.2. Campeg. de dote 1. p. quæst.48. Gabriel de alim. concl. p. num.15. tradit Pax Iordan l.2. tit.1. num.51.*

84 Actus igitur misericordiæ in pauperes est pius vsus sine dubio, maximè conueniens beneficiatis. Quamuis verò bonum sit beneficiatum vti misericordia cum pauperibus loci in quo est beneficium, hoc tamen non est necessarium, nec datur lex, quæ hoc præcipiat. *Nauar. de red quæst.1. mon.27. num.2. Azor. p.2. l.7 c.20. quæst.2.*

85 Nomine verò pauperum veniunt primò, qui verè non habent vnde viuant, nisi fidelium pietas eos adiuuet. Veniunt secundò, qui licet habeant vnde simpliciter viuant, non tamen vnde viuant decenter, & secundùm sui status honestatem, & exigentiam vel si non habent vnde viuant, nisi ex eis, quæ non licet, vel decet eos vendere. *Nauar. de red. quæst.1. mon 27. nu.3. Azor. p.2. l.7. cap.70. q.2.* Propterea & consanguinei Episcopi vel beneficiati pauperes censentur, nedum si non habeant vnde viuant, sed si non habent vnde decenter viuant conformiter ad pristinum illorum statum, non enim ex eo, quòd sunt consanguinei Episcopi mutant statum, vt propterea dicantur pauperes, si non possint viuere sicuti nobiles, si conditione nobiles non sunt, sed si intra eorum statum pauperes sunt, potest beneficiatus eos adiuuare; & eorum paupertati succurere, vt habetur *cap. omnino, dist.31. cap. legant, d.37. cap. non satis, & cap. est probanda d.86. cap. quis. 12. quæst.2. & cap.1. de cohabit. Cleric. vbi Gloss. & Panorm. num.4. & ex Concil. Trid. sess 25. de reform. cap. 1. tradunt Nauar. manit.27. Ledesma de statib. c.3. concl.23. diff.1.§. A la razon de dudar.* & *Pax Iordan. lib.1. tit.2. num.43. vbi num.44. ex Nauar.* aduertit, quòd dignitas Episcopalis auget decorem familiæ, ideoque facit vt maiorem patiantur necessitatem quàm antea, & ne despiciantur pluribus indigeant. Et qui est causa damni debet illud resarcire, & sic pauperes sunt consanguinei si non habent vnde viuant decenter tamquam consanguinei Episcopi. Sed hic anguis latere potest. Nec consanguinei ex dignitate Episcopali collata consanguineo habent vt ad nouum altiorem statum nisi secùdum quid eleuare se debeant, & licet dignitas Episcopalis augeat decorem, hoc est secundùm quid, vt ex *Caiet. supra quæst.43. a.8. notat Laym. l.4. tr.2. c.3.* neque ex hoc parentes habent ius, vt simpliciter supra statum suum viuant de Ecclesia. Aliàs verò consanguineorum amor venenum est, quod insensibiliter animos Ecclesiasticorum penetrans quietem ab eis aufert, inficitque sollicitudinibus, salutemque nimis frequenter furatur sub specie pietatis. De quo videri potest *Hier. ad Paulam. Epis.25. & ad Fabiolam de veste Sacerdotali num.1.* & propterea *Concil. Trid. sess.25. cap.1. de refor.* omnino prohibuit beneficiatis ditare parentes, vnde licet eis de beneficiorum redditibus benefacere, vt non egeant, non vt diuites fiant. Ideo Beneficiatum posse consanguineam dotare, fratrem, vel nepotem, vel alium cognatum in arte, & studijs adiscendis alere, modò re vita illi pauperes sint, & indigeant, tradiderunt Angelus *v. Dos nu.5. & v. Clericos 13. num.11. Azor. p.2. lib.6. cap.10. quæst.9. Fillinc. & Valerus, quos sequitur Bonac. d.p.2. num.13. Layman. l.4. tr.2. c.3. num.3. & 5. & ex Nauar. Consil.2. de vita, & honest. Clericor. Addunt Layman, & Bonac.* quòd etiam si Pater sit diues, si tamen nolit filio præbere sumptus, qui ad studendum sunt necessarij, filius censendus est pauper, & potest beneficiatus de fructibus beneficij tales sumptus præbere.

86 Quod vero *Concil. Trid. d. cap.1.* non disponat aliquid de nouo, sed solum moneat opus maioris charitatis, ex *Ceuall. quæst.388. num.72. Gutierez quæst.114. l.2. num.16. Sarmient. de reddit. p 4. c.4. num.15. p.2. & cap.8. p.2. num.23. Grat. discept. for. cap.854. num.67. docet Pax Iordan lib.2. tit.1. nu.48.* Sed hoc non est conforme textui Concilij, nam Concilium omnino interdicit ne Episcopi Consanguineos augeant ex Ecclesiæ facultatibus; præcipit ergo, & prohibet. Addit vero Apostolorum Canones prohibere ne res Ecclesiasticæ dentur cōsanguineis, & in margine *citantur Conc. Ant. cap.53 & cap. quisquis 12. quæst.2. cap. sicut manifesta, cap. Episcopus, & cap. res Ecclesiæ 12. quæst. 2.* Quamuis igitur non præcipiat aliquid de nouo, non tamen solum monet, quod est maioris charitatis, sed verè præcipit, & quod est necessitatis ex iure diuino inculcat, & mandat.

87 Sed numquid non poterit Episcopus Consanguineis suis tradere officia in quibus multum adest lucrum, vt hoc modo ditentur? Non posse probatur ex *§. propinquis*, & subsequenti *text. in cap. decenter dist.89.* Propterea *Glossa ibid.* varijs modis hoc exponit. *Panorm. autem in cap.1. num.4. de cohabit. cleric.* distinguens ait, non posse Episcopum adhibere sibi coniunctos in officijs, & negotijs lucrosis vt eos ditet, sed bene vt eorum paupertatem sustentet. Et ita etiam dixerunt *Nauar. de redd. quæst.1. monit.7. & Pax Iordan. lib.2. tit.1. num.61.* Addens n.62. consanguineos nō debere dedignari esse officiales Episcopi, & ei inseruire, aliter ipse sine culpa posset illos destituere, illisque de necessarijs non prouidere. Sed ex *D. Thom. quodl.4. a.15.* quem sequitur *Turrecrem. ad d. cap. decenter d.89.* dicitur, quòd si consanguineus non est æquè idoneus ad officium sicut alius, non potest Episcopus illi officium Ecclesiasticum, seu administrationem bonorum Ecclesiæ committere. Et si id agit est infidelis, & contra iustitiam distributiuam iniustus, quia respicit consanguinitatem, quæ est qualitas non faciens ad negotium, & ideo personam acceptat. Sed si consanguineus sit vel dignior, vel æquè dignus, potest illi conferre officium lucrosum, neque hoc esse contra dictum *cap. decenter*, vt aduertunt *Glossa, & Turrecrem.* Quia immo charitatis ordo petit, vt habeatur præcipua cura domesticorum *cap. noua dist.86. ex Ambros. l.1. de off. cap.30.* Et cum nullum hinc oriatur damnum Ecclesiæ, potest Episcopus amori naturali indulgere, qui est con-

formis

formis charitati; Limitat tamen hoc D. Th. nisi ex eo, quòd Episcopus conferat officium consanguineis oriatur scandalum, & sit periculum, quòd alij Episcopi ex hoc officia dent minùs idoneis: Quod facillimum est vt fiat, cum damno Ecclesiæ; nam & administratio rerum Ecclesiæ habita per consanguineos periculi plena est, si non sint cordati, & pij. Nam & ipsi de facili superbiunt, & bona Ecclesiæ vsurpant, & Episcopi minùs fortes sunt, vt contra illos iura Ecclesiæ tueantur, & alij timidiores sunt, ne mala facta consanguineorum Episcopi accusent, vnde sine remedio res Ecclesiæ in peius ruunt. Hodie etiam extat Constitutio S. D. N. ALEXANDRI VII. Quæ incipit. *In supernu*, & data fuit die 23. Aprilis 1657. in qua prohibet bona Ecclesiarum Vrbis locari consanguineis, affinibus, & cognatis vsque ad tertium gradum inclusiuè, sub pœna nullitatis contractus, & amissionis fructuum, responsionum, & emolumentorum, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Pontifici reseruatæ. Solùm permittit eisdem locari domos, sed tamen vel de voto Capituli, aut Congregationis per secreta suffragia cum duabus ex tribus partibus, vel respectiuè de licentia Eminentiss. Vicarij cum solita pensione, & clausulis consuetis.

88 Titulus autem puræ liberalitatis non censetur pius, quia nimirum nisi adsit aliquod aliud motiuum vel misericordiæ, vel Religionis, vel quid simile, donare res Ecclesiæ, non est actus virtutis liberalitatis, sed est prodigalitas quædam sacrilega, quia contra religiolum finem ad quem bona Ecclesiæ data sunt, est illis bonis abusi. *Pax Iordan. l. 2. tit. primo numero 55. ex Nauar., de red. quæst 1. mon. 28.* Nihilominus *Layman. l. 4. tr. 2. c. 3. num. 2. ver. supponendum*, censet, quòd interdum Clericis liceant etiam liberales donationes sed non prodigæ. Sed hoc verum erit, non quia sola honestas liberalitatis valeat vt cohonestet donationes fructuum Ecclesiasticorum, sed quia & ad honestam vitam, & sustentationem Beneficiati spectat, vt se non ostendat auarum, & illiberalem, vel ex alio aliquo motiuo ad officium seu cultum Dei reducibile. Sic enim cuiuscumque virtutis honestas sicut ad religionem pertinere potest, & ab ea imperari, sic etiam habet vt possit esse quidam Dei cultus.

89 Multò maior est abusus, quando aliunde etiam est irrationabilis, & contra leges, sicut nedum est expendere contra diuinam legem ad odia exercenda & libidines, sed contra legem Ecclesiasticam in ludos, venationes, pompas, commessationes, & similia: immò & in res indifferentes; & non ex motiuo religioso, & in Dei cultum ordinato. Profanum enim est, quòd non in Dei cultum ordinatur. Et considerandum, quòd benè posset esse, quòd in laico aliquis vsus bonorū suorum sit actus virtutis, & ideo ex hac parte pius. Quoniam laici bona non sunt religiosa, seu Deo consecrata, & tam à dantibus, quàm à recipientibus ad Dei cultum applicata. Sicut sunt bona Ecclesiastica: & propterea non sufficit beneficiato, quòd his bonis vtatur ex motiuo alicuius virtutis, & ideo verè non sufficeret titulus misericordiæ, nisi hic titulus induerет religionis vestem. Quamobrem motiuum proprium ex quo vsus bonorum Ecclesiæ iustificatur est illud, quod ex proprio obiecto & fine virtutis religionis desumitur.

Ideo nulla consuetudo facere potest vt beneficiatus fructus beneficij impendat nedum in vsus turpes, sed etiam ad ditandum consanguineos, quia de iure diuino est, vt tales fructus non nisi in vsus pios impendantur, contra quod non valet consuetudo. *Caiet. hic Nauar. de redd. quæst. 1. mon. 31. Pax Iordan. l. 2. t. 1. num. 54.*

SVMMARIVM.

1 *An etiam nunc beneficiati teneantur redditus in vsus pios conuertere. n. 90.*
2 *Ad id cur teneri ex iustitia, qui sentiunt. n. 91.*
3 *Multiplex distinctio bonorum Ecclesiasticorum. n. 92. 93. 94.*
4 *Bona Ecclesiastica ex quo expenduntur in eum finem ob quem dantur exeuntur consecratione, & quare. n. 95.*
5 *Quæcumque bona dantur Clerico pro actione determinata Clerico eam actionem præstante manent indifferentia, & veluti patrimonialia. numer. 96.*
6 *Quæ dantur Capellanis pro missis remanent indifferentia. n. 97.*
7 *Distributiones quotidianæ bona sunt indifferentia & libera. n. 98.*
8 *Adæquatè datum pro sustentatione ministrorum est liberum. n. 99.*
9 *Castra & bona honorifica censentur libera. numer. 100.*
10 *Etiam data Ecclesiæ pro victoria obtenta. numer. 101.*
11 *Quæ pro determinato opere dantur non habent obligationem ad aliam vsum sacrum. n. 102.*
12 *Subsidium aliquibus Cardinalibus datum est liberum &c. n. 103.*
13 *Etiam quod datur Legatis, & Nuncijs. n. 102.*
14 *Quæ dissipaltas remaneat. n. 103.*
15 *Ecclesia potuit mutare statum Ecclesiasticorum bonorum. n. 104.*
16. *Et consuetudine potuit hæc mutatio fieri. n. 104.*
17. *Nulla quarta pars stabilium fuit assignata fabricæ, vel pauperibus. n. 105.*
18 *Fructus qui prius publicè diuidebantur in quatuor partes modo non diuiduntur. n. 105.*
19. *Nulla quarta pars pauperum incorporata prabendis. n. 105.*
20 *Ecclesia abstulit præceptum solemnis diuisionis reddituum in quatuor partes. n. 105.*
21. *Ecclesia prudentiæ beneficiatorum & eorum conscientiæ reliquit expendere quod superest, dum in vsus pios illud expendunt, & ei, ad quod tenentur ex iure diuino satisfaciant. n. 106.*
22 *Commendatarij censendi in hac parte beneficiati. n. 107.*
23. *Etiam Commendatarij Militiarum. n. 108.*
24 *Etiam Pensionarij. n. 109. 110.*
25 *Aliqui pensionarij liberi domini suarum pensionum nu. 111.*
26 *Qui possidet bona Ecclesiastica tenetur eis vti ad pios vsus. n. 112.*

An

An obligatio impendendi superfluum in vſus Religioſos nunc etiam ſe extendat ad omnes Eccleſiaſticos redditus, vel potiùs nunc omnes per diuiſionem præbendarum cenſendi ſint applicati perſonarum ſuſtentationi, ideoque tanquam patrimonialia ſint habenda?

90 RAtio difficultatis eſt, quia 6. concluſio *D. Thomæ* videtur loqui ſecundùm antiquum ſtatum, in quo omnia Eccleſiæ bona erant cōmunia, & nulli vſui deputata. Tunc enim Prælati habebant ius ſumendi de illis bonis, quantum expediebat, pro illorum ſuſtentatione, reliquum verò in pios ac religioſos vſus erat erogandum. Sed nunc cū per Eccleſiā præbendæ diuiſæ ſunt, & ſua pars eſt applicata Clero, & Parochis, & alijs Beneficiatis, & ſua Epiſcopis, rerum ſtatus multū videtur mutatus, & quòd cuicumque ſiue Parocho, ſiue Beneficiato, ſiue Canonico, ſiue Epiſcopo ſua præbenda ſit appropriata. Et ideo cenſenda ſit tanquam bonum patrimoniale beneficiatorum. Quamuis verò ita tenuiſſe videri poſſint illi, qui ſuſtinent ſine diſtinctione Clericos eſſe præbendarum ſuarum Dominos, poſſeque corū fructibus vti ac ſi illi eſſent patrimoniales. Tamen in rei veritate id non omnino ſentiunt, quia cum teneant Clericos beneficiatos, etiam nunc peccare, ſi quod ſupereſt de eorum beneficiorum redditibus profanè impendunt; iam neceſſariò fatentur, diuiſionem præbendarum non tribuiſſe dominium omnino abſolutum beneficiatis, ſed tale quod ad minus virtuti Religionis eſſet ſubordinatum.

91 Sed manet etiam difficultas de obligatione ex iuſtitia. Nam nedum affirmantem partem tenent *Nauar. & alij citati ſupra.* Sed inter alios noſter *Raphael à Turre ſupra q.87.a.3.diſp.4.nu.16.* docet, quod ſi portio pauperum confuſa fuit cum præbendis Epiſcoporum, & Rectorum, nunc Epiſcopi & Rectores tenentur ex iuſtitia ad erogandam eam portionem in pauperes, quoniam diuiſio præbendarum non potuit derogare pauperibus. Tum ſecundò quia portio illa non fuit confuſa, vt Paſtores ſibi rem pauperum vſurparent, ſed vt illam diſtribuerent. Et *D. Thom. in quodl.6. a.12.* interpretatur, vt loquatur de præbendis cum quibus non eſt confuſa portio pauperum. Subdit verò *num.19.* vehementes coniecturas conuincere, vt dicatur portionem illam pauperum confuſam fuiſſe cum præbendis Epiſcoporum, & ſaltem aliorum Rectorum curam animarum habentium. Tum quia illa portio pauperum in mundo erat, & nunc nullum eſt eius veſtigium, igitur ſignum eſt, quod manet confuſa cum prouentibus paſtorum. Tum quia nec dici poteſt, quòd illa portio ſit applicata hoſpitalibus, quia hæc in paucis ſunt locis; dicere verò quòd ex illa portione conſtituta ſint beneficia præſtimonialia pro illis edocendis, qui futuri ſunt Clerici, eſt velle diuinare. Tum tertiò, quia cum ad paſtores ſpectet habere curam pauperum, & eorum eſſet portionem pauperum eis diſtribuere, veroſimile eſt, quòd eadem portio confuſa remanſerit cum paſtorum præbendis, vt ipſi pauperibus eam diſtribuerent. Ideò etiam nunc paſtores habentes redditus pingues & ſuperabundantes eorum ſuſtentationi, teneri ex iuſtitia ex eis alere pauperes, ipſe docet.

92 Sed ad huius quæſtionis euidentiam diſtinguendum eſt: quia bonorum Eccleſiaſticorum quædam ſunt in quorum traditione, & receptione vſus religioſus conſumatur, & perficitur, ita vt nulli alteri vſui religioſo per ſe, ex vi traditionis & receptionis remanent ordinata & obligata, ſicut quæ dantur à beneficiato in eleemoſynam pauperi; traditio enim religioſa eſt, & quidam Dei cultus; ſed pecunia ſic tradita ſtatim fit profana, vel indifferens, nec pauper ex iuſtitia, aut ex fidelitate alicuius religioſi officij tenetur ea in Dei cultum impendere. Sed liber eſt, vt ea expendat tanquam patrimonialia. Alia autem ſunt bona ſacra quæ in alicuius determinatæ actionis exercitio & quaſi compenſatione, conſecrationem veluti exuunt, & manent indifferētia, dantur enim pro re aliqua determinata, aut actione habenda, vel nimirum pro habenda re temporali ad Dei cultum faciente, vt cum emitur calix, vel caſula, vel ſoluuntur ſtipendia pro ædificantibus Eccleſiam, vel in aliis ſimilibus contractibus, in quibus, vel Eccleſia emit ſibi vel alius vt Eccleſiæ faueat emit, quæ neceſſaria ſunt ad cultū Eccleſiarum, vel ad ſuſtentationem miniſtrorum. Per huiuſmodi enim emptiones, quæ religioſæ ſunt conſumatur, & finitur cōſecratio pecuniæ, vel boni, quod in huiuſmodi commutationes datur. Et ſicut Eccleſia fit domina rei emptæ, ſic vendēs fit dominus abſolutus bonorum Eccleſiaſticorum, quæ recepit in compenſationem rei venditæ.

93 Quamuis verò vbi pecunia datur pro re ſpirituali habenda, non adſit hæc ratio emptionis, & compenſationis, nam ſimonia eſſet ſi quis pro habenda miſſa tanquam miſſæ pretium daret temporale ſtipendium. Nihilominùs quidam modus compenſationis adeſt, prò quanto dicenti miſſam debetur ſuſtentatio, & ad finem habendi miſſam ille dat ſtipendium. Vnde ſacerdote non defraudante mentem petentis, & dantis ſtipēdium miſſæ, iam ex hoc ſtipendium receptum nulli alteri vſui Religioſo eſt obligatum. Quia finis religioſus adæquatus ob quem datum fuit, iam habitus eſt, datum enim fuit ſtipendium, vt in Dei cultum celebraretur ſacrum, quod & fuit factum; vnde pecunia illa iam ampliùs non eſt ſacra ſi ſacrum dicitur quod eſt obligatum ad Dei cultum, licet adhuc ſit ſacra ſubiectiuè, quia eſt perſonæ ſacræ, & cauſaliter, quia ratione alicuius ſacri cultus præſtiti acquiſita. In huiuſmodi igitur compenſationibus, vel habentibus modum compenſationis, in quibus pecunia ſacra datur, vel quia propriè emitur res temporalis in Dei cultū, vel quia tanquam perſonæ ſtipendium datur aliquod pro aliquo Dei cultu habendo, conſecratio pecuniæ, vel boni Eccleſiaſtici prout eſt deputatio & obligatio ad Dei cultum conſummatur & finitur in ipſa vel traditione, vel quaſi compenſatione: & qui pecuniam vel aliud bonum recepit, nō manet Deo obligatus ad illam pecuniam, vel bonum in alium vſum Religioſum impendendum, niſi prout tenetur etiam reſpectu eorum, quorum eſt dominus.

Ve-

94 Verùm alia sunt bona, quæ veluti æternam consecrationem habent, quia eorum vsus est perpetuus; data enim sunt, vt Ecclesia eis in perpetuū Dei cultum vtatur, sicuti sunt prædia, & alia bona fructus annuos habentia, quorum bonorum fundus donatus est Ecclesiæ, vt ipsa annuatim ex illo habeat, quod in Dei cultum impendat. Siue etiam talia sunt bona pretiosa quæ seruando seruari possunt. Ab his enim non tollitur consecratio per aliquem quemcumque illorum vsum, quia illorum successiuus, & continuus vsus est Deo consecratus, & debitus. Verum quidem est, quod etiam isti bonorum fructiferorum redditus dum in Dei vsū impenduntur, & ipsi consecrationem amittunt, seu obligationē ad alium vsum Religiosum exuunt, & manent bona indifferentia. Sed hoc partialiter fit, & successiuè, & qui supersunt, & nondum in pium vsum impensi sunt, consecrati manent & ad Dei cultum obligati.

95 Ex his colligitur, quod bona Ecclesiastica sic sunt Deo consecrata, quòd ex quo semel impēduntur in eum finem in quem adæquatè ordinata sunt, illa exnuntur consecra ione, & obligatione ad quemcumque alium in Dei cultum, & is, cui traduntur tunc (si sit capax) fit dominus illorum, ita quòd nec ex iustitia, nec ex fidelitate Religiosi officij teneatur illa impendere in vsus sacros, & nō profanos. Quia ex quo ad Dei cultum seruierunt, iam veluti sunt functa officio, & obligatione. Sic enim bona Ecclesiastica, etiam si prius fuissent præbendæ alicuius beneficij, si per Pontificem sint applicata vel pro cathedra aliqua moderanda, vel officio Inquisitionis aut Auditoris Rotæ, aut pro alio quocumque vsu non est necesse, vt in alium sacrum vsum conuertantur pro quanto viui illi, ad quem fuerunt applicata deseruiunt. De quo videri potest, *Ledesma vbi supra, §. dico lo quinto*. Solùm verò illa bona hac obligatione non exuuntur, quæ sunt data non in vsum determinatum. Nam illa obligatione eterna sunt consecrata donec in aliquem vsum sacrum sint finaliter erogata, & sic nisi tota in vnum, vel plures vsus sacros impendantur, semper pro parte nondum in aliquem vsum sacrum non impensa, remanent obligata.

96 Datur igitur hæc prima regula, quia nimirum quæcumque bona dantur Clerico pro aliqua actione determinata, Clerico eam actionem præstante remanēt consecratione exuta, & libera, & indifferentia, & fiunt absoluti dominij ipsius Clerici, ita quòd nec ex iustitia, nec ex fidelitate officij Religiosi ipse teneatur ea in aliquem alium vsum sacrum impendere. Et hoc est verum siue illa actio sit celebratio missæ, siue administratio Sacramenti alicuius, siue aliqua benedictio, siue funus aliquod, siue quodcumque ministerium Ecclesiasticum determinatum, etiam si talis actio sit de pertinentibus ad eiusdem Clerici officium, & ex officio teneatur ita agere, vt si Clericus sit Parochus qui teneatur Sacramenta suis ministrare. *Nauar. mon.19. Sotus l.10.de iust.q.4. a.3. Raphael a Turre supra q.67 a.2.d.s.2.num.10. Ledesma de statib. cap.3. concl.21. & 23.diff.1.§.digo lo secundo, Sylu.v. Clericus 4.num.3. & 6. Azor.p. .l.6.c.9. q.10. & 11. Pax Iordan. l.2.tit.1.n.58.* Ratio redditur, quia hæc sint quasi patrimonialia, quæ ad patrimonialia reducuntur. Sed huius dicti adhuc desideratur ratio.

Hæc vero est, quia hæc bona non sunt amplius sacra, seu specialiter ad Dei cultum obligata. Nam adæquatè data fuerunt pro illo opere absque aliqua alia obligatione, [illegible] quæ esset ex iustitia, sed quæ orientur ex religione, quia intentio dantium, & recipientium non est nisi pro illo opere, quo habito non intrat alterius finis obligatio, quia finis obligatio vltra intentionem agentium non se extendit. Clericus ergo iste horum bonorum manet dominus ac si patrimonialia essent.

97 Hoc autem verum est, etiam si huiusmodi bona data sint per modum officij, si ex eius fundatione constet redditus euenturos esse assignatos adæquatè pro actione aliqua à Clerico habenda, vt patet in Capellania instituta, pro celebratione tot missarum, aut anniuersariorum aut alterius similis actionis. Tunc enim illi redditus sunt obligati solum ad Dei cultum vt præstandum per illas actiones, & pro illis actionibus habendis bona illa sunt data. Illis igitur ex parte Clerici præstitis, illoque stante a se promissis non manent ad alia obligatus, & ex hoc illi redditus remanent liberi, & indifferentes, vt possint ac si essent bona patrimonialia in quoscumque vsus alios non illic tos expendi, *Angelus ver. Clericus 13. Rosella num. 2. Sylu.q.4.num.3. Azor p.2.l.7.cap.9.q.10.* Excipitur Capellania titularis erecta auctoritate Episcopi, vt vult *Bonac.d.p.2.num.19.* huius reddens rationem, quia talis Capellania est beneficium Ecclesiasticū, sic quoque *Sylu. & ex Dominico, & Franco, Azor. loco citato*, excipiunt Capellanias non amouibiles, quæ dantur in titulum beneficij. Nam Beneficiati administratores sunt redditūum beneficij, quibus illorum curæ commissi sunt, vt ex eis viuant, & alia in pios vsus conuertant.

98 Canonici quoque & alij seruientes Cathedralibus, & Collegiatis, aut alijs Ecclesijs, domini fiunt distributionum sine alio speciali onere; cum enim distributiones dentur pro actuali, & personali opere, ijs scilicet, qui choro & horis intersunt nullum aliud onus annexum habent, sed remanent bona libera, & indifferentia & nulli alteri vsui sacro iam consecrata. *Sotus lib.10. de iust.q.4. a.3.concl.3. Raphael à Turre d.num.10. Sylu.v.Clericus 4.num.3.Azor.p.2.l.6. cap.9. q.10. & ex Valer. Paris. Fillius supracit. Bonac.d. p.2. nu.18.* Hoc ampliant, *Sylu.est. d. num.3. & ex Abbate & Dominico Azor.d.q.10. & Bonac.d.n.18.* vt sit verum etiam si totus redditus Canonicatus in solis distributionibus consistat, sed hoc difficultatem habet. Nam tunc licet toti fructus dentur seruata distributionū regula interessentibus choro & horis, non tamen dantur vt purum stipendium illius interessentiæ, sed regula distributionum seruatur vt Canonici diligentiùs horis adsint. Vnde in hoc vera est sētentia *Nauar.de reddit. quæst.1. num.30.* benè considerantis, quod bona Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis donata in Dei cultum, non possunt mutare finem in quem ipsa donata sunt, nec est in potestate Capitulorum fidelium benefactorum intentionem mutare. Vbi igitur bona non fuerunt relicta in stipendium pro opere determinato, sed absoluté in sustentationem Canonicorum & Dei cultum, quòd postea ordinatum sit, quòd prouentus omnes à Canonicis percipiantur seruata regula distributionum, non variat bonorum illorum naturam,

ram, & iam illæ non sunt propriæ distributiones, sed prouentus & redditus beneficij assignati pro titulo & officio absolutè & non pro hoc, vel illo determinato opere. Solæ igitur propriæ distributiones quę dantur adæquatè vt stipendiu interessētiæ horis sunt tales, quæ nulli alij oneri subsint, & possint Canonici illis, vt bonis indifferentibus vti.

99 Additur nihilominus vlterius, quod vbi ex fundatione Episcopatus, vel Abbatiæ, vel Canonicatus, vel cuiuscumque beneficij constet, quod redditus illorum vel in toto, vel in parte fuerunt à fidelibus donata determinatè & adæquatè pro sustentatione Episcopi, vel Abbatis, vel Canonici, vel Beneficiati, tunc illi redditus vel in toto, vel respectiuè in parte sicut ex fundatione sunt applicati ad hunc determinatum vsum pium, sic sunt ab omni alio onere exempti. Nec obstat etiam si sint superabundantes, & superflui necessariæ illorum sustentationi: quia non est de se malum, quod ministri Ecclesiæ superabundent in diuitijs, sed immo potest esse ex multiplici capite valde vtile Ecclesię, ex hoc enim Prælati & Beneficiati sunt & fortiores pro Ecclesiarum iuribus defendendis, & magis potentes vt possint & subditos rebelles coercere, & magis idonei, vt possint fidem, & bonos mores promouere, & magis apti ad opera misericordiæ, & gratitudinis & Religionis. Aliàs verò, qui tales fundationes expressè fecerunt pro sustentatione dictorum Prælatorum, & Beneficiatorum, licet superabundanter donauerint sub spe, quòd præfati vsuri essent bonis iuxta virtutum leges, & suorum officiorum præscripta, in mò & secundùm consilia Euangelica, tamen non per hoc nouum onus ad ista peragenda imposuerunt, sed tanquam stipendium sustentationis illorum bona sua tradiderunt, vnde eorum bonorum redditus liberi sunt, & præfati Prælati, & Beneficiati eorum domini sunt sine speciali conditione, onere & pacto ea in alium vsum pium insumendi.

100 Huius etiam conditionis sunt Castra, Oppida, Villæ, quæ Episcopatibus, & Abbatijs titulo honorifico donata sunt, vt sint eorū domini temporales. Quoniam illustres Principes, qui talia donarunt, dominium plenum, quod ipsi habebant, in Episcopos, vel Abbates transtulerunt; illi verò Principes plenam illorum administrationem habebant, Non tamen, quia Prælati talia alienare possint, quia Ecclesiæ illa donata sunt, sed tamen quia ad honorificum titulum Prælatorum donata sunt, & pro augendo honorę, & reuerentia illorum, & vt sint etiam potentes in sæculo, ipsi Episcopi in administratione redditum illorum succedunt dominis ipsis: quamuis seruari debeat personarum decor, & differentia quæ est inter Principē secularem, & Ecclesiasticum. *Caiet. hic in resp. ad secundum dubium in fine*. Vbi quod hæc bona data sunt principaliter in Dei & Ecclesiæ honorem, & bonū commune ipsius dominij, sicut data fuerunt domino sæculari, & solum secundùm in vtilitatem pauperum. *Ledesma de statibus c.3. concl.23. diff.1.§. Digo lo tercero pag. mihi 30. Raphael à Turre dicto n.10.*

101 Idem iudicium fieri debet de his, quæ fideles ex voto obtulerunt Ecclesiæ in gratiarum actionem pro victoria aliqua, aut al o beneficio obtento; Nam talia dantur Ecclesiæ in hunc vsum pium, qui est vel voti satisfactio, vel gratiarum actio nec censeri debent data sub a io on[illegible] sunt etiam veluti stipendia orationibus M[illegible]rum Ecclesiæ data. *Ledesma vbi supra*. Tamen si hæc applicantur Ecclesiæ, ex hoc fiunt bona [illegible], & ad Dei cultum deputata.

102 Itaque ad hoc vt aliqua bona cens[illegible] sint obligata ad vsus pios, non sufficit quod sint bona Ecclesiasticorum, etiam data ab Ecclesi[illegible] est necesse vt sint deputata ad sustentandum sacra, & non sufficit quòd percipiantur alia ratione, [illegible] eleemosynæ, vel salarij, vel stipendij [illegible] remunerationis, vel alia huiusmodi, quæ non [illegible] spirituale illa percipiendi in perpetuum [illegible] soli Ecclesiasticæ personæ conferibile. Ita *Nauar. de reddit. monito 39. num.5.* Sed ex di[illegible] supra n[illegible] auditur, quod ea bona sunt obligata ad pio[illegible], quando vsus piu[illegible] ad quem dan[illegible] nō est [illegible]minatus, quia deputata sunt ad pios vsus [illegible]ni, non vero ad hunc vel illum determinate. Quia quæ pro determinato vsu dantur, eo [illegible] & consummato cessat obligatio, vt in alium v[illegible]m impendantur. Ex hoc bene dicitur, quod subsidium quod datur aliquibus Cardinal[illegible]s in [illegible]ium expensarum centendū est quasi patrimoniale. *Nauar. monit.39.* Sed ratio est, quia datur adæquatè, & determinatè pro tali effectu. Eiusdem rationis est auxilium, quod datur Legatis, & Nuncijs.

103 Hæc igitur & similia bona appl[illegible]ta ad vsum sacrum determinatum independ[illegible] a diuisione præbendarum sunt diuisa, & sub [illegible] potestate beneficiatorum posita. Difficultas igitur remanet de red[illegible]ibus beneficiorum, & præbendarum, quos Beneficiati ex iure perpetuo sibi col ato per Ecclesiam percipiunt, & qui dat[illegible] sunt [illegible] principaliter ad eorum sustentationem [illegible] con[illegible] il is administratione bonorum illorum tr[illegible] [illegible]m quæ Ecclesiæ sunt, & Ecclesiæ incorpora[illegible] & tanquam Christi patrimoniū ad Dei cultum deputata.

104 Dicendum igitur est E[illegible] n po[illegible] mutare statum Ecclesiasticorū bonorum, & [illegible]m eorum, quæ in communi ad nullum determinatum vsum donata fuerunt, sed eorum, quæ fuerunt donata pro fabrica, vel pro Clero, determina[illegible] [illegible]ia Summus Pontifex in his habet amp[illegible] p[illegible]statem, ita vt ex iusta causa etiam d[illegible] [illegible]ssic voluntati eorum, qui Ecclesiæ reliquer[illegible] r & fit de facto sæpe, & ita iusta causa ac[illegible] potuit relicta fabricæ applicare Clero, & e contra, *Ledesma de statib.cap.3. concl.23. diff.1. §. digo lo [illegible].10* Non tamen præsumi debet sic fuisse f[illegible]m, [illegible] immò quod præbēdæ sint institutæ ex [illegible]s bo[illegible] principaliter in sustentationem mini[illegible] data fuerunt. Consuetudo etiam potuit a iqu[illegible]m [illegible]tionem facere, nec obstat, quod consuetud[illegible] prævaleat contra legem naturæ, quia hoc n[illegible] verum de lege fundata super contract[illegible]bu[illegible] [illegible]ctis, & dominio rerum, quoniā quotidie contra [illegible] dominia ex vi præscriptionis [illegible] ad no[illegible] dominos res transferunt & qui erant veri dom[illegible] [illegible] uent sine possessione & proprietate, & al[illegible] hæc transfe[illegible]unt fiunt verè do[illegible] non [illegible], & Ecclesia etiam contra Ecclesiam præ[illegible]. Quod vero difficultatem fac[illegible] est, quod [illegible] ad [illegible] præceptum alendi pauperes ex bo[illegible]is Ecclesiæ [illegible] postea hoc præceptum, explicatum, & limitatum, vt sola quarta pars pauperibus cederet. S[illegible] cum

vbi

vbi non sunt hospitalia, vel similia loca pia ad pauperes alendos instituta, hæc pars pauperũ non appareat, sicut etiam dicitur de portione iam assignata pro fabrica, incertum verò sit, quid de hac portione actum fuerit, incertum quoque manet quanta sit obligatio beneficiatorũ ad impendendũ, quod superest vel pro fabrica, vel pro pauperibus.

105 Sed considerandum est, quòd portio fabricæ, & pauperum non erat bonorum stabilium, sed fructuum, & sic fieri debebat, quòd hoc non erat exiustitia, sed ex præcepto Ecclesiæ, & antequam fieret, nõ habebant pauperes ius ad aliquam partem. Fiebat illa diuisio publica auctoritate, & manifestè, & patenter, & tam pars pauperum, quàm fabricæ ministris deputatis assignabatur. Nũc certè hæc diuisio non fit. Nec est vnde pauperes illam prætendant, quia nomquam facta fuit ex iustitia, sed ex Ecclesiæ præcepto. Quæ ex quo bona, quæ priùs vt communia administrabantur, diuisit in præbendas, & tam Episcopo, quàm Canonicis, & Parochis, & reliquis Clericis præbendas diuisit, & beneficia instituit, & bona Ecclesiæ beneficiatis applicauit, nullo posito præcepto de diuisione aliqua fructuum facienda, constat, quòd ab antiquo vsu recessit, & præceptum abstulit de diuidendis redditibus Ecclesiasticis diuisione illa solemni patenter, & manifestè facienda, & de assignanda portione ministris deputatis pro fabrica, vel pro pauperibus. Et manifestissimum est, quòd à quampluribus seculis hæc diuisio facta non fuit, & non fit. DD. ergo, qui obligationem iustitiæ ad erogandam quartam partem pauperibus asserunt, quam quartam partem quærunt, & quam dicunt esse confusam cum præbendis? Forsan quartam partem stabilium? Sed numquam fuit hæc quarta pauperibus assignata, sed solùm fructus diuidebantur; vnde est, quòd nulla bona pauperum sunt confusa cum præbendis. Si quærunt verò quartam partem fructuum cũ huiusmodi portio diuideretur solemniter ex præcepto Ecclesiæ, & hoc præceptum hodie nõ vigeat non est vnde asserta obligatio iustitiæ colligatur.

106 Verum quia beneficiati, & præsertim Episcopi, & Pastores ex eorum officio tenentur habere curam Ecclesiæ, & pauperum, hoc certum sit, eos non manere deobligatos ab hoc onere, quod etiam respicit bona propria. Sed quia aliàs (exceptis bonis donatis expresè sub onere fabricæ, & pauperum) ex nullo præcepto diuino est, vt illa bona dentur determinatè pauperibus, nisi ex officij misericordia in casibus singularibus, vnde diuisio illa in quatuor partes fuit Ecclesiastica; quia sic de facto est, quòd modò bona Ecclesiastica diuisa sint in præbendas, & hoc a pluribus seculis, dicendum mihi videtur, quòd modò beneficiati redditum suarum præbendarum sint domini, & ab Ecclesia relictum sit eorum prudentiæ, & charitati vt spectato nedum præcepto misericordiæ in communi, sed præcepto religiosi officij & conditione redditum, qui sunt de patrimonib. Christi qui habent beneficia, & præbẽdas teneatur eisdem redditibus vti ad beneficium fabricæ, vel pauperum, numquam verò possint eisdem abusi ad vsus profanos. Itaque pro hoc tempore in quo præbendæ diuisæ sunt, dicitur quod redditum, qui ex bonis Episcopatui, aut beneficio applicatis annuatim percipiuntur, Episcopi, & beneficiati sunt Domini taliter, quod absque cuiuscumque iniuria, & iniustitia possunt illos cõsummere, & licet peccent, si in pios vsus non conuertant, non sunt tamẽ propriè iniusti. Sic certe sentit *D. Th. hic, & quodl. 6. a. 12. Sotus* late hoc probans *l. 10. de iust. q. 3. a. 6. dub. vlt. concl. 4. & 6. Led. de statib. c. 3. conel. 23. per totam.*

107 Nomine autem beneficiatorũ in hac parte veniunt etiam perpetui Commendatores beneficiorum Ecclesiasticorum, quia isti comparantur & habentur ac si haberent beneficia illa in titulum. Et quia redditus illorum beneficiorum sunt sacri, ideoque non nisi in sacros vsus expendendi. *Nauar. de reddit. mon. 55.*

108 Et hoc extenditur etiam ad Commendatores militares, nam & huiusmodi sunt beneficia Ecclesiastica, & bona verè ad sacrã militiam consecrata. *Nau. d. mon. 51.* Verum est, quòd aliqui excipiũt Cõmendatores Militiarum S. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, & S. Stephani, dicentes hos solùm venialiter peccare si in vsus profanos bona Commendarum expendant. *Bonac. d. p. 2. num. 24.* sed hoc admitti non debet, tum quia falsum est, quòd eorum bona non sint simpliciter Ecclesiastica, & ipsi non sint personæ Ecclesiasticæ, vt latè probat *Nauar. d. mon. 55.* Tum quia quidquid sit de nomine *Ecclesiastici*, manifestum est bona commendarum illarum esse sacra, quia sunt bona militiarum militia in diuini Cultus & religionis Christianæ defensionem ordinata, vnde nec est verum, quòd bona illa tribuantur illis Commendatoribus titulo militiæ secularis, quia illæ militiæ suo modo ex fine religiosæ sunt tamquam ordinatæ ad Ecclesiæ defensionem secundùm earum leges. Nec interest, an sint, vel non sint veri religiosi & perfecti, quia nec Clerici seculares sunt religiosi, & tamen eorum bona cultui sacro sunt applicata. ideo illi etiam prohibiti sunt ex diuina lege redditus suas in vsus profanos impendere, & parentes ditare.

109 Non esse verò idem dicendum de pensionarijs, dixerunt *Conar. de testam. c. cum in officijs num. 6. Gigas de pensionibus quæst. 52. Paul. Rom. de pens. quæst. 8. vers. 1. Ecclesiastica pensio, Redoan. de spolijs Cler. quæst. 5. §. 1. num. 27. & 28. & quæst. 8. §. denc. mendo. num. 24. Carcial. de pension. quæst. 25.* quos refere, & sequitur *Azor. p. 6. l. 7. cap. 9. quæst. 12.* Fundantur verò tum primò, quia pensio non est propriè beneficium, sed est aliquid profanum in mera temporalitate consistens, vt per DD. *in cap. ad audientiam 2. de rescript. & Clem. p. de suppl. negl. Prælat.* vnde etiam laico assignari possunt. *Redoan. de pens. quæst. 3. num. 8 ex Archid. & Franc. & alijs.* Tum secundò, quia pensionarius æquiparatur vsufructuario, quia pensio extinguitur morte sicut vsusfructus morte vsufructuarij. *§. finitur autem, instit. de vsufruct.* At verò vsufructuarius facit fructus suos per textum *in l. defuncta. ff. de vsufruct.* Tum tertiò, quia pensio videtur assignari in causam alimentorum vt per *Gig. de pens. quæst. 51. num. 12. & Rom. cons. 388.* Qui habet autem legatum pro alimentis illorum est dominus, & ita vt transmittat ius exigendi ea non soluta ad hæredes. *Redoan. vbi supra, num. 11.* Sed & bona quasi patrimonialia esse pensiones, quæ dantur laicis aut Clericis ratione aliquorum obsequiorum præstitorum, vel præstandorum, docuit *Nauar. de red. mon. 39. in fine.*

110 Verùm dicendum, quòd ius exigendi pen-

ſiones, quod ſuper beneficijs imponitur eſt Eccleſiaſticom, vnde eſt, quòd per Conſtit. Pauli Tertij, Iulij Tertij, & Pij Quinti penſiones æquiparantur beneficijs in materia ſpoliorum tamquam bona Eccleſiaſtica, & de patrimonio Chriſti exiſtentia. Et meritò: Nam penſiones ſunt fructus beneficiorum, idcoque ſunt bona Deo conſecrata; hanc verò qualitatem non amittunt, ex eo, quòd dantur alicui in ſui ſuſtentationem. Immò ex hoc habetur, quòd ſicut beneficia ſic dantur principaliter in ſuſtentationem miniſtrorum, quòd tamen id, quod ſupereſt Chriſti eſt. & in vſos pios debet impẽdi. Sic ergo quod ſupereſt de penſionibus datis in ſuſtẽtationem debet in eoſdem vſus ſacros expendi. Vt docent *Redoan. d. quæſt. 3. de ſpolijs. a. num. 12. Nauar. de redditib. quæſt. 1. mon. 32. & de ſpolijs. §. 8. numer. 8. Garz. de benef. p. 1. cap. 5. num. 161. & apud eum Molina, & Sarmient. Bonac. de oblig. benefic. p. 2. nu. 17.* Et quæ ſupra in contrarium adducta ſunt, cum loquãtur de bonis patrimonialibus ad rẽ nõ faciũt.

111 Limitatio tamen poſita ſupra a *Nauar.* admitti poteſt, quia quòd titulo gratitudinis, vel mercedis pro obſequio præſtito, vel præſtando adæquatè datur, non ordinatur in alium vſum pium, ſed ex ipſa tali traditione in dominium traditur eius, cui datur tamquam bonum liberum, & tale, quod ſufficienter eſt in vſum pium expenſum, ex quo pro compenſatione obſequij eſt datum, aut titulo gratitudinis redditum.

112 Et ſic quicumque ſub quocumque titulo poſſidet bona Eccleſiaſtica non licet ei ad profanos vſus, vti huiuſmodi bonis, niſi iuxta ſupradicta huiuſmodi bona ex quo ſemel in Dei obſequiũ impenſa ſunt, conſecrationem iam conſummauerint, ſiue exuerint, & facta ſint quaſi bona indifferentia & patrimonialia. *D. Th. hic, Caiet. Sotus l. 10. de iuſt. quæſt. 4. a. 3. Nauar. mon. 30.*

SVMMARIVM.

1 *Beneficiatus vtens redditibus ad profana non tenetur ad restitutionem. n. 113.*
2 *Hæres beneficiati iuſte recipit fructus, qui erant beneficiati. n. 114.*

An Epiſcopi, & beneficiati expendentes fructus ſuperfluos beneficiorum ſuorum in vſus profanos, & non in pauperes teneantur ad reſtitutionem?

113 HAec verò quæſtio iam ex ſupra probatis eſt manifeſta. Cum enim Epiſcopi & Beneficiati non teneantur ex iuſtitia ad eleemoſynas, vel alium vſum pium vti proprijs præbendis, hinc eſt, quòd nec tenentur ad reſtitutionem, ſi redditus earum profanè conſumant, vt ſæpiùs citati DD. docent.

114 Vnde eſt, quòd hæres beneficiati, ſiue ſit talis ex teſtamento, ſiue ab inteſtato iuſtè recipit fructus beneficij, qui erant beneficiati. Huius rationem verò reddit *Bonac. de oblig. beneficiat. p. 4. num. 2.* ex eo, quòd obligatio expendendi illos fructus in vſus pios ſit perſonalis, & expirauerit cum Beneficiato: Quod difficultatem habet, quia hæc obligatio oritur ex qualitate rei, quæ eſt patrimonium Chriſti. Vnde potiùs dicitur, quòd cum non apparcat an illi fructus ſint de neceſſarijs ad ſuſtẽtationem Beneficiati, vel potiùs ſint ſuperflui, ex confuſione, quam habent cum neceſſarijs, cenſentur in illorum numero, ſeu exuiſſe iam conſecrationem, & veluti eſſent patrimonialia ad hæredes peruenire, Et vt lites quàm maximæ finiantur, ita conuenienter introductum fuit, vnde & in hoc caſu, iam aliquid pium eſt, & religioſum vt ſine alia diſcuſſione huiuſmodi bona ad hæredes pertineãt.

SVMMARIVM.

1 *Non erogare ſuperfluum in pauperes dicitur rapina ratione præcepti charitatis. n. 115.*
2 *Quod dicatur rapina pauperum id, quod eis non datur eſt locutio figurata. nu. 115.*
3 *Quando obligat in caſibus particularibus præceptum charitatis, & miſericordia remiſſum prudentiæ. n. 116.*
4 *Præceptum miſericordiæ obligat ſub hac conditione, ſi potes, & abundas. n. 116.*
5 *Epiſcopi tenentur ad vberes eleemoſinas. nu. 117.*
6 *Sed quantitas earum prudentiæ eſt relicta. nu. 117.*
7 *Quomodo Epiſcopi teneantur quærere pauperes. num. 118.*
8 *Epiſcopus non habens hortatur habentes ad eleemoſinas. n. 119.*
9 *Non tenetur Epiſcopus cuicumque indigenti eleemoſinam facere. n. 120.*

AD PRIMVM.

115 IN reſponſionibus ad argumenta dantur à *D. Th.* regulæ ad intelligentiam eorum, quæ ſancti dixerunt de obligatione Eccleſiaſticorum ad eleemoſynas elargiendas. In hac verò reſponſione occaſione eius, quòd habet *Ambroſ. ſerm. 81.* vbi habet, quòd nemo debet dicere proprium, quod eſt commune. & quòd ſuperfluum naturæ & perſonę violenter aufertur, ſi pauperibus nõ diſtribuatur, datur hæc prima regula, quia nimirum non erogare ſuperfluum pauperibus dicitur violenta ablatio & rapina ratione obligationis præcepti charitatis, quod nedum Eccleſiaſticos, ſed etiam laicos omnes obligat ad ſuccurrendum pauperibus de ſuperfluo; vnde ex hoc nihil concluditur ex quo inducatur obligatio ſpecialis in Eccleſiaſticos ad dandas eleemoſynas, quia *Ambroſius* vniuerſaliter loquitur etiam de ſecularibus. Et ſic etiam habetur, quòd dum dicitur, quòd non dare eleemoſynam de ſuperfluo eſt violenta ablatio eius, quod eſt pauperum, eſt loquutio figurata & impropria & per exagerationem dicta; quia non dare eleemoſynam non eſt contra præceptum iuſtitiæ, ſed contra præceptum miſericordiæ.

116 Addit verò *D. Thom.* quòd, quando in caſibus particularibus pręceptũ miſericordiæ obliget ſub mortali ad dandam eleemoſynam, non eſſe res certa, ſed arbitrio & prudentiæ commendata. Quod eſt verum nedum, quia prudentiæ diuitum eſt videre, qui ſint illi caſus in ſingulari in quibus adeſt pauperis neceſſitas, ſed quia cum hæc obligatio oriatur, vt patet ex verbis Ambroſij ſi adſit hæc conditio, ſcilicet ſi poſſis, & abundas, & quando hæc conditio adſit, & quando ea conditione extante ſit in paupere talis ac tanta neceſſitas, vt diues ſit obligatus ad eleemoſynam, eius pruden-

prudentiæ est relictum, cum totum hoc, ex particularibus dependeat, vt *Caiet. aduertit.*

117 Et propterea licet Prælati ex officio teneatur magis ad præceptum eleemosynæ, eorum tamen prudentiæ est remissum videre in singulari quando adsit casus huius obligationis. Ideo non possumus assiguare & taxare partem aliquam, quam si Episcopus erogauerit in pauperes ad nihil ampliùs teneatur. Quoniam limitari nequit, nec boni Pastoris officium, nec gregis necessitaa, pro cuius salute nedum totam substantiam, sed & vitam propriam debet Episcopus dare. Verùm, quia hi casus rari sunt, & in communibus necessitatibus oportet Episcopos vt Patres pauperum se gerere, nullus Episcoporum est in salutis statu, nisi & eleemosynas vberes distribuat habito respectu ad vbertatem præbendæ Episcopalis. *Bannes vbi sup. post. 7. concl. ait*, quòd nullum ex Hispaniæ Episcopis absolueret, nisi saltem quartam partem redditnum in pauperes impenderet spectatis communibus necessitatib. Nam in grauioribua necessitatibua quales esse solent tempore famis, belli, vel pestia ad amplius tenentur iuxta proportionem necessitatis pauperum. Sed absolutè dicitur cum *D. Th.* quod hoc est in arbitrio prudentis.

118 Sed tamen etiam hinc sequitur, quòd Episcopi tenentur inquirere pauperes in suis Diœcesibus, quib: eleemosynas faciant. Hos tamen pendet præcipue ex ea obligatione, qua tenentur solliciti esse de salute gregis; ex hac enim etiam debent esse solliciti ne pauperes pressi necessitate famis mala agant. Non quòd Episcopus teneatur singulos pauperes agnoscere; sed quia saltem in communi teneatur scire statum totius suæ diœcesis, & per Sacerdotes Parochialea, & alios ministros procurare, vt si adueniat casus specialis necessitatis sibi innotescat, cognito interim statu necessitatis cuiuscumque loci suæ diæcesis. *Bannes vbi supra. Pax. l. 2. t. 1. num. 84.* Cæterum in particulari non tenetur paupere inquirere, vt ex *D. Thom. quod. 6. a. 12. docet Azorias l. 7. c. 8. post. quæst. 2.*

119 Quod si Episcopus sit ita pauper, vt vix habeat, quod sufficit suæ sustentationi, in communibua necessitatibus non tenebitur ipse eleemosynam facere; sed tamen vt bonus Pastor alios ad eleemosynas dandas hortabitur.

120 Sed & si abundet non per hoc tenetur cuicumque pauperi petenti eleemosynam tribuere, quia licitè potest denegare, quòd reseruat alteri æqualiter indigenti. Sic ex *D. Th. quod 6. a. 12. docet Azor. l. 7. c. 8. post quæst. 2.* Vbi, quòd nec tenetur subuenire communiter indigentibua, vt carceratis, & similibus, si in alios communes indigentium vsus eleemosynam donat.

SVMMARIVM.

1 *Ex diuersa causa dicitur, quod superfluum retentum est rapina. n. 121.*

2 *Qualiter sit verum, quod in vsu redditaum præbendarum beneficiatus non peccet, nisi ex abusu sicut in patrimonialibus. n. 122.*

3 *Ex parsimonia acquirit sibi beneficiatus. n. 123.*

AD SECVNDVM.

121 IN hac responsione, ad secundum habetur altera regula, quia nimirum rapina est pauperum, non tribuere illis bona Ecclesiastica, quæ pro pauperum sustentatione data fuerunt principaliter, vel ab Ecclesia pro illorum sustentatione applicata sunt. Et ita ex hac ex superiori responsione adæquatè explicatur qualiter sit pauperum rapina illis non tribuendo Ecclesiastica bona; quod *D. Th.* expressiùs etiam declarauit *quodl. 6. a. 12. ad 3.* Nam bonorum Ecclesiasticorum alia sunt, quæ principaliter attributa sunt vsibus ministrorum Ecclesiæ, sicut sunt præbendæ Clericorum, & alia huiusmodi. Et alia sunt bona principaliter applicata pro vsu pauperum sicut sunt bona hospitalium, & aliorum huiusmodi. Loquendo de primis bonis, quòd non dare de illis eleemosynam sit rapina pauperum est verum solùm impropriè, & per exagerationem, si non fiat eleemosyna in illis casibus in quibus vel absolutè, vel ex officio tenentur Clerici eleemosynas facere. Sed loquendo de bonis secundi generia, defectus distributionis illorum bonorum, & vsurpare ea sibi est rapina contra iustitiam.

122 Est verò considerandum, quòd *D. Thom.* redditua præbendarum comparat & assimilat redditibus patrimonialibua, ita quòd Clerici in distractione, & dispensatione eorum non committant peccatum nisi ex abusu. Sed similitudo consistit in hoc, quòd in vsu illicito talium bonorum non est iniustitia, sed tamen discrimen est, quòd ex multis causis abutitur præbendia Clericus, ex quibus non abutitur suis bonia, tum quia Clerico speciali iure prohibitum est vti patrimonio Christi, ad profana, cum ei non sit eo iure prohibitum hoc respectu proprij patrimonij. Tum secundò, quia plures sunt Casus in quibus Clericus tenetur ad eleemosynas, quàm laicus.

123 In hac verò eadem responsione docet *D. Thom.* quòd beneficiatus parcè viuens potest de eo, quod demit de competenti sui sustentatione etiam ditare parentes. Et ratio est, quia illud, quod beneficiatus sic acquirit iam exuit rationem consecrationis, ex quo fuit deputatum ad sufficientem sustentationem Clerici, & manet ob hoc solutum ab omni alio onere, nimirum vt in aliam pium vsum impendatur.

SVMMARIVM.

1 *Clericus habens de proprio potest sustentare se de beneficio. n. 124.*

2 *Clericus in casu necessitatis non dans eleemosinam non est iniustus. n. 124.*

AD TERTIVM.

124 DAtur regula seruanda ab eo, qui habet de proprio vt se sustentet, & nihilominùs se sumptibus beneficij sustentare vult, quia nimirum id facere potest, si non adsit necessitas ex parte pauperum, quæ vrgeat ad largiendam illis eleemosynam. Et hoc optimè probat *D. Th.* Nam nō omnia bona Ecclesiastica sunt pauperibus eroganda, sed datur portio applicata sustentationi ministrorum; igitur nulla lex iubet vt extra casum necessitatis hæc portio pauperibua erogetur. Aduertit etiam *Caiet.* dato, quòd Beneficiatus in casu necessitatis istius non det pauperibus eleemosynam

nam

nam, quòd non est iniustus, nec tenetur ad restitutionem, quàmuis peccet per abusum rei Ecclesiasticæ sibi tributæ. Cæterùm, quòd Clericus habens de proprio possit ex bonis Ecclesiæ percipere sustentationem sibi debitam, & per Ecclesiam applicatam, ideoque Clericos posse percipere decimas, tamquam certum praxis Ecclesiæ docuit, & asserunt *D.Th.& Caiet.hic,& Sotus l.10.de iust.quæst.4. a.3.ad 2.& ex Innoc.Hostien.& Panorm. in cap.Episcopus de praben.Turrecrem.in cap.Clericos 1. quæst.2. & Gloss.ibid.*probat *Raphael à Turre supra quæst.87. a.3 disp.2,Ledesma de statib. cap.3. concl.20. Sylu. v. Clericus 4,num.12. Nauar.de reddit. Eccles. mon.32. Azor.p.2.l.7.c.9. quæst,13. & apud eum Maior. Tabien.v.Cler.2.num.4.Layman l.4.trac.2.cap.3.num.2. & apud eum, Gabriel, Sarmien & Molina.*

SVMMARIVM.

1 *Superfluum redditunm Christi est. n.125.*
2 *Potest expendi etiam ad ditandam Ecclesiam. numer.125.*
3 *Non tamen vt ditetur Ecclesia licet obliuisci pauperum. n.126.*
4 *Peccat & qui redditus Ecclesiæ auare retinet. numer.126.*

A D QVARTVM.
Seu ad arg. sed contra.

125 EX hac responsione colligitur primò, quòd superfluum reddituum Ecclesiasticorum Christi est,& quòd licet vbi necessitas pauperum nõ vrgeat non sit necesse eos impendere in pauperes, non tamen ob hoc liber est, vt eos,in quoscumque vsus expendat, sed laudabiliter facit, si ex eis vel possessiones pro Ecclesia emit, vel in Thesauros Ecclesiæ pro futuris necessitatibus recondit.

126 Sed colligit secundò *Caiet.* non esse laudabile, vbi pauperum indigentia clamat, nam peccant beneficiati, qui pro augendis Ecclesiæ redditibus tot pauperes puellas nubiles, tot pauperes ciues, tot orphanos, tot viduas posthabent. Ideo bene aduertit *Nauar. de reddit. quæst.1. mon.24.* nedum peccare Beneficiatos si prodigè consumant fructus beneficiorum, sed etiam si auarè retineant,

SVMMARIVM.

1 *Ratis tractatus. num.127.*

De alienatione bonorum Ecclesiæ.

127 IN sua conclus. secunda *S. Thomas* asserit Episcopos, & alios Beneficiatos, non esse dominos, sed administratores bonorum suorũ beneficiorum, quod ex eo præcipuè veritatem habere, dictum fuit, quia Episcopi & Prælati, & Beneficiati non sunt domini fundi suorum redditũ, nec rerum immobilium, aut mobilium, quæ suis sunt applicatę Ecclesijs. & ad earum proprietatem spectant, vnde huiusmodi bona, nec alienare possunt. Cum verò veritatis istius cognitio summè sit necessaria, maximè Regularibus, non potest omitti eius consideratio sine commentarij huius articuli diminutione, & defectu. Quamobrem cũ tractatum sit de facultate quam habent Ecclesiastici circa fructus, & redditus suorum beneficiorũ inquirendum est etiam quam facultatem habeant, vel non habeant circa fundum & proprietatem bonorum Ecclesiarum, quæ administrant. Quæritur propterea.

SVMMARIVM.

1 *Alienare res Ecclesiæ inconsulto Romano Pontifice est contra ius diuinum, quia supposita Pontificis prohibitione est alienare rem inuito domino. num.128. & 129.*
2 *Alienare res Ecclesiæ in Ecclesiæ damnum est contra ius diuinum. n.129.*
3 *Supposito iuramento de non alienandis rebus Ecclesiæ contra ius diuinum est eas alienare. n.130.*
4 *Alienatio rerum Ecclesiæ prohibita de iure ciuili. num.131.*
5 *In iudicando de alienatione Ecclesiæ standum est iuri Canonico. n.131.*
6 *De iure Ecclesiastico prohibita est rerum Ecclesiæ alienatio & plures Pontificum constitut. referuntur. nu.132. 133.*
7 *An extrauagans Pauli Secundi sit vsu recepta. num.134.*
8 *Consuetudo potest derogare tali legi. n.135.*
9 *An præsumi debeat eam esse vsu receptam. numer 135.*
10 *Cui incumbat onus probandi eam non esse vsu receptam. n.135.*

Quo iure res Ecclesiæ non possint alienari sine consensu Summi Pontificis,& alia iuris necessaria solemnitate?

128 ID prohiberi iure diuino probant *Tambur de iure Abb.tom.3.disput.13.q.2.nu.1. & Donatus par,2.tract 14.q.2. ex cap.25. Leuit.* vbi dicitur, *Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est.* Tum quia bona Ecclesiæ sunt Domini nostri IESV Christi, qui suum Vicarium in terris constituit Summum Pontificem. Sed ex eo loco *Leuit.* nihil probatur. Tum quia præceptum illud non fuit à Deo datum pro solis bonis Leuitarum, & Sacerdotum, sed pro bonis duodecim tribuum vniuersaliter; vnde si probaret aliquid, & illud præceptum ad Ecclesiam extenderetur; nec laicis liceret vendere bona. Tum secundò quia ibi Deus non prohibet vendi bona absolutè, immò id permittit, sed prohibet vendi bona in perpetuũ, scilicet venditione valitura in perpetuum. Sic enim loquitur. *Terra quoque non vendetur in perpetuum: quia mea est, & vos aduenæ, & coloni mei estis: vnde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur.* Volebat enim,Deus vt annus quinquagesimus, qui iubilæi erat, esset annus remissionis, & quòd vnusquisque reuerteretur ad possessionem suam, vt in eodem cap. statuitur, vnde non permittebat venditiones pro tempore perpetuo, sed solùm ad certum tempus, vt aduertit *D.Thom. p.2.q.105.a.2.c.& ad tertium.* Huiusmodi verò præceptum, sicut & alia iudicialia euacuata sunt, & abro-

abrogata, vt docet *Diu. Th. 2. 2. quæst. 104. art. 4.*

129 Quod verò dicitur, quòd bona Ecclesiarum sunt bona Christi; hoc verum est de alto dominio & supremo harum rerum dominio. Cum quo stat, quòd rerum harum & bonorum Christi dominium proprium sit apud Ecclesias particulares, quæ idcircò si sine iusta causa, aut iniusto modo huiusmodi res Christi vel alienent, vel dilapident, peccabunt quidem, sed contra diuinum ius nullum committent peccatum, si alias ex iusta causa, & in Ecclesiæ vtilitatem eam, vel in emphyteusim concedant, vel ad lungum tempus locent, vel permutent, vel etiam vendant, imò, & donent. Et neque obstat quod rerum Ecclesiasticarum propriu dominium & vniuersale sit Ecclesiæ vniuersalis, & quod earum vniuersalissima administratio spectet ad Pontificem. Quia cum hoc stat, quod eorumdem bonorū dominium particulare sit apud quācumque particularem Ecclesiam, & quòd particularis eorum administratio sit apud Ecclesiæ particularem Prælatum. Et hic distingui debet mala alienatio ab intrinseco, ab ea, quæ sit mala quia carens iuris solemnitate. Nam si Prælatus sine iusta causa alienet bona Ecclesiæ, in Ecclesiæ damnum, peccabit sine dubio, & tanquam infidelis dispensator, aut administrator puniendus erit & de iure diuino est, quod Prælatus in Ecclesiæ damnum res Ecclesiæ non administret. Sed quod sit contra ius diuinum, huiusmodi res alienare sine iuris positiui solemnitatibus, hoc non potest esse verū nisi ex consequenti, & ex suppositione, & impropriè, pro quanto ex iure diuino est, quòd obediamus iuri posi iuo. At verò solemnitas iuris positiui est, quod ad alienandum res Ecclesiæ requiratur expressus consensus Summi Pontificis datus toties quoties aliquid est alienandum. Nam Ecclesiæ particulares sunt veræ dominæ suorum bonorum, & eorumdem administratio spectat ad eorum Prælatos; quibus si credita est cura animarum, multò magis commissa est administratio pecuniarum, *cap. præcipimus 24. 12. q. 1.* Ex quo verò Summus Pontifex sit vniuersalissimus bonorum Ecclesiæ administrator, bene sequitur, quod sine eius consensu mediato, vel immediato, tacito vel expresso nihil Ecclesiæ alienari potest; quod si eius mandata seruanda sunt; & quod si ipse prohibeat res alienari tunc intret etiam ius diuinum, quia tunc alienatur res inuito supremo administratore, & ideo inuito Domino, sed absolutè, & spectata auctoritate ordinaria Prælaturum, quam à Pontifice habent, & præscindendo à lege positiua alienatio rerum Ecclesiæ, quæ sit Ecclesiæ vtilis, facta inconsulto Pontifice non est contra ius diuinum, aut naturale.

130 Subdit verò *Tambur. de iure Abb. tom. 3. disp. 13. q. 2. num. 1.* hanc alienationem esse contra ius diuinum, ex annexo iuramento, si sermo fit de Summo Pontifice, & de Cardinalibus respectu bonorum Sedis Apostolicæ, & de Episcopis, Abbatibus, aliisque Prælatis inferioribus respectu bonorū suarum Ecclesiarum. Quod quidem dictum supposito iuramento est indubitatum, cum iuramenti violatio sit sacrilegium tam naturali, quàm diuino iure prohibitum.

131 Etiam lege ciuili huiusmodi bonorum Ecclesiæ alienatio est prohibita, vt patet in *authent. de non alien. & per . . . reb. . . . in Authent. de Eccles. re. . . . in authen. de alien. & emphyt. . . . de rebus . . . non alien. . . . in l. iubemus. & in authent Hoc ius porrectum, C. de sacros. Eccle.* Sed cum de huiusmodi alienatione decernat abunde ius Canonicum, eius decretis erit standum, & iudices ex lege Canonica de alienationibus bonorum Ecclesiæ iudicare debebunt, quia in rebus Ecclesiasticis standum est determinationi legis Canonicæ, non vero legis Ciuilis. *Gloss. in cap. 1. in v. tractatus, de reb. Eccl. non alien. in 6.* Vbi quod nō obstat quod *auth. Hoc ius porrectum, C. de sacrosanct. Eccle.* . . . posita in . . . decretorū Quia hoc fa . . . . Panormit. cap nulli 5. num. 6. de reb. Eccl. non alienand. ex Innoc. & Io: Andr. Quaranta v. alienatio num. 1. & Donatus d. q. 2. in fin. Rota decis. 39. num 4. 17. . . . 21. p. 8. re. . . & adde ex Francum cap. 1. de reb. Eccl. non alien. n 6 num. 9.* quod canonizatio legis Ciuilis . . . per Gratianum non facit legem. Nec . . . quæ . . . in decreto Gratiani . . . tam approbata, vt legem faciat.

132 De iure igitur Canonico est quoque huiusmodi alienatio prohibita, *c. non liceat. ex Symmacho Papa in Synodo 3. cap. 4. & cap. Diaconi ex Concil. Agathen. cap 49. & cap. quisquis ex eod. Concil. cap. 53. cap. alienationes, ex Vrbano Papa cap. Abbatibus, ex Concil. Aurelianen. 3. cap. 23. 12. q. 1. cap. non licet ex Concil. Lugd. 4. cap. nulli, ex Concil. apud Siluanen. cap. cum laicis, ex Innoc. 3. in Conc. Generali, & toto tit. de rebus Ecclesiæ non alienandis, cap. Dudum ex Innoc. 4. & cap. Hoc consultissimo, ex Greg. X. in Conc. Lugdunen. eod. tit. in 6. Clement 1. cod. tit.* Præterea extat in *Bullario Romano Constitutio 1. S. eorum Primi, & Constitut. Imbitiosæ Pauli II.* quæ etiam est inserta in corp. iuris, inter extrauag. communes sub tit. de reb. Eccles. non alien. *Et Constit. 2. Inuncitum nobis &c. Pauli IV.* Et insuper decretum Sac. Congregat. Concilij Vrbani Octaui iussu editum datum die 7. Septemb. 1624. cum eiusdem decreti variis declarationibus, Et amplius *Constit. 157. Romanus Pontifex,* ab eodem Vrbano Octauo emanata die 5. Iunij 1641. super præseruatione iurium Sedis Apostolicæ & aliarum Ecclesiarum à quibuscumque præiudicialibus,

133 Præterea verò quàm plures sunt Pontificum constitutiones per quas horum, vel illorum bonorum particularium prohibetur alienatio. Sic enim alienatio, & infeudatio Ciuitatum, & locorum S. R. Ecclesiæ, & tractatus de illa etiam prætextu cuiusuis vtilitatis fuit prohibita per *Pium Quintum Constit. 35. & per Gregor. XIII Constit. . & per Clem. VIII. Constit. 1. & per Innoc. IX. & per Vrban. III. Constit. 4.* Amplius bona iurisdictionalia Ecclesiæ alienari prohibuit *Vrban. VIII. in sua Const. 51.* Loquitur verò de bonis intra Italiam existentibus. Præterea alienationes bonorum existentium in Statu Ecclesiastico in extraneos prohibitæ fuerunt per *Sixtum V. Constit. . & per Clem. VIII. Constit. 78 & per Paulum V. Const. 108. & per Vrbanum Octauum Constit. 65. & 71.* Et iterum per *Constit. Olim felicis datā die 3. Nouemb. 1637. quæ est Const. 151. in Appendice, & iterum per Constit. Cum rationi datam 17 May 1639. quæ est ibid. Constit. 153.* & tan-

& tandem per *Constit. Sanctis. D. N. Alexandri Septimi incipiente Vt ea, & data fuit die 17. Kal. Febr. anno* 1660. Et contra alienantes officia, seu iura & emolumenta officijs maioribus S. R. E. annexa extat *Constit.* 106. *Sixti V.* & alienationes iuriũ Cameræ Apostolicæ, sine competenti compensatione, aut necessitate, vel Sedis Apostolicæ vera vtilitate reuocauit *Pius IV. in sua Constitut.* 104. Et easdem alienationes rerum Cameræ Apostolicæ factas sine solemnitatibus reuocauit pariter *Pius V. in Constit.* 13.

134 Mouetur autem specialis *quæst. de Constitut. Ambitiosæ Pauli II.* an sit vbique recepta, & vniuersaliter totum orbem obliget. Nam esse vsu receptam & integraliter obligare omnes, affirmant *Quaranta, v. alienatio num.* 48. & *Donatus* alios refert. 6 *par.* 2. *tr.* 14. *q.* 3. ex eo quòd dicta Constitut. sit inserta in corpore iuris, & quotidie Romana Curia pro eius obseruantia pronunc[iet], & praxis eiusdem Curiæ sit quotidie expedire licentias alienandi si constet de euidenti vtilitate, & absoluuntur à censuris, qui eidem Constit. contrafaciunt, quæ etiam sæpius fuit à Pontificibus confirmata. Et nihilominùs quòd eadem constitutio non sit vbique integraliter vsu recepta voluerunt, *Caiet. v. excommunicatio cap.* 75 *Syln. v. alienatio q.* 15. & *ver. excommun.* 7. *num.* 83 *excomm.* 47. *Nauar. cap.* 27. *excomm.* 52. *num.* 150. & *cap.* 23. *num.* 62. & *consil.* 10. *de reb. Ecclesi. non alien. Sarmien. de reddit. cap.* 4. *num* 10. *Suarez de cens. disp.* 22. *sect.* 6. *num* 6. *Sayr. de cens. l.* 3. *cap.* 22. *num.* 22. *excomm.* 8. *Garz. de benef. p.* 2. *cap.* 1. *num.* 46. *Barbosa de off. Episc. alleg.* 50. *num.* 235. *Bonac. tom.* 1. *de alien. par.* 5. *num.* 4. *Thesaurus de pœnis Eccles. p.* 2. *v. alienatio cap.* 1. *num.* 2. & *aly*. Et quòd in paucis locis sit recepta quantum ad censuras, & priuationem beneficiorum dixit *Bassaus v. alienatio num.* 10.

135 Res hæc est facti, & cum lex per non vsum legitimè præscriptum vim obligãdi amittat vt docent communiter DD. scribentes in *cap.* 1. *de treguæ & pace*, bene potest esse, quòd constitutio illa non sit alicubi integraliter vsu recepta, & quòd in hoc consuetudini locorum legitimè præscriptæ sit standum vt ex *Caiet. aduertit Nauar. d. cap.* 27 *num.* 150. & *tenent DD. proximè citati*. Bene verum est, quòd in foro externo præsumptio erit contra dictæ constitutionis transgressorem, qui si pro sui defensione allegat consuetudinem, eam probare debebit, & quidẽ concludenter, *Rota decis.* 1159. *n.* 1. *coram Seraph.* Nam & illa extrauagãs præsumitur vsu recepta, & qui allegat eam non esse receptam, id probare debet, vt ex *Bonnsten. dec.* 13. *Redoan. rubr.* 33. *q.* 6. 5. *atem ex præm: ssis num.* 15. & *Mantica de tacitis, & ambiguis conuent. l.* 5. *tit.* 13. *num.* 41 *aduertit Garzias de benef. p.* 2. *cap.* 1. *num.* 40. Quia lex Canonica præsumitur vsu recepta. *Rota dec.* 56. *n.* 4. & *dec.* 97. *num.* 2. & *decis.* 775. *p.* 1. *diuers.* & *dec.* 30. *n.* 5 *p.* 1. *rec.* & *aly plures DD. quos ibid. num.* 42. refert idem *Garzias*. Quamuis quia hic vsus est quid facti, multi DD. ibidem ab eo relati contrarium teneant, asserentes legem non præsumi esse receptam, sed hoc probandũ esse, immò non vsum [s]tatuti ex eo probari, quod non probatur vsus vo..., *Rota apud Capuiaq. dec.* 203 *par.* 3. Et in specie, quod Paulinę vsus probandus sit ab eo, qui il...ũ allegat dixit, *Mohed. decis.* 1. *de constit.* sed à priori sententia non est recedendũ. Et etiam si eius vsus probandus esset. Non esset tam facile probare quod consuetudo vel non receptio contra dictam Constitutionem sit rationabilis, & legitimè præscripta; ad quod probandum minimè sufficer[et] fides, & attestationes, *Rota dec.* 318. *num.* [1] *p.* 2. *recent.* Sed cum agitur de probanda consuetudine contra ius, testes debent deponere de consuetudine clara & euidenti. *Rota dec.* 611. *num.* 3. *p.* 2. *recent.*

SVMMARIVM

1 *Quid in sermone Ecclesiastico veniat nomine alienationis. n.* 136.
2 *Alienatio est actus per quem dominium transfertur. n.* 136.
3 *Alienatio multipliciter dicitur. n.* 1[37].
4 *Vbi alienatio simplici et prohibetur accipitur alienatio largissimè. n.* 138.
5 *Si tamen fimus in materia Ecclesiastica, & fauorabili. n.* 138.
6 *In materia odiosa sub nomine alienationis non venit emphyteusis. nu.* 138.
7 *Prohibita alienatione censeri prohibitum quidquid est tale, vt per illud ad alienationem peruenitur, plures asserunt. num.* 139.
8 *Si tamen necessaria per illud ad alienationem perueniatur. n.* 139.
9 *In lege Ecclesiastica prob bente alienari res Ecclesiæ alienatio accipitur amplissimè. n.* 140.
10 *Alienatio. n.* 140.
11 *Donatio est species alienationis prohibita sine solemnitate. n.* 141.
12 *Donatio inter Regulares eiusdem ordinis ex [his] legibus non prohibita. n.* 142.
13 *Venditio quoque prohibita. nu.* 143.
14 *Permutatio etiam n.* 144.
15 *An inter diuersas Ecclesias valeat alienatio sine solemnitate Paulinæ. Negant aliqui. nu.* 145.
16 *Alij affirmant. n.* 1[4]6.
17 *De permutatione videtur specialis ratio affirmandi. nu.* 147.
18 *Inter Regulares praxis vt fiant aliena[tiones si]ne solemnitate Paulinæ. nu.* 147.
19 *Ex vi Paulinæ non est prohibitum, quod Regularis alteri donet. n.* 147.
20 *Hoc idem de donatione, immo & de venditione [dicitur] asserendum, quod de permutatione. nu.* 148. 149.
21 *Rationabile est, vt ex iusta causa vna Ecclesia alteri subueniat, maxime in Regularib. n.* 148.
22 *Alienatio inter diuersas Ecclesias non potest fieri sine solemnitatibus Paulinæ. n.* 150.
23 *Promissio alienandi non comprehenditur sub Paulina quantum ad pœnas. n.* 151. 152.
24 *An traditio possessionis sit alienatio prohibita. numer.* 153.
25 *Possessio dupliciter sumitur. n.* 154.
26 *Traditio dupliciter accipitur. n.* 155.
27 *Traditio rei est apta transferre dominium si præcedat contractus habilis ad dominium transferendum. n.* 156.
28 *Traditio, & possessio proprie sumpta, est alienatio, vel alienationis complementum. n.* 157.
29 *Distinctio iuris proprietatis, & iuris possessionis* non

non probatur, quia ius possidendi est ius dominij & proprietatis. n.158.

30 Traditio, aut possessio communiter sumpta non est alienatio. nu.159.

31 Traditio possessionis est prohibita per Paulinam. numer.160.

32 An conditionata alienatio sit prohibita. nu.161.

33 Vendens rem Ecclesiæ sub conditione assensus Apostolici & interim titulo locationis tradens eam ementi non incidit in pœnas Paulinæ. n.162.

34 Vendens tradens possessionem rei Ecclesiæ ex vi venditionis, vel alterius contractus habilis ad transferendum dominium alienat, & incidit in pœnas Paulinæ. nu.163.

35 Idem si contrahat compacto constituti. nu.164.

36 Non tamen videtur idem si traditio possessionis sit conditionata. nu.165.

37 Conditionata traditio videtur resolui in contractum locationis. n.165.

38 Non est tutum etiam sub conditione tradere rem venditam &c. nu.165.

39 Bona fide tradens possessionem non incidit in pœnas Paulinæ. nu.166.

40 Mandans vendi rem Ecclesiæ, intelligitur mandare alienationem seruatis seruandis, & nisi ratificet factum non incidit in pœnas Paulinæ. nu.167.

41 Mandatum non intelligitur vt detur facultas alienandi contra leges, & vt faciat mandantem incidere in censuras. nu.167.

42 Excommunicatio supponit contumaciam. n.167.

43 Scientia alienationis illicita non præsumitur in mandante. n.167.

44 Alienare censetur, qui consentit alienationi, si consensus eius est necessarius, & ideo incidit in pœnas Paulinæ, si illicitæ alienationi consentiat. num.168.

45 Subscribens nomine alieno aut ignoranter, non videtur consentire. n.168.

46 Venditio cum pacto de retrouendendo est alienatio prohibita fieri sine solemnitatibus. nu.169.

47 Retrouenditio est alienatio necessaria, & ideo non prohibita. n.170.

48 Discessio à contractu nondum plene soluto pretio non prohibita. n.171.

49 Dismembratio est alienationis species prohibita fieri sine solemnitatib. nu.172.

50 Infeudatio est alienatio, quæ nequit fieri sine solemnitatibus. nu.173. 174.

51 Ciuitates, Castella &c. etiam solita infeudari non possunt iterum concedi in feudum sine solemnitatibus. n.175.

52 Ciuitates & bona Ecclesiæ existentia intra statum Ecclesiasticum non possunt concedi in feudum exteris etiam si sint solita infeudari. n.176. 177.

53 Bona iurisdictionalia non possunt reconcedi in feudum sine beneplacito Apostolico prius in scriptis obtento. n.177.

54 Alia bona solita infeudari concedi possunt in feudum sine solemnitatib. n.178.

55 Durante tamen causa primæ concessionis. n.178.

56 Et non alterando solitam. num.178.

57 Et si non sunt incorporata Ecclesiæ. nu. [illegible]

58 Et si Ecclesia non mutauit statum. n.178.

59 Et cum pactis solitis. n.178.

60 Et solum personis habilibus ad acquirendum res Ecclesiæ. n.178.

61 Emphyteusis est species alienationis indigens solemnitatibus, vt sit valida. num.179.

62 Limitatur hoc ; remissiue. n.180.

63 Libellarius contractus non fit sine solemnitatibus. num.181.

64 Res solita alienari potest sine solemnitatibus reconcedi in emphyteusim. nu.182.

65 Etiam si iuratum fuit, non alienare. nu.182.

66 Nec sit necessarius consensus Capitali. n.183.

67 Et successor id præstare potest. n.184.

68 Et consanguineis possunt hæc bona concedi. numer.185.

69 Bona iurisdictionalia etiam solita alienari, non possunt concedi sine solemnitatibus. n.186.

70 Res incorporata Ecclesiæ non conceditur sine solemnitatibus. n.187.

71 Durante prima inuestitura non potest fieri renouatio. nu.187.

72 Quando res dicatur incorporata Ecclesiæ. numer.187.

73 Vt res possit reconcedi, opus est, quod prima concessio fuerit valida. n.188.

74 Et quod duret causa antiquæ concessionis. numer.189.

75 Vtilitas Ecclesiæ debet adesse tempore concessionis. num.189.

76 Res data vt reddatur culta, si deuoluatur non reconceditur sine solemnitatib. n.189.

77 Res ei, qui illam fertilem reddidit potest concedi in perpetuam emphyteusim secundum Rotam. n.189.

78 Non potest in noua concessione alterari contractus, nisi in vtilitatem Ecclesiæ. n.190.

79 Non potest res minori pretio reconcedi. nu.191.

80 Non potest reconcedi cum nouo pacto, vt res transeat ad extraneos. n.192.

81 Nec ex nouo pacto, quod transeat ad fœminas. numer.193.

82 Nec ex nouo pacto vt detur ad plures generationes. nu.194.

83 An contractus ad plures generationes vltra solitum sit omnino nullus. n.195.

84 Quid intelligatur nomine tertiæ generationis. numer.196.

85 Ecclesia reducta ad inopiam non reconcedit. numer.197.

86 Res est solito alienari si semel solemni concessione fuit data in emphyteusim. nu.198.

87 Et non est in hoc casu necessarium tempus quadraginta annorum. n.199.

88 Duæ concessiones minus solemnes sortitæ effectum spatio 40. annorum sufficiebant ad hoc, vt res diceretur solita alienari. n.200.

89 Sed nunc hoc non sufficit. n.200.

90 Necesse est, vt istæ sint vniformes. nu.200.

91 Ad probandum solitum, & quod prima concessio fuerit solemnis non sufficit præscriptio longissimi temporis. nu.201.

92 Concessio facta consanguineis non præsumitur valida. nu.201.

93 Sola assertio partium non probat plures concessiones factas. nu.201.

94 Affrancatio nequit fieri sine solemnitatib. nisi sit necessaria. nu.202.

95 Hæres potest renunciare emphyteusi. n.202.

96 Precariam non potest haberi sine solemnitate. numer.203.

97 *Pura tamen commoditas seu usus concedi potest remissive. n. 203.*

98 *Precaria quid sint. Et quod non possunt haberi sine solemnitate. n. 204.*

99 *Concessio ad beneplacitum, quia irreuocabilis sine causa, & sapit perpetuitatem, non potest haberi sine solemnitatibus. n. 205.*

100 *Superficiarius contractus non habetur sine solemnitatibus. n. 206.*

101 *Colonarius contractus non habetur sine solemnitatibus. n. 207.*

102 *Locatio vltra triennium nequit haberi sine solemnitatibus. n. 208. 209.*

103 *Locatio ad 30. annos censetur perpetua. numer. 209.*

104 *Locatio ad 10. annos est ad longum tempus. numer. 209.*

105 *Locatio ad 9. annos prohibita. n. 210.*

106 *Locatio ad tempus incertum prohibita. n. 210.*

107 *Vbi est consuetudo locandi res vltra triennium potest seruari. n. 211.*

108 *Vbi res non fructificat nisi ad duos, vel tres, vel quatuor annos potest locari vltra triennium. numer. 213.*

109 *Sylua cedua ad 3. annos potest locari ad annos nouem, non tamen anticipata solutione in praeiudicium successoris. n. 213.*

110 *Res solita locari ad longum tempus potest locari seruatis supra dictis de emphyteusi. n. 213.*

111 *Locatio ad breuius tempus, quam triennium potest restringi per Ordinarium. nu. 214.*

112 *Mandatum de locando rem Ecclesiae toties, quoties opus fuerit valet. nu. 215.*

113 *Administratio hospitalis nulli potest concedi vltra triennium. nu. 216.*

114 *Etiam si hospitale sit Ecclesiae vnitum. n. 216.*

115 *Nisi in fundatione hospitalis aliud sit statutum. nu. 216.*

116 *Non potest res locari ad 9. annos per tres contractus simul initos. n. 217.*

117 *Id fieri potest si res locetur diuersis. n. 218.*

118 *Non tamen si locetur eidem sub diuerso pretio, num. 218.*

119 *Intra biennium primae locationis non potest eidem iterum locari res Ecclesiae. Sed bene in tertio anno. nu. 219.*

120 *Etiam infra biennium fieri potest, si non sit de eisdem omnino bonis. nu. 219.*

121 *Locatio ad triennium cum pacto de renouando qualiter prohibita. nu. 220.*

122 *Locatio ad vitam prohibita. n. 221.*

123 *Vita hominis censetur maior decennio. nu. 221.*

124 *Locatio facta vltra triennium, an sit in totum nulla. n. 222.*

125 *Si ex contrahentium voluntate facta est pro toto tempore, & aliter non fuisset facta est in totum nulla. n. 222.*

126 *Ex pluribus coniecturatur, quod locatio sit indiuisibilis. nu. 222.*

127 *Locatio facta pro pluribus triennijs est valida pro primo. n. 223.*

128 *Locatio facta cum pacto de renouando est valida pro primo triennio. n. 223.*

129 *Locatio etiam si nulla sustinenda, si Ecclesia impetrato beneplacito Apostolico velit illam valere. num. 224.*

130 *Locatio facta ad longum tempus, si iam finiuit in vltimo triennio valet, si Ecclesia velit illam valere. n. 225.*

131 *Conductor potest agere ad hoc, vt Ecclesia declaret, an velit stare contractui. nu. 226.*

132 *Iudicium de diuersis sententijs circa valorem locationis vltra triennium. n. 227.*

133 *Locatio vltra triennium nulla etiam si iurata. numer. 228.*

134 *Constit. Ambitiosa non esse receptam quantum ad poenam priuationis beneficiorum multi tenent. numer. 228.*

135 *Regulares ad longum tempus non possunt locare redditus. n. 229.*

136 *Opiniones diuersae. n. 230. 231.*

137 *Tradere ius colligendi fructus per vsufructum vel locationem est prohibitum. n. 232.*

138 *An tradere rei commoditatem vltra triennium sit prohibitum. nu. 233.*

139 *Tradere fructus collectos, vel collectionem non est prohibitum. n. 234.*

140 *Non tamen potest Beneficiatus locare etiam ad triennium bona Ecclesiae anticipata solutione. numer. 235.*

141 *Nisi in casu necessitatis Ecclesiae. nu 235.*

142 *Locator in hoc casu si resignet beneficium, vel si beneficium vacet per mortem, eius haeredes tenentur reddere, quod receptum fuit, & ad successorem pertinet. n. 235.*

143 *Non licet locare iurisdictiones Ecclesiasticas, vel facultates nominandi Vicarios in spiritualibus; sed hoc est simonia. n. 236.*

144 *Non licet locare redditus Cancellariae Episcopalis. n. 237.*

145 *Nec emolumenta tempore vacationis prouenientia ex iurisdictione, & sigillo, quae sunt successoris. num. 237.*

146 *Quarta funeralis non potest locari. nu. 237.*

147 *Fructus decimarum locari possunt etiam laicis. num 238.*

148 *Ecclesiae laicis locari non possunt. n. 238.*

149 *Locationes ad longum tempus cassatae à Concil. Trid. n. 239.*

150 *Si in contractu locationis ponatur pactum in praeiudicium alterius Ecclesiae, illud est nullum. n. 240.*

151 *Successor in beneficio tenetur stare locationi antecedentis quatuor concurrentibus. nu. 241.*

152 *Coniectura ex quibus colligitur, quod locatio sit facta nomine Ecclesiae. n. 241.*

153 *Etiam si locans locauerit nomine proprio tamen successor tenetur stare locationi, si vel res non sit integra, vel adsit consuetudo, vel locatio sit facta ex concessione Apostolica, vel si successor sit resignatarius, vel Oeconomus, vel si fundum erat stabile. n. 242.*

154 *Vbi successor non tenetur stare locationi nec tenetur conductor. n. 243.*

155 *Successor nō intelligitur consentire alienationi ex eo, quod pensionem recipiat. n. 244.*

156 *Tacitus consensus non extenditur contra illud, quod sonat. n. 244.*

157 *Successor vbi debeat stare locationi potest a conductore exigere pensionem anticipate solutam. num. 245.*

158 *Conductor in hoc casu habet actionem contra haeredes antecessoris. n. 245.*

159 Seteni

218 E[illegible] etiam si sit dubium de [illegible] num. 286.
219 Si mutuum si[illegible] eptum à Pra[illegible] e consensu Capituli sed p[illegible] non [illegible] nt [illegible] mobilia non prati[illegible], c[illegible] ditor viuente Prælato non tenetur probare versionem, [illegible] eo mortuo sufficit quod probet necessitatem [illegible]. nu. 28[illegible]
220 Et quan[illegible] o hoc [illegible].
221 Si mutuum sit [illegible] ptum in quantitate taxata a[illegible] habente f[illegible] cul[illegible] tem, [illegible] st [illegible] endum ex mobilibus non pretiosis creditor [illegible] probare versionem. n. [illegible]8
222 Secus si non in qu[illegible] tate taxata nu. 28[illegible].
223 Si mutuum receptum fuit ab habente facultatem pro causa determinata, non est nece[illegible] e probare versionem, si mutuum pro ea [illegible] usa fuit acceptum. n. [illegible]9[illegible]
224 Si [illegible] qui accip[illegible] m[illegible] tuum est pe[illegible] a par[illegible] ularis non habens ab [illegible] a facultatem [illegible] cipiendi mutuum, c[illegible] tenetu[illegible] pr[illegible] c[illegible] nem. numer. 291
225 Etiam si habeat al[illegible] uam adm[illegible] ationem a[illegible] cuius bona Ecclesiæ. nu. 2[illegible]
226 In il[illegible] c[illegible] ibus in quibus cr[illegible] ditor n[illegible] n te[illegible] etur probare ve[illegible] ionem [illegible] E[illegible] esiæ datur [illegible] grem. n. 292.
227 Quid si pecuniam [illegible] e v[illegible] tam [illegible] atem Ecclesia. n. 293. 294. 295
228 Ecclesia non tenetur [illegible] o [illegible] num. 293.
229 Sufficit, quod vt[illegible] tas [illegible] tempore [illegible] ntractus num. 294.
230 E[illegible] quando sufficiat vti[illegible] tas tempora[illegible] n. 295.
231 Qualiter probatur ver[illegible] io. n. 296. 297.
232 Quæ coniectura probabi[illegible] es ad probandam versionem n. 298.
233 Idem priuilegium compet[illegible] c[illegible] in [illegible] po[illegible], & alienatione facta pro soluen[illegible] is deb[illegible] is. numer. 29[illegible].
234 Fideiubere non lic[illegible] ob[illegible] gando bona Ec[illegible] siæ. numer. 300.
235 Submittere [illegible] ali[illegible] pro[illegible] ioni quomodo non [illegible] n. [illegible]
236 Impo[illegible] io censu[illegible] st pr[illegible] ta. n [illegible].
23[illegible] Imp[illegible] io seruituti[illegible] pr[illegible] ibita. n. 3[illegible].
238 An [illegible] io a[illegible] rum [illegible] a [illegible] enatio. nu. 3[illegible].
239 Iurans n[illegible] n alienare res Ecclesiæ [illegible] al[illegible] enati[illegible] nes minus propriè dictas [illegible] & prob[illegible] tas potest facere. n. [illegible].
24[illegible] Iurans non a[illegible] enare res Ecclesiæ inconsul[illegible] o Pontifice [illegible] igitur iurare non facere [illegible] nat[illegible] s etiam al[illegible] as permi[illegible] as a iure. n. 306.

Quid sit alienare, seu qui contractus [illegible] aut actus veniant sub no[illegible] ine [illegible] ienatio[illegible] in Constitut. prohibentibus ali[illegible] n[illegible] solemnitate necessaria res Eccle[illegible]

116 Est autem [illegible] dominii [illegible] nd[illegible] [illegible] alienat[illegible] s [illegible] [illegible] n. 1. [illegible] Ecc[illegible] am[illegible] num[illegible] rum p[illegible] Barbos[illegible] A[illegible] & ad [illegible]

num. 11. [illegible] reb. alien. & n[illegible] al[illegible] n. [illegible] fundo dota[illegible] B[illegible] us tom. [illegible]

137 S[illegible] pro[illegible] & [illegible] N[illegible] propri[illegible] c[illegible] s p[illegible] [illegible] tam [illegible] quamplur[illegible] DD [illegible] ferur solum [illegible] nationem. Rota de[illegible] ex in l. alienat[illegible] notab. 1. ff. de ver[illegible] in l[illegible] C. de iure em[illegible] Pal[illegible] p. 15. num. 1 Et [illegible] DD. [illegible] lo[illegible] ute alienatio[illegible] per quam [illegible] m[illegible] ium [illegible] nus [illegible] t[illegible] m, quo[illegible] ff[illegible] ve[illegible] [illegible] al[illegible] [illegible] vi[illegible] hy[illegible] [illegible] & co[illegible] tran[illegible] n. no[illegible] en. Rota [illegible] in[illegible] n. [illegible] &c. [illegible] alienatio[illegible] animus [illegible]

138 Hac v[illegible] la generalis, q[illegible] hibetur alienat[illegible] acc[illegible] d[illegible] a[illegible] per q[illegible] [illegible] t in d. l. sancimus [illegible] commu[illegible] d. l. sancimus [illegible] [illegible] nu. 1. vt [illegible] Lud. [illegible]

[illegible]

nis, quæ habetur cap. fine ... pro-hibetur sola alienatio propriè sumpta, ... donatio, commutatio, & venditio. Et cap. unic. de rebus Eccles. non alien. ... comprehenditur ... permutatio, & emphyteusis ... hypotheca. Et cum hoc ibi ... potest cum ... decretali ... prohibita alienatio ... dicta. Quæ tamen ... prohibita est quia in ea ... sit omne pactum per quod ... Ecclesiæ dominium transfertur ... Ecclesiæ ... quia ibi expressè ... & hypotheca immo & ... emphyteusis, & infeudatio ... bato ab Vrbano VIII. ... stit. in hac materia ... causam ... men alienatio ... tion ... per ... in cap. nulli ... *Nauarr.* ... *& Sa* ... in infer...

DONATIO.

141 H... ... Per d... nium ... donati... donare ... nationes ... *Panorm.* ... *char.* ... num. 43. *Fusar* ... & ... *Barbos* ... *T* ... *Re* ...

142 S... ... & quæ ... *Lezana* ... hoc ... pro ba...

demur lege ... Ecclesiæ ... & leges ... el ... quam ... *Donat* ... ad res, quæ ... ponunt.

VENDITIO.

143 S... o. Nam & ... *ad d. ap.* ...

PERMVTATIO.

144 T... Nam ... DD iclatis inquit ... maiorem vtilitatem & commoditatem, non pro... ac licentia Summi Pont... non potest ... in Apo... cap. ... Vrbani VIII. ... prohibitas ... *Panorm.* ... *in cap. fine exce* ... *qu. st. 2. c. 20.* ... num. ... *supra.* ...

An venditio, donatio, & permutatio inter Ecclesiam & Ecclesiam, & cum vtilitate Ecclesiæ ... inconsulto Summo Pontifice fieri possint?

N... negari ... alienatio, cum ... tam vtile ... *in extrau.* ... Vrbani VIII. ... fieri ... pote...

tio

tio, aut donatio [illegible] quoniam *cap. sine exceptione 12. q. 2. & cap. nul. de reb. Eccles. non alienan. & cap. 1. eod. tit. in 6.* pro[illegible] Ecclesi[illegible] alienare [illegible] solemnitatibus ibi [illegible]ptis. At verò licet maior [illegible] alienatio quæ [illegible] inter Ecclesiam, & [illegible], q[illegible] quæ, fit inter E[illegible] & [illegible] & hæc est propriè [illegible]. Nam hæc [illegible] praxis [illegible] Curiæ [illegible] Curia Romana ex[illegible] possit cum [illegible] legem [illegible], *Na[illegible] 3 [illegible] 7. n. 1. Rota p. 4. recent. dec[illegible] p. 8 dec. 229. nu. 7 & dec. 12 [illegible] nu. 16 [illegible] bono. Quaranta [illegible] alienat. [illegible] num. [illegible] ad cap. [illegible] de rebus E[illegible] non al. [illegible] num. [illegible] tom. [illegible] num. 9. [illegible] tom. 3. cap. [illegible] num. [illegible] 5. Donat [illegible] rer. Eccles. p. 2. num. 1 [illegible] num. 2. Iuly Secundi num. 76* [illegible] etiam, quòd Prælatis Regularis [illegible] Apostolico [illegible] etiam [illegible] non possit bona Monasterij di[illegible] pau[illegible] *Pezans tom.* [illegible] *c. 19. num. 5* [illegible] *num. 3.* [illegible] *alienatio nu. 1* [illegible] *Barbosa, Hugolinus* [illegible] *Pyrrhus* [illegible] *ad. apud B[illegible] tom. 3.* [illegible] *num. 1. Donatus p. 2. tr.* [illegible] *4. q. 85.*

146 At econtra, quòd huiusmodi alienationes inter Ecclesias, possint seruatis aliis [illegible] solemnitatibus nec illarum habeti [illegible] assensu Apostolico, alij tenent. Nam licitam esse alienationem rerum inter diuersas Ecclesias sine assensu Apostolico ex *Trenis dec. 56. p. 1.* docet *Riccius in praxi aurea p. p. resol. 15* & in specie de permutatione idem [illegible] *resol. 71.* pro eadem sententia referens *Gl. ff. & Bartol.* Eandem quoque sententiam docens in alienatione inter Ecclesias [illegible] Paulinæ, siue [illegible] petendi assensum Apostolicum habent *Peregrinus in compendio privil.* [illegible] *alienatio, in schol. dub. 7. Diana* [illegible] *tr. 4. resol.* [illegible] in specie, quod permutatio [illegible] Apost. volunt *Nauar. de* [illegible] *Barbos. de off. Episc. all.* [illegible] *l. 3. c. 30. num. 8. Palaus* [illegible] *num. 7. Bossius tom. 3. tit. 18* [illegible] *Redoan. q.* [illegible] *num.* [illegible] *Datariæ cap.* [illegible] *§. 11. nu.* [illegible] *Bordon.* [illegible]

Ratio huius sententiæ [illegible] alienatione inter Ecclesias [illegible] solemnitatis Paulinæ [illegible] Ecclesiæ secundum [illegible] *Rub. decis. final.* Ne [illegible] bona Ecclesiæ [illegible] deputa[illegible] dominium [illegible] vt con[illegible] ex [illegible] *L.* [illegible] *Ambr.* [illegible] *C. & profanis* [illegible] *maxime* [illegible] *tum, aut diuini cultus* [illegible] *surpar* [illegible] *Bart. de* [illegible] *de pa[illegible]* [illegible] duntur [illegible] cularibus [illegible] *neg.* [illegible] *Ecclesiis* [illegible] ficat [illegible] est [illegible] iu[illegible] bona [illegible] cos, [illegible]

seant ad aliam [illegible] natione damnifice[illegible] [illegible] ita [illegible] non [illegible] Ita [illegible] prohibitio iuxta text. [illegible] *de appellat. & ca.* [illegible] *ante causa p.* [illegible] *verb.* [illegible] *num.* [illegible] *de reb.* [illegible] hanc [illegible] Pa[illegible] coma [illegible] tractatu, & non [illegible] & tutor [illegible] Non pro [illegible] applicatio [illegible] etiam [illegible] placito Apost. [illegible] praxi [illegible] probatur [illegible] quod de facto [illegible] Romæ [illegible] alienationibus [illegible] Eccle[illegible] [illegible]

1[illegible] [illegible] Paulina [illegible] [illegible] rata [illegible]

vel

vel decreti Vrbani VIII. ne possit vnus Religiosus alienare ad fauorem alterius Religiosi eiusdem Ordinis, sed immò omnes in hac parte censentur esse vnius Monasterij sicuti sunt vnius Religionis, cui talia bona sunt incorporata. Et ideò alienationes huiusmodi regulandæ sunt iuxta leges Clem. VIII. & Vrban. VIII. de largitione muuerum, & alias prohibentes huiusmodi alienationes inter Regulares.

148 Sed & de donatione specialis est ratio, vt dicatur eam non prohiberi, si fiat ex iusta causa, & de Ecclesiæ cuius bona alteri Ecclesiæ seruantur consensu, vt ex *Gloss. Innoc. & Hostien. probat Panorm. ibi, n. 5.* qui benè ponderat textũ in *c. 1. de reb. Eccles. non alien. in sexto.* In quo habetur, quòd cũ Episcopus, cum Capitulo decimas vnius Parochialis contulisset Archidiaconatui indigenti, Pontifex irritam donationem declarauit, non ex defectu potestatis, sed quia non præcessit, tractatus, nec Parochiali fuit datus defensor, nec constabat de necessaria causa. Vnde ex eodem capite habetur, quòd si causa substitisset, & seruata fuisset solemnitas debita ex *cap. fine exceptione 12. q. 2. & ex d. cap. 1.* donatio valuisset. Et nil mirum. Nam Ecclesiæ particulares sunt membra Ecclesiæ vniuersalis. *cap. loquitur 24. q. 1.* vnde debent sibi adinuicem subuenire, sicut membra corporis sese inuicem iuuant. Quòd si laicis indigentibus tenecur Clerici subuenire de bonis Ecclesiasticis quatenus illorum facultates suppetunt *cap. fin. 16. q. 1. & cap. 1. dist. 87.* fortiùs tenentur subuenire Ecclesijs indigentibus, quando tamen vni Ecclesiæ superest supra necessaria. quia primò subueniendum est ministris proprijs, & necessarijs vsibus ipsius Ecclesiæ, vt in *cap. pastoralis de his, quæ fiunt à Prælat. & cap. de his, de Eccles. ædific.* Hæc Panorm. Ex quibus habetur quòd vnam Ecclesiam seruatis alijs solemnitatibus debitis, ex *cap fine exceptione 12. q. 2. & ex cap. 1. de reb. Eccl. non alien.* subuenire, aut donare alteri Ecclesiæ ex causa iusta est casus satis in iure expressus in *cap. illo 1. de reb. Eccl. non alien. in 6.* Et ideò non est per Paulinam prohibitus. Nam vbi adsit in hoc casu causa iusta, nullum est periculum quod Ecclesiæ vniuersali adueniat nocumentum, & aliàs valdè est rationabile & conueniens vt Ecclesiæ sese inuicem promoueant, & adiuuent. Vnde est quòd maximè in Religionibus in quibus etiam inter Monasteria strictior valde est coniunctio ad constitutionem vnius corporis Religionis, rationabile est, vt sine solemnitate Paulinæ ex iusta causa possint bona vnius Conuętus ditioris ad alium transferri, seruatis alijs solemnitatibus debitis, & maximè cum ad inseruiendum Ecclesiæ vniuersali maior numerus Religiosorum est necessarius vbi est Conuentus pauperior, quàm vbi est ditior.

149 De venditione autem loquendo, quamuis non militent rationes speciales, quæ militant pro permutatione & donatione: Nihilominùs quia iusta causa, & Ecclesiæ vtilitas illa vnica est ex qua præcipuè dependet validitas alienationis rei Ecclesiæ, vt tradit *Rot. dec. 94. n. 74. par. 7. recent.* Et existente iusta causa vendendi, si vẽditur alteri videtur Ecclesiæ, nullum Ecclesiæ aduenire detrimentum considerabile, & verisimile est, quòd Paulina loquatur de alienatione rerũ Ecclesiæ facta laicis dicendũ quoque videtur quod venditio & aliæ alienationes inter Ecclesias non sint per eam prohibitæ.

150 His nihilominus non obstantibus dicitur, quòd nec alienatio Ecclesiæ eũ Ecclesia potest fieri sine solemnitate Paulinæ. Tum quia talis est praxis Romanæ Curiæ, vt ex citatis *dec. Rot. constat.* Tũ quia Paulina sub disiunctione loquens non habet pro fine adæquato, vt bona Ecclesiæ non conuertantur in vsus profanos, sed etiam vt aduertit *Rota decis. 227. num. 4. par. 4. recent.* ne diuinus cultus patiatur detrimentum, & Ecclesiæ cuius bona alienantur incurrant damnum. Nam & aliàs ex hoc daretur occasio, vt vna Ecclesia expoliaret aliam. Tum quia non, est verum quòd in Paulina permittantur fieri alienationes in casibus in iure expressis, vel permissis; clausula enim illa, *præterquam in casibus à iure permissis*, non respicit alienationem absolutè, sed solum infeudationem, & concessionem in emphyteusim, quam Pontifex permittit fieri non absolutè, sed in casibus à iure permissis, & de bonis alias solitis concedi: Vnde hæc clausula ad alias alienationes extendi non debet. Et ita etiam declarasse Sacr. Congreg. Concilij die 24. Ianuarij &c. 1632. refertur, Et in casu occurrenti d. Sacr. Congreg. consulenda erit.

PROMISSIO ALIENANDI.

151 QVarto extendunt aliqui assertionem principalem vt vera sit etiam de promissione donandi, vendendi, aut permutandi. Nam ex *Bellacomb. Tiraquel. Menoch. Velasc. Petro Barbos. Chal. Periera* affirmat *Barb ad d c. nulli de rebus Eccl. non alienan. n. 10.* Et idem ex *Bald. l. fin. post princ. C. ad L. Falc. Alex. cons. 109. num. 2. l. 7. Dec cons. 501. an. 4. Mascard. conc. 1242. nu. 98.* docet *Bossius tom. 2. tit. 18. §. 6 num. 345.* Quia prohibita alienatione censetur prohibitus omnis actus, per quẽ sequi potest alienatio; ex promissione autem venditionis sequi potest venditio. Monet tamen idem *Boss.* per promissionem solam nõ incurri excommunicationem Paulinæ.

152 Verùm econtra alij putant, ad promissionem alienandi non esse necessarium beneplacitum Apostolicum, quia promissio alienandi non est alienatio, & aliud est vendere, & aliud promimittere vendere, *l. in bona fidei, ff. de eo quod cer. loc. & cap. penul. de elect.* Et ita hanc partem pluribus probat *Ricc. p. p. praxis resol. 62.* Sed distinguendo respondetur, & hæc secunda opinio, quæ vera est explicatur. Nam quod beneplacitum Apostolicum vel etiam aliæ solemnitates requirantur ad promissionem alienandi ex triplici causa potest affirmari, vel scilicet ad vitandas pœnas legis prohibentis alienationem, vel ad hoc vt promissio sit valida, vel ad hoc vt promissio sit licita. Ob primam causam non adest necessitas beneplaciti Apostolici in promissione alienandi, quia nulla lex pœnalis, seu nulla pœna lata contra aliquam actionem se extẽdit ad voluntatem, & promissionem agendi. Sic enim nec promittens alienare rem emphyteoticam vel fundum cadit à iure suo, vt ex *Alex. cons. 173. num. 2. vol. 2. & Bald. in cap 2. §. & si libellarium. quibus modis fen. amitt.* probat idem *Ricc. pluribus aliis relatis.* Et hoc quoq; concedit *Boss.* quod ex vi solius promissionis alienandi promittens non incidie

dit in excommun. Paulinæ. Sed neque beneplacitum Apostolicum vt actu habitum requiritur vt promissio de alienando sit valida, & licita, sed sufficit vt habeatur in intentione, vel sub conditione. Aliàs verò, si quis promittat alienare absolutè sine conditione explicita, vel implicita beneplaciti Apostolici, seu cum illius exclusione, promissio est illicita, & nulla, quia est promissio eius quod lex prohibet facere. Vnde nec valet etiam si sit millies iurata, quia iniquum est agere contra legem, seu promittere quod est malum facere, iuramentum verò non est vinculum iniquitatis. Sic igitur ad licitam, & validam promissionem alienationis beneplacitum Apostolicum requiritur vt obiectum, & vt solemnitas alienationis promissæ, quia nequit licitè & validè promitti alienatio vt habenda sine beneplacito Apostolico, non verò requiritur vt solemnitas promissionis. Et hoc est, quod secunda opinio prætendit.

TRADITIO POSSESSIONIS.

153 QVintò traditio possessionis rei Ecclesiasticæ enumeratur inter alienationes prohibitas. Ita *Bossius d.tit.18.§.5 num.119.* Ex eo quia licet strictè loquendo non dicatur alienari res, nisi quando dominium transit in alium, *l.1.C.de fundo dotali, & l.alienationis, ff.de verb. signific.* tamen res alienari etiam dicitur in larga significatione si sola possessio transferatur in alios. *Innoc. in c. Episcopi, de reb. Eccles. non alien.* & ibi *Panorm. num.2. & ex Cald. Pereira, Barbosa ad c.37.n.3. de offic. Delegati.* Nam vt dicunt *Innoc. & Panor.* duplex ius habemus in re nostra, scilicet ius proprietatis, & ius possessionis, vnde licet non sit facta alienatio quantum ad proprietatem, est tamen alienata possessio, & sic est etiam largo modo alienata res, cum recedit à libera facultate Ecclesiæ.

154 Sed hic puto distinguendam esse possessionem in propriè & communiter sumptam. Nam possessio si propriè sumatur, supponit dominium rei vel verum, vel vsurpatum siue fictum, aut præsumptum. Solus enim ille possidet rem, qui rem ex iure tenet, vel vero, vel præsumpto. *Sylu. v. possessio.* Et nô aliud est possessio quàm ius vtẽdi re corporea pro domino, seu est vsus rei competens ratione dominij veri aut præsumpti, seu sperati. Vnde Dominus possidet ratione dominij, quòd habet, & bonæ fidei possessor ratione eius, quod se credit habere, & malæ fidei possessor ratione eius quod fingit, & præsefert habere, & se habiturum longissima præscriptione sperat. Sic licet rem teneant coloni, serui, commendatarij, & depositarij, non tamen possidere dicuntur, sed Dominus est, qui per prædictos possidet, *l.3. §.7. & l.6. §.vlt. ff. de acquir. vel amitt. possess.* Sic nec tutor dicitur possidere rem pupilli, nec creditor cui seruandi causa res est tradita, *l.3. in fin. eod. tit.* nec qui precario tenet, possidet. *l.6. §.1. ff. de precar.* Et qui ex conducto possidet, non sibi, sed Domino dicitur possidere, *l.1. C. comm. de vsucap.* Et qui rem tenet ita vt ex ipsa solitam retribuat mercedem possidere non dicitur, *l. 2. C. de præs. 30. annorum.* Possessio igitur propriè sumpta dominium supponit, & non est nisi ius vtendi re tanquam habens eam in sui potestate & dominio. Quamuis vt verũ fatear mihi magis placeat, ex *Syl.* dicere, quod possessio sit detentio rei ex iure & dominio, quod illius habetur, vel verè vel fictè & præsumptiuè. Sed alia est possessio communiter dicta, quæ est possessio facti, quæ est simplex detentio rei, & nuda insistẽtia, per quam sic quis habet rem, ea etiam vtitur, quod tamen nomine alterius illam habet, aut ea, vt aliena vtitur. Quomodo possident coloni, qui habent & colunt possessiones nomine dominorum, tutores qui nomine pupillorũ res illorum administrant, puri de facto vsurarij, qui re aliena ex Domini concessione vtuntur, & alij similes, qui alienas res habent, sed eas nomine aliorum, & vt res alienas detinent, eisque hoc vel illo titulo vtuntur, vel eas administrant.

155 Pariter & traditio distingui debet. Nam traditio propriè dicta vt habet *Sylu. v. traditio*, est vel translatio dominij, traditione enim dominia transferuntur, *l. traditionibus C. de pactis*, vel immissio in possessionem, vt traditio sit datio possessionis, *l.3. ff. de act. empt. l. si rem tradi, ff. de verborum oblig.* Sed traditio communiter sumpta est translatio rei de manu ad manum, quæ fit cum vnus alteri aliquid dat, quocumque titulo illam det.

156 Ex his dicitur primò, quòd licet traditio rei sit apta transferre dominium hoc tamen non euenit, nisi præcedat contractus habilis ad dominium transferendum, vt ex *Bald. in l.1. num.4. ff. pro dot. & l.3. de iure dot.* docet *Rota decis. 146. num. 2. par. 1. diuers.* Et sic ad videndum an traditio sit alienatio, inspici priùs debet, quæ sit ratio tradendi rem. Nam si res traditur ex contractu habente vim transferendi dominiũ, tunc traditio est translatio dominij. Sed si res non traditur ex contractu habili ad dominium transferendum, traditio nec transfert dominium, nec est alienatio, nec propriè, nec communiter, nisi sit ex contractu, qui licet non sit habilis ad transferendum dominium, est tamen habilis ad transferendum aliquod ius super re tradita.

157 Dicitur secundò, quòd si traditio & possessio sumuntur propriè, iam traditio est verè alienatio, vel complementum alienationis. Nam possidere est rem detinere vt suam, & vt eius cuius habet dominium, igitur tradere rem alteri vt possidendam, vel est simul vnico actu transferre in alterum dominium, vel est dominij iam habiti complementum. Vel enim possessio traditur non habenti rei dominium, & sic traditio possessionis simul necessariò est translatio dominij, quia non habenti rei dominium non potest tradi res vt possidenda & habenda tanquam sua, nisi simul rei tradatur dominium. Sed si traditur possessio habenti dominium, iam supponit alienationem, & dominium, & illud perficit, & complet, quia non est perfectè dominus, qui non possidet.

158 Inde est, quòd distinctio illa *Innoc.* de duplici iure proprietatis, & possessionis difficilis est, quoniam ius possidendi, habendi, fruendi, tenendi rem tanquam propriam est ius proprietatis, & dominij. Nam nihil aliud est dominium quam proprium ius & facultas per quam dominus quãtum leges permittunt potest habere, tenere, & pro libito vti & disponere de re tanquam sua, vt ex *Sylu. v. dominium, & Soto l.4. q.6. a.1.* habetur, possidere,

sidere verò propriè est dominij actus, & complementum. Vnde dominus, qui non possidet per possessionem non acquirit nouum ius, sed si illi erat impedita possessio, erat illi impeditum ius, & facultas, quam habebat, vnde habebat ius, facultatem & dominium incompletū, & potentiam impeditam ne exiret in actum, & per missionem in possessionem tollitur impedimentum, & potentia completur per actum. Et sic missio in possessione est quid facti, & nec propriè, nec communiter est alienatio, quia nullum dat ius & potestatem, si propriè loquimur, sed dat exercitium, & complementum potestatis, & ideo non est alienatio, sed exercitium & complementum potestatis per antecedentem alienationem alicui concessæ. Hoc idē magis explicatur. Nam traditio possessionis vel datur ex vi contractus habilis ad transferendum dominium, vel ius, & facultatem aliquam habendi rem vt suā, & sic traditio possessionis vel simul est translatio talis dominij, vel illud supponit & ex vi dominij iam præhabiti datur; & semper sequitur, quòd missio in possessionem se ipsa formaliter est complementum traditionis dominij, & eius perfectio, quia dominium non est perfectum, si domini ius, & facultas sit impedita ne rem detineat de facto vt suam. Si verò missio in possessionem non est ex vi alicuius dominij præhabiti, vel contractus sufficientis ad transferendum dominium, iam non est possessio propriè, sed erit simplex aliqua detentio, per quā qui detinet habebit rem non vt suam, sed vt alienam, & alieno nomine possidebit.

159 Vnde dicitur tertiò, quòd si sumitur possessio cōmuniter, traditio possessionis nec est alienatio, nec complementum alienationis, & quatenus per possessionem traditur aliquod ius super fructibus rei, vt sic traditur etiam dominium aliquod fructuum, & vt sic alienantur fructus, sed non alienatur fundus. Et semper verum est, quod nuda possessio non est alienatio, & quòd vbi possessio sit ex aliquo contractu, aut actu habente vim transferendi dominium, tunc vel illa simul est alienatio, vel semper est complementum alienationis iam factæ, quòd verè est id quòd conuenit sibi formaliter & per se. Hinc v.g. si traditur possessio agri ex vi contractus venditionis, hæc traditio est complementum venditionis, & alienationis agri. Sed si traditur possessio agri ex vi contractus locationis, hæc traditio non est alienatio agri, est verò complementum quoddam alienationis iuris fructuum agri, quod ius venditur per locationem.

160 Et sic ad dubium propositum dicitur quartò, quòd tradere possessionem rei Ecclesiasticæ prohibitæ alienari sine solemnitate ad alienandum necessaria est prohibitum, & si fiat, comprehenditur sub pœnis extrauag. *ambitiosæ*, & Sacrorum Canonum, non quia formaliter sit alienatio, sed quia si non est simul cum alienatione, semper est complementum & perfectio alienationis, & si non præcessit contractus habens vim transferendi dominium, quem compleat, & perficiat, illum necessario secum habet coniunctum, & illum complet, quia non potest tradi res vt possidenda tamquam propria ab eo, qui non est dominus rei nisi illi dominium rei tradatur. Cum ergo per possessionem compleatur contractus alienationis, qui sine beneplacito Apostolico rei Ecclesiæ possessionem tradit, manet subditus pœnis in alienationē sine beneplacito Apostolico impositis, quia cōplerē rem alienat.

VENDITIO SVB CONDITIONE Beneplaciti Apostolici.

161 SExtò inter alienationes prohibitas enumerantur etiam venditio, vel donatio, vel permutatio vel similis alienatio licet inita sub conditione beneplaciti Apostolici. Quod tamen non debere dici, si in reseruatione assensus Apostolici ponatur clausula *nec aliter, nec alio modo*, eò quia hæc clausula conditionem inducat & sit præseruatiua iuris sui in casu contrario tenuerunt *Panorm. cap. 2. num. 10. de feudis Cassador. dec. 2. nu. 7. de simon. Caputaq. dec. 82. num. 3. p. 3. Rota in vna Romana domus 9. Nouemb. 1588. Coram Seraphino, Verall. dec. 83. numer. 4. p. 3.* & alij plures quos refert *Riccius in praxi p. p. res. 53.* At verò econtra eum incidere in præfatas pœnas, ex eo quia protestatio illius clausulæ sit contra factum, tenuerunt Ricc. *d. resolut. 53.* vbi quòd ita fuit decisum in *Cur. Neapol. de anno 1599. ex declarat Clement. VIII.* vt habetur in praxi *Cur. Archiepisc. Neap. cap. 44. Nauar. cons. 1. de reb. Eccl. non alien. in nouis. Quaranta v. alienatio num. 9. Bossius d. tit. 18. §. 5. numer. 216.* & alij ab istis citati. Addit verò *Ricc. ex Minador. dec 24.* non esse locum illis pœnis, si in actu traditionis possessionis fiat protestatio reseruando assensum, sed subdit se nescire an in practica id posset sustineri. Limitationem tamen approbat. *Boss. n. 216 post Pros. de Angus. in addit. ad Quarant. v. alienatio. n. 14. lit. B.* quamuis contrarium tenuerit *Molin. de pign. l. 1. c. 20. n. 24. & 25.* & alij apud ipsū.

162 Sed præmisso, quòd iuxta Constitut. 108. Pauli Quinti. Ciuitates, Castra, Oppida, Fortalitia, & bona iurisdictionalia, & feudalia intra limites status Ecclesiastici existentia nō possunt alienari sub conditione beneplaciti Apostolici, & sine expressa licentia Sedis Apostolicæ in scriptis obtenta, & in actu contractus Notario exhibita, etiam si alienatio esset aliàs necessaria, & pariter præmisso, quod ex Const. 51. Vrbani VIII. Ciuitates &c. & bona quælibet iurisdictionalia spectantia ad quācunque Ecclesiam non possunt sub conditione beneplaciti Apostolici & sine expressa licentia Sedis Apostolicæ priùs in scriptis obtenta in feudum vel emphyteusim concedi, aut vltra triennium locari. Quantum ad alia bona. Distinguendum hic est, & videndum ex vi cuius contractus tradatur res ante obtentum beneplacitum Apostolicum. Si enim res traditur ex aliquo contractu licito, vt ex contractu locationis non vltra triennium, & expressè dicitur, quòd emens, v. g. detineat rem titulo locationis non duraturæ vltra triennium pro interim donec obtineatur assensus Apostolicus, contractus non est illicitus, nec tradens rem venditam sub cōditione assensus Apostolici incidit in aliquam pœnam quoniam nec propriè tradit possessionem rei Ecclesiasticæ, sed ipsa remanet apud Ecclesiam, quia locator detinet rem locatam nomine locantis, nec tradit rem illam ex contractu venditionis prohibito, sed ex contractu locationis licito, vnde non est vnde dicatur agere contra iura prohibentia alienationem rei Ecclesiasticæ.

163 Sed si rem Ecclesiæ vendens, vel donans,

vel permutans simul ex vi alicuius ex his contractibus tradat possessionem, esto contractus fuerit conditionatus, & in eo apposita fuerit conditio *non aliter, nec alio modo* tamen hæc traditio habetur & haberi debet tamquam alienatio. Quoniam traditio possessionis rei vel præsupponit alienationem, vel secum illam fert, si possessio traditur ei, qui priùs non habebat rei dominium. Et sic nihil iuuat antecedens protestatio, & conditio, si postea absolutè traditur possessio, quia traditio possessionis absoluta secum fert absolutam dominij translationem & sic factum posterius est contra priorem protestationem, & illam tollit, & destruit. Vnde praxis Curiæ est, vt huiusmodi sic tradentes possessionem antè obtentum beneplacitum Apostolicum habeantur vt excõmunicati per extrau. *Ambitiosæ.*

164 Eadem verò ratio est, si vendens vendat cum clausula *constituti*, quia scilicet, interim antequam obtineatur assensus Apostolicus constituit se possidere nomine emptoris. Nam constitutum habetur pro vera traditione etiam in instituendis vt per *Tiraquell. de Constit. p. 3. limit. 26. nu. 5. & 6.* & alijs pluribus, quos citat & colligit *Riccias in praxi p. p. resol. 56.* Vnde, qui se constituit possidere nomine emptoris censetur tradere ex tunc possessionem emptori ac propterea si vendens rem Ecclesiæ ante obtentum assensum Apostolicum cõstituit se possidere nomine emptoris, subditur pœnis extrauag. *Ambitiosa. Ricc. ibid.*

165 Si tamen traditio possessionis non sit absoluta, sed in ea fiat protestatio, & apponatur conditio assensus Apostolici, spectata re sic absolutè probabile videri posset, quòd contractus iste resolui diceretur in contractũ locationis. Quoniam traditio possessionis conditionata non transfert dominium, sed conditio illa apposita *non aliter, nec alio modo*, resoluit contractum, & facit perinde ac si nihil actum esset, vt per *Minador. dec. 24. & Prosper. de August. ad Quarantam v. alienatio. nu. 14.* Sed se nescire an hoc in praxi posset sustineri, inquit *Ricc. resol. 53. fin.* & contrarium tenuisse *Decium consil. 160. num. 4. Molin. de pignor. l. 20. num. 14. & 25.* & alios apud *Magonum dec. 91. num. 3. refert Bossius num. 216. fin.* Et considerandum est, quòd traditio possessionis quantumcumque conditionata potest de facili deteriorare Ecclesiam & diminuere illius dominium, & ius, ex eo quia etiam non impleta conditione non sic facilè, vt Ecclesia possessionem recuperet. Quando verò res sub conditione assensus domini alienata & tradita est difficilis recuperationis, clausulæ præseruatiuæ non iuuant alienantem, & vasallum cadere re tradita ante obtentum domini cõsensum ex *Felin.* & alijs habet *Grat. discept. for. cap. 633. n. 28.* Sed & absolutè, quia traditio possessionis etsi conditionata de facto ponit rem in potestate alterius in praxi omnino ab huiusmodi traditione est abstinendum, & oppositum non est tutum.

166 Verum tamen est, quòd in his bona fides excusat; Quoniam ad pœnas *extrauag. ambitiosæ* incurrendas requiritur præsumptio, quia in ea dicitur *præsumentes*, vbi verò ad pœnam incurrendam est necessaria præsumptio, non incurritur pœna vbi non est dolus, sed bona fides. *Nauar. de reb. Eccl. non alien. num. 27. & in man. cap. 27. nu. 74. Quaranta v. alienatio num. 9. Bossius d. n. 216.*

167 Si etiam Procurator sit ille, qui rem Ecclesiæ alienet, sine licentia non per hoc in pœnas incidit mandans, si non ratificat factum per procuratorem, etiamsi aliàs procurator habeat mandatum vniuersale, cum libera facultate ad agendum. Neque enim tale mandatum intelligi debet, vt per illud detur procuratori facultas agendi contra leges. Et præcipuè, quòd procurator non censeatur habere mandatum vt faciat Dominum incidere in censuras, post *Ioseph. Ludou. Lucan. dec. 50. num. 13. Franch. March. dec. 480. num. 6. Magon. dec. Lucan. 51. Nat. consf. 445. Alex. consf. 39. vol. 1. tradiderant Riccius in praxi p. p. resf. 54. Bossius vbi sup. n. 217.* Et eò magis, quòd ad incurrendam excommunicationem necessaria est vera contumacia, nec sufficit præsumpta, vt colligitur *ex Cassad. decis. 2. de pens. num. 4. & Mohed dec. fin. de dolo, & contumac, & Crescent. dec. fin. de sent. & re iudic.* At verò non potest dici verus contumax dominus, ex eo quòd eius procurator præsumpserit alienare rem Ecclesiæ cõtra canones. Et cum excommunicatio non ligat ignorantem iuxta terminos *cap. a nobis de sent. excomm.* Scientiam gestorum per procuratorem non præsumitur habere dominus, quoad hoc vt si Procurator contrafecerit Dominus incidat in pœnam, vt ex *l. si quis maior. C. de transact. probat Rota coram Crescen. dec. 5. de præsumpt. num. 1.* vnde non est, vt ex alienatione rei Ecclesiæ facta per procuratorem dominus mandans censeri debeat incidisse in pœnas, nisi ipse alienationem illicitè factam mandauerit, vel eam ratam habuerit.

CONSENTIENS ALIENATIONI.

168 SEptimò alienare censetur, qui consentit alienationi. Negant *Riccias resol. 62. Bonac. de alien. rerum Eccles p. 2. num. 29.* ex eo, quia aliud sit vendere, & aliud vendenti consentire *l. aliud est vendere, ff. de reg. iuris*, Verùm vbi consensus ad valorem venditionis est necessarius non habet locum lex illa, sed in idem coincidunt consentire venditioni, & vendere, nam nec venditio aliud est, quàm voluntarius consensus extra sufficienter expressus, per quem vendens vult pro pretio rem tradere; & ideo vbi sit prohibita alienatio, consentiens alienationi censendus est alienare, & verè pro parte sua alienat. *l. si fundum C. de leg. 1. Grat. discep. for. cap. 730. num. 10.* ex *Tiraquell. de constit. p. 3. lim. 13. & Dec. cons. 12. l. 1. & cons. 105. l. 2. l. 3. & alijs. Rota dec. 23. num. 2. p. 1. diuers. & dec. 321. num. 15. Coram Seraphino, & post Maschard. & Magon. Bossius tom. 3. tit. 18. §. 6. num. 246.* Et nihilominùs in hac parte consideranda sunt verba legis. Nam video, quòd à Symmaco in *cap. non liceat 12. quæst. 2.* expressè distinguitur inter alienantes, & subscribentes alienationi, & pro illis imponitur specialiter pœna depositionis ab honore, & contra subscribentes pœna excommunicationis; vnde pœna depositionis afficit alienantes, non verò consentientes, seu subscribentes. Et ex *Gloss. in cap. si quis presbyterorum v. subscripserint* aduertendum est, quòd qui alienationi subscribit nomine alieno non censetur consentire, nec obligatur, *l. vlt. ff. de inst. act. & l. Titius. ff. de rescinden. vend.* Et si subscribit nomine proprio sed ignoranter, non videtur consentire, nec ei nocet. *l. vlt. C. plus val.* quòd agitur.

Ven-

VENDITIO CVM PACTO De redimendo.

169 Octauo venditio rei Ecclesiæ est alienatio prohibita etiam si fiat cum pacto de redimendo, & emens addat pactum de retrouendendo. Nam emptio etiam cum pacto de redimendo est vera alienatio, & per illam transfertur dominium, vt per *Tiraquell. de retrac. conuent. §.2.gloss.1.num.34.& Anton.Thesaur.dec.Pedem.73. num.2. Boss.vbi supra num.249. Donat.p.2. tract.14. quæst.62.* Sed & Paulus Quintus Const.108. specialiter prohibuit extraneis vendi sub pacto de retrouendendo Ciuitates, Oppida, Castra, Fortalitia, loca iurisdictionalia, vel feudalia intra limites status Ecclesiastici existentia absque expressa licentia Sedis Apostolicæ, in actu celebrationis contractus actualiter exhibenda & dimittenda, & non aliàs &c.

RETROVENDITIO.

170 Nono, Retrouenditio etiam secundùm aliquos nequit fieri sine solemnitate & licentia Sedis Apostolicæ, eo quòd sit vera alienatio, per quam transfertur dominium, vnde si retrouendatur res emphyteutica, necesse est soluere laudemium. *Riccius p.p.praxis res.39. Bonac.de alien. p.2.num.16.* Sed meritò hoc negant alij, tum quia retrouenditio est resolutio prioris contractus, & fictione iuris censetur retrò res non fuisse vendita, vt ex *Bal. cons.90. vol.1. & Bartol.in l.& ideo ff. de condict.furt.* tradit idem *Ricc.* subdens pro reuenditione non deberi laudemium per *Redoan. quæst.66. num.9. Ias.in l.ab emptione num.7.ff. de pact.& Mansuerum in prax.tit.de loc 1. num.2. & tit.de empt. & vend.num.16.* Tum, quia retrouenditio esto sit alienatio non est voluntaria, sed necessaria ex vi primi contractus. *Rota dec.1080.num.9. Coram Seraphino Bossius d.tit.18.nu.250.& ex Bordon.resol.27.quæst.4. num.8. Donatus p.2.tr.14.quæst.61.num.2.*

171 Discessio etiam ab emptione iam facta pro Ecclesia nondum totali pretio soluto, cum nondum dominium fuerit in Ecclesiam translatum fieri potest sine solemnitate, & licentia Sedis Apostolicæ; vt post *Rocc.in Collect.decis.p.6. collec.2101. Borellum in sum.decis.tit.15.num.34. Bordon.p.1. resol.27. num.8.& 57.sentit Boss.d.num.250.*

DISMEMBRATIO.

172 Nonò quædam species alienationis est dismembratio, cum scilicet Ecclesia seu bona Ecclesiæ, quæ sunt vnius, ab ea auferuntur, & alteri vniuntur. Vt si cura animarum spectans ad vnam Ecclesiam, ab ea dismembretur, & alteri Ecclesiæ vniatur. Vel si pars decimarum aut aliorum reddituum vnius Ecclesiæ ab ea remoueatur, & alteri conferatur. Per huiusmodi enim diuisionem & dismembrationem dominium transfertur, & ideo non potest talis dismembratio fieri sine solemnitatibus. *Lap.all.66 num.1. & 5. Panor. in cap.ad audientiam l. p. num.2.de Eccl.ædific. Franc. in cap.1.nu.1.de Eccles.ædif. Rota dec.1. de reb.Eccles. non alien.in nou.& apud Acchil.dec. vn. ea tod. tit.& dec.239.num.1 p.2.& dec.123.num.1.parte 6.& dec.6. num.2. & dec.68. num.1.p.7.recent. & in plurib.alijs decis. ab istis citatis.*

INFEVDATIO.

173 Decimo infeudatio quoque rerum Ecclesiæ nequit fieri sine solemnitate & licentia Sedis Apostolicæ. Feudum autem est liberalis concessio rei immobilis, per quam retento directo dominio apud concedentem, feudatario donatur dominium vtile nullo imposito illi onere reali, sed solùm personali seruitio & iniuncto eidem iuramento fidelitatis. Si enim feudum seu rei immobilis dominium vtile aut venderetur, aut feudatario imponeretur aliquod reale onus, non esset propriè feudum, sed vel emphyteusis, vel locatio, vel alius contractus innominatus. Quamobrem de ratione feudi est liberalis, & beneuola concessio rei immobilis. Et nihilominus feudatarius tenetur præstare Domino iuramentum fidelitatis, & ei quando opus fuerit, & fuerit requisitus personaliter inseruire, vt magis expressè explicant. *Hostien. in sum.tit. de feudis Syluester v. feudum, Redoan de reb.Eccl. non alien.pag. mihi 35.* Inter alias autem species feudi propriè dicti dantur feudum regale, & non regale. Feudum regale est, quòd habet dignitatem vel Ducatus, vel Principatus, vel Marchionatus, vel Comitatus, & datur à Pontifice, aut ab Imperatore, aut à Rege. Sed feudum non regale est, quòd non habet dignitatem, vel eam non habet ab habente potestatem illam tribuendi.

174 De his ergo feudis loquendo hoc primò certum est, quòd Ciuitates, Castra, Oppida, Fortalitia, & bona immobilia Ecclesiæ, quæ non sunt solita infeudari non possunt de nouo infeudari sine Sedis Apostolicæ beneplacito, & respectiuè sine alijs solemnitatibus requisitis. Extrauag. *ambitiosæ*, & Decretum Sacr. Congreg. sub Vrbano Octauo, & insuper de non alienandis & infeudandis Terris & locis S. R. E. Const.35.Pij Quinti, 3.Gregorij Tertij decimi, 26. Sixti Quinti, Prima Clement.Octaui & prima Innocentij Noni, & 4. Vrbani Octaui & 3. Innocentij Decimi in Bullario Cherubini.

175 At verò loquendo de bonis solitis ab Ecclesia concedi in feudum, distinguendum est id, quod de iure communi poterat fieri, ab eo, quòd fieri modò possit. Nam prout decernitur in Const.39. § 2. Pij Quinti confirmata vt supra per Greg. decimumtertiũ, Sixtum Quintum, Clem. Octauum, Innocentium Nonum, Vrbanum Octauum, & Innocentium Decimum, Ciuitates, Terræ, Oppida, Castra, Arces, & loca ad ius & proprietatem Sedis Apostolicæ pertinentia etiam in feudum dari solita, vel consueta ad eandem sedem quomodolibet deuoluta, & pro tempore deuoluenda, absque alia declaratione & illorum possessionis apprehensione eo ipso Sedi & Cameræ Apostolicæ incorporata, ac ad ius, & proprietatem, & dominium pristinum, & ad possessionem rediisse censeri debent perinde ac si per quadraginta annos & vltra Ciuitates & loca præfata à sede præfata immediatè possessa, & numquam in feudum, aut alium titulum concessa fuissent. Quamobrem huiusmodi bona etiam aliàs in feudum dari solita, nunc non

possint amplius in feudum concedi si ad Ecclesiam deuoluantur. Immò contra tractantes, consulentes, aut aliàs verba facientes de huiusmodi locis infeudandis aut alienandis, & proponentes mittere oratores ad hunc effectum, & Oratores ipsos, aut alios quoscumque alienationes huiusmodi Romano Pontifici insinuantes, vel suadentes indixit pœnam excommunicationis Romano Pontifici reseruatam, & vt S. Romanæ Ecclesiæ rebelles etiam in primo capite læsæ Maiestatis, & locorum proditores haberi voluit, eorum bona ipso iure confiscata decreuit, & beneficijs priuatos esse voluit, eosque ad præfatas Ciuitates, & loca numquam remitti posse censuit, & perpetuo infames esse constituit.

176 Pariter de iure nouo statuto per Sixtum Quintum Constit. 3. & confirmato per Clem. VIII. Paulum Quintum, & Vrbanum Octauum, vt supra Ciuitates, Oppida, Castra, Feuda, iurisdictiones, ac quæcumque bona immobilia in statu Ecclesiastico existentia non possunt concedi in feudum alicui Communitati, Vniuersitati, Collegio, vel personæ extraneæ, seu forensi, nisi de expressa licentia Summi Pontificis. Excepit autem census, loca montium, Vrbem, & eius districtum ad decem milliaria, & mulierum dotes, quæ noluit sub dicta prohibitione comprehendi. Præfatis verò exteris, & forensibus declaratis inhabilibus ad acquirendũ bona contra tenorem dictæ Constit. alienata, nullas propterea, & nullius roboris esse præfatas alienationes & infeudationes, nullumque ius emptoribus tribuere posse decreuit.

177 Sed Clemens Octauus distinguens Communitates, Vniuersitates, & Collegia, quæ extra statum Ecclesiasticum existunt, & Ecclesiastica nõ sunt, & Principes exteraneos quoscumque, qui intra Statum Ecclesiasticum habitatum venire non possunt, vel verisimiliter venturi non sunt, ab alijs exteris, qui possunt habitare in Statu Ecclesiastico, voluit vt ad fauorem priorum nulla possit fieri dispositio excepta causa dotis de bonis stabilibus extendens hoc etiam ad census, & etiam ad bona in quacumque parte Status Ecclesiastici etiã in Vrbe existentia, exceptis solis Romanæ Curiæ officijs, & locis montium, Has verò Sixti Quinti, & Clem. VIII. literas innouarunt, & amplius extẽderunt Paulus Quintus Constitut. 108. Vrbanus Octauus Const. 65. 72. 151. 153. & 157. Innoc. X. & Sanctiss. D. N. Alexander VII. Vnde est, quod licet huiusmodi bona deuoluantur ad Ecclesiam, & etiam sint solita concedi in feudum, non possunt iterum reconcedi personis in dictis Constitutionibus prohibitis, & redditis inhabilibus ad acquirendum bona præfata. Insuper verò bona omnia iurisdictionalia, in quocumque loco intra Italiam existentia, & ad quamcumque Ecclesiam, aut locum pium pertinentia, si deuoluantur ad Ecclesiam, non possunt iterum concedi in feudum sine expresso beneplacito Apostolico, & solemnitatibus statutis ab Vrbano Octauo in sua Constit. 51. quæ incipit, Humanæ salutis auctor, & fuit edita die 1. Nouembr. 1625. Infra verò cum tractabitur de rebus quæ prohibitæ sunt alienari distinctius enumerabuntur, quæ sint illa bona, quæ per præfatas constitutiones prohibita sunt alienari. Nunc enim sufficiat, quod in vi dictarum constitutionum prohibita est infeudatio, emphyteusis, & locatio etiam bonorum, quæ solita erant alienari.

178 Sed loquendo de alijs bonis Ecclesiasticis communis sententia est, vt quæ sunt solita infeodari etiam si ad Ecclesiam deuoluantur, infeudari iterum possint. Hoc enim expresse conceditur, *cap. 2. de feud.* & ita docuerunt *Innoc. & Panormit. cap. vt super nu. 11. de reb. Eccl. non alien.* Et ex *Paul. de Cast. cons. 156. & Feder. de Senis cons. 109. & Cald. cons. 1. Redoan. quæst. 1. c. 18. pag. mihi 33. & ex Curt. Cran. Soccin. Leon. in Thes. Ricc. in praxi p. 1. res. 76. Gennen. in praxi Neap. cap. 60. num. 5. & 6. Bossius d. tr. 18. num. 291.* Quod ampliatur, vt verum hoc sit etiam in feudo decimarum, quæ ex quo infeudari consueuerunt laicis, possunt iterum illis dari in feudum, *Redoan. Ric. Bossius citati*. Et ampliùs vt possint concedi in feudum etiam consanguineis, dummodò sine fraude, & præiudicio Ecclesiæ id fiat. *Redoan. ex Afflict. Bald. Aluar. & Barth. & ex Iacob. de Belu. & Ripa, Riccius, Bossius locis citatis*. Et ita vt bona deuoluta tempore antecessoris possit infeudare successor, *Ricc. ex Guid. Papa dec. 154. num. 2. Boss. citatus*.

179 Quod tamen limitatur, non possunt enim res solitæ infeudari, iterum concedi in feudum quando cessat prima causa infeudandi, vt si res inculta data fuit in feudum, vt reduceretur ad culturam, si redeat postea ad Ecclesiam sic ad culturam reducta non potest iterum infeudari. *Panorm. cap. vt super nu. 11. de reb. Eccl. non alien. & ex Curt. Ricc. d. res. 76. Bossius vbi supra*. Item non potest res Ecclesiæ infeudari alterando solitum, vt si fuit solitum eam infeudari in masculos non potest extendi ad fœminas, quoniam fieret Ecclesiæ præiudicium. Ita ex *Iacob. de Bel. Alu. Mart. Lauden. & Card. Redoanus vbi supra & Bossius citatus*. Item si res solita infeudari sit incorporata Ecclesiæ non potest amplius sine solemnitate & licentia infeudari. *Panorm cap. vt super nu. 11. de reb. Eccl. non alien. & ex Guid. Papa dec. 159. Ricc. d. res. 76. nu. 8. Boss. vbi supra*. Item si Ecclesia mutauit statum, & quæ tempore primæ infeudationis erat diues postea facta est pauper, non potest deuoluta iterum infeudare, vt ex *Redoan. q. 61. & Gennen. & Iacob. de Bel. Bossius d. num. 291.* Item non potest res Ecclesiæ infeudari cum pactis non solitis, vt v.g. cum pacto, vt feudatarius non incidat in commissum ob non solutum canonem. *Redoan. d. q. 2. c. 18 pag. mihi 37. ex Bald. in l. si à te C. de pactis int. empt. & vend. & Andr. Barbat. in cap. potuit. ext. de locat.* Videnda etiam sunt, quæ de solitis concedi in emphyteusim infra dicuntur, & tandem personis redditis inhabilibus ad acquirendum res Ecclesiæ prout supra per Constit. Pontificum citatas, non possunt res eædem cõcedi in feudum sine beneplacito Apostolico.

EMPHYTEVSIS.

179 VNdecimo Emphyteusis est alienationis species, vnde sine solemnitate & licentia Apostolica non possunt bona Ecclesiæ concedi in Emphyteusim nisi in casibus in iure expressis & nisi sint solita ita dari *cap. nulli, de reb. Eccles. non alien. Extrau. Ambitiosæ, Decretum Sac. Congregat. & Constit. Pontificum supra relata, & DD. communiter*. Aduertendum tamen, quod licet contra-

ctus

d

ctus Emphyteuticus de re Ecclesiæ sine solemnitatibus factus sit nullus, nihilominùs fauore Ecclesiæ Emphyteuta tenetur ad censua ac si contractus esset validus. *Rota dec.14.par.1.diuers.* vbi quod res Ecclesiæ alienata nulliter potest repeti vna cum fructibus etiam ab ipso, qui male illam alienauit, *& decis.1. de Locato coram Crescent. Garz. de benef. par.2.cap.1.num.82. Ricc.p.p. praxis ref.9.& ex Caualcant.Vincent.de Franc.& Redoan. Boss.d.tract.18. num.192.*

180 Limitatur verò assertio quantùm ad res fictiles modici valoris, & quantum ad casus in iure exceptos. Sed de hoc dicendum *quaest. seq.* vbi de rebus quæ alienari possunt sine solemnitate tractabitur.

181 Liuellarius contractus etiam est species alienationis, Nam nō differt ab Emphyteusi. *Sylu. v. liuellarius contractus. Soccin.cons.167.n.7.* apud *Rotam decis.288.num.13.coram Seraphino. Redoan. q.2.cap.55.pag.mihi 18. Boss.d.num.192.*

182 Posita etiam est in assertione particula *nisi sint solita ita dari*, quoniam bona solita dari in Emphyteusim vel ad liuellum si redeant ad Ecclesiam etiā meliorata possunt iterum locari & in Emphyteusim cōcedi in casibus à iure permissis, & cū euidenti vtilitate Ecclesiæ, *cap.2. de feud. extrauag. Ambitiosa Panorm. cap. vt super num.11.de reb. Eccl. non alien. Caiet. v. excomm. cap.75. Quaranta v. alienatio nu.39.* & apud eum *Afflict. Rum. Franc. Curt. Clar. Calder. Castr. Bero, Menoch. Molina, & alij, Redoan. de reb. Eccl. non alien. q.2.cap.22.pag.mihi 32.& rubrica 33.pag.mihi 245. Ricc. in praxi p.p ref.112. & 121. Barbosa ad extrau. Ambitiosa nu.15.& de off. Episc. alleg.95.num.22.& l.3.de iure Eccles. cap. 30. num.20. Rota dec.360.nu.17.p.1.diuers. & dec.1490. num.2.coram Seraph.& dec.3.num.15.& 16.& dec.4. num.18.de reb. Eccl. non alien. coram Cæsare de Grassis & dec.282.num.18.p.6.& dec.243.num.12.par.7. & dec.39.num.42. p.8. recent. vbi num.47.* quod renouatio Emphyt. non est titulus nouus, *Genuensis in praxi cap.60.num.5. Cuuar.l.2.var.cap.17. n.4. Boss. tum.3.tr.18. §.6. num.296.* Quod procedit etiam supposito iuramento præstito de non alienandis rebus Ecclesiæ inconsulto Summo Pontif. Nam & hoc dato res solitæ Emphyteuticari possunt, vt ex *Glass. in c. præceptis, v. non nouum 12. distinct. Reduan Gutier. Pereira, & Nauar.* tradit *Barbosa d.alleg.95. num.30.*

183 Hoc verò adeo est verum, vt vbi res sit solita dari in Emphyteusim, ad concedendā illam de nouo nec sint necessariæ solemnitates, & Prælatus id facere possit sine consensu Capituli, quoniam Prælatus concedendo in feudum res solitas infeudari non dicitur alienare, vt ex *Abb. antiquo cap.2. de fed.& Bald. in Margarita in ver. Prælatus* tradit *Reboan. rubr.33.num.3.pag.mihi 246. Panorm. cap. vt super, de reb. Eccles. non alien.& ex Felin. in cap. cum causa num.14.de iud.& in cap. dôceri nu.2.de rescript. & Feder. de Senis cons.109.& Castren. cons.134. l.1. Curt. de feud. p.2.q.1.num.2.& Menoch. cons.79. nu 6. Barbosa ad extrau. Ambitiosa num.16. Boss.d.tract.18. num.296.*

184 Et ita vt nedum Prælatus quo viuente res Ecclesiæ reddit ad Ecclesiam, & deuoluitur, sed & eius successor, potest eandem rem reconcedere in Emphyteusim. *Riccius p.p. praxis ref.76.& ex Claro §. feudum q.13.num.3. Molina disp.463.num.17.& Burellus summ. decis. tom.1.tit.33.num.132. Boss.d.tit. 18.num.307.*

185 Et nedum extraneis, sed & consanguineis suis potest Prælatus rem Ecclesiæ deuolutam concedere in emphyteusim, salua tamen semper euidenti Ecclesiæ vtilitate, vt tradunt DD. supra citati & ex *Archidiac. cap. Epis.12.q.2. Syluest. v. alienatio num.21. & Bald. in cap.1. qui feud. dare poss. Fachinetu Controu. iuris l.7.c.30. Burello d.tit.33.nu 13.* & alijs probat *Bossius d.tit.18. nu.308.* Quamuis ex *Barbat. consil.17. num.5. l.1.* oppositum senserit *Rota dec.103. num.14.p.8. recent.*

186 Sed hic primò considerandum est, quòd communis hæc assertio, seu ampliatio limitanda est, ex Const. Vrbani VIII. *Humanæ salutis auctor*, data 1. Nouembr. 1625. Quoniam per eam prohibetur renouare concessiones inuestituras, & locationes vltra triennium bonorum iurisdictionalium post finitum illarum tempus sine speciali licentia Sedis Apostolicæ priùs in scriptis obtenta. Sed & priùs Pius Quintus Const. 35. pluries, vt supra dictum est cōfirmata, prohibuerat omnino Ciuitates & loca Ecclesiæ Romanæ ad eam deuoluta quocumque modo alienare. Sed & ampliùs, cum forenses ad acquirendum bona intra statum Ecclesiasticum existentia sint inhabiles ex Constit.3. Sixti Quinti. & 78. Clem. VIII. & 108. Pauli Quinti, & alijs Vrbani VIII. supra recensitis, etiam si aliqua ex his bonis solitis emphyteuticari, aliàs reconcedi possint in emphyteusim non seruatis solemnitatibus, non poterunt tamen dari forensibus, seu personis in dictis Constitutionibus prohibitis.

187 Amplius verò considerandum est, quòd plura requiruntur, vt hæc reconcessio rei solitæ in Emphyteusim sit licita. Et quidem primò requiritur, quòd concessio non fiat durante prima inuestitura, quia hoc esset supplantare summum Pontificem, si vellet præuenire in inuestiendo, vel successorem in Ecclesia vt ex pluribus iuribus probat *Rota dec.39.num.35.& 36.par.8. recen.* Secundo necesse est, vt res deuoluta non sit incorporata Ecclesiæ; Nam si sit incorporata non potest ampliùs concedi in emphyteusim nisi cum solemnitatibus & licentia Papæ. *Guido Papa dec.54. Clar. in §. feudum quaest.13. versu bene verum Rota dec.243. nu.18. par.7. recent. Barbos. d. all.95. num.29. Donatus. p.2. tract.14. quaest.46. num.4. Bonac. d.p.2. num.20. Palaus tom 2. tract.11. p.15. §.4. num.3. Bossius vbi sup. nu.306.* Bona autem deuoluta dicuntur esse incorporata Mensæ vel beneficio, vel Ecclesiæ, si huius incorporationis datur expressa declaratio Prælati, quia v. g. describi fecit ea inter bona mensæ, vel si detur declaratio tacita, vt quia Prælatus seu administrator collegerit horum bonorum fructus sicut soles colligere fructus bonorum incorporatorum. *Riccius d. ref.76. Donatus num.5.* vel per annum tenuerit illa absque eo, quòd alicui ea reconcesserit in emphyteusim. *Bossius num.306.* Verùm hæc vltima habent instantiam. Nam quis est modus colligendi proprius eorum, quæ sunt de mensa, & distinctus a modo colligendi fructus eorum, quæ sunt deuoluta, & non incorporata mensæ? Omnium Prælatus est dominus, vel administrator & omnes vt dominus seu administrator, colligit, & recondit. Pariter vnde colligitur incorporatio ex eo, quòd

per

per annum res deuoluta non est reconcessa in emphyteusim? Quid enim, si per annum vel tractauit de noua locatione, & non conclusit, vel si intra annum nullus comparuit, qui emphyteusim peteret, & Prælatus iudicat non expedire Ecclesiæ, vt ipse inquirat quibus rem deuolutam iterum locet? Et quid si verè Prælatus nedum per annum, sed per plures annos expectet, vt rem deuolutam cum vtilitate Ecclesiæ iterum in emphyteusim cōcedere valeat? Sed si existentibus, qui concessionem in emphyteusim petunt, Prælatus, vel Rector, vel rei administrator, non quidem, quia vel non conuenit de pretio, vel quia non expedit Ecclesiæ illis petentibus in indiuiduo consideratis rem concedere, sed absolutè id negat etiam infra annum; signum est, quòd ille ex animo suo rem aliàs emphyteoticam Ecclesiæ vult esse incorporatam, & ex hoc tacita incorporatio deducitur. Nam & ad hanc incorporationem sufficit, quòd is ad quem pertinet semel voluntate absoluta decernat se nolle rem deuolutam ampliùs locare, ex hoc enim vult eam esse Ecclesiæ incorporatam. In dubio autem bona ostenda esse de mensa, ex *Innoc. Hostien. & Card. in cap. 1. de cler. qui inuest. tradit Redoan. rubr. de casib. in quib. fit alien. §. Item alio casu. num. 13. pag. mihi 247. vbi num. 14.* addit, quòd ex possessione Ecclesiæ non colligitur, quòd bonum possessum sit de mensa, sed quòd hoc est probandum.

188 Secundo ad hoc vt res solita dari in emphyteusim possit iterum sine solemnitatibus concedi, requiritur vt in prima concessione adhibitæ sint debitæ solemnitates, & quòd illa concessio fuerit valida; quia nulliter in emphyteusim concessum non est verè solitum sic concedi. Et cum DD. in cap. 2. de feudis communiter dicant, quòd locatio rei solitæ dari in emphyteusim non sit alienatio, sed sit executio antiquæ alienationis, hoc nequit verificari, vbi antiqua alienatio ex defectu solemnitatum, & licentiæ fuit nulla *Redoan. rubr. de casibus in quib. fit alien. & c. §. Item alio casu. num. 7. Rota dec. 360. num. 12. p. 1. diuers. Boss. d. tit. 18. n. 297. Donat. d. quæst. 46.* Sed tamen hoc limitandum est iuxta dicenda infra. *num. 200.*

189 Tertiò requiritur, vt duret causa antiquæ concessionis, nam si hæc cessat, vt v. g. si data fuit res inculta vt reduceretur ad culturā, si postquàm est ad culturam reducta deuoluatur, non potest sine solemnitatibus, & licentia iterum locari. *Curt. de feud. p. 2. quæst. 1. num. 10.* quem refert & sequitur *Rota decis. 1490. num. 7. Coràm Seraph. & decis. 360. num. 7. p. 1. diuersorum & apud eam Rebuff. & Afflict. & dec. 243. num. 17. p. 7. recent. & in Mediolanen. Bouer. 23. Ianuar. 1593. Coram Orano. Panorm. cap. vt super. num. 11. de reb. Eccl. non alien. Redoan. Rubrica de casibus in quib. fit alien. & c. §. item alio casu numer. 16. & 24. Ricc. p. p. praxis resol. 112. Barbosa de iure Eccl. l. 3. cap. 30. nu. 20. & d. alleg. 95. num. 33. Donatus p. 2. tract. 14. quæst. 46. num. 8. Genuen. in praxi cap. 60. num. 6. Bossius d. tit. 18. nu. 297.* In noua enim concessione debet adesse Ecclesiæ vtilitas tempore vltimæ concessionis, & non sufficit quod fuerit in antiqua, *Cæsar. de Graff. dec. 4. de locato, & Rota in causa nullius Castri 9. Martij 1580. Coram Brauo, & in Romana domus 19. Nouemb. 1587. Coram Card. Blanchetto apud Barbosam vbi supra. num. 34. & iterum Rota dec. 243. num. 17. p. 7. recent.* & apud eam *Grat. cap. 813. num. 37. & 41. & Palaus tom. 2. tr. 13. p. 15. §. 4. num. 4.* & alij plures, & nihilominùs, quòd res sterilis in emphyteusim data ei, qui illam fertilem fecit, possit in perpetuum dari ex *cap. ad aures. de reb. Eccl. non alienandis dixit Rota dec. 39. numer. 14. p. 8. recent.* Sed hoc est intelligendum, quia adsit in eo casu causa rationabilis id agendi, non quia id fieri possit sine solemnitate beneplaciti Apostolici. Et addo ex *Hostien. in sum. de reb. Eccl. non alien. num. 3.* Id neque licere, si tempore reconcessionis sit alius, qui velit augere pensionem, quia tunc huic debet reconcedi. Putat vero, quòd hæredi eius, qui rem fertilem reddidit satisfaciendum sit pro labore. Cuius dicti necessitatem non video cum res sterilis concessa fuerit, vt redderetur fœcunda, & qui eam fertilem reddidit fructus terræ pro labore perceperit.

190 Quarto requiritur vt in noua concessione non alteretur locatio solita in substantialibus, sed noua fiat eodem modo, & forma, & qualitate primæ concessionis, & ita vt in præiudiciū Ecclesiæ non alterētur priora pacta, & conditiones & inuestituræ. Vbi enim in præiudicium Ecclesiæ mutantur conditiones & pacta non est continuatio antiquæ concessionis, sed noua concessio & alienatio *Aluarot. in cap. 1. qui in feud. dar. possunt*, quem refert, & sequitur *Rota d. 360. num. 10. p. 1. diuers. & dec. 160. n. 9. par. 2. diuers. & decis. 1490. fin. Coram Seraph. & dec. 243. num. 16. & 17. par. 7. & dec. 39. numer. 49. p. 8. & ibid. dec. 155. num. 4. recent. Redoan vbi supra num. 19. pag. mihi 247. Quaranta v. alienatio num. 40. Genuen. in praxi cap. 60. num. 6. Barbos. de iure Eccles. p. 3. c. 30. num. 20. & alleg. 95. num. 32. Donatus p. 2. tract. 14. quæst. 46. Ricc. d. res. 76. Boss. d. tit. 18. num. 298.* & plures alij ab istis relati. Dictum tamen est, vt non alteretur forma concessionis in substantialibus, quia mutatio accidentalis non est habenda in consideratione. *Calder. cons. 11. sub rubr. de feud. Alex. cons. 9. num. 2 l. 3. Magon. decis. Lucen. 14. num. 30. & 39* quos sequitur *Quaranta d. num. 40, Boss. vbi supra.*

191 Ex hoc autem requisito colligitur primò, vt non possit alterari pretium si res manet in eodem statu, & non est deteriorata à statu primæ concessionis, vnde non potest cum minori canone locari, immò si sit meliorata non potest iterum locari non aucto canone: In renouatione enim emphyteusis debet adesse euidens vtilitas Ecclesiæ non tantum respectu temporis antiquæ concessionis, sed etiam de præsenti dum iterum conceditur res Ecclesiæ in emphyteusim. *Rota dec. 360. nu. 9. & 10. p. 1. diuers. & dec. 243. num. 15. & 16. p. 7. recent. Cæsar de Graff. dec. 3. v. num. 16. & dec. 4. per totam, de reb. Eccl. non alien. & plures alia Rota d. dec. 243. relat.* Quod enim dicitur, quòd non debeat alterari forma primæ concessionis, intelligitur in præiudicium Ecclesiæ, non in fauorem, vt bene probat *Rota d. dec. 360. num. 10. p. 1. diuers.* Ideo si de facto detur qui augeat canonem, vel spes sit vt habita inquisitione tale augumentum canonis inueniatur, non potest pro solito canone res Ecclesiæ iterum locari. *Quaranta d. num. 40.*

192 Colligitur secundò, quòd si in prima concessione adfuit pactum, quòd res non transeat ad extraneos hæredes, non potest iterum locari sine hoc pacto, quia hoc esset præiudicare Ecclesiæ,

Rota in Molen.bonorum 21. May 1593. Coram Pamphilio Ricc.p.6.Collec.2342. quos refert, & sequitur *Boss.d.tit.18.num.300. Donat.d.quaest.46. num.7. Bonac.d.p.2.num.20.*

193 Colligitur tertiò, quòd, si prima concessio facta est solùm pro masculis, non potest in renouatione extendi etiam ad fœminas; quoniam hoc est alterare locationem in præiudicium Ecclesiæ. Verum est, quòd non desunt qui existimauerint hanc esse mutationem accidentalem pro qua sententia referuntur *Magonius decis.14. Lucen.* & apud eum *Alex.cons.9. num.2.lib.3. Cal.11. de feud. Dec.in authent.qui rem num.22. C. de Sacros. Eccles.* Sed cum manifestum sit magnum præiudicium inferri Ecclesiæ si emphyteusis solita dari pro masculis extendatur ad feminas, dicendum omnino est, non licere sine solemnitate & licentia hanc extensionem facere. Et ita sentiunt DD. supra *citati numer.190. & Gemen.in praxi cap.60. numer, 6. ex Iac. de Beluis.Card. & Curt.* quem sequitur *Boss.d.tit.18.num.300.* Nec admittenda est *d.Gemen.*limitatio, quia scilicet, ex magna causa, & meritis præcedentibus possit locatio solita fieri pro masculis extendi ad fœminas, Nam licet motiuum meritorum præbeat iustam causam alienandi bona Ecclesiæ, vt voluit *Rota dec. 243, numer.9. p.7. recent.* Tamen ad licitam alienationem nunc non sufficie vtilitas Ecclesiæ etiam euidens, sed est necessaria licentia Apostolica. *Rota dec.508.num.1.coram Seraph.& dec.430.num.4.part.2. & dec.367. num.1. p.5.& dec.243.num.12.p.7.recent.* Et propterea hæc extensio nec etiam titulo gratitudinis fieri potest sine solemnitate beneplaciti Apostolici. *Boss. d. num.306,*

194 Colligitur quarto, quòd, si res est solita dari ad secundam generationem, non potest de nouo locari ad tertiam, vel ad quartam, vel in perpetuum quoniam hæc est mutatio præiudicialis Ecclesiæ, vt probat ex *Afflict.dec.107.& Clar.in §. emphyteusis quaest.6.& Borell.tit.33.num.253.Boss.d. num.300.Redoan.vbi supra.numer.21. Bonac. d.p.2. num.20,*

195 An verò in his casibus in quibus res solita locari, de nouo res locatur vltra solitum, vt quæ est solita locari ad secundam generationem locatur ad tertiam contractus sit nullus? Quæstio est, in qua DD. in magno numero sunt ex vtraque parte diuisi. Multi enim dicunt contractum esse validum vt teneat iuxta solitum, vt si solitum sit rem locari ad secundam generationem, locatio facta ad tertiam sit valida pro secunda generatione non verò pro tertia. Sed alij absolutè censent contractum esse nullum. Et hæc est sententia *Rota, dec.30, par.1. Recent.* Quę fundamentum habet in extrauag. *Ambitiosæ, & Clem.1.de reb.Eccl.non alien.* Vbi concessiones rerum Ecclesiæ vltra tempus statutum decernuntur nullæ. Sed ex alia parte respondetur huiusmodi textus intelligi posse, vt concessiones illæ sint nullæ pro ea parte, pro qua vltra tempus, & ad prohibita se extendunt. Multi etiam distinguunt, & dicunt tunc huiusmodi contractus esse censendos nullos, quando ex coniecturis demonstrari possit, mentem contrahentium fuisse, non contrahere nisi contractus valeat in totum; tunc enim si in totum valere non potest contractus in alia forma initus ex defectu consensus contrahentium est nullus. Et hoc est certum, DD. hanc quaes. tractantes referunt, *Rota citata, Barbosa de off. Epis.alleg.95.Riccius p. p. praxis resol.115.Garz.de benef.p.2.cap.1.Boss.d.tit.18. a num.301,*

196 Quando autem conceditur res Ecclesiæ ad tertiam generationem, non debere connumerari primum acquirentem in numero harum generationum, sed locationem tunc extendi ad filios, nepotes & pro nepotes primi acquirentis pluribus probat & bene *Barbosa l.3.de iure Eccles.cap.30, nu.24.* Et si enim absolutè dicatur, concedi rem ad tertiam generationem, numquam generans venire potest sub nomine geniti, vel generationis. Is verò cui res conceditur sumitur tamquam generationis initium, non verò tamquam passiuè genitus; vnde idem est dicere ad tres generationes, quod ad tres successiuè genitos in linea descendentium.

197 Sextò requiritur, quòd Ecclesia sit in eodem statu in quo erat tempore primæ concessionis; Nam si Ecclesia sit deterioris status, & reducta ad inopiam, feudum deuolutum non potest Prælatus alienare, sed illud pro Ecclesia debet retinere. Vt per *Aluarot.in cap. 1, col. 8. ad fin.& ibi Iac. de Bel. & Card.ibid vlt. fallen. & ibid. Martin. Landen.circa finem in vltim.fall.qui feud.dat.poss.Redoan. rubr. de casib.in quib.fit alienatio.§.Item alio casu. num.15, pag.mihi 247.*

198 Si autem quæratur, quæ bona dicantur solita alienari, adhoc cognoscendum duæ regulæ dantur. Prima est, quòd res Ecclesiæ semel concessa in emphyteusim vel alienata per concessionē solemnem, & validam dicitur solita alienari vel locari, & hoc sufficit ad hoc, vt possit postea sine solemnitate cum deuoluitur iterum concedi in emphyteusim, vel locari ad longum tempus Conclusionem hanc tanquam communem tradidit, *Rota decis.434. & 1451.coram Card.Seraph.& decis.160. num. 5.p.2,diuers.& dec.36.n.7.p.7.& decis.73.nu.10. & 29. par.8.recent. Præpos.in cap 1.nu.23. qui feud. dat.poss.Alex.cons.9.num.5.l.3.Quaranta v.alienatio num.40. Ricc.p.p. praxis resol. 26. & 112. Barbosa de iur.Eccles.p.3.cap.30.num.21.Donatus p.2.tt.4.q.46. Bonac. d.p.2, num.20, Boss. d.tit.18.n.310.* & quamplures alij ab istis citati.

199 Sed dubium est, an in hoc casu præter primam concessionem solemnem sit etiam necessarius post illam cursus 40. annorum, per quem res fuerit possessa ab eo, cui res Ecclesiæ fuit concessa, & sic cōcessio fuerit per 40, annos obseruata. Affirmant enim *Gabriel.Card.Mant.& Decian.* quos refere, & sequitur *Grat.discep.cap.379. num.21. & apud Boss. Gamm decis.lusit.342.num.4.& Borell.tit.33.nu.136.* Sed oppositū est dicendum, quando enim semel res est solemniter locata, locatione valida, non est necessarius cursus temporis, vt dicatur solita locari, quia aliunde non probatur necessitas cursus 40. annorum. *Rota d.dec.434.coram Card.Seraph.Barbos.de iure Eccl p,3.c,30.num,21.Boss. d. numer,310.* Nam & sententia communis huius conditionis seu cursus 40. annorum non meminit, sed absolutè docet, quòd sufficiat vna concessio solemnis, & valida ad hoc vt res dicatur solita locari,

200 Secunda regula est, quòd duæ concessiones minùs solemnes, si habuerunt effectum per spatium 40. annorum sufficiunt ad hoc, vt res dicatur solita concedi, & locari. Ita communiter DD. citati

tati num.298. Aduertit verò Quaranta has concessiones duas eodem modo debere esse factas. Sed econtra Riccius d. resol.26. num.3. contrarium tenet sic dicens: Non tamen requiruntur necessariò ambæ formes. Ioseph Ludouic. caus.23. & fuit resolutũ in vna Pisana Bonorum 20. Febr. 1585. coram Cantuccio, & sufficit quòd vna sit valida. Mainard. decis. 96. Seraph. decis.434. & 1451. & fuit resolutum in d. Pisana bonorum. Hæc Riccius. Sed dicendum est, alienationes debere esse vniformes, vt ex eis deducatur solitum, prout etiam voluit Rota decis. 252. num.11. p.7. recent. & dec.39. num.46. p.8. vbi enim non est conformitas, sed alteratio, tunc dicitur noua concessio, & noua alienatio, vt per Dec. Clarum, & aliam Rotam Imolen. bonorũ 21. Maij 1593. coram Pamphilio, probatur ibi; & quod addit Ricc. sufficere si vna sit valida, hoc neque est necessariũ, sed sufficiunt duæ informes. Vbi enim vna sit valida, & solemnis non requiruntur duæ, sed illa sola sufficit, vt dictum est in prima regula. Duæ verò etiam informes sufficiunt, si sint sortitæ effectum spatio 40 annorum. Rota dec.36. num.7. par.71. & dec.103. nu.15. & dec.155. num.5. p.8. rec. & communiter DD sentiunt. Sed de hac secunda regula ego habeo difficultatem. Nam esto præcesserint plures concessiones, vel constat eas omnes fuisse inualidas & ex his non potest argui solitum, quia non potest dici quòd res sit solita alienari, quæ nũquam fuit validè alienata, vel non constat aliquam ex præteritis concessionibus fuisse validam, & tamen ex cursu 40. annorum præsumitur eius valor. Et hoc non potest nunc habere locum, cum ex Constit.157. Vrbani VIII. solemnitas, & valor alienationum rerum Ecclesiæ non possit præsumi ex cursu temporis etiam longissimi. Vnde nunc, vbi non constet de valore vnius concessionis, & eius solemnitate non poterit dici, quòd res sit solita locari nisi ad formam dictæ Constit. res eadem à centum annis, aut à tempore immemorabili fuerit solita locari.

201 Quomodo autem hoc solitum probetur, si inquiratur, aduertendum est primò, quòd ad hunc effectum, vt scilicet, ad probandum, quòd iuxta primam regulam res dicatur fuisse semel locata solemniter, non sufficit præsumptio desumpta ex lõgitudine temporis. Rota dec.434. & dec.1451. n.3. & dec.490. num.4. coram Seraph. & decis.30. num.8. par.7. & decis.155. num.6. par.8. recent. Riccius d. res. 26. num 4. & resol.112. fin. Boss. d. num.310. & addit Rota dec.103. num.13. p.8. recent. quod præsumptio validitatis ex cursu temporis tollitur, si alienationes emanarunt ad fauorem consaguineorum. Et dec.73. num.11. ead. p.8. habet quòd concessio in Emphyteusim facta fratri à fratre potiùs de iure præsumitur facta in fraudem, quàm in vtilitatem Ecclesiæ, vt dixit Rota dec.340. num.7. par.1. recent. Alienatio enim rerum Ecclesiæ in consanguineos suspecta est. Rota p.4. d.171. num.4. & par.7. d.252. num.20. & p.8. dec.73. nu.8. Et quantum ad casum secundæ regulæ, non probatur sufficienter fuisse duas concessiones ex hoc solo quòd in vna concessione partes asserant aliam fuisse factam, nam in prohibitis non statur assertioni partium, vt habet Rota coram Seraph. d. decis.1351. num.4. ex Bart. in l. si foetu, de castr. pecul. & in materia alienationis rei Ecclesiæ fuit resolutum in Auersana Tenimenti coram Cantuccio, quæ est impressa 160. num.4. par. 2. diuers. Barbos. d. alleg.95. num.32. Sic igitur ad probandum hoc solitum non statur alienantium assertioni. Sed hoc solitum probari debet per scripturas, & instrumenta. Rota decis.243. num.2. p.7. rec. Quàmuis in defectu scripturarum posset etiam probari per testes, vt ex eadem dec. colligitur.

AFFRANCATIO.

202 DVodecimò affrancatio, etiam rei censualis, seu Emphyteuticæ est species alienationis, vnde est, quod nequit fieri sine solemnitate & licentia Apostolica. Rota dec.13. & 14. p.1. diuers. & dec.1080. num.9. coram Seraph. & in Romana pratensis deuolutionis 10. Martij & 10. Maij 1595. coram Millino. Ricc. p.p. praxis resol.77. Boss. d. tit.18. num.312. Quod tamen limitatur, vt non procedat quando affrancatio non sit voluntaria sed necessaria, Rota d. dec.1080. & DD. citati, si enim in contractu habito cum debita solemnitate & licentia Apost. positum est pactũ de affrancando, vel res peruenisset ad Ecclesiã affecta illo onere affrancandi tũc in affrancatione, nõ esset necessaria solẽnitas, quia esset contractus necessarius. Et hoc ampliatur, vt si de licentia Apostolica concessa sit res Ecclesiæ in Emphyteusim cum pacto de affrancando, res censualis, vel emphyteutica posset affrancari sine solemnitate etiam non obstante caducitate. Ricc. & Boss. citati. Ex eo quia emphyteuta cadens à iure emphyteusis non cadat à iure affrancandi, siue pactum affrancandi positum sit coniunctim, siue separatim in eodem vel diuerso instrumento, vt fuisse declaratum in Senatu Pedemontano ex Thesaur. q. for. tom.1. q.12. nu.5. & in sacro Concil. Neapol. ex Vincent. de Franc. decis. 267. fin. refert loco citato, Riccius. Quod etiam hæres possit inuito domino renunciare rem emphyteuticam, vel non adita hæreditate, vel ea adita protestando voce, aut scripto se nolle subire grauamen, & soluere pensiones, docet Donatus p.2. tract.14. q.88. ex eo, quòd emphyteusis Ecclesiæ non transit ad hæredes, nec venit in generali institutione. Si tamen hæres acceptauit emphyteusim non potest inuito domino eam restituere.

PRECARIVM.

203 TErtiodecimò Precarium contractus est gratuitus per quem ad preces alicuius transfertur dominium vtile rei, l.1. ff. de precario, & cap. 3. de precarijs, & ibid. Panorm. Sylu. v. precarium, Quaranta ver. alienatio num.16. Ideo ad hoc vt res Ecclesiæ possit concedi precariò, necessariæ sunt iuris solemnitates. Redoanus de alien. reb. Eccles. q.1. cap.24. pag. mihi 29. Quaranta vbi supra. Ricc. p.p. praxis res.61. Barbosa de iure Eccl. p.3. cap.30. nu.27. Boss. d. tit.18. num.313. Et precarium morte concedentis non finitur, sed transit ad illius hæredes donec ab eis reuocetur. cap.3. de precar. & ibi DD. & alij quos ibi refert Barbosa num.4. Et tamen aduertendum, quod si alicui simplex vsus, aut rei commoditas concedatur, & dominium vtile non transferatur, hic nec est contractus precarij propriè dictus

ctus, nec est alienatio, aut species alienat. *in cap. Quæ in Ecclesiarum num.88.de const.* est prohibita fieri sine solemnitatibus, quoniam in casibus in quibus est prohibita alienatio, permittitur eiusdem rei commodirariis translatio, vt ex *Bald Iason. Angel Loffred.& Ann.* probat *Ricc. d.res.61.n.5.* quem sequitur *Boss.d.num.313.* Sed de hoc videnda sunt, quæ infra num.234.de hoc puncto dicuntur.

PRECARIAE.

204 Quartodecimò precariæ à precario distinguuntur, quia precarium non conceditur ad tempus determinatū, & si conceditur potest reuocari ad libitum, *cap.fin.de prec.& l cum precariò ff.eod.*precariæ, vero sunt contractus, quo ad preces conceditur res ad certum tempus in quo non potest reuocari, *cap.1. & fin.de precar.* Quamuis verò res concedatur ad certum tempus renouatur tamē de quinquennio ad quinquennium *cap.1.de precar. Panorm.ibid.Syln.v.precarium.Redoan.q.2.c.34.pag. mihi 29.* Non quia, vt bene *num.3.Panorm.*aduertit sit de substantia huius cōtractus, vt fiat ad quinquennium, nam potest fieri ad quodcumque longum tempus, & vel in perpetuum, vel ad vitam accipientis, vel ad quodcumque longū tempus. Sed tamen renouatur contractus de quinquennio ad quinquennium, non quia fiat noua concessio, sed prior renouatur, ne longitudine temporis pereat memoria contractus. Hinc apparet, quòd huiusmodi contractus sequitur naturam emphyteusis, seu locationis, ad longum tempus, vnde est species alienationis, & fit multis modis, quos distinguunt *Panorm. Syln.& Redoan.citati.* Quamobrem non potest celebrari hic contractus de re Ecclesiæ sine solemnitatibus à iure ad alienandum requisitis. *Redoan vbi supra, Barbosa de iure Eccl l.3.c.30. nu. 27. Boss. num.313.* Quod tamen vt supra dictum est de precario non habet locum, si non tradatur dominiū vtile rei, sed solus vsus, aut rei cōmoditas, sed de hoc dicam infra loquendo de locatione.

CONCESSIO AD BENEPLACITVM.

205 Quintodecimò concessio ad beneplacitum est alienatio sapiens naturam alienationis perpetuæ. Concessio enim rei ad beneplacitum est quasi precarium. *Redoan. vbi supra num.8.* Et licet concessio facta ad beneplacitum videatur reuocabilis ad nutum concedentis, tamen non ita res se habet, sed res concessa ad beneplacitum non potest reuocari sine causa, per tradita per *Capic.dec.116.& 111. alleg. 219. num.16.* maximè quando concessio emanata fuit propter seruitia, *idem ibid.num.12 Marsil.sing. 363.* & per alios quos refert, & sequitur *Ricc. p.p. praxis res.61. & Boss.d.tit.18.num.314.* Et huic fauet *Panorm.cap.1.num.3.*de precario explicans sic: qui cōcessit rem precario sic posse illam reuocare, quòd tamen si id faciat cum damno accipientis, ipse possit agere de dolo contra reuocantem, quia non est iustum quòd precariū quod ex natura sua est beneficium, sit cui conceditur causa damni. Ideò, qui concessit rem ad beneplacitū non potest illam reuocare cum damno accipientis. Et quia potest esse, quòd post concessionem ad beneplacitum causa reuocandi non eueniat, ideo potest esse, quòd sic concessio ad longum tempus. Quod cō-firmatur ex eo, quòd gratia facta ad beneplacitum censetur perpetua, vt ex *Capic.dec. 123.n.4.addit.ad dec.516.habet Ricc.d.res.61.* vbi sequentia tradit, nimirum quòd officialis à Principe creatus ad eius beneplacitum, dicitur perpetuò creatus ex *l. iuris peritus, ff.de excus. tut.10.l. principalibus, ff si cert. pet.* & ibi *Alex. num.6.Ias. in l. centesimis, §. ito stipulans num.14.* vbi etiam *Alex.num.11.ff.de verbor. obligat. Mascard.de probat.conf.188.num.8.l.1. Ann. cons.56.num.22.vol.1.* Et hoc procedere etiam in officiali ab Epis. deputato voluit *Gutierez l.2. canon. quæst.q.11.n.4. & Gonzal.ad reg.8. gloss.12. numer.28.* docens, deputatum ad aliquod officium non posse remoueri ex sola malitia absque tamen legitima causa, & *Menoch.*alios congerens in *addit. adl.1. der arbitr. q. 55. nu.21.* Et immò quòd fuerunt nōnulli tenentes, concessionem ad beneplacitū non expirare morte concedentis, maximè à Magistratibus & à Principe nō cognoscente superiorē creatis. Ita *Boer.dec.149.n.11.Tamb.dec.29. Carroc. dec.17.*Immò dicit *Molino de Primog.l.1.fol.181.n.5.* quòd quando quis vult reuocare concessionem factam ad beneplacitum, debet hoc facere specialiter, nec venit sub generali reuocatione; vt voluit etiam *Lanar.cons.21.num.10.Ann.alleg.53.num 26.Roman. cons.332. num.23.* Hæc *Ricc.* cui consent. *Boss.* Et quòd de annuis redditibus concessis ad beneplacitum iudicetur, ac si essent perpetui, voluit etiam *Grat.discep. cap.756. num.21.* Cum ergo concessio rei ad beneplacitum sapiat quandam perpetuitatem, si conceditur dominium vtile est species alienationis, quæ ad sui iustitiam & valorem requirit solemnitates à iure requisitas ad alienandas res Ecclesiæ, & *Ricc.& Boss.citati.* Quod tamen limitatur, ab aliquibus, si non traditur dominium, sed solus nudus vsus, aut rei commoditas concedatur, quia hæc cōcessio non censetur species alienationis, sed de hoc dicam infra tractādo de fructuū locatione.

SVPERFICIARIVS CONTRACTVS.

206 Sextodecimò superficiarius contractus est species alienationis, & cuiusdam emphyteusis. Natura enim huius contractus est quod alienatur res durante rei superficie, & ideo destructa rei superficie, vt combusta domo, ex natura rei cessat contractus, vnde is cui erat res, puta domus concessa, ea destructa, non potest illam reædificare. Et ex *Bartol. in l.fin. de superf.* aduertit *Redoan. q.2.c.25.* hanc esse differentiam inter eum, qui cōducit solum, (vt contingit in emphyteusi) ab eo, qui conducit superficiem, quòd in primo casu destructa domo, non finitur contractus, *l. quoties. in fine. ff. de rei vendic.* Et ideò conducens solum destructa domo potest domum reædificare. Sed si quis conducit superficiem, destructa domo, contractus est finitus *d. l.quoties*, & ideò sic conducens non potest domum reædificare. Vnde est, quod emphyteuta re combusta, aut domo destructa tenetur ad solutionem canonis sicut ante destructionē tenebatur, vt ex *Angelo §.lex itaq.auth. de non alien.* habet *Redoanus vbi supra*, superficiarius verò re destructa ad pensionem non tenetur, sed immò, vt *Redoanus* addit, meliorationes suas non perdit, si illæ possint auferri. Cum igitur in hoc contractu superficiario alienetur res, certum est, quòd sine solemnitatibus iuris non potest celebrari, & sub-

ditur

ditur legibus de non alienandis Ecclesiæ rebus. Redoan. *vbi supra, Boss.n.315.*

COLONARIVS CONTRACTVS.

207 DEcimoseptimò Colonarius contractus etiam est species alienationis: est enim quædam emphyteusis, & vt ex *Benedicto Canophilo in repet. Extrau. Ambitiosæ* habet *Redoan.q.3.cap.23.* fit quando v.g. domum valentem centum & præstantem pensionem decem dat cum pacto, vt sibi singulo anno soluatur eadem pensio decem, & de hoc contractu adest textus in *§. lex itaque Authen. de non alien.* Cum itaque hic contractus sit vera emphyteusis, sine dubio est prohibitus fieri de re Ecclesiæ sine solemnitatibus iuris. *Redoan. vbi sup. Boss.nu.316.*

LOCATIO.

208 DEcimooctauò, Locatio etiam probibita est fieri vltra triennium sine solemnitatibus. Plura autem disputant DD. circa locationem in perpetuum, & ad longum tempus, & præcipuè an locatio ad longũ tempus sit species alienationis ex vi prohibitionis de non alienandis rebus Ecclesiæ prohibita, negantibus hoc aliquibus, multis alijs affirmantibus ex eo quòd illi negent ex vi locationis ad longum tempus transferri dominium aliquod vtile, seu in re locata, hoc verò affirment alij, sed cum modo per *Extrauag. Ambitiosæ*, prohibita sit locatio vltra triennium, huic determinationi est standum, quamuis verè locatio absolutè sumpta non sit alienatio rei locatæ, nullumque illius dominium seu directum, seu vtile transferat. Ex vi tamen Paulinæ non est Ecclesiasticis personis etiam Regularibus prohibita conductio locationis vltra triennium, si locans sit laicus, qui vltra triennium possit locare. Prohibita tamen est conductio bonorum Ecclesiasticorum, & ideò vna Ecclesia non potest ab alia conducere bona locata vltra triennium, quia expresè in Paulina prohibetur etiam conductio. Sed tamen ibi de bonis Ecclesiasticis est sermo. An verò conductio bonorum sit prohibita Ecclesiasticis, quia sit negotiatio, alia quæstio est.

209 Nedum igitur sine solemnitatibus non potest res Ecclesiæ locari in perpetuum, *cap. ad audientiam de reb. Eccl. non alien. & ibi Panorm.* Redoan. *de reb. Eccl. non alien. quæst. 2. vbi num. 7.* quòd locatio ad 30. annos censeatur perpetua. Et nedũ non potest res Ecclesiæ locari ad longũ tempus *Clem. 1. de reb. Eccl. non alienand. & ibi Gloss. Panorm. in cap. fin. de Eccles. ædific. num. 12. Redoan. d. quæst. 2. cap. 13.* & communiter DD. quos abundè referunt *Ricc. p. p. praxis quæst. 116. & Barbosa de pot. Epis. all. 95. nu 3. & de iure Eccles. p. 3. cap. 30. & collec. ad cap. ad audientiam de reb. Eccl. non alien. & ad d. Clem. 1.* Et quòd tempus longum sit tempus decem annorum, *Syluest. v. alienatio num. 5. Couar. l. 2. var. cap. 16. nu. 1.* & apud eũ *Card. Imol. Panor. Alex. Dec.* & alij, & ex *Alex. & Bertach. & alijs habet* Redoan. *& d. c. 13. n. 5.* & ex pluribus alijs *Barbosa de verb. appell. v. alienatio num. 12. & ad Clem. 1. nu. 14. de reb. Ecc. non alien. & alijs etiam quos refert Bossius d. tit. 18. num. 321.* Sed modò prohibita est fieri locatio vltra tienniũ sine solemnitatibus *Extrau. Ambitiosæ, & decretum Sacr. Congreg. iussu Vrbani VIII. editam.* Et respectiuè Constit. Pontificũ supra relatæ, & DD. omnes.

210 Hinc sequitur primò, quòd modo non licet sine solemnitatibus locare rem Ecclesiæ ad nouem annos. Et hoc procedere tam in Prælatis secularibus, quàm in Regularibus. Et ita vt nec duo Beneficiati in eadem Ecclesia possint alter alteri locare aut vita durante, aut vltra triennium prædia obuentionis, seu portionem obuentionum, & fructuum suorum absque assensu Apostolico, vt ex *Nauar. cons. 10. de reb. Eccl. non alien. tradit* Ricc. *p. 1. praxis res. 109. & ex Boer. dec. 224. num. 2. Boss. ad d. tit. 18 num. 322. Quaranta v. alienatio nu. 18.* Eadem verò est ratio de locatione facta vltra triennium, & de ea quæ fiat ad tempus incertum tale, quod moraliter censendum est longius triennio, vt si quis locet prædium alicui ad vitam locantis, vel conducentis. Vel de ea, quæ fiat ad tempus incertum, & dubium, an sit futurum longius triennio, vt si quis locet prædium donec finiatur bellum, quia cum hoc tempus possit esse longius triennio, locatio ad tale tempus potest esse vltra triennium contra legem Paulinæ. *Sopranus* ad *Fillinc. tract. 44. cap. 2. num. 14.*

211 Limitatur verò seu explicatur communis assertio primò, vt non procedat vbi valet consuetudo legitimè præscripta locandi res Ecclesiæ ad maius tempus. *Quaranta v. alienatio num. 18 ex Parij. consil. 93. lib. 4.* Ricc. *d. resol. 109. nu. 4. ex Gam. dec. Lusitan. 388. in fin.* dicta enim extrauag. *Ambitiosæ* consuetudine abrogari potest in totum, vel in parte, iuxta *text. cap. fin. de consuet. & Couar. l. 2. variar. cap. 16. num. 6* quem sequitur *Bonacina de alien. rer. Eccl. punc. 2. num. 24.* pluribus alijs citatis. Vbi quod Mediolani sit consuetudo locandi res Ecclesiæ ad nouem annos triplici locationis contractu. *Boss. ad d tit. 18. num. 323.*

212 Limitatur secundò, vt vbi res Ecclesiæ non consueuit reddere fructus singulo anno, sed vel ad tres, vel ad quatuor, vel ad sex annos, tunc isti anni tres, vel quatuor, vel sex censeantur vnus annus, & ideo res talis possit sine solemnitatibus locari ad nouem annos, si reddat fructum solùm ad tres annos, vel ad 18. annos si reddat fructum ad sex annos, vel ad 24. annos, si reddat fructum ad 8. annos, & ita proportionatè si ad alium numerum annorum det fructus. *Couar. l. 2. var. cap. 16. num. 6. Nauar. de reb. Eccles. non alien. num. 21. Quaranta v. alienatio num. 18.* Riccius *p. p. praxis quæst. 113. Genuen. in praxi cap. 60. num. 10. Azor. p. 2. l. 7. cap. 10. quæst. 8. & l. 9. cap. 2. quæst 2. Bonac. de alienat. p. 2. nu. 24. Barbosa de off. Epis. all. 95. num. 4. & de iure Eccles. l. 3. cap. 30. num. 30. & ad extrau. Ambitiosæ num. 9. Donatus in praxi p. 2. tract. 14. quæst. 39. nu. 1. Boss. tit. 18. num. 325.* & alij plures, quos illi referunt. Vnde sylua cædua, quæ ad tres, vel quatuor annos solet cædi, potest vltra triennium locari, non tamen anticipatis solutionibus in præiudicium successoris, quoniam hoc est prohibitum per *Concil. Trid. sess. 25. cap. 2. de reformat. vt ex Vgol. tradunt* Ricc. *& Boss. citati.* Sed si daretur res, quæ bis in anno fructum daret, posset locari ad triennium; quidquid enim in vno anno terra fructificat pro vnius anni fructu computatur, vt ex *Pyrro Corrada habet Bossius, addens ex eodem Pyrro, & Capella, & Tiraquel.*

quel. dari similes terras bis in anno eundem fructum reddentes, & id euenire in partibus Indiarum vbi sunt duæ æstates.

213 Limitatur tertiò in re solita locari ad longum tempus; hæc enim existente eadem causa locationis, si non sit incorporata Ecclesiæ, & locetur sub eadem pensione, vel etiam maiori, si id sit iustum, & ita vt non fiat Ecclesiæ præiudicium, potest iuxta solitum locari, seruatis, quæ supra de emphyteusi dicta sunt, & tradunt DD. ibi citati.

214 Per dictam etiam extrauagantem nō prohibentur locationes infra triennium, quia extrauagans *ambitiosæ* solùm prohibet locationes, quæ fiant vltra triennium. Vnde est, quòd per statutum Episcopale tempus locandi res Ecclesiæ posset restringi ad duos, vel etiam ad vnum annum, vt tradunt ex *Alex. cons. 160. 4. num. 6. & Anchar. consil. 116. num. 15. & Cardin. in cap. fin. num 2. Ne Prælati vices suas, Barbos. d. alleg. 95. num. 18. & ad extrauag. Ambitiosæ num. 10. Castro Palaus tom. 2. trac. 11. disp. vn. p. 14. nu. 10. Boss. d. tit. 18. num. 326. vbi addunt Barbos. & Boss.* valida esse statuta, quibus ordinatur, ne locatio valeat, nisi fuerit à Prælato confirmata, vt seruari *in Diœc. Bracarensi* refert *Barbosa.*

215 Extendunt verò aliqui principalem assertionem ad mandatum, ita quòd si detur alicui mandatum ad locandum res Ecclesiæ, illud intelligi debeat ad triennium, & triennio expirato necessarium sit nouum mandatum. Vel si detur alicui mandatum ad pluries locandum rem Ecclesiæ, hoc mandatum non valeat nisi pro triennio vno, quo expleto cesset in mandante locandi facultas. Nam aliàs mandatum de locando ad plura triennia successiua est locatio quædam ad longum tempus, quæ est prohibita. Ita ex *Decio cons. 281. sent. Redoan. quæst. 6. num. 3. & 4.* Pro qua sententia à *Ricc. res. 94. referuntur Conar. l. 2. var. cap. 16. num. 6. Graff. dec. li. 4. cap. 24 num. 20. & à Boss. numer. 327. Azor. p. 2. l. 9. cap. 2. quæst. 5. & Vasquez de redditib. cap. 2. §. 2. dub. 6. & ex Conar. idem sentit Donatus p. 2. tract. 14. quæst. 39. num. 4.* Sed meritò reijcitur hæc opinio, nam mandatum de locando non est locatio, sed facultas locandi, quæ si sit facultas locandi ad triennia plura successiuè nullo iure est prohibita, & sicut nullo iure prohibente eam habet dominus, sic illam potest in procuratorem transferre. Et nimis durum esset, quòd Beneficiatus absens non posset pro tempore absentiæ suæ dare alicui mandatum locandi res sui beneficij. Et propterea, quòd sine solemnitatibus necessarijs ad locādum res Ecclesiæ vltra triennium possit dari & valeat mandatum datum alicui ad locandum res Ecclesiæ per triennium & iuxta legū permissionem toties quoties opus fuerit tradiderūt *Garz. de Benef. p. 5. cap. 1. num. 72. Ricc. d. resol. 94. Palaus t. 2. trac. 11. p. 14. nu. 9. Molina tom. 2. disp. 466. fin.* quem refert, & sequitur *Boss. d. num. 328.*

216 Extenditur verò dicta principalis assertio, vt nunc post decretum *Concil. Trid. sess. 25. cap. 8. de reform.* nec administratio hospitalium possit concedi vltra triennium, & quidem nulla consuetudine etiam immemorabili obstante, vt tamquam declaratum à Sacr. Congreg. referunt & tenent *Ricc. resol. 93. Gar. p. 2. cap. 3. num. 9. Barbosa ad d. cap. 8. Concil. Trid. Boss. d. c. tit. 18. num. 319.* Cùm enim Concilium solum excipiat casum in quo ex fundatione cautum sit, vt administratio hospitalis possit concedi vltra triennium, ex hoc deducitur, quòd in nullo alio casu possit id fieri; & ideo nec ex hoc, quòd consuetum fuerit concedi administrationem hanc vltra triennium, possit in posterum hoc admitti. Quod *Ricc. Garz. & Boss. citati* extendunt, vt verum sit etiam si hospitale sit vnitum alicui Ecclesiæ, ita vt tunc obtinens Ecclesiam solùm ad triennium possit administrare hospitale, & postea id alijs committere debeat ad triennium. Decretum tamen Concilij ad alia loca pia non se extendit, sed solùm in Hospitalibus habet locum, vt dicti DD. docent.

217 Extenditur secūdò, assertio, vt nec possit fieri locatio *ad plura triennia*, vt sint tot locationes ab initio simul initæ, quot sunt triennia; sed hic plures casus distingui possunt, & debent. Primus est, si locans simul in eodem instrumento locet rem Ecclesiæ v. g. ad nouem annos, declarans se locare ad triennium, & post primum triennium se locare ad secundum & hoc expleto ad tertium ita vt hic non sit vnus contractus, sed sint tres locationes, sicuti sunt tria triennia. Et in hoc casu quidquid dixerit *Bald. in cap. 1. §. si libellario*, quibus modis feud. amittitur, & in *l. voluntas. C. de fideicommiss.* approbans huiusmodi contractus, certum est oppositum, minimeque licere locare rem Ecclesiæ vltra triennium per contractus simul à principio initos, & ita vt tot dicantur contractus, quot sunt triennia. Quia in substantia hoc est locare rem Ecclesiæ vltra triennium; quod verò hoc fiat per vnum, vel per plures contractus hoc de materiali se habet, & Ecclesia prohibet locationem vltra triennium, quæ in præsenti casu fit, licet in fraudem legis dicatur locationem non esse vnam, sed multiplicem. Et ita hanc partem ex antiquis docuerunt *Cyn. in l. 1. C. de iure emphyt. Albert. in l. pluribus. §. 1. ff. de verborū oblig. in fin. Card. in Clem. 1. § fin. quæst. vlt. Anchar. cons. 57. Lapus all. 15. Iason in l. manumissiones ff de iust. & iur. Alex. cons. 165. l. 2. Bal. cons. 327. l. 3. & cons. 392. l. 5.* quos refert, & sequitur *Redoan. quæst. 6. §. Item ex præmissis. num. 19. pag. mihi 348. Conar. var lib. 2. cap. 16. num. 4. Velascus de iure emphyt. quæst. 29. num. 15.* quem refert & sequitur *Garz. p. 2. cap. 1. num. 62.* Barbosa *d. all. 95. nu. 17. & ad extran. ambitiosæ num. 13. Donatus p. 2. tract. 14. quæst. 40. num. 2. Palaus d. p. 14. num. 3. Mantica, Molina, Azorius Vasquez* & alij quos latè refert *Barbosa. Rota in Placent. bonor. 1. Septembr. 1585. coram Bubalo, & dec. 30. numer. 4. p. 1. Recent. Boss. d. tit. 18. num. 332.*

218 Si tamen (quidquid in contrarium dixerit *Donatus p. 2. tract. 14. quæst. 40. num. 1.*) locatio pro secundo triennio non fiat eidem, tunc non est illicita vt ex *Alvaro, Velasco, Molina, & Palao* tradit *Bossius num. 333.* Et ratio est, quia tunc non est fraus, neque enim est locatio virtualiter facta eidem vltra triennium. Quod verò *Velascus* dixerit eandem esse rationem, si res pro secundo triennio eidem locetur sub alia pensione, meritò impugnatur *à Molina tom. 2. disp. 466. & Palao d. p. 14. num. 4. & Boss. numer. 334.* Quia cum sit locatio facta eidem pro pluribus triennijs, censetur locatio facta vltra triennium licet pro diuersis pensioni-

bus, quod est contra *extrauag. Ambitiosæ*.

219 Sed quid dicendum, si huiusmodi plures locationes non fiant simul, sed postquam dominus rem Ecclesiæ locauit transacto iam aliquo tempore ocationis iterum Dominus ad sequens futurum triennium rem locet? *Palaus d.num.4. & Bossius numer.334.* distinguunt, nam si locatio fiat infra biennium triennij locationis, probabile censent locationem ad futurum triennium factam eidem personæ esse nullam, eò quia censeatur facta in fraudem legis, & æquiualeat locationi factæ ad quinquennium, aut ad maius tempus quàm triennium, Sed si secunda locatio fiat in vltimo anno triennij primæ locationis, tunc non est nulla, nec prohibita, quia immò vtilitas Ecclesiæ hoc exigit, vt non expectetur, quód locatio sit finita, & praxis est vt ita fiat, & cum iam locatio prior sit in fine censetur esse finita. Si etiam locatio non fiat de eisdem prorsus bonis, sed relocando addantur alia bona, & augeatur pensio, tunc quia ratione bonorum auctorum, & auctæ pensionis est alia locatio, in qua non præsumitur fraus; ideo post primam locationem eius termino non finito potest hæc secunda relocatio fieri, *Genuens. in pract. quæst. 471.* quem sequitur *Donatus p.2. tract. 14. quæst. 41. num. 2.*

220 Sed alter casus distingui potest, in quo non locetur res Ecclesiæ pro pluribus triennijs, sed locetur pro vno, cum promissione locandi eandem rem pro alio triennio, vel pro alijs triennijs. In hoc verò casu aliqui distinguunt. Nam vel promissio fit in scriptura publica, vel fit verbis & priuatim. Si fit priuatim, quòd non sit contra *extrauag. ambitiosa'*, sed liceat, voluerunt *Azorius part. 2. lib. 9. capit. 2. quæst. 3. Palaus loco citato*, quia hæc promissio priuata non est formalis vel virtualis locatio vltra triennium, sed mera promissio futuræ locationis, sicut promissio futuri matrimonij non est matrimonium. Quod tamen impugnat *Bossius d.tit. 18. num. 332.* Quia prohibita locatione censeri debet prohibita promissio locationis, sicut prohibito matrimonio censeri debet prohibita promissio matrimonij. Sed hoc deficit dupliciter. Primò quia licet promissio rei prohibitæ sit mala, non tamen subditur pœnæ latæ contra rem prohibitam, quia promissio rei non est res promissa, & promissio locationis non est locatio, ideo pœna lata contra locantem non afficit promittẽtem locationem. Secundò quia supponitur falsum, scilicet quòd secunda locatio facta finita prima sit prohibita; At verò promittens locationem pro secundo triennio, solum promittit locationem habendã finita prima locatione, quę non est prohibita. Magis tamẽ cõtra illã opinionẽ facit, quòd nõ videtur bene distinguere & consequenter loqui admittens promissionem priuatã, & negans publicã. Nam quare si promissio sit publica censetur locatio vltra triennium, & ideo prohibita? Hoc non potest esse nisi, quia obligatio ad locandum moraliter sit locatio. Nam & videtur esse consensus in locationem habitus iam de præsenti, licet traditio rei sit futura. Sed hoc si valet, eadem ratione valet de promissione priuata, quæ obligat sicut & publica, licet sit discrimen, quòd forsan priuata potest negari, non verò publica. Sed quidquid sit de hoc, quia controuersum est an promissio etiam acceptata obliget ex iustitia. Et vlterius multi volunt, quòd per promissionem si adiungatur ei stipulatio Notarij tribuatur actio in foro externo. Ideo hoc modo relicto dicitur, quòd est alia sententia, quæ sine distinctione absolutè affirmat, quòd sine solemnitatibus iuris non potest res Ecclesiæ locari ad triennium cum promissione locandi rem finito primo triennio ad aliud triennium. Quod probatur ex *authen. de non alien. reb. Eccl. §. quod autem dictum est, vers. nec illud, collat. 2.* Vbi dicitur, quòd qui non potest dare rem Ecclesiæ ad emphyteusim nisi ad tertiam generationem non potest dare illam ad tertiam generationem cum pacto de renouando: Quoniam hoc fieret in fraudem legis, & ideo tale pactum non valeret: Igitur eadem ratione, qui non potest locare rem nisi ad triennium, agit contra legem, si locando eam pro vno triennio apponit pactum de renouando, vt tradiderunt *Couar. l.2. Variar. c.16. num.4. Mantica de tac. & ambiguis conuent. l.5. tit.4. num.20. Azor. & Palaus* citati, & idem tenuit *Redoan. d. quæst. 6. ex Cyn. Albert.* & alijs supra *nu. 251.* citatis. Oppositum verò sentit *Bonatina de alienat. p.2. num. 24.* Mihi videtur, quòd vtraque opinio in parte verum dicat. Cum hac secunda conuenio in hoc, quòd pactum de renouando finito triennio non subditur pœnis *extrauag. Ambitiosa*, vel alterius legis prohibentis locationem vltra triennium, quoniam euidens est, quòd promittere actionem non est agere. Vnde promittens matrimonium sub pœna prohibitum, non subditur illi pœnæ, nisi matrimonium contrahat, esto illud promittat. Et in pœnis non debet fieri extensio vt pęna afficiat promittentem rem prohibitam. Vnde nec pęnis homicidij subditur, qui promittit homicidium si non occidit. Et licet promittens homicidium pessimè agat & subdatur pęnis, si quæ latæ sunt in promittentem homicidium, non subditur tamen pęnis latis in homicidam, si non est homicida. Quia igitur promissio locationis non est locatio, ideo promittens locationem non subditur pęnis latis contra locantem. Quod euidentiùs apparet, nam si quis promittat alicui, & mille iuramentis confirmet promissionem de locanda re Ecclesiæ ad nouennium, vel ad vitam, vel ad quodcumque longum tempus, si de facto non locet, non est excommunicatus per *extrauag. Ambitiosa*, quia rem Ecclesiæ non locauit vltra triennium, licet iurauerit se locaturum. Sed nihilominùs prior sententia in hoc verum dicit, quòd tale pactum de renouando est nullum, & inualidum *Rota dec. 39. nu. 1. p. 8. recent.* Quia id, quòd Ecclesia intendit est, quòd maneat libertas finito triennio disponendi de sua re prout sibi melius videbitur, & propterea prohibuit res suas locari ad maius tempus; ideo non potest valere pactum contra hanc libertatem. Quod confirmatur ex eo, quòd obligatio locandi rem Ecclesiæ ad aliud triennium si verè subsistit est quædam moralis, seu virtualis locatio rei vltra triennium; Nam si locans non est in libertate, vt finito primo triennio locet rem Ecclesiæ cuicumque voluerit, moraliter idem est ac si iam locauerit eam vltra triennium. Quamobrem licet Ecclesia prohibens locationem vltra triennium sub pœna excommunicationis directè non afficiat se obligantem ad locandum eam vltra triennium, indirectè tamen, & ex consequenti prohibet sic rem locare ad triennium, vt locans maneat obligatus ad locandum illam

eidem

eidem vltra triennium, & ideo pactum hoc de renouanda locatione est nullum, & nullius valoris, nisi adsit consuetudo locandi res Ecclesiæ sub illo pacto. Sed & vlteriùs considerandum, quòd si non determinetur pretium pro sequenti triennio adhuc pactum est nullum, quia potest esse, quòd vtilitas Ecclesiæ petat, vt ampliùs nulli locetur illa res, vel vt non locetur eidem, & Ecclesia vult in hoc suam libertatem, vt possit de secundo triennio ad libitum deliberare.

221 Extenditur tertiò vt prohibita sit locatio rei Ecclesiæ ad vitam vel dantis, vel recipientis. Ratio est, quia tempus vitæ est incertum, nec potest certò affirmari, quòd aliquis non sit victurus vltra triennium. Ideò quamtùmcumque vel locans, vel conductor sit senex, incertum est an locatio ad vitam illius sit vltra triennium, & ideo talis contractus est nullus, & prohibitus. *Ricc. p. p. praxis res.114.Boss.d.tit.*18. *num.*335. Aliàs verò regulariter vita hominis censetur longè maior decennio. *l. vlt. C. de sacros. Eccl. & l.hæreditatum ff. ad l.falcidiam.*

222 Extenditur quartò, vt locatio facta vltra triennium censenda sit nulla, nedum pro excessu temporis, sed etiam pro primo triennio. Hoc est valde cõtrouersum, & ex vtraque parte sunt quàmplures DD. Hoc autem certum videtur, quòd si contractus est initus eo modo & forma ex voluntate contrahentium, quod pro solo triennio non esset initus, tunc contractus est in totum nullus. Tunc enim contractus est indiuisibilis, & inseparabilis, cum ex intentione percutiat totum tempus, & sub alio tempore non fuisset initus contractus. *Rota dec.*709.*p.*1.*diuer. & in Romana Casal. coram Card. Blanchetto* 21. *Maij* 1592. *Garz. vbi supra num.*52. *Barbosa de off. Epis.alleg.*95.*nu.*14. *& de iure Eccles. l.*3. *cap.*30. *num.*30. *Donatus p.*2. *tract.*14. *quæst.*40. *Bossini d.tit.*18.*num.*337. *Conar.l.*2.*var. cap.*16.*nu.*5. Coniecturari autem potest talis, vt citati DD. tradunt si vni parti multùm interest, vt contractus non sit ad solum triennium, vel sit multùm damnosum alicui parti separare tempus vtile ab inutili seu triennium ab excessu, vel si non sit credendum, quòd contractus factus fuisset sub ea pensione sub qua factus est, si deberet valere solùm ad triennium, vel si pro toto tempore vnicum tantùm pretium soluendum est stabilitum inter partes. *Rota decis.* 709.*p.*1.*diuer.* Vel si locatio facta est ad vitam vel concedentis, vel recipientis. Propterea locatio ad longum tempus faciliùs censebitur facta eo animo vt non valeat contractus nisi vt factus pro longo tempore, quia ex longitudine temporis multæ proueniunt vtilitates considerabiles, quæ desunt in contractu ad triennium, quibus deficientibus coniecturatur non fuisse voluntatis conductoris, vt fieret contractus. Propter quòd multi DD. existimantes contractum valere pro triennio, & solùm esse nullum pro excessu, nihilominùs existimant, quòd locatio ad longum tempus in totum sit nulla.

223 Satis etiam verisimile est, vt vbi fiat contractus locationis ad triennium, & vltra per modum plurium contractuum, locatio valeat pro primo triennio. Quia tunc locatio fit per plures cõtractus, & vitium non est in prima locatione, sed in alijs, vt ex *Conar Velasco, Gama*, Redoan, *Quintanad. Graff. Molina, & Azor.* docet *Garzias p.*2. *c.*1. *n.*61.63. *&* 64. *Bonac. par.*2. *n.*24 *Boss. loc. cit.* Et bene addit *Garz.* in hoc casu non referre an contrahentes non essent contracturi nisi locatio extenderetur vltra triennium, quia si contrahentes volunt contractum valere pro primo triennio hoc eis non debet nocere, & si Ecclesia, seu beneficiatus vult contractum valere pro primo triennio, alij nõ possunt resilire, & sibi imputent si taliter contraxerunt, quòd fecerunt vnam locationem validam, & alias inualidas. Quod verò dicitur de contractu locationis habito per plures locationes vltra triennium, multò fortiùs verum habet in contractu inito cum pacto de renouando. Hic enim contractus validus omnino est pro primo triennio, & solum pactum de renouando est nullum. Ideò si non ex obligatione aliqua, sed merè liberè renouetur locatio ad secundum triennium, locatio est valida, quia non facta ex vi alicuius pacti antecedentis, & ad id obligantis.

224 Vbi etiam dicatur, quòd locatio facta vltra triennium sit nulla in totum, hoc intelligi debet si Ecclesia impetrato beneplacito Apostolico non velit illam valere, *Extrauag. enim Ambitiosæ*, prohibet huiusmodi locationes, ne fiat Ecclesiæ præiudicium, quòd si Ecclesiæ illæ sint vtiles, & Ecclesia adhibeat solemnitates de iure requisitas, conductor etiam inuitus debet stare contractui, vt tradunt *Innoc. Panor. & alij ad c.* 1. *de his quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capit. Capell. Tholos. decis.* 98. *Rota decis.*133.*n.*12.*p.*2.*diuers. Genuen. in praxi cap.*109.*num.*2.*Grat.discept.cap.*122.*nu.*15. *Redoan. rubr.*28.*cas.*6.*Garz.de benef.p.*2.*cap.*1. *nu.*74. *& alij ab eo citati. Boss.d.tit.*18. *num.*343. Nam alienatio rei Ecclesiasticæ quæ ad fauorem Ecclesiæ dicitur nulla si fiat sine solemnitatibus, non est adeò nulla, quòd non habeat implicitum statum validitatis si Ecclesia illi velit stare, vt probat *Rota dec.*82.*numer.*11.*par.*6.*& dec.*119.*num* 25.*&* 26. *p.*7ª *& dec.* 39.*num.*56.*par.*8. *recent.*

225 Addit etiam *Garz. num.* 81. quòd in locatione vltra triennium, vbi præteritis iam pluribus annis non remaneat nisi triennium ad complendum tempus locationis, quòd Beneficiatus etiam non adhibitis solemnitatibus potest velle stare cõtractui, & ad id cogere conductorem, quia iam nõ fit contra *Extrauag. Ambitiosæ*, Nec conductor pro annis præteritis, potest euitare solutionem pensionis rei Ecclesiæ, quam detinuit, ex eo quod locatio non fuerit valida ex defectu consensus Apostolici, vt supra etiam probatum est.

226 Cum igitur Ecclesia possit adhibitis solemnitatibus stare contractui, & conductorem ad id compellere, etiam conductor, ne cogatur esse in suspenso potest agere, vt Ecclesia compellatur ad hoc vt solemniter declaret, an velit stare contractui. *l.Iulianus*, §. *si quis à colludente, ff.de act. empt. Quaranta in v.alienation.*34. *Grat.disceptat.cap.*27. *num.*39.*Garz.dict.cap.*1. *num.*75.*Bossius dict. tit.*18. *num* 344.

227 Quantùm verò ad principalem difficultatem, sententia quæ asserit locationem vltra triennium de re Ecclesiæ habitam sine solemnitate iuris esse nullam, in totum est verbis legis magis conformis, vt patet ex *authent. de non alienan.*§.*emphyteusis, & ex Clem.*1.*de reb. Eccles.non alien. & ex Extrauag. Ambitiosæ.* Sed alia est benignior, & con-

for-

fotmior regulis *Odia*, *& in pœnis*, *de regul. iuris in fexta*.

228 Extenditur quintò, vt locatio vltra triennium ita fit nulla, vt etiam fi fit firmata iuramento irrita cenfenda fit: & nedum ad fauorem Ecclefiæ, fed ad fauorem Beneficiati locantis habenda fit vt nulla. Hoc vltimum negant *Mohedan. decif.9.de locat.& Mandof. ad Romae. conf.369. & alij* plures apud *Ricc. Garz.& Boff. locis infra citandis*. Verùm cum locare bona Ecclefiæ vltra triennium fit peccatum mortale, cui etiam eft annexa excómunicatio latæ fententiæ per *Extrau. Ambitiofa*, iuramentum verò, iniquitatis vinculum effe non poffit, fequitur quòd iuramentum de locatione rei Ecclefiæ vltra triénium fit prorfus nullum, & quòd Beneficiatus poffit etiam fauore proprio contrauenire, & nolle ftare contractui, & ad declarationem nullitatis illius poffit agere. *Garz.p.2. cap.1, num.86.Ricc.in praxi ref.118.Bonac.d.p.2.n.26.Barbofa in cap. fi quis presbyterorum,num.8.de rebus Ecclef. non alenan.Boff.d.tit.18. num.349.* An verò ab hac actione iudiciali impediatur Beneficiatus ex eo, quòd ex vi *Extrauag. Ambitiofæ*, fit ipfo facto priuatus beneficio, *Garzias vbi fup.num.57. ex Salzedo, Gutierez, Molina, Toledo, & Nauar. in c.27. num.150.Ricçias, Boffius citati, & alij dicunt Extrauag.Ambitiofæ*, quantum ad hanc pœnam non effe vfu receptam. Sed vbi fit vfu recepta, Beneficiatus nô aget contra conductorem ad irritationem contractus, quin contra fe agat ad priuationem beneficij.

229 Extenditur fextò, vt neque locari vltra triénium poffint redditus & fructus bonorú Ecclefiæ, feu nuda commoditas illos percipiendi etiam cum expreffo pacto, quòd conductori nullum conceditur rei dominium etiam vtile, fed foli fructus, aut nuda commoditas illos percipiendi. Valde tamen eft controuerfa hæc exceptio tam fpectato iure antiquo, quàm attento iure Conftitut.Paulinæ. De hoc autem non poteft effe dubium, quòd in terminis *Clem.1. de reb.Ecclef.non alien* prohibitum eft etiam locare fructus & redditus bonorum Ecclefiafticorum, quoniam hoc exprefsè continetur in ea, ibi, *iura, redditus, aut poffeffiones eiufdem &c. quouis modo concedat*. Sed illa Cleor. folum prohibet conceffiones ad longum tempus, & folos Regulares afficit, vt euidens eft ex verbis illius.

230 At verò quòd ex vi Paulinæ nullus poffit vltra triennium locare redditus proprios tenuerűt, *Nauar.conf.11.de reb.Eeclef.non alien. Ricc. in praxi refol.110.Barbofa alleg.95.num.20. de offic. & poteft. Epif.& ad cap.fin.num.7.& ad cap.querelam n.2.Ne Prælati vices,Garz de benef.p.2.cap.2. n num.32.vbi num.36.* refert *Rotam* ita decidiffe in vna *Locationum 5.Martij 1600.Bonac.difp.3.de contract. q.8.p.4. num.25.Dianat.tract.14.q.44. par.2. & alij*, quos ifti referunt. Et hoc probant, Tum quia prohibita eft locatio rerum & bonorum Ecclefiafticorum; redditus verò beneficiorum funt res, & bona Ecclefiaftica. Tum quia ea non poffunt alienari, vel locari vltra triennium, quæ feruando feruari poffunt, at verò fructus & redditus futuri poft triennium feruando feruari poffunt, nec datur caufa & indigentia vnde anticipatè alienentur. Tertiò quia hoc poffet effe in præiudicium Ecclefiæ, & Ecclefiaftici miniftri, fi accepta femel pecunia pro multis annis eaque confumpta, poftea non haberet vnde viueret.

231 Econtra tamen alij dicunt non effe prohibitum locare vltra triennium fructus, feu redditus beneficiorum. Primò quidem quia in fermone communi, & vfitato nomine bonorum Ecclefiafticorum non veniunt nifi bona Ecclefiarum, quarũ Beneficiati non funt domini; fed fructus quorum miniftri funt domini licet fint bona Ecclefiaftica, quia ab Ecclefia proueniunt, & miniftris Ecclefiæ ad eorum fuftentamentum data funt, nihilominùs quia eorum Beneficiati funt domini, in præfenti non cenfentur bona Ecclefiaftica, quia funt ipforũ miniftrorum,& fi illorum funt, validè de illis quomodo illis placet difponunt. Quod confirmatur ex eo,quòd de illis bonis loquitur Paulina ex quorum alienatione poteft fieri præiudicium Ecclefiæ, & in quorum diftractione attendi proximè debeat vtilitas Ecclefiæ; talia verò non funt beneficiorũ fructus, qui eorum funt, & in quorum diftractione proximè vtilitas diftrahentium attenditur, ad eorum enim fuftentamentum, vtilitatem, & commodum illis tales redditus donati funt. Nec obftat quòd poffit in hoc adeffe aliquod præiudicium Ecclefiæ, fi beneficiatus folutione anticipata ad multos annos locet fructus fui beneficij. Tum quia hic eft cafus particularis, & probat folum, quòd locare huiufmodi fructus anticipata folutione fit inconueniẽs.Tum fecundò quia hoc periculũ rarum eft, nec de facili poffibile Et cum hic contractus morte beneficiati, vel priuatione beneficij, aut cum alio permutatione ceffet, non eft tam facilè, vt inueniatur conductor tam fatuus, vt pro multis annis, immò vltra triennium velit anticipata folutione emere fructus alicuius beneficij,cum periculo amittendi pretium, nifi contractet cum eo, qui præter bona beneficij habeat aliunde vnde in omni cafu poffit conductorem reddere indemnem; vnde non nifi in cafu valde raro poteft imminere periculum, vt ex hac caufa beneficiarus remaneat non habens vnde viuat. Pro cafibus verò de raro poffibilibus non dantur leges. Ideò quòd per Paulinam non fit prohibitum locare redditus vltra triennium, fed immò hic cafus in ea fit exceptus, ibi *Præterquam in cafibus à iure permiffis*, quoniam de iure antiquo non erat hoc prohibitũ iuxta communem, & veriorem fententiam, docent *Redoan. de reb. Eccl. non aliea.q.6.§.vlt.num.5.& 6.* & apud eum *Couar.l.2.var.cap.16. nu.6.* & ex *Rebuff. in Com.cap.fine exceptione 12.q.2.nu.26.v.6. & Molina difp.366.num.5. Quaranta v. alienatio num.18. Azor.p.2.l.9.cap.2.q.7.* vbi tamen habet, quòd vbi fit contraria confuetudo, illa fit feruanda. *Palaus tom.2.difp.vnic.par.14.nu.12.Seartia in Select.Conf. theor.115. Auendan. Gregor.Lopez, Mantica, Caracci, Sopranus* apud *Boffium d.num.354.Bonac. c.2. num.24.*

232 Ego in hac parte ex *Laurent de Radalph.* quem refert, & fequitur *Redoan. Rubrica de vfus fructus alienat. num.11.pag.93.* diftinguo, Nam vel traditur res Ecclefiæ immobilis, & fimul trad tur recipienti illam ius colligendi fructus ex illa, & tunc dico, quòd huiufmodi concefsio fi fiat tradendo vfufructum etiam ad menfem eft vera alienatio prohibita fieri fine folemnitatibus, quia conceditur illius rei dominium vtile. Sic enim *cap. Nó liceat*

liceat t 2.q.2. expressè prohibitum fuit per Symmachum Papam rura Ecclesiæ concedere in vsumfructum, *Quaranta v. alienatio n.18. post Rebuff. de alien. num.4.* Si verò hoc ius colligendi fructus tradatur per modum locationis, & huiusmodi concessio est prohibita si fiat vltra triennium.

233 Itaque si traditur rei fructiferæ administratio, cum facultate vtendi fructibus perceptis tanquam proprijs, hæc traditio est alienatio fieri prohibita vel absolutè, vel vltra triennium. Neque dici potest, quòd hic datur nuda commoditas habendi fructus, quia quid est hæc commoditas nisi ius colligendi fructus ex re illa fructifera, & sic habendi aliquod dominium vtile illius? Nec valet dicere, quòd hæc sit obligatio personalis, vnde etiam expirat morte concedentis. Quia semper est alienatio iuris colligendi fructus ex re Ecclesiæ, & est dominium vtile eiusdem. Et si illa ratio valeret, sequeretur quòd Rector Ecclesiæ bona de mensa sua posset locare ad vitam suam, quia hæc obligatio est personalis in eo sensu, quòd expirat morte concedentis, & locantis, & tamen certum est, quòd Prælatus vltra triennium non potest locare bona Ecclesiæ ad sui mensam applicata. Hic igitur attendi debet an detur, vel non detur ius colligendi fructus ex re Ecclesiæ; quia si datur, vel hoc sine solemnitate nequit fieri absolutè, vel saltem nequit fieri vltra triennium.

234 Sed si non traditur ius colligendi fructus, sed traduntur fructus ipsi, quia tradens obligatione personali se obligat ad tradendum fructus, qui colliguntur ex aliqua re, hoc non est rem fructiferam alienare, etiam si fructus concedantur ad centum, & mille annos, quia hæc est obligatio personalis ad tradendum fructus, quos alienare non est prohibitum. Et hoc tamen attendi debet, quòd si fructus spectant ad plures personas, nimirum ad Capitulum eos non potest concedere Prælatus sine Capituli consensu, qui tamen côcedere potest fructus, quorum ipse est dominus. In quo tamen aliud est aduertendum, quia scilicet aliud est posse concedere hos fructus seu illorum nudum facti vsum sine necessitate solemnitatum, quæ sunt necessariæ ad alienandum, & aliud est posse eos concedere ex causa profana; hoc enim secundum non licet, quia, vt probatum est supra in hoc artic. fructus beneficiorum solum in vsus pios expendi possunt. Videnda etiam sunt, quæ dico infra.

235 Extenditur præterea octauò, vt bona Ecclesiæ etiam ad triennium non possint locari anticipata solutione, & locatio sic facta est inualida. *Concil. Trident. sess. 25. cap. 11. de reformat.* Quod tamen limitatur vt non procedat in casu maternæ necessitatis Ecclesiæ, vt si Ecclesia rueret, nisi côparata de præsenti pecunia repararetur, & in hoc casu successor tenetur stare contractui. *Genuens. in pract. Eccles. q.166. Barbosa p.3. de iure Eccles. cap.30. num. 31. & ad dictum cap. Concil. Trident. num. 3. Bossius d.tit.18. num.355.* Prædicta tamen locatio anticipatis solutionibus, licet non præiudicet successoribus afficit tamen locatorem, vnde si interim vacet beneficium per resignationem teneatur locator refundere id, quod accepit, & si vacet per mortem, ad idem teneantur hæres illius, ne locupletetur ex iactura aliena. *Quaranta ver. alienatio num.19. & ex Rota decis.8. de confirm. vtili vel inutili coram Mohed. Redoan. q.6. prope finem, num.53. & Caroec. p.3. de Locat. concl.20. numer.75. Ricc. in prax. p. ref.119. Boss. d.n.355.*

236 Extenditur nono, vt nemini liceat locare iurisdictiones Ecclesiasticas, vel facultates nominandi Vicarios in spiritualibus, nec conductoribus per se, vel per alios ea exercere. *Concil. Trident. d. cap. 11.* Ex quo colligitur quòd Vicarius Episcopalis non potest pretio constitui, vt docuerunt *Barbosa d. cap.30. num.32. & ad cap.11. Conc. Trid. Ricc. d. ref.119. & ex Lancell. in instit. de simoniaca, S. Seraum, & Sbroz de off. Vicarij Boss. d. tit.18. n.356.* Et certè consimilis locatio cuiuscumque iurisdictionis Ecclesiasticæ spiritualis, aut spiritualis facultatis simoniaca est, vt probaui in tractatu de Electione Canon. cap.7. q.7. & tradit D. Thom. supra q.100. art.3. & ibidem Caiet. Suar. de Relig. to.1. lib.4. c.10. n.8. Ricc. d. ref.119. Boss. d.n.356.* Si tamen quis locaret rem Ecclesiæ cû omnibus bonis, & facultate conferendi beneficia sed eo pretio puta pretio ducatorum bis mille, quo pretio locata fuerunt illa bona non concessa facultate conferendi beneficia, locationem non esse simoniacam, ex *Caroecio de Locato p.3. de reb. Eccles. locandis n.81. & Rota apud Puteum dec.80. l.1.* tradunt *Ricc. & Boss. citat.* Quod potest esse verum in foro externo ex eo, quòd non præsumatur locata pro pretio facultas conferendi beneficia, cum sine illa bonorum temporalium locatio tanti valeat, quanti locata fuerunt simul cû illa facultate, sed coram Deo, si tradita fuit facultas illa ex pacto & pro pretio locatio simoniaca est sine dubio. Sic enim & simoniam esse pro pretio alienare actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, quatenus ad effectum spiritualem ordinantur, vt sunt dispensationes votorum, relaxationes iuramentorum, dispensationes irregularitatum, impedimentorum matrimonij & aliæ similes ex *D. Thom. supra q.100. art.3. & Caiet. ibid. & Soto l.6. ar.2. ad tertiam & Sylvest. v. simonia q. 9.* tradidit *Suarez d. cap. 20. num.8. & ex eo Barbos ad d. cap.11. num.6.*

237 Ex dicta autem *Concil. Trid.* dispositione non posse locari redditus Cancellariæ Episcopalis, sed debere per proprios Ministros exerceri, tamquam decisum à *Sacr. Congr. die 26. Aug. 1592. post Aldanum in compend. commun. Resol. l.3. tit.8. num. 11.* referunt *Barbosa l.3. de iure Eccles. cap.30. num.33. & ad d. cap.11. Concil. Trid. & Boss. d. tit.18. num.358.* Sicut etiam emolumenta tempore vacationis Sedis Episcopalis prouenientia ex iurisdictione, & sigillo aut aliàs vndequaque nec ad Vicarium, nec ad Capitulum pertinere, sed spectare ad futurum successorem, eique debere seruari, si ad Episcopum Ecclesia non vacante peruenissent, declarasse eandem *S. Congregat. Agrigent. 17. Aprilis 1627. post eandem Aldanum d. tit.8. num 17. testantur Barbosa d. cap.30. num.34. & ad d. cap.11. num.9. & Boss. d. numer.358.* Vbi, quòd eadem ratione non potest locari quarta funeralis, prout tamquam declaratum a *Sacr. Congreg. in Casertana 14. Decembris 1592.* doceat *Barbosa locis citatis, & Tambur. de iure Abb. tom.3. disp.14. quæst.3. num.3.*

238 Et nihilominùs decimarum fructus etiam laicis locari possunt, cum quibus conditio Ecclesiæ melior fiat, etiam contrario Episcopi statuto non obstante, ita tamen, quòd huiusmodi locatio nec in feudum nec in alienationem videatur extendi

di cap.2.de locato, vbi Gloss.v.alienationem, Barbos. l.3.de iur.Eccles.l.30.num 37.& ad Clem.1. de rebus Eccl.non alienan.& ad cap.2.num.1.2. & 3. de locato & ex Mantica de tacit. & ambig. conuent. l.5. tit.3. n m 12. Boss.d.tit.18. num.359. Ecclesiæ tamen laicis locari non possunt, quia laici nullam de rebus Ecclesiasticis rebus debent habere dispositionem, cap.2.ne clerici vel Monach. Barbosa d num.37. Boss. d.num.359.

239 Extenditur 10.vt per Concil.Trid.d.cap.11. sess.25. annullatæ fuerint omnes locationes rerum Ecclesiæ factæ & etiam auctoritate Apostolica confirmatæ ad longum tempus, vel ad 29.annos est triginta annos.

240 Tandem aduertendum, quòd in locationibus bonorum Ecclesiæ si ponatur pactum in præiudicium alterius Ecclesiæ, illud est nullum, vt v.g.si ponatur pactum, quòd conductor, vel emphyteuta, vel feudatarius in Ecclesia locatoris eligat sepulturam. cap.plerique de pactis vbi DD. Barbosa l,3.de iure Eccles.cap.30.num.35.

241 Pro complemento autem eorum, quæ de locatione rerum Ecclesiæ dicta sunt, breuiter animaduertendum est, quando, & quomodo successor in beneficio teneatur stare locationi factæ à prædecessore. Circa quod datur primò hæc regula, vt quatuor conditionibus existentibus successor teneatur stare locationi a prædecessore initæ. Prima est, vt locatio sit facta non nomine proprio Beneficiati vel Prælati, sed nomine Ecclesiæ. Secundò, quòd sit facta pro vtilitate Ecclesiæ, tertia quòd sit conuersa in vtilitatem Ecclesiæ, & quarta quòd sit facta seruatis solemnitatibus iuris, Syluest. v.locatio.nu.12. Redoan.rubr.1.§.at non solum locatio. num.11. Riccius resol.108. Barbosa de off.Epis. all.94. Donat.p.2.tract.14. quæst.43. Boss. d. tit.18.num.360. Locatio autem censebitur facta nomine Ecclesiæ, si sit facta nomine dignitatis, nec restricta ad personam locantis, per Hostien. cap. fin.de reb. Eccl. non alien. quem sequitur Donatus p.2.tract.14.quæst.43. num.4. Vel si in contractu aliquod onus imponitur Ecclesiæ, l.numquam ff.ad trebell. Donat.ibid. Vel si facta est pro præsenti aliqua Ecclesiæ indigentia, vt pro reparatione illius, vel pro soluendo vrgenti debito. Gennen.quæst.138.num.3.

242 Et nihilominus plures sunt casus, in quibus etiam si prædecessor nomine proprio locauit rem Ecclesiæ, successor tenetur stare contractui vel simpliciter, vel ad tempus. Primus est, si res non sit integra, quia annus sit incœptus, vt si terræ sint jam satæ, & fructus de proximo sunt colligendi, & iam pro cultura facta est impensa necessaria, vel maior pars illius, in hoc enim casu & successor & conductor tenentur stare contractui pro illo anno, Grat. discep. for.cap 606.num.9.& 17.& apud eum Rota in Auximana locationis coram Orano 24.Ianuarij 1590.Syluest.v.locatio num 11. Ricc. res.108. Quaranta v. alienat. num.19. Barbos. de off. Epis. all.94. num.3. Boss. d.tit.18.num.362. Quod tamen aliqui explicant, ita quòd conductor non teneatur stare contractui eum eisdem pactis initis cum prædecessore, sed vt tamquam colonus partiarius diuidat fructus cũ successore. Ricc d.res.188.& ex Canalcano, Osaco, & Polydoro Ripa Boss.d.tit.18.num.361. Secundus casus est, si consuetudo loci sit, vt successor teneatur stare locationi initæ à prædecessore. Quaranta & Barbosa, vbi supra post Franciscum Marcum dec.244.p.1. Ricc.& Boss.citati. Tertius casus est si locatio facta sit ex concessione Apostolica sub conditione, vt durante tempore locationis conductor à successore non possit molestari, Barbos. Quaranta, Ricc. & Boss.citati. Quartus casus est Oeconomi, qui vacante Ecclesia tenetur stare locationi initæ per prædecessorem, vt ex Borello in sum.decis.tom.5.tit.56.num.13. Boss num.365. Quintum casum aliqui ponunt in resignatario, quem dicunt teneri stare locationi factæ à resignante. Gratian. discep. cap.37. num.21. & cap 606.num.20. Sed alij hoc negant, Couar. variar. l.2.c.15. num.6. & alij apud Bossium d.tit.18. num.366. In hoc tamen casu conductor si non possit frui re conducta ad tempus in locatione determinatum habet pro interesse actionem contra hæredes locantis, aut fideiussores, quia ex facto voluntario resignantis non est iustum, vt conductor patiatur damnum. Barbosa de potest. Epis.alleg.94. num.12. ex Gutterez. & Petro Barbosa, Boss.d.tit.18.num. 366. Sextus casus est, si fundus locatus erat sterilis, & à conductore redactus est ad culturam. Quia enim in hoc casu locatio facta est ad vtilitatem Ecclesiæ, ea stante non est amouendus conductor vt post Archidiac. in cap. alienationes 12. quæst.2. Hostien. in cap. nulli de rebus Eccl. non alienand. Redoan. quæst.5. §. sed an contractui locationis num.20. tradit Gratian. discep.for.cap.606.num.8.

243 Est verò considerandum, quòd vbi successor non tenetur stare locationi prædecessoris, neque ad eam tenetur stare conductor, sed vt æqualitas seruetur, quilibet eorum est liber, vt locationi stare nolit. ex l.Iulianus.§.si à pupillo.ff.de action. empt & ex Molino, & Petro Barbosa, August. Barbosa d.alleg.94.num.15. Gratian. discep.cap.606. numer.13, Quaranta vbi supra, & ex Carecc. & Conaran. Bossius. num.367.

244 Et licet successor receperit à conductore pensionem, non per hoc censetur consentire locationi simpliciter, sed solùm pro illo presenti anno, pro quo illam recepit, iuxta regulam, quòd tacitus consensus non extenditur vltra illud, quòd sonat, licet secus sit in expresso. Gratian.discep.c.37. & cap 606.num.2. post Put.dec.180.num.7. & 8.lib.1. & ex Canalcan.Genuen.& Surd.Barbosa d.alleg.94. num.8. Boss.d.tit.18.nu.368.

245 Etiam aduertendum, quòd vbi successor tenetur stare locationi antecessoris, potest à conductore exigere pensionẽ anticipatè antecessori solutam; successor enim ius habet contra conductorẽ rem Ecclesiæ habentem. Grat.discep.for.c.606.nu.11. & post Gig.de pens.quæst.88. a.nu.1. & Tuscum lit.L. conc.419.num.15.& surd.dec.326.a.num.79.Barbosa d.alleg 94.num.5.Boss.num.369.Verum tamen est in hoc casu, quod conductor habet actionem contra hæredes antecessoris, si sint soluendo ex Reg. l. pro hæreditarijs C.de hæred.act. tradunt citati DD. Præfata tamen assertio limitatur, vt si Prælatus sciat se repudiaturum Prælaturam, non obliget successorem ad standum locationi à se factæ etiam nomine Ecclesiæ Barbosa, & Boss. vbi supra. Bonac. de alienat.p.2.num.10.vers.3.

DATIO IN SOLVTVM.

246 Decimononò Datio quoque in solutum est species alienationis saltem largo modo sumptæ; ideo de re Ecclesiæ fieri non potest, sine iuris solemnitate, cum emptioni, & venditioni comparetur. *Redoan. de reb. Eccl. non alien. quæst.2. cap.17. Afflict.dec.335. num.18. Cephal.consil.252. num.34. & cons.255. num.3. l.2. Mascard.de probat.conclus.1147. num.14. Gutierez practicar.l.2. quæst.157.Menoch.de arbitr.casu* 171.& alij quos referunt & sequuntur. Barbosa *Appellat. v. alienatio num.14.& ad cap.nulli 10.de reb.Eccl. non alienand.* Bos. *tit.18. num.*248. In aliquibus tamen casibus hoc fallit. Primus est si datio in solutum sit necessaria, nam si fiat auctoritate iudicis ad æs alienum restituendum permissa est respectu fructuum durante vita prohibiti alienare *Mascard.*Barbosa *d.nu.*14. *Fusar.& Bos.citati*. Et nihilominùs bona iurisdictionalia in statu Ecclesiastico existentia, nec etiam dari possunt in solutum sine expressa licentia Pontificis priùs in scriptis obtenta, etiam si datio in solutum necessaria reputetur, vt habetur ex Constit.108. Pauli Quinti. Secundus est in sententia eorum, qui dicunt, quòd donare, vel locare ad longum tempus fructus, & redditus sine aliqua translatione dominij etiam vtilis non sit prohibitum. Nam in hac sententia poterit debitor creditori assignare fructus alicuius census Ecclesiastici, vel alterius rei, nullo tamen rei dominio ei concesso, sed solis fructibus ei concessis vt dictũ est supra à *num.*233. Tertius casus est, quem ex *Fusario d.quæst.num.3 tradit* Bos.*d.num.*248.vt pro ære contracto à testatore dari possint in solutum bona hæreditatis aliàs prohibita alienari. Nam talia bona transeunt ad hæredem grauata alieno ære, & ideo quod dentur in solutũ creditori necessitatis cuiusdam est & est quid rei grauatæ conueniens. Sed neque in hoc casu tradi debet res Ecclesiæ immobilis, si debito potest ex fructibus satisfieri, & ampliùs data hac impotentia necessaria est iudicis auctoritas necessitans Ecclesiam ad dandam in solutum rem hæreditate acquisitam.

C E S S I O.

247 Vigesimo Cessio iuris, actionis, litis, & causæ quando actio Ecclesiæ competit ad rem immobilem vel mobilem pretiosam species est cuiusdam alienationis sicut enim habens actionem videtur habere rem ipsam, *l. qui actionem. ff. de reg. iuris*, ita qui actionem remittit censetur ipsam rem remittere tradere & alienare. Quamobrem quod non possit remitti ius, actio, lis, & causa Ecclesiæ ad rem alienari prohibitam sine iuris solemnitate tradiderunt. *Panorm.ad cap.1.num 8 de deposito, & ad cap.nulli nu.9. de reb. Eccl.non alien.Syluest.v.alienatio num.8.& 17.Verall. decis.106.num.3.p.1.& dec.318.p.3.& ex Armilla v. alien. num.10.& Rebuff. Quaranta v. alien.num.22. & 26. Grat.discept. for.cap.674.a. numer.9. Barbosa appell.v.alienatio num.4.& apud eum Cravet, Pereira* & alij. Vbi etiam habet, quòd non incidit in pœnas, qui necessitatus à iudice actionem cedit ex *Rum. Paris. Aleiat.& Menoch.* Bos.*dict.tit.18.n.352.*

DIMISSIO POSSESSIONIS.

248 Vigesimoprimò etiam traditio possessionis rei Ecclesiæ, seu eius dimissio, seu habere rem pro derelicta, quidquid in contrarium dixerit *Nata apud Bos. num.*253. censetur alienatio fieri prohibita. *Redoan. rubrica de significat. v. alienatio §. vocabulo alienationis. pag. mihi 39. Grat. disp.674.à num.7.& cap.846. num.12.* Bos.*d. tit.18. num.*253. Nam & supra probatum est, quòd tradere possessionem sit vel transferre dominium, vel complementum translationis dominij.

T R A N S A C T I O.

249 Vigesimosecundò Transactio species est alienationis, quia per eam aliquod dominium transfertur, vnde dicitur vera alienatio, vt post Bartol.*in l.nulli C.de transact. Rom.consil.166. Abbat. consil.163. Anchar. cap.2.de transact. Abb.in cap.contingit. de transac.habet Redoan.rubr.de signif verbi alienatio num.12.pag.mihi 3.& ex Caputaq. dec.106. & 165.p.1.& 318.p.3. & ex Rota in Auersana tenimenti 27.Ianuarij 1583.Coram Rubeo, & 23.Iunij 1594. coram Gipsio, & in Nauarien. decimarum 26.Maij 1593.coram Arrigonio, & in Mediolan. rescissionis permutationis* 10. *Ianuar.*1597. *coram Pamphylio, Riccius p. p.praxis resol.43. Syluest. v.alienatio num.17.Grat.discept. cap.674.a. num 9.& cap.846.a.num.3. Barbosa de pot Episc.alleg 95. numer.63.& ad cap.nulli de reb. Eccl.non alien. num.& l.3.de iure Eccles.c.30.num.41.& in appell. v.alienatio num.8.Bellet disquis.Cler. p.1.tit.de Cler. debitoribus §.5.num.21.Lucerna regularium v.transactio numer.1.2.Boss d.tit.18.num.*253. & plures alij ab istis relati, Verùmtamen, quia alia est ratio si res super qua trãsigitur sit incorporata Ecclesiæ, vel non, & iterum si sit in possessione Ecclesiæ, vel alterius, & iterum si transigitur vt res Ecclesiæ remaneat, vel vt tradatur alteri, ideo in præsenti plures casus distingui debent & separari illi in quibus non licet transigere sine solemnitate iuris, ab illis in quibus hoc non est prohibitum.

250 Primus ergo casus est, si res sit Ecclesiæ incorporata, & ab Ecclesia possessa, & per transactionem res alteri tradatur & apud eius dominium remanere debeat. Et in hoc casu certum est, quòd transactio est vera rei Ecclesiæ alienatio, quæ nequit fieri sine iuris solemnitate. Nam per hunc contractum, quòd possidetur ab Ecclesia tamquam suum, licet sub aliquo dubio, traditur alij vt possidendum tamquam proprium sine dubio. Et ideo hanc partem tenent *DD. citati, & insuper Rota decis.625. p. & dec.755.p.2. Recent.& coram Coccino dec.301.Quaranta v. alienatio num.20. Barbosa l.3. de iure Eccles.c.30. num.40. & ad cap.nulli, de reb. Eccl.non alien.num.* 13. & apud eum *Rota in Papien. Bonorum 13.Martij 1627. Coram Coccino*. Hoc verò esse verum etiam si transactio haberi debeat ab Ecclesijs inter se, dixit *Rota dec.277.num.21.p.4. & dec.5.num.5.p.7.& d.229. num.7.p.8. Recent. & dec.16.num.16.coram Eminentiss.Ottobono.Sesse, Molina. Rebuff.Cald.Pereira apud Bos.num.*253. Vnde similem transactionem à Regularibus factam sine solemnitate fuisse declaratam per Sacr. Congreg.

refert *Lucerna v. transactio numer.1.*

251 Secundus casus est si res incorporata Ecclesiæ sit de facto possessa ab alio, & transigatur vt remaneat apud eum Ecclesia recipiente tantum quantum valet ius illud dubium, quod habet super re illa. Et in hoc casu non concordant DD. Nam non esse necessarias solemnitates voluerunt *Quaranta v.alienatio num.43. vers. duodecimo. Barbos. d. alleg.95.num.63. & ad d. cap.nulli. num.13. Palaus tom.2.tr.t 2.disp.vn.p.15.§.3.num.4. & apud Boss.numer.254.Iason, Natta, Menoch. Oddus, & Surdus.* Sed alij esse in hoc casu necessarias iuris solemnitates, aliter transactio sit nulla, tenuerunt meritò *Panorm.in cap. contingit num.3. de transact. Redoan, rubr.de signif.verbi alienatio num.12. pag.mihi 3. Rota coram Caputaq.& Coccino vbi supra & in Auersana, & Mediolanen. citatis. Barbos. de iure Ecclesi. l.3.cap.30. num.40.fin.Grat. discep.674.num.10. & 11, & 846.numer.11. Ricc. d.res.43. numer.43. Boss. numer.255.* Etenim, qui rem suam apud alium existentem dimittit ad effectum, vt ille alius sit verus & certus dominus, dicitur transferre, & sic verum est, quòd transfert rei illius dominium, & constituit illum certum dominum rei, licet rem non tradat. *§.per traditionem, instit. de rer. diuis.* & propterea rem alienat, vnde si id faciat sine solemnitate iuris, & incidit in pœnas legis, & transactio est nulla.

252 Tertius casus est, si transigitur vt res remaneat Ecclesiæ soluto conuenienti pretio aut compensatione pro iure dubio, quod alius habet, super re illa. Et in hoc casu verè non alienatur res Ecclesiæ sed emitur, & acquiritur illi, quia emitur alterius ius dubium & acquiritur Ecclesiæ certum & plenum ius, & ideo hoc fieri potest sine iuris solemnitate. Et in sensu istius casus vera est opinio prima supra relata, & hunc casum admittunt *Ricc. d. res.43.* & apud eum *Bartol. Iason, Pinell. Ruin, & Roland.Redoan Barbosa* loco supra citato, *Boss. num.256.*

253 Quartus casus est quando res nondum est incorporata Ecclesiæ. Et in hoc casu, cadit transactio sine solemnitate prout post *Franc. in cap.1. in fin.de reb.Eccles.non alien.& Roland.cons.15.vol.1.* tradunt *Quaranta v.alienatio num.20.Ricc.d. res.43. Tabien.v.alien.num.9.Boss. d.num.256. Bellet. d.§.5. num.21.Barbos.ad d.cap.num.13.*& apud eum *Natta, et Menoch.*

COMPROMISSVM.

254 Colligitur ex his, quòd etiam compromissum si fiat pro re alteri tradenda, seu nisi fiat pro re apud Ecclesiam retinenda non fit validè & licite sine iuris solemnitate; Nam hoc compromissum se habet ad instar transactionis, vt in *auth.vt diff.Iud.§.1.et in authen. si verò contigerit, et in authen.si quando, de iudicijs.* Redoan. *vbi supra. num.10.Grat.discep.674.num.15.et dis.379.d num.10. Barbosa in Appellat.v.alienatio num.17.Bass.d.tit.18. num.258.* Limitatur verò hoc dictum, vt non valeat vbi compromissum sit necessarium, vt per textum *in cap. cum tempore, de arbitr. resoluunt Pinel, Pereira, Sesse, et Fusar.* quos refert, & sequitur *Barbos.in Appell.v.alienatio num.17.Grat.discep.for. cap.379. nu.10.* Et nihilominùs vbi tractetur de bonis iurisdictionalibus in statu Ecclesiastico existentibus non habet locum necessitas contractus, cum illa bona sint prohibita alienari etiam ex causa necessaria, per Constit.108. Pauli Quinti. Verùm videndum puto quomodo, & qualiter fiat compromissum. Nam per se compromittere non est alienare, sed ad summum est se obligare ad alienandum, si arbiter, seu compromissarius ita iudicet, & per suum laudum decernat. Quamobrem nisi sequatur effectus,& aliqua alienationis species,peccat quidem & malefacit compromittens, & ex hoc ad alienandum sine beneplacito Apostolico se obligans, & compromissum est nullum, sed compromittens non incidit in pœnas contra alienantes, sed dato laudo per arbitrum potest, & tenetur laudum reijcere, & illi tamquam nulli non acquiescere. Cæterum ex hoc solo quòd compromittat, & compromittendo se obligat ad id vnde potest sequi alienatio, non alienat, nec est subiectus pœnis alienantium res sine solemnitate, vt supra etiam probatum est.

255 Cæterum transactio cum fiat super iure dubio, & vtile sit quantùm fieri potest fugere lites, ideo habet pro se præsumptionem vt sit Ecclesiæ vtilis quando dubius est litis euentus. *Mohed.dec.8. num.1.de locato. Barbos.de iure Eccles.30.numer.41.* Vnde est, quòd qui allegat læsionem eam probare debet. Rota *dec.625.num.5.par.1.recent. Boss. d. tit. 18.num.259.* Et in hac parte læsio debet mensurari non ex valore rei, sed ex dubio litis euentu. Et ad rescissionem transactionis sub prætextu læsionis requiritur læsio enormis, & in magna summa, vt ex Doctor. à Rota præfata citatis probatur. Vbi *num.1.* etiam habet, quòd cum transactio sit species alienationis, Sede vacante non potest fieri à Capitulo de rebus ad mensam Episcopi,sed ad Ecclesiam spectantibus, iuxta *cap. si qua de rebus 12. q.2.* vnde tunc esset necesse vt per Papam daretur Ecclesiæ defensor, & administrator.

RENVNCIATIO.

256 Vigesimotertiò Renunciatio etiam hæreditatis, donationisq; & legati facti Ecclesiæ videtur habere speciem alienationis, ideoq; Prælatum,seu Capitulum non potest præfatis renunciare sine iuris solemnitate. Tum primò,quia mortuo testatore legatum in specie relictum ipso facto fit legatarij, eique etiam ignoranti ante acceptationem acquiritur dominium rei legatæ, *l. cum pater, §.Surdo.ff.de leg.2.l.Titio,ff.de furtis,l.1.§.sed virum, ff si quis in fraudem patroni, l.Sempronius Atalus, ff.de vsufructu legat.& l.magis puto §.si pupillus, vers.fundum,* ibi, *cum res sit pupilli, ff.de rebus eorũ;* igitur non potest renunciari legatum factum Ecclesiæ sine solemnitate iuris,quia per talem renunciationem alienatur res Ecclesiæ acquisita. Tum secundò, quia cessio iuris, & actionis, quam Ecclesia habet ad rem immobilem, vel mobilem pretiosam nequit fieri sine solemnitate, vt supra num. 347. probatum est, igitur neque renunciari potest iuri, & dominio, quod statim ex morte testatoris acquisitum fuit Ecclesiæ super hæreditate, vel legato sibi facto. Tum tertiò quia tutor sine solemnitate iuris non potest renunciare seu repudiare prædium minori legatum, quia illud prædij domi-

minium est iam pupillo acquisitum, *l.magis puto §.verfic.fundum, ff.de reb. eorum*; eadem igitur ratione sine iuris solemnitate non potest repudiari legatum Ecclesiæ relictum. Tum quartò, quia vbi dicitur communiter, quòd Prælatus in acquirendis potest præiudicare Ecclesiæ, hoc debet intelligi de acquirendis per actum aliquem Prælati, non verò de ijs, quæ ipso facto & iure Prælato etiam ignorante Ecclesiæ iam sunt acquisita. Tum quintò, quia quod dicitur ex *l.qui autem in principio §. 1. ff. quæ fiunt in fraudem creditorum*, quod scilicet debitor negligens acquirere non facit in fraudem creditorũ, quia quantum ad creditores satis est, quòd debitor non diminuat id quod habet: quod, inquam, sic dicitur, non iuuat; Nam alia est ratio Prælati, qui tenetur acquirere Ecclesiæ, & augere eius bona non secus quàm tutor respectu pupilli, & debitoris, qui non tenetur augere suam hæreditatem ad fauorem creditorum. Et ideò quod Prælatus seu Capitulum, aut Collegium non possit sine iuris solemnitate renunciare legato tenuerunt, *Alex.in l.legatum ff.de lege 1.* & ibi *Paulus de Castro & cons.11. Ancharan.& Imola cap.1.de reb.Eccl. non alienand.Vasquius de success.progressu l.3.§.27.nu.23. Barbosa de off.Epis.alleg.95.num.54.Angelus v. alienation.16.Rosel.num.10.& 11. Nald.ibid.Azor. p.1. lib.9.cap.1.q.12.Peregr.in compend.priuil. v.alienatio in scholio dub.8.Donat.p.2. tract.14. q.59. num.16. & alij*, quos cum istis referunt Redoanus rubr. *de signific. verbi alienatio, §.Pariter repudiatio, Sanchez lib.6. de matrim. disput.4. num.12. Boss.tom.3.tit.18. nu.263.* Contrarium tamen multò plures tenent & meritò.

257 In hac quæst.hoc primò certum est, quod Prælatus, siue Capitulum, aut Collegium sine iusta causa non potest hæreditati, vel legato relicto, aut etiam donationi factæ Ecclesiæ renunciare, *Syluest. v.alienatio, n.18.fin.* Et ideò dato quòd tales non incurrant pœnas Paulinæ, peccant tamen mortaliter id faciendo. Sunt enim in eorum munere infideles, & in Christum, & Ecclesiam iniustè sacrilegi, vnde grauissimè peccant.

258 Iusta autem causa repudiandi erit, si hæreditas sit damnosa, vel subiecta vexationibus, & ne eius occasione Religiosi in lites prosiliant, & cogantur per tribunalia vagari, vel si ad id mouentur ex pietate, & charitate erga eos, ad quos hæreditas, vel legatum repudiatum debet peruenire, quia sint consanguinei testatoris, & pauperes, vel causa scãdali vitandi, & malæ opinionis, quòd Regulares viderentur acquirendis facultatibus nimis inhiare, vel alia similis repudiandi causa, vt ea *Redoan. Valero, & Bellotto* habet *Boss n.276.*

259 Sed vbi aliqua similis iusta causa desit repudiandi id, quod Ecclesiæ donatur, aut relinquitur, eidem Ecclesiæ datur restitutio in integrum. Hoc enim beneficium datur Ecclesiæ etiam ratione lucri cessantis, & respectu acquirendorum, nisi in casu, quòd repudiatum ab vna Ecclesia sit possessum ab alia, quia tunc non esset illi Ecclesiæ cõtra Ecclesiam possidentẽ danda restitutio in integrum, quia melior est tunc cõditum Ecclesiæ possidentis, Qui etiam ex negligentia & sine causa relictum Ecclesiæ recusauit tenetur Ecclesiam reddere indemnem, & facere quantum potest, vt Ecclesiæ amissum recuperetur, vnde tenetur petere restitutionem in integrum, & fideliter pro Ecclesię bono laborare.

260 His igitur suppositis esto verum sit, quòd Prælatus in repudiando hæreditatem, vel legatum, vel donationem sine iusta causa peccet, dicitur tamen quòd non peccat contra Paulinam vel alias leges prohibentes rem Ecclesiæ alienari sine solemnitate iuris, ideoque ex vi illarum legum eam repudiationem non esse nullam, & inualidam. Ratio est quia relictum Ecclesiæ antequam sit acceptatũ nec est res incorporata Ecclesiæ, nec propriè & in rigore est res Ecclesiæ, quia illud minimum dominium, quod Ecclesiæ aduenit etiam ex relicto legato est dominium secundùm quid, & reuocabile; quia conditionatum hac conditione, si Ecclesia illud acceptauerit, vnde Prælatus non acceptans nihil quod sit Ecclesiæ alteri tradit, sed non ponit conditionem necessariam ad hoc, vt res quæ non est Ecclesiæ fiat Ecclesiæ, & qua conditione non posita res nec est, nec fuit Ecclesiæ, & censetur nũquam Ecclesię fuisse illius rei quæsitum dominium, vt expresè dicitur in *l.1. verf. vtrum autem, ff. si quod in fraudem patroni*, ibi. *Quamuis enim legatũ retrò nostrum sit, nisi repudietur, attamen cum repudiatur, retrò nostrum non fuisse palam est.* Et sic ex quo legatum non acceptatur, fit vt numquam fuisse Ecclesiæ censeatur; Non igitur legatum inter res Ecclesiæ numerandum est, quia eius absolutè non est, nisi acceptetur, & si non acceptetur idem est, ac si numquam illius fuisset. Secundò nam in iure recusati legati vel hæreditatis non est alienatio; sed longè ab ea differt, & est solùm rei non acquisitio. *l.alienationis ff.de verb. significat. & l.qui autem ff.quæ in fraudem creditor.* vbi asseritur, quòd prohibita alienatione non censetur prohibita recusatio hæreditatis & legati, *voluit enim* (inquit lex) *acquirere, non suum proprium patrimonium diminuere.* Et in regula *non fraudentur. ff. de reg. iur.* dicitur. *Non fraudantur creditores, cum non acquiritur a debitore, sed cum quid de bonis diminuitur.* Non acquirere igitur non est rem alienare nec est rem Ecclesiæ diminuere, sed illam non augere. Ideo tertiò hoc probatur ex communi principio, quia scilicet Prælatus validè potest in acquirendis præiudicare Ecclesiæ, quantùmcumque Ecclesiæ esset quæsita actio, quod tenuerunt *Gloss. in cap. fin. v. meliorem. 16.quæst.6. Felin.in cap.verum.num.11.de fore compet. Ripa respons.62.num 8. & in l. legatum num.9. de legat. 1. Ricc.p.p.praxis.res.92.& apud eum Rota diuers. part.3.dec.233.num.6.& dec.284.num.9.l.3. Bellett. disquisit.Cler.tit.de Cler. debit.§.5.numer.10. & apud eum Seraph.dec.198. num.2.* Ideo, quod sine iuris solemnitate possit Prælatus validè repudiare hæreditatem, donationem, & legatum tenuerunt *Panorm.in cap.ina nos num.9.vbi Card.& Imola,de his, quæ fiunt à Prælato, et in cap.1. de dolo*, & pluribus relatis opinionibus, & re multum discussa *Syl. v.alienatio num.18. Tabien.num.10. Quaranta v.alienatio num.23.et 43. et apud eum Riccius p.1. prax.aur. res.92.et apud eam Rota in Auers. S.Benedicti 5. Nouembr.1597. coram Litta et in Bononien. de Pupazzonibus 13. Maij 1588. coram Fabio, vt patet dec.30. l.2.p.3.diuers.et apud Put. dec.519. seu in nouis 507. l.2. Bellet.disp.Cler.p.1.tit.de Cler.debitore §.5.nu.11. 12.23.24.et 25.Barbosa ad cap. nulli num.9. de rebus Eccl.non alien.et l.3.de iure Eccles.c.30.num.42.San-*

glez de matrimon. lib.6.disput.4. numer.11. Bonac. de alienat. part. 2. numer. 33. et Palaus tom.1, tract.12. par.15. §.3. numer.11. Peyrin. tom.1. in Constitut.9. Iul. II. num.16. Lezan. tom.2. cap.19.num.60.Boss. d. tit.18. num.266. & quàmplures alij ab istis relati. Sed si Prælatus legatum acceptet, & legatum sit tale, per quod relinquatur summa notabilis vt soluenda post mensem, poterit ne Prælatus concedere dilationem? Si summa sit inuestienda in re immobili, dicunt quidam Prælatum dilationem præfatam concedere non posse, quia sic cedit iuri percipiendorum fructuum ex re immobili fructifera emenda. Sed cum res illa emenda nec sit adhuc Ecclesiæ incorporata, & ab ea possessa, nec ius percipiendi fructus ex ea, sit adhuc in possessione Ecclesiæ, quæ rem non possidet, nec habet, sed solùm habet ius habendi illam, ratio allata non est firma, nisi addatur, quòd iam quoddam ius immobile est ius habendi illam emendam ex relicta pecunia, cui iuri Prælatus non potest præiudicare nisi ex causa iusta, & seruata iuris solemnitate. Nisi dilatio sit parua, & non magnifacienda. Secus verò si pecunia relicta non sit inuestienda, sed sit libera, quia talis inter fructus computatur, ad quorum alienationem sufficit causa iusta sine solemnitate. Si etiam Ecclesiæ perueniat aliquod vigore fideicommissi, cuius vsusfructus spectet ad alium, poterit Prælatus secundum aliquos ex causa iusta sine solemnitate consentire vt vsufructuarius alienet aliquid de hæreditate substituendo aliud loco illius ad fauorem fideicommissi, quia res illa sic relicta nondum est Ecclesiæ incorporata; sed hoc non approbo, quia Ecclesia est in possessione iuris fideicommissi ad illam rem determinatè, quod ius est aliquod immobile, non alienabile sine solemnitate.

261 Hoc autem nedum verum est de licentia Sedis Apostolicæ, sed etiam de consensu Capituli, ita quòd Prælatus possit validè recusare hæreditatem aut legatum relictum Ecclesiæ nedum sine licentia Sedis Apostolicæ, sed etiam sine consensu Capituli, prout tradunt ferè omnes DD. citati, & alij apud *Belless.* loco citato *num.11.* Quod tamen puto intelligendum de consensu vt est mera iuris solemnitas, & quòd ideo lex vt requirens consensum Capituli vt solemnitatem necessariam ad alienandum, non comprehendit renunciationem relicti Ecclesiæ. Non tamen vbi consensus est requisitus ex natura rei, sicuti requiritur vbi bona sunt de mensa Ecclesiæ communi. Neque obstat, quòd huiusmodi recusatio videatur esse alienatio quædam, cum ex illius vi legatum relictum transeat ad hæredem; quia ex vi recusationis solùm non acquiritur Ecclesiæ, sed quòd ad hæredem transeat, est ex vi successionis, quæ iam non impeditur ex quo legatum non acceptatur. Minùs obstat, quòd Ecclesia acquisiuit dominium super legato sibi relicto, quia vt dictum est, hoc dominium est reuocabile, & conditionatum hac conditione, si legatum acceptetur, qua conditione cessante iam idem est, ac si Ecclesia nullum dominium illius habuisset. Item non obstat, quòd iura Ecclesiæ non possint alienari, quia hoc est verum de iuribus omninò acquisitis, & absolutè competentibus Ecclesiæ, non verò de iure pendente ab Ecclesiæ acceptatione, & quod est ius habẽdi si Ecclesia velit habere, & accepet quòd sibi offertur, sicut est ius, quod habet Ecclesia super legato sibi relicto, vnde nec est bonum Ecclesiæ incorporatum, nec computatur inter bona Ecclesiæ legataria. *l. pretia rerum. ff. ad l. falcid.* vnde facta repudiatione censetur nunquam fuisse Ecclesiæ. *d. l.1. ff. si quid in fraudem patron.* Tandem nec obstat *l. magis puto §. si pupillus, ver. fundum. ff. de rebus eorum.* Casus enim illius legis non applicatur, quia vt aduertunt *Gomez 2. var. cap.14.num.14. & Sanchez d.disp.42. & Boss.d.tit.18. num.269.* Minori prohibetur nedum alienatio, & dilapidatio, sed etiam lucri omissio, & ideo respectu illius etiam repudiatio hæreditatis cẽsetur alienatio. Sed leges, de quibus loquimur prohibent alienationem, a qua longè differt repudiatio.

262 Colligitur ex his, quòd cessio hæreditatis, vel legati nequit fieri sine solemnitate. Quia cessio supponit rem iam acceptatam & Ecclesiæ incorporatam, non enim ceditur alteri, quòd non est acceptatũ. Limitant vero hoc aliqui. Nisi cessio fiat rei nondum priùs acceptatæ verè, & realiter. Quoniam licet cessio rei priùs non acceptatæ adhuc ex vi sua sit per priùs rei acceptatio, quàm repudiatio, tamen quia nec huiusmodi acceptatio est ordinata ad habendum sed ad repudiandum, ideo talis cessio censetur simplex repudiatio, quia illa momentanea acquisitio non habetur in consideratione. *Quaranta v. alien. num 43. Rota dec.30. p.3. l.2. diuers. & dec.507. alias 519. coram Puteo. Boss. d. tit.18. num.271.* Sed considerata natura cessionis aliter dicendum est. Repudiatio enim hæreditatis vel legati, vel donationis, nihil alicui confert, nec transfert dominium, sed relinquit rem esse illius, ad quem aliàs de iure spectat, & ideò repudiatio non est alienatio, sed est conditio sine qua ad eum ad quem res aliàs de iure spectat, non perueniret. Sed cessio dat non habenti, & quoddam dominium transfert, & est vera alienatio. Cessio enim est iuris actionis translatio, vel vt ait *Isidor. lib. sexto Ethym.* est rei concessio. Vnde per cessionem iura cedentis donantur cessionario, qui quidem nec quia sit hæres, nec quia alio titulo habeat ius, sed ex vi cessionis ius acquirit, quòd sibi à cedente conceditur. Nec obstat, quòd vbi cessio fit solùm ad momentum, & prius natura is, qui cedit acceptat, sed acceptat ad repudiandum, & ideo talis cessio reputanda sit repudiatio. Quia hoc non est dicendum, cum illa acquisitio ad momentum, & facta ad finem repudiandi habet proprium effectum legalem, & verè det ius non habenti, & dominium aliquod trãsferat in vim acceptationis, & Prælatus qui cedit, intantùm vim cedendi habet inquantùm nomine Ecclesiæ acquisiuit, & acquisitum nomine Ecclesiæ in alium transfert. Et ideo licet per momentum acquisierit, tamen per cessionem non nisi quod acquisiuit nomine Ecclesiæ, & quod est Ecclesiæ, & inquantum est Ecclesiæ alteri tradit. Et ideo cessio est vera alienatio, quæ nequit fieri sine solemnitatibus. *Sanchez l.6. de matrim. disp.4. nu.17.* Si tamen acquisitio rei, & repudiatio essent duo actus distincti, etiam si contenti in eodem instrumento, non posse sine solemnitate iuris cedi hæreditatẽ, quia iam res Ecclesiæ alteri traderetur, dixerunt etiam, *Rota & Bossius, & apud eum Phanuccius, Peregrinus, & Vincentius de Franchis.*

Col-

263 Colligitur secundò econtra, quòd si Ecclesiæ aliquid relictum sit sub conditione, qua non impleta res maneat apud hæredem, sine solemnitate iuris, validè sine iuris solemnitatibus potest Prælatus conditionem non implere, quia non impleri conditionem est solùm non acquirere, vnde Prælatus sic non implens conditionem non subditur pœnis Paulinæ. *Panorm. cap. 1. num 23. de dolo Sylvester v alienatio num. 19. fin. Sanchez d. disp. 6. nu. 23. & apud eum Diaz, reg. 219. & Beia cons. 41. Layman lib. 3. tam. 4. cap. 10. num. 6* vbi quod Prælatus potest obesse vel sinendo pronunciari sententiam contra Ecclesiam, vel permittendo vt aliquis rem Ecclesiæ vsucapiat. Sed hoc indiget explicatione, & limitatione. Nam vel res nondum est incorporata, & acquisita Ecclesiæ, & in hoc sensu procedunt dicta, quia scilicet Prælatus non adimplendo conditionem potest valide præiudicare, ne hæreditas, vel legatum ad Ecclesiam perueniat. Quod tamen secundum supradicta etiam limitatur, vt necessarius sit consensus Capituli; vel Conuentus, vbi hic consensus non est mera solemnitas iuris, sed ex natura rei, & lege iustitiæ est requisitus, sicuti est, quando bona sunt de mensa communi. Sed si res sit iam acquisita Ecclesiæ sub conditione tamen, vt aliquid fiat, non implere conditionem, seu non conseruare rem Ecclesiæ, seu permittere vt alius eam vsurpet, vel ipsa ad alium transeat est quoddam alienare, si alienatio communiter accipitur. Vt enim habet I. C. *l. alienationis 28. ff. de verb. significat. alienationis verbum etiam vsucapionem continet, vix est enim, vt non videatur alienare, qui patitur vsucapi*. Vnde hoc esse alienationem dixerunt *Hostien. in summ. de alien. rerum Eccl. num. 1. & ex Gloss. in d. l. alienationis* Redoan *rubr. 1. pag. mihi 5 num. 8.* Et licet hoc, quòd est non implere conditionem materialiter se habeat ad translationem rei, & proprie non sit actus per quem formaliter dominium transferatur, libere tamen non implere conditionem vbi non impletioni conditionis est per se necessario adiuncta translatio dominij vel iuris, est consentire in eandem translationem, quod est alienare: & licet sic permittens rem vsucapi, vel quocumque modo amitti non incidat in pœnam excom. Paulinæ, quia desit in eo præsumptio, & illa excom. est lata contra præsumentes alienare, si tamen huiusmodi permissio sit ex dolo malo, & præsumptione est alienatio sub ea extrauag. comprehensa, & punita.

264 Colligitur tertiò, quòd repudiatio hæreditatis vel legati venientis Ecclesiæ ex eo, quòd hæres contrauenit menti testatoris, decernentis vt in casu contrauentionis hæreditas transiret ad Ecclesiam, non subest legibus prohibentibus alienationem siue solemnitate, quia hæc non est alienatio, sed non acceptatio hæreditatis, & dominium quòd ex testamento illo prouenit Ecclesiæ est reuocabile, & conditionatum seu pendens à conditione, si Ecclesia acceptet. Nam & quòd pœna imposita alicui ad fauorem alterius intelligatur habere locum, si ille alius ad cuius fauorem pœna imponitur acceptet, dixerunt *Iason in l. postbum. C. de contr. et in l. 2. C. de iure emphyt. Rota d. 8. apud Puteum l. 2. Cassad. dec. 2. & 3. de locato, Bellarm. decis. 322.* & ideo, quod prælatus sic repudians hæreditatem relictam Ecclesiæ sine solemnitate non incidat in pœnas Paulinæ dixerunt *Ricc. p. 1. praxi ecc. fol. 95. Boss. d. tit. 18. num. 273. Rota in Regien. bonor. 1. April. 1585. coram Clemente VIII. tunc Rota auditore, quam refert Ricc. vbi supra.*

265 Colligitur quartò non requiri iuris solemnitatem in remittenda caducitate emphyteutæ antequam res sit Ecclesiæ incorporata, quia hæc remissio solùm est rei non acquisitio, emphyteuta enim ob non solutum canonem non cadit ab emphyteusi nisi sub conditione, quòd Dominus velit, *Bart. in authent. qui rem C. de Sacros. Eccles. Ricc. p. 1. praxi. resol. 129. Barbosa ad cap. potuit de locato n. 121. Boss. numer. 274.* Vnde est, quòd si Ecclesia nolit emphyteutam cadere, ille non cadit, & ex hoc Ecclesia nihil suum dispergit sed alienum non acquirit; ideo hæc remissio caducitatis non est alienatio. *Panorm. in d. cap. potuit de locato num. 15. Ricc. Barbos. Boss. loca citato, & iterum Barbosa de off. Epis. all. 95. num. 64. & l. 3. de iur. Eccl. c. 30. num. 42. Sanchez l. 6. de matrim. d. 4. num. 13. Bonac. d. p. 2 num. 21. Rota in Hyporigen Emphyt. 17. Ianuar. 1580. coram Lutta quam refert Ricc.* Bene verum est, quòd si Beneficiatus semel declarauit se velle emphyteutam incidisse in caducitatem, tunc pœnam non potest ampliùs remittere, quia iam non agitur de acquirendis, sed de acquisitis. *Bonac. d. p. 2. num. 21.* Qui addit ita expresse haberi in *Concil. Prou. 7. Mediolanen.* emphyteuta enim cadit ipso facto ab emphyteu. ob non solutum canon. ex quo Dominus declarat se velle eum in dictam pœnam incidisse. Ex Constitut. verò 51. Vrban. VIII. bonorum iurisdictionalium intra Italiam caducitas non potest remitti.

266 Et quàmuis vbi Prælatus sit Rector Collegiatæ, & de bonis Collegij sit sermo, multi teneant quòd Prælatus solus sine consensu Capituli aut Collegij non possit remittere caducitatem emphyteutæ, *Bellet. disq. cleric. p. 1. tit. de cler. debit. §. 5. numer. 17. Redoan. de alien. rer. Eccl. quæst. 7. §. His paucis av. 4. pag. 357. Barbosa ad d. cap. potuit nu. 121.* & alij apud istos, tamen quòd neque ad hoc sit necessarius assensus Capituli, & quòd vbi Prælatus remisit caducitatem, non possit Capitulum expellere emphyteutam docuerunt alij scilicet *Sanchez d. disp. 4. num. 11. Barbosa d. alleg. 95. num. 65.* Quia hæc remissio est sola non acquisitio, & in acquirendis Prælatus potest Ecclesiæ præiudicare, vt probatum est. Sed prior sententia est vera, nam vbi agitur de bonis Ecclesiæ Collegiatæ consensus Collegij non est iuris positiui solemnitas, sed est de necessitate iustitiæ, quia bona communia non possunt sine communi consensu distrahi, aut relinqui. Et aliud est, quod ad huiusmodi actus non sint necessariæ solemnitates iuris, & quod sine huiusmodi solemnitatibus agens non incidat in pœnas latas à iure. Aliud est, quòd ex natura res valide agat, & eius factum subsistat, Et hoc non est verum; quia Rector Ecclesiæ Collegiatæ non habet facultatem disponendi de rebus pertinentibus ad Collegiatam sine consensu Collegij. Immo vlterius considerandum est, quod ad validè renunciandum hæreditati vel legato, vel ad præiudicandum Ecclesiæ ob non impletam conditionem necesse est vt in renunciante, vel non implente sit facultas pleno iure administrandi res Ecclesiæ, non vero facultas non plena aut conditionata, quia consensus non haben-

tis plenam administrationem non valet nisi respectu eorum ad quæ habet facultatem. Vnde hic non debet attendi solum ratio alienationis, & eius prohibitio: & consequentia nulla est dicere hoc ex vi prohibitionis alienationis non est prohibitum, nec est inualidum; ergo absolute valide fieri potest; quia etsi aliquid agere aut non agere non sit alienare, si tamen sit aliquid facere, vel non facere circa rem Ecclesiæ, ad hoc vt validum sit, necessaria est in faciente facultas faciendi. In proposito autem nec Parochi, nec Regulares superiores locales habentes supra se Prouinciales, & Generales habent plenam administrationem rerum Ecclesiæ, ideo in Parochis, aut similibus subditis Episcopis consansus Episcopi ad disponendum in perpetuum de rebus Ecclesiæ, & sic ad renunciandum hæreditates, & non acquirendum Ecclesiæ non est iuris positiui solemnitas, sed est requisitum ex lege institiæ, quia in Parochis non est plena & sufficiens facultas ad præfata. Et idem dicendum est de Prælatis localibus respectu Prouincialium, aut Generalium. Itaque si ageretur de lucro personali posset Parochus illi renunciare sine consensu Episcopi. Sed vbi agitur de acquirendo de facto id, quod Ecclesiæ aliunde de iure competit, non sufficit ad hoc consensus Parochi, sine consensu Episcopi, vel Prælati localis Regularis sine consensu Superioris iuxta cuiuscemque Ordinis leges. Vnde per hoc superius dicta explicantur, & limitantur. Vt ad acquirendum hoc modo Ecclesiæ non sufficiat consensus immediati Rectoris vel sine cōsensu Capituli, vel sine consensu superioris, & ita quòd etiam in inferioribus Collegiatis Episcopo subiectis non sufficiat consensus Rectoris, & Collegij, sed requiratur vlteriùs consensus Episcopi. Quando verò & quibus modis censeatur remissa caducitas tradunt *Menoch. de præsumpt. l. 3. præsumpt.* 112. *& Barbosa ad d. cap. potuit* de locato.

267 Colligitur sextò econtra, quòd Prælatus sine iuris solemnitate non potest repudiare hæreditatem prouenientem monasterio ex persona religiosi in eo professi; bona enim profitentis illius sunt ante professionem, & tamquam illi accessoria fiunt monasterij ex vi professionis, & ex quo per professionem profitens totum se tradit Religioni, Vnde monasterium statim ex vi professionis acquirit dominium illorum bonorum etiam quantum ad possessionem, possidens enim personam possidet iam tamquam sibi incorporata bona personæ, quæ in monasterium transit cum suis bonis, & sicut sui, sic omnium suorum bonorum fert & transmittit dominium & possessionem in Religionem quam profitetur, si sit dominij bonorum capax. Ideo hoc dominium est absolutum, & non reuocabile ad libitum, & sine iuris solemnitate, vt ex *Bartol. in authent. ingressi, num. 28. & ibid. Bald. opp. 3. num 5. Tapia. v. ipso ingressu in princ. nu. 2. et 3. C. de Sacros. Eccles. eod. Bald. in auth. si qua mulier, in fine numer. 15. C. eod. Alex. cons. 80. num. 4. l. 2. Vasquio de success. creat. l. 2. §. 16. num. 13. & Rota in Perus. bonorum 19. Nouembr.* 1584. *coram Pamphilio tradunt Grat. cap. 118. num. 33. & 34. Ricc. p. 1. praxis, res. 97. Sanchez in sum. l. 1. c. 12 num. 23. Bossius vbi sup. numer. 278.*

CONFESSIO.

268 VIgesimoquartò confessio per quam Ecclesia fatetur se esse debitricē, vel omnia alia talis ex qua per indirectum Ecclesia possit cogi ad alienationem bonorum immobilium, censetur esse alienatio, & ideo quòd non possit fieri sine iuris solemnitate. Vt ex *Gloss. in cap. dudum de elect. tenet Boss. d. tit.* 8. *nu.* 277. Vbi quod hoc procedit etiam in confessione implicita, & quod huiusmodi confessionibus adminiculatis concursu alicuius coniecturæ vel præsumptionis statur. sed considerandum est, quòd si huiusmodi confessio fiat sine solemnitatibus iuris, poterit quidem esse, quòd non sit valida, vt de confessione facta à minori docet *Grat. discept.* 555. *num.* 30. Quàmuis si sit adminiculata coniecturis, & præsumptionibus valeat, vt ea *Puteo dixit* Rota *dec. 1. de confess. coram Achille de Grassis.* Verum est vlteriùs considerandum, quòd cum confessio aërea non subsistat, & si Ecclesia fateatur se esse debitricem ex vi contractus nulliter initi sine solemnitatibus confessio ipsa nullius sit valoris nec aliquod ius tradat, si alias confessio fiat ex vi contractus legitime initi certè si est vera, non est vnde dicatur ea vi prohibitionis alienationis prohibita, quàmuis possit esse inualida, si sit facta sine solemnitate aliqua ad ipsam necessaria, vt esset confessio minoris non facta coram curatore & iudice. Solùm posset esse dubium de confessione ficta, & falsò ferente titulum legitimum, quia confessio talis apparens ius transfert in eum, ad fauorem cuius fit, & ita videtur, quòd sit species quædam alienationis. Verùm quia non per hoc datur ius ad rem immobilem, vel mobilem pretiosam, & quatenus detur, hoc non est ius verum, sed fictum, contra quod dabitur Ecclesiæ restitutio in integrum. tunc solùm poterit dici, quòd ex huiusmodi confessione confitens cadat in pœnas Paulinæ, si ex vi talis confessionis necessitabitur aliquod immobile, vel mobile pretiosum alienare.

PIGNORATIO.

269 VIgesimoquintò, pignoratio quoque, aut hypothecatio rei Ecclesiæ nequit fieri sine iusta causa & solēnitate iuris. Per huiusmodi enim actus alteri quæritur ius super re pignorata, & hypothecata, & ideò pignoratio & hypotheca veniūt sub nomine alienationis, quòd latissimè sumptū importat actum per quem alteri conceditur ius super re aliqua *extrau. Ambitiosæ*, & Decretum Sac. Congreg. sub Vrbano VIII. *Redoan. rubr. 1. §. Item &c. venit pignus num 1. Barbosa* plures DD. referens *lib. 3. de iure Eccles. cap. 30. num. 29. in cap. nulli de reb. Eccles. non alien. num. 5. Lezana p. 2. c. 19. num. 55. Fontic. de alien. p. 2. num. 23. Quaranta v. alien. nu. 17. Rodriq. tom. 1. q. 27. num. 1. Donatus p. 2. tract. 1 4. q. 67 Conar. var. l. 2. c. 16. num. 7. & ex Vasquez, & Molina Palaus tom. 2. tr. 12 p. 15. num. 2.* Et si enim per hypothecam non transferatur dominium, conceditur tamen ius super re; quæ obligatur ad fauorem creditoris, si solutio debiti aliunde deficiat, & datur illi ius vt eam sibi tamquam suam possit petere & habere. Immò & data necessitate alicuius pignorationis prohibentur pignori dare vasa

lacra

sacra Ecclesiæ niũ necessitas sit vrgentissima, *cap. 1. de pignor. Barbos. vbi supra*, In summa enim necessitate posse res Ecclesiæ hypothecari, seu pignorari tradunt *Naldus v. alienatio num. 3. Peyr. tom. 1. ad Constit. 9. Iulij II. num. 3. Donatus vbi supra. Qui num. 3. addit.* quòd priùs aduerterat *Redoan. rubr. 1. §. Item &c. venit pignus num. 16.* In hac summa necessitate potius mobilia, quam immobilia obligãda esse, & potiùs mobilia non benedicta, quam benedicta, & potiùs simpliciter benedicta, quàm consecrata. Nam & quòd oppignoratio consecratorum & eorum, quæ ad diuinum cultum deputata sint fieri non debeat, habetur ex *cap. 1. ne Clerici, & Clem. si beneficiorum de decimis* Regulares verò in necessitate non tenentur pro licentia adire Episcopum etiam si, id facere possint, quia sunt exempti. In Regno autem Portugalliæ non posse Ecclesiasticos etiam Regulares pignorare aurum & ornamenta Eccles. sine licentia Regis, & ita vt qui contrafecerint amittant valorem rerum cum excessu nouem partium, & res pignoratæ reddantur Ecclesiæ absque vllo pretio ab ea soluto, refert *Portell. verb. alien. in addit. nu. 4.*

270 Sed graue dubium est, an prohibitio ista intelligi debeat nedum de hypotheca speciali, in qua certa res Ecclesiæ obligatur, sed de hypotheca generali, cum in genere bona Ecclesiæ obligantur, & hypothecæ subduntur. Etenim & hypothecam generalem esse prohibitam probatur primò, quia vbi res prohibetur alienari, censetur etiam prohibita pignorari, seu hypothecari, *cap. nulli de rebus Eccles. non alien. & l. vlt. C. de reb. alien. non alien.* Nam prohibita alienatione prohibitus est omnis actus per quem alteri quæritur ius aliquod in re; qui enim non potest alienare neque potest facere actum, ad quem possit sequi alienatio, vt per *d. l. vltimam, & l. Coaticillus, §. penult. ff. de leg. 2.* tradũt *Glossa in l. item quia, ff. de pactis Couar. l. 2. var. c. 16. num. 6. Quaranta verb. alien. numer. 17. Gratian. discept. 745. numer. 63. Barbosa de offic. Epis. alleg. 19. numer. 86. & ad cap nulli num. 6. de reb. Eccles. non alien.* Nam qui habet actionem videtur rem ipsam habere, *l qui actionem ff. de reg. iuris*, vnde solemnitas quæ requiritur ad alienandum, requiritur ad tradendum eidem ius illius actionis. At verò sic est, quòd etiam per hypothecam generalem transfertur ius, & actio contra Ecclesiam, & ita vt in defectu solutionis necessitetur Ecclesia ad alicuius rei immobilis, vel mobilis pretiosi alienationem; igitur prohibita alienatione prohibita quoque est hypotheca generalis. Secundò, nam in extrauag. *Ambitiosæ*, & in Decreto Vrbani VIII. absolutè & simpliciter prohibetur hypotheca, igitur sub hac prohibitione continetur etiam hypotheca generalis, quæ verè & propriè est hypotheca. Et ita hanc sententiam in terminis tenent *Nauar. de alienat. rerum Eccles. num. 2. Quaranta d. n. 7. Barbosa d. alleg. 19. num. 85. & de iure Eccles. cap. 30. num. 29. & ad dictum cap. nulli nu. 6. Filliuc. tom. 3. tr. 44. cap. 2. n. 2. Peyr. tom. 1. Const. 9. Iulij II. num. 13. Boss. tit. 18. nu. 4. Donatus p. 2. tr. 14. q. 67.*

271 Verùm econtra, quòd per prohibitionem alienandi non sit prohibita hypotheca generalis, tenuerunt *Panorm. in d. cap. nulli num 3. & in cap. 2. num 3. de precar. & ex Barbat. Dec. & Anton. de Fano Couarruuias lib. 2. var. cap. 16. n. 7. Redoan. rubr. 1. §. Item &c. venit pignus, num 14. Layman. lib. 3. tr. 4. cap. 10. num. 2.* & apud eum *Molina Lezana tom. 2. cap. 19. nu. 55. & tom. 3. v. alienatio ar. 5. Palaus to. 2. p. 15. num. 2.* & apud *Boss. vbi supra, Ciarlinus contr. p. 2. cap. 183. a num. 107. & Bordon. resol. 27. num. 13.* Et communiter scribentes ad *d. cap. Nulli*. Et ratio horum est, quia per hypothecam generalem non datur tantum ius, nam per hypothecam specialem datur ius in re, sed per generalem datur ius ad rem, & non est tantum periculi in hypotheca generali, sicut in speciali. Secundo hoc probatur ex eo quòd hypotheca generalis est in iure permissa: quod per locum à contrario sensu probatur ex *d. cap. Nulli*, in quo expresse prohibetur hypotheca specialis; permittitur igitur seu non prohibetur hypotheca generalis. Tertiò quia Sac. Congreg. sub die 14. Iulij 1638, declarasse quod in decreto Vrbani VIII. non sit comprehensa hypotheca generalis, refert *Ciarlinus apud Boss. vbi supra*, addens idem tenuisse *Rotam in Amerina Bonorum coram Verospio 19. Aprilis 1641. & coram Bejas 21. Februar. 1642. & 2. Iunij 1645.* Quartò quia in hypotheca generali potiùs obligatur persona, quàm res, vnde est quòd debitor & validè vendit rem hypotheca generali obligatam, & qui emit securè emit, nec bona empta submittuntur creditori Et seruus speciali hypotheca obligatus non potest manumitti, quòd tamen potest fieri de seruo obligato hypotheca generali.

272 Mihi in hac quæstione distinguendum videtur, quid dici debeat ex vi iuris naturalis consurgentis per se ex prohibitione alienationis, & quid dicendum ex vi iuris positiui prohibentis expressè hypothecam. Distingui etiam debet nullitas & inualiditas actus, ab excommunicatione & alijs pœnis latis contra hypothecantes res Ecclesiæ sine solemnitate. Et his distinctionibus præhabitis. Dico primò, quòd ex vi prohibitionis alienationis directè non prohibetur, neque hypotheca specialis, quia hypotheca non est alienatio, cum non transferatur rei dominium, sed solùm constituatur obligatio ad alienandum in defectu solutionis, vnde hypotheca nec propriè est alienatio, sed via ad alienationem, & non solum non transfert rei dominium, sed solùm dat ius aliquod conditionatum, scilicet ius habendi rem, si non soluatur debitum. Nec obstat regula quòd in materia fauorabili Ecclesiæ qualis est prohibitio alienationis alienatio sumitur communissimè pro omni actu per quem datur aliquod ius super re, quia hæc regula vera est, quia lex positiua hanc extensionem expressè fecit, & quia indirectè, vt dicam, huiusmodi actus ex vi prohibitionis alienationis prohibentur, non quia prohibeantur directè tamquam alienationes, quoniam propriè sunt quidem via ad alienationem, ad quod sequi potest alienatio, non sunt verò alienatio vel species alienationis. Et si diligenter iura inspiciantur, videbitur, quòd distinguunt inter alienationem & hypothecam, & hanc prohibent, vt quid distinctũ. Nam in *cap. Nulli de reb. Eccles. non alienan.* primo prohibentur alienatio, & hypotheca vt distincti actus. ibi, *Nulli liceat alienare &c. neque specialis hypotheca titulo obligare*. Dictio enim *neque* distinctiua est, & diuersitatẽ importat, & significat quod vltra alienationem prohibetur etiam hypotheca,

licet

licet non fit alienatio. Vbi verò iam hypotheca est prohibita, & hypotheca habet non nihil alienationis, pro quanto per eam datur alteri aliquod ius in re, propterea extendendo nomen alienationis ad omnem actum in quo alteri datur aliquod ius, dicitur quod in prohibitione alienationis fauorabili accipitur alienatio communissimè; quòd non esset verum nisi hypotheca,& alij similes actus essent expresè simul cum alienatione prohibiti.

273 Dico secundò, quòd indirectè & ex consequenti, nedum quantùm ad culpam, sed etiam quantùm ad nullitatem actus, ex quo cum decreto irritante prohibetur alienatio, prohibetur etiam omne id ad quod necessariò sequi debet alienatio, & in hoc sensu verum est, quòd in primo argumento assumit prior opinio. Nam certè quantùm ad culpam id censendum est esse prohibitum, quod non potest haberi sine absoluta voluntate alienationis prohibitæ. Sic non potest quis hypothecare rem Ecclesiæ nisi velit in casu nō solutionis rem hypothecatam transferri in creditorem. Nec valet si dicatur, quòd hæc voluntas potest esse conditionata cōditione si superiori placuerit, quia statuens hypothecam absolutè contrahit, & non sub conditione, nec alter contrahens, qui absolutè dat rem suam contraheret, & rem daret sub hypotheca cōditionata conditione contingentis beneplaciti superioris expectandi ex eius libera volūtate ipso interim satisfactionem sibi debitam aliunde non habente, Sicut igitur contractus est absolutus, sic contrahēs rem sub hypotheca absoluta constituit, quæ hypotheca mala est, si mala est alienatio ad quam ex vi hypothecæ res obligatur.

274 Pariter si nulla sit alienatio, non potest esse valida obligatio ad alienandum, quia est obligatio ad agendum actum nullum, quæ valida esse non potest, ex eo quòd lex, quæ irritat alienationē semper vult quòd sit irrita. Nec obstat si dicatur, quòd alienatio necessaria non est irrita, quia alienatio necessaria non est irrita prout venit ex iusta necessitate, non prout venit ex iniusta, & mala obligatione libere assumpta, quia hæc valida esse non potest ad actum qui ex lege est nullus. Ideò per se nunquam ex hypotheca necessariò sequitur alienatio, sed sequetur ex eo quòd admiscetur aliquid aliud, scilicet ratione rei alienæ quam habet, qui hypothecauit rem alienari prohibitam ex quo oriri potest iusta necessitas satisfaciendi creditori, & domino rei. Cæterùm dicendum est, quòd quæcumque hypotheca, vel obligatio; inita absque solemnitate quantùm ad vim necessitandi ad alienationem semper est nulla, & irrita, nec habet, aut habere potest vim iustæ necessitatis, sed lex prohibens & irritans alienationem ex hoc irritat quamcumque obligationem necessitantem ad alienandum, quia non potest esse valida, & iusta, & efficax voluntaria obligatio, & necessitas agendi id, quod lex prohibet fieri validè. Et in hoc bene loquitur & sentit prima opinio, & nedum hypotheca specialis, sed generàlis facta sine solemnitate iuris requisita ad alienandū est nullius valoris ad necessitandum ad alienationem faciendam sine iuris solemnitate. Et in hoc non est necessaria alia lex positiua quæ irritet hypothecam quantùm ad hanc partem, sed ex lege naturali supposita lege prohibente & irritante alienationem factam sine solemnitate, sequitur quòd nulla hypotheca facta sine solemnitate sit efficax & valeat necessitare ad sic alienandum.

275 Dicitur nihilominus tertiò, quòd lex pœnalis irritans alienationem nisi expresè prohibeat hypothecam, non se extendit ad hypothecam quantùm ad pœnas, & quatenus est pœnalis; quia hypotheca non est alienatio, & licet sit via ad alienationem, vnde possit sequi alienatio tamen vt bene aduertit *Couar. d.num.7.* lex pœnalis quatenus pœnalis semper est odiosa, & restringenda, nec extendenda vltra expressa in lege,& attentans delictum, vel ad illud se præparans, & ad illud se obligans, non punitur pœna lata contra delictum, delicto non patrato;& ideò quantum sit ex vi legis vt prohibentis alienationem sub pœna excommunicationis, qui dat pignus vel instituit hypothecam non est excommunicatus.

276 Dicitur verò quartò, quòd lex positiua nedum indirectè, sed directè prohibet pignus & hypothecam rerum Ecclesiæ sine solemnitate imponi vt patet *d.cap.nulli & d.extrauag. Ambitiosæ*, & dicto decreto Vrbani Octaui,& Const.78.Clem.VIII. Vnde in hac parte non bene dixit *Couar. d.num.7.* quòd dans pignus, vel hypothecam imponens non sit excommunicatus,nisi sequuta alienatione; quoniam hoc esset verum si hypotheca solum esset prohibita indirectè, & ex consequenti. Sed cum modò hypotheca sit directè vetita sub pœna excommunicationis, ideò imponens hypothecam, illico ex hoc est excommunicatus, *Bossius d.tit.18.num.9.* & apud eum *Molina de iust.tr.2.disp.300. num.2.* Et sic neque etiam bene dixit *Layman vbi supra*, quod in materia odiosa lex pœnalis prohibens alienationem non comprehendit hypothecam nisi sit constituta pro tanta quantitate, quòd non sit spes facilis recuperationis, & sic adsit probabile periculum alienationis. Quia si loquitur de lege, quæ solùm indirectè prohibeat hypothecam ex pura vi prohibitionis alienationis, hæc lex quatenus pœnalis non se extendit ad hypothecam,etiam si constituatur in tanta quantitate, vt non sit spes facilis recuperationis,quia neque tunc hypotheca est alienatio, vt comprehendatur sub pœna alienationi imposita. Sed si sermo sit de lege directè *sub pœna* prohibente expresè hypothecam, sub hac lege comprehenditur quælibet hypotheca per talem legem prohibita,etiam si non sit super iam magna quantitate, & non sit periculum proximum alienationis.

277 Dicitur quintò, quòd licet loquendo de lege *d.cap. nulli* sub ea non comprehendatur hypotheca generalis, comprehenditur tamen sub lege *extrauag.Ambitiosæ*, & Decreti Vrbani VIII.& alijs legibus absolutè hypothecam prohibentibus. *In cap.enim nulli*, non est prohibita omnis alienatio, cum solùm sit prohibita emphytheusis perpetua, vnde non mirum,si etiam non fuit prohibita hypotheca generalis, quæ est solita imponi dum celebrantur contractus alienationis. Sed in *extrauag. Ambitiosæ*, simpliciter & vniuersalissimè prohibetur omnis alienatio, & præter alienationem prohibentur simpliciter & absolutè pignus, & hypotheca sine distinctione, & limitatione, vnde & sine distinctione intelligi debet prohibita etiam hypotheca generalis per quam potest peruenire, seu ne-

cessi-

cessitari Ecclesia ad alienandum. Et hoc ex consequenti dicendum est de decreto Vrbani Octaui, & de legibus contentis in alijs Constit. Apost. in quibus cum clausulis vniuersalibus prohibetur omnis alienatio, & hypotheca, & immò etiam alienatio in eo casu in quo censeatur necessaria. Nam & tunc Sedes Apostolica vult cognoscere de hac necessitate, & videre an sit talis, ac tanta, vt salua iustitia non possit negari facultas alienandi.

278 Hinc colligitur, quid dicendum sit de illa propositione, quia scilicet quotiescumque lex permittit alienationem, simul permittit hypothecam prout consueuit fieri in confirmationem contractuum; Nam concesso principali censetur concessum accessorium, quia accessoriū sequitur principale, *reg.42.in 6. Bordon.resol.27. num.13.* quem sequitur *Donatus d.q.67.* Et quia leges prohibentes hypothecam, loquuntur de ea, quæ non supponit aliquem contractum iustum, non verò de ea, quæ imponitur in confirmationem iusti contractus. Dicitur enim hanc regulam deficere à veritate sic vniuersaliter intellectā. Nam licet vbi hypotheca naturaliter & per se sit cōnexa cōtractui, vera sit illa regula, non tamen illa admittitur pro quanto hypotheca non sit per se necessaria, & possit sine hypotheca celebrari contractus; quia hypotheca est de se prohibita, & inducit ad alienationem longè diuersam ab ea, quæ dicitur esse permissa, vnde ex concessione eiusdem alienationis, non sequitur quòd sit concessa alia longè diuersa, & quæ non est accessorium per se cōnnexum principali concesso Nec obstat, quòd hypotheca solita sit apponi in confirmationem contractuum, quoniam hoc est verum respectu eorum, quibus hypotheca non est prohibita. Sed ij quibus hypotheca est prohibita non possunt per eam confirmare contractus aliàs licitos, qui sine hypotheca validè celebrari possunt.

M V T V V M.

279 VIgesimò sextò hinc sequitur; quòd accipere mutuum licet non sit prohibitū si accipiatur sine hypotheca vel pignore, vel etiam cum hypotheca obligando solos fructus, & bona mobilia non pretiosa, quæ alienari possunt, *Panor. cap.penult.nu.5. de fideiussoribus, Molina d. disp.300. num.2.* est tamen prohibitum si accipiatur cum hypotheca nedum speciali, sed generali, quia hypotheca generalis etiam prohibita est per legem, & ex natura ipsa rei est prohibita ex quo est prohibita alienatio, cum hypotheca possit necessitare ad alienationem, vnde ei qui non nisi nulliter potest alienare non competit valida hypotheca, vt necessitans aliquando ad validè alienandum. *Boss. d. tit. 18.num.11.* Quòd adeò verùm est, vt licet Pontifex concedat alicui licentiam accipiendi mutuum, non inde censentur dare facultatem hypothecandi bona. Quia ad hoc specialis licentia est necessaria.

280 Mutuum etiam accipere cum cambio, aut solutione lucri cessantis, aut damni emergentis est prohibitum, ex Decreto Vrbani VIII. & speciali declaratione S.Congreg. prout habetur in libello dicto, Decreta recentiora pag.158. tradunt *Barbosa in sum. ver. alien. num.9. Lucerna Regular. v. alien. num.1. Lezana tom.3. v. alien. nu.5. Donatus p.2. prax. tr.14.q.68.* Quoniam verò dare mutuum est alienare, ideò bona, quæ Ecclesia alienare non potest, licet possit commodare ad breue tempus, non tamen potest dare mutuum: sed est etiam considerandum aliquos existimare, sub hoc decreto comprehendi etiam Regulares particulares, vt v. g. nō non possit Regularis accipere mutuum pro impressione libri soluendo interesse lucri cessantis, aut damni emergentis ex pecunijs ex venditione libri recipiendis. Verùm cum decretum hoc sit datum ad explicationem decreti principalis prohibentis Regularibus intra Europā alienare res Conuentuū, & in eo decreto Sac. Congregatio expressè loquatur tantùm de Capitulis, & Superioribus, videtur dicendum, quòd Regulares particulares sub eo decreto non comprehendantur. Dubium autem cū etiam esse possit, an superiores possint ex gratitudine soluere interesse lucri cessantis, aut damni emergentis, videtur negatiuè respondendum, quia Sac.Congregat. voluit impedire periculum depauperationis Conuentuum, quod oritur ex solutione interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, cum aliàs ad hoc nihil intersit, an interesse soluatur ex iustitia, an ex gratitudine. Nihilominùs ex ipso Decreto colligitur, quod loquitur de solutione interesse ex contractu, ibi. *Cumque ex huiusmodi contractu &c.* Et cum nec sit tam facilè vt mercatores fisi super sola gratitudine sine pacto dent pecunias, & minus facilè sit, quod superiores vbi non sunt obligati, velint soluere interesse pro mutuo, non adest in hoc casu illud periculum, quod Sac. Congregatio intendit vitare, & ideò ipsa expressè loquuta est de solutione interesse ex contractu. Sed & hoc quoque considerandum, quod si flat legatū alicui Sacristiæ, si sacristia habeat proprios redditus distinctos à redditibus Monasterij taliter, vt moraliter censenda sit alia persona, & extranea, non potest Prælatus vti pecunia legata soluendo interesse lucri cessantis, & damni emergentis. Sed casus non est de facili dabilis; Nam & licet sacristia habeant proprios redditus, illi tamen sunt redditus Monasterij, & sub cura eiusdem Prælati, nec per hoc Sacristia desinit esse monasterij.

281 Est autem Ecclesiæ priuilegium in causa mutui, vt Ecclesia ad mutuum soluendum obligari non possit, nisi creditor probet pecuniam mutuatam conuersam fuisse in Ecclesiæ vtilitatem. *Authent. hoc ius porrectum, C. de Sacrosanct. Eccles. & cap. penult. de fideiuss.* ibi *Innoc. & Panorm. num.4. Couar. lib.2. var. cap.17. num.3. Redoan. de alien. q.4. num.1. pag.315. Grat. discept. 196. num.8. & alij DD. communiter.* Quoniam enim nimis facilè est, & vt Rectores Ecclesiarum petant, & fœneratores dent mutuum Ecclesiæ, & quòd causa mutui bona Ecclesiæ inutiliter dissipentur, voluerunt legislatores, quòd Ecclesia ex mutuo non teneatur, nisi creditor probet pecuniam mutuatam fuisse versam in vtilitatem Ecclesiæ *Innoc. & Panorm. in cap. 1. de deposito num.9.* Vnde est, quòd vbi pecunia mutuata nō sit consumpta ad sui vtilitatē, verè nec in conscientia tenetur soluere mutuum, nec in foro externo potest ad hoc cogi, nisi præfata versio fuerit probata sufficienter. Et qui Ecclesiæ dant mutuum prudenter agere debent, & suæ negligentiæ culpā tribuere, si se exponant periculo perdendi mutuū,

vel saltem illud non recuperandi ab Ecclesia.

282 Quoniam nihilominùs plures limitationes patitur hæc assertio, plures distinguendi sunt casus. Et quidem primò videndum est, an pro satisfactione mutui alienanda sint bona immobilia Ecclesiæ, vel mobilia pretiosa, vel satisfieri possit alienando fructus. Nam in hoc secundo casu, si hæc alia conditio concurrat, quòd pecunia sit accepta à Prælato, vel Rectore de consensu Capituli, creditor non tenetur probare quòd pecunia nomine Ecclesiæ mutuò accepta sit conuersa in Ecclesiæ vtilitatem. *Innoc. & Panorm. in d. cap. penult. num. 5. de fideiuss.* Redoan. *d. q. 4. à num. 11. & 12. pag. 317. Barbos. ad d. cap. penult. num. 9. Boss. tit. 18. nu. 13.* & apud eum *Rebuff. Mascar. & Menoch.* Hoc enim per argumentum à contrario sensu deducitur ex *cap. illo penul. de fideiuss.* ex quo habetur, quòd si Religiosus de consensu Prælati, & Capituli recipit mutuum, creditor non tenetur probare conuersionem pecuniæ in vtilitatem Ecclesiæ. In hoc verò eadem est ratio de alijs Ecclesijs, & earum Rectoribus, quia cum Rectores cum Capitulo habeãt liberam fructuum administrationem, immò vt plurimum fructus faciant suos, dum mutuum accipiũt de consensu Ecclesiæ, seu Capituli possunt & debent de fructibus satisfacere, etiam si creditor non probet mutuatam pecuniam fuisse consumptam in Ecclesiæ vtilitatem. Hoc enim satis in hoc casu præsumitur, ex quo mutuum receptum fuit de consensu Ecclesiæ, seu Capituli. Quòd confirmatur, quia si delictum Prælati consentiente Capitulo nocet Ecclesiæ, *l. iubemus nullam, C. de sacrosanct. Eccles. cap. 2. de ord. cognit. & cap delictum de reg. iuris in sexto,* ita detrimentum Ecclesiæ ferri potest, vbi mutuum à Prælato recipitur consentiente Capitulo. Quod argumentum in præsenti valet, *Panorm. loco cit.*

283 Sed si ex vi mutui & pro illius solutione deueniendum sit ad alienationem rei immobilis, aut mobilis pretiosi, & mutuum fuit acceptum à Prælato de consensu Capituli, adhuc nõ est necesse, quòd creditor probet pecuniam fuisse consumptam in vtilitatem Ecclesiæ in casu sequẽti, scilicet si mutuũ fuit receptum seruatis solemnitatibus iuris. In hoc enim casu iustè præsumitur mutuum fuisse in Ecclesiæ vtilitatem conuersum. *Couar. l. 2. var. cap. 17. nu. 3.*

284 Sed si mutuum fuit sine aliqua ex solemnitatibus receptum, quidquid in contrarium dixerint *Bartol. in l. Ciuitas, ff. si certum petat. Io: Andr. in cap. penult. de fideiuss. & Butr. & Imola in cap. 1. de deposito,* quos refert, & sequitur *Bellet disq. Cler. tit. de Clerico debit. §. 3. num. 44. Couar. l. 2. var. capit. 17. num. 3.* qui tamen dicit tutius esse mutuum recipere seruatis solemnitatibus, dicendum est Ecclesiam non teneri ad soluendum mutuum, & ad alienandum bona sua immobilia, vel mobilia pretiosa, nisi creditor probet pecuniam fuisse versam in Ecclesiæ vtilitatem. Ita *Innoc. in cap. 1. de deposit. vbi Panorm. num. 9. & idem Panorm. in d. cap. penult. de fideiuss. num. 4. & 5. Redoan. d. q. 4. à num. 3. pag. 315. Barbosa ad d. cap. penult. de fideiuss. num. 9. & 17.* & plures alij apud illos. Nam huius ratio euidens est, quòd Ecclesia non potest validè se obligare ad alienationem bonorum immobilium sine solemnitatibus iuris. Quidquid enim sit an prohibitus alienare, si se obliget ad alienandum incidat in pœnas latas contra alienantes, non incidere enim dicendum est, vt supra pluries est dictum, obligatio tamen est nulla, quia non potest valere obligatio ad faciendum id, quod est prohibitum fieri, & sicut Prælatus & Conuentus validè alienare non possunt directè, sic nec indirectè idem facere possunt. Quod confirmatur, quia vt supra est probatum, non potest Ecclesia hypothecare, seu obligare bona immobilia, vel mobilia pretiosa sine solemnitatibus; ex eo igitur quòd mutuum recipit, eius bona immobilia, vel mobilia non manent hypothecata, seu obligata, & nec tenetur Ecclesia ad restituendum mutuum ex valido contractu, cum validè non potuerit se obligare ad alienandũ; sed tenetur actione de in rem verso, ideò creditor tenetur probare, quòd pecunia numerata fuerit versa in Ecclesiæ vtilitatem, & quòd ex ea fuerit meliorata. Nec obstat simile *Bart. in d. l. Ciuitas,* quia scilicet si mutuum sit receptum à Rectore & Concilio Ciuitatis, creditor non tenetur probare, quòd mutuum sit consumptum in vtilitatem Ecclesiæ, quia non est simile, vt bene aduertit *Panorm.* Quia Ciuitas potest alienare, sed Ecclesia sine solemnitatibus alienare nõ potest, nec hypothecare, aut obligare bona sua in contractu mutui; ideò nec tenetur ad mutuũ sine solemnitate receptum ex vi validi contractus, sed solùm ex actione in rem verso, vnde creditoris est probare conuersionem pecuniæ in vtilitatem Ecclesiæ.

285 Hoc verò ampliatur vt sit verum nedum in mutuo feneratitio, sed etiam in liberali, quidquid in contrarium dixerit *Boss. tit. 18. num. 17. ex Maschardo concl. 1165. num. 8. & 1167. num. 11.* Ex eo, quia in mutuo liberali non possit præsumi fraus. Quia obligatio ista creditoris ad probandum conuersionem pecuniæ mutuatæ in vtilitatem Ecclesiæ non est præcisè ex præsumptione fraudis alicuius, sed ex eo, quòd Ecclesia sine solemnitatibus non potest validè se obligare ad alienationem immobilium, & mobilium pretiosorum; & hæc ratio militat etiam in mutuo liberali. Et quòd dicitur, quia stante hac obligatione non inuenientur, qui velint mutuare pecuniam Ecclesiæ in suis necessitatibus; respondetur, quòd leges seruandæ sunt, & quòd qui mutuare volunt, debent priùs cogitare, quòd Ecclesia sine solemnitatibus non potest obligare bona sua, & ideo, vt admonuit *Couar.* citatus procurent non dare mutuum nisi solemnitatibus adhibitis.

286 Quando tamen pecunia sit ad determinatam causam recepta, quòd in dubio, & vbi non constet pecuniam non fuisse in eam causam expensam; non teneri creditorem probare eam in eam causam, vel Ecclesiæ vtilitatem fuisse conuersam. ex *Menoch. de arbitr. casu 432. num. 14. & Mascard. de probat. concl. 1165. num. 23. & 24.* tenet *Boss. tit. 18. num. 18.* Verùmtamen, quia Ecclesia sine solemnitatibus non potest obligare bona immobilia, & mobilia pretiosa, nunquam ad soluendum mutuum ex immobilibus aut mobilibus pretiosis tenebitur ex vi validi contractus, sed solum ex actione in rem verso; vnde si sit de hoc dubium, etiam si mutuum pro determinata necessitate fuerit acceptum, debebit iudex bene ponderare factum, & rationes dubij, nec erit obliganda Ecclesia ad immo-

mobilium aut mobilium pretioforum alienationem fine folemnitatibus, & beneplacito Apoftolico, vbi non conftet priùs & mutuum fuiffe verfum in vtilitatem Ecclefiæ, & non poffe folui mutuum ex alijs mobilibus. Vnde in hoc cafu puto effe necessarium beneplacitum Apoftolicum. Aliàs enim *Panorm.in cap.penul.de fideiuf.& in cap.1.de depofito, vbi & Innoc.& alij DD. communiter* dicunt, quòd vbi deueniendum eft ad alienationem prohibitorum alienari, Ecclefia nec per indirectum ratione mutui poteft ad alienationem obligari, & ideo, quòd in cafu occurente creditor debet probare verfionem mutui in vtilitatem Ecclefiæ, hæc verò non eft probata fi de ea eft dubium.

287 Sed fi mutuum non eft receptum à Prælato de confenfu Capituli, fed vel à Prælato folo, vel ab aliquo alio priuato Clerico, vel Religiofo, additur quòd fi mutuum receptum eft à Prælato, & perfolui poteft de fructibus feu bonis mobilibus alienabilibus, viuēte Prælato non eft opus, vt creditor probet pecuniam in vtilitatem Ecclefiæ fuiffe confumptam; fed eo Prælato mortuo, neceffe erit, vt vel id probet, vel probet faltem neceffitatem Ecclefiæ tunc cum Prælatus mutuum accepit. Ita *Panormit. in d. cap. penult. numer.7. post Hoftien.& Gullielmum de Cuneo, & alij communiter.* Nam aliàs onus verè graue effet, fi dum v. g. Ecclefia indiget pecunia vt Prælatus eat Romam, qui dedit pecuniam teneretur mittere aliquem ad explorandum an Prælatus expenderet pecuniam in vtilitatem Ecclefiæ. Quámuis *Mafcardus d.concl.1165.nu.35. quem fequitur Boff. d.tit.18. num.20.* putet hoc effe pofitum in arbitrio iudicis; quod credo effe verum, vbi etiam conftito de neceffitate Ecclefiæ adfint in contrarium coniecturæ, vel præfumptiones ex quibus colligi poffit Prælatum in propriam vtilitatem confumpfiffe pecuniam, & tunc qui pecuniam dedit, fibi imputet, fi fuit negligens in petendo confenfu Capituli. Vbi verò pro mutui folutione effent alienanda bona immobilia, vel mobilia pretiofa, probandum effet, quòd pecunia in vtilitatem Ecclefiæ fuiffet conuerfa, & in hoc fenfu intelligitur *d. auth. hoc ius porrectum C. de Sacrof. Ecclef.* Addit etiam *Panorm.* in hoc non effe eandem rationem de Ciuitate, & de Ecclefia. Quia enim Rectores feu Adminiftratores Ciuitatis non habent tam plenam adminiftrationem bonorum Ecclefiæ ficut Prælatus Ecclefiæ, ideo etiam viuente Rectore, qui mutuum fufcepit, creditor tenetur probare pecuniam verfam fuiffe in Ciuitatis vtilitatem.

288 Sed fi recipiens mutuum eft perfona particularis, habens tamen ad id facultatem à Prælato & Ecclefia, fi eft illi determinata fumma, & non excedit, mutuum cenfetur factum, & receptum ab Ecclefia; & ideo non eft alia probatio neceffaria, vt habetur ex *d.cap.penult. de fideiuffor. & tenent Panorm.ibi num.7. Barb num.12.& apud eum Menoch.de arb. cafu 432. num.25. & 26. Mafcard.de probat.concluf.1165.num.29. Boff.d.tit.18. num.21. & apud eum Rebell.& Molina.* Qui bene hoc explicant, vt fit verum vbi mutuum folui poteft ex mobilibus nō pretiofis, quidquid in contrarium ibi approbet *Boff.* Nam Ecclefia non poteft validè contrahere obligando bona non mobilia fine folemnitatibus iuris, & ideo non tenetur foluere mutuum ex immobilibus vel mobilibus pretiofis, nifi pro quanto facta fit locupletior, quod probare debet, qui mutui folutionem petit.

289 Sed fi habens ab Ecclefia facultatem recipiendi mutuum in certa quantitate excessit illam, tunc creditor tenetur probare ad minus, quòd exceffus fuerit ad Ecclefiæ vtilitatem, vt tradunt *Panor.d.num.7. Barb.num.8. Boff. num.23. & alij DD. citati*

290 Sed fi habens facultatem ab Ecclefia recipiendi mutuum, habet illam ad certam caufam, fi pro illa caufa recipit, & hoc ipfe exprimit tunc mutuantem creditorem non teneri probare pecuniam fuiffe verfam in Ecclefiæ vtilitatem, ex *Bartol.in d l.Ciuitas num.7. & Gennen.quæft.139. num.2. Salicetto, Alciato, & Hordedeo tradit Boff. num.22.* Et quamuis oppofitum voluerint *Imola in capit.1. num.17.de depofito, Alex.conf.4.num.8.l.3.Dec.in d. l.Ciuitas in fine, quos refert Rota dec.338. numer.8.* Tamen æquior eft prior fententia, quia mutuum verè fuit factum in vtilitatem Ecclefiæ, quando fuit factum ex caufa approbata ab Ecclefia tanquam vtili, & quia tunc Ecclefia neceffitatem habebat, & onus nimis graue effet, quòd creditor, qui pro neceffitate Ecclefiæ expreffa dedit fuum, teneretur in fimili cafu probare verfionem. Et ita pro hac fentētia ftant *Mafcard.de probat.concl.1166. num.8.* tradens, quòd quando qui ab eo, qui eft ætatis 25. annorum habet mandatum recipiendi mutuum ad certam caufam, fufficit, quòd recipiat pecuniam pro illa caufa, licet in illam eam non expendat *l.1 §.non autem. ff.de exercit. all.Surd. decif.156.num.1.* quos refert & fequitur *Boff. d.tit.18. num.22.*

291 At verò fi, qui recipit mutuum non habet à Prælato, & Ecclefia fufficientem facultatem ad illud recipiendum, creditor omnino tenetur probare pecuniam confumptam fuiffe in vtilitatem Ecclefiæ, & fibi imputet, qui mutuum conceffit non habenti facultatem, *Boff.num.23.poft Mafcard. de prob.conc.1195.num.15.& Menoch.de arb.caf.432. num.32.* Quod ampliatur, vt licet aliquis Clericus, vel Religiofus habeat adminiftrationem alicuius villæ aut alterius boni Ecclefiæ, quia non per hoc cenfetur habere facultatem recipiendi mutuum, ideo fi mutuum recipiat Ecclefia non teneatur ad folutionem, nifi creditor probet verfionem. *Menoch.vbi fup.num. 27.& 28. Mafcard. num.9. & 11.* quos refert & fequitur *Boff. num.24.*

292 Præterea vero confideranda funt tria, primum fcilicet, pro cafibus in quibus per creditorem non eft probanda verfio, quòd fi Ecclefia fentiat fe læfam, poteft petere reftitutionem in integrum, quæ nequit ei negari nifi creditor probet Ecclefiæ vtilitatem adfuiffe, ad inftar mutui facti minori cum auctoritate tutoris, qui fi fit læfus poteft petere reftitutionem, quæ ei debetur, nifi probetur verfio in eius emolumentum. *l 1. & 2. C. fi aduerf.creditorem.* Sicut enim minor, femper Ecclefia illæfa manere debet *cap.1.de in integ. reft. Cauar. l.2.var.c.17.num.3.ex Cyno in d. auth. hoc ius porrectum, Alex.in d.l. Ciuitas, Imola in cap.1.num.17. de depofito, & Barbat.ibid. Barbofa ad d. cap. penult. de fideiuf.num.14.Boff.d.tit.18. num.26.* An verò in hoc cafu Ecclefiæ incumbat onus probandi læfionem, vt fibi detur reftitutio in integrum, *Gennen. quæft.139.apud Boffium vbi fupra* dixit, quòd in hoc

gasu suffi:it allegare læsionem, sed eam esse proqandam voluit *Butrius ad cap.1. num.4. de in integ. rest.* & quidem hanc debere esse grauem, Sed prior opioio verior est, quia Ecclesiæ sufficir, quòd non constet de versione, & ideo ex hoc solo, quòd oon probatur versio, Ecclesia ius habet restitutionis io integrum. *Conar.l. 2.var.c.17. num.3. Barb. ad cap. penult.de fideiuss.num.14.* Sed tunc ad Ecclesiam spectabit onus probandi non versionem.

293 Secundò videndum est, quid sit pecuniam esse versam in vtilitatem Ecclesiæ. Primò autem hoc dicitur versum in vtilitatem Ecclesiæ, quòd insumptum est in eo, quòd Ecclesia facere tenebatur, vel in quo Ecclesia tantumdem de suo erat iosumptura, seu verisimiliter insumpsisset de proprio. *Panor. in d.cap.penul.n.9.de fideiuss.Redoan.d. quæst.4, §.item aduerte num.18.pag.327.Menoch.de arbit. casu 432.fin.Mascard. de probat.concl.1166.nu.33. Molina tract.2.disp.300.num.3. & 4. Rebell. de obligat. iust.p.2.l.8 quæst.1.sect.3.num.23.Boss.tit.18.num.29.* Sed si, quòd mutuo fuit acceptum consumptum fuit in eo, in quo Ecclesia nihil fuisset insumptura, si nihilominùs id sit factum rationabiliter, & prudenter, quia ita fieri expediebat, atque adeo vtiliter cœptum est, etiam si ex aliqua inopinata circumstantia aut euentu non cesserit in Ecclesiæ vtilitatem, adhuc Ecclesiam teneri totum soluere, præsertim, si is, qui accepit, & insumpsit, facultatem mutuo accipiendi habebat, sed non taxatam post *Molinam, & Rebellum locis citatis tenet Boss. num.30.ex l.quod si vltro § is autem.ff.de negot.gest.& Glass.in l.si pupilli, eod.tit.& Alciato in l. Ciuitas. ff. si certum petatur, & Menoch.d.c.432.num.41.* Nam & in eo casu Rectori Ecclesiæ competit actio negotiorum gestorum aduersùs Ecclesiam, vt sibi mutuum soluat, quòd ipse oomine Ecclesiæ prudenter accepit. Verùm hoc puto declarandum, vt non habeat locum, vbi qui recepit mutuum & expendit, non habebat Ecclesiæ administrationem, & ad eum non spectabat expēdere pro Ecclesia & curam eius gerere, quia talis nec prudeoter recipit mutuum, cum ad id ooo habeat ab Ecclesia facultatem, nec prudenter expendit, quia ad eum id noo spectat. Sed & qui habet facultatem recipiēdi mutuum solùm ad certam causam, vel io quantitate taxata, si finea mandati excedit, non est prudens, nec potest ex hoc obligare Ecclesiam. Sed in his casibus, & in omni eo in quo Prælatus, seu Rector Ecclesiæ accepto mutuo Ecclesiæ nomine illud consūpsit imprudenter, & irrationabiliter, vt si curasset ædificari nobile ædificium in loco non expedienti, vel effodi insignem piscinam oon necessariam, ita vt damnosum esset & graue Ecclesiæ mutuum in eo opere insumptum fuisse. Tunc Ecclesia non tenetur soluere nisi pro quanto sit meliorata, & facta locupletior, & ita quòd non tenetur soluere quantum fuit expensum, sed quantum sibi est vtile; & ita vt tamen econtra si plùs fuit meliorata, quàm fuerit expensum, Ecclesia non teneatur soluere nisi quantum fuit expensum. *Panorm. Redoan. Molina, Rebell.& Boss.locis citatis.*

294 Secundò id dicitur versum in vtilitatem Ecclesiæ, quòd est versum in rem vtilem Ecclesiæ & perpetuò duraturam, vt in emptionem agrorum, aut domorum, aut domorum refectionem. *Panorm.d.cap.penul.num.8.Redoan. loco citato. Menoch. d.casu 432. num.40. & 41. Mascard. d.concl.1166.numer.29.Grat.discept.45.num.6.Boss.d.tit.18. num.35. per textum in l.1.& 2.ff. de impens.in reb. dotis fact.* Verùm hoc iuxta explicata num. super. intelligendum est, Nam ex sola perpetuitate rei acquisitæ per pecuniam mutuatam, non habetur Ecclesiæ vtilitas, vt ex dato exemplo ædificij, aut piscinæ ioutilis Ecclesiæ apparet, sed necesse est considerare an res empta expediat Ecclesiæ, vel non expediat, & sit vel noo sit vtilis, & si Ecclesia erat in illud impensura, vel non, vel saltem si administrans rem Ecclesiæ prudenter mutuum io illud conuertit. Quàmuis ex quo res acquisita sit perpetua facilius sit, quòd etiam sit Ecclesiæ vtilis. Stante verò, quòd Ecclesiæ expediret rem talem ex mutuo acquirere, sufficit, quòd tempore mutui adesset hæc rationabilis vtilitas, etiam si postea casu pecunia accepta perierit, vel bene cœptum non potuerit ex aliquo inopinato casu perfici, sufficit enim quòd Ecclesiæ vtilitas adsit tempore contractus, *l.si voluntate.Cod. de rescind. vend. Rota d.18.p.2. diuers.& dec.366.num.1.coram Seraph.Ricc.p.1. praxis ref. 1.* Vnde est, quòd vbi acceptio mutui facta ab habente ad id facultatem fuit prudens, & ex causa vtilitatis Ecclesiæ, id sufficit ad hoc vt Ecclesia teneatur soluere mutuum, licet vel pecunia casu perierit, *Mascard. num.37. & ex Alciato ad d. l.Ciuitas, Boss.d. num.34.* vel ædificium cœptum non potuerit perfici, vel res empta de natura sua duratura non durauit, sed perijt. *Menoch. d. num.41. Mascard.num.39.Grat.d.num.6. Boss.d.num.35.*

295 Econtra neque ex temporalitate rei in quam versa est pecunia colligitur, quòd non adsit vtilitas Ecclesiæ, sed attendi debet an res temporalis fuerit tunc Ecclesiæ necessaria, aut vtilis. Sic enim temporale est, quòd consumitur in cultura agrorum, in sustentatiooe ministrorum Ecclesiæ, in eorumque vestitu, aut infirmitate. Ideo, quòd in istis fuit consumptum, dicitur versum fuisse in vtilitatem Ecclesiæ, quia opus erat vt Ecclesia has omnes aut similes expensas de suo faceret, & quòd fecerit ex mutuo redundauit in eius vtilitatem talem, ex qua ipsa facta est ditior. *Panorm. Redoan.locis citatis. Musc.d.cons.1166.num.32.Boss.numer.36.* Et sic creditori satis erit probare, quod mutuum fuit acceptum pro victu, vel vestitu, vel infirmitate eorum, qui sunt de Ecclesia *Panorm. in c.1. num.2.de solut.& ibi Hostien. Masc. d.cons.1166. numer.30.& 31.& ex Cald.cons.14.tit. de solut. Boss. d. num.36.* Vnde versum in vtilitatem dicitur, quòd fuit impensum pro necessitate Prælati, seu Episcopi, ita quòd successor tenetur ad mutuum acceptum pro sui necessitate ab antecessore, nam tale mutuum dicitur acceptum pro vtilitate Ecclesiæ, nam Prælatus est in Ecclesia, & Ecclesia in Prælato. *Capite scire debes.7.quæst.1.& cap. requisiuisti de testam. Panor.in cap.1.num.2.de solut. Cald.cons.1.eod. tit. Felin.in cum dilecta num.85.de rescript. Mascard. d.concl.1166.num.28. Boss.d. num.36.*

296 Tertium coosiderandum est, qualiter & ex quibus probari possit mutuum fuisse versum in vtilitatem Ecclesiæ. Hic verò distingui debet duplex assertio, Nam aliud est probare negatiuam, quòd scilicet mutuum non fuerit versum io vtilitatem Ecclesiæ, & ad hoc probandum sufficere coniecturas dixit *Rota dec.244.num.3.par.2. diuers.*

ex

ex l.quia autem §.non simpliciter. Si quis emisse causa testamenti. Oldrad.consil.324.col.3.Aym.consil.143. num.12.Cassad.dec.7.num.7.de dol.& cont.& decis.1. num.2.de vsur. vbi dicit, quòd sufficit vnica coniectura præsertim vrgens, & vehemens. In alio verò sensu, scilicet, quòd fuerit facta versio in vtilitatem, quòd non sufficiant coniecturæ ad id probandum voluit Redoan.d.quæst.4.§. item aduerte numer.13.pag.326.ex Cold.consil.7.Socin.consil.15.Rebuff. de alien. num.41. Verùm alia ex parte sufficere ad hoc probandum coniecturas dixit Bossi.tit.18.n.28. & tract.17.num.15.& sensit Barbos.ad cap.penult. de fideius.num.18. pluribus citatis ex quibus aliqui vt Rota supra relata in sensu contrario loquuntur asserentes, quòd non versio est illa, quæ probatur coniecturis. Riccius autem p.p. praxis habet, quòd ad probandam versionem coniecturæ sufficiunt concurrente simul confessione Prælati.

297 Itaque ad hanc versionem probandam sola confessio Prælati non sufficit. Rota in causa Rom. deuolutionis domus de Piccionibus 12. Februar.1582. coram Rubeo, quam refert, & sequitur Ricc. d. resol.3.num.3 Nam cum Prælatus vel alius, qui mutuum nomine Ecclesiæ accepit potuerit illud vertisse, vel in proprium commodum, vel in rem Ecclesiæ minùs vtilem ex suo arbitrio, & imprudentia, non est testis omni exceptione dignior, cui sit omnino credendum. Sed neque coniecturæ solæ, nisi sint valde vrgentes, si desit confessio Prælati, sufficiunt ad hanc versionem in vtilitatem Ecclesiæ probandam. Cum enim agatur de obliganda Ecclesia ad solutionem mutui contra priuilegium, quod habet, non sufficit arguere ex coniecturis, & maximè vbi nec constet in re de Ecclesiæ vtilitate, & Prælati, qui mutuum accepit desit confessio & attestatio de versione in vtilitatem Ecclesiæ. Vnde in hoc sensu vera est Redoan. sententia: Quod eo ampliùs est verum, quia ipsa non versio est, quæ probatur coniecturis, vt dixit Rota citata, & ita vt sufficiat vna vrgens coniectura; igitur ad probandum contrariam versionem coniecturę non sufficient, si habeatur coniectura aliqua de non versione. Et licet in rebus, quæ sunt difficilis probationis admitti debeat probatio coniecturalis, vt ex Mascard.de probat.concl.1166.dixit Bossi.tract.17.numer.15. Tamen versio mutui in vtilitatem Ecclesiæ nec semper est difficilis probationis, cum ad sensum & per instrumenta inspici possit an pecunia sit versa in id, pro quo fuit sumpta, & quatenus difficilis esset admittitur probatio coniecturalis concurrente confessione administratoris Ecclesiæ, quæ si desit vix possunt induci coniecturæ adeo vrgentes, vt conuincant Ecclesiam & coniecturas, quæ ex parte illius adduci possunt ad probandam non versionem. Et tandem dicitur, quòd res hæc est arbitraria, & quòd nec Ecclesia debet in simili casu vti nimia subtilitate in reijciendis coniecturis creditorum, ne in tempore necessitatis non inueniat, qui illi succurrant, nec ex opposito probari debent coniecturæ friuolæ, & non probabiles.

298 Censentur verò esse coniecturæ probabiles, si tempore mutui vetè Ecclesia erat in necessitate pecuniæ ob aliquam causam; & vrgetur coniectura, si constante indigentia pecuniæ alicuius causa necessitatis inuenitur paulò post mutuum consultum fuisse illi necessitati, vt si domus fuit reparata, vel Religiosi vestiti, aut nutriti, vel si post mutuum inuenitur Ecclesiam emisse fundum, aut aliquod aliud, & soluisse vel partem vel totum pretium. Item coniectura est si pecunia mutuata sit parua. Item coniectura satis probabilis sumitur à prudentia, & bonitate ac fidelitate eius, qui mutuum accepit, & Ecclesiam administrat. Item ab antiquitate temporis non parui accipitur coniectura. Item si negotium fuit tractatum coram Generali Ordinis Religiosi. Hæ & aliæ similes coniecturæ ex facto colligi possunt, de quibus abundè tractant, Menoch. de arb.cas.432.a.num.32.Mascard. de probat.concl.1166.per totam. Gennen.in quæst.practicab. quæst.239. & in praxi cap.39. Ricc. in praxi resol.3.Bossi.tit.18.a.num.28. & alij, quos isti referunt.

299 Tandem aduertendum est, quòd priuilegium hoc Ecclesiæ, vt non teneatur soluere nisi probetur pecuniam versam fuisse in eius vtilitatem se extendit regulariter solùm ad contractum mutui, & depositi, & alienationis ex causa soluendi propria debita, Redoan.d.quæst.4.§.item aduerte num.9. Grat.discep.196 num.8. Bald.in Auth. hoc ius num.7. de Sacros.Eccl.Cast.in l. Ciuites, num.11.§i cert. petat.& in d.Auth.hoc ius num.5.for. consil.15. num.22. l.1. Rodulph. in cap. sine excep. quæst.56. 12.quæst 2. Mol.in Clem.1.num.9.de rebus Eccles. alien. Rota dec.cis.338.num 7. coram Seraph. Et nihilominus hoc ampliatur vt sit verum quotiescumque alienatio fit pro necessitate & causa determinata, & expressa. Rota ibid.num.8.

FIDEIVSSIO.

300 Vigesimo nonò: Nec possunt Ecclesiastici fideiubere pro aliquo obligando bona Ecclesiæ immobilia, vel mobilia pretiosa, etiam per hypothecam generalem, quia hoc modo traditur alteri aliquod ius super Ecclesiæ bonis, quod vt ex supradictis constat est prohibitum. Sic Clemens Oct. in const. sua 78. §. 10. expressè subditis status Ecclesiastici prohibuit fideiussiones, cautiones, & obligationes facere, dare, & præstare pro Communitatibus non Ecclesiasticis existentibus extra statum Ecclesiasticum. Quia verè & huiusmodi fideiussiones, aut cautiones, & obligationes habentes vim præbendi ius super bonis Ecclesiæ prohibitæ sunt fieri sine solemnitate, & sunt alienationis communissimè sumptæ species.

PROTECTIO.

301 Trigesimò: Bona Ecclesiæ alienari prohibita non licet submittere protectioni, defensioni, commendationi, seu commendigiæ saluæ guardiæ, submissioni, aut confederationi alicuius, si per hæc super eadem re datur ei aliquod ius vnde aliqua ratione res eadem dici possit alienari. Et quidem Clemens VIII. in sua Constit.78.§.9. expressè talia facere prohibuit subditis status Ecclesiastici ad fauorem cuiuscumque Communitatis extra statum Ecclesiasticum existentis, seu cuiuscumque Principis extranei. Et non est dubium, quòd quatenus per prædicta datur aliquod ius super re commendata, quod illa sunt species alienationis prohibitæ fieri sine solemnitate.

Impo-

IMPOSITIO.

302 TRigesimo primo: Impositio census etiã est species alienationis, quoniam per hunc contractum venditur libertas bonorum Ecclesiæ. Et quàmuis hic contractus non sit proprijs verbis expressus nisi in decreto Vrbani VIII. pro Regularibus, non verò in *cap. nulli*, aut in Paulina, tamen & satis expressus est in illis locis per expressionem hypothecæ, cum res subdita censui maneat hypothecata ementi censum. Et negari non potest, quin census impositio sit alienatio. *l. final. C. de reb. Eccl. non alienand. Lezana v. alienatio. num. 5. & p. s. cap. 19. cap. 55.* Vnde Sacr. Congreg. declarasse, non licere Regularibus etiam pro solutione æris alieni vendere census, dixerunt *Gauan. & Nouar. in Lucerna Regul. v. alienatio num. 3. Lezana d. num. 5.* Qui tamen addit, posse emi vineam vel fundum mille scutis impositis ad censum super ipsam vineam, dummodo in contractu non obligentur per hypothecam specialem (dicas etiam generalem) alia bona Ecclesiæ, quia hoc non est imponere censum super re incorporata Ecclesię, sed est acquirere vineã subiectam oneri soluẽdi pensionẽ censualem.

303 Impositio etiam seruitutis super re Ecclesiæ alienatio est prohibita, quia per eam aliquod ius transfertur super eadem re. *Quaranta v. alien. num. 51. Rebuff.* quem sequitur *Barbosa ad d. cap. nulli. num. 14. & in appell. v. alienatio num. 10. & apud eum Gomez Cephal, Peregrin.* & alij.

INCISIO ARBORVM.

304 TAndẽ 33. inter alienationes prohibitas ponitur incisio arborum fructiferarũ, & non cæduarum. Hãc enim incisionem esse speciem alienationis, prohibitam fieri sine solemnitatibus iuris, similesque arbores incidentem incurrere pœnas alienantium res Ecclesiæ sine solemnitatibus iuris dixerunt *Nauar. cons. 7. de reb. Eccl. non alien. & cum eo Rodriq. tom. 1. quæst. 27. a. 4. Quaranta v. alienatio num. 33. Ricc. p. p. praxis. ref. 50. num. 1. Tambur. de iur. Abb. tom. 3. disp. 13. quæst. 3. Barbosa ad extrau. ambitiosa nu. 30. Sopranus in appen. ad Fill. trac. 44. cap 4. num. 7. Rota dec 553. p. 2. recent. Donatus in praxi. p. 2. trac. 14. quæst. 69.* & plures alij apud istos. Ratio est, quia alienatio est abdicatio dominij rei subsistentis & immobilis, arbores verò solo adhærentes sunt res subsistentes, & immobiles, quarum dominium, per incisionem abdicatur. Tum quia Rector Ecclesiæ æquiparatur vsufructuario, qui quidem cadit ab vsufructu, si arbores incidat, & reddat per hoc fundum deteriorem. Econtra verò *Bonac. de alien. p. 2. num. 7.* putat probabile esse, quòd arborum incisio non comprehendatur sub Paulina, & alijs legibus prohibentibus alienationem rerum Ecclesiæ, quia talis incisio non sit alienatio. Et hoc idem valde probabile iudicat. *Bossius tit. 18. nu. 477.* Et sensit *Nauar. cons. 6. de reb. Eccl. non alien.* pro quanto dixit, quòd aliud est damnificare, & aliud est alienare *arg. de iniurys & damno dato*, sentiens incidentem arbores in præiudicium fundi illum damnificare, non tamen illum comprehendi sub *Clem. 1. de reb. Eccles. non alien.* Et quidem prior opinio vera esset proculdubio, si verum esset, quòd alienatio sit solùm Dominij abdicatio, sed hoc alienum est ab eo, quod tradit lex prima *C. de fundo dotali*, ibi *Est autem alienatio omnis actus, per quem dominium transfertur*. Vnde alienatio non est sola abdicatio dominij à Domino, sed est dominij translatio, & hoc significat alienare, quod est alienum facere, nimirum facere, vt quòd est vnius, fit alterius. Et propterea vniuersalissimè Iurisperiti *ad d. legem primam*, & Canonistæ nomine alienat. intelligunt actum per quem dominium transfertur; vel si latissimè nomen alienationis sumatur, importat actum per quem in alium aliquod ius trãsfertur; & propterea est essentialis differentia alienationis, vt sit actus per quem, vel dominium, vel ius aliquod in alium transfertur. Et nullus dicet, quòd is alienet rem Pauli, qui Pauli domum destruit, vel comburit, licet domus dominium a Paulo abdicet. Nec ratio allata probat. Quod enim emphyteuta incidens arbores fructiferas cadat in commissum & possit iure priuari, primò non est absolutè certum, quia licet hoc sit verum de emphyteuta Ecclesiastico ob authent. *Qui rem C. de Sacros. Eccles.* tamen absolutè de alijs emphyteusibus hoc negant *Imola, Iason, Cassaneus, Paulus de Monte Pico, Angelus, Rimnaldus, Afflictus*, & alij quos referunt *Ciarlinus tom. 1. controuer. cap. 2. numer. 27. & Bossius tit. 18. num. 461.* Immò ex hoc desumitur argumentum in contrarium; quia si incisio arborum esset alienatio, quæstio illa habuisset euidentem resolutionem, nec illi DD. sensissent emphyteutam ex arborum incisione cadere in cõmissum, nec DD. magis communiter oppositum sentientes laborare debuissent, vt intentum probarent quoniam euidens est emphyteutam cadere in commissum si alienat. Et tamen nedum DD. citati senserunt emphyteutam cædendo arbores non cadere in commissum, sed qui senserunt oppositum non moti sunt, quia incisio arborum sit alienatio, sed quia est fundi deterioratio. Et hinc secundò patet, quòd ratio allata non concludit. Verum enim est, quòd per arborum fructiferarum incisionem deterioratur fundus, & quòd meritò ob hanc causam, emphyteuta incidens huiusmodi arbores cadit in commissum, sed non per hoc sequitur, quòd arborum incisio sit alienatio, & quòd cædens arbores incidat in pœnas latas contra alienantes. Immò cum rerum Ecclesiæ alienatio etiam supposita vtilitate Ecclesiæ non possit fieri sine beneplacito Apostolico, sequeretur, quòd sine tali beneplacito non possent cædi arbores opacæ, & illæ ex quarum incisione fundus fit fructuosior, cuius oppositum communiter docent etiam præfati DD. sentientes incisionem arborum esse alienationem. Nec obstat si dicatur, quòd cædens arbores alienat vendendo cæsas arbores, tum quia potest dari incisio arborum sine alienatione earum. Tum quia, vt habet *Nauar. cons. 6. de reb. Eccl. non alien.* duo hic distincta sunt, quorum vnum est cæsio arborum, & aliud est earum venditio. Arborum verò cæsio si non sit vtilis est quidem damnificatio, sed non est alienatio. At verò cum arbores cęsę sint mobile, quòd seruando seruari non potest, possunt vendi sine solemnitate, nec illa venditio erit inutilis, si pretium conuertatur in vtilitatem Ecclesiæ. In hoc puncto quantum ad praxim puto standum esse consuetudini, & præcipue praxi Romanæ Curiæ, & Sac. Congregat. Concilij. Et quia per arborum incisionem valde deteriora-

riotatur fundus, iustum est vt Rectoribus Ecclesiarum oon petmittatur libeta facultas cædendi arbores non cæduas sine licentia Sedis Apostolicæ & solemoitatibus iuris, & quod tales atbotes cædentes aliter seuere puoiantur.

305 Sic verò enumeratis speciebus alienationis siue propriè siue latè dicantur alienationes, dubium est an si quis iuret non alienare res Ecclesiæ, hoc iuramentum iotelligi debeat solùm de alienatione proptiè dicta, vt voluit *Conar.l.2.var.cap.16. num.2.sequens Calderinum in cap. cum contingat de iure iurand.* ex eo, quòd in ijs, quæ odiosa sunt stricta debeat fieri interpretatio, vel potiùs iotelligi debeat vniuersaliter de omni alienatione etiam latè sumpta. Et dicendum est hoc modo debere intelligi, qoi iam hoc oomen *alienatio* in hac materia ex communi vsu intelligitut vt comprehendat alienationem latè sumptam, & per leges prohibitam fieri sine iuris solemnitate; iuramentum veiò debet intelligi iuxta communem verborum vsum, & significationem *Panorm.cap. intellecto 33. de iure iurando nu.10.& ex Mol. truc.2.disp.466. & Vasquez de reddit.c.2.§.2.d.3.num.14.Palaus t.2.disp.12.p.15. num.3.* Crediderim tamen, considerandum esse quis sit ille, qni iurat, & ad euins instantiam iuret. Nam in sermone Ecclesiastico alienatio rerum Ecclesiæ habet iam amplissimam significationem, quæ ex vsu etiam dici potest propria verbi *alienatio* significatio. Vnde qui Ecclesiæ Prælato iurat se non alienaturum res Ecclesiæ, de alienatione latissimè sompta iotelligi debet eius iuramentum. Sed si non de alienatione rerum Ecclesiæ sit sermo, locum potest habere sententia Couaruuiæ, & ita ve de alienatione propriè dicta iuramentum intelligator.

306 Sed quid dicendum de iutamento, per quòd qois inrat non alienare res Ecclesiæ inconsulto summo Pontifice? Dubium eoim est, an hoc iuramentum extendatur etiam ad alienationes permissas fieri Pontifice non consulto. Ita enim debere extendi censuit *Azor.p.2.lib.9.c.1. q.9.* quia si iuramentum hoc de solis alienationibus prohibitis intelligeretur nihil operaretur. Tum quia certum est, quod potest extendi ad omnes, vt cautius fiant. Verùm huiusmodi apud aliquos non probant. Neque enim ex eo, qnòd hoc inramentum possit extendi ad alienationes permissas, sequitur, quòd actu extendatur. Et licet comprehendat solùm alienationes prohibitas, multùm operatur obligans etiam ex vinculo inramenti ad abstinẽdum ab illis. Aliàs verò iuramentum factum in materia iuris, ad iuris terminos restringi debet. Vnde absolutè qui tieot iurat non alienare res Ecclesię de alienatione prohibita intelligitur, vt cum *Panorm.c.fin.de Eccl. ædific.n.3.docet idem Azor. d.l.9.cap.1. q.17. & tenet Layman. l.3.tract.4. cap.10. num.9.* Et iurans non alienare res Ecclesiæ potest nihilominùs alienare res modicas *cap.terrulas 12.quæst.2. Panor. cap.1. de Eccl.ædif.num.9.* Sic etiam quod vbi quis iurat non alienare res Ecclesiæ inconsulto Pontifice, intelligatur vt iuret non facere alienationes, quæ inconsulto Pontifice prohibentur haberi, voluit *Palaus vbi supra. num.4.* Verùm prima sententia amplecti debet, vt scilicet, qni iurauit, non alienare bona Ecclesiæ inconsulto superiore, non possit id facere etiam in casibus aliàs permissis, sine superioris licentia prout dixerunt etiam *Panorm. vbi supra, & in cap. vt super, de reb. Eccl. non alien. & ex eo Sylu. v. alien num.16.& Layman l.3. tract.4.cap.10. nu.9.* Quia materia talis voti est beneplacitum, notitia, & coosensus superioris, & præcipuè quantùm ad hoc, quòd in iudicanda vtilitate alienationis non sufficiat iudicium alienantis, sed requiratur iudicium superioris. *Panorm. tamen vbi supra, & cap.1. de Eccles.ædific.num.8. Sylu. & Layman citati*, bene excipiunt casum necessitatis oon admittentis moram, & res modicas. Quia necessitas legem non haber, & alienatio rei modicæ non habetur in consideratione.

SVMMARIVM.

1 *Rerum Ecclesiæ multiplex differentia. n.307.*
2 *Agri, vinea, domus non alienantur sine solemnitate. n.308.*
3 *Terrulæ alienantur sine solemnitate: n.309.*
4 *In generali prohibitione alienationis modica non veniunt. 310.*
5 *Ad terrulas alienandas 3. conditiones sunt necessariæ. n.311.*
6 *Quæ terræ sint exiguæ est arbitrarium. n.312.*
7 *Necesse est, & sufficit, quod sit vtilius Ecclesiæ alienare res exiguas. n.313.*
8 *Necessitas etiam alienandi requiritur ad hoc vt alienatio fieri possit sine consensu Capituli. numer.314.*
9 *Nomine alienationis venit quæcumque alienatio 315.*
10 *Terrulæ alienari possunt, si sint separatæ. numer.316.*
11 *Et etiam pars aliqua prædij, si sit sterilis. numer. 316.*
12 *Sufficit quod Episcopus se informet extraiudicialiter de vtilitate. n.317.*
13 *Terræ steriles, si non sunt exiguæ, non alienantur sine solemnitate. n 318*
14 *Domus quæ maiorum sunt expensarum quam fructuum, si non sint exiguæ, non alienantur sine solemnitate. 319.*
15 *Exceptis tribus casibus Paulina in alijs omnibus requirit beneplacitum Apostolicum. n.319.*
16 *Bona incerta, incognita, & difficilis recuperationis, non alienantur sine solemnitatibus, nisi in casibus à Paulina permissis. n.320.*
17 *Bona quæ diuisionem non admittunt alienantur sine solemnitate. n 321.*
18 *Quod iniustè detinetur reddi debet. n.322.*
19 *Necessitas non admittens moram excusat a solemnitatibus. n.323.*
20 *Non sufficit tamen ordinaria necessitas soluendi debitum. 323.*
21 *Incapax possidendi alienat immobilia, etiam sub conditione non alienandi relicta. n.324.*
22 *Non tamen mobilia, aut domus, & hortos, quibus vtitur. n.325.*
23 *Relictum sub conditione vt vendi possit, non potest vendi sine solemnitatibus. n.326.*
24 *Nisi sit determinatum vt ex pretio aliquid ematur. n.326.*

Quæ

Quæ sint res prohibitæ alienari sine iuris solemnitate?

INSPECTIO SECVNDA.

307 CVm enim bonorum alia sint corporalia, vt agri, domus, supellectilia &c. & alia incorporalia vt iura, & actiones, & corporaliũ alia sint immobilia & fixa, quæ de loco ad locũ, nõ trasferuntur, & alia mobilia quæ mutari possunt de loco ad locũ & mobiliũ alia sint pretiosa & durabilia, quæ nec veterascũt, nec vsu consũmuntur, & pluri fiunt, alia verò nõ pretiosa, quæ vel parui æstimãtur, vel nõ fructificant, vel veterascunt, aut vsu cõsumuntur; in particulari videndum est, quæ ex istis bonis possint siue solemnitatibus iuris alienari, & præcipuè sine assensu Apostolico. Nam aliàs nullum est bonum Ecclesiæ in cuius alienatione aliqua non sit seruanda solemnitas.

307 Primum autem locum inter non alienabilia obtinent bona corporalia immobilia, qualia sunt agri, vineæ, domus, & similia habentia radicem fixam. Huiusmodi igitur bona non posse alienari siue solemnitatibus & assensu Sedis Apostolicæ est manifestum. *Constit.* S. Leonis Papæ *cap. siue exceptione 12. q. 2. & ex cap. nulli, de reb. Eccles. non alien. & ex Constitut. Paulina, & ex Clem. 1. de reb. Eccles. non alien. & ex decreto Vrbani VIII. & respectiuè ex Constit. Pontificum supra relatis.*

309 Non est tamen adeò vniuersalis hæc assertio, vt plures non admittat exceptiones. Primò enim excipiuntur terrulæ exiguæ, & modici valoris, per *cap. terrulas 12. q. 2.* ibi. *Terrulas, aut vineolas, exiguas, & Ecclesiæ minùs vtiles, aut longè positas paruas, Episcopus sine consilio fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habet potestatem.* Dispositionem enim huius capitis non fuisse reuocatam per Paulinam, aut decretum Vrbani Octaui communiter tradunt *Quaranta in v. alienatio num. 41.* dicens ita declarasse Sac. Congr. Concilij *Ricc. p. 1. praxis res. 36. Barbosa ad d. cap. terrulas num. 1. & de off. Epis. alleg. 95. num 50. Bonac. de alien. disput. vnic. par. 4. Donatus par. 2. tract. 14. quæst 35. & 36. Lezana v. alienatio nu. 7. Tambur. de iure Abb. disp. 13. q. 9. n. 2. Boss. to. 3. tit. 18. n. 293. & alij DD communit.* An verò Regulares possint eti facultate *Cap. Terrulas,* & eorũ Prælati veniant sub nomine Episcopi, etiam si hoc negetur eis nõ negari, quòd ex iuri communi deducitur, ex sequentibus concluditur.

310 Meritò enim dictũ fuit quod terrulæ possint de licẽtia Episcopi alienari, quia in generali prohibitione alienationis modica nõ veniunt, *Bald. in c. si proponente nu. 4. & seq. de rescriptis, & de modicis non curatur, l. scio, ff. de integr. restit.* Vnde fit vt pro modico damno non detur restitutio in integrum, *d. l. scio, & l. penult. ff. de Min. & cap. penult. de rebus Eccl. non alien. & ex Gabr. Sfort. Cald. Ricc. d. res. 36.* Vbi quòd nec redhibitoria debetur pro modica læsione, nec pro modica sterilitate fit remissio mercedis, & lex generaliter loquens modica non includit. Vnde est, quòd etsi quis iurauit non alienare bona Ecclesiæ, inconsulto Romano Pontifice non obstat hoc iuramentum, quin possit alienare res modicas, vt dictum est supra, & tradunt *Panorm. cap. vt super nu. 15. Donatus d. quæst. 36* Riccius *d. res. 36.* & apud eum *Eorguin. decis. 45. nu. 75. lib. 1. Boss. d. num. 293.* alios referens *Quaranta d. num. 41 Tambur. de iure Abb. tom. 3. disp. 13. q. 9. nu. 2. Seraph. decis. 401. num. fin.* Quamobrem etiam si Concilium Agathen (quod etiam non est Generale, sed Prouinciale) non declarasset Episcopum sine consensu Capituli, posse in aliqua necessitate alienare terrulas; hoc fuisset intellectum, & deductum eamquã licitum ex iure communi, secundum quod pro regula habetur, quod sub prohibitione Generali modica non veniant. Et immò addendùm, quòd id, quod concedit ibi Concilium non est absoluta facultas alienandi terrulas, sed est facultas alienãdi eas sine consilio fratrum, vnde est, quod ex quo alicui Prælato non competat facultas *cap. terrulas,* non per hoc negatur illi quin de fratrum consilio possit res parui valoris alienare.

311 Aduertendum verò tres conditiones requiri ad hoc vt licitè istæ terrulæ alienari possint scilicet quòd sint exiguæ, quòd minus vtiles, & quod adsit necessitas eas alienandi, *Quaranta, Riccius, Tambur. Donatus, Boss. citati.*

312 Circa primam conditionem verò dubium est, quæ nam terræ dicendæ sint exiguæ. Alij enim arbitrantur eas solas dicendas exiguas, quæ non excedunt valorem 20. solidorum pro qua sententia *Ricc.* refert *Archid. in cap. si quis 12. q. 2. & Alciat. cons. 23. num. 6.* & fuit opinio *Gloss. in d. cap. terrulas* quam sequutus fuit *Donatus p. 2. tract. 14. quæst. 36.* quamuis verò solidum valuisse aliquando minus quàm scutum aureum dixerit *Conar. trac. de numismatibus cap. 3 & §. 2.* tamen communiter solidum & aureum scutum esse eiusdem valoris dixerunt *Archidiac. & Donatus,* qui simul cum *Pyrro Corrado de dispens. lib. 9. cap. 4. num. 45.* arbitratur scutum aureum regulariter esse valoris 13. iuliorum monetæ Romanæ. Alij verò dixerunt modicam terrulam esse, quæ non excedit valorem 25. scutorum auri seu 36. scutorum monetæ Romanæ, & sic declarasse Sac. Congreg Concilij ex *Naldo v. Prælatu num. 7. & Gennen. v. alienatio num. 24. tradit Boss. numer. 295.* & ab hac sententia parum distat *Gratian. discep. 452. num 19.* asserens, modicum esse cuius valor non excedit 40. scuta, ex eo quòd 20. solidi seu scuta antiquitus plùs æstimabantur, quàm modo quadraginta. Sed ad valorem centum aureorum hanc summam extendunt *Palaus tom. 2. tr. 11. p. 14. num. 2.* & sic practicatum fuisse in curia Archiepis. Salernit. tempore Marci Antonij Marsilij Columnæ Archiepiscopi, & viri doctissimi refert *Zerola in praxi p. 1. v. alienatio,* & fuit opinio *Staphylæi de literis* Gratiæ *fol. 352. num. 2.* prout videre est apud *Ricc. resol. 383 num. 5. p. 2.* Alij autem rationabiliùs, & meliùs existimant hoc esse arbitriũ, & plura esse consideranda, nimirum & quòd modò absolutè moneta vilior est, & verum est quò quæ habebãtur antiquitus per 20. aureos, vix obtinebuntur modò per 30. aut 40. Et quòd nunc etiã moneta in aliquibus partibus longè vilior est, vt in Indijs vbi est abundantia maior auri, quam in Europa, & quòd Ecclesiarum alia longè pauperior est quàm alia, & ita vt magnum erit in aliqua defectus etiam decem aureorum cum in alia nec 50. aureorum summa sit considerabilis, vnde attendi debent conditiones regionum & Ecclesiarum & propterea Apostilla ad *d. cap. terrulas ex Hostien.* dixit attendendas esse consuetudinem terræ, & facul-

tem

tem Ecclesiæ, & rei alienatæ quantitatem, *Host. in sum. tit. de ys, quæ fiunt à Prælat.* §. *vltim princ. Ricc. d. resol.* 36. & 383. *Barbos. de off. & potest. Episc. alleg.* 95. *num.* 51. *Lezana tom.* 3. *v. alienatio nu.* 8. *Tambur. tom.* 3. *de iure Abbat. disput.* 13. *q.* *num.* vbi ex *Leone in Thesau. p.* 1. *num.* 6. ad considerandum quoque esse decreta Prouincialia, & Synodalia. *Boss. nu.* 294. *Grat. discept.* 452. *n.* 18. Minus vero quod dicitur ex *Naldo & Genuen.* Sac. Congreg. declarasse modicum esse, quod est valoris aureorum maneat fides apud illos. Nam alias satis mihi cõstat Sac. Congregationem Concilij sub die 14. Decembris 1613. declarasse & quod per extrauag. Paulinæ II. *ambitiosæ*, non fuit sublatum decretum *cap. terrulas*, & quod ad quam quantitatem ex decreto dicti Canon. absque Sedis Apost. beneplacito liceat Episcopo alienare petendum est à iure communi. Nam verè hæc quantitas ex regulis iuris communis consideratis supra notatis est desumenda.

313 Secunda conditio est vtilitas. Circa quod considerandum est ex textu citato, quòd sufficit ex alienatione augeri debeat vtilitas si fiunt minùs vtiles. Esto igitur sint aliqualiter vtiles, si tamen sunt minùs vtiles, & vtilius Ecclesiæ sit alienari possunt. Quod aduertit *Redoan. rubr. de casibus in quibus fit alienatio num.* 15. *pag. mihi* 285. & *considerauit etiam Boss. vbi supra.*

314 Tertia conditio est necessitas. Sed dubiũ esse potest, an hæc conditio intelligi debeat vt distincta à secunda. Videtur enim iure dicendum, quia textus vtrumque distinctè ponit, & DD. communiter tres conditiones numerant, & omnes collectiuè esse necessarias affirmant. At vero in contrarium est, quòd satis ad alienandum vrgere videtur vtilitas Ecclesiæ, vbi enim terræ vel prorsus inutiles sunt, vel minùs notabiliter vtiles, habetur ratio sufficiens cas alienandi, vt consulatur maiori Ecclesiæ vtilitati. Sed dicitur, quòd aliud est, quòd adsit ratio sufficiens ad alienandum, & aliud est, quòd detur ratio sufficiens ad id faciendum sine consensu Capituli, vbi aliàs id sit necessarium, iuxta inferiùs explicanda. Ideò hic distinguendum est. Nam terrulæ vel sunt de mensa Prælati. Et istæ per illum alienari possunt sine consensu Capituli, vel pertinent ad Capitulum, & sic licet sint modicæ non possunt alienari sine consensu Capituli, licet sufficiat consensus tacitus. *Panormitan. cap. vt super n.* 14. *de reb. Eccl. non alien.* Quando igitur sumus in casu rei non alienabilis sine consensu Capituli, ad hoc vt Episcopus eam possit alienare etiam si sit exigua, & minùs vtilis, consensus Capituli requiritur, nisi aliqua necessitas oppositum petat *Hostien. in sum. de reb. Eccl. non alien. n.* 4. Et sic verum est, quòd ad alienandum licitè terrulas tres illæ conditiones sunt necessariæ.

315 Nomine verò alienationis hic omnis alienatio intelligitur siue sit venditio, siue sit permutatio, siue concessio in emphyteusim, siue locatio, siue alia distractio, quoniam textus absolutè distractionem permittit, vnde ex eo quòd sit concessa venditio sequitur quod omisso magis sit concessa locatio. *Donat. d. q.* 36. *Lezana v. alienatio n.* 7.

316 Verum aduertendum quoque, supradicta intelligi debere de terrulis per se separatis, & distinctis, & quæ sunt [illegible] ab alijs Ecclesiæ bonis & disiunctum. Nam certè si sint partes alicuius prædij Ecclesiæ ab ea non disiunctæ non possunt alienari, quia non sunt terrulæ exiguę, sed partes prædiorum Ecclesiæ: & si liceret huiusmodi partes disiungere, paulatim possent magna prædia alienari. *Lezana v. alien. num.* 7. *Boss. n.* 294. *fin.* & *ex Nouar. Ricc. & Genuen. Donat. d. q.* 36. *n.* 3. sed nihilominus si magni prædij modica aliqua pars esset inutilis, vel minus vtilis, non video cur non possit vel permutari, vel alienari id maiori vtilitate Ecclesiæ exigente. Et aliud est, quòd magna terra sine solemnitatibus non possit alienari per partes modicas & per alienationes, quæ moraliter coaduneutur in vnam magnæ terræ alienationem, quod verum est; & aliud est quòd non possit alienari modica pars inutilis ex eo quòd vnita magno prædio. Hoc enim non habet incõuenieos, neq; ex hoc est periculum agendi fraudulẽter contra legẽ.

317 An verò ad huiusmodi alienationem necesse sit, quod Episcopus iuridicè se informet de inutilitate, & quantitate terrulæ, & necessitate illã alienandi. Respondetur, quod licet Prælatus non debeat licentiam alienandi, vel consensum præbere nisi plenè se informet, & valde vtile sit, vt iuridicas sumat, tamen in casibus ordinarijs hoc non est necessarium, sed sufficit quòd per extraiudicialem informationem securitati suę conscientiæ consulat. *Donatus d. q.* 36. *fin.*

318 Secundo excipiuntur terræ incultæ, steriles, inutiles, & quæ existunt in loco incõmodo, & remoto, quemadmodum sunt ruinæ, quas Ecclesia reparare non potest, agri inculti putà a [illegible] inundati sylux extirpatæ, & alia bona [illegible] infructuosa, vel quæ maximè distant, vnde [illegible] sunt valdè incommoda. De hac verò conditione [illegible] possunt ea multa, quæ tradit *Barbosa de off. Episc. alleg.* 95. *num.* 25. & *lib.* 3. *de iure Eccl. cap.* 30. *n.* [illegible] 30. & *DD ab ipso citati*; quæ non est opus [illegible], quia hæc exceptio non valet sine priori, cùm, nisi bona Ecclesiæ inutilia sint parua, nam si non sint parua non sunt alienabilia sine solemnitatibus, & præcipuè sine Apostolico beneplacito. Nam & alienationes vtiles Ecclesiæ fieri prohibentur in *Extrauag. Ambitiosæ*, & in decreto Vrbani Octaui, & duo copulatiuè sunt necessaria ad licitam alienationem rerum Ecclesiæ, scilicet Ecclesiæ vtilitas & solemnias à iure inducta, *cap.* 1. & 2. *de reb. Eccles. non alien. in* 6. *Gloss. in cap.* 1. & ibi *Panorm. num.* 17. *de restit. in in teg. Couar. var. resol. l.* 2. *cap.* 17. *num.* 1. *Rota decis.* 160. *num.* 1. *p.* 2. *diuers.* & *dec.* 36. *num.* 5. & *decis.* 68. *num.* 2. & *dec.* 202. *num.* 1. *p.* 7. *recent.* Et in puncto quòd res sterilis non possit alienari sine iuris solẽnitatibus ex *Quaranta & Soprano* tradit *Tambur. de iure Abb. tom.* 3. *disp.* 13. *q.* 2. *num.* 21. & *ex Redoan. & Capyc. Bossius d. tit.* 18. *num.* 293. Quamobrem quod idem *Boss. num.* 373. probat res steriles, & infructuosas posse etiam sine beneplacito Apostolico alienari & dari in perpetuam emphyteusim, & ex *Bordon. to.* 1. *resol.* 27. *n.* 72. quod bona Monasterij inutilia possint etiam vendi, ne sibi sit contrarius debet intelligi de rebus modicis. Nam licet inutilitas rei vel simpliciter, vel comparatiuè sit causa iusta alienandi res Ecclesiæ, tamen ad licitam alienationem non sufficit iusta causa, sed præter causam iustam necessaria est solemnitas & beneplacitum Apostolicum, vt dictum est, & dicto [illegible] 29 ex

N

Rota decis.243. num.13 par.7. recent. probat idem *Bossius*.

319 Bene verum est, quòd in *Concil.Romano 3. sub Symmacho Papa*, *vt habetur cap. non liceat Papæ 12.quæst.2.* concessum fuit alienare *domos*, *quæ in quibuslibet vrbibus non modica impensa sustentantur*. Quod & habetur *in addit.ad caput sine exceptione* eadem causa. Et propterea ex *Hostien.in cap.1.de his, quæ fiunt à Prælat.Redoan.in rubr.de rerum mobilium modicarum Ecclesiæ alienatione num.2. pag.mihi 67.* docet, quòd sine solemnitatibus alienari possunt domus, quæ maiorum sunt expensarum, quàm fructuum. Ex quo, ea posse alienari sine solemnitatibus, quæ magis expedit distrahi, quàm seruari deduxit *Quaranta v. alien.& tradidit idem Redoan rubr. de casibus in quib. fit alien. sine solem. nu.4.* Et quòd non requirantur solemnitates in rebus, quæ magis sunt onerosæ Ecclesiæ, quàm vtiles addidit. *Redoan. rubr. de causa incommoditatis. numer.3.* Et quòd huiusmodi iura permittentia alienari domos, quæ sunt maiorum expensarum, quàm fructuum non fuit reuocata per extrauag. *Ambitiosæ* tradiderunt *Benedictus Canophil. in d. extrauag. fall.40. & 41. Camillus Borellus in sum. decis.p.5. tit.15.num.61.& Andreas Fachineus controuers.iuris l.10.cap.98.fine, quos refert & sequitur Boss. d.tit.18. num.374.* Verùm idem *Redoan.d.rub.de causa incommoditatis num.10.* expressè habet, quòd in harum domorum alienatione requiritur solemnitas, nisi sint modici valoris vt habetur *in cap. terrulas 12. quæst.2.& ex Caiet.v.excommun.c.75. aduertit Quaranta v.alien. num.5.* exceptis tribus casibus, scilicet locationis intra triennium, emphyteusis in casibus à iure permissis, & in bonis alienari solitis, & in mobilibus non pretiosis, extrauag. Pauli II. in omni alia alienat. requirit beneplacitum Sedis Apostolicæ, vt probatur etiam diffusiùs infra. Ideo, quòd bonum Ecclesiæ sit incommodum & non vtile spectat ad causam licitam alienationis, sed præter hanc requiritur solemnitas assessus Apostolici, nisi res sit modica, quia modica sub lege non intelliguntur comprehensa.

320 Excipiuntur tertiò bona incerta, & incognita, aut difficilis recuperationis, quæ dicuntur posse alienari etiam inconsulto Rom. Pontifice, hac lege apposita, vt laicus expensis suis & periculo illa recuperet *Rota decis.631. num.3. p.2. recent. Redoan.rubr.de alien.eorum,quæ seruando seruari non possunt.num.32. & 33.* Vbi regulam illam, quòd, scilicet, sine solemnitate alienari possunt, quæ seruando seruari non possunt extendit etiam ad immobilia, quæ Ecclesia omnino perderet, nisi alienaret, vt si aliquod bonum Ecclesiæ sit in manu tyranni sine spe recuperationis, hoc poterit infeudari, vel alienari alteri æquè potenti, seu potentiori per *cap.1.in fin.de feud.& Bald. Lauden. Ias. Hostien. & alios ab eodem ibid. citatos*. Et ita hoc idem voluit *ex Naldo, Sanancto, & Nauar. Donatus. quæst.77. & Boss.vbi sup. num.375.* Verùm, vt aduertit *Rota num.5. in cap. illo 2. de feud.* non est sermo de omni bono Ecclesiastico, sed solùm de eo, quòd est solitum locari, seu in feudari, & cum [illegible] fuit ad Ecclesiam, non pot[illegible] de hoc Papa asserit, quòd pote[illegible] in fundum. Quòd non [illegible] difficu[illegible] supra probatis constat [illegible] licet verò ex hoc [illegible] ad omnia alia bona, vt si non p[illegible] recupera[illegible] incerta, possint alienari, sine beneplacito [illegible] lico. Sed immò oppositum est dicendum [illegible] cet bona esse incognita, vel incerta, vel [illegible] recuperationis sit causa iusta alienandi, ta[illegible] ter causam iustam est necessaria solemni[illegible]

321 Excipiuntur quartò bona, quæ [illegible] diuisionem non admittunt. Vt si E[illegible] fuerit domus pro parte, quæ diui[illegible] no[illegible] vnde si laicus partem suam vendere ve[illegible]t, [illegible] mus diuidi non possit, necesse erit vt e[illegible] sia suam partem vendat. In hoc enim [illegible] rit similis domus vendi, eò quòd vend[illegible] voluntaria sed necessaria alienation[illegible] cessariam fieri posse sine solemnitate [illegible] pta *Lezana tom.2.cap.19.num.58.& c[illegible] B[illegible] resp.27.num.5.& 45. Boss.d.tit.18. nu.*[illegible]

322 Excipitur quintò casus r[illegible] stitia faciendæ, vt si E[illegible]clesia a[illegible] neat, vel si Ecclesiæ reli[illegible]um [illegible] al[illegible] possidendum ad tempus determi[illegible] & p[illegible] alicui alteri tradendum, & vniuers[illegible] que iustitia obligat ad hoc vt bon[illegible]m [illegible] ab Ecclesia suo domino tradatur [illegible] *tio num.45. Barbos.de pot. Epis[illegible] 5.* [illegible] *Tambur.de iur. Abb.tom.3.disp.13. qu*[illegible] *p.2.cap.19.num 58.Boss. d.tit. 18.nu*[illegible] quòd si res sit relicta Ecclesiæ cum [illegible] lam permutandi, tenetur i[illegible]am pe[illegible] *d.num.58.* Neque enim Ecclesia r[illegible] retinere res alienas contra iustitiam [illegible] tiam *cap.debetur 54.q.1.* Ideò etiam [illegible] pe[illegible] Ecclesia hæreditas ære alieno grauata a[illegible] incorporetur Ecclesiæ potest pro æ[illegible] tione alienari pro parte au[illegible] quâ hæreditas sit Ecclesiæ incorpora[illegible] non potest sine beneplacito Aposto[illegible] co[illegible] berè. Tenetur tamen Ecclesia credit[illegible] cere, & ad id potest compel[illegible] à iud[illegible].

323 Excipitur sextò grauis nece[illegible] mittens moram, & ideò non conc[illegible] de[illegible] petendi, & impetrandi Apostolicum b[illegible] vt v. g. si vrgeret necessitas redimendi [illegible] aut alendi pauperes, vel alia similis. N[illegible] enim legi non subest, nec lex positiu[illegible] lemnitates pro contractibus obliga[illegible] cessitas vrget, & reddit impo[illegible]bile [illegible] nitates. *Cardinal.in Clem.1.de reb. E*[illegible] *al*[illegible] quam refert, & sequitur *Redoan.rub*[illegible] *rum bilium modicarum alien.num.51. Tambu*[illegible] *3.* *iure Abb.d.13.q.9.num.4. Panorm.in cap*[illegible] *de Eccles.adific. Quaranta v. alien. num.*[illegible] tum *Rebuff.& Canophil. Barbos.de off.*[illegible] *alleg.95.num.58. post Piasec. Vgol. Giona*[illegible] *Ciarlinum.* Non tamen admitto, quo[illegible] *Barbos.ibid num.23.* quòd scilicet necess[illegible] di debitum ab Ecclesia contractum, sit [illegible] ciens alienandi res Ecclesiæ, nisi [illegible] tur à iudice, vel nisi obligatio iu[illegible] ad[illegible] vt non detur tempus recursus ad Sedem A[illegible] cam, quia nec ex causa rationabili non [illegible] licita est alienatio rerum Eccl[illegible]siæ sine [illegible] Apostolico.

[illegible]4 Excipitur [illegible] incapaci[illegible] [illegible] ei enim Eccl[illegible] x possi[illegible] [illegible], si ei aliquo[illegible] uatu [illegible]

ne beneplacito Apostolico distrahere. Tum quia id non est Ecclesiæ incorporatum cum immò nec ei possit incorporari. Tum quia ex quo Ecclesia talia bona possidere non potest, & tamen bonis indiget sibi permissis quibus sustententur ministri, iam ex hoc sequitur, vt re[licta] sibi intelligantur, sub ea conditione legata, vt ea commutare possit in bona sibi & perm[iss]a, & necessaria. Ideò quæ relinquuntur PP. Minoribus de Obseruantia, Capuccinis, & Theatinis (de quibus hoc expressè d[e]claratum fuisse per Sacram Congregationem, referunt, *Barbos. in summa v. alienatio num. 10. Diana part. 5. tract. resol. 6. Boss. d. tit. 18. num. 379. Donat. quæst. 63.*) ab eis ad quos hoc spectat alienantur, & pretium iuxta talium Ord[in]um leges consumitur, & hoc est verum etiam [si] aliquid dictis ordinibus fuerit relictum sub conditione, vt non vendatur. Talis enim conditio tanquam contraria legibus & professioni talium ordinum habenda est pro non apposita. *Gloss. in cap. 1. de relig. dom. v. domum in sexto. Panorm. Felin. & Dec. in cap. in præsentia de probat. S. Anton. 3. par. tit. 12. cap. 5. Armilla v. alien. num. 19. & 20.* quos refert, & sequitur *Quaranta num. 32. Donatus p. 3. tit. 14. q. 64.*

325 Hoc tamen de immobilibus boni[s] intelligendum est, quia nullus est Ordo incapax possidendi mobilia, quæ vel ad Dei cultum & seruitium Ecclesiarum, vel ad Religiosorum sustentationem necessaria sunt. Vnde iuxta inferiùs dicenda, nec isti Ordines alienare possunt mobilia pretiosa. *Riccius p. p. praxis resol. 64. ex Emanuel Sà v. alienatio, Barbosa de off. & pot. Episc. alleg. 95. num. 59. Boss. d. tit. 18. num. 379.* Quidquid in contrarium senserit *Palaus tom. 2. tract. [1]1. punct. 14. num. 13.* Immò cum præfati Ordines licet nō possideant prædia & possessione[s] habeat tamen ad vsum domos, & hortos, quæ sunt bona immobilia, ea non possunt alienare sine beneplacito Apostolico. Et quatenus neque horum habeant dominium sicut non habent Fratres Mino[r]es de Obseruantia, sequitur quod multò minu[s] ea alienare possunt, cum non sint talium bonorū domini. Si etiam Religio aliqua sit capax bonorū ex di[s]pēsatione Capituli, & d[is]positione obtenta ea possideat, non potest a[b]sq[ue] [...]a alienare.

326 Excipi videntur octauo res relictæ E[c]clesiæ sub cōditione, vt possint alienari. Sed hoc absolutè non admittitur. Quoniam ex quo talis conditio est contra ius habetur pro non adiecta, *cap. verum de condit. appos.* Nam pacta contra leges vim non habent, *l. pacta C. de pactis, & l. non dubium, C. de legibus*. Tum quia rei illius dominium Ecclesiæ est acquisitum, quæ non vult bona sua alienari sine solemnitatibus. Vnde est quod illa conditio, vel intelligi debet seruatis seruandis, vel habenda est pro non apposita, & sic relictum tale nequit sine solemnitatibus alienari. *Quaranta v. alienatio n. 31. post Couar. in cap. sua de testam. Sapran. tract. 44. c. 4. num. 29. Bonac. de alien. p. 4. num. 11. Donat. p. 2. tr. 14. q. 65.* & apud eum *Bord. & Gauant.* Si tamen relinquatur Ecclesiæ aliquid sub conditione, vt vendatur ad effectum determinatum emendi ex pretio illius, aliquid ad Dei cultum pertinens, res relicta vendi potest, sed vendi debet, & ex ea emi id, quod donans rem voluit, vt emeretur. Quia in hoc casu res non est relicta nisi ad t[al]em finem, & conditio non est turpis, cum intentio donantis sit vt habeatur res empta ex pretio rei relictæ, non verò res relicta, vt si relinquatur domus, vt reparetur Ecclesia, quæ minatur ruinam, vel vt ex pretio dotentur virgines &c.

SVMMARIVM.

1 *Ciuitates &c. Ecclesiæ Romanæ alienari non possunt. n. 327. 328.*

2 *Tractantes de alienatione Ciuitatum &c. quando sint excommunicati. n. 329.*

3 *Insinuantes huiusmodi alienationes quando sint excommunicati. n. 330.*

4 *Bona feudalia cuiuscumque Ecclesiæ per vniuersam Italiam non possunt sine beneplacito Apostolico alienari. n. 331.*

5 *Bona tam feudalia, quam immobilia, existentia intra Statum Ecclesiasticum non possunt alienari sine expressa licentia Papæ. à n. 332. ad 339.*

273 ET hæc quidem de bonis Ecclesiæ in communi dicta sunt; sed de bonis Ecclesiæ Romanæ specialia statuta sunt per Pontifices. Et q[ui]dem in primis Ciuitates, Terræ, Oppida, Castra, Arces, & loca ad ius, & proprietatem immediatam Sedis Apostolicæ pertinentia nullo modo alienari possunt, ita quòd nec etiam in feudum concedi, vel aliàs quomodolibet sub titulo Ducis, Vicarij, Gubernatoris, aut cuiuscumque alterius tituli ad vitam, vel in perpetuum, vel ad longum tempus vel ad beneplacitum Sedis Apostolicæ possint dari, etiam si aliàs solita fuissent infeudari, vel alienari, & etiam contemplatione meritorum erga Sedem Apostolicam, vel prætextu necessitatis, aut euidētis vtilitatis. Et nedum horum bonorum omnino prohibita est quælibet alienatio, sed & insuper prohibitum est de præfatis alienationibus, tractare, consulere, verba facere tam publicè, quàm priuatim, ac propterea proponere de mittendis oratoribus ad Sedem Apostolicam super præmissis, oratoris huiusmodi munus recipere, præfatas alienationes per se, vel per alium Summo Pontifici insinuare, vel suadere. Et quia aliquibus præfata bona de facto possidentibus concessum fuerat, ea meliorare cum pacto vt ab eis amoueri non possent, nisi restitutis melioramentis, huiusmodi facultas reuocata fuit nisi ex causa necessariæ conseruationis. Hæc enim statuit Pius V. in Constit. 35. quæ à reliquis Pontificibus successoribus confirmata fuit, & est vna de illis quas Cardinales in susceptione Pilei Cardinalitij, & in Conclaui quando in initio alias Pontificum Constitutiones iurant. Addit verò Cherubinus in aduor. ad Constitut. 3. Gregor. XIII. quòd hic Pōtifex die 3. Aprilis 1581. in Consistorio declarauit, sub dicta Bulla Pij V. comprehendi etiam concessiones guberniorum, quæ vltra triennium, de locis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fieri contingerent. Quod etiam declarasse Sixtum V. refert idem Cherub. ad eiusdem Pontif. Constit. 26.

328 Declarata quoque fuit hæc Pij V. Const. per Constit. 65 Greg. XIII. §. 13. vt sub ea non cōprehendantur bona feudalia confiscata. Quod & postea declaratum fuit per Sixtum V. Const. 6. §. 8. fin. & aduertit Cherub. ad Const. 35. eiusdem Pij V. *Bonac. de alien. p. 8. num. 6.* Sed & Clemens VIII. in

Constit. *Iustitia ratio*, 41. §.14. vt idem Cherubin. adnotauit, declarauit sub dicta Constit. Pij V. de non infeudandis bonis præfatis per triennium non comprehendi feuda, seu bona iurisdictionalia ex vi dictæ suæ Constit. empta, *Bonac. d.num.*8. Et sic nec bona feudalia confiscata prohibita sunt alienari, nec bona empta ex vi Constit. Clemen. VIII. prohibita sunt infeudari per triennium.

319 Sunt vero circa huiusmodi Constitutionē Pij V. aliqua aduertenda. Cum enim duo genera actionum in ea prohibita sint, nimirum primò tractare, consulere, & verba facere de alienandis &c. Non incurritur excommunicatio lata contra huiusmodi tractantes &c. nisi simul tractatum fuerit de eligendis Oratoribus mittendis ad Pontificē. quod colligitur ex illis verbis Constit. *Ac propterea de eligendis Oratoribus ad nos &c.* ex quibus habetur, quod tractatus prohibitus sub pœnis ibidem positis est tractatus talis, qui ad hoc deueniat vt tractetur etiam de eligendis Oratoribus &c. Immo *Bonac. d. p. 8. num.*2. requirit quòd oratores sint electi, & certè licet ex vi Constitut. solus sufficiat tractatus de eligendis, quia tamen intelligi debet de tractatu deliberato, & completo. Et huiusmodi tractatus non etiā deliberatus, nisi saltem deliberatū fuerit, vt eligantur personæ determinatæ in oratores, quod est eosdē oratores elegisse, ideò tractantes de præfatis alienationibus non subduntur pœnis dictæ Const. nisi dictos oratores elegerint.

320 Secundum autem genus actionum prohibitarum est suadere, insinuare &c. Suadere verò est consulere, & insinuare est aperire mentem suam, esse vt præfata alienentur &c. *Bonac. vbi supra n.*4. Aduertit verò *Sopranus in appen. ad Fil.* [illegible] *tra.*44. *cap.*3.*§.*7.*q.*4. præfatas actiones non subdi pœnis, si fiant de licentia Summi Pontificis. Sed dum addit hoc idem verum esse, si quis loquatur de his Summo Pontifici, & ab eo audiatur, & non rejciatur, meritò non approbatur à *Bonac. d.p.*8.*num.*8. Nam dispensatio debet præcedere actionem sub excommunicatione prohibitam. Et ideo nisi qui similia vult suadere, vel insinuare, sit dispensatus antequā loquatur, legi contrariatur, & sub eius pœnis cōprehenditur. Non potest vero censeri dispensatus, si Papa priùs non fuerit conscius eum velle loqui secum de talibus alienationibus, & nihilominus scienter voluerit eum admittere ad tractatum de illis. Et ad easdē pœnas incurrēdas nō est necesse quòd sequatur effectus; sed tractantes ex quo elegerint Oratores sunt iam excommunicati, etiam si Oratores de alienationibus huiusmodi non fuerint loquuti cum Pontifice. *Bonac. num.*3. E[illegible] tes easdem alienationes incidunt in pœnas ex hoc quòd illas insinuent etiā si alienatio non sequatur, & illi reijciantur quia actiones illæ in eoru genere sunt completæ, etiam si effectus alias non sequatur.

321 Præterea per Constit. 51. Vrbani Octaui quæ incipit *Humanæ salutis auctor*, & fuit data Kal. Nouemb. 1625. bona omnia iurisdictionalia ad Ecclesias, aut [illegible] loca etiam laicalia spectantia per vniuersam [illegible] prohibita sunt sine beneplacito Apostolico actu prius impetrato alienari, concedi in emphyteusim aut feudum, & locari vltra triennium, aut concessiones innouari, proro[illegible] etiam si nondum incorporata, vel a laicis [illegible] pata, [illegible] nondum deuol[illegible], vel soli[illegible] concedi, non obstante priuilegio, consuetudine etiam immemorabili, [illegible] commune scripto, & a [illegible] derogatoriis. Est vero difficultas an sub illo bo *per vniuersam Italiam* comprehendantur I[illegible] [illegible] Compr[illegible] [illegible] d[illegible] [illegible] *ex l.Iniul* [illegible] qui [illegible] *ref.*30. [illegible] 2. *tr.* 2. [illegible] *Thesaurus in pr.* [illegible] *p.*2.*v.alienatio cap.*4.

322 Præterea vero bona existentia intra [illegible] [illegible] prohibita sunt a[illegible] sine beneplacito Apostolico. Q[illegible] iusmodi prohibitio non resp[illegible] stea, cum extendatur ad bon[illegible] de re existentiam bonoru[illegible] [illegible] ecclesiæ & alienation[illegible] nimus aduertendum erit, qu[illegible] sita sint etiam intra limites [illegible] necesse erit ad eorum licitam a[illegible] [illegible] vt obseruentur etiam Consti[illegible] [illegible] super hoc puncto editæ. Et quia ea [illegible] re[illegible] corruat, & declarat Sanct. D. N. ALEXANDER VII. propterea pe[illegible] eius Constitutio, quæ est sequen[illegible]

ALEXANDER
EPISCOPVS
Seruus Seruorum [illegible]

Ad perpetuam rei mem[illegible]

333 V[illegible] ea, quæ par est [illegible] N[illegible] a Diuina M[illegible] §. Sedis Regimini respon[illegible] eorum vtilitati pro p[illegible] mis Pontific. Prædece[illegible] nandis in forenses [illegible] stabo[illegible] nal'bus, quam iuri[illegible] Ditione Ecclesia[illegible] pati Con[illegible]

334 Si[illegible] dem recol. m[illegible] Sixtus deceßor n[illegible] quo crebriu[illegible] sub [illegible] augerentur, ac ne im[illegible] [illegible] diminutæ [illegible] cede[illegible] tat[illegible] quæ [illegible] co, etiam Oppida, iur[illegible] a quacumque pers[illegible] periali, Regal[illegible] ac D[illegible] [illegible] dignitate [illegible] insignita in quamlibet [illegible] munitatem, Collegium, aç [illegible] temporali Sedis Apostolicæ domi[illegible] esset, vllatenus transferri, tam [illegible] quam permutationis, donationis, [illegible] pra triennium, necnon in emphyteusim [illegible] ue'lum, pignus, seu precarium concedi [illegible] Apostolica prius non impetrata facultate sub pœ[illegible] tat's contrac[illegible] aliorum [illegible] [illegible] huiusmodi p[illegible] [illegible] Census, Officia. [illegible] ea [illegible] Mu[illegible] um tes, a ipsam Almam V[illegible] cum ei s [illegible] tu ad decem milliaria [illegible] do, ac simul si [illegible] ve[illegible] hæredes p[illegible] [illegible] mo-

moni[illegible] dominio [illegible] teri [illegible] vel infra triennium sibi in eodem statu donic[illegible] vel di[illegible]ta bona in alios præfato stat[illegible] transferre, ciuilitatibus, [illegible] quæ fuerint derogando, sanciuit.

335 Sed ne hominum [illegible] gia nimium studiose in p[illegible] Sixti Con[illegible] utionis eges[illegible] posset eludere fel. record. Cleme[illegible] VIII. [illegible] quæ insuperum circa ipsam [illegible] candem Con[illegible] ionem innouauit, ac [illegible] nul[illegible] icere, præ[illegible] am Ecc[illegible] extra Ecclesiasi[illegible] atum po[illegible] Vniuersitatibus Commun[illegible] atib[illegible], a quibusuis ext[illegible] Princip[illegible] quæ prostab[illegible] habentur (c[illegible]tra tam en [illegible] Mo[illegible] & O[illegible] Romanæ Curiæ) [illegible] ciu[illegible] conf[illegible] in ip[illegible] amer Vr[illegible] quis titulo, & [illegible] tis, nec non ex q[illegible] vi uos, quàm ex T[illegible] Codicil[illegible] Donationibus cau[illegible] mortis, & alijs quibuslib[illegible] nis voluntatibu[illegible] sub pœna amissionis bonorum, quæ Cam[illegible] Apostolicæ possit ipso iure, ac pro[illegible] authoritate [illegible] dicare, ac penès se, donec vit[illegible] ter dispositionem duraverit, retinere, ac insuper priuationis officiorum contra ipsos Tabelliones, qui d[illegible] Contractibus sese rogauerint.

336 A[illegible] Con[illegible]tutio sanct. mem. Pau[illegible] PP. V. Prædecessoris nostri [illegible] ea, quæ in [illegible] Constitutionib[illegible] S[illegible] V. & Clementis VIII. d[illegible] sita legebantur [illegible] authoritate [illegible] tortius communire, eas[illegible] quo[illegible] possent falsis interpr[illegible] fu[illegible] raheret [illegible] facultatem præd[illegible] obtinendam esse ac [illegible] a[illegible] exhibendam penès [illegible] pœna[illegible] ac amissionis offi cio[illegible] verò rei alie[illegible] [illegible] in [illegible]

33[illegible] ve[illegible] no[illegible] ciosè præ inuentis ad con[illegible] canthelis aditus pateat ab[illegible] nandi [illegible] a à Summo Pontifice congrua facultat[illegible] record. Vrba[illegible] P.P. VIII. pariter Præ[illegible] noster [illegible] pe[illegible] ius l[illegible] eras confirma[illegible] ad bona in confinibus T[illegible] ad Ca[illegible] ra demolita, T[illegible] infri[illegible] onalia, ce[illegible] hui[illegible] modi bonis Impo[illegible] nec no[illegible] morum gore [illegible] eclarau[illegible] fium [illegible] fixit, intra [illegible] qui nu[illegible] præfatas Con[illegible] traxerat [illegible] receder[illegible] mand[illegible] insuper Notarijs [illegible] terminum [illegible] supradictum in marg[illegible] abolition[illegible] m contractus adnotate [illegible] pœnis in supradictis Cóstitutionibus comminatis, eos, si non paruerint, subijciens. Vt autem quælibet dolosa conuentio, quæ sub palliato dotium constituendarum prætextu in præiudicium S. Sedis iniri posse[illegible] idem Vrbanus VIII. recensitas litteras S[illegible] C[illegible]mentis & Pauli innouans, & confi[illegible] easdem ad quotc[illegible] mque contr[illegible] occasion[illegible] arumlibet dotium [illegible] rati[illegible] ed[illegible] lon[illegible] um, alta-

[illegible] mque mise[illegible] personarum per quascunq; pe[illegible] forenses, ac de quibuslibet bonis iurisd[illegible] onal[illegible] pempe, ac non iurisdictionalibus, stabilibus tamen, celebrandos extendit, atque sua, & Romani Pontificis pro tempore existentis licentia, pœnamque adiecit priuationis eorundem bonorum ad fauorem Cameræ, vel alterius inferioris Ec[illegible] a qua contrahentes illa recognoscerent, omnesque facultates alienandi in non subditos acquir[illegible] ac domicilij non constituédi in [illegible] illuc vsque contra præfatas Con[illegible] concessas reuocau[illegible]

338 [illegible] quò feruentius dd. [illegible] decessorum cura no[illegible] ac iter[illegible] Constitutionib[illegible] inconcussæ studeret [illegible] uatiæ, cò cal[illegible] nonnullorum versutia germ[illegible] earumdem intellectum inuer[illegible] inuenta, quibus sese tutò recipe[illegible] nomodolibet cum forensibus, ac exteris impunè [illegible] aherent speciosa p[illegible] placiti [illegible] Apo[illegible] cum reseruando [illegible] do cla[illegible] non ob[illegible] postolicæ Constitut[illegible] ac ex nunc pro tunc quando cessauerint ea[illegible] bstacula, & no[illegible] aliàs, aliter, nec alio mo[illegible] & alias formulas & clausulas adhibendo, qu[illegible] eorum conse[illegible] conditionaliter tantùm exhiber[illegible] rec. me. Innocentius PP. X. Prædecess[illegible] noster approbatis, & innouatis dd. Prædecessor[illegible] Constitutionibus, eas pariter ad contractus initos cum reseruatione beneplaciti Apostolici, ac cum clausulis, quatenus non obstent &c. ali[illegible] que similibus conditionalem [illegible] sum quomod[illegible] bet inducentibus, ac iurium cessiones super [illegible] us extendit, nec non etia[illegible] d contractua [illegible] (c[illegible] relatione ad m[illegible] & scripturas pe[illegible] hentes existente[illegible] & per Pr[illegible] ratorem, aut negotiorum gestorem [illegible] gore mandati generalis etiam cum decreto Iudicis, vel per aliam quamuismuis priuilegiatam personam cuiuscumque dignitatis, ac speciali nota recentendam [illegible] que quouis iuridicarum solemnitatum appa[illegible] præmu[illegible] tos, cunctosque ita contrah[illegible] pœnis in supra[illegible] Constitutionibus inflig[illegible] ndos decre[illegible] licentiamque in scriptis s[illegible] huiusmodi contractibus implorandam à Ro[illegible] no Pon[illegible] eadem serie contractus explicandam [illegible] ir, derogans cuicumque erubitati, seu [illegible] o, Indulto, aut Decreto Ciuilitatis, quo[illegible] ulo etiam onero[illegible], ac sub quauis amplissima verborum structura concessæ; subdens præ[illegible] simplicem domicilij electionem apud acta publica nequaquam suffragari, sed opus esse, vt priuilegio incolatus quoad præmissa quis vti possit, verè, & realiter domicilium in Statu, vel Vrbe prædictis in perpetuum, [illegible] animo permanendi constituere. Et cum præ[illegible] dictum S. Sedis æquè immineret [illegible] bona propè Vrbem consita dictis Cóstitutionibus supposita nullatenus remaneant, idcirco sub cit[illegible] quæcumque Casalia, Tenutas, & Pedicas, siue iurisdictionalia, siue non vitra quatuor ab eadem Vrbe milliaria comprehendi mandauit. Insuper, vt eò magis dd. Constitutionum obseruantia firmata remaneat, vltra eas per dd. Prædecessores comminatas, addidit pœnas confiscationis bonorum prædictorum, vel eorum pretij, aut eius quod erit loco pretij, siue solutum fuerit, siue promissum, & destinatum, & interim ad cambium

bium, vel sub alio interusurio penes contrahentes, vel alios relictum, si absque prædicta præcedente licentia in fauorem forensis quoquomodo illorum Dominus absolutus fuerit. Sin verò huiusmodi bona fideicommisso, vel Primogenituræ alijuè restitutioni supposita fuerint, tunc durante vita tantùm contrahentis ad Cameram, vel Ecclesiam à qua prædicta bona recognoscerentur spectare decreuit, siue Contractus à Tutore, vel Curatore, vel alio quolibet administratore celebratus fuerit, pœnasque ad arbitrium sui, vel pro tempore existentis Pontificis, eos, qui aliter nomine alieno contraxerint, vel consensum qualitercumque præstiterint constituendas reseruauit, reuocans quascumque licentias contrahendi in fauorem forensium, absque Romani Pontificis facultate vsque illuc quomodolibet concessas. Successiuè autem cunctis, qui contra tenorem dd. Constitutionum de facto contraxisse reperiantur terminum trium mensium, citra tamen præiudicium Cameræ quoad pœnas vigore earum incursas præfixit, quo temporis spatio vnicuique liceret, quod taliter gesserit retractare, ac in pristino statu, quo ante conuentionem erant singula reponere, eoque elapso, ac contractibus huiusmodi nô abolitis ad Cameram bona prædicta pertineant, iniungens simul Notarijs quibuslibet, vt Instrumenta omnia super præmissis per eos confecta exhibere, ac reuocationem gestorum omnium in eorundem margine designare teneantur, loca autem Montium, & Officia Romanæ Curiæ, vti nec suorum Prædecessorum subiecta remansere Constitutionibus, ita pariter ab eisdem exempta fore, nec comprehensa censeri confirmauit.

339 Verum quia ad nostram notitiam deuenit complures forenses præmissis nullatenus attentis bona tam feudalia, quàm allodialia cum iurisdictione, & sine, in nostro Statu Ecclesiastico sita nihilominus possidere, eosque forsan à tenore supradictarum Constitutionum recedendo contraxisse, nos cuncta quæ à præfatis Prædecessoris nostris, vt Subditorum vtilitati, ac nostri Status vberiori incremento consulerent salubriter sancita fuere, pristinæ restituere obseruantiæ, eisque firmiora fulcimenta parare, eaque omnia, & singula, quæ prædictis vllatenus valeant aduersari, etiam si de necessitate exprimenda forent è medio tollere cupientes, prædictarum Constitutionum, ac omnium contrariorum quoquomodo directè, vel indirectè aduersantium, & aliorum quorumcumque de iure exprimendorum tenores, ac series, ac si de verbo ad verbum inserti fuissent pro plenè, & sufficienter expressis, ac insertis habentes. Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura Cõstitutione, Sixti V. Clementis VIII. Pauli V. Vrbani VIII. ac Innocentij X. Prædecessorum Constitutiones, ac omnia, & singula in eis, & earum qualibet contenta, & expressa etiam forsan desuper non enunciata confirmamus, & approbamus, ac inuiolabiliter in omnibus, & per omnia obseruari decernimus, & mandamus. Atque, vt singula in eisdem Constitutionibus expressa plenius executioni demandentur, hac in parte etiam eorundem Prædecessorum vestigijs inhærentes omnes, & singulas facultates, licentias, ac Indulta quæcumque super quibus[illegible] bonis stab[illegible] mentis, ac locis, tam iuris[illegible] risdictione carentibus siue sint fœudalia, emph[illegible] tica, & liuellaria, siue allodialia in quocumque loco Status Nostri Ecclesiastici consistentia c[illegible] trahendi, nec non illa etiam retinendi & n[illegible] bitandi in Vrbe, s[illegible] Nostro Statu Eccl[illegible] Prædecessoribus no[illegible] s, v[illegible] a nobis in fauo[illegible] rensium cuiusuis status gradus con[illegible] gnitatis, ac præeminentiæ, tam laica[illegible] q[illegible] clesiast icæ etiam motu proprio, & [illegible] q[illegible] clausulis, & cauthelis derogat[illegible], ac [illegible] riarum derogatorijs, & reualidat[illegible] reintegratorijs in pristinum sta[illegible] modolibet, qualitercumque, & [illegible] concessas, & impartitas, a[illegible] ta penitus, & omninò reuoca[illegible] abolemus, ac pro reuocatis, a[illegible] tis haberi volumus & manda[illegible] eos, qui hactenus contraxer[illegible] retinuerunt, & possident vig[illegible] cessoribus Nostris, vel à nob[illegible] ò curantes occurrere consilio vnum[illegible] re ipsa exhibendum in actis d[illegible] ranci[illegible] Lucarelli Notarij Cameræ Nost[illegible] s[illegible] cives a die publicationis præsentis no[illegible] nis in hac Vrbe faciendæ adstring[illegible], nec non infra eumdem termin[illegible] m, ac Nostrum Statum respectiuè veni[illegible] redire ibiquè verè, ac cum effe[illegible] animo, ac proposito non reced[illegible] petuoque cum familia manend[illegible] re, prout etiam in eisdem d[illegible] or[illegible] decessorum Constitutionibus p[illegible] in illis respectiuè contentis [illegible] damus. Decernentes sic, & non [illegible]

SVMMARIVM

19 A

A R B O R E S.

340 SEcundò inter bona immobilia numerantur etiam arbores, quæ solo cohærent & affixæ sunt, vnde censentur, & sunt pars fundi. *l.aquissimam. §. fructuarius. ff. de vsufructu l. in feudum. §. conductor ff. de iure fisci, l. diuortio §. si fundum ff. soluto matr.* Est verò arbor lignum in terra fixas habens radices, & virens *l. vitem §. sed si quid sine ff. arborum furtim cæsarum.* Et quòd est lignum durum non est arbor, vt herba, & frutex. Pariter, quòd non emittit radices in terra non est arbor *Donatus p.2. trac.14. quæst.69. num.1* vnde arbores non sunt planto pedamentum, seu palus vitis, trabs terræ infixa, & alia similia, quæ nec radices emittunt in terra, nec ex ea vitalem sucum percipiunt. Vitem autem esse arborem habetur ex *d. l. vitem, & l.2. eod. tit. & l.1. § arboris appellatione. ff. de arboribus cædendis.* Arborum etiam appellatione venire oleas, hederam, arundines, & salictum habetur ex eadem, *l. vitem.* quamuis Glossa ibi aduertat, arundinem impropriè dici arborem.

341 Est vero hic considerandum, quòd arborum, seu syluarum aliæ sunt cæduæ, & aliæ non. Est autem sylua cædua, quæ ad hoc habetur, vt cædatur, & excisa rursus ex stirpibus, aut radicibus renascitur *l. sylua 30. ff. de verb. signific.* quæ descriptio non duplicem sed vnicam continet definitionem, & significat duas ad syluam cæduam requiri conditiones. Prima est vt sylua ad hoc habeatur, vt cædatur, & cædi consueuerit, ita quòd illius vtilitas, emolumentum & fructus consistat in eo, quòd cæditur. Et non interest, quòd sylua sit fructifera, si non habetur nisi vt cædatur, vel si est talis, vt arbores eius nisi aliquando cædantur senescant, & non renascantur, neque fructificent. Secunda conditio est, vt arbores excisæ renascantur vel ex stirpibus, vel ex radicibus: Nam & duobus modis arbores cædi solent, aliæ enim cæduntur vsque ad radices, & aliæ saluo trunco cæduntur quantùm ad ramos, vnde est, quòd arborum aliæ dicuntur renasci ex radicibus, & aliæ ex stirpibus. Ad syluam verò cæduam sufficit, vt altero ex his modis renasci possit. Non est verò necesse, vt arbores statim renascantur, sed sufficit etiam si longiori tempore, dum tamen consueuerint cædi. In hac parte enim præcipuè inspici debent & finis ad quem arbores sunt plantatæ, & consuetudo, seu an solitæ sint cædi. Ex his verò duabus recensitis conditionibus essentialior est secunda scilicet vt arbores cæsæ renascantur, vel ex trunco, vel ex radicibus, tum quia nec erit consuetudo cædendi eam, quæ non renascitur, sed quæ semel cæsa prorsus perit, & deficit, & rarius erit, quòd arbor, quæ incisa non renascitur plantetur vt cædatur. Sed supposito, quòd sylua cæsa renascatur, hoc non sufficit, vt possit dici cædua, si non est plantata vt cædatur, seu non consueuit cædi, & econtra licet aliquos fructus emittat, si tamen finis plantationis syluæ non sunt fructus, sed fructus intentus est syluæ incisio, illa sylua cædua est. Inde est, quòd licet quercus, & castanea ex radicibus vel trunco renascantur, & fructum ferant vel ad hominum, vel ad animalium vsum accommodatum, vbi tamen finis syluarum sit habere ex eis ligna ad nutriendum ignem, vel ad alios vsus, vnde & huiusmodi syluæ consueuerunt cædi, tales dicuntur cæduæ.

342 Colligitur primò ex his, syluam eamdem dici debere cæduam, & non cæduam, sylua enim cædua est pro tempore suæ maturitatis, non verò immatura. Vnde sylua, quæ consueuit cædi ad quinque annos, non est prius cædua, sed consuetudo cædendi attendi debet, & maximè vbi immatura incisio præiudicium ferre possit vel syluæ, vel eis ad quos syluæ fructus pro tempore maturitatis spectare posset. Sylua igitur ad cæsionem immatura non est cædua. *l. cum manu sata. §. sylua, ff de contrahend. empt. Boss. tit. 18. n.424.*

343 Colligitur secundò syluam constantem ex arboribus fructiferis non esse cæduā, etiam si incisæ renascantur. *Barbosa t.6. tr.4. ad extrauag. ambitiosæ num.5.* plures alios referens. Quia hæc non ad cædendum, sed ad fructificandum iuxta sui speciem est plantata, nisi vt dicebatur, fructus eius non haberentur in consideratione primaria, tamquam non ad vsum & pastum accommodati, vel necessarij, sed finis præcipuus plantandi syluam, & habendi esset fructus lignorum incisorum vel ad nutriendum ignem, vel ad aliquem aliud finem. *Donatus d. trac. 14. quæst. 69. nu.5.* Pariter arbores etiam si fru-

si fructiferæ habentur pro cæduis quando iam sunt vetustæ, & inutiliter terram occupant, & iam non sunt vtiles, nisi vt cædantur. Arbores autem frugiferæ ex sui natura sunt vites, oleæ, nuces, castaneæ, poma, & similes fructum ad esum hominum vel animalium, vel ad quemcumque vsum emittentes. Infrugiferæ verò sunt, salix, populus, platanus, cupressus, vlmus, fraxinus, oppium, & similes. Quercus autem seu quælibet arbor glandifera pro frugifera, & non frugifera haberi potest; frugifera enim est, quia glandifera est, & eius fructus maximè vtiles sunt ad alendos parcos; sed infrugifera censeri potest, si glandes eius non sint necessariæ, sed fructus ab ea maximè intentus sint ligna ad nutriendum ignem incisa, vnde & ob hūc finem est plantata.

344 Hinc colligitur tertiò non esse syluam cæduam, quæ est sylua pascua, quæ habetur pecudum pastui destinata, vt collig. ex *l. sylua §. fin. ff. de verbor. signif.*

345 Colligitur quartò non esse syluam cæduam, quæ plantata est licet de arboribus non fructiferis ad amenitatem loci, vt ad vias opacas reddendas, vel ad alium finem non nisi ex sylua non incisa prouenientem. *l. æquissimum. §. fructuarius ff. de vsufructu.*

346 Colligitur quintò, quòd Cupressus, pinus, & similes arbores, quæ incisę arescunt & non renascuntur, non integrant syluam cæduam *Barbosa tom. 6. tract. 4. ad extrau. ambitiosæ nu. 3.* & apud eum *Mieres, Gama, Gutierr. & Castell. & alij etiam relati num 4. Donatus d. trac. 14. quæst. 69 num. 9. Quaranta v. alienatio. num* 33. Nam & dato, quòd primus plantator habuerit intentionem plantandi syluam Cupressinam, vt tandem illam cæderet, & ligna cupressina ad vsum aliquem haberet, non per hoc sylua dicenda esset cædua, cum eius arbores non renascantur. Et nihilominùs, quia istæ arbores ex eorum fructibus nascuntur, si sylua cupressina esset plantata ad habendas trabes & ligna pro ædificijs, vnde etiam consuetudo esset vt aliquando cæderetur pro parte, habenda esset tamquam cædua, quia adhunc finem plantata.

347 His verò præmissis dicitur primò, incisionem syluæ cæduæ non esse prohibitam, quia nec per huiusmodi incisionem deterioratur fundus *l. diuortio § si fundum. ff. solut. matrim.* & in incisione huius syluæ fructus eius consistit; igitur esto Ecclesiasticus non sit dominus fundi, si tamen est eius vsufructuarius, seu si fructuum dominus, aut administrator, & collector, potest syluam sic cæduam tempore suo incidere, & fructum huuc ex ea colligere, & de eo disponere. *l. sylua cædua. ff. de verb. significat. Ricc. in praxi aurea p. p. resol. 50. num. 2. Grat. t. 1. discept. 21. num. 9. Barbosa ad extrau. ambitiosæ numer. 33. Ricc. p. p. praxis. res. 50. nu. 2. Donat. d. trac. 14. quæst 69 num. 11. Quaranta v. alienatio num. 33. Redoanus rubr. de caducitate ob rei deteriorationem. & vt discurratur num. 14. pag. mihi 510. Boss. d. tit. 18. num. 431. vbi num. 432. & 433.* meritò reijcit limitationem Petri Barbosæ & Gabrielis de Bellis distinguentium inter vsumfructuarium cui principaliter concessus est vsus syluæ, & vsufructuarium cui concessus est vsus fundi cui est annexa sylua, & dicentium cum vsufructuarium cui principaliter est traditus vsus fundi, cui est annexa sylua non posse syluam cæduam inci[illegible] le incidere ramos quate[illegible]us [illegible] ex[illegible] tur, vel ad pudamenta habenda pro vincis. N[illegible] si sylua est cædua nec deterioratur fundus ex inci[s]ione, & in hoc consistit fructus fundi in [illegible] est plantata sylua, quod sylua incidatur vnd[illegible] fructuarius potest suo tempore syluam ma[illegible] incidere & idem potest Ecclesiasticus v[illegible] rius fundi Ecclesiastici.

348 Bene verum est, quòd in cædendo [illegible] cæduam debet seruari tempus m[a]turita[illegible] fides & arbitrium boni viri, & d[e]o [illegible] primum ne causetur damnum fund[illegible] immatura incisione damnum patian[illegible] incurrant vel periculum mortis, & [illegible] a [illegible] fiant ad fructum debiliores. Secund[illegible] e har[illegible] num tertiò ex eo, quòd in[illegible] t[u]nc [illegible] ad incidentem, sed pertinere debe[illegible] a [illegible] successorem. [illegible]obus enim ist[illegible] [illegible] ta consuetudinem & stylum sylua c[illegible] nec fit damnum fundo, & ligna [illegible] fructus pertinentes ad incidentem [illegible] tum arbores etiam grande s, [illegible] r[en]a-scentes, & etiam vsque ad rad[illegible] pot[illegible] ere, & tunc vtitur iure suo, quia tunc a[illegible] maturus sibi debitus.

349 Dicitur secundò, nec vsufru[illegible] aut Emphyteutæ, nec Ecclesiastico bona [illegible] æ administrante licitum esse incidere fru[illegible]as arbores, vel syluas non cæduas. E[t] ratio [illegible] po[illegible] to, quia per incisionem talium arbo[illegible] tur fundus, cum impediatur n[illegible] car[illegible] illos, quos arbores non incisæ pro[d]ux[illegible] quos habendos sylua est plantata. *R[illegible] bos. Quarania; Redoan. Bossius citat[illegible]* & al[illegible] plures ab istis citati.

350 Vnde est primò, quòd [illegible] a ad pastū animalium plantata, quia h[illegible] ra, & non cæduæ & pro ani[illegible] ordinata *l. æquissimum, §. fruc[t]uarius, l. [illegible] ff. de vsufructu, l. in fraudem, § condu[illegible] & l. diuortio, § si fundum, ff. solut. mat[r]im. [illegible] communiter.* Vnde est, quòd talium ar[b]or[illegible] comparatur demolitioni domorū. *d. [illegible] & l. & eleganter §. non solum, ff. de dol[o].*

351 Sequitur secundò, quod (qui[illegible] trarium voluerint *Curtius senior cons[illegible] [illegible]otus, Rauianus, Giurba,* quos sequutus [illegible]iar *inu contr. tom. 1. cap. apud Bo[ss]ium t. t8. n. [illegible] & R[illegible] decis. 1356. num. 3. coram Seraphino*) no[n] po[illegible] t [illegible] cidi arbores grandes infrugiferæ [illegible] æ ne[illegible] non renascuntur, nec ad incisionem sunt deputa[illegible], vt habetur satis clarè ex *l. sylua cædua ff. de ve[rbor] significatione, & [l.] diuortio §. si fundum, ff. s[olut.] matrimon.* vnde [l.] *æquissimum, §. Fructuarius, [illegible] vsufructu,* debet intel[l]i[gi] iuxta [illegible]as l[e]ges vt [illegible] nomine arborum frugiferarum [illegible] iga[illegible] et a[illegible] frugiferas non cæduas, ve[l] eas no[n] excl[ud]at v[illegible] Paulam de Monte Picco, *Rebuff. Gam. Petr. Barb[illegible] Gabriel. de Bellis Caualcanum,* [illegible] a ios [illegible] radi[illegible] c[illegible] *Nauar. cons. 7. de reb. Ecc[l.] [n]on a[lien.] n. Ricc. p. 1. prax[is] res. 50. num. 1. Barbos. tom 6. [tr]. 4. nu. [illegible]. ex Bal[illegible]. c[illegible] 290. dub 2. l. 2. Quarant. v. [alie]nat[io] num. 23. Bo[ss]. d. tit. 18. num. 441.* Nam & huiusm[odi] arborum mu[ltæ] licet non renascantur ex radicibus f[r]ugi[fer]æ [illegible] ex [incis]ione, vt patet in salice populo, vlmo, & al[ij]s.

E[illegible]

Et vbi ex ramorum incisione non haberetur vtilitas, ad aliud possunt deseruire, & deseruiunt, & quatenus ad aliud non valerent, quàm ad habendum ex eis tabellas, & trabes, huiusmodi non est fructus solitus colligi ex fundo singulo anno, vel annorum determinato circulo, sed ad domini arbitrium, vnde non habent istæ arbores terminum maturitatis vel ex natura, vel ex consuetudine, sed in domini arbitrio, qui potest velle expectare, vt arbores summè crescant in altitudine, & latitudine. Et ideò harum arborum incisio non potest computari in fructum eius vsufructuarij, cui datur ius colligendi fructus solitos, & ad tempus determinatum.

352 Nihilominùs pluribus in casibus licet arbores non cæduas, non frugiferas, aut etiam frugiferas cædere. Primus est, si adsit consuetudo eas cędendi ad vsũ lignandi, ędificandi aut aliũ vsum. In his enim plurimũ valet consuetudo, quam tamē non licet excedere, sed iuxta arbitrium boni viri ea seruari potest. *Redoan.vbi supra nu.18. 21. Barbosa tom.6.lib.3.tit.4. de rebus Eccles.non alien. nu.3. Bossius d.tit.18. nu.442.* & apud eum *Ciarlinus com. tom.1.cap 2.num.71.& c.51.n.34.& aly.*

353 Secundus casus est si arbores frugiferæ sint iam vetustæ, & corruptioni proximæ, aut steriles, vt vel nullum, vel solitos fructus amplius non producant, tunc enim à fructuario cædi possunt, si tamen alias loco ipsarũ in eadem vel meliori qualitate, & quantitate substituat. *Gratianus tom. 1. discept.21. num 22. Quaranta v. alienatio num.33. Redoan.vbi supra num.13.Ricc.d.resol.50.num.4. Rota decis.553.num.2.par.2.recent.Peyr.tom.1. ad Constit.9. Iuly II. num.20. Donatus d.tract.14.q.69.n.13. Bonac.de alienat.p.2.nu.8.Tambur.de iure Abb. to.3. disp.13. q.3. num.4. Boss. d.tit 18.num.443.* Aduerti verò debet, quòd arbores sint verè vetustæ, & in fructu deficientes, & minus vtiles, quia si sint paulò vetustæ, cum hæ soleant esse & fœcundiores, & fructus producere suauiores, non licet eas incidere. Quamuis vbi non immineat damnum successori, sed nouæ plantæ substitutæ tempore incidentis peruenirent ad statum talem, vt excisarum adæquent vtilitatem, posse arbores etiam non vetustas cædi alijs locum earum substitutis ex *Petro Barbosa in l.diuortio, §.si fundum, ff.soluto matrim.num.19.* tradit *Boss.vbi supra*. Quia in eo casu non est deterioratio in fundo, sed in fructibus ad incidentem pertinentibus (vt supponitur,) vnde propter hanc deteriorationem incidens nec amittet ius suum, neque tenebitur domino fundi ad aliquod interesse iuxta *Baldum in authent.qui rem num.2. C. de Sacrosanct. Eccles. & Picum in d.l.Titia cum testamento, §. fin. num. 121. & alios ab eodem Barbosa citatos*. Sed si durante iure incidentis arbores substitutæ non peruenerint ad æqualem bonitatem incisarum, tunc fundus censebitur deterior factus, & incidens amittet ius, & tenebitur domino ad interesse.

354 Tertius casus est earum arborum frugiferarum, quæ talis sunt qualitatis, vt nisi certis annis cædantur, citius senescunt, & steriles fiunt. Istæ enim licet, quia sunt frugiferæ inter cæduas nõ numerentur, sunt tamen pro certis annis cæduæ, & possunt iuxta patrię stylum & vtilitatis earum exigentiam cædi, *Barbosa tom.4.ad Extrau. Ambitiosæ num.35. Boss.d.tit.18.num.224.& 243.fin.*

355 Quartus casus est, si arbor sit causa damni, & impediat ne ex fundo vberiores fructus colligantur, vt quia vmbra impedit solis influxum, vel radicibus attrahendo totum terræ alimentum, facit, vt terra vicina sit infœcunda, & maximè si huiusmodi arbores sint plures, & densæ, & sese impediant, ne vberes fructus producant, seu impediãt vites propinquas, ne fructus pariant; certum enim est quòd arbores & propter vmbram, & propter radicum earum extensionem ob quam maximam partem terræ vicinæ occupant, & terræ sucum ad se attrahunt, grauia damna sæpe afferunt fundis. Et ideò in hoc casu quia non deterioratur fundus, sed melioratur, possunt à fructuario, & ab administratore bonorum Ecclesiæ cædi. *Redoan.vbi supra num.26. Ricc.num.5. Nauar.cons.6. de reb. Eccl. non alien. Quaranta d.num.33. Rodriq.tom.1.qu.27. art.1. Bonac.d.num.8.Peyr.ad d.Constitut.9. Iuly II. num.18.Tambur.vbi supra nu.2. Boss.d.tit.18.n.444. Donat.par.2.tr.1.4.q.69.num.14.& q.70.Rodriq.to.1. q.27.a.1.* Addit *Redoan.num.26.* quòd quando arbores essent nociuæ fundo vicini, essent quindecim pedes a terra coërcendæ, ex *l.1.§.fin ff.de arb.caden.* cui consentit *Boss.vbi supra*, & aduertit *Tamburin. ex Nauar. cons.6.* quòd sicut huiusmodi arbores possunt cædi sine requisito beneplacito Apostolico, ita & cesæ vendi possunt, seu alio modo alienari, quia sunt res mobiles, quæ seruando seruari non possunt.

356 Hunc verò casum limitat *Sopranus in Appendice ad Filliuc.tract.44.cap.4.num.18.* vt si arbores sint magni valoris non possint cædi sine beneplacito Apostolico, quia res Ecclesiæ etiam in casu manifestæ vtilitatis non possunt alienari sine beneplacito Apostolico. Sed merito limitatio non admittitur à *Boss.num.471.* Tum quia nec est certũ quod arborum incisio veniat sub nomine alienationis, & comprehendatur sub Paulina. Tum quia regula est, quod in hac materia vsufructuarius, & beneficiatus æquiparentur, vt bene aduerterunt, *Quaranta v.alienatio nu.33. Ricc.d.resol.50. Redoan. q.3. de spolys Boss.d.tit.18.num.423. Gloss.in cap.p.æsenti v. reseruari,de off.Ordinary in 6.* & ibi *Barbosa num.8.* At verò absolutè, & indistinctè posse vsufructuarium cædere arbores nociuas sine licentia Domini tradunt DD.communiter. Sed certè nec in omnibus Rector Ecclesiæ æquiparatur vsufructuario. Est quidē inter eos similitudo in hoc, quòd nullus est dominus fundi, & nullus potest damnificare fundum in præiudicium domini, sed non est in hoc similitudo, quod vsufructuario non est prohibita alienatio speciali quadam lege, etiam supposita vtilitate fundi, & Domini sicut est prohibitum Rectori Ecclesiæ sine beneplacito Apostolico. Et ideò si propriè loquendo incisio arborum est alienatio, illa est prohibita sicut etiam vbi sit vtilis nisi consulatur Papa, & eius beneplacitum obtineatur. Nihilominus in hoc standum est praxi, & consuetudini, & puto communem sententiam esse veram, scilicet quod arbores damnosę cædi possint vbi fundus melior fiat, quia nec est certum, quòd incisio arborum sit alienatio, & quia quatenus praxis habeat illam vt alienationem, simul praxis habet, vt huiusmodi arbores cædi possint sine solemnitatibus ad alienationem necessarij, vt

in hoc ex praxi assimilentur vsufructuarius, & Ecclesiæ Rector.

357 Quintus casus est, secundùm aliquos, vt administrator rei Ecclesiæ possit sine beneplacito Apostolico sylnam non cæduā cedere, si aliàs vsus fundi, vel sylux esset sibi omnino inutilis. Ita *Boss. d.tit.18.num 444. & 471.* Ratio eius est, quia in hoc casu posse vsufructuarium sine licētia proprietarij cædere syluam non cæduam dixerunt, *Tiraquel.de retract §.3. gloss. vnica num.30. Corocčius de locato p.4.gradu 4. q.7. num.29.Molina de primogen. l.1.cap.22 num.5.* Nam quælibet dispositio intelligitur, vt non sit inutilis, *l.quoties in actionibus, ff.de rebus dubijs.* Sed non video qualiter hic casus sit possibilis, nisi quatenus ad aliquem ex dictis, aut dicendis reducatur. Quia si sylua est frugifera, fundus eius non est inutilis: quòd si inutilitas resultet in aliam partem fundi, iam hic casus non est à quarto præcedenti distinctus. Et adhuc debet considerari an maior sit vtilitas quæ ex sylua habetur, seu ex arboribus, quàm illa, quæ ex incisione speratur. Et vlteriùs etiam si sylua non esset ex arboribus frugiferis, considerandum esset, an illa à Domino esset ad amœnitatem, vel venationem, vel alium finem plantata, & attendendum est ne mutaretur forma, & alia consideranda essent, quæ & dicta sunt, & dicentur.

358 Sextus casus est, vt liceat fructuario ex arboribus non cæduis cædere ramos, & pedamenta, seu palos ad vsum vineæ, licet non ad vendendum. Addit verò multis citatis, *Barbosa d.tom.6 in addit. tit.4. de reb.Eccl.non alien. n.8.* hoc non licere nisi in casu necessitatis, tunc cum fructuarius aliunde non habet, vt vineæ prouideat. Sed ex *Petro Barb.in l.diuortio, §. fundum nu.11.de solut. matrim. Boss.d.tit.18.num.445.* hoc non probat, quia absolutè, & sine limitatione in *l. ex Sylua, ff. de vsufructu,* conceditur fructuario excidere palos ad vsū vineæ. Verum est, quòd in ea lege apponitur conditio, *dum ne fundum deteriorem faciat,* qua conditio valde limitat hanc facultatem, quia difficile est, vt ex sylua non cædua sed frugifera cædantur rami fructum afferentes, & non deterioretur fundus, Vnde *Paulus de Monte Pico in l.Titia cum testamento, §.fin.num.119. ff. de legat.2.* apud eundem *Boss.* iudicauit eam partem dictæ legis non posse verificari nisi in sylua cædua. Nec satisfieri videtur ex eo, quòd considerauit *Petrus Barbosa;* quia nimirum incisio ramorum frugiferorum magis detrimentum fert quantùm ad fructus, quos interim non colligit fructuarius, quam quantùm ad fundum; Nam si rami illi non renascuntur eorum incisio damnificat fundum qui priuatur parte frugifera; sed etiam si renascantur sed tardiùs detrimentum poterit extendi vltra terminos iuris incidētis. Vnde meliùs dici poterit, quòd lex illa, quæ expressè loquitur de incisione ramorū syluæ non caduæ, intelligi debeat de detrimento notabili, & quòd non liceat fructuario ramos cædere ex arboribus non cæduis cum notabili detrimento, & deterioratione fundi, & sic quod nec in casu in quo fructuarius aliunde non habet, non liceat ei deteriorare notabiliter fundum cædendo ramos ex arboribus non cæduis pro palidamentis vineæ, nisi in eo casu, in quo relicta vinea sine palidamentis fundus deterior valdè fieret [illegible] in [illegible]

propterea casu, quòd fructuario licet facere sine licentia Domini, licet etiam administratori bonorum Ecclesiæ sine beneplacito Apostolico. *B*[illegible] *supra num.472.*

359 Septimus casus est vt fructuario liceat [illegible] dere syluam seu arbores nō quidem pro æd[illegible] da noua domo etiam in prædio, aut villa ad [illegible] arbores spectante, sed ad eiusdem prædij, aut domus reparationem dummodò id fiat cū [illegible] tione & iudicio, & fundus non det[illegible]riot[illegible]tur [illegible] biliter, vt ferè maius sit detrimentum inc[illegible] q[illegible] non reparationis. Sic enim ex *Paulo d*[illegible] *te Pico ad d.l.Titiam, §.final.num.118.* [illegible] *Mo*[illegible]*n. primogen l.1.c.22.nu.6.& Petro Barb*[illegible]*sa ad d. l. diuortio, §. si fundum num.24.* tenet *August.* [illegible] *tom.6.loco citato num.7. & ex Bald in l.diuo*[illegible] *fundum, ff.solut. matrim. Redoan. vbi sup*[illegible] *pag.511. & ad d. §.si fundum, Aret.ad fin.* [illegible] *num.2. Carocius de locato p 4. gradu 4.* [illegible] *num* [illegible] *Cäarlinus tom.1. controu. cap.51. num.19. & 28.* Se[illegible] autem fundat hæc opinio in *l. arboribus, ff.* [illegible] *fructu,* nam eam diuidens in duas par[illegible] pri[illegible]maque earum dicens sermonem esse d[illegible] ar[illegible]us casualiter vi ventorum, aut alia ex [illegible] sis, quibus vsuarius potest vti ad vsum su[illegible] & vi[illegible]æ, in secunda inquit sermonem ess[illegible] de ar[illegible]us ab[illegible]lutè, & sic in ea conceditur vti arbo[illegible] ma[illegible]teria ad villæ refectionem. Quod [illegible] primo, quoniam verbum *succidere,* quo vt[illegible] tus non conuenit arboribus iam c[illegible] a[illegible] vetentibus & solo cohæ[illegible]tibus & [illegible] quæretur dixisset licere ad [illegible] posse auferre, non verò eum posse [illegible] d re[illegible] Secundò quia si in illa secunda parte [illegible] euulsis idem inutiliter repeteret; Nam [illegible] ri parte dixisset fructuarium posse ar[illegible]ribus v[illegible]torum euulsis vti ad vsum suum, & vi[illegible]æ, quo[illegible] dicere, quod potest vti illis ad refe[illegible]io[illegible]em do[illegible] eiusdem villæ, superfluè hoc idem reper[illegible] cunda parte. Tertio, nam cum ex *l.ex* [illegible] *tit.* fructuarius possit cædere arboru[illegible] non cæ[illegible]rū ramos ad vsum vineæ, multò m[illegible]gis poterit a[illegible]boribus iam euulsis ad domus eiusdem vi[illegible]æ [illegible]ctionem. Quartò, nam cum domum vi[illegible]læ [illegible] pa fructuarij collapsam teneatur resarcire [illegible]tarius vineæ, vt post alios tenet *Layman* [illegible] *cap.23.num.7.vers.si tamen* ergo erit p[illegible] fructuario etiam arbores cædere ad dom[illegible] [illegible]ationem, cum in hoc vtiliter agat negotium [illegible]mini, & eius vices agat.

360 Verùm contrarium senserunt *Tiraqu*[illegible] *de contractu conuentionali §.3.glos.vnic. num.2*[illegible] *don. Molina de primog.l.2.c.22. num.6. Petrus* [illegible] *in d.§.fundum l.diuortio.ff solut.matrim.num.* [illegible] *ca de tacit.& ambig.conuent.l.22.tit.29. nu.3* [illegible] *briel de Bellis de vsufructu cap.4. num 3.quo*[illegible] *& sequitur Boss.d.tit.18. num.447.* Tum pro[illegible] neralitatem *textus in d.l.diuortio §.si fundum* [illegible] *matrim.& in l.æquissimum.§.fructuarius, ff d*[illegible] *ctu.* *Tum quia in d.l. arboribus,* etiam in se[illegible] illa parte sermo est [illegible] de arboribus vi ve[illegible]rum euulsis, aut impe[illegible] fluminis [illegible] ie[illegible]is [illegible] enim sensu legem illam intellexeru[illegible] *Gloss.* [illegible] *Florian.in princ. Alber cons.55.num.7.* [illegible] *l.adou.dec.Perus.5.num.2. Alex.in d.§.si fund*[illegible] *L* prob[illegible]tur ex i[illegible]la [illegible] atiua textus *materiam*

tem

tem, quæ præcedenti parti cohæret, & restringit, & cogit intelligere eamdem secundam partem de eisdem arboribus euulsis vi ventorum, de quibus sermo fuit in prima. Tum quia in oppositum adducta non probant. Verbum enim *succidere* optimè huic sensui est accommodatum, quia non dicit textus, quòd liceat succidere arbores, sed quod liceat succidere materiam: Etenim arbores euulsæ tales quales sunt integræ non sunt ad ædificium materia congrua, sed ex illis materia opportuna non nisi per incisionem habetur. Nec aliquod superfluum est in textu hoc sensu admisso; sed cum in priori illa parte negatum fuerit fructuario posse arboribus euulsis, vt pote ad proprietarium spectantibus (ijs enim euulsis & infructuferis redditis cessat vsusfructus) vti ad finem ædificandi, hoc in secunda parte limitatum est, & dictum fuit, licere ex dictis arboribus succidere materiam pro reparatione domus prædio cohærentis. Quòd verò ad vsum vineæ concessum sit succidere pedamenta, non per hoc debet inferri, quòd etiam succidi possit materia ad ædificium, quia immò ex quo hoc non est in ea lege *ex sylua* concessum, infertur illud non esse permissum. Pariter ex eo, quòd reficere domum villæ collapsam sine culpa fructuarij pertinet ad proprietarium, non sequitur, quòd fructuarius possit cædere arbores fructiferas ad illius reparationem, sed hoc relinquere debet proprietario cuius est domum reficere. Et ita hæc sententia arbitratur, quòd fructuarius possit quidem arboribus vi ventorum casualiter euulsis vti ad vsum proprium, & villæ, in casu tamen necessitatis, & similiter eum posse huiusmodi arboribus vti ad refectionem domus ruralis ad prædium pertinentis, non tamen eum posse cædere arbores ad illum effectum.

361 In hac controuersia hoc dicendum est primò, fructuarium nedum non posse cædere arbores non cæduas pro ædificanda noua domo etiam in fundo in quo sunt arbores, sed ad hunc finem eum nec posse vti arboribus vi ventorum, aut tempestatis, aut terremotus, aut fluminis deiectis nisi in casu explicando *Paulus de Monte Pico in d. l. Titia §. fin num.* 118. *Petrus Barbosa in d. §. si fundum nu.* 14. *Mantica d. tit.* 29. *num.* 36. *Ciarl d. cap. num.* 26. *Boss. d. tit.* 18. *num.* 448. Quoniam Iurisconsultus in *d. l. arboribus* satis ostendit, non licere vti præfatis arboribus ad nouum ædificium, cum se ad ædificij reparationem restrinxerit. Loquendo igitur de reparatione distinguendum est, nam vel sumus in casu in quo reparare ædificium spectat ad proprietarium, vel in quo spectat ad fructuarium. In primo casu nihil potest fructuarius, quia ad eum non spectat restaurare ædificium collapsum, sed proprietarij erit considerare, quid sibi sit melius, & vnde magis commodè sumat materiam ad restaurationem opportunam. Et ita in sententia, quæ tenet, quòd reparare ædificium sine culpa fructuarij collapsum pertineat ad proprietarium, non est vnde fructuarius velit ad hunc finem arborem cædere, cum ad ipsum non pertineat reparare, quod est collapsum. Sed si simus in casu, in quo reparatio spectet ad fructuarium, subdistinguendum est. Nam vel hæc reparatio fieri debet expensis eius, vt quia ædificium culpa eius est collapsum, & in hoc casu nedum fructuarius non potest deteriorare fundum cædendo arbores, sed nec etiam potest materiam succidere ex arboribus vi ventorum euulsis; quia tales arbores sic euulsæ spectant ad proprietarium, vt aptè supponitur in *d. lege arboribus*, & habetur *l. proculus* 13. §. *si arbores ff. de vsufr. Grat. discept.* 21. *num.* 1. *vbi ex Flor.* discrimen ponit inter arbores vetustas, & vi ventorum euulsas, quòd illæ cum à natura factæ sint tales, pertinent ad fructuarium tamquam obuentiones aut fructus naturales, fructuario enim debentur fructus omnes, qui naturaliter possunt percipi. *l. item si fundi. ff. de vsufructu.* Sed à casu est, quòd arbores vi ventorum euellantur, vnde non computantur inter fructus, & aliàs ex opposito sequeretur, quòd si omnes arbores vi ventorum euellerentur, & omnes essent fructuarij, quod esset inconueniens maximum. Addit tamen *Grat. num.* 19. *ex Camp. de dot. p.* 2. *quæst.* 29. *numer.* 1. quòd arbor vetusta, & euulsa vi ventorum est fructuarij, si loco eius aliam plantauit. Quod verum est respectu arboris vetustæ, & ex hoc habetur, quòd nec arbor vetusta est fructuarij nisi loco eius aliam plantet. Sed non potest habere locum in arbore euulsa, quia fructuarius non potest plantare nouam arborem eam citò, cum qua possit compensare arborem grandem euulsam, quæ est domini, cuius etiam est cura aliam plantandi. Fructuarius propterea non potest eis, quæ proprietarij sunt vti ad ædificium proprijs suis expensis reparandum. Sed si ædificium sit reparandum expensis proprietarij, seu ex fundo ipso, in hoc casu locum habebit prior sententia, quia scilicet tunc poterit pro refectione etiam cædere arbores non cæduas, dummodò id fiat cum discretione, & iudicio, & fundus non deterioretur notabiliter ita vt ferè maius sit damnum incisionis, quàm non reparationis. Et hoc probatur ex *d. l. ex sylua*; quia si licet cædere arbores pro paludamenti, vineæ, multò magis licebit cædere arbores pro necessaria refectione domus. Tum secundò, quia per huiusmodi discretam incisionem non deterioratur fundus, sed melioratur, at verò fructuario permitti tur meliorare fundum. *l. æquissimum §. vnde est ff. de vsufructu.* Tum tertiò, quia in hoc casu fructuarij est domum reparare, & non ex proprio, sed ex fundo; igitur ex arboribus, qui in fundo sunt potest discretè & vtiliter succidere materiam necessariam ad reparationem.

362 Ex his colligitur, quid dicendum sit de arboribus ad Ecclesiam spectantibus. Beneficiatum enim posse pro refectione domus Ecclesiæ cædere arbores non cæduas affirmant *Bonac. de alien. p.* 2. *num.* 8. *casu* 3. *& Boss. d. tit.* 18. *nu.* 472. saltem quando beneficiatus non habet fructus, & necessitas vrget. Et hoc cum ista limitatione admittitur & ita vt id fiat alias substituendo & cum minori damno fundi, quòd possit fieri. Beneficiati enim est, seu Præsulis, aut Rectoris habentis administrationem temporalium bonorum Ecclesiæ eiusdem domos collapsas reparare; quod si id facere non possit ex fructibus ex fundo Ecclesiæ receptis poterit id præstare ex fundo ipso, & sic poterit discretè, & cum iudicio, & Ecclesiastici fundi vtilitate, vrgente necessitate ex arboribus fundi materiam necessariam succidere, & interim nouas arbores loco incisarum substituere.

363 Octauus casus est, vt fructuario liceat cæ-

in hoc ex praxi assimilentur vsufructuarius, & Ecclesiæ Rector.

357 Quintus casus est, secundùm aliquos, vt administrator rei Ecclesiæ possit sine beneplacito Apostolico sylnam non cæduā cedere, si aliàs vsus fundi, vel sylua esset sibi omnino inutilis. Ita *Boss. d.tit.18.num 444. & 471.* Ratio eius est, quia in hoc casu posse vsufructuarium sine licētia proprietarij cædere syluam non cæduam dixeruot, *Tiraquel.de retract §.3. gloss. unica num.30. Caroccius de locato p.4.gradu 4. q.7. num.29. Molina de primogen. l.1.cap.22 num.5.* Nam quælibet dispositio intelligitur, vt non sit inutilis, *l.quoties in actionibus, ff.de rebus dubijs*. Sed non video qualiter hic casus sit possibilis, nisi quatenus ad aliquem ex dictis, aut dicendis reducatur. Quia si sylua est frugifera, fundus eius non est inutilis: quod si inutilitas resultet in aliam partem fundi, iam hic casus non est à quarto præcedenti distinctus. Et adhuc debet considerari an maior sit vtilitas quæ ex sylua habetur, seu ex arboribus, quàm illa, quæ ex incisione speratur. Et vlteriùs etiam si sylua non esset ex arboribus frugiferis, considerandum esset, an illa à Domino esset ad amœnitatem, vel venationem, vel alium finem plantata, & attendendum est ne mutaretur forma, & alia consideranda essent, quæ & dicta sunt, & dicentur.

358 Sextus casus est, vt liceat fructuario ex arboribus non cæduis cædere ramos, & pedamenta, seu palos ad vsum vineæ, licet non ad vendendum. Addit verò multis citatis, *Barbosa d.tom.6 in addit. tit.4. de reb. Eccl.non alien. n.8.* hoc non licere nisi in casu necessitatis, tunc cum fructuarius aliunde non habet, vt vineæ prouideat. Sed ex *Petro Barb.in l.diuortio, §. fundum nu.11.de solut. matrim. Boss.d.tit.18.num.445.* hoc non probat, quia absolutè, & sine limitatione in *l. ex Sylua, ff. de vsufructu*, conceditur fructuario excidere palos ad vsū vineæ. Verum est, quòd in ea lege apponitur conditio, *dum ne fundum deteriorem faciat*, quæ conditio valde limitat hanc facultatem, quia difficile est, vt ex sylua non cædua sed frugifera cædantur rami fructum afferentes, & non deterioretur fundus. Vnde *Paulus de Monte Pico in l.Titia cum testamento, §.fin.num.119. ff. de legat.2.* apud eundem *Boss.* iudicauit eam partem dictæ legis non posse verificari nisi in sylua cædua. Nec satisfieri videtur ex eo, quòd considerauit *Petrus Barbosa*; quia nimirum incisio ramorum frugiferorum magis detrimentum fere quantùm ad fructus, quos interim non colligit fructuarius, quam quantùm ad fundum; Nam si rami isti non renascuntur eorum incisio damnificat fundum qui priuatur parte frugifera; sed etiam si renascantur sed tardiùs detrimentum potest extendi vltra terminos iuris incidētis. Vnde meliùs dici poterit, quòd lex illa, quæ expressè loquitur de incisione ramorū syluæ non cæduæ, intelligi debeat de detrimento notabili, & quòd non liceat fructuario ramos cædere ex arboribus non cæduis cum notabili detrimento, & deterioratione fundi, & sic quòd nec in casu in quo fructuarius aliunde non habeat, non liceat ei deteriorare notabiliter fundum cædendo ramos ex arboribus non cæduis pro paludamentis vineæ, nisi in eo casu, in quo relicta vinea sine paludamentis fundus deterior valde fieret. In simili

propterea casu, quòd fructuario licet facere sine licentia Domini, licet etiam administratori bonorum Ecclesiæ sine beneplacito Apostolico. *Boss. vbi supra num.472.*

359 Septimus casus est vt fructuario liceat cædere syluam seu arbores nō quidem pro ædificanda noua domo etiam in prædio, aut villa ad quam arbores spectant, sed ad eiusdem prædij, aut villæ domus reparationem dummodò id fiat cū discretione & iudicio, & fundus non deterioretur notabiliter, vt ferè maius sit detrimentum incisionis, quam non reparationis. Sic enim ex *Paulo de Monte Pico ad d.l.Titiam, §.final.num.118. & Molin. de primogen l.1.c.22.nu.6. & Petro Barbosa ad d. legem, diuortio, §. si fundum num.24. tenet August. Barbosa tom.6.loco citato num.7. & ex Bald.in l.diuortio, §.si fundum, ff.solut. matrim. Redoan. vbi supra num.23. pag.511. & ad d. §.si fundum, Aret.ad fin. Alexandr. num.2. Caroccius de locato p 4. gradu 4. q. num.28. Ciarlinus tom.1. controu. cap.51. num.19. & 28.* Se autem fundat hæc opinio in *l. arboribus, ff. de vsufructu*, nam eam diuidens in duas partes, in primaque earum dicens sermonem esse de arboribus casualiter vi ventorum, aut alia ex causa euulsis, quibus vsuarius potest vti ad vsum suum & villæ, in secunda inquit sermonem esse de arboribus absolutè, & sic in ea conceditur vti arboribus pro materia ad villæ refectionem. Quod probat primò, quoniam verbum *succidere*, quo vtitur Iurisconsultus non conuenit arboribus iam euulsis, sed adhuc virentibus & solo cohærentibus, & si de euulsis loqueretur dixisset licere ad eum finem fructuarium posse auferre, non verò eum posse succidere. Secundò quia si in illa secunda parte loqueretur de euulsis idem inutiliter repeteret. Nam cum in priori parte dixisset fructuarium posse arboribus vi ventorum euulsis vti ad vsum suum, & villæ, quod est dicere, quod potest vti illis ad refectionem domus eiusdem villæ, superfluè hoc idem repeteret in secunda parte. Tertio, nam cum ex *l.ex sylua. ff.eod. tit.* fructuarius possit cædere arborum non cæduarū ramos ad vsum vineæ, multò magis poterit arboribus iam euulsis ad domus eiusdem villæ refectionem. Quartò, nam cum domum villæ sine culpa fructuarij collapsam teneatur resarcire proprietarius vineæ, vt post alios tenet *Layman lib.3. tr 4. cap.23.num.7.vers.si tamen*, ergo erit permissum fructuario etiam arbores cædere ad domus reparationem, cum in hoc vtiliter agat negotium domini, & eius vices agat.

360 Verùm contrarium senserunt. *Tiraquell. de contractu conuentionali §.3.glos.vnic. num.29. Ludou. Molina de primog.l.2.c.22. num.6. Petrus Barbosa in d.§.fundum l.diuortio, ff. sol. matrim.num.13. Mantica de tacit. & ambig.conuent.l.23.tit.29. nu.31. Gabriel de Bellis de vsufructu cap.4. num 3. quos refert, & sequitur Boss.d.tit.18. num.447.* Tum propter generalitatem *textus in d.l.diuortio §.si fundum ff.solut. matrim. & in l.æquissimum.§.fructuarius, ff.de vsufructu. Tum quia in d.l. arboribus*, etiam in secunda illa parte sermo est tantùm de arboribus vi ventorum euulsis, aut impetu fluminis deiectis, in hoc enim sensu legem illam intellexerunt *Gloss. v materiam, Florian.in princ. Alber. cons.55.num.7. Ioseph. Ludou.dec.Perus.5.num.2. Alex.in d.§.si fundum nu.1.* Et probatur ex illa dictione relatiua textus *materiam autem*,

rem, quæ præcedenti parti cohæret, & restringit, & cogit intelligere eamdem secundam partem de eisdem arboribus euulsis vi ventorum, de quibus sermo fuit in prima. Tum quia in oppositum adducta non probant. Verbum enim *succidere* optimè huic sensui est accommodatum, quia non dicit textus, quòd liceat succidere arbores, sed quod liceat succidere materiam: Etenim arbores euulsæ tales quales sunt integræ non sunt ad ædificium materia congrua, sed ex illis materia opportuna non nisi per incisionem habetur. Nec aliquod superfluum est in textu hoc sensu admisso; sed cum in priori illa parte negatum fuerit fructuario posse arboribus euulsis, vt pote ad proprietarium spectantibus (ijs enim euulsis & infructiferis redditis cessat vsusfructus) vti ad finem ædificandi, hoc in secunda parte limitatum est, & dictum fuit, licere ex dictis arboribus succidere materiam pro reparatione domus prædio cohærentis. Quòd verò ad vsum vineæ concessum sit succidere pedamenta, non per hoc debet inferri, quòd etiam succidi possit materia ad ædificium, quia immò ex quo hoc non est in ea lege *ex sylua* concessum, infertur illud non esse permissum. Pariter ex eo, quòd reficere domum villæ collapsam sine culpa fructuarij pertinet ad proprietarium, non sequitur, quòd fructuarius possit cædere arbores fructiferas ad illius reparationem, sed hoc relinquere debet proprietario cuius est domum reficere. Et ita hæc sententia arbitratur, quòd fructuarius possit quidem arboribus vi ventorum casualiter euulsis vti ad vsum proprium, & villæ, in casu tamen necessitatis, & similiter eum posse huiusmodi arboribus vti ad refectionem domus ruralis ad prædium pertinentis, non tamen eum posse cædere arbores ad illum effectum.

361 In hac controuersia hoc dicendum est primò, fructuarium nedum non posse cædere arbores non cæduas pro ædificanda noua domo etiam in fundo in quo sunt arborea, sed ad hunc finem eum nec posse vti arboribus vi ventorum, aut tempestatis, aut terræmotus, aut fluminis deiectis nisi in casu explicando *Paulus de Monte Pico in d. l. Titia §. fin num. 118. Petrus Barbosa in d. §. si fundum nu. 14. Mantica d. tit. 29. num. 36. Ciarl. d. cap. num. 26. Boss. d. tit. 18. num. 448.* Quoniam Iurisconsultus in *d. l. arboribus* satis ostendit, non licere vti præfatis arboribus ad nouum ædificium, cum se ad ædificij reparationem restrinxerit. Loquendo igitur de reparatione distinguendum est, nam vel sumus in casu in quo reparare ædificium spectat ad proprietarium, vel in quo spectat ad fructuarium. In primo casu nihil potest fructuarius, quia ad eum non spectat restaurare ædificium collapsum, sed proprietarij erit considerare, quid sibi sit melius, & vnde magis commodè sumat materiam ad restaurationem opportunam. Et ita in sententia, quæ tenet, quòd reparare ædificium sine culpa fructuarij collapsum pertineat ad proprietarium, non est vnde fructuarius velit ad hunc finem arborem cædere, cum ad ipsum non pertineat reparare, quod est collapsum. Sed si sumus in casu, in quo reparatio spectet ad fructuarium, subdistinguendum est. Nam vel hæc reparatio fieri debet expensis eius, vt quia ædificium culpa eius est collapsum, & in hoc casu nedum fructuarius non potest deteriorare fundum cædendo arbores, sed nec etiam potest materiam succidere ex arboribus vi ventorum euulsis; quia tales arbores sic euulsæ spectant ad proprietarium, vt apertè supponitur in *d. lege arboribus*, & habetur *l. proculus 23. §. si arbores. ff. de vsufr. Grat. discept. 21. num. 1. vbi ex Flor.* discrimen ponit inter arbores vetustas, & vi ventorum euulsas, quòd illæ cum à natura factæ sint tales, pertinent ad fructuarium tamquam obuentiones aut fructus naturales, fructuario enim debentur fructus omnes, qui naturaliter possunt percipi. *l. item si fundi. ff. de vsufructu.* Sed à casu est, quòd arbores vi ventorum euellantur, vnde non computantur inter fructus, & aliàs ex opposito sequeretur, quòd si omnes arbores vi ventorum euellerentur, & omnes essent fructuarij, quod esset inconueniens maximum. Addit tamen *Grat. num. 19. ex Camp. de dot. p. 2. quæst. 29. numer. 1.* quòd arbor vetusta, & euulsa vi ventorum est fructuarij, si loco eius aliam plantauit. Quod verum est respectu arboris vetustæ, & ex hoc habetur, quòd nec arbor vetusta est fructuarij nisi loco eius aliam plantet. Sed non potest habere locum in arbore euulsa, quia fructuarius non potest plantare nouam arborem tam citò, cum qua possit compensare arborem grandem euulsam, quæ est domini, cuius etiam est cura aliam plantandi. Fructuarius propterea non potest eis, quæ proprietarij sunt vti ad ædificium proprijs suis expensis reparandum. Sed si ædificium sit reparandum expensis proprietarij, seu ex fundo ipso, in hoc casu locum habebit prior sententia, quia scilicet tunc poterit pro refectione etiam cædere arbores non cæduas, dummodò id fiat cum discretione, & iudicio, & fundus non deterioretur notabiliter ita vt ferè maius sit damnum incisionis, quàm non reparationis. Et hoc probatur ex *d. l. ex sylua*; quia si licet cædere arbores pro paludamenti vineæ, multò magis licebit cædere arbores pro necessaria refectione domus. Tum secundò, quia per huiusmodi discretam incisionem non deterioratur fundus, sed melioratur, at verò fructuario permittitur meliorare fundum. *l. æquissimum §. vnde est ff. de vsufructu.* Tum tertiò, quia in hoc casu fructuarij est domum reparare, & non ex proprio, sed ex fundo; igitur ex arboribus, qui in fundo sunt potest discretè & vtiliter succidere materiam necessariam ad reparationem.

362 Ex his colligitur, quid dicendum sit de arboribus ad Ecclesiam spectantibus. Beneficiatum enim posse pro refectione domus Ecclesiæ cædere arbores non cæduas affirmant *Bonac. de alien. p. 2. num. 8. casu 3. & Boss. d. tit. 18. nu. 472.* saltem quando beneficiatus non habet fructus, & necessitas vrget. Et hoc cum ista limitatione admittitur & ita vt id fiat alias substituendo & cum minori damno fundi, quòd possit fieri. Beneficiati enim est, seu Præsulis, aut Rectoris habentis administrationem temporalium bonorum Ecclesiæ eiusdem domos collapsas reparare; quod si id facere non possit ex fructibus ex fundo Ecclesiæ receptis poterit id præstare ex fundo ipso, & sic poterit discretè, & cum iudicio, & Ecclesiastici fundi vtilitate, vrgente necessitate ex arboribus fundi materiam necessariam succidere, & interim nouas arbores loco incisarum substituere.

363 Octauus casus est, vt fructuario liceat cæ-

dere arbores etiam non cæduas ad vsum lignandi, scilicet vt tempore hyemis pro vsu suo, & familiæ possit huiusmodi arbores cædere etiam si grandes, etiam si frugiferas. Ita sensit *Ciarlinus contr.tom.1. cap.2.num.72.& 73.& d.c.51.a.num.34.referens, pro eadem sentent. Gloss.in l.diuortio §.si fundum, v. teneri.ff.& ibi Cast.num.4.ff.soluto matrim. Florianum in l.arboribus.ff.de vsufructu Manticam de tacitis & ambig.conuent.l.22.tit.29.num.32.Grat.discep.21.nu.11. & 17.* Hoc verò probatur tum primò, quia fructuario licent, quæ in rebus suis facere potest diligens, & bonus Paterfamilias, *Grassus verbo legatum quæst.33.* Solent verò Patresfamilias ad eorum vsum huiusmodi arbores succidere ad se calefaciẽdum tempore hyemis. Tum secundò, quia ad huoc finem potest fructuarius vti arboribus euulsis, ex *l.arboribus ff.de vsufructu*; igitur potiori rationẽ poterit excidere non euulsas; quia cum iam arbores sunt euulsæ est extinctus vsusfructus, & arbores sic euulsæ, sunt solius proprietarij, arborum autem non euulsarum ipse habet vsum fructum; igitur potiori iure eis vti potest ad se calefaciendum. Reijcienda tamen prorsus est hæc opinio, quæ ad deteriorandos fundos in maximum damnum dominorum sine fundamento patat viam. DD, enim pro hac sententia citati vel (inquit *Bossius.nu.450.*) loquuntur de arboribus euulsis in terminis textus *d.l.arboribus, nimirum Gloss.Florian.& Castrus Grat. & alij*, vel loquuntur supposita consuetudine, vt *Mántica d.tit.29.num.32*, Sed quidquid sit de hoc, nam *Grat.d num.17. ex Paulo de Castro*, ait, quòd maritus ex fundo dotali in necessitate potest euellere arbores. Dicitur, quòd consequentia ista fructuarius potest vti arboribus euulsis, ergo & non euulsis, manifestè inutilis est, nedum quia id est permissum à lege, & hoc non; sed quia in vsu arborum euulsarum non deterioratur fundus, qui iam ex euulsione detrimentum suscepit, sed ex arborum incisione deterioratur fundus, & tollitur radix & principium fructificandi. Tum secundò, quia licet arbores euulsæ sint proprietarij & cessauerit vsusfructus, ex quo tamen dominus eas non tollit, videtur derelinquere vsufructuario, vt habet *Grat. discept.21.num.7.* vnde non mirum si eis vti possit. Sed & tertiò additur, quòd & regula illa, quòd fructuarius possit vti arboribus euulsis ad vsum proprium, nedum ex textu ipso restringitur ad casum necessitatis, sed vlteriùs restringi debet, quantùm ad ea, quæ proprietario sunt minus vtilia, & nimirum quantùm ad ramos ad ædificia seu artificia inutiles. Nam si arbor euulsa talis sit, vt truncus eius sit aptus ad trabes, seu tabellas habendas, aut ad materiam artis lignariæ opportunam, non licebit vsuario eis vti, domini non obtento beneplacito; quia hoc in notabile eius damnum esset, & licet *Grat.discep.21.num 10.* credat, quòd fructuarius possit vti arboribus euulsis ad ædificandum aptis ad comburendum. Tamen hoc non est conforme *d. legi.arboribus. ff. de vsufructu*. Cum enim ibi negetur facultas vtendi arboribus euulsis pro materia ædificij, multò magis censetur prohibere vsum arborum pro quanto Domino deseruire possunt ad ædificandum, solumque conceditur fructuario, vt possit vti dictis arboribus ad comburendum pro ea parte, in qua sunt ad ædificia & artẽ inutilia. Solum igitur arboribus euulsis potest vti fructuarius ad proprium vsum in casu necessitatis, & cum discretione, & iudicio pro ea parte, quã arbores illæ non nisi ad comburendum sunt vtiles. Nam & in hoc præsumi potest voluntas proprietarij, qui nec tollit arbores illas, nec vsum illarum prohibet. Ex hoc verò non licet inferre, quòd liceat arbores excidere, cum in hoc maximè fundus deterioretur, & quod ad fructum est plantatum excidatur & inutile reddatur. Regula verò illa, quod scilicet fructuario omnia licent, quæ in rebus suis potest facere diligens & bonus Paterfamilias, sic vniuersaliter prolata est falsissima. Nam diligens Paterfamilias & bonus potest vti re suã donando, & ad quemcumque honestum finem potest rem suam alienare, distrahere, & deteriorare; At verò hæc minimè licent fructuario, qui solùm potest vti fructibus rei, seu re ipsa sibi ad vsum concessa secundùm facultatem sibi datam, & iuxta locorum consuetudinem. In quo casu, vbi sit consuetudo, quòd fructuarij possint excidere arbores ad lignandum seu ad vsum proprium, id fieri poterit tantum quantum consuetudo permittit. Hinc est, quòd neque beneficiatus vel Rector, aut administrator bonorum Ecclesiæ, potest cædere arbores non cæduas pro vsu suo, & familiæ nisi iuxta stylum, & consuetudinem loci. Immò nec euulsis poterit vti ad hunc finem, si ad ædificia sint vtiles, vel ad artem, sed tales arbores euulsæ censendæ erunt tamquam bona Ecclesiæ non nisi in Ecclesiæ vtilitatem distrahenda.

364 Nonus casus est, quia liceat fructuario excidere arbores non cæduas quas ipse plantauit. Ita *Rebous. vbi supra numer.19.& 20. pag.511. & Beccius cons.33. num.7. Petrus de August. consil 23. num.9. l.2. Corbulus de causu priuat. ob deteriorationem num.2. quos refert Grat. discep.21. num.31. & alij relati à Caualcano dec.44.num.72.* Ratio est, quia emphyteuta ob harum arborum incisionem non incurrit pœnam caducitatis ex *Alex. in apost. ad Barthol in l.in fraudem. §. conductor, ff. de iure fisci.* Et secundò, quia Vasallus durante feudo potest tollere ædificium, quòd ipse construxit per *Bald. in cap.1.§. si quis de manso, de controu.inuest.numer.13.* Et tertiò, inquit, *Redoan*, Quia licet istæ arbores sint in alieno solo plantatæ, sunt plantantis, nisi aliunde præsumatur donatio. At dicitur, casum non posse admitti, quia arbores in alieno solo plantatæ, & radicatæ, sicut & ædificia in alieno solo erecta cedunt domino soli. *l. adeo. §. ex diuerso cum sequent.ff.de acquir. rerum domin.& § cum suo, cum duob.seqq.Inst.de rerum diuisione, & DD. ad hos textus scribentes.* Quod quidem verius est de arboribus, quæ ex terra aliena nutriuntur, & crescunt. Et ideo, quòd fructuarius non possit cædere arbores non cæduas, etiam si ipse eas plantauit, docuerunt *Canalcanus d. num.72. Carocius de locato p.4. gradu 4.quæst.7.num.17.Surdus dec.78.per totam, & dec.300.fin.Ciarl.d.cap.2.nu.69. idem Grat. d.cap.21. num.33.* vbi, quòd contrarium non est tutum, quia hoc est verius. *Boss. d.tit.18.num 452.* Quod multò fortiùs procedit respectu bonorum Ecclesiæ, cum Rectores, Præsules, & etiam beneficiati teneantur res Ecclesiæ meliorare, & augere.

365 Excipiunt tamen *Ciarlinus, & Boss.* arbores de recenti plantatas, quæ nondum ex terra coaluerunt, vel grandes factæ sunt. Sed vbi non excuset

cuset leuitas materiæ, si iam noua plantatio sit radicata, & dici iam possit arbor; hæc est res domini, seu Ecclesiæ, & est pars fundi, & ideo non potest sine licentia cædi, aut alienari.

366 Excipiuntur etiam arbores euulsæ vi ventorum; quoniam fructuarius istas potest sibi sumere, si eas plantauit. *Surdus d.dec.78.num.23. Grat. tom.1.discep.21.num.26. Ciarl. loco citato, Boss. numer.453.* & hoc tantùm voluisse *Alex.loco supra citato tradit Surdus*. Sic etiam de ædificio in alieno solo ædificato dicitur, quòd si cadat, dominus, qui ædificauit potest repetere cæmenta sua *l. in rem §. fin.de rei vendit. l. adeo §. ex diuerso, & seqq. de acquir.rer.dom.§. cum in suo. Inst. de rerum diuisione.* Licet enim ædificans, vel plantans in alieno solo ex hoc censeatur donare, tamen hoc fallit, vbi adest alia ratio id agendi, vt in emphyteuta, qui tenetur rem meliorare. *Bald. in l.2. C. de rei vend. post princip. Iason in l.2.num.33.in 7.notab. C. de iure emphyt. Grat. vbi supra*, & in dubio non præsumitur plantatio facta animo donandi, cum constet de causa & animo plantantis, qui sibi non domino præsumitur prospicere. *Becc. cons.33. num.7. & 8. Redoan. vbi sup.num.18. Grat.num.30. Boss. d. num.453.* Ideo ad fructuarium spectant arbores euulsæ vi ventorum, si ab eo fuerant plantatæ. Sed vt verum fatear, hæc ratio mihi videtur deficiens; quia immò, qui tenetur fundum meliorare, meliorando & facit quod debet, & acquirit domino fundi, quem meliorare tenetur. Quod in arborum plantatione specialem rationem habet, quia arbores non fiunt arbores nisi ex virtute fundi, vnde speciali iure ad fundum spectant, & sunt pars fundi, & domino fundi cedunt. Et quod plantans in alieno solo censeatur donare est, quia lex sic statuit, vt censeatur donatum, quod in alieno solo est plantatum; quia non conuenit vt in alieno solo quis vel habitare, vel fructus colligere velit inuito soli domino. Ideo absolutè dicendum est, quòd arbores plantatæ in alieno solo, sicut dum viuunt, sunt pars fundi, & non sunt ampliùs sub dominio plantantis, sed sunt de proprietate domini soli; sic si euellantur eiusdem domini permanent, neque enim venti euellentes arborem transtulerũt dominium arboris de vno ad alium, qui verò plantauerat ex quo plantauerat in alieno solo dominium suæ plantationis amiserat. Dominum tamen fundi teneri reficere, seu restituere expensas factas in plantandis ab eo, qui ad id non tenebatur & custodiẽdis arboribus ex *Surd. Borg. Carec. & Canalc. tradit Boss.* In beneficiato tamen hoc non procedit si ex fructibus beneficij suæ sustentationi superfluis arbores plantauit, & ex eisdem expensas fecit; quia Ecclesia ex fundo ad has expensas non tenetur, fructuum verò dominus est beneficiatus, qui quidem tenetur demptis expensis sibi & familiæ competentibus, quod superest in pios vsus & Ecclesiæ vtilitatem conuertere, vnde de eo, quod est Ecclesiæ ipse meliorationes fecit, si de superfluo eas fecit.

367 Decimus casus est, si materia sit parua, & ex incisione fundus non reddatur notabiliter deterior. *Rota dec.553.p.2.rec. Peyr. vbi supra.nu.23. Lezana v. alteratio numer.16. Donatus d. tract.14. quæst.69.num.15. & 16. vbi ex Ciarl. vbi supra cap.2. num.52.* sustinet non esse notabile detrimentum, si incidantur duæ vel tres, immo quinque vel sex. *Redoan. verò vbi supra num.24. pag.511.* ponderat, quòd DD. loquuntur in numero plurali, quando dicunt arbores fructiferas, ad denotandum, quòd de tali incisione intelligitur, si plures inciderit, & addit ex *Alex.cons.118.* quod damnum debet esse concernens perpetuam deteriorationem substantiæ non fructum, quòd sit in notabili quantitate, & subiungit, quòd istud damnum causatiuum caducitatis secundùm quòd ipse vidit practicari per famosum Doctorem debet esse in tertia, vel dimidia parte rei locatæ, vel saltem remittitur arbitrio iudicis, Argum. eorum, quæ tradit *Cepolla in tract. de simul.contrac. numer.111. & 112.* sed *Tambur.t.3. disp.13. quæst 3. num.5.* Hoc limitat ad duas arbores, immò & quòd nec illæ incidi possint, si sint maximæ æstimationis, vt quia non sint aliæ similes, aut tam grandes. Dicendum verò est, quòd sine dubio ad incurrendum pœnas contra fructuarios incidentes arbores non cæduas latas, requiritur, quòd ex hoc fundus notabiliter deterior efficiatur; quia paruitas materiæ à pœnis grauibus excusat. Non dubito etiam, quòd huiusmodi notabile detrimentum non sit arbitrarium & considerandum tam ex quantitate, & qualitate arborum, & fine ad quem per dominum fuerunt plantatæ, vnde potest contingere, quòd in ordine ad præfatas pœnas nec incisio quinque, sex, decem, & ampliùs arborum si sint paruæ, & vix natæ ferat modicum nocumentum, & quòd econtra vnius solius singularissimę in suis qualitatibus, incisio sit notabiliter æstimanda, & reddat fundum notabiliter deteriorem. Sed quantùm ad hoc, quòd est incurrere culpam sufficit talis incisio, quæ in materia furti sit notabilis, cum tamen maior sit necessaria ad effectum deuolutionis, aut priuationis beneficiorum vt etiam colligitur ex *Rota. dec.553.p.2. recent.* Credo tamen minorem longè sufficere, quam sit in tertia parte fundi, nec approbo dictum. *Redoan. citati.*

368 Dicitur tertiò, quòd nec emphyteuta, nec conductor, nec fructuarius, nec rerum Ecclesiæ administrator, potest syluas seu arbores eradicando formam prædij mutare etiam in meliua, seu in meliorem statum, & vt reddat eam fructuosiorem, vnde non potest nemus, seu syluam eradicatis arboribus reducere ad culturam, aut ex sylua facere pratum, aut vineam, aut ex vinea efficere pratum, vel Oliuetum, aut destructis ædibus efficere columbarium, neque ex horto salictum, neque aliter rem ipsam mutare in alteram formam, quæ in pristinam non possit facile reduci, etiam si ex tali mutatione fundus fiat melior, & reddatur fructuosior. Hanc verò assertionem vel negant, vel cum distinctione aliqui admittunt. Inter negantes referũtur *Curtius in l.2.ff.de iurisd.omnium iudicum, Conanus l.1. Miscell. cap.6.* qui mouentur ex eo, quòd vbi forma mutatur in melius fundus non deterioratur, sed melior redditur, & sic agitur negotium Domini cum eius vtilitate. Sed distinguunt alij fructuarium in eum cui relictus est vsus huius vel illius rei determinatæ, & illius cui est concessus vniuersaliter omnium bonorum vsus, & concedentes priorem fructuarium non posse fundi formam mutare id negant de secundo. Quoniam ex quo omnium bonorum vsus conceditur, videtur quod ei concedatur omnis substantiæ vsusfructus, &

pro-

propterea, quòd fundum ipſum eiuſq; ſubſtantiam poſſit meliorare, & ita ſenſit *Ciarl. tom. 1. contr. c. 51. num. 44.* referens *Pacianum, & Roſent. l. pro eadem ſententia.* Sed ſine huiuſmodi diſtinctione abſolutè loquendo, quòd fructuarius non poſſit mutare formam rei ſibi ad vſum conceſſæ, voluerunt. *Bald. in l. 1. nu. 11. C. de iure Emphyt.* & ibi *Iaſ. n. 99. Dec. conſ. 24. num. 2. & 4. l. 1. Beltram. conſ. 73. l. 10. Bimin. ſen. conſ. 94. num. 51. Rebuff. in l. ſylua cædua 30. ver. 10 ff. de verbor. ſignific. Molin. de primog. l. 1. c. 22. num. 7.* quos refert, & ſequitur *Barboſa in iur. Can. tom. 6. in addit. tit. 4. de reb. Eccl. non alien. num. 9. Redoan. loco ſupra citato num. 22. pag. 511. Tiraquell. de retract. §. 7. gloſ. vnic. num. 16. Garzias de expenſis cap. 11. num. 38. & 45. Petrus Barboſa ad l. diuortio, §. ſi feudum num. 20. Mantic. de tacit. & ambig. oblig. tit. 29. numer. 27. & 29.* quos ſequitur *Boſſ. d. tit. 18. num. 456.* Et ratio eſt, quia cum forma rei det eſſe rei, & rei ſubſtantiã conſtituat, vt Philoſophi tradunt, mutata rei ſubſtantia res perit & tollitur; nec dici poteſt meliorari ſed corrumpi, ſicut cum ex ligno generatur vermis non melioratur lignum, & licet vermis ſit nobilior ſubſtantia lignum tamen non melioratur, ſed corrumpitur pro ea parte, quæ fit materia vermis. Ita mutata forma prædij etiam in melius non melioratur fundus, qui erat ſed tollitur, & ſubſtantialiter deſtruitur, quòd excedit limites fructuarij, quoniam eius eſt vti & colligere fructus ex ſubſtantia, fundi ſibi conceſſa, ſed domini cenſetur eſſe facultas nedum colligendi fructus, ex fundo, ſed fundum deſtruendi. Ideo quod fructuarius non poſſit mutare formam fundi colligunt præfati DD. ex *l. æquiſſimum §. fructuarius in fine, ff. de vſufructu, & ex l. hucuſque, & ex l. vſufructuarius eod. tit. & ex l. fin. ff. de fundo dotali, & ex l. diuortio §. ſi vir. ff. ſoluto matrimon.*

369 Explicatur autem poſita aſſertio. In fundo enim duplex forma conſiderari poteſt, alia mala, ſeu etiam accidentalis, alia bona, ſeu ſubſtantialis. Accidentalis eſt, quæ in fundo eſt præter intentionem prudentis Patrisfamilias, orta ex negligentia cultoris, ſicut eſt fundum eſſe ſyluestrem inutilibus herbis aut fruticibus coopertum, ſeu ſpinis obſitum, & dumis, aut alijs inutilibus ſtirpibus occupatũ. Et hanc formam fundi & accidentalem, & malam, non niſi ex negligentia cultoris præter intentionem ortã mutare, & tollere bonum eſt, & hoc eſt meliorare fundum illumque purgare, & fertilem reddere. Alia verò eſt forma veluti ſubſtantialis, quæ etiam eſt bona. In hac verò parte fundi ſubſtantialis veluti forma ex intentione poſſidentiũ fundos deſumi debet. Loquimur enim de fundis prout vſui humano deſeruiunt, & libertati ſubſunt. Et ideò in communi forma fundi eſt, quam Dominus aliquis intendit, vnde eſt qualitas fundi ordinata ad humanum vſum & quæ regulariter ab aliquo ex Patribus familias inducitur in fundo, & ſtatuitur. Hæc verò veluti in plures ſpecies diſtinguitur ex diuerſis vtilitatibus intentis à Patribus familias, quæ ſunt vel vtilitas frumentaria ad panem habendum, vel vtilitas fæni pro alimento animalium, vel vtilitas vini, pro humano potu, vel vtilitas fructuum ad delectabilem cibum, vel vtilitas ſyluarum, aut ad cõmoditatem ignis, aut ad paſtum animalium, aut ad ædificia conſtruẽda, aut ad cõmoditatem venandi, aut ad reddendas vias opacas, & delectabiles aut alia aliqua ſimilis vtilitas. Et in ordine ad huiuſmodi vtilitates quæ in vſu humano cenſentur veluti ſpecie differre, ſumitur etiam veluti ſpecifica differentia fundorum in ratione vtilis quæ habetur per diuerſos ſtatus, conditiones, & qualitates ad dictas vtilitates ferendas proportionatas. Ideò huiuſmodi formas mutare non eſt fructuarij, ſed domini, cuius eſt ex fundo ſuo colligere eas vtilitates, quas voluerit. Nihilominùs vbi de facili fundus de vna in aliam formam mutatur, hęc mutatio cenſetur moraliter accidentalis, quippe quæ adſit, & abſit de facili ad domini voluntatem. Hinc eſt, quòd non cenſetur illicitum fructuario mutare formam fundi in aliam, quando de facili fundus ad priorem ſtatum reduci poſſit, vt ex agro pratum facere, & ex prato agrum, vel in area ædificium erigere. Sed vbi reductio agri ad priſtinam formam eſt difficilis, vt eſt omnis illa quæ fit eradicando vites, oliuas, & arbores, hæc mutatio nec a fructuario, nec ab adminiſtratore rei Eccleſiæ fieri poteſt ſine licẽtia, quia merito hæc mutatio moraliter cenſetur ſubſtantialis. Sicuti & omnino illicita eſt mutatio per quam fundus deterioretur. In quo tamen conſiderandum eſt, quod ſi deterioratio ſit ſolùm in fructibus fructuarij, non in fundo; quia nimirũ fructuarius minùs vtilitatis percipiet, ſed tamen fundus non erit minùs fertilis, & mutatio ſeu reductio ad priſtinam formam ſit facilis, poterit hoc fieri ſine licentia, cum fundus in ſui ſubſtantia nõ deterioretur, & de facili ad priſtinam formam reduci poſſit, ſed illicitum eſt mutare formam fundi in quamcumque aliam deteriorando fundum, & fundum etiam meliorando nequit fieri hæc mutatio in aliam formam, vnde de facili non poſſit reduci ad primam.

370 Eandem aſſertionem limitant multi, vt quando vinea, vel oliuetum, ſeu alia ſylua ſit iam vetuſta, & paucos fructus producat, & ſit quaſi ſterilis, tunc liceat arbores eradicare, & fundum ad aliam vtiliorem formam reducere. Ita tenuit *Ricc. p. pur. praxis reſ. 130.* ex eo quòd res Eccleſiæ inutiles poſſint alienari. *Boſſ. dicto tit. 18. num. 458. & 473.* Oppoſitum tamen ex *Soprano* tenuit *Bonac. de alien. p. 2. numer. 8.* ex eo quia ad licitam alienationem rerum Eccleſiæ non ſufficit vtilitas euidens, ſed præterea requiritur beneplacitum Apoſtolicum. Tum quia ſine beneplacito Apoſtolico non liceret mutare oliuetum vetuſtum, in vineam fœcundam. Verùm quia mutatio oliueti in vineam vel econtra non eſt alienatio fundi, ſed eſt ſubſtitutio vnius arboris frugiferæ & nouæ in locum ſterilis, & vetuſtæ, ideo hæc mutatio admitti poteſt. Nihilominùs conſiderandum eſt, quòd DD qui tenent fructuarium poſſe eradicare arborem vetuſtam, requirunt vt ſubſtituatur alia eiuſdem generis. Quamobrem non puto, quòd liceat vel fructuario vel Eccleſiaſtico eradicare vineam veterem, vel oliuetum, vel ſyluam vt de fundo fiat ager frumentarius, vel pratum. Quia neque hæc mutatio eſt neceſſaria ad reddendum fundum fertiliorem, cum hoc fieri poſſit eradicatis veteribus arboribus ſubſtituendo iuniores. Nec præſumi poteſt in hoc voluntas domini, cui facillimè magis placet v. g. fructum vineæ ex tali fundo poſſe colligi, quàm frumentum. Inde eſt, quòd abſolutè ſecunda opinio

præ-

præferenda eſt; quia ad reddendum fertilem fundum ſufficit vetuſtis arboribus eradicatis ſubſtituere alias. Et altera ex parte ſubſtantialis eſt mutatio de vinea in oliuetum, & econtra. Nec in hoc debet attendi maior vtilitas in ſola quantitate, ſed in qualitate, quam Domini ſæpius præcipuè intendunt, vnde & relicta vtilitate vberioris meſſis aut vindemiæ arbores plantant alias ſteriles, & infrugiferas vel pro ſola amænitate, vel pro venatione, aut alia ſimili cauſa. Non ergo ex eo licet mutare formam fundi, quia fructuario accedat copioſior fructus in quantitate, vel etiam gratior in alia qualitate ab ea, quam Dominus intendit. Et propterea ſeruare debet fundum in ea forma quam à Domino accepit, & ſolùm procurare vt ſeruata forma fundus melioretur. Accedit, quod in his mutationibus ſæpius contingit, quod per plures annos terra non fructificet donec arbores creſcant, vnde periculum eſt, quòd ſucceſſores fructuarij vel mutantis formam ſtent ſine fructu ideo res hæc grauis eſt, & periculoſa, nec admittenda domino inconſulto, qui in hoc detrimentum pati poteſt, vel vt ex ſuo non colligat fructus quos deſiderat, vel vt cum minori ſua vtilitate rem ſuam alteri tradere poſſit, vel vt (in Eccleſiaſticis, & Regularibus) Collegia & ſucceſſores detrimentum defectus fructuum interim per annos patiantur. Quamobrem dicendum eſt, quòd vbi ſylua frugifera ſit vetuſta, poſſint quidem (quod paulatim fieri debet) eradicatis vetuſtis aliæ arbores eiuſdem ſpeciei, & ſeruata eadem forma ſubſtitui non tamen poſſit forma mutari. Quod verò dicebatur, quòd res ſterilis poteſt alienari hoc certè non eſt verum ſine ſolemnitatibus, & præcipuè quando fundus non eſt ſterilis, ſed cultura redditur fœcundus, talis enim coli debet, non alienari; Vnde ſylua vetuſta renouari debet, non verò poteſt diſtrahi ſine ſolemnitatibus iuris.

SVMMARIVM.

1 *Serui ruſtici non poſſunt ſine ſolemnitatibus alienari. num.371.*
2 *Serui ruſtici & à Iudæis non tolluntur ſi prædium ad eos peruenit. num. 371.*
3 *Serui ruſtici nec fauore ordinum ſeparantur à prædijs. num.371.*
4 *Boues & animalia addicta prædijs ſine ſolemnitatibus non alienantur. n.372.*

SERVVS RVSTICVS.

371 TErtiò inter immobilia bona Eccleſiæ numerantur ſerui ruſtici, ſeu ruſtica mancipia adſcriptitia glebæ, quæ ſunt portiones fundi vnde & inter immobilia computantur, *l.iubemus, C. de ſacroſanct. Eccleſ. l. ſi quis inquilinos, de leg.1.* Nam ſeruus ruſticus licet corpore ſit à fundo diſcretus, tamen eſt pars inſtrumentalis fundi, vnde eſt, quòd ſicut immobilia longitudine temporis præſcribitur, nec tamen præſcribi poteſt ſine gleba & huiuſmodi ſerui vocantur membra terræ, *l.cum ſatis, C. de agr. & cenſ. lib.11.* & naturam agrorum ſequuntur, & comprehenduntur in diſpoſitione loquente ſimpliciter de rebus immobilibus. Et cum Iudæis prohibitum ſit habere ſeruos Chriſtianos, ſi tamen ad eos perueniat prædium ruſticum; tranſeunt etiam mancipia Chriſtiana deſtinata culturæ illius prædij ratione connexionis eorum cum prædio, quia tunc non principaliter, ſed acceſſoriè poſſideri dicuntur, *cap.2. de Iudæis.* Et nec fauore ſacrorum Ordinum à cultura terræ, & prædio cui adſcripti ſunt poſſunt ſeparari ſine licentia Domini *Gelaſius ad epiſ. per Lucaniam epiſ. 1.* & habetur *cap. generalis diſt.54.* de quibus videri poteſt *Redoan. rubr. de alienatione rerum Eccleſiæ ſe moaeniium à n.24.pag.mihi 75.* Iſti igitur ſerui ruſtici, tanquam bona immobilia ſine ſolemnitatibus, & beneplacito Apoſtolico non poſſunt alienari. *Panorm. ad cap. nulli de reb. Eccl. non alien notab.2.* & ibi *Barboſa num.4. Nauar. conſ.6. de reb. Eccleſ. non alien. Redoan. vbi ſupra. Bonac. de alien. p.2. num.4. Palaus tom.2. tract.11.pun.14.num.1. Molina de iuſtit. tom.2.diſp.465. nu.5.* quem refert, & ſequitur *Boſſ. tit.18.nu.381. Tambur. tom.3. diſp.13.q.2.* Et ſi ſeruus ruſticus ſit relictus cum conditione vt non vendatur, illum non poſſe vendi ſine diſpenſatione dixit *Lezana tom.3. verb. alien. num.8.* Et quia manumiſſio eſt alienatio, ſeruus ruſticus ſicut nequit alienari, ſic nequit manumitti, niſi ſicut aliæ res immobiles vt ex *cap. conſenſus, & ſeq. de reb. Eccl. non alien.* tradit *Redoan. vbi ſupra.* De alijs verò ſeruis, an & quomodo inter res pretioſas mobiles computari poſſint, & alienari, vel non alienari, dicendum eſt infra.

372 Quod verò dictum eſt de ſeruis ruſticis, dicitur etiam de bobus, & animalibus affixis alicui prædio. Nam & hæc animalia licet ſe mouentia ex fundi cui adhærent immobilitate, bona immobilia cenſentur, nec poſſunt alienari, niſi cum ſolemnitatibus requiſitis ad res immobiles. *Panor. vbi ſupra, & Redoan. loco citato nu.33. Bonac. d.n.4. Tamburin. d. q.2. num.4. Boſſ. d. num.381. & alij DD. communiter.*

SVMMARIVM.

1 *Iura & actiones ad immobilia alienari non poſſunt ſine ſolemnitate. nu.373.*
2 *Nec cenſus actiui. n.374.*
3 *An cenſus poſſint minui. n.374.*
4 *An remitti poſſit pro parte obligatio ſoluendi cenſum. n.374.*
5 *Nec loca montium. n.375.*
6 *Nec credita perpetua. n.376.*
7 *Nec vſusfructus rei immobilis, aut mobilis pretioſæ. n.377.*
8 *Nec alia iura aut actiones. n.378.*
9 *Iura & actiones inter mobilia, & immobilia computantur. n.378.*
10 *Nec iura temporalia vltra decennium. nu.379.*
11 *Immò iura iſta non poſſunt alienari vltra triennium. n.380.*
12 *Fructus ſeu penſiones iam maturæ ſunt bona mobilia. n.381.*
13 *Fructus pendentes non poſſunt vendi vltra decennium. 381.*

VSVSFRVCTVS.

373 QVartò, inter bona immobilia computatur vſusfructus rerum immobilium, cen-

census, annui redditus, iura, & actiones Ecclesiæ ad bona immobilia. Iura enim huiusmodi inter bona incorporalia collocantur. Et quia prohibitio de non alienandis rebus Ecclesiæ facta est de omnibus bonis, & rebus, *cap. sine exceptione 12. q. 2. & in Paulina ambitiosa, & in cap. hoc consultissima de reb. Eccles. non alien. in 6.* Et in decreto Vrbani VIII. censetur etiam facta de iuribus, & actionibus, quæ super re immobili habentur. Nam appellatione bonorum iura quoque veniunt, & actiones, *l. bonorum, ff. de verb. signific. & per Bart. in l. potest, ff. de author. tuto. Specul. de restitut. spol. §. 2. Imol, Archid. Gemin. cap. 1. de reb. Eccl. non alien. in 6. & Tholosan. decis. 315.* probat *Redoan. rubr. de alienatione redditunm &c. num. 4.* Vbi quod & nomine rei veniunt iura, & actiones, *l. rei appellatione, ff. de verb. signific. Bald. in l. ex legata tertia oppo. C. de legat.* Meritò igitur iura, & actiones super immobilibus dicuntur bona Ecclesiæ immobilia, seu res Ecclesiæ immobiles, vnde non possunt alienari sine solemnitatibus iuris. De qua re videndus est. *Redoan. vbi supra*, vbi rem diffusè explicat relatis quã pluribus DD. conclusionẽ hanc asserentibus, quam inter moderniores tradunt etiam *Barbosa de offic. Episc. alleg. 95. num. 45. Bonac. de alien. p. 2. numer. 19. Tambur tom. 3. disp. 13. q. 2. nu. 2. Donat. p. 2. tract. 14. q. 57. Lezana tom. 3. ver. alien. num. 5. Boss. dict. tit. 1. num. 38.*

374 Hinc est, quòd inter immobilia bona cõputantur census actiui, seu iura censualia percipiendi singulis annis aliquid emolumẽti ex aliquo seu super aliquo bono immobili, *Clemen. exiui. de verb. signific.* vnde huiusmodi census sine solemnitatibus alienari non possunt, *Redoan. vbi supra. Rota dec. 224. n. 4. apud Seraph & in Romana inualiditatis census 24. Maij 1591. apud Pieum ad statuta Vrbis dec. 31. num 1. & 2. Grat. tom. 3. discep. 420. nu. 13. & 585. nu. 6. & tom. 5. dis. 811. num. 21. & 981. nu. 38.* asserens census computari inter immobilia etiam in materia odiosa, & pœnali. *Ricc. p. p. praxis res. 41. Barbos. ad Clem. exiui de parad nu. 15. & de potest. Episc. cap. 95. num. 45. Bonac. d. p. 2. num. 19. Tambur. tom. 3. de iur. Abb. disp. 13. q. 2. num. 2. Donat. p. 2. tr. 14. q. 57. Lezana tom. 3. v. alien. nu. 5. Palans tam. 2. tr. 1. p. 15. §. 1. num. 1. Boss. d. tit. 58. à num. 383.* & alij plurimi ab istis citati. An verò census possint minui? Dicitur posse si prior contractus ex necessitate rescindatur, *Donatus p. 2. tr. 14. q. 58.* Vt si depositata pecunia & debitore iuridicè procedente ad rescissionem contractus nisi census minuatur, medio decreto iudicis necessitetur Ecclesia ad rescissionem prioris contractus. Sic enim retrouendendo primum censum, potest secundum emere pretio currenti, & sine dolo, & fraude, & si prętium est minus inculpanda est conditio temporis. Sed si fundus pro parte perijt in perpetuum, tunc quia iuxta Constit. Pij V. de censibus pereunte fundo census in perpetuum cessat ipso iure obligatio census, poterit Prælatus pro rata remittere obligationem soluendi census, quia hæc remissio est necessitatis. Secus si fundus perijt solum pro tempore, quia tũc subsistit obligatio, quam Prælatus non poterit remittere nisi seruata solemnitate iuris.

375 Item inter bona immobilia computantur ca montium, seu annui redditus qui recipiuntur annuatim ex montibus Romæ, Genuæ, & alibi, *Redoan. vbi supra num. 31. & 32. Grat. tom. 1. discep. 29. & tom. 3. discept. 585. num. 9. Lezana v. alienatio num. 9. Barbosa ad cap. Nulli, de reb. Eccles. non alien. num. 3. Boss. d. tit. 18. num. 384.*

376 Quòd verò dicitur de censibus, & locis montium, verum quoque est de creditis perpetuis, quæ ex publico, seu ex certis publicis redditibus & bonis assignantur. Iura enim ista immobilia reputantur, *Redoan. vbi supra nu. 31. Grat. d. discept. 585. nu. 9. Boss num. 385.*

377 Vsusfructus etiam inter immobilia computatur *l. corruptionem C. de vsur. Bart. in l, iusto §. non mutat num. 2. ff. de vsucap. Grat. tom. 4. discep. 756. num. 19. & 20.* Sic etiam ius seruitutis super re immobili, *Redoan. rubr. de vsufructu pag. 90 & seqq.*

378 Et vniuersaliter omnia iura & actiones super re immobili bona immobilia iudicantur. *Panorm. ad cap. nulli de reb. Eccles. non alien. Redoan. vbi supra de alien. redditunm. Syln. v. alien. q. 9. à n. 14. Quaranta v. alien. num. 26. Barbos. d. alleg. 95. nu. 46. Lezan. Tambur. Donat. supra citati*, & communiter DD. Quamuis enim iura redditũ annuorum, vsufructus, seruitutes, & alia iura & actiones propriè & de se non sint bona mobilia, aut immobilia, sed tertiam speciem bonorũ constituant, *l. à Diuo Pio, §. in venditione, ff. de re iudicata. l. quam Tuberonis, §. fin. de peculio. Bareb. in l. monentium, ff. de verbor. signific. Socin. de ablat. lib. 8. cap. 7. Redoan. vbi supra num. 13. Guida Papa dec. 295. Panorm. ad d. cap. nulli. Grat. d. cap. 29. num. 21.* & apud eum *Rota in Auenionen. Castellarum*, eo quia ex *Arist. 3. Phys.* mobile & immobile sint passiones corp[illegible]. Tamen quando sumus in casu, in quo iura & actiones ad aliquod ex præfatis bonis reduci debent, si iura & actiones sunt ad rem mobilem mobilia, & si ad rem immobilem immobilia reputantur prout tradunt *Panor. d. c. nulli n. 9. Redoan. vbi sup. n. 14. & 17. Grat. d. cap. 29. num. 23. & 24.* & alij DD. ab istis citati. Quamobrem iura & actiones Ecclesiæ inter bona mobilia, aut immobilia Ecclesiæ computantur, [illegible] sicut alia Ecclesiæ bona non possunt sine solemnitatibus alienari.

379 Hoc verò extenditur vt nedum iura perpetua, & actiones numerentur inter bona immobilia, sed etiam illa, quæ sunt ad longum tempus. Et ita quòd annui redditus Ecclesiæ ad longum tempus inter immobilia recenseri debeant colligitur ex *Clem. exiui, §. annui redditus, de verb. signific. & ex l. iubemus C. de sacrosanct. Eccles. & auth. hoc iure. de nõ alien. §. hoc igitur* & tradiderunt *Gloss. in d. Clem. v. cumque annus*, *Redoan. vbi supra à num. 12. 28. 30. 31. Quaranta v. alien. nu. 26. Ricc. p. p. praxis res. 41. Barbos. ad d. Clem. nu. 15. & de potest. Episc. all. 95. n. 46. Grat. tom. 1. discept. 29. numer[illegible] & tom. 5. discep. 811. num. 21. Azor. p. 2. l. 9. cap. 1. q. 6. Palans tom. 2. tract. 11. p. 15. §. 1. num. 1. Boss numer. 384. Tiraquell. Menoch Baer. Thesau. Gutierez. Caucdo. Hugolin. Gail. Sopranus*, & alij quos præcitati DD. referunt. Longum autem tempus cen[illegible]tur tempus decem annorum, & ita quod iura, & Ecclesiæ annui redditus decem annorum non possint sine solemnitatibus alienari tradunt, *Redoan. Quaranta. Riccius, Barbosa, B[illegible] sup. citati, & al[illegible]* Infra decennium autem huiusmodi iura mobilia reputantur. Hinc est quod annui redditus quos aliqui Regulares reseruant super bonis immobilibus a[illegible] occasione professionis renunciati[illegible].

etatis, quia vita hominis Long ot censetur decennio, vt supra dictum fuit, ecu enda lunt bona im mobilia, vnde eos cedere, & it donare aut quocumque modo alienare non licet inconsulto Pontifice.

380 Et nihilominus prædicta explicanda sunt, distinguendo inter ius percipiendi redditus seu fructus, & inter redditus ipsos, & fructus. Nam ius exigendi aliquid ex bono immobili siue in perpetuum siue ad lõgum tempus est bonum immobile; Sed puto, quod nunc tempus longum non sit solum decennium, sed triennium; quia res Ecclesiæ non possunt vltra triennium locari, vnde nec potest vltra hoc tempus concedi aliquod dominium vtile super re Ecclesiæ, vel aliquod ius percipiendi ex ea fructus, quia talis concessio esset veluti quædam locatio rei vltra triennium. Sed si redditus seu fructus, qui singulis annis percipiuntur bona mobilia sunt. *Cencius tract. de cens. p. 1. q. 13 quæst. 1. a. 2. Rota dec. 86. num. 8. post. d. tractatum Cency Gaspar Rodericus de annuis reddit. l. 1. quæst. 3. nu. 11. Feventill ad dec. 580. Burati, Boss. d. trac. 18. num. 383.* Quamobrem isti redditus alienari poterunt, vel non poterunt iuxta regulas seruandas in alienatione.

381 Pariter distingui debent redditus futuri, ab iis quorum terminus iam præteriit, nam illi redditus quorum terminus iam præteriit actu debiti sunt, & pro eis competit actio de præterito, & computantur inter fructus a solo separatos, vt *arg. l. fructus ff. de rei vend. tradnm D L. in cap. vn. n. 25. de pace tene. d. Afflict. ib. nu. 13. Alciat. in l mouentium. ff. de verb. signif. Gail. us l. 2. obseruat. 10. num. 3. Grat. tom. 5. disceptat. 811. num. 22. & 23.* Quamobrem huiusmodi redditus, & pensiones inter mobilia, & fructus numerata alienari possunt, & alia Ecclesiæ mobilia. *Boss d. tit. 18. num. 383.* Immò etiam si redditus isti annui nondum sint maturi, si tamen alleui sunt cessi computantur inter mobilia, *Gratianns ibid:* quoniam comparantur fructibus à solo separatis, vt sicut illi inter mobilia connumerantur, ita quoque pensiones cessæ pro mobilibus habentur. *Bald. in cap. 1. num. 25. Afflict. nu. 13. de pac. tenen.* vbi quòd quando venit dies solutionis, tunc pensiones habentur pro mobilibus *Gail. obs. 10. n. 3.* vbi etiam, quòd si pensiones partim cessæ sunt, partim non, iudicandum est de eis pro rata temporis. *l. Iulianus. §. si fructus. ff. de act. compet. l. vlt. ff. de iur. fisci. Afflict. in d. cap. 1. de pac. tenend.* Quare etiam in fructibus pendentibus non habet locum tractatu si diuisim, & separatim sine fundo venduntur tanquam debeant censeri statim à fundo separandi vt latè concludit. *Tiraquell. de retract. lignag. §. 1. glos. 7. d. num. 41.* Hæc *Gratianus d. num. 22. 23. 24. 25.* Vnde est, quòd dum non conceditur fundus neque ius, quod habetur super fundo habendi ex eo fructus vel pensionem, ipsi fructus, seu pensio etiam in futuro pendens possunt alienari, seu vendi sine solemnitatibus. seu cedi pro solutione debitorum, quia fructus illi seu pensio habentur tanquam si essent fructus collecti. Quia nec datur per talem alienationem nisi commoditas habendi fructus illos postquam fuerint iam veluti maturi, & a solo separati. Et si res bene consideretur, tales fructus vel pensio non colligitur nomine eius, cui fuerunt cessi sed nomine cedentis, & ex illius iure, sed postea ex vi cessionis possidentur nomine proprio. Et est verius considerandum, ne ista cessio hat cum præiudicio successoris Prælati. In quo potest valere distinctio. *Panorm. in cap. 2. de his, quæ fiunt à Prælato num. 7. Sylues. v. alien. num. 32. in fine Layman l. . trac. 4. c. 10. num. 5.* Hi enim distinguunt inter bona de mensa Prælati, & de mensa Ecclesiæ. Nam Prælatus nomine proprio si cedat fructus ad suam mensam spectantes, non facit Ecclesiæ præiudicium, & si id faciat alias ex causa pietatis, aut iusta, non malè facit, quia hæc est obligatio personalis, quæ exspirat morte illius, vnde etiam si fiat ad vitam Prælati, nullum fit Ecclesiæ præiudicium. Neque in hoc Prælato habet locum *Clem. 1. de reb. Eccl. non alien.* quæ loquitur de bonis ad mensam monasteriorum spectantibus & sub cura Regularium existentibus vnde vt habet. *Gloss. in v. Religiosus*, non loquitur de secularibus res Ecclesiæ administrantibus, sed de Religiosis, qui sunt incapaces habendi bona de propria mensa. Sed si fructuum cessio fiat de fructibus ad mensam Prælati spectantibus, sed nomine Ecclesiæ, hæc nulla est in præiudicium successoris, nisi in casu necessitatis talis pro qua futuri Ecclesiæ redditus obligandi fuerunt, vt ex *Concil. Trid. sess. 25. cap. 11. supra dictum fuit.* Si autem fructus pertinent ad mensam Ecclesiæ, considerandum est, quòd huiusmodi concessio fructuum vel pensionum pendentium in futurum si fiat ad longum tempus habere possit vim alienationis vel locationis ipsius rei; Nam si pensio alicuius census in perpetuum traderetur alicui idem videretur esse ac si illi traditus fuisset, & alienatus census. Et hoc idem videretur dicendũ si hęc concessio fieret ad triginta, vel quadraginta annos, (nam & tempus triginta annorũ ex *Gloss. c. hoc ius 12. q. 2. pro perpetuo habet Tabien. n. 2.*) quia ex tam longo tempore de facili cui tales pẽsiones concessæ sunt, posset census ipsos, vel res vsurpare tanquam proprios. Ideo sic verè dicendum est, quod fructus pendentes alicuius census non possunt in perpetuum alienari, quia hoc in idem coincideret, ac si alienaretur absolutè ius colligendi fructus, aut pensiones, & similiter propter Ecclesiæ periculum, non possunt huiusmodi fructus alienari ad longum tempus, quòd in terminis. *Clem. 1. de reb. Ecclesiæ non alien.* est indubitatum & in hoc sensu intelligi debent DD. supra relati.

SVMMARIVM.

1 *Iuspatronatus alienari non potest sine solemnitate. num. 382.*

2 *Iuspatronatus tamen laicum compatrono aut Ecclesiæ donari potest n. 382.*

382 Q Vintò iuspatronatus inter bona Ecclesiastica numeratur. Distinguitur verò in Ecclesiasticum, & laicum: inter quæ est discrimen, quod Iuspatronatus Ecclesiasticum simpliciter inter bona immobilia Ecclesiastica numeratur, vnde nec sine solemnitatibus potest alienari & præcipuè in laicum. *Rota dec. 3 t 2 apud Seraphinum, Ricc. p. p. praxis resol. 40. Boss. d. tit. 18. numer. 387. & aly DD. supra num. 478. relati.* Iuspatronatus vero laicum licet sit quid Ecclesiasticum, nihilominus habetur quodammodo vt bonum laicale

cale, & ideo de consensu Episcopi potest a laico in laicum transferri, *cap. illud*, de iure patronatus, vbi DD. quos refert *Barbosa ad d. caput num. 1. & ad cap. p. eod. titul. 6.* Immò compatrono potest donari sine Episcopi consensu. *Verall. dec. 131. & 134. Achil. de Grass. dec. 10. de iurepatron. Ricc. d. ref. 40. Barbosa ad d. cap. illud num. 4. & de off. Episc. all. 72. Boss. d. numer. 387.* Et amplius loco Religioso, & Ecclesiastico etiam sine Episcopi consensu potest laicum iuspatronatus donari. *d. cap. illud, & cap. 1. de iure patronatus 6. DD. citati & Grattan discept. 177. num. 3.*

SVMMARIVM.

1 *Capella &c. ratione spiritualis non possunt ex pacto alienari. n. 383.*
2 *Capellæ &c. non possunt conuerti in vsus sordidos. num. 383.*
3 *Cæmenta capellæ &c. non possunt conuerti in vsus laicorum. 383.*
4 *Capella non possunt alienari sine solemnitatibus. num. 384.*
5 *Capella non possunt alienari in laicos. Tum quia laici non sunt capaces iuris spiritualis. Tum quia hæc alienatio requirit solemnitates. nu. 385.*
6 *Vsus Capellæ laicis concedi potest. num. 385.*
7 *Sepultura dominium nec ius laico non potest tradi. num. 386.*
8 *Corporalia habentia annexam spiritualitatem, quia ad illam ordinantur ratione materiæ alienari possunt. num. 386.*
9 *Dubii particulare an sepultura ratione loci vendi possit. num. 387.*
10 *Locus sepulturæ absolute vendi potest. n. 388.*
11 *Calix ratione materiæ vendi potest. nu. 388.*
12 *Alienare Cæmeterium ad vsum corporale, vt ad vsum fœni non est simonia. num. 389.*
13 *An vendere locum ad vsum sepulturæ sit prohibitum. 389.*
14 *Alienare sepulturam ratione loci, vel melioris situs licere multi tenent. n. 389.*
15 *Accipere pretium pro actuali sepultura in loco deputato ad sepeliendum est simonia. n. 390.*
16 *Et hoc vt tale est speciali iure prohibitum. numer. 390.*
17 *Difficultates plures contra sententiam, quæ asserit, quod sine simonia potest vendi locus pro sepulchro construendo. n. 391. 392. 393. 394.*
18 *Vendere locum, quia dignior, si dignitas sumitur per respectum ad spirituale est simonia. nu. 392.*
19 *Vendere obligationem non concedendi locum pro sepultura alterius an sit simonia. n. 393.*
20 *Punctum difficultatis. n. 394.*
21 *Vendi potest locus pro sepultura propria cuiuius, quia situ aliter alteratur, & obligatur seruituti corporali. num. 395.*
22 *Et a hoc vera est sententia communis. n. 395.*
23 *Varia iura explicantur. n. 396.*
24 *Consuetudo potest prævalere, vt aliquid ratione loci corporei accipiatur pro sepulchro concedendo. n. 397.*
25 *Capella, & sepultura per se sine assensu Apostolico alienari non possunt. n. 398.*
26 *Ex consuetudine Capella & sepultura qualiscunque sine simonia id fieri possit, & non apponantur pacta, sed conditiones extraordinariæ, sine assensu Apostolico iuxta solitum conceduntur. numer. 399.*
27 *Concessio Capellæ non intelligitur concessum ius sepeliendi. n. 400.*
28 *Sufficit tamen ad hoc concessio tacita & vnde hæc colligatur. 400.*

383 SExtò inter bona immob[illegible]ia, quæ non possunt alienari sine s[illegible]mnitate, sunt omnia illa, quæ habe[illegible]t aliquam spiritual[illegible]tatem annexam, sicuti sunt Ecclesiæ, Cape[illegible]æ, Oratoria, Sepulchra &c. Sed huiusmodi bona [illegible]x multiplici ratione non possunt alienari. Nam ratione spiritualitatis annexæ non possunt ex pacto tradi, quia hoc facere simonia est, & sacrilegium contra virtutem Religionis, vt cum *D. Thom. supra quæst. 100. a. 4.* tradunt omnes DD. communiter. Pariter ex virtute Re[illegible]igionis prohibitum est huiusmodi bona ad Dei cultum deputata alienando transferre ad vsus profanos, nam vt habet *D. Th. 3. p. quæst. 83. a. 3. ad tertium* loca sacra quandam virtutem spiritualem adipiscuntur per consecrationem, propter quam ad profanos laicorum vsus conuerti non debent, vt decreuit Hyginius Papa & habetur *cap. ligna de consec. dist. 1. & cap. quæ semel 19. quæst. 3.* Quàmuis nunc per decretum *Conc. Trid. sess. 21. cap. 7. de reformatione* Episcopi Ecclesias nimia egestate laborantes, aut dirutas prophanare possint, & conuertere in v[illegible] pro[illegible]anos non [illegible]rd[illegible]dos erecta ibi cruce. Et [illegible] te dicti decreti non possit Ep[illegible]opus pr[illegible]fanare [illegible]æmeteria dixit *Rota decis. 7[illegible]7. par. [illegible] Farin. apud Barbosam ad d. cap. 7. nu. 22. [illegible] n. 2[illegible].* addit, non posse Episcopum sine causa [illegible] Capellas, eorumque cæmenta potius [illegible] Ecclesiæ, quæ dictarum Cape[illegible] caput, vt tamquam decisum à Sa[illegible]. Cong[illegible] nt. *Ricc. in praxi aurea p. 2. decis. [illegible]1. num. 2. Sa[illegible]do de protect. Regia tom. 1. p. 3. cap. 5. num. 27.* Imo nec huiusmodi cæmenta, & lapides Ecclesiarum destructarum conuerti posse in vsus laicorum tradiderunt *Bellet disp. Cleric. de Clerico debit. §. 14. num. 12. & ex Nauar. de spol. Cleric. §. 18. prope [illegible] secundo & Armendar. lib. 1. tit. 18. [illegible] 7. de Episcopis num. 85. Barbosa vbi supra num. 14.* S[illegible] l[illegible]cet [illegible] vetum spectato iure antiquo, modo tam[illegible], quia *Concil. Trid.* absolutè concedit huiusmodi cæmenta posse conuerti in vsus profano[illegible] non sordidos, sufficit hoc vt diruta loca sacra sed [illegible]nata ere[illegible]a ibi cruce in vsus sordidos no[illegible]antur *Quaranta v. alienatio num. 29.*

384 Verum [illegible] de simonia, aut con[illegible]atio[illegible]e & religione locorum sacrorum in ordine ad diuinum cultum, sed de a[illegible]ienatione vt proh[illegible]ita habe[illegible] sol[illegible]nnitatibus [illegible] dicitur quod huiusmodi bona immobilia ad Dei cultum, & Religionem consecrata aut deputata, nedum vendi aut al[illegible]oari [illegible]x pacto, aut [illegible]n vsu[illegible] pro[illegible]an[illegible] non possunt d[illegible]strahi, [illegible] qu[illegible] sunt [illegible] immobilia Ecclesiæ non possunt [illegible] quoscuo[illegible] a[illegible] [illegible]ari sine solemnitatibus, & beneplac[illegible]o Aposto[illegible] [illegible]. Et nedum ipsa [illegible] non possunt, sed n[illegible]que aliquod ius super [illegible] potest imponi. *Authent. [illegible] C. de [illegible] s. Eccles. &*

cap.

cap. quoad hac [illegible] *alienat. num. 2* [illegible] *Bona* [illegible] *nu. 56. Ric* [illegible] *l. 9. cap.* [illegible] *p.* [illegible] *8. a. nu. 2.*

385 [illegible] icc po [illegible] icuiv ius Cape [illegible] ot [illegible] placito Apo [illegible] od ius di- [illegible] non [illegible]

[illegible]

[illegible] ex pacto po [illegible] an pro loco [illegible]

pulturæ, liceat aliquid ex pacto [illegible] recipere sine simonia. Et quidem supponi [illegible] quod ius se- [illegible] spirituale vendi [illegible], solum [illegible] possit rati [illegible] & fund [illegible]

3 [illegible] distingui [illegible]. Nam pri [illegible] ditio a [illegible], aut ad [illegible] co [illegible] N [illegible] a [illegible] H [illegible] p [illegible] ex eo fiat ca [illegible] inm, q [illegible] pote- at [illegible] ex eo fiat calix. In his enim casibus pre- tium datur pro re temporali, & commutatio om- [illegible] em antecedit; quàmuis ex inten- [illegible] erupta, & emptio extrinsecè or- [illegible] ad spiritualem finem sep [illegible] enim A [illegible] ab [illegible] phion enii spel [illegible] sine si [illegible] derauit *S. Greg. C.* [illegible] *sta 13.* [illegible] *& habetur ca* [illegible] *d. ut. &* [illegible] *D.* [illegible] *m. supr. quæst.* [illegible] *ad 3. & 4. d. 2* [illegible] *ad secun-* [illegible] ni- [illegible] cæmeterium & E [illegible] [illegible] valet situs, & [illegible] us. [illegible] nec interest, q [illegible] irio [illegible] edat, vel non accedat pro [illegible], quia [illegible] andam simoniam, sufficie q [illegible] atur [illegible] rale ratione temporalitatis, non [illegible] od spirituale ei annexum nec vendatur & [illegible] ratione spiritualis. [illegible] enim & ca- [illegible] tum posse absolute vendi [illegible] one [illegible] a vt si vendatur Eccl [illegible] ne- [illegible] fanare, vt tradit *D.* [illegible] [illegible] um, fit verò profana [illegible] [illegible] D. citati. Sic qu [illegible] pro- [illegible] n alteri potest vend [illegible] ma- [illegible] x qua constat.

[illegible] ndo de venditione non absolu- [illegible] distinguendum est vlterius, quia [illegible] ad vsum corporalem, non h [illegible] [illegible] e locare Cæmeter [illegible] p [illegible] [illegible] ulla simonia esset, quia colli- ge- [illegible] cæmeterio est, quid mere corporale, [illegible] ria simoniæ. Difficultas igitur [illegible] terra ad vsum sepel [illegible] & [illegible] est iam consecrata, [illegible] [illegible] est Cœmeterium [illegible] [illegible] est autem sent [illegible] *cap. Abolenda* refert 37. [illegible] quod non [illegible] simonia vend [illegible] ratione situs, vel dignioris [illegible], [illegible] idetur consuetudine [illegible]. [illegible] casus distingui debere, vel enim [illegible] mmunis sepulturæ iam deputatus [illegible] actuali sepultura huius, vel illius, [illegible] ro sepultura veluti habituali, & [illegible] tur, cum alicui conceditur, ve [illegible] hrum sui ædificet, vt in eo emens [illegible] bus, & hæredibus sepelliri pos- [illegible] fieri possit de alio pro quo sepul- [illegible] actum.

[illegible] mo autem casu manifest [illegible] simo- [illegible] ex *cap. quæsta, &* [illegible] *sequentibus* [illegible] *Abolenda de sepult.* [illegible] *cap. cum* [illegible] *cap. Audi* [illegible] In hoc [illegible] is contr [illegible] ro pretio ad- [illegible] mit-

mittitur [illegible] & [illegible] hic vel ille sepeliatur vel in communi cœmeterio, vel etiam in sepulchro particulari [illegible], non venditur loc[illegible] domini, [illegible] cadau[illegible] ven[illegible] ad finem [illegible] de [illegible] cum [illegible], [illegible] ad [illegible] lem [illegible], & [illegible] quid v[illegible] vendi[illegible], sed [illegible] s remanet [illegible], vel [illegible] sepulturæ, [illegible] venditur vsu[illegible], seu [illegible] ad ta[illegible], scilicet sepeliendi, qui vsus est [illegible] spiritu[illegible] non vendibilis siue simonia. Sicuti sim[illegible] Sacerd[illegible] v[illegible] et vsum calicis ad [illegible] quòd in huiu[illegible] ab vsu ta[illegible] potest [illegible] consu[illegible] in v[illegible] non [illegible] ex [illegible] aliq[illegible] ince[illegible] re, qu[illegible] de[illegible], non ratione spiritualis annexi [illegible] ratione temporalis. Nihilominùs dici[illegible] q[illegible] est[illegible] casu non sit simonia ex n[illegible] v[illegible] temporalis vsu consumi[illegible] habe[illegible] aliquod incom[illegible] le i[illegible] i, quod sit pretio v[illegible] inuenire in loco [illegible] c enim sepultura, [illegible] ex [illegible] corporum recept[illegible] patit[illegible] ad hoc locus sit [illegible] uera locum non consumant *D.* [illegible] tenus verò huiusmodi consid[illegible] cũ habere, quia tamẽ & hoc [illegible] facilè est vt intret simonia sub [illegible] iura citata absolutè prohiben[illegible] aliquid recipiatur. Quod præ[illegible] Clericos, si pro vsu loci com[illegible] deputati aliquid ex pacto recip[illegible]

[illegible] Est ergo alter casus in q[illegible] ve[illegible] [illegible]tuali & propria sepul[illegible] sepulchrum pro sepel[illegible] defuncto. Et in hoc cas[illegible] [illegible]dere opinio illa *Barbosæ*. [illegible] tos tenent etiam *Boss. d.* [illegible] 18. [illegible] *Donatus d.q.*78. Sed difficultatem [illegible] tentia, tum spectata natura rei [illegible] bus supra citatis. Nam primò i[illegible] locus absolutè non venditur, quia [illegible] minio Ecclesiæ; si autem dicatu[illegible] aliquod ius, scilicet ius sepeli[illegible] quòd hoc ius est spirituale, [illegible] tura rei simonia est illud eme[illegible] hilominùs quid est quod da[illegible] pacto conceditur locus sepult[illegible] detur quid aliud dicatur conc[illegible] hic ad [illegible] tria considerari [illegible] substa[illegible], & ius aliquod [illegible] conceditu[illegible] anti[illegible] us, & a[illegible] in præsenti ca[illegible] conceditur [illegible] exercitia sepult[illegible] is, d[illegible]

stituendo [illegible] Substan[illegible] tiam loc[illegible] nec potest distrahi [illegible] cumq Rector [illegible] um d[illegible] strahere valeat [illegible] vendi conceditur, du[illegible] Eccle[illegible] ra [illegible] ditur. Ho[illegible] v[illegible] spiritu[illegible] mia nequi[illegible]

[illegible]

proh[illegible] continea[illegible] in prohibitione venditionis [illegible] quia aliud est sepe [illegible] vendere [illegible] vendere obligationem [illegible] non sepeliend[illegible] sic constat. Verum hoc pariter [illegible] & hæc obligatio spirituale quid [illegible] ad non concedendum vsu[illegible] quædam seruit[illegible] spiri[illegible] [illegible] aude est [illegible]

[illegible] ltas com[illegible] a [illegible] editur e[illegible] [illegible] idetur [illegible] e ra[illegible] [illegible] loca [illegible] [illegible] exte[illegible] [illegible] alita[illegible] [illegible] su[illegible] [illegible] spiri[illegible] [illegible] tur alteri [illegible] nin vel [illegible] strare, aut [illegible] Aliàs verò [illegible] s vt in loco se[illegible] [illegible] est spiritualis. [illegible] communis potest [illegible] s loci materialis [illegible] sepulturæ di[illegible] [illegible] orporaliter al[illegible] [illegible] parietes Ecclesiæ pro [illegible] [illegible] igatur fundus [illegible] [illegible] corporaliter al[illegible] [illegible] & [illegible] tempora[illegible] [illegible] onia com[illegible] ditur ex [illegible] ra [illegible] [illegible] [illegible] onis, si a[illegible] [illegible] commo[illegible] ementis, vt a[illegible] [illegible] & incommodum vendentis lo[illegible] [illegible] turæ. Et sic saluatur, quòd in h[illegible] [illegible] ssione non est simonia ex iure naturali. Quod verò iura prohibuerint [illegible] pro [illegible] tio cor[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ponimam [illegible] item Pelusi[illegible] [illegible] u n [illegible] rius permit[illegible] [illegible] àm pro terrâ in qua se[illegible] [illegible] so [illegible] tetur. [illegible]

[illegible] p. cum Eccles. de simonia prohibetur ne pro [illegible] sepeliendis defunctis, & exequijs mortuorum, & benedictionibus nubentiū aliquid exigatur. Quod etiam prohibetur, *cap. ad Apostolicam* de simonia. Vnde apparet, quòd iura ista loquuntur, vel de actuali officio exequiarum, vel de actuali sepultura in loco iam ad mortuos sepeliendos deputato, qui locus est vel Cœmeterium, vel Ecclesia, & sine quo nulla potest esse Parochia. Meritò autem hoc fuit prohibitum, quia non potest iustè excusari à simonia, neque enim dici poterat, quòd pretium reciperetur à sepelientibus ratione loci, non ratione sepulturæ, quia cum locus iam esset ad sepulturam & deputatus, & debitus, (Nam in Parochijs debet esse locus pro tumulandis cadaueribus eorū, qui propriam sepulturam non habent,) non poterat ulli hic locus vendi, quamobrem rationabiliter [illegible] id prohibitum, & taliter, quòd vt habetur, *d. cap. quæsta*, etiam consuetudo non possit in cōtrarium contra hoc præualere, cùm certè non sit rationabile, quòd fideles pretio emant locum se[illegible] [illegible] tæ communis. *In cap. etiam audiuimus, de simonia* [illegible] s specialis casus reprehenditur ab Innoc. [illegible] Episcoporum, qui sine pretio n[illegible] re, vt sepelirentur, qui in aliqua Religiosorum Ecclesia sibi sepulturam elegerant. Et isti enim non poterant se excusare, quòd pretium exigerent ratione loci, quia locus se[illegible] ad [illegible] sos pertinebat. Et certè negari no[illegible] duobus casibus, scilicet in [illegible] pro actuali sepultura in loco [illegible] pienda cadauera deputato, vel ac[illegible] per Episcopos pro sepultura ha[illegible] sijs Religi[illegible] rum, non sic maxima [illegible] & præsumptio simoniæ, vnde meritò huiusmodi casus prohibi[illegible] e, vnde sic agere simoniacum est. Sed vbi [illegible] de concedend[illegible] co [illegible] lari, & proprio [illegible] suo pro sepul[illegible] [illegible] unis pa[illegible], v[illegible] alicuius familiæ [illegible] a [illegible] loci co[illegible] est à fide debita, & est [illegible] [illegible] pora[illegible] æstimabile, ideò nedum [illegible] a rei po[illegible] simonia, sed est casu [illegible] uersus [illegible] iuribus citatis sine [illegible] prohibiti. [illegible] in dictis iuribus fuisse comprehensi, con[illegible] udo potuit in contra[illegible] præualere.

[illegible] Nam & in his seruandam esse consuetudi[illegible] [illegible] & laudabilem, si quæ fuit inducta, vt laici in [illegible] s aliquid dent Ecclesiæ, & ad eam seruandam cogi posse dixit *Gloss. ad cap. abolendæ* [illegible] *exigere de sepulturis, vbi ex Hostien. idem tradit Panorm. nu. 7. & ex istis Syluest. v. simonia n. 11.* Et vbi [illegible] s [illegible] tura rei & de iure naturali & diuino [illegible] oniacus, si aliàs esset per Ecclesiam [illegible] ontra hanc prohibitionem præualere [illegible] uet [illegible] vt tradiderunt *Rodriq. tom. 3.* [illegible] *Peyr* [illegible] *n. 1. ad const. 26. Leonis Decimi* [illegible] dicitur [illegible] òd per iura citata [illegible] m trade[illegible] pacto locum pro [illegible] sepultura alicuius. Vnde est, [illegible] d[illegible] com[illegible] s vt pro aliquo pretio concedantur [illegible] sacra pro sepultura construenda excusatur à simonia, quia huiusmodi concessio quatenus sit ex pacto, fit ratione loci, qui & corporaliter alteratur, & mutatur, & subijcitur etiam corporali seruituti, vt non possit situaliter alterari, &

mutari qualiter verò pro officio sepeliendi & [illegible] tuali annexo sepulturæ non possit aliquid accipi [illegible] pacto bene explicant *D. Thom. 4. d. 25. quæst. 3. a.* [illegible] *Anton. p. 2. tit. 1. cap. 5. §. 22. Sylu. v. simonia quæst. 11.*

398 Sed redeundo ad rem nostram, & ad punctum alienationis, quæ fieri possit vel non possit sine iuris solemnitatibus, dicitur quòd spectata re ex genere suo alienatio Capellarum, vel concessio fundi pro sepulturis non potest fieri sine solemnitatibus & beneplacito Apostolico, cum capellæ, [illegible] fundus Ecclesiarum sit bonum Ecclesiæ immo[illegible] Triplici enim modo fieri potest alienatio Capellæ, aut sepulturæ. Primo modo ita vt transferatur dominium fundi & ædificij in alium, & hoc modo Capellæ aut sepulturæ concessio est proprijssimè alienatio rei Ecclesiæ, quæ sine solemnitatibus fieri non potest. Secundo modo retento dominio fundi potest concedi vsusfructus vel ius aliquod vtendi Capella, aut sepultura, & maximè cum se[illegible]tute, & obligatione, vt al[illegible] non vtan[illegible]ur. Et iuxta superiùs probata hæc quoque concessio est ali[illegible]natio subdita legibus prohibentibus eam fieri sine [illegible]nitatibus. Tertio modò quòd possit conce[illegible] & nudus vsus facti ipsius [illegible] aut [illegible]æ, & quòd ad hanc concessionem [illegible] requirantur omnes solemnitates iuris, & præcipuè assensum Apostolicum dixerunt ex *Felin. in cap. qua in Ecclesiarum num. 87. de Const. & Nauar. in Comm. 1. nu. 1[illegible]. de Regular. Riccius p. p. praxis, res.* [illegible] *num.* [illegible] *or. elucubrat. variar. tit. 2. cap. 9. num. 1*[illegible] *mer. 389. Bonac. d. p. 2. num. 22.* [illegible] *num. 29.* Se autem aliquando vid[illegible] [illegible]li concedantur Capellæ sine te[illegible] [illegible]s Apostolici fatetur *R*[illegible] *vbi supra.* [illegible] practicatum vidi, maximè in concede[illegible] r[illegible]. Verùm non peccie[illegible] dici possit c[illegible] ce[illegible] nudū vsum Ca[illegible], cum hu[illegible] concessionibu[illegible] xa [illegible]igatio no[illegible] [illegible]endi alijs locum a[illegible] & vi[illegible] [illegible]tæ, vel Capellæ ea[illegible] [illegible]e. Et ita in conc[illegible] propriæ vere conce[illegible] vte[illegible] la, vel sepultura. Et [illegible] aicus [illegible] sit habere propriam [illegible] sepult[illegible] tum ad proprietatem [illegible], potest tamen h[illegible] quantum ad ius v[illegible] quo duo huic [illegible] competunt. Primu[illegible] ius sepeliendi ca[illegible] in propria sepultura. [illegible]dum est ius v[illegible] inuito in ea sepultura sepeliatur, vt ex *H*[illegible] *in cap. abolenda de sepult. & Io. Andr. ibid. Butr. n.*[illegible] *Card. num. 3. Panorm. nu. 5. habet Rota dec. 787. nu. 3. p. 1. diuers. & dec. 29. num. 2. coram Coccino*, E[illegible] hac [illegible] videnda est etiam extrauag. ad condit[illegible] *I*[illegible] *de verb. signif.* vbi subtiliter, & late p[illegible] se dari simplicem vsum facti iniuni, [illegible] sit separatus ab o[illegible] iure v[illegible]. [illegible] quòd vsus facti, qui [illegible] vel a[illegible] pe[illegible] habendum speci[illegible] aliqu[illegible] aliquid simile [illegible] id, quod in [illegible] est aliquod ius, ita tamen [illegible] [illegible]uale detur p[illegible]o pretio, se[illegible]m [illegible]itur pro loco corporeo modo supra[illegible] id[illegible] dicen[illegible]um est exclusa simonia, & ita [illegible]ex pacto nihil detur spirituale pro pretio, quatenus etiam ex vi concessionis Capellæ aut sepulturæ illis quibus conce[illegible]

tur competat aliquod ius vten[illegible] [illegible]tur aliqua seruitus, vel hoc ius non [illegible]cessum, quàm re[illegible] [illegible]ruatum ab accipien[illegible] [illegible]tur sepulturam super re, quàm tri[illegible] huiusmodi concessionis vtilitas [illegible]esiam concedentem est adeo [illegible]ta, [illegible]ta, vt [illegible]taxis inte[illegible]modi [illegible]o fieri poss[illegible] Apo[illegible], si fiat [illegible]ta [illegible] spe[illegible]e aliquo [illegible] pa[illegible]i possit. [illegible] getur [illegible] Capella [illegible] otn[illegible], & non [illegible] mo[illegible] in Eccle[illegible] [illegible] permi[illegible] [illegible]esiæ vtile, q[illegible] [illegible] ædificen[illegible] [illegible] e appo[illegible] traordin[illegible] tri[illegible] ptouen[illegible] introdu[illegible] Capell[illegible] [illegible] fi[illegible] dan[illegible]

400 [illegible] *tradit* [illegible] *de sepult.* [illegible] *pa*[illegible] *m. cap. fin.* [illegible] *Auenionen.* [illegible] *coram Litta* [illegible] per Episcopum [illegible] neta[illegible] di nisi ex[illegible] rea[illegible] bent in [illegible] al[illegible] ad hoc [illegible] Rotam dec. 222 [illegible] tia colligitur, [illegible] [illegible]it contradic[illegible] [illegible] E[illegible] [illegible]t per eum visitata.

SVMM[illegible]

1 *Mob*[illegible] *a pretio*[illegible] *al*[illegible] *non p*[illegible]
2 [illegible] *mob*[illegible] *um*[illegible]
[illegible] *n. 404.*
5 *I*[illegible] *tentia moral*[illegible] *pretiosum. n. 404.*
6 *Quod ex vsu communi est deputatum* [illegible] *non est pretiosum. n. 404.*
7 *Mobile pretiosum* [illegible] *quod est* [illegible] *& non est* [illegible] *num.* [illegible]
8 *M*[illegible]
[illegible]
12 *Grex* [illegible] *mobi*[illegible] *preti*[illegible]*a. nu.*[illegible]
13 *Ex on*[illegible], *libris* [illegible]

le, & sine solemnitate non alienabile. nu.412.

14 *Grex ouium, aut aliud simile tenuta nec per partem potest sic alienari, vt de pretioso & magni valoris reducatur in non pretiosum & parui valoris. n.413.414.*

15 *An Grex ouium &c. possit alienari per partes etiam interpolatè diuersæ opiniones. n.413.*

16 *Parua furta respectu eiusdem personæ etiam si interpollata continuantur in vno notabili damno. num.414.*

17 *Qui per alienationes interpollatas tantam de grege &c. alienat, quod grex notabiliter diminuitur, & Ecclesia notabiliter est damnificata incidit in pœnas contra alienantes. nu.414.*

18 *In bonis ex pluribus indiuiduis integratis, vt in grege, bibliotheca &c. quæ sunt vetusta possunt alienari alijs meliorib. subrogatis. n.415.*

19 *Alienare reliquias esse contra Paulinam plures sentiunt. n.416.*

20 *Cap. Corpora Sanctorum dist. p. explicatur. numer. 418.*

21 *Ex stylo Romanæ curiæ reliquia muro clausæ, aut insignes non possunt extrahi de loco ad locum, sine licentia Papæ. n.419.*

22 *Paulina & aliæ leges prohibentes alienationem non comprehendunt reliquias. n.420.*

23 *Reliquiæ sunt supra omne pretium. n.420.421.*

24 *Reliquiæ nullius sunt in bonis. n 421.*

25 *Alienans ex pacto reliquias est simoniacus, sed non incidit in pœnas Paulinæ. n.420.421.*

26 *Reliquiæ non insignes an possint transferri de Ecclesia ad Ecclesiam. n.422.*

27 *Possunt extrahi si id est consuetum. n.423.*

401 NEdum verò immobilia bona Ecclesiæ, sed & mobilia alienari non possunt sine iuris [illegible] tatibus; Canones enim sacri vt patet c. *sine exceptione 12.q.2. & in extrau. ambitiosæ, & Decretum Vrbani Octaui* vniuersaliter prohibent alienari bona, [illegible] res Ecclesiasticas sine solemnitate iuris [illegible] est, quod ex *extrauag. ambitiosæ* habetur [illegible], & permissio vt fructus, & res, quæ seruando seruari non possunt, possint sine sol [illegible] statuta [illegible]. Ex qua limitatione DD. com[illegible] distinguunt mobilia in pretiosa, & non pretiosa, & dicunt mobilia pretiosa non posse sine solemnitatibus alienari, bene verò mobilia non pretiosa.

402 Est autem mobile pretiosum, quod etsi fixas radices in terra, vel immobile fundamentum non habeat, tamen est res magni valoris, & seruando seruari potest. Et mobile tale non potest alienari [illegible] tatibus iuris, & assensu Apostoli[illegible] *o. G[illegible] in cap. nuper v. tractata, de his, quæ fiunt a Prælatis [illegible] Andr. Zabarella, Hostien. & Panorm: in cap. nulli de reb. Eccl. non alienand. Redoan. rubr. de verum mobi iam alien. pag mihi 56. Quaranta v. alien. num. 24. Ricc. par. p. praxis resol. [illegible] 8. Barbosa ad Paulinam num. 19. & de off. Episc. al. 95. num. 19. Azor p. 2. l. 9. [illegible] t. quæst. 5. & 7. Bonac. de alien. punc. 2. num. 3. Rodri p. t. [illegible] quæst. 27. a. 12. Palaus p. [illegible] trac. 11. p. [illegible] 5. §. 1. nu. 2. Lezana p. 1. cap. 1[illegible] num. 4. & p. 2. cap. 19. nu. 56. [illegible] tom. 3. d. p. 13. quæst. 1. nu 9. D[illegible] in pra[illegible] p. 2. trac. 14. quæst. 47. Boss. tit. t 6. num. [illegible] apud istos [illegible] in praxi cap. 60. nu. 4. [illegible] de pot. Ep. s. cap. 14. § 4. num. 3. Vasquez opus. de redditib. c. 2 §. 2. dub. 3. & communiter omnes.*

403 Prima verò conditio mobilis pretiosi est, quòd sit magni valoris; nam pretiosum non æstimatur, quod modicum iudicatur. Sed quæ sit res magni valoris non est certum. Sed de hoc satis dictum fuit supra, & melius dici non potest, nisi quòd hoc sit arbitrarium, & non sit determinandum nisi consideratis regione, Ecclesiæ diuitis, aut paupertate, qualitate rei, an de facili possit, vel non possit reperiri, & alijs circumstantijs ex quibus colligi possit, an res magni fieri debeat, vel non debeat, prout loco citato dictum est.

404 Secunda conditio est, vt res pretiosa sit, quæ seruando seruari potest. Hæc autem illa est, quæ potest per triennium seruari absque diminutione, & seruata fructificat. *Syl. v. alien. num. 7.* Ideo mobilia pretiosa sunt vasa aurea, argentea, ænea, ferrea, gemmæ, vestes pretiosæ, & quæ longè ab interitu distant, si tamen sint talis quantitatis, & qualitatis, vt sint magni valoris. Sed quàmuis communiter sic DD. arbitrentur vt pretiosa sint mobilia, quæ vltra triennium seruari possunt, tamen hoc habet difficultatem, quia v. g. animalia ad vsum personæ destinata ad plures annos seruari possunt, & tamen possunt alienari, vt dicam, sicut & pecunia, & quamplures fructus, qui colliguntur ex terra, vt linum, & pariter artificiata plura, etiam magni valoris, Religiosus enim artifex vt v. g. excellentissimus pictor, potest picturas a se elaboratas pro pretio distrahere, quàmuis illæ & diu seruari possint, & valeant multum. Ideo distinguere bonum erit, & dicere, quòd non sit sermo de sola impotentia physica, vt illud dicatur pretiosum quod sine physica corruptione, aut detrimento potest per triennium conseruari, sed etiam locum habeat impotentia moralis, desumpta ex necessitate & vsu eorum, quæ communiter pro humanæ vitæ sustentatione & commodo distrahi opus, & solitum est. Quæ enim ex communi vsu alienationi, & commutationi deputata sunt, vt hoc modo homines contractando & commutando habeant, quòd propriæ vitæ & statui est vel necessarium, vel opportunum, non possunt seruando commodè seruari, quia si seruarentur periret humanũ commercium, & ex hominibus aliqui pecunia, vel animalibus, vel artificijs, vel alijs rebus abundantibus, paterentur penuriam vel panis, vel vini, vel vestimentorum, vel alterius rei, & econtra. Vbi igitur ex gentium vsu, & institutione res aliquæ non sunt institutæ vt seruentur, vt quodammodo non pertineant ad fundum, & proprietatem hominum, sed immò ex vsu communiter distrahantur, & non vt retinenda sed vt distrahibilia pro opportunitate communiter possidentur, hæc seruando seruari non possunt, seu sunt de genere, quæ seruando seruari non possunt. Et sic mobile pretiosum illud erit, quod est magni valoris, & est de genere non distrahibilium pro communi vsu hominum, sed eorum quæ ex vsu per se possidentur veluti tãquam immobilia, & pro vsu personæ & familiæ, & non tanquam distrahibilia, nisi forsan per accidens.

405 Sed bene considerata *extrauag. ambitiosæ*, & ponderatis illis verbis, *ac de fructibus, & bonis, quæ seruando seruari non possunt*, & ponderato, quòd dictio & est coniunctiua vnius cum altero, per ea quæ habet *Rota dec. 157. nu. 11. p. 5. recent. & Barbosa*

ait.

*dict.*110. vnde supponit necessariò diuersa, quæ simul coniungat, ideo dicendum est, quòd duo sunt, quæ inter mobilia non pretiosa numerari debent, scilicet fructus, & bona quæ seruando seruari non possunt. Vnde mobile pretiosum est, quod in se est magni valoris, & nec est fructus, nec est res quæ seruando seruari possit. Vnde quod est fructus, etiam si sit maximi valoris, non censetur in hac parte mobile pretiosum. Et ad hoc valet etiam doctrina data; quia fructus sunt res, quæ ex communi omnium vsu, maximè quantùm ad id, quòd superest sustentationi familiæ, sunt deputata commutationi, vt ex eis Patresfamilias, quæ necessaria sunt familiæ medijs contractibus emant. Mobile ergo pretiosum est, quòd nec est fructus, nec seruando seruari potest. Nec est necessaria illa alia conditio, quòd scilicet seruatum fructificet, sed sufficit, quòd seruari possit, vt patet de gemmis, auro &c. Et conuenienter etiam dicitur illud seruando seruari posse, quod sine magna deterioratione per triennium seruatur. Sed fructus etiam si ad mille annos seruari possint, nunquam sunt ex hoc mobile pretiosum, quia sunt res ex cōmuni vsu alienationibus deputati, & quorum alienatio expressè est concessa.

506 Et his plura colliguntur. Et quidem primò colligi potest resolutio illius difficultatis, an aliquando vasa aurea, & argentea, vt lampades Ecclesiæ & alia similia sine assensu Apostolico vendi possint, saltim in casu necessitatis, vt pro fabricanda Ecclesia, vel dormitorio, vel choro. *Riccius apud Donatum p.2. praxis trac.14. quæst.55.* affirmat posse huiusmodi bona vendi. Sed loquitur de venditione facta alteri Ecclesiæ, & in sententia, quam ipse sustinet *p. p. praxis res.35. & 71.* quòd scilicet alienatio inter Ecclesias non sit comprehensa sub Paulina. In qua sententia consequenter loquendo benè dicitur, quòd vna Ecclesia seruatis aliàs seruandis, sicut ad fauorem alterius Ecclesiæ potest donare, vel permutare, vel etiam vendere immobilia, sic & potest alienare mobilia pretiosa; sed hoc satis supra reiectum est.

507 Loquendo autem de alienatione facta laicis, quòd Ecclesia non possit sine assensu Apostolico vendere mobilia pretiosa etiam argentea, & aurea etiam non consecrata, & etiam pro Ecclesiæ necessitate, vt pro reparanda domo, vel pro fabricando choro dixerūt *Tambur. tom.3. disp.13. quæst.2. num.16. Lezana p.2. cap.19. num.55. Bouac. d.p.2. numer.30.* Vnde superiores Regulares non posse alienare argentea, & mobilia pretiosa relicta in hæreditate sine assensu Apostolico dixit *Barbosa in sum. v. superior Regularis num.6. tanquam decisum a Sacr. Congreg. in causa S. Bernardi ad Thermas in Vrbe 31. Iuly, & 31. Augusti 1627. prout refert Bonsadin. in Thesau. Ecclesias. decis. resolut.48. num.3. & hoc idem tenet Bass. dic. tit.18. nu.391. sed Donatus p.2. tract.14. quæst.55.* distinguit, nam huiusmodi mobilia vel sunt necessaria Ecclesiæ, aut eius vsui destinata, vel sunt superflua, & otiosa, quæ si retineantur manebunt sine vtilitate, & fructu. Paulina loquitur de necessarijs vel deputatis Ecclesiæ [illegible] cui deseruiunt vel saltem ad ornatum, non [illegible] de superfluis, & quæ otiosa sine aliquo emolumento [illegible] nent, si conseruentur. Huiusmodi [illegible] da sunt, ac si essent pecunia, quæ licet [illegible] & magnæ quantitatis, ac sit otiosa potest [illegible]. Nam & valde durum videtur, quòd mobilia magni valoris superflua debeant manere otiosa dum aliàs si venderentur, vel saltem permutarentur in res vtiles esset hoc certæ, & euidētis vtilitatis monasterio.

508 Verum non est eadem ratio de pecunia, & de mobilibus pretiosis etiam superfluis, quia pecunia ex sui institutione est res destinata alienationi, immò vt est accepta ex fructibus est fructus quòd mobilibus pretiosis non conuenit. Aliàs autē ad licitam alienationem non sufficit causa iusta, & Ecclesiæ vtilitas sed præterea requiritur solemnitas iuris, Ideo exceptis casibus in quibus etiam immobilia sine solemnitate alienari [illegible] ut, non possunt mobilia pretiosa alienari, etiam si [illegible] superflua, quæ nisi otiosa maneant Sedis Apostolicæ licentia erit obtinēda, vt in res Ecclesiæ vtiles transmutentur. In his tamen seruari poterit consuetudo locorum. Et [illegible] quòd valor istorum cum maiori latitudine extendi possit, vt modici valoris sint reputanda etiam si plus valeant, quam alia quædam vel necessaria, vel non superflua nam & domino minus valet superfluum & inutile quàm id, quòd suo vsui est [illegible] m, vel opportunum. Sed quid dicendum si [illegible] aliquod pretiosum, nedum sit superfluum, sed [illegible] ciam in futurum, & de possi [illegible] Vt si mon[illegible]o monialium relicta sit bibliotheca insignis librorum Græcorum, & Latinorum. Affirmatiuam partem tuetur *Portell. p.1. casu 17.* Probans moniales cuiusdam monasterij potuisse sine beneplacito Apostolico alienare quoddam [illegible] pretiosum [illegible] ta per, sibi [illegible] a Regina [illegible] cum conditione vt non alienaret [illegible] quo [illegible] specialem prohibitionem [illegible] tifice. Ex eo, quia iam [illegible] instrumentum esset inutile, [illegible] obligatio illud non alienandi. [illegible] mat. *ibid. num.5.* refert, quòd se [illegible] Apostolicus [illegible] Regni Portugalliæ [illegible] quòd moniales eiusdem monasterij poterant vendere bibliothecam librorum latinorum [illegible] ab ea[illegible] Regina fundatrice eidem C[illegible] tamen ille Collector alienandi licentiam non posset concedere. Sed præfatus Doctor fuit in ea sententia, vt stante euidenti Ecclesiæ [illegible] possitus res Ecclesiæ alienari sine beneplacito Apostolico, quæ quidem non admittimus, quia nec conformis iuri, & contraria praxi per extrauagantem enim Paulinam, & decretum Sacr. Congregationis examen vtilitatis Pontifici aut d. Congregationi est reseruatum, & modò pro a[illegible]nibus habendis duo copulatiuè sunt necess[illegible] licet [illegible] quæ est necessitas, aut vt[illegible] & beneplacitum Apostolicum, vt d[illegible] nt [illegible] niter DD. infra au[illegible] probab[illegible] Vnde in præfato casu [illegible] ius [illegible] Paul[illegible] & [illegible] Sacr. Congreg. [illegible] um a voluntate Reginæ donatricis quæ, si [illegible] bibliothecam [illegible] sub conditione, vt non alienaretur, potuit id [illegible] vt hæc [illegible] & bene[illegible] in perpetuum [illegible] monasterio [illegible] ndato. [illegible] de voto, quo vetitur [illegible] simile [illegible] possit votum suum [illegible] commutare, hoc [illegible] quia lex [illegible] copulatiuè re[illegible] residente [illegible]

praci

placitum superioris, quia votu[illegible]atu[illegible] ua petit, vt non sit impedimentum [illegible] boni. Sed lex pr[illegible]e[illegible]s alienationes directe [illegible] it, & vult, [illegible]d [illegible] ci[illegible] m[illegible]ioris vti[illegible] Pontifici ideo c[illegible] m[illegible] [illegible] vero mobile p[illegible]tiosum [illegible] a [illegible] a [illegible], possit, vt so[illegible] uat[illegible] di[illegible] ad bene posse restitui domino [illegible] po[illegible]ecatum pro pretio, vel po[illegible] D[illegible], & de eius conf[illegible] venditor. Sed si mob[illegible] o [illegible] n[illegible] pecu[illegible]ia ad m[illegible] pot[illegible] ri a[illegible] ari, vt [illegible]atur no[illegible]

[illegible] [illegible]tur [illegible]cundo [illegible] de oblatio[illegible]s & [illegible] quæ pro g[illegible]is alicuius sancti im[illegible] cum distinction[illegible] [illegible]o plu[illegible] ter vota argentea v[illegible]l aurea. [illegible] a g[illegible] a[illegible] a[illegible]t aurea, si [illegible] c[illegible] be[illegible] mobi[illegible]e preti[illegible] a[illegible] na[illegible] vero a ia. *R[illegible] p.p.[illegible] nac.d. 2.num.6. Dia[illegible] L[illegible]zan.[illegible] 9.[illegible] r[illegible] d.[illegible] num 4[illegible] [illegible]om[illegible] d.pr[illegible] [illegible] enat.dub.[illegible] [illegible]onatus*[illegible], [illegible] vota etiam a gemma, & [illegible] [illegible]a hæc ad [illegible] m[illegible] m[illegible] o[illegible] a [illegible] m quod re[illegible] [illegible]ant cu[illegible] suf[illegible] a [illegible] is iure [illegible], redduntur enim [illegible]la á [illegible] o voto satisfaciant, & ad nullum [illegible] c[illegible] rdi[illegible]ant [illegible] sed apud eam ma[illegible] men[illegible] at ea non d[illegible] h[illegible]e [illegible] a[illegible] Ap[illegible] [illegible] pr[illegible] m[illegible] displice[illegible] a [illegible], di[illegible] io. Nam [illegible] vota [illegible] [illegible]r [illegible] g[illegible]m, vel vt plura [illegible] in [illegible] n odo[illegible] mpta e[illegible] a [illegible] au[illegible] a [illegible] & [illegible] s [illegible] a [illegible] e [illegible] o[illegible] ta[illegible] o [illegible] a [illegible] a [illegible] a [illegible] non possun[illegible] mnitat[illegible] n[illegible] magni valo[illegible] ratur. S[illegible] c[illegible] r[illegible], qu[illegible] a [illegible] ffi[illegible] n[illegible] d[illegible] n ag[illegible] s [illegible] au[illegible] a [illegible], qu[illegible] gnea. E[illegible], quod [illegible] [illegible]ation s [illegible], [illegible] ex eis resultet [illegible] [illegible] g[illegible] valo[illegible] non possunt sine so[illegible] [illegible] Sunt enim bona spiritualia & Ecclesia[illegible] ad cu[illegible] ant [illegible]lius sancti cui offe[illegible] [illegible] a [illegible]a benefi[illegible]ij per intercess[illegible] s [illegible] n[illegible] fit[illegible]s est ext insecus [illegible]a votum illi[illegible]s hoc respicit, ex eo enim [illegible] b[illegible]tionem, [illegible] per illam testificaret mū[illegible] m[illegible] c[illegible] pi[illegible], & pro[illegible] a gratias agere. [illegible]od [illegible] c[illegible] [illegible]es, [illegible]e spiritua[illegible] s [illegible] *ex cap.cum e[illegible] & cap. cum inter*[illegible] *m.num.5.d*[illegible] [illegible] *ni*[illegible] [illegible] pr[illegible] [illegible] al[illegible] [illegible] *6. R[illegible] in Cala[illegible]* [illegible] *na*[illegible] *onum*[illegible] *oram Pampl*[illegible] *o te-ne*[illegible] *d.re*[illegible] *d.*[illegible] *18.num.404.* Tauq[illegible] a [illegible] a, & Ecclesiastica habe[illegible] quód sine d[illegible], quæ s[illegible] t, cum sine materiæ

multum dura[illegible]s, & immó nec aliás sint inutilia, & otiosa, c[illegible] ad Dei & sanctoru[illegible] cultum va[illegible]eant tanqu[illegible] tione beneficiorum quæ, per Dei g[illegible] ad [illegible] em sāctorum obten[illegible]a sunt, vid[illegible] n[illegible] maximo ornamento Ecclesiæ, & altarium d[illegible] iunt.

411 [illegible] rtio co[illegible] r, quód eadem ratione grex [illegible], aut ar[illegible] e[illegible] m vac[illegible]arum, vel aliorum ani[illegible] m est n[illegible] [illegible]etiosum, quod non licet a[illegible] sine so[illegible] te. Dictum veró est su[illegible] pr[illegible] gre[illegible] & animalia si sint applicata præd[illegible] im[illegible]obi[illegible]a c[illegible] ntur. Sed e[illegible] nulli præ[illegible] applicata, licet sint subiecta [illegible], adhu[illegible] tan[illegible]n si non tanquam immobilia, tamen saltem tanquam mobilia pretiosa haberi debent. Et idem dice[illegible] vi[illegible]s bibliothecæ, vel etiā de [illegible] operum v. g. D. Augustini, vel D.[illegible] al[illegible] auctoris [illegible]lterius, quod in sua [illegible] i valoris, licet quilibet [illegible] sit pa[illegible] æ [illegible]ationis. Eadem ratio est de vasis, vt d[illegible] calic[illegible] u[illegible] ampu[illegible] ca[illegible]elabris, & a[illegible] js ad vsum vnius Capellæ [illegible]us. Item de va[illegible] & instrumentis ad vsum vel vnius Aromatariæ, vel al[illegible]erius ar[illegible] coadunatis

412 Circa huiusmodi vero corpora aliqua c[illegible] sunt. E[illegible] quidem primó, quód vbi mu[illegible] simul or[illegible]inantur ad eundem finem tanquam co[illegible] pr[illegible] cuiuscumque portione ad illum finem [illegible] integratur vnum corpus quod physice e[illegible] m ordine, & moraliter censetur esse vnū in[illegible] Quod si simul totum sit magni valoris, siue [illegible] est vel bonum immobile, vel mobil[illegible] pre[illegible] ni[illegible] enim Grex ouium, aut caprarū, a[illegible] rum, aut boū vnum censetur, [illegible] collegendi ex[illegible] ac[illegible] bonu[illegible] N[illegible] obstat quod [illegible]g[illegible] a[illegible]nalia cen[illegible]antur mobi[illegible]a, quæ seruan[illegible] co[illegible] non pos[illegible] q[illegible] ia hoc nequit dici de toto [illegible] ve[illegible] arm[illegible] quoniam animalia sic singula pereunt q[illegible] speciem, & gregem, & armentum conse[illegible] an[illegible] [illegible]eo greges & armenta non tam ad mobi[illegible]ia [illegible] quam ad immobilia reduci possunt, q[illegible] ia habentur vt immobiles quantum ad totius [illegible]ser[illegible]ationem, & consistentiam fructus. Itaq[illegible] g[illegible] ges, armenta & similia alia corpora ex p[illegible]s partibus ad eundem finem ordinatis i[illegible]ata s[illegible] habent saltem vt pretiosa mobilia non al[illegible]enab[illegible]a sine solemnitatibus.

413 Sed considerandum est secundó, quód huiusmodi [illegible] icite alienari possunt, vel scilicet secundum se tota, [illegible] secundum partes; & certum est ea non p[illegible] [illegible] undùm se tota alienari. Sed si considere[illegible] undùm partes, attendi debet an p[illegible] alicuius partis, vel eth vnius solius totum de statu magni valoris reducatur ad statum valoris modici, & ita de non alienabili, transferatur in al[illegible]abile. Hoc enim non posse fieri sine solem[illegible] x[illegible] o probatur, quód seruanda sit integritas [illegible] c[illegible] ri[illegible], quæ in hac parte habet modum [illegible] i[illegible]diuisibilis. Nam si sine solemnitate dicere[illegible] totum corpus de non alienabili in alienabi[illegible] e[illegible] sset totum alienari, quia ex quo separata v[illegible] te totum corpus non remanet magni valo[illegible] [illegible] & illud [illegible] nari poterit, & sic totum hoc modo in fraudem [illegible]is posset alienari. Si vero ex vn[illegible] partis al[illegible] adhuc remanet to-

rum inalienabile, [illegible] ndi de [illegible]; Nam alienare solum aliquam [illegible] partem [illegible] quid pro quo sic alienan [illegible] s [illegible] pars vel simul vel succe [illegible], sic alienans inci [illegible] a [illegible] impositas. Vbi tamen [illegible] ne esse [illegible] distantia, & non po [illegible] vt cõtingit in furtis paru [illegible] quatitatem constituentibus *P* [illegible] *us d.* [illegible] *D* [illegible] *nat.d.tract* 14. *q.*50. p [illegible] a peccat [illegible]. Q [illegible] pu [illegible] hoc mod [illegible] posset, & *v.* [illegible] ca di [illegible] Sec iuxta supe [illegible] a [illegible], vbi pro tanta parte ali natur aliq [illegible] corpus, [illegible] reliquum non alienatum remanet [illegible] val [illegible], qui sic corpus per partem alienauit peccauit mortaliter & incidit in pœnas [illegible].

414 Addo quod [illegible] corpus [illegible] ita vt vna parte ablata [illegible] totum, vel notabiliter non p [illegible] nec aliqua pars alien [illegible] Q [illegible] ex [illegible] partis alienatione re [illegible] notabile damnum [illegible] siæ est simpliciter mutata, & alienata. A [illegible] quidquid sit an paru [illegible] ria res [illegible] n [illegible] personarum [illegible] p [illegible] ta [illegible] tur, respe [illegible] tamen ciuid [illegible] p [illegible] maneat vere ex pluribus [illegible] qua [illegible] tum [illegible] dam [illegible] rata notabiliter, vnde cen [illegible] a [illegible] ter inuita, non est vnde dicatur quod [illegible] non con [illegible] uentur, quia vni [illegible] i [illegible] nocumento quod remanet, & durat, [illegible] n [illegible] de facto patitur, & [illegible] *lib.*5.*de iust.q* 3.*a.*3. *ad tertium,* [illegible] *Ledesma par.*2.*tract.* [illegible] *cap.*21.*dub.*2, [illegible] *m.* *lib.*1.*cap* 4.*num* 9.*&* *alij plures apud* [illegible] *tract.*6.*resol.*34. Ideo in hac parte atten [illegible] Ecclesiæ res notabiliter [illegible] a [illegible] quo [illegible] nihil i [illegible] cta simul vel succe [illegible] E [illegible] habeat, seu rem suam [illegible] at in ea quantitate quam habebat, & hoc [illegible] c [illegible]. Neque Ecclesia remanet [illegible] od bonum eius per partes sit alienat [illegible] o internallo vnius alienationis ad [illegible] m remanet non minus ac si totum [illegible] et. Ideo sic alienans tunc cum pe [illegible] dem partem tantam, quæ comp [illegible] au [illegible] na, & peccat mortaliter, & est [illegible].

415 Verum est, quod [illegible] is immobilibus & arboribus dicebam [illegible] quæ sunt corpora ex pluribus [illegible] bu [illegible] quod est vetustum, sterile, & inutile p [illegible] substituendo aliud loco illius. Et ita ex grege ouium, & armentis equorum, aut boum animalia vel tusta, vel infirma, vel sterilia, & minus bona [illegible] sunt in meliora permutari, aut per alia subl [illegible] a toti gregi prospicere, & illum conseruare [illegible] x bibliotheca libri vetusti, non necessarij aut [illegible] flui vendi possunt, vt emantur nec [illegible], m [illegible], & magis vtiles. *Dong.par.*2.*tra* [illegible] *q.* [illegible] *num.* [illegible] *Boss.d.tit.*18 *n.*403. & apud eum [illegible] *d.* [illegible] Sed tamen aduertendum valde, [illegible] vetusti non venie liber ant [illegible] ptum, etiam corrosum [illegible] a tum; vnde non lice [illegible] D. seu manuscripta alienare [illegible] endis li [illegible] mo-

dern [illegible] mò quo DD. sunt an [illegible] eo [illegible] magis pr [illegible] rar [illegible] bib [illegible] neces [illegible] V [illegible] tio [illegible] attendi [illegible] ne [illegible] us [illegible] s p [illegible] n po [illegible] di oues [illegible] bsti uend [illegible] dem [illegible] N [illegible] a [illegible] [illegible] ne a [illegible] p [illegible] ex [illegible] itati ma [illegible] D [illegible] fu [illegible] t a [illegible] at.

41[illegible] C [illegible] quod C [illegible] o [illegible] a [illegible] & [illegible] n [illegible] a [illegible] t p [illegible] bi [illegible] sa [illegible] x [illegible] ar [illegible] t [illegible] a [illegible] quæ [illegible] æ [illegible] e quam quod [illegible] pretiosum a [illegible] *Ricc. p.* [illegible] *Ba* [illegible] *ver Reliquia Sa* [illegible] *rum.* [illegible] *tom.* [illegible] *pu* [illegible] *p* [illegible] *n.* [illegible] 4. [illegible] *cap.*56. [illegible] *m.* [illegible] *Ricc.* [illegible]

4[illegible] [illegible] N [illegible] *p* [illegible] *l.C.de* [illegible] *N* [illegible] *h* [illegible] *um corpus ad* [illegible] *bus* [illegible] *erat* Hæc v [illegible] aut corp [illegible] d [illegible] e corpo [illegible] vt [illegible] gatur d [illegible] ec [illegible] tra [illegible], ex *l. si nedum* [illegible] *em Corpora Sanctorum d* [illegible] *nu* [illegible] *Tabien.eod.verbo num* [illegible] corporibus Sanctorum [illegible] n M [illegible] tinen. dedit hoc decret [illegible] *a S* [illegible] *loco ad locum nullus tran* [illegible] *sumat* [illegible] *Principis, vel Epis* [illegible] *sque* [illegible] na [illegible] cipis [illegible] P [illegible] æ addi [illegible] perpetuæ [illegible] tradi [illegible] ne liceu [illegible] a [illegible] on possi [illegible] um [illegible] *pu* [illegible] *ab en.n.* [illegible] *fam* [illegible] *primam C* [illegible] *de* [illegible] *fu* [illegible] n sint tra [illegible] per [illegible] pulturæ [illegible] ad locũ tra [illegible] sc [illegible] prædictorum [illegible] prædi [illegible] D. trad [illegible] quos seq [illegible] *num.* 6. *Ibi* [illegible] *. vbi supra ex* [illegible] d se [illegible]

In aliquo altari in sui consecratione recōditæ sunt censeantur tanquam ibi traditæ perpetuæ sepulturæ, & quòd propterea sine a[illegible]tate non possint ad alium locum ei[illegible]dem Ec[illegible] an ferri.

418 Sed v[illegible] verum fatear, non vid[illegible]omodo ex co[illegible] *cap. Corpora* [illegible] *orum*, deducatu[illegible]e lex vniuersal[illegible] qu[illegible] au[illegible]oritat[illegible] non possint Corpora Sanctorum t[illegible] ad [illegible]ocum. Nam n[illegible]c in [illegible]o textu sub[illegible] P[illegible] c[illegible]grue in[illegible] Papa q[illegible] & P[illegible] p[illegible] Pr[illegible] & R[illegible] & [illegible] C[illegible]nc[illegible] Pr[illegible], & [illegible] affirmat [illegible]*urrecrem. ibidem*, [illegible]od ill[illegible]d Co[illegible]ium fuer[illegible]onfirmatum a [illegible]apa, non per hoc lex eius extra P[illegible]ouinciam Mo[illegible]nunen. extenditu[illegible] quia Cōfirmatio [illegible]gis legem [illegible]tra confines [illegible]egisla[illegible]ori[illegible] nō ext[illegible]ndit. [illegible] ideò in apo[illegible] a *d. cap.* [illegible] *margine habetu*[illegible]od [illegible] dic[illegible] [illegible] ide[illegible] Regis, vel Imp[illegible]atori[illegible], [illegible] et vbi h[illegible] esse non po[illegible] [illegible]candalo, si[illegible] fieret sine cō[illegible]ci[illegible] Princi[illegible]is, & specia[illegible]iter de [illegible]ccles. quarum est patr[illegible]nus secundùm *H. 3. Pol. l. 3.* [illegible] *16. A[illegible] f.* [illegible] *5. cap. 17. B*[illegible] *l.* [illegible] *cap. 30. Iuo p. 2.* [illegible] *ap. 66. & p. 3. cap. 166.* & le[illegible] g[illegible]rmanus certè est, vt nom[illegible] c[illegible]is [illegible] gat[illegible] Rex v[illegible] Imperator, & [illegible]od [illegible] ga[illegible]ur [illegible]oc[illegible] ad vita[illegible]dum scandalum, Cæterum [illegible] la [illegible]b d[illegible]ione requirat l[illegible]ntiam [illegible] quod de Synodo Mog[illegible]inti[illegible] in[illegible]no [illegible]telligitur, immò nec Principis, nec [illegible]am perat, s[illegible]d [illegible] cont[illegible]ium, & [illegible]am [illegible]anctæ Synodi; unde clariùs [illegible] Pr[illegible] no[illegible] int[illegible]igi Papam. [illegible]n ali[illegible]od reliquiæ non possent [illegible]ansfer[illegible] C[illegible] Papæ, v[illegible]l Episcopi, & li[illegible] a S[illegible]que[illegible] non licentiam dare, [illegible] absu[illegible]dum est, vnde ex hoc pa[illegible]a n c[illegible] ouincialem, uo[illegible] verò [illegible]

419 N[illegible] in [illegible], q[illegible]ia ass[illegible]itur stylum Ro[illegible]æ E[illegible]iæ esse, vi d[illegible] loc[illegible] a[illegible] locum extrahi & [illegible] & [illegible] c[illegible]i non possint taliter, vt extra[illegible]antur [illegible]æ [illegible]lausæ, vel reliq[illegible]æ in[illegible]nes sine lice[illegible] a Pap[illegible]. Et de hoc styl[illegible] a[illegible]paret [illegible]um ex infra[illegible] cen[illegible]. Sed quia mihi [illegible]onstat sim[illegible] licentiam datam fuisse a Pontificæ media [illegible]alarium Congreg. vt in vna Iannen. 20. [illegible] 593. vbi Papa dedit licentiam transfe[illegible]us S[illegible]ct[illegible]m de vno altari, ad aliud altar[illegible] Ec[illegible]iæ. Et in alia Rossanen. 28. No[illegible]3. [illegible]ua concessum fuit vt à quadam [illegible] ad Cathedralē transferri pars vnius [illegible] modò id fieret de consensu superio[illegible] Ec[illegible]iæ sine strepitu & cum omnium [illegible] Ideò dic[illegible]ndum est, reliquias muro [illegible] & r[illegible]iquias insignes licet non muro clau[illegible] posse sine [illegible]icentia Summi Pontificis ex[illegible]rah[illegible] loco [illegible] sunt, & ad aliam l[illegible]c[illegible]m trans[illegible]ri, & sic nec po[illegible] concedi vt extrahantur. [illegible]od adeò verum e[illegible], vt reli[illegible]uiæ muro clausæ, [illegible]n p[illegible]ssi[illegible]t in ea[illegible]m Ecclesia transferri de altari a[illegible] altare, & in [illegible] verum dicit etiam *Na[illegible]d.* [illegible] *5.9.* R[illegible] non muro clausæ l[illegible]et [illegible] transfe[illegible] al[illegible] ad [illegible]tare, & etiam ex[illegible] c[illegible]iam d[illegible] processionibus; non pos[illegible]n tra[illegible] [illegible]clesia ad Ecclesiam, & [illegible] cu co[illegible] [illegible]t vt possint simpliciter extrahi. Quod adeò rigorosè intelligitur, vt ex h[illegible] Reliquijs vel muro clausis, vel insignibus, nec minima particula extrahi possit sine licentia, vt co[illegible]gi pot[illegible] ex dicendis infra.

420 In d[illegible]o tamen *cap. Corpora Sanctorum*, quod [illegible]x prædicta praxi videtur ab vniuersali Ecclesia approbatum, nihil de alienatione reliquiarum [illegible]tur. Et esto non possent transferri de loco ad [illegible]ocum sine licentia, adhuc possent donari relicta ad inatario cura habēdi licentiam illas transf[illegible]n[illegible]i. Nul[illegible]ibi autem habetur expresse prohibitum, quod Corpora Sanctorum, & Reliquiæ non possint alienari ab illo, vel illis ad quem vel quos spectat earum dominium. Quamuis in *Concil. Lateran. 4. cap. 2.* prohibitum sit illas vendi. Sed stando in propri[illegible]tate sermonis neque ex Paulina [illegible] aut l[illegible]gibus prohibentibus rerum Ecclesiæ ali[illegible]nationem est prohibita alienatio reliquiarum. Tum quia leges illæ intelligēdæ sunt de rebus alienabilibus ex contractu, nimirum de rebus corporalibus, & pretio æstimabilibus, vnde specialiter prohibent contractus harum rerum; at verò res quatenus spirituales non sunt pretio æstimabiles, sed sunt pretiosissimæ, quia superant omne pretiū, seu sunt extra omne pretiū. Ideò non credo quòd eum quis dixerit incurrere in pœnas alienantium bona Ecclesiæ, qui venderet fidem, aut absolutionem sacramentalem, aut sacram Eucharistiam, aut alia Sacramenta, quæ ratione corporeitatis quam important parui valerent, sed quatenus Sacramenta [illegible]nt supra omne pretium, & ideo qui illa venderet esset sacrilegè simoniacus, neque tamen per hoc cen[illegible]ndus esset rei Ecclesiæ alienator contra Paul[illegible]nam, aut alias leges alienationem rerum Ecclesiæ prohibentes. Ita alienans reliquias ex pacto est q[illegible]dem simoniacus & sacrilegus; quia si considerent[illegible] re[illegible]quiæ inquantum s[illegible]nt corpora, aut partes c[illegible]porea hominis defuncti, parui aut nullius valoris [illegible]unt, sed si considerentur vt sunt corpora vel part[illegible] corporis hominis sancti, sic non sunt alienabiles ex pacto, quia superant omne pretium, & sit illis iniuria si ex pacto conceduntur. Non est ergo, vt Paulina aut aliæ similes leges extendantur ad bona spiritualia de eorum natura inalienabilia ex pacto, quia sunt super omne pactum, & pretium, sed nomine bonorum Ecclesiæ res corporeæ intel[illegible]iguntur ex eorum natura alienabiles pro pretio.

421 Quod confirmatur ex declarat. Sac. Congregationis Rituum in Senogall. Montis Bodij 23. Ianuarij 1610. quam ex *Sellio in Selectis cap. 58.* refert *Barbosa in sum. v. Reliquia num. 5.* & per quam dictum fuit, quòd Reliquia nullius est in bonis; vnde iuxta hanc declarationem Reliquiæ nec sunt in bonis Ecclesiæ. Quia nimirum non est in numero bonorum, & rerum corporearum, quæ tanquam bona alienabilia ex contractu & pacto possidentur. Et propterea quòd alienans Reliquias si hoc faciat ex contractu & pretio sit quidem simoniacus, sed non transgressor legis de non alienandis rebus Ecclesiæ sine solemnitate, si verò eas donet nec sit simoniacus nec præfatarū legum transgressor tenuerunt *Peregrinus in compendio priuileg. v. alien. in s[illegible]olio dub. 5. Bordon. dec. tom. 4. resol. 27. num. 62. Lezan. v. Reliquia num. 3.* & probabile dixerunt *Bonac. de alien. p. 2. num. 31. Diana p. 4. tr. 4. resol.*

nu[illegible].233. Et quod in contrarium adducitur stylus Romanę Curię quem ex *Genuen. & Ricc.* refert *Boss. num.408.* qui addit, quód quando Pontifices, cócedunt licentias extrahendi paruulas reliquias á Diœcesibus Episcoporum, ponunt clausulam *dummodò non extrahantur particula de reliquijs insignioribus, & muro clausis, & cum consensu Episcopi.* Quod confirmatur ex eo quód Sacra Congreg. Rituum declarauit, quód reliquia modica facta alienabilis potest alicui Ecclesiæ, vel Oratorio donari, prout ex *eod. Sellio refert Barbosa vbi supra num.6.* Ex quo sequitur, quód reliquia de se non est alienabilis. Respondetur quod sit transitus. Reliquię enim insignes, & muro clausæ extrahi non possunt sine licentia, ideoque neque sic alienari vt transferantur, sed hoc est ex lege propria, non ex communi lege prohibente res Ecclesiæ alienari sine solemnitatibus. Tunc veró dicuntur Reliquiæ paruæ alienabiles cum iam extractæ alicui priuato sunt concessæ. Et sic distingui debent leges, & prohibitiones, & nó ex vna inferre ad aliam. Nam & peto ab opposita sententia, an reliquia paruissima sit quid pretiosum vel non. Certe dicent quod est res pretiosa, quia in reliquia pretiositas desumitur ex ratione spiritualitatis, & sanctitatis quam habet ex eo quód est pars Corporis sancti, hæc veró sanctitas maximi æstimari debet, quia est supra omne pretium, vnde simonia esset illam vendere, & tamen opposita sententia admittit quod hæc possit alienari, & donari cuilibet, non est igitur ex mobilibus pretiosis prohibitis donari ex vi Paulinæ, licet verè sit res pretiosissima, quia supra omne pretium. Econtra vero reliquia quantumuis magna, si sit alicuius secularis, vt sunt illæ quæ á mercatoribus ex parte infidelium exportantur, quamuis sit etiam materialiter insignis, & magna, potest ab eo cuicumq; voluerit sine aliqua solemnitate iuris alienari & donari, non ergo alienatio reliquiarú regulanda est ex Paulina, sicut nec alienatio seu concessio sacramentorum, & aliorum spiritualium, quæ superant omne pretium, sed horum concessio proprijs dirigitur legibus, ex virtute Religionis & ad eam ordinatis proficientibus. Quamobrem Reliquię quantúmuis magnæ, & muro clausæ donari possunt ab ijs, qui earum dominium habent, quantum sit ex parte illorum, sed donatio non habebit, nec habere poterit efficaciam, nisi á Pontifice obtineatur licentia illas extrahendi, quod est id, quod directè est prohibitum, & ad quod per se primó requiritur Pontificis licentia, & taliter vt nec particula reliquiæ ab illis sine præfata licentia extrahi posset, cum tamen aliás contra Paulinam non esset, semel alienare paruam particulam vnius prædij.

422 An veró reliquiæ nec muro clausæ nec insignes sine licentia extrahi possint, & ab vna Ecclesia ad aliam transferri, negat *Boss. d. tit. 18. num. 409.* Sed affirmat *Pulaus d. p. 14. n. 8.* Insignes enim Reliquiæ sont Corpus, caput, brachium, eius, & ea pars, non pauca tamen, in qua sanctus passus fuit martyrium, vt declarasse Sac. Rituum Congreg. ex *Riccius. Ecclesiast. lucubrat. lib. 1. cap. 36. num. 1.* refert *Barbosa in sum. v. Reliquia nu. 12.* In hoc veró d[illegible]cultate, quia non mihi adhuc c[illegible] de stylo Romanæ Curiæ, nihil affirmo. Certe in licentia data & supra relata transferendi pa[illegible] reliquiæ ad Cathedralem Rosarni non fit mentio quód fuerit reliquia insignis, ex alia veró parte valde durum videtur, vt non possit concedi aliqua minima pars reliquiæ non insignis & extrahi sine Papæ licentia.

423 Addit *Boss.* eas posse extrahi, quæ sunt consuetæ concedi, & donari, & in hoc consuetudinem valere voluit etiam *Bonuc. d. p. 2. num. 1.* Sed econtra *Tambur. d. disp. 13. q. [illegible] num. 13.* Sentit, neque in materia reliquiarum [illegible] in alienatione rerum Ecclesiasticarum habere locum co[illegible]tudinem. Sed fallitur, quia non est lex positiua, contra quam non valeat consuetudo, si sit rationabilis, & legitimè præscripta *cap. [illegible] n. de consuetud. vbi DD. id explicant, & tenentur*.

SVMMARIVM.

1 *Mobile non pretiosum quod sit. n.424.*
2 *Fructus sunt mobilia non pretiosa alienabili[a] sine solemnitate. n.425.*
3 *Etiam filij gregum, & armentorum. 426.*
4 *Ex filijs tamen manuteneri debent greges, & armenta. n.426.*
4 *Animalia quæ non sunt affixa prædijs nec sunt grex, aliena[ri] possunt sine solemnitate. n.427.*
5 *Serui non affixi prædijs sunt mobilia non preti[o]s[a] num.428. 429.*
6 *Non tamen nisi in vtilitatem Ecclesiæ. n.429.*
7 *Serui quomodo possint manumitti. n.4[illegible].*
8 *Ex duplici causa manumitti [illegible] n.43[illegible]*
9 *Seruus Ec[illegible] [illegible] ditione, vt non possu[illegible] mer.432.*
10 *Vestes quæ alienari po[illegible]*
11 *Vestes ex auro &c. [illegible] solemnit[illegible] non [illegible] tur. n.43[illegible].*
12 *Artificiata quæ sunt fructu[illegible] [illegible] siastici inter alienabi[lia] numeran[illegible] [illegible]4*
13 *Pecunia de se [illegible] [illegible] mer.435.*
14 *Pecunia ex re immob[illegible] im[illegible]bile. n.436.*
15 *Vbi alienatio rei immobilis facta e[st] de benep[lacito] Apostolico non est nece[illegible] pro alienanda pecunia hab[i]ta. n.537*
16 *Vbi alienatio facta fuit pro ca[illegible] non potest in aliud exp[illegible] n.[illegible]*
17 *Pecunia habita ex retion[illegible] licentia duplicatur in a[illegible] in ce[n]sum [illegible] in fundum meliorem. n.43[illegible].*
18 *Pecunia habita ex ven[illegible] pot[illegible] plicari in emptione [illegible] n.4[illegible]*
19 *Pecunia habita cum [illegible] in aliquod imm[illegible] pr[illegible] alienat[illegible]*
20 *Non tamen est ne[illegible] [solem]nitas ad imp[illegible] dum in id, pro quo [illegible] relicta. n.4[illegible]*
21 *Pecunia deputata pro emp[illegible] immob[illegible] habita ex alienatione fru[illegible] communium, v[illegible] [obli]gata [illegible] alienari sine [solemn]itat[e] [illegible]44[illegible].*
22 *Non valet in omnib[illegible] [illegible] [R]ectorem Ecclesiæ. n.441*
23 *E[illegible] [illegible] curra in re immob[illegible] [illegible] subi[illegible] tine. [illegible].441.*

24 *Pecunia reseruata pro futuris necessitatibus, si aliũde non habet obligationem vt non alienetur potest alienari. n.442.*

25 *Pecunia implicata in censibus, & locis montium non potest alienari. n.443.*

26 *Secus de pecunia apud Compsorem depositata. nume .443.444.*

27 *Pecunia quæ est in proprietate Ecclesiæ non potest alienar[illegible]. n.[illegible]45.*

20 *A [illegible]ibus Ciuilibus non desumitur validum argumentum ad alienationes E[illegible]lesiasticas, quia in diuersis terminis loquuntur. n.446.*

424 QVæ s[illegible]t mobilia, non pretiosa, quæ possunt alie[illegible]ari s[illegible]e solemnitate iuris? Mobile non pretiosum diffinitur vt sic id id, quod vel nõ est magni valoris, ve[illegible] non e[illegible] fructus vel seruando seruari non potest per ti[illegible]e [illegible]num sine sui notabili diminutione. Addunt *Donatus d. tra[illegible].14.q.47. & aly*, aut non fru[illegible]ficat. Sed hæc co[illegible]itio non apponi[illegible]r, quia vbi [illegible]bile magni [illegible]ris quod nõ est fructus possit [illegible]ruari [illegible]o seruari eti[illegible]m [illegible] non fruct[illegible]f[illegible]et, non per hoc p[illegible]test alienari sine [illegible] m[illegible]itatibus. Fructus ve[illegible] [illegible]ompte[illegible]he di sub[illegible]antiua, sed per eam fu[illegible] ex[illegible]p[illegible]o[illegible]e[illegible]rauit Sac. Congreg. Conc. in nullius 18 Septembr[illegible] 1627. cuius m[illegible]nem fac[illegible]n[illegible] *Lezana p.2. cap. 19.n.[illegible]. Barbosa in Iuris v. Superiores R[illegible]gulares n.7. B[illegible].18.n.3[illegible]6.*

[illegible] Co[illegible]gitur primò ex hac descriptione, quòd [illegible] ex prædijs sunt mo[illegible] p[illegible], & [illegible] alienari [illegible] expr[illegible] ex Pa[illegible] & tra[illegible] D. E[illegible] rat[illegible] quia licet illi [illegible] in [illegible] a[illegible] valore pl[illegible]q[illegible]am ma[illegible] a v[illegible]ani [illegible]d multos annos [illegible]ruari pos[illegible] t[illegible]nc[illegible] quorum di[illegible] est ne[illegible]ersa[illegible] Reipublicæ, cum habentes [illegible] Imo[illegible] prouidere debeant de [illegible] vel per artifi[illegible]tam m[illegible]dia commutatione [illegible] nece[illegible] [illegible]æ ma[illegible]ah[illegible]ndi [illegible] quos ex præ[illegible] & [illegible] venderent, [illegible] permutan[illegible]nandi, vt hac via [illegible] proui[illegible] necessarijs, quæ non e[illegible] prædijs, sed [illegible]untur & econtra Artifices, & Mer[illegible] famuli [illegible] non habent prædia pos[illegible] & [illegible]abore acquirere [illegible] viuerent. [illegible] suo! Beneficia [illegible] dnm[illegible] sunt fructuũ [illegible] p[illegible]ani admin[illegible]ationem, vt ex [illegible]tur, salaria [illegible] [illegible]luant, elee[illegible] Eccle[illegible]arum nec [illegible]tatibus sub[illegible] non possunt, nisi possint fructus [illegible]re.

4[illegible] [illegible] secundò mobilia non pretiosa [illegible] g[illegible] armen[illegible], & inter hos [illegible]um n[illegible]merat lac & lanam, sed etiam [illegible] ouium E[illegible]rum, & aliorum animalium [illegible]ani [illegible] ad quandam magnitudinem creue[illegible]a stylum pat[illegible]æ. Hi cum omnes compu[illegible] & re vera sunt [illegible] & [illegible] du[illegible] & acqui[illegible]ta nu[illegible]un[illegible] P[illegible] amsi in [illegible] multi[illegible] [illegible]uitas [illegible]tur vt [illegible] ad [illegible] sa[illegible]randi[illegible] ven[illegible] pro hominum alimento. Sic venduntur agni, hædi, vituli iuuenes, & equi etiam ad ætatem competentem deducti, & ex proprijs armentis habiti. Et ratio est supra dicta. Hæc enim omnia computantur inter fructus, & sunt res ex cõmuni necessitate alienabiles, & ad alienationem ordinatæ & institutæ. Quamuis filij ouium, boum &c. non possint vendi taliter, vt ex eis in loco veterum matrum non substituantur aliqui pro gregum, & armentorum manutentione ad viri boni arbitrium, & prudentis patrisfamilias iudicium & praxim patriæ.

427 Colligitur tertiò, quòd mobilia non pretiosa censentur animalia, oues, capræ, equi, boues, & alia, quæ nec prædijs affixa sunt, nec sunt partes gregis, aut armenti. Neque enim sola multitudo animalium constituit gregem, aut armentum, & si enim grex dicatur multitudo ouium in numero decem, & porcorum quatuor vel quinque *Donatus d. tract. 14 quæst. 49. nu. 3. ex Gloss in cap. nullus il primo de elect. v. duo* tamen nec viginti, nec quinquaginta, nec centum oues gregem constituunt, nisi simul ordinatæ sint in vnum corpus destinatum ad fructificandum. Tunc enim se habent ac si essent corpus immobile. Sed animalia nec prædijs affixa, nec ordinata in vnum corpus fructiferum, inter ea, quæ seruando non possunt seruari computantur. Sic equi deputati ad vsum equitandi, aut pro curribus sine aliqua solemnitate venduntur, aut permutantur. Sic etiam animalia vt boues empti, vt cum fuerint facti pingues dentur ad macellum pro vsu humano, sine alia solemnitate alienantur, sic si aliquis Rector etiam Regularis emeret multitudinem animalium ad effectum reuendendi eos, posset quidem esse, quòd incideret in pœnas contra Religiosos exercentes mercaturam & negotium, non tamen incideret in pœnas contra alienantes sine solemnitate, etiam si eam animalium multitudinem venderet, quia animalia numerantur inter mobilia non pretiosa. Quod non asseritur solum ex eo, quòd seruando seruari diu non possint, cum pluribus infirmitatibus sint subiecta, sed quia ex vsu, & praxi, & institutione inter res ex communi bono alienabiles numerantur. Vnde est, quòd animalia & se mouentia tanquam computanda inter mobilia non pretiosa posse alienari sine solemnitatibus dixerunt. *Redoan. Rubrica de alienatione rerum se mouentium num. 1[illegible] 32 Syluest. v. alien. num 6. Tabien. numer. 4. Sopranus in Append. ad Filliuc. tract. 44. num. 27. ex Molina disp. 465. Lezana p. 2. cap. 19. numer. 57. Boss. tit. 18. num. 398.*

428 Colligitur quartò, quòd inter mobilia non pretiosa computantur serui seu mancipia nulli prædio aut bono immobili affixa. Debet enim hæc distinctio considerari. Nam vbi mancipia sint affixa bono immobili, censentur bona immobilia, vt supra dictum est. Quod si de his loquuntur illi, qui aiunt seruos posse aliena[illegible]i si sint inutiles, aut fugitiui, aut qui reuocari non possunt nisi timore fugæ. *Redoan. vbi supra num. 2. & 3. & seqq. Portel. v. alienatio num. 3. in addit. Barbos. de iure Eccl. l. 3. cap. 30. num. 43. Lezana v. alienatio nu. 8. Boss. d. tit. 18. nu. 397.* quod *Portel. Lezana, & Boss.* extendunt etiam a[illegible]uos ebriosos, latrones, & inhonestos, quia est eadem ratio etiam de istis; puto non posse admitti. Quo[illegible] licet prætatæ qu[illegible]tes seruorum den[illegible] [illegible]am al[illegible]andi, nihilominus prætera

causam

causam requiritur assensus Apostolicus. Posset forsan dici, horum seruorum alienationem esse casum in iure expressum *cap. serui fugitiui 12. quaest. 2.* in quo horum fugitiuorum alienatio permittitur. Sed cum ille Canon sit Concilij Prouincialis, scilicet Concil. Agathens. & ideo extra illam Prouinciam non se extenderit, non potest hic casus dici in antiquo iure communi permissus. Sed praeterea neque verum est, quòd sine solemnitate Paulinae possint alienari res Ecclesiae in casibus a iure antiquo permissis, cum per eam vniuersalissimè prohibeatur omnis alienatio praeter emphyteusim in casibus permissis & solitis, & locationem ad triennium, & alienationem mobilium non pretiosorum.

429 Sed vbi serui nulli bono immobili sunt affixi, bona sunt mobilia, non pretiosa & alienabilia. Ideo *Molina tom. 2. disp. 465. num. 3. Redoan vbi supra a. num. 2. quaest. 24. Sopranus in appendice ad Filiucium cap. 4. num. 27. Bonac. de alien. p. 2. num. 4. Lezana tom. 2. c. 19. num. 57. quos sequitur Boss. d. tit. 18. num. 398.* indistinctè dicunt mancipia, & iumenta non affixa praedijs computari inter mobilia, quae seruando seruari non possunt ob mortem, morbos, & varios casus, qui reparari non possunt. Et quia se mouentia nulli praedio affixa sunt de illis quae ex communi vsu & vtilitate sunt alienabilia sine solemnitatibus tanquam non affixa perpetuo vsui vel diuturno, sed prout melius in dies appareat distrahibilia. Cum tamen si serui isti sint Ecclesiae, si alienentur eorum pretium in vtilitatem Ecclesiae conuerti debeat. Vnde etiam est, quòd etiam si ad horum alienationem non sit necessarium beneplacitum Apostolicum, seu solemnitas Paulinae, non potest tamen Ecclesiae Rector huiusmodi seruos, vel animalia se mouentia, quae sunt mobilia non pretiosa alienare nisi in vtilitatem Ecclesiae. Et ideo pro hac parte verum est, quòd alienare possit seruos fugitiuos senes, inutiles, ebriosos, inhonestos, latrones, & similes de quibus loquuti DD. citati. Nam aliàs seruos bonos, & fideles, & Ecclesiae vtiles, & sine Ecclesiae vtilitate licitè non alienaret Ecclesiae Rector.

430 Et considerandum est etiam, quòd cum manumissio sit alienatio per quam seruo donatur libertas, & sic per eam seruus donatur sibi ipsi, vnde hoc cedit in Ecclesiae praeiudicium [illegible] primò prohibita fuit fieri haec manumissio, nisi liberto manente sub patrocinio, seu sub iurispatronatu eiusdem Ecclesiae, vt colligitur *cap. Episcopus qui, & cap. liberti, desumptis ex Conc. Tol. 4. c. 67. & 70. 12. quaest. 1. in cap. verò consensus & cap. Episcopus 4. de reb. Eccl. non alienand.* Permittitur Episcopis manumittere seruos remansuros tamen sub potestate Ecclesiae, si tamen Episcopi aliquid de suo contulerint Ecclesiae, quo possit compensari praeiudicium, quòd per manumissionem fit Ecclesiae. Et cum in *cap. consensus*, concessum fuisset Episcopis aliquos seruos manumittere, si saltem aliqua praedia seu bona acquisierint Ecclesiae, si non habebant de proprio, quòd Ecclesiae donarent, aduertit *Panorm. quod in seq. cap. Episcopus* contrarium decernitur, & solùm manumissio co[illegible]editur Episcop[illegible], qui ex proprijs aliquid Ecclesiae d[illegible]nauerit. Sed [illegible] m vtrumque Capitulum sit sum[illegible]m [illegible] eodem [illegible]*ncil. Tolet. 4. cap. 68. & 66.* vn[illegible]n per aliud expl[illegible]ari debet, nec debent tanquam contraria interpret[illegible]ri.

Inde est secundò, quòd si Rector Ecclesiae voluerit manumittere seruum, ita vt nedum sit liber, sed non remaneat sub patrocinio [illegible]u iurepatronatu Ecclesiae, debet eidem Ecclesiae dare [illegible]s manumisso aequales in bonitat[illegible] vt c[illegible]uit *Panorm. d. cap. consensus. num.* [illegible] *habetur ex d. cap. Episcopus qui. vbi Turrecrem.* aduer[illegible]it, quod merito pro v[illegible]o serno man[illegible]misso req[illegible]ruotur duo [illegible], quia per hanc man[illegible]missionem [illegible]am ita [illegible] noi remaneat sub patro[illegible]inio Ecclesiae [illegible]plex in[illegible] Ecclesiae prae[illegible], quae pri[illegible]at[illegible] [illegible] & [illegible] patroc[illegible]io [illegible] iurepatronat[illegible].

431 Sed t[illegible]rtio aduertendum q[illegible]d ex duplici causa potest seruus Ecclesiae manum[illegible] [illegible] pro manumissione [illegible]oluẽdo Ecclesię. Prima est [illegible] seruus fiat Clericus. *cap. de famulis, & cap. eo liben[illegible] de seru. non ordinan. [illegible] cap. qui ex famul[illegible] 5[illegible] cap. de libertis 12. quaest. 2.* In hac enim ma[illegible] paruum immo [illegible]ullum prae[illegible] in[illegible] Ecclesiae, cum manumissus [illegible]b eius patrocinio re[illegible]t, & Ecclesiae inseruire teneatur. *d. cap. eo [illegible] benius.* Sed nunqu[illegible]d pot[illegible]st seruus manumitti vt fiat Clericus in alia E[illegible]c[illegible]sia [illegible] Affirmat *Boss. tit. 18. num. 399.* Et hoc potest esse verum respectu Ec[illegible]iarum Paroc[illegible]al[illegible] [illegible] spec[illegible]ntium ad ma[illegible]m, vt scilicet Ecclesia matrix [illegible]os suos manumittere possit, vt ad suas Parochias mittat presbyteros vel Diaconus. Et [illegible]atis hoc colligitur ex *d. ca[illegible]. de famulis. [illegible] se[illegible]. non ordinand.* Sed cum Clericus manumiss[illegible] non possit ab Ec[illegible] domina dile[illegible] & a[illegible] tran[illegible]te nisi a[illegible] or[illegible]ionem [illegible] m[illegible] absolute, vt *in d. cap. eo liben[illegible]* [illegible] absoluta manumissio & valdè praeiudi[illegible]us manumissus hoc modo & transie[illegible] a[illegible]tam [illegible]siam, priori suae Dominae non [illegible] nec [illegible]b eius patrocinio aut iure [illegible] re[illegible] hæc man[illegible]io ab[illegible] etiam [illegible]ca[illegible] nequit fieri nisi Ecclesiae dominae so[illegible] pre[illegible]uenienti eaque indemni redd[illegible]ta [illegible]nt[illegible]a esset vt vna Ecclesia alteram ministris [illegible] ad[illegible]uuaret, & ad eam [illegible]bertum suum m[illegible] quo tamen casu libertus sub prior[illegible] maneret, & ad alter[illegible] Ecclesiae inseru[illegible]centia suae dominae transi[illegible] Al[illegible]a [illegible] potest seruus manumitti est [illegible] seruitia praestita Ecclesiae pe[illegible] seru[illegible] ei libertas conf[illegible]ratur. *cap[illegible] qu[illegible] 12.* [illegible]tem serui benemer[illegible] dicuntur [illegible]cu[illegible] *& Redoan. vbi supra num. 1[illegible]* q[illegible]al[illegible] seruitium Ecclesiae co[illegible] *vt c[illegible]p. dist. 79.* & vt si seruus co[illegible]siam reuelasset. Et nihi[illegible] *sequitur Red[illegible]n.* add[illegible] citur qui non [illegible] quod ad ma[illegible] licitè sufficiat [illegible]od [illegible] ad [illegible] causa [illegible] iusta causa [illegible]re. q[illegible]clix. [illegible] iusta c[illegible]usa ade[illegible], [illegible]ia est d[illegible] tidorale [illegible] ecepta a [illegible] [illegible] [illegible]o, vt ratio [illegible] ta[illegible] gra[illegible] [illegible]et [illegible]ulto a[illegible]ni[illegible]

Ita

[illegible] hodie si seruus [illegible] mitti nisi iuxta [illegible] a possunt alienari. [illegible] iusta causa [illegible] *Redoan. vbi supra* [illegible]

[illegible] *Lezana* [illegible] seruus [illegible] tur [illegible] vel [illegible] possit vendi [illegible] Princi[illegible] *Boss. num.* [illegible] & quòd [illegible] esset [illegible] non appo[illegible] manumitti [illegible]

433 [illegible] ò bona mobilia [illegible] & [illegible] hoc [illegible] loquitur [illegible] non pretiosa. [illegible] *numer.* [illegible] *Tamb. tom.* [illegible] *cap. nulli num. 8. de reb. Ec.* [illegible] quod [illegible] valo[illegible] quæ ex arg[illegible] [illegible] ge[illegible] Idem [illegible] de [illegible] quæ [illegible] mar[illegible] [illegible] & pro [illegible] sunt [illegible] Quod [illegible] Nam huiu[illegible] confectas [illegible] nda, vnde no[illegible] so-

lemnitatibus iuris. Et insuper est aduertendum, quod etiam si velles aliquæ non sint magni valoris, si tamen sunt partes vnius totius ad vnum finem ordinatæ, vt si spectene ad suppellectilem vnius Capellæ, vel sacristiæ, non possunt alienari nisi sicut [illegible]um est supra, vel de ouibus vnius gregis, vel libris vnius bibliothecæ.

434 Colligitur sextò, quòd inter fructus & mobilia quæ seruando seruari non possunt debent computari, artificiata ab Ecclesia ipsa producta, quia sunt fructus artis. Et in ijs ars ipsa censenda est velut bonum immobile fructificans, & artificiata ex arte facta sunt fructus, qui etiam per se ex communi & necessaria vtilitate Reipublicæ sunt alienabiles. Sic [illegible] Regulares habent aromatarias, seu medicamentorum apothecas, licitè vendunt medicamenta eorum arte ex margaritis, & alijs pretiosis geminis composita. Nam & huiusmodi fiunt & ad proprium vsum, & vt superflua vendantur. Eodem modo, si in monasterio Regularium adesset pictor etiam excellentissimus cuius picturæ valerent centenaria aureorum posset monasterium [illegible] as vendere tanquam fructus ad alienationem destinatos, & ex eo fine collectos vt pro vtilitate mon[illegible] alienentur. Idem dicitur de m[illegible]s artificiatis magni valoris, quæ à Monialibus fiunt & sine solemnitatibus extraneis venduntur.

435 Colligitur septimò, quòd pecunia de se est bonum mobile ex ijs, quæ seruando seruari nō possunt, quia immò ex sui natura & institutione est res alienabilis tanquam instrumentū alienationum cuius nō est alius vsus, nisi vt eius alienatione, quæ humanam vitam sunt necessaria acquirantur. *Clem. de rebus Eccl. non alien. Panorm. in cap. nulli, de reb. Ec. [illegible] l. non alien. num. 11.* & ibi *Imola in fin. Gloss. in l. 1. §. fuit quæsitum, ff. ad Trebell. & ibid. Barthol. Redoan. rubr. de alien.* rerū quæ seruando non possunt seruari [illegible] *num. 9.* vbi hoc pluribus iuribus prob[illegible]. *Ric[illegible] p. p. praxis resol. 47. & res. 70. num. 3.* & apud eum *Ca[illegible] Rebuff. Socin. Alex. Ripa Dec. & Cassad[illegible] num. 32. Barbosa de off. Ep[illegible] num. 4. A[illegible] par[illegible] b. 9. quæst. 5 Palaus tom. 2 tra[illegible] 11. p. 15 §. 1 num. 3. Syl[illegible] v. a[illegible] num. 7. Quarant[illegible] num. 25. P[illegible] r. in compend. priui[illegible] v. alien. in [illegible] Tambur. tom. 3. disput. 13. q. [illegible] num. [illegible] B[illegible] ac. de [illegible] en. p[illegible] nu. 5. Donat. d. 11. 14. q. 51. B[illegible] num. 41.* & apud illos, *Tiraquel. Surdus. [illegible] nuen. Molina, Vasquez. Ciarlin. Boerius [illegible] B[illegible]onus.*

436 Plures tamen sunt casus in quibus pecunia [illegible] bon[illegible] immo[illegible] vel mobile pretioso [illegible] alienab[illegible] ate. Primus ca[illegible] quando pecunia [illegible] ex alienatione rei im[illegible] vel m[illegible]æ. Eius enim naturæ [illegible] moral[illegible] unia, quæ est illius rei ex [illegible], quæ talis pecunia in locum ei[illegible] subr[illegible] atu[illegible] per eandem pecuniam re[illegible]ntatur. Aliter si liceret in quoscumque vsus [illegible] nitate distrahere pecuniam ex re nō alienata [illegible] retractam, b[illegible] posset Ecclesia depauperari, & fundi eius d[illegible] in ventum dissiparentur. Pecunia igitur retracta ex rei immobilis, aut mobilis prætiosæ alienatione censetur bonum, vel immobile, vel mobile pretiosum. *Redoan. vbi supra num. 24. & rubr. de pecunia Eccl. alien. num. 26. Ric[illegible] d. res. 70. num. 3. Bonac. Palaus. Peregr. Quaranta lo-*

ces

tis citatis. Donat.q.52.num.7. Boss. num 412. & alij communiter.

437 Sed hic est aduertendum, quòd vbi alienatio rei immobilis, vel mobilis pretiosæ facta est cum debita solemnitate, non est necessaria noua solemnitas pro alienatione pecuniæ retractę, vt bene ex *Bero* aduertit *Redoan.d.rubrica de pecunia Ecclesiæ alienat. num.15. & ex Redoan. Boss.* Quoniam enim alienationes cum solemnitate non fiunt sine causa expressa, nec datur assensus Apostolicus ad vendendum, nisi vt pecunia implicetur in aliquo in vtilitatem Ecclesiæ, ex licentia vendendi simul habetur licentia alienandi pecuniam retractam in venditione, vt si vendita res fuit tanquam minus fructuosa vt implicetur in alia eiusdem vel alterius generis magis fructifera, iam sine [illegible] licentia, potest pecunia illa in rem magis frug[illegible]ram alienari. Immò si alienatio facta est ob certam causam, vt puta pro occurrendo necessitatibus [illegible]lesiæ non potest pecunia retracta in alium vsum alienari sine solemnitate. *cap.sine excep.12.q.2.* quia fauore Ecclesiæ semper pretium loco fundi succedit, [illegible]t *not. in cap.1. 12.q.3. arg.l.ita constare, & nota in [illegible] final. de iure dot.* Et sicut res sine solemni[illegible]te non p[illegible]st alienari, ita nec pretiũ eius poterit in a[illegible]am causam sine solemnitate conuerti. *l.si pupillorum. §.si prætor, ff de reb. eorum.* Sed si alienatio rei immobilis, seu mobilis pretiosi non est facta ex ce[illegible] causa cum solemnitate & assensu Apostolico, q[illegible]ia v.g. fuit alienatio necessaria, vt est redemptio, [illegible] affrancatio censuum, tunc dubium esse poss[illegible], an requiratur assensus Apostolicus ad alienandam eam pecuniam. Sed dicitur, quòd in re immobili eiusdem, vel melioris qualitatis & redditus potest illa pecunia alienari. Nam & hæc alienatio est necessitatis, ne interim pecunia maneat otiosa, & quia tenet locum fundi, qui remaneret inuti[illegible]is, si pecunia non alienaretur, Debet verò alienari pro fundo eiusdem qualitatis aut m[illegible]ioris, al[illegible] fieret Ecclesiæ præiudicium. Ideo ex pecu[illegible]ia [illegible]ta ex redemptione census potest em[illegible] fabr[illegible] [illegible]m[illegible], lic[illegible] quan[illegible] ate minus fructificet [illegible], qu[illegible] stabili[illegible] fund[illegible] longe pra[illegible] [illegible]rat [illegible] ei [illegible]ui, qu[illegible] per[illegible] ex [illegible]su, cum cen[illegible]pita e subsi[illegible] pe[illegible]io q[illegible] [illegible]um [illegible] tur in p[illegible]dio *Donat p.2 tract.14 q.*[illegible] Vnde est, quod pecunia retracta ex venditione p[illegible] potest alienari in emptione cen[illegible] [illegible]ia p[illegible] pecunia periculo illam perd[illegible] cum fru[illegible]is. Sed neque si census emptus re[illegible] ai 6 p[illegible] nario, dum iste redimitur, pecunia [illegible] potest alienari in emp[illegible]one [illegible] ad ratam 5 [illegible] centenario [illegible] c[illegible]a [illegible] q[illegible]o de comm[illegible] stylo census plus non [illegible]aleat nec sit inu[illegible] censum vendat pro ma[illegible] pen[illegible]ne. An [illegible] ex pecunia habita ex reue[illegible] possi[illegible] sia alium censum passi[illegible]um [illegible] ree,& [illegible] gatione pensionis eximere [illegible] ani *Dona*[illegible] *tract.14.q.74.* Tum quia hoc est vtile Ecclesiæ [illegible] quia hoc est reemere alias v[illegible]ditum. Tum quia alienatio pecuniæ in emptio[illegible] rei immobilis non est prohibita. Et idem sentit [illegible]*rin. in form. lit.* [illegible] *cap.11.num.2.* Verum cum [illegible] Congreg. Episc [illegible] *Maij 1619.* declarauerit, non [illegible]osse alienari cen[illegible] pro solutione debitorum, videtur quod neque [illegible] pecunia redempti census possit redimi census pas[illegible]

siuus Ecclesiæ, quia hoc [illegible] uere d[illegible] & additur quod cum censu[illegible]o con[illegible]tur Ecclesia de Ordinario [illegible]ne, vt [illegible] sus redimatur ex fructibus M[illegible]m, [illegible] licet pro tali census redemp[illegible]iere [illegible] tale ex [illegible] ndicione cen[illegible] Hinc [illegible] solui po[illegible] [illegible]a quæstio, an [illegible] [illegible]lares p[illegible] sint eme[illegible]e domum [illegible]m pacto [illegible]ationis [illegible] pecunia [illegible] bo[illegible] immo[illegible] Affirman[illegible] enim a[illegible] absolute [illegible] eo [illegible] c[illegible]am ex [illegible] pecunia po[illegible] cu[illegible]ius. [illegible] sint r[illegible]d mi[illegible]s. Sed neque hæc ratio, nec alien[illegible] a[illegible]. Ex pecunia [illegible]nim habita ex ve[illegible]o [illegible]a[illegible] cuius, nec potest emi c[illegible], nec e[illegible] do[illegible] cum pacto affrancatio[illegible] quia [illegible] c[illegible]ionis il[illegible]us rei cuius [illegible] [illegible] cl[illegible]æ vtile vendere præd[illegible]m [illegible] m[illegible]a absolutè [illegible] ex p[illegible] em[illegible] [illegible]one & p[illegible] [illegible]nda er[illegible] [illegible]ula [illegible] [illegible]posito [illegible] non i[illegible] m[illegible] melioris bo[illegible] s ea [illegible] c[illegible] p[illegible]. [illegible]de est, quód p[illegible]cunia in[illegible] [illegible] non p[illegible]st inp[illegible]ca[illegible] Tum quia cap[illegible]al[illegible] [illegible]on[illegible]. *Nauar.c. p.*[illegible]*.num.*[illegible]*51.* [illegible]*41* [illegible]*r. p.*[illegible] [illegible]*.9.c* [illegible] Tum quia c[illegible] m cô tractuum al[illegible]raretur, adhuc [illegible]ctus in contractu [illegible]etatis est [illegible] t[illegible]m, & non ta[illegible] [illegible] tat[illegible] [illegible]otia [illegible] p[illegible] *don.resol.* [illegible]*um 52.* [illegible] nasterio re[illegible] p[illegible] [illegible]icata [illegible] ctu [illegible] [illegible]tate pe[illegible] dist a[illegible] [illegible] lao[illegible] [illegible] sit nec[illegible] [illegible] immobi[illegible]bu[illegible], [illegible] n[illegible] ha[illegible] perpetuat m[illegible] fructificat[illegible] [illegible]ur, quia [illegible]st pecunia ad [illegible]ificat[illegible] termi[illegible]a, & [illegible] re[illegible] [illegible] prouent[illegible], & [illegible] e[illegible] perpetua [illegible]od [illegible] at p[illegible] [illegible] contractum, [illegible] quia alite[illegible] pec[illegible] [illegible] ceta in cen[illegible] fiet [illegible] a [illegible] st fi[illegible] & [illegible]. Se[illegible] quod pecunia dicta ex [illegible]o fuit c[illegible] contractu [illegible] cietatis fu[illegible] de g[illegible] [illegible] a [illegible]m

437 Secun[illegible]is casus [illegible] pec[illegible] q[illegible] ex ali[illegible] [illegible]one [illegible] im[illegible] [illegible] mon[illegible] [illegible] eat [illegible] [illegible] [illegible]m [illegible] *q.* [illegible]*m.* [illegible]*.de r*[illegible] [illegible] *num.* [illegible] *p.* [illegible]*.5.Lc* [illegible]*onat.d.* [illegible] [illegible]*43.num.*[illegible] [illegible] x ser[illegible] [illegible]mnitatibus [illegible] A[illegible] pecunia ista i[illegible] adest innest [illegible] [illegible]ub conditione v[illegible] [illegible] & immobil[illegible] no[illegible] possit

possie sine beneplacito Apostolico inuesti. i in em ptione alimentorum vel alicuius mobilis, aut rei non fructiferae [illegible] & [illegible] nius est omnino certus. Se[illegible] o modo etiam in eo p[illegible] q[illegible] inue stiri [illegible] d in [illegible] E e quod Eccl[illegible] de i in pre[illegible] Apostolico [illegible] est [illegible] tu Ap[illegible] bus nō [illegible] agru, vel domu[illegible] um quod [illegible] d ap[illegible] Q[illegible] [illegible] n[illegible] [illegible], [illegible] & [illegible] potest [illegible] in a iate, [illegible] nari, ha[illegible] tis vn[illegible] opus [illegible] o pecunia [illegible] be[illegible] N[illegible] co[illegible] in p[illegible] gatur ad [illegible] hae [illegible] leges prohibent [illegible] [illegible] nicatibus, aliter Eccl[illegible] [illegible] ate, quia put[illegible] [illegible] les pr[illegible] x [illegible] ad ali[illegible] [illegible] cundum quid [illegible] [illegible] alia [illegible] Vnde *Barbosa*, *L*[illegible] *Donat.* [illegible] *Tambu*[illegible] [illegible] onia [illegible] Ap[illegible] m, [illegible] in [illegible] in pudi [illegible] um, ad [illegible] [illegible] aliena[illegible] [illegible] *Donat.* [illegible] *A. cap.* [illegible] [illegible] alia [illegible] [illegible] Eccle sia [illegible] [illegible] Tu n [illegible] V [illegible] in te [illegible] [illegible] dum in catu [illegible] necessaria

fiat ad maiorem vtilitatem, & ad melius esse. Sed etiam si fabrica sit necessaria. Quia teste *Gauanto v. alienatio num. 38. Sacr. Congr. 22. Martij* 1619. declarauit, non licere vendere immobilia pro fabrica monasterij vnde eadem ratione prohibuit alienare pecuniam obligatam ad emenda bona immobilia. Nam si necessitas sit vrgens, & non patiens moram, adest facultas occurrendi illi omni meliori modo. Si verò non est vrgens, iustum est consulere superiores, & considerare, quód ad alienandum [illegible] officij causa iusta sine beneplacito Apostolico. Nec verum est, quód a dicta opinione adducebatur, scilicet quód liceat pecuniam receptam pro celebrandis in perpetuum missis inuestire in censibus; quia sensus Sacr. Congreg. Episcoporum [illegible] C[illegible] tij est, quód pecunia affecta onere [illegible] n in possi[illegible] in censibus inuestiri, & quod [illegible] o de c[illegible] bratione missarum sub nomine [illegible] n [illegible] census. De quare consuli [illegible] a Sacr. Congreg. Epi. 651. Mineruino. [illegible] & 1646. Neap. 22. Iunij. Nisi Testa[illegible] pecuniam a [illegible] rel[illegible]ctam in censibus in[illegible] Sa[illegible] Congreg. Concil. 30. Maij 1637. Alias [illegible] quód vbi pecunia redempti census in de[illegible] ret [illegible], cessaret obligatio cele[illegible] quod quidem permitti non est ra[illegible] qua [illegible] e consuli potest resol[illegible] Con[illegible] Concil. in Lunon. 15. Septembris 1657.

[illegible] Tertium etiam putant aliqui in pecunia deposita ad emptionem immobilium, vel mobilium [illegible] orum, eo quia talis pecunia censenda [illegible] mo[illegible] is, vt patet ex iuribus & DD. quos re[illegible] quuntur *Redoan. rubr. de alienatione, cork* [illegible] *o seruari non possunt num.* 15. *& rubr.* [illegible] *salien. num.* 9. *Grat. discept.* 517. *num.* [illegible] *& disc. pt* 943. *num.* [illegible] *B*[illegible] *a de pot*[illegible] 95. *num.* 41. [illegible] 41. *Rota* [illegible] *Azor part.* 2. [illegible] *Qua* [illegible] *num.* 25. *Boss. d.* [illegible] 45. [illegible] quauplures, qui se fundant in *s. a* [illegible] *Pio S.* [illegible] *ff. de re iudicat. & in l. catera, §. si sepa*[illegible] *ff. de legatis* 1. [illegible] *quid e* 30 *§. vsuras, vers. quid ergo. ff de contraria & vtili actione.* Quamobrem multam pecuniam destinatam ad emendum immobilia, vel etiam mobilia pre[illegible] non [illegible] al[illegible] ilitre sine solemnitatibus iuris [illegible] *R*[illegible] *aranta, Gratian. Barb. sa, Azor.* [illegible]

44 [illegible] n opinio non habet fundamen[illegible] a & rationem quae suad[illegible] Pe[illegible] a [illegible] destinata ad [illegible] m rei immobilis [illegible] destinata ad hunc effectum ex a[illegible] io titulo obligante, non habet vt res immobilis, & non a[illegible] ilis, neque quia pec[illegible], quia [illegible] unia d[illegible] a & [illegible] institutionis & [illegible] ad alien[illegible] [illegible] sic alienabilem [illegible] m rei quae est inuenta vt [illegible] ue re ex cōtractu acqui[illegible] da *Redoan. rubr.* [illegible] *ten. rer.* quae seruando lese[illegible] possunt. *num.* 14. nec quia multa, quae [illegible] as rei non to lit eius substantiam, sed illam [illegible], & ideo quantacumque sit pecunia non est [illegible] commutationum instrumentum ex vsu gentium [illegible] mutabile, & alienabile. Et quo pecunia est [illegible] r, eo est aptior ad perficiendas maiores, &

vtiliores alienationes ad vtilitatem eam possidentis, Non ergo ex eo quòd pecunia sit magna est bonum immobile, & vt tale, seu quia tale prohibitum alienari. *Syluest. v. alien. num.* 7. Ideo nec illa opinio se fundat in sola magnitudine pecuniæ, sed super eo, quòd pecunia magna sit deputata ad emendum stabilia vel mobilia pretiosa. Verum cum volũtas hominis de sua natura sit liberè mutabilis, & immò prudentia sæpius velit, vt homo à propositis & determinatis liberè recedat, nulla que sit obligatio permanendi in determinatis simpliciter, vbi non adiungitur aliquis titulus obligationis, vt bene aduertit *Sylu. v. alienatio num.* 7. Ex eo, quod vel tutor pupilli, vel administrator bonorum Ecclesiæ multam pecuniam segregauerit, & alicubi deposuerit ex proposito & destinatione illam inuestiendi in hac vel illa re, non amisit libertatem ea vtendi ad bonum pupilli, vel Ecclesiæ, prout occasio postulauerit. Nec iura allata aliud important, quoniam intelliguntur de pecunia ex aliquo titulo obligante destinata ad emptionem stabilium.

441 Nam vt loquamur in casu *d.* [illegible] *&* §. *quid ergo*, Si tutor esset creditor pupilli tunc, cum [illegible] expirar tempus, & haberet pecuniam pup[illegible] ex sola sua voluntate destinata ad empt[illegible] dij, posset sibi satisfacere ex illa pecunia sine [illegible]cis decreto, & si sibi non satisfaceret, stu[illegible] postea pretenderet vsuras sui crediti, prout ex *cal. sat* [illegible] *co- lig.* Propterea *Zasius* relatus *ibid in notis Dyoni*[illegible]*. Gathofredi lit. H*, aduertit in ea lege dictionem *destinatam* non intelligi de destinatione simpl[illegible]er, [illegible] de destinatione orta ex eo, quòd pecunia pro[illegible]rit ex venditione rei immobilis. Quàmuis ex [illegible]o & similibus textibus loquentibus de pupillo & tutore non valeat arguere ad administratorem bonorum Ecclesiæ, & ad extensionem legis canonicæ pœnalis vltra verborum significatum, e[illegible] eo quia in iure Ciuili popilli sint [illegible] [illegible]corati, vt patet ex toto titulo *ff. de min*[illegible] *& ex Simonrello de decret. l.* [illegible] *t.* 8. *num.* 123. *& Tiraquel de vtroque retractu* §. 1. *gl.* [illegible] 7. *nu.* 109 aduertit *Boss. d. tit.* 18. *num.* 416. Vnde in hac parte vera est & amplectenda sententia eorum, qui hunc tertiũ casum non admittunt distinctum à primò & secundò, & dicunt, quòd tunc pecunia multa destinata ad emptionem immobilium censetur bonum immobile, aut mobile pretiosum, cum est retracta vel ex venditione alicuius similis boni Ecclesiæ, vel ex aliquo titulo obligante e[illegible] ad similium bonorum emptionem deputata, quòd voluerunt *Simonrellus & Tiraquel. vbi supra num.* 108. *Pinellus in l.* 1. §. [illegible] *nu.* [illegible] *C. de bonis matr. Vasquius de succ. creat.* §. 10. *nu.* [illegible] *Ceuallos q.* 312. *Gailus obseru.* 11. *l.* 2. *Michael* [illegible] *sus v. legatum quæst.* 19. *Mantica de coniect. vlt. volunt. l.* 9. *tit.* 3. *num.* 1. *Ricc. resol.* 70. *in fin. vbi etiam refert in Curia Neapol.* fuisse decisum hanc pecuniam deputatam ad [illegible] [illegible] immobilia [illegible]putari. *Angelus* [illegible] *senat. o nu.* [illegible] *cod.* [illegible] *nu.* [illegible] *Vasquez de redditib cap.* 2. §. [illegible] *du.* [illegible] *Bonac. de alie. p.* 2. *num.* 5. *Palaus t.* 2. *tract.* 11. *puncto* 15. §. 1. *num. Donatus p.* 2. *praxis trac.* 14. *quæst.* 52. *num.* 2. *qui tamen cum Syluest. vbi supra censet nu.* 3. quod ad hoc vt pecunia reddatur bonum immobile, vel mobile pretiosum sufficiat obligatio personalis voti v[illegible] iuramenti. Sed hoc non admittitur quia hæc obligatio Deum respicit non Ecclesiam aut proxim[illegible] nec est obligatio iustitiæ, sed personalis religionis. Ideo obligatio, quæ faciat, quod pecunia deputata ad emptionẽ non possit sine beneplacito Apostolico valid[illegible] alienari, d[illegible]bet [illegible] v[illegible] aliqua [illegible]gatio iustitiæ vel le[illegible] [illegible]s alienationem aliter factam. Nam aliud est [illegible] al[illegible]re, & hoc fit ab eo, qui habet v[illegible]tum v[illegible] iuramentum non alienandi. Aliud est inualide a[illegible]nare, & incurrere pœnas alie[illegible]um sine [illegible]tate, & hoc non habetur nisi ex o[illegible]atione [illegible] [illegible]stituat pecuniá in rati[illegible] bon[illegible] [illegible]s imm[illegible]bilis aut m[illegible]bilis pr[illegible] inalienab[illegible] quod [illegible] fa[illegible]t obligatio voti, v[illegible] iuramenti, quæ est per[illegible]alis, & spiritualis m[illegible]nent[illegible] pecunia in ratione b[illegible] corporei mob[illegible]s & al[illegible]is.

442 Qu[illegible]s casus [illegible]d eadem rat[illegible] non admittendus, est de pec[illegible]nia multa de[illegible]nata & t[illegible]r nata ad h[illegible]c vt Ecc[illegible]ia habeat vnd[illegible] [illegible]enti aliqua futura necessitate [illegible] succ[illegible]t. [illegible]m [illegible] enim pecuniam d[illegible]bere haber[illegible]t imm[illegible]lem & ina[illegible]nabilem [illegible] [illegible]mnitatibus iu[illegible] d[illegible]t *Tambur. tom.* 3. *disp.* 13. [illegible] *num.* 4. *&* 15. *Barbosa d*[illegible] 5. *num.* 4[illegible] *nat. d. quæst.* 52. *nu.* 4. *Boss. num.* 41[illegible] contrarium [illegible] DD. citati, destina[illegible]o enim libera, et [illegible] superuenientibus [illegible]ter mutabili[illegible], non redd[illegible]em destinatam im[illegible]m. Nec destinatio habet vim perfection[illegible], vt destinatum ad aliquid ce[illegible]ndum sit ac si esset iam perfectè tale, laicus enim destinatus ad clericatum non est clericus, nec lapis destinatus ad sepulturam, est sepultura. De qua [illegible] vi[illegible] p[illegible]est *Felin. in cap. cum adeo d num.* 2. *de re*[illegible]s, [illegible] latè disputat de hoc puncto. Pecunia e[illegible] x[illegible] a simplici destinatione administrantium [illegible]a [illegible] siæ fit immobilis, & no[illegible] expendenda ad libitum iusta causa occurrente. Ideo [illegible] ni[illegible] locata [illegible] cui ad pompam fit inalienabilis quia locatio [illegible] transfert dominium, & quatenus qui locauit [illegible] non finita locatione non possit pecuniam repetere, si repetat & auferat erit iniustus in conductorem, sed non per hoc [illegible]it impeditus ne pec[illegible]niam [illegible]am possit expendere. Et erit malus ad[illegible]ator rei Ecclesiæ si ex causa non iusta ill[illegible] prod[illegible]gat sed non incidet in pœnas contra alienantes sine solemnitate Paul[illegible] [illegible]uia pecunia est res simpliciter mobilis, & ex communi totius mun[illegible] necessitate & praxi al[illegible]s.

443 Q[illegible]us casus est pecuniæ im[illegible]icatæ in censibus, v[illegible] collocatæ in m[illegible] [illegible]onat[illegible] exigendi annuas pensiones [illegible]uum [illegible] censetur bonum immobile [illegible] pra[illegible]an[illegible]s d[illegible]ctum est. Se[illegible] dub[illegible]est, a[illegible] d[illegible]dum [illegible] de p[illegible] d[illegible]ra ap[illegible]d [illegible]p[illegible], aut in ali[illegible] L[illegible] Genuæ, Vene[illegible], & M[illegible] S. A[illegible] sij. Nam e[illegible] q[illegible] hui[illegible] d[illegible] pecu[illegible]a est [illegible] videtur nu[illegible]eran[illegible]a [illegible] m[illegible]a, & [illegible] exigendi fœnus si[illegible] & non a[illegible]le. Hanc [illegible] [illegible]ortatam [illegible]lendam esse b[illegible] *B*[illegible] *in cap. cum cau*[illegible] *Traque l*[illegible] *oss.* 7. *num.* 114 [illegible] *ta rubrica numer.* 24. *& num.* 14[illegible] *tt.* 209. *Gennen*[illegible] *o. num* 9. *Simon*[illegible] *n*[illegible] 118. *Barbosa d.* [illegible] 35. *num.* 44. *T*[illegible] *num.* 9. *&* 1[illegible]. *Lezana* [illegible] 2. *cap.* [illegible] 9. *num.* 5 [illegible] *d. quæst.* 1. *nu.* 16. Lil [illegible] lit n-

sententia probatur ex *l. si chorus §. 1. ff. de legat. 3.* Et secundò, quia pecunia reposita ad honestum lucrum dicitur esse in annuo reddittu, annuus verò redditus est & censetur res immobilis. *Clem. exivi de paradiso, de verb. significationibus.* Tum tertio, quia non potest negari, quin seruando seruari possit, quòd fructificat, & retineatur, est verò citra dubium quòd pecunia deposita apud campsorem fructificat & apud talem conseruari potest.

444 Sed neque huius opinionis rationes conuincunt. Longè enim diuersi sunt [illegible] per accidens, & ex industria, & est bonum immobile. Nam etiam si quantitas frumenti locaretur alicui eo utenti ad ostentationem, vel pompam, frumentum fructificaret, neque tamen esset bonum immobile. Sed & agni, hædi si conseruarentur, multum fructificarent, neque tamen inter non alienabilia computantur. Et considerandum mihi videtur, quòd nomen pretiosum [illegible] atem parit, nec inuenitur [illegible] auaganti *ambitiosæ*, sed ipsa expressè duo genera bonorum ponit inter alienabilia, quæ sine solemnitate alienari possunt, scilicet fructus, & quæ seruando seruari non possunt, ibi *ac de fructibus, & bonis, quæ seruari non possunt.* At vero ex fructibus multi sunt bona pretiosa valde, vt maxima frumenti, aut vini copia, & nihilominùs alienari valent. Sic & pecunia per quam pretiosissima emi possunt valde pretiosa est & tamen ex communi consensu pecunia est res alienabilis, & vt dixit *Bald. cap. cum causa* de re iudicata in fine, pecunia deseruit cuilibet humanæ necessitati, aliæ vero res non. *ff. de fideiuss. l. si fideiussorem.* Ideo pecunia est data vt instrumentum alienationum, & medium ad quælibet necessaria consequenda. Vnde per pretiosum mobile in hac materia debet intelligi, vt supra etiam dictum est, quòd non est fructus, & seruando seruari potest. At verò pecunia, quæ eiusdem rationis est, cum ijs rebus ex quibus habetur, & percipitur, si colligitur ex fructuum vel mobilium consumptibilium alienatione, fructus est, vel res quæ seruando seruari non potest, gerit enim vices rei cuius est pretium. Nec interest, quòd sit res pretiosa, si spectetur valore illius, quia in materia alienationis non censetur pretiosum, quod vel est fructus, vel seruando seruari non potest. Pecunia igitur, quæ non est collecta vel ex immobilibus, vel ex mobilibus, quæ seruando seruari possunt est vel fructus, vel res quæ seruando seruari non potest, & ideo est ex exceptis in extrau. ambitiosæ, & alienari potest: Nec interest si interim pecunia fructificet, quia hoc est per accidens & ex libertate domini, qui tamen ex hoc non [illegible] libertate vtendi illa pecunia ad quē[illegible] quia pecunia fructus est, aut res, quæ seruando seruari non potest. Quia igitur, qui deponit pecuniam [illegible] alienabilem in banco campsoris, seruat sibi libertate [illegible] pecuniam ad sui beneplacitum & ex vi contractus pecunia sibi reddi debet, & solum illam apud campsorem deponit, ideo accidit pecuniæ quòd fructificet nec transeat in [illegible] immobilium, cum sit ad beneplacitum [illegible]. Nec in contrarium vrget instantia *Bossii num. 41.* quia scilicet si hæc ratio valeret, sequeretur quod etiam pecunia collocata in montibus posset alienari, cum liberè ibi collocetur, & ex vi contractus possit repeti. Non enim est eadem ratio: Tum quia pecunia in montibus non deponitur vt custodienda, sed inuestitur principaliter pro fructu, & per eam emitur ius habendi pensiones, quòd est immobile. Tum quia pecunia collocata in montibus non potest repeti, loca enim montium non vacabilium perpetua sunt. Et pecunia in eis collocata non potest repeti, & si quis eam velit, & ea indiget potest vendere loca montium, sed non potest cogere dominum montis, vt sibi pecuniam restituat. Ideo, quòd pecunia ex eo, quod deponitur in banco campsorum, non fiat inalienabilis dixerunt *Piuellus in l. 1. p. 2. numer. 44. C. de bon. matrim. Mant. de coniect. l. 9. tit. 9. numer. 2. Palaus d. par. 15. §. 1. num. 6. Bordonus p. 1. resol. 27. num. 52.*

445 Sextus casus est si pecunia sit in proprietate Ecclesiæ, qualis est, quæ à prædecessore in dignitate relinquitur. Hanc enim comparari rei immobili dixerunt. *Redoan. rubr. de pecunia Eccles. alienatione num. 15. & 16. Quaranta d. num. 25. Barbosa d. alleg. 95. num. 43. Grat. discept. 517. numer. 12. & in annotat. ad eandem, & discep. 576. num. 33. Ric. p. p. resol. 70 num. 3. Boss. d. tit. 18. num. 419.* Hæc distinctio est vera, & magistralis, sed non comprehendit nisi primum & secundum ex casibus supra positis. Distinctio vera est, quia vel pecunia est capitale, vel est fructus. Hic enim est sensus illius distinctionis datæ sub his alijs terminis, quia scilicet pecunia vel est in proprietate, vel in fructu. Tunc verò est in proprietate, si teneat locum rei immobilis, vel mobilis pretiosæ, quæ sunt in proprietate Ecclesiæ, hoc verò habet si proueniat vel ex alienatione rei immobilis, aut mobilis pretiosæ, vel peruenerit ad Ecclesiam sub obligatione emendi ex ea aliquod simile bonum. Sed si pecunia sit fructus, quia ex alienatione fructuum est habita, vel quod in idem reddit, ex alienatione rei non pretiosæ, hæc pecunia non est in proprietate sed in fructu, seu in reditu, & iuxta præfatos DD. est alienabilis sine solemnitate. Et idem dicitur de pecunia donata Ecclesiæ sine obligatione, quæ est fructus [illegible] pietatis fidelium. Quòd verò aliqui ex citatis DD. exemplificant in pecunia ab antecessore relicta; hoc factum est, quia pecunia, quæ est fructus in beneficijs regulariter non relinquitur successori, quia beneficiatus antecessor fecit fructus suos vnde talis pecunia secundùm diuersas consuetudines aut leges pertinet vel ad Cameram Apostolicam, vel ad hæredes, vel etiam forsan alicubi remanet Ecclesiæ & verè transit in Ecclesiæ proprietatem, vt capitale non alienandum nisi tanquam bonum immobile. Sed tamen in Prælaturis vbi Prælati nec faciunt fructus suos, & durant ad tempus, ex hoc præcisè, quòd Prælatus terminato officio relinquit in Ecclesiæ ærario pecuniam, si aliàs illa est fructus, remanet tanquam fructus à successore alienabilis, sicut & poterat ab antecessore alienari, nec per hoc naturam mutat. Non interest, igitur quòd pecunia sit relicta a prædecessore in dignitate, quia si priùs erat fructus, non ex hoc desinit esse fructus alienabilis; nec successor est impeditus ne alienet frumentum vel vinum, quia relictum à prædecessore. Ideo *Boerius dec. 209. Syluest. v. alienatio num. 7. fin. Bonac. p. 2. num. 5. Palaus d. §. 1 num. 5. Vasquez de reddit. c. 2. §. 2. dub. 13. Bord. d. res. 27. num. 51 Ricc. p. p. res. 47.* benè sentiunt, quòd si pecunia est retra-

ća ex re immobili, vel non alienabili, non poteſt alienari vt in primo, & ſecundo caſu dictum eſt. Cæterum ex quo pecunia ſit ſub dominio Eccleſiæ, non ſequitur, quòd ſit inalienabilis, cum omnis pecunia Eccleſiæ ſit in poteſtate Eccleſiæ, & tamen pecunia Eccleſiæ ſi ſit fructus, aut ſeruando ſeruari non valens, poteſt alienari.

446 Et tandem aduertendum, quòd ex legibus Ciuilibus non deſumitur validum argumentũ ad alienationes Eccleſiaſticas, quia in diuerſis terminis loquuntur, & de diuerſis ſtatibus. Nam vel attendunt pretioſitatem, & magnum valorem rei, vt videtur conſideraſſe *d.l. ſi chorus §.1. de leg.3.* Et propter hoc multi DD. æquiuocatione ducti ſunt. Cum lex Canonica non ſpectet valorem rei, ſed ſi res ſit fundus, vel fructus fundi, ſeu ſi res ſeruando ſeruari poſſit, vel non poſſit ſeruari, & admittit, quòd ſine ſolemnitate alienari poſſint fructus etiam ſi magni valoris, & etiam ſi in maxima quantitate. Non eſt etiam eadem ratio de pupillis, qui relinquuntur tutelæ extranei, de quo multùm præſumi poteſt & valde timeri, quòd infideliter res pupilli adminiſtret, vt ipſe, vel ſui ex hoc commodum acquirant, vel etiam in eo præſumi poteſt negligentia, ex quo nec pupillus, nec res pupilli illius ſint, vel nec ad illũ pertineant. Quæ præſumptiones locum non habent in Eccleſiaſtico adminiſtratore bonorum Eccleſiæ, quorum bonorum fructus vel ſunt Eccleſiaſtici adminiſtratoris, vel ſunt eius corporis cuius ipſe adminiſtrator eſt membrum, vnde bona illa ſua ſunt, quia bonum totius eſt bonum partis. Quamobrem argumenta iſta, quæ vel ex lege ciuili, vel ex ſimilitudine rationis deducuntur, claudicant centum & mille pedibus.

SVMMARIVM.

1 *Bona Eccleſiaſtica ſunt bona Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum, ſiue ſint de menſa Rectoris, ſiue de menſa Eccleſiæ. n.447.*

2 *Quid ſit eſſe de menſa Prælati, vel Eccleſiæ. n.447*

3 *Bona Eccleſiaſtica ſunt bona Capellarum, Oratoriorum, quæ in Eccleſia ſunt. n.448.*

4 *Et bona hoſpitalium, quæ ſunt fundata auctoritate Epiſcopi. n.449.*

5 *Hæc gaudent beneficio reſtitutionis in integrum. num.449.*

6 *Et bona Confraternitatum, quæ ſimili modo ſunt fundata. n.450.*

7 *An Hoſpitalia & Confraternitates non erectæ authorit. Ordinarij ſint loca pia alij negant alij affirmant. nu.451.452.*

8 *Viuente fundatore Hoſpitalia fundata ſine auctoritate Ordinarij non ſunt loca pia. n.453.*

9 *Secus fundatore mortuo. n.453.*

10 *Bona Hoſpitalium huiuſmodi ſunt ſub cura Epiſcopi n.443.*

11 *Etiam ſi fundata cum conditione vt non ſint ſub cura Epiſcopi, ſub eo ſunt in caſu negligentiæ. num.443.*

12 *Bona huiuſmodi Hoſpitalium non alienantur ſine ſolemnitate. n.443.*

13 *Idem dicitur de Confraternitatibus in perpetuum deputatis ad opera pia. n.454.*

14 *In dubio ex quibus præſumatur Hoſpitale fundatum auctoritate Epiſcopi. numer.455.*

15 *Capellæ priuatæ non ſunt loca pia. n.456.*

16 *Bona Commendarum non alienantur ſine ſolemnitate. n.456.*

17 *Item bona deputata pro fabrica Eccleſiæ. n.458.*

18 *Secus dicendum de bonis patrimonialibus Clericorum. n.459.*

Quid nomine Eccleſię veniat, dum prohibentur alienari bona Eccleſiæ, ſeu quæ ſint bona, quæ dicantur Eccleſiaſtica?

447 EST autem certum primò, bona Eccleſiaſtica eſſe bona Ecc[illegible] ſeu Monaſteriorum vt conſtat ex toto titulo de reb. Eccl. [illegible] non alienandis, & extrauag. *ambitioſa eod. tit. Clem.1. tit. eodem, & Decreto Vrbani O[illegible]* Et ho[illegible], ſiue huiuſmodi bona ſint de menſa Ep[illegible]orum, aut Prælatorum, aut beneficiatorum, ſiue ſint de menſa Eccleſiæ. I[illegible]a enim dicuntur eſſe de menſa Epiſcopi, quæ princi[illegible]iter ad eius ſuſtentationem ſunt deputata, vnde e[illegible]am per ipſum ſo[illegible] reguntur, & adminiſtrantur. *Gio[illegible] in Clem.1. verſ. ad menſam de exceſſu Prælat. Innoc. in c[illegible]p. vt ſuper de reb. Eccleſ. non alien. & ibid. Panorm num.9. Barboſa de off. Epiſ. all.95. num.67.* At verò de menſa Eccleſiæ ſunt ea bona, quæ perpetuo Eccleſiæ fuerunt [illegible]ta, atque ita quæ nunquam ab Eccleſia poſt à ſe quæſitum dominium fi[illegible]erunt al[illegible], vel quæ ad eam reuerſa vel ei incorporata ſunt, vt poſt *Menoch. de arbit. caſu 433. à num 2.* [illegible] *conſ 79. num.10. & 11. tradunt Barboſ[illegible] vbi ſupra num* [illegible] *Boſſ. tit.18. num.479.* Sic quoq[illegible] quæ ad ſuſtentationem cuiuſcumque Prælati, aut be[illegible] deputata ſunt, de menſa eius dicuntur eſſe, [illegible] bona Regularium ſunt de menſa Eccleſi[illegible] Monaſterij, nulli que particulari pro eius ſuſtentatione [illegible]putata ſunt, ſed pro communi Religioſorum [illegible] Monaſterij vtilitate ſunt ordinata, & Eccleſiæ [illegible] Monaſterio ſunt incorporata.

448 Secundò bona Eccleſiæ ſunt bona Ca[illegible]larum, Altarium, Oratoriorum, quæ ſunt in alic[illegible]a Eccleſia, vel Monaſterio, vel etiam Capellarum, aut Oratoriorum quorumcumq; quæ vel Papæ [illegible] Epiſcopi auctoritate fundata ſint. Secus verò ſi non ſint fundata auctoritate Epiſcopi vt per DD. [illegible]ſtra citatos.

449 Tertiò nomine Eccleſiæ hic ve[illegible]unt loca pia, expreſsè enim in extrauag. *ambitioſæ* inter bona prohibita alienari ponuntur quibus Eccleſiæ, Monaſteria, & loca pia reguntur illuſtrantur &c. Verùm conſiderandum, q[illegible]d non on[illegible] locus celebrationi miſſarum, deuo[illegible]ioni, [illegible] or[illegible]tatus ſine controuerſia e[illegible] locus pius, eſt autem certum, quòd ille cenſetur ta[illegible]s, qui eſt auctoritate Epiſcopi fundatus v[illegible] C[illegible]p[illegible]llæ, ſeu Orato[illegible] priuata, quæ habe[illegible] in domibus Principum, [illegible] Nobilium, vel e[illegible] H[illegible] p[illegible]ara non [illegible]data Epiſcopi auctoritat[illegible] a mu[illegible] loca pia, per loca igitu[illegible] pi[illegible]ca, [illegible] dubio inte[illegible]guntur, quæ ſunt ad cultum De[illegible] & pietatis opera auctoritate Papæ, vel [illegible] fundata, vt per *Innoc. in cap. inter dil[illegible] donationibus. Bald. in authent. hoc ius, C. de ſac[illegible]. Eccleſ. [illegible]anonizatn 12. [illegible] Imola & Panorm. in ca[illegible] ul[illegible] de reb. Eccl. non alien. Bart. in l. conſtituimus ff de teſtam. mil. Franc. in cap. 2. de reb. Eccl. non alienan. in 6. Redoan. in rubr. nu. in*

mate-

materia alienat. veniant loca pia Vbi plura allegat, & diffusè tractat de hac materia : *Ric. p. p. praxis. res.37. Quaranta v. alien. num. 28. Boss. tit. 18. nu. 48 t.* & alij plures apud istos. Nam & locis pijs competere priuilegium restitutionis in integrum si sine fundati auctoritate Epis. habetur ex *cap. requisiuisti. §. secus*, de testamentis, vt tradunt *Panorm. & Redoan. locis citatis*. Hisque locis pijs competere priuilegia Ecclesiarum decernitur *cap. ad hoc, de Relig domibus, & cap. 2. de foro Compet. & pluribus DD. citatis probat Ricc. d. res. 37.* L[illegible] *in titulo de reb. Ecclesiæ non alien.* comprehenduntur etiam loca pia, auctoritate Episcopi fundata.

450 Colligitur primò loca pia esse Hospitalia auctoritate Episcopi erecta, in quibus charitatis & misericordiæ opera exercentur, vt sunt infirmos curare, pauperes alere, peregrinos hospitari, captiuos redimere, orphanas dotare, & alia similia opera perficere. Item secundò colligitur, quòd si auctoritate Episcopi sunt fundatæ, loca pia sunt Confraternitates laicorum, & id ò bona Ecclesiastica non alienabilia sunt bona eisdem Confraternitatibus pertinentia ad effectum pro[illegible] di diuinum cultum, & ad [illegible] Ecclesiarum, aut Oratoriorum ornamentum, ad subleuandos pauperes, puellas miserabiles maritandas, ad eleemosynas erogandas; ad missarum celebrationem, ad sustentandos Rectores aut suarum Ecclesiarum ministros, & tandem ad ea procuranda, quæ ipsis pro diuino cultu, & operibus misericordiæ incumbunt. Hæc verò certa sunt, & tradunt communiter DD.

451 Dubium est an Hospitalia, & Confraternitates non fundatæ auctoritate Papæ aut Episcopi etiamsi in eis ex instituto exerceantur Dei cultus, & opera pietatis, & eorum bona congesta sint, vt deseruiant ad talia opera, dicantur, & sint loca pia, & ita vt eorum bona sine assensu Apostolico, & solemnitatibus alienari non possint. Talia enim non esse dicenda loca pia, & eorum bona posse alienari sine solemnitatibus voluerunt *Redoan. rubr. de consensu, §. sed quid de bonis hospitalium num. 1. & rubr. an in materia alienat. appellatione Eccles. veniãt loca pia num. 6. Quaranta v. alien. num. 8. Borel. in sum. decis. p. 1. tit. 15. num. 41. Hugol. de pot. Epis. c. 14. §. 4. num. 6. Barbosa ad l. quis presbyterorum num. [illegible] de reb. Eccl. non alien. Ricc. p. 1. praxis res. 37. Bonac. de alien. p. 2. nu. 10. Donat. p. 2. tract. 4. q. 60. Grat. discep. 517. num. 4. & 6. Felin. cap. de quarta num. 1. & 2. de [illegible] p. Bald. in l. illud, C. de sacros. Eccles. & in Authen. Hoc ius porrectum, eod. tit. Benintendus, Magonus, Velascus, & alij à præfatis rel[illegible]i.*

452 Verum cum denominatio loci pij congruè non sumatur à causa efficiente locum, sed à causa finali, a qua actiones & res morales & speciem & denominationem accipiunt; ideò alij volunt, quod non sit vnde Hospitalibus, Cappellis, Oratorijs, Cofraternitatibus negetur nomen & ratio loci pij, si licet non approbaute solemniter Episcopo eo tamen non contradicente nec dissentienre erigantur, & vna cum suis bonis ordinentur per se principaliter ad Dei cultum & ad opera pietatis, & misericordiæ. Tunc ergo Hospitale vel Confraternitas non erit locus pius quando principaliter non ad Dei cultum, aut ad opera pietatis, sed ob alium finem congregatur. Sed vt eius bona congesta sunt vt inseruiant ad necessaria Ecclesiæ, & diuini cultus, ad pauperes sublenandos, ad puellas orphanas dotandas, & ad similia pietatis opera etiam si sint fundata non interueniēte auctoritate, Episcopi est locus pius, nec potest ab erectoribus dissolui, nam locus semel Deo dicatus non potest ad profana conuerti, *§. sacra, §. religiosum inst. de rerum diuisione*. Vnde similium vel hospitalium vel Confraternitatum loca non possunt alienari sine solemnitatibus requisitis ad alienationem bonorum Ecclesiæ. *Menoch. de recuper. possess. remed. 15. numer. 36. Zabar. cons. 11. & cons. 13. in princip. Soccin. senior cons. 82. num. 34. volum. 4. & ex Ioseph Ludou. Rebuff. & Gutierez, Ricc. p. p. prax. res. 45. vnde Rota apud Seraph. decis. 724. num. 7.* absolutè dixit quoad prohibitionem alienationis non esse differentiam inter bona Ecclesiastica, & Confraternitatum laicarum.

453 Huius verò quæst. solutionem puto petendam esse ex distinctione, quam tradidit *Panorm. in cap. de Xenodochijs num. 3. & cap. ad hac num. 4. de Relig. domibus*. Nam de huiusmodi hospitalibus fundatis sine auctoritate Episcopi loqui possumus pro tēpore vitæ fundatoris, vel post mortem illius. Nam Hospitale non fundatum auctoritate Episcopi viuente adhuc fundatore est locus priuatus, nec est adhuc Religiosus, sed de voluntate testatoris potest mutari. Et Ecclesia nondū acquisiuit ius ad illud, dum fundator ex mera sua libertate mutabili, & sine [illegible]bili contractu in aliqua sua domo ex charitate introduxit hospitalitatem. Et hinc tale hospitale est merè laicale, & non est perpetuū sed manuale, & potest reuocari. Et de simili hospitali verum est, quód non est locus Religiosus, & bona ei applicata alienari possunt sine solemnitatibus, vt prima opinio vult. Sed post mortem fundatoris, iam eius dispositio est irreuocabilis, iuxta *Authent de Eccles. tit. cap. 11. ibi. Si quis autem pro Redemptione Captiuorum, aut alimentis pauperū hæreditatem, aut legatum reliquerit in rebus mobilibus, aut immobilibus, siue semel, siue anuale: & hoc modis omnibus secundùm testatoris voluntatem ab ijs, quibus iussum est hoc facere compleri*. Itaque similis locus eiusque bona, pia sunt, quia ex pietate relicta, & ad vsum pium, nimirum ad recipiendos, & curandos, aut alendos pauperes, seu ad alia opera misericordiæ propter Deum disposita irreuocabiliter. Et iam tam locus iste, quàm eius bona inter Christi patrimonium computantur, cum data sint ad opera misericordiæ propter Christi fidem, amorem, & spem exercenda. Et iam tam ille locus, quàm eius bona sunt sub cura Episcopi, per textū in *Authent. & in cap. 3. & cap. tua nobis, & cap. Iot de testam. & Clem. 2. de relig. Domibus & per Conc. Trident. sess. 22. cap. 8. & 9.* Quod in puncto nostræ quæst. est indubitatum, quia ad Episcopum pertinet præcipuè & ex officio cura adimplendarum piarum vltimarum voluntatum fidelium, vnde eius officij est inuigilare, & attendere ne bona pro vltimas voluntates disposita dilapidentur, & in alios vsus conuertantur, ac propterea ne in præiudicium piæ vltimæ voluntatis alienentur. Quod apertè est manifestum ex iuribus citatis. Nam quæ disposuit *Concil. Trid. sess. 22. cap. 8. & 9.* habere locum etiam in Hospitalibus, & locis piis priuatis declaratur S. Congr. Concilij prout referunt *Garz. de benef. par. 5. cap. 16. n. 602. & [illegible] Armendar. in addit. ad*

recopil. leg. Nauar. l. 1. tit. 6. de visit. nu. 67. *Barbos. ad d. cap. 8. Conc. Trid. num. 5.* Quod adeò verum est, vt si etiam in fundatione cautum esset, vt præfatorũ bonorum curam non haberet Episcopus, nec administratores tenerentur eidem reddere rationem, nihilominus primo hoc non teneret, nisi in fundatione id de licentia Episcopi, aut Superioris permissum fuisset. *Stephanus Veyms consil. 16. num. 19.* quem refert, & sequitur *Barbosa ad cap. 9. num. 27. d. sess. 22 Conc. Trid. Diana & alij apud eum part. 1. tract. 2. res. 83. in princ. Piasec. par. 2. cap. 3. a. 5. nu. 25.* Secundò adhuc in casu negligentiæ, Episcopi esset animaduertere vt omnino pia voluntas testatoris impleretur, *d. Authent. si quis autem de Eccles. tit. Francisc. Carpan. de execut. testam. lib. 1. cap. 22. n. 69. & ex eo Barbosa vbi supra.* Vbi ergo ex morte fundatoris Hospitale factum est in perpetuum inalterabiliter locus pius, iam est capax etiam legatorũ, & relictorum. *Barbos. cap. ad hæc nu. 2. de testam. & alij apud ipsum,* Et est pius locus cuius bona sint Christi patrimonium, sub cura Summi Pontificis constituta, & ideo dicta bona postquàm sunt Hospitali huic incorporata, non possunt sine solemnitatibus alienari. Quod præter DD. supra in secunda sententia relatos tenent alij plures, & præcipuè cum data distinctione *Panormitani* quos refert, & sequitur *Garz. de benef. p. 5. c. 1. n. 603.*

454 Vnde idem dicendum est de Confraternitatibus, & quibuscumque alijs locis inalterabiliter & in perpetuum deputatis ad præfata opera pietatis in Dei cultũ Nam quidquid sit an huiusmodi loca sint propriè sacra, & an etiam gaudeant immunitate Ecclesiastica, cum huiusmodi eorum bona immutabiliter sint ad opera pietatis in Dei cultum ordinata, sunt verè loca pia, & eorum bona tanquam ad Christi patrimonium spectantia sunt sub administratione Summi Pontificis, & Prælatorum inferiorum, nec possunt sine solemnitate Paulinæ alienari, vt citati DD. probant.

455 In dubio etiam an Oratorium vel Hospitale, vel Confraternitas fuerit erecta auctoritate Episcopi, standum est possessioni, & rei, quæ prima facie apparet. Præsumptiones verò ex quibus erecto vt facta Episcopi auctoritate colligi potest sũt. Prima si Hospitale fuit ædificatum in forma Ecclesiæ. & habet altaria in quibus celebratur, quia sine auctoritate Episcopi non potest Ecclesia ædificari, *Conc. Trid. sess. 22. cap. 8. de reform.* Secundò, si Hospitale habet Oratorium cum campanili, & campana, ibique missa publicè celebratur apertis ianuis, & ad quam audiendam populus confluit. Neque enim sufficeret haberi campanam, nisi publicè pulsaretur, vel celebrari missam, nisi celebraretur publicè apertis ianuis. Tertiò si Hospitale nedum denominetur ab aliquo sancto, sed habeat nomen Sancti sibi appropriatum. Quartò si in Hospitali sit seruata hospitalitas per tempus antiquissimum. Quinto, si in eo sint sepulturæ vel cœmeterium. Sextò, si in eo baptizaretur. Septimò, si reciperet decimas. De quibus videri possunt. *Mascard. de probat. conf. 574. & 869. Menoch. de præsump. l. 6 præs. 79. Rota decis. 725. p. 1. diuers. Quaranta ver. alien num. 29. Riccius p. p. praxis resol. [illegible] & Boss. to. 3. tit. 18. num. 487. Ciarlin tom. 1. cap. 216. Donatus dict. tract. 14. q. 60. & alij ab istis citati.* Quia autem ex *d. cap. 8. Conc. Trid.* sine Episc. auctoritate erigi non possunt Oratoria, quæ ad viam ianuam habent, & ad quæ pateat publicus accessus, si constet longo tempore fuisse in eo celebratam missam, præsumitur fuisse erectum auctoritate Episcopi.

456 Sed Oratoria & Capellæ priuatæ non deputatæ ad publicum cultum diuinum, sed in domibus priuatis nobilium positæ licet sint erectæ de licentia Papæ (Neque enim Episcopus potest hanc licentiam concedere. per decretum *Conc. Trident. d. cap. 8. & DD. ibidem num. 15. relatos à Barbosa*) non sunt loca pia, & religiosa, nec gaudent immunitate Ecclesiastica: Neque enim sunt ad cultum publicum commune, & perpetuum. Ecclesia verò ex eo quòd in ea celebretur missa & alia diuina officia, præsumitur constructa auctoritate Episcopi, etiam absque alia diuersitate temporis, vt ex DD. supra citatis habetur.

457 Quartò nomine Ecclesiæ veniunt Commendæ, & Præceptoriæ Equitum S. Ioannis Euangelistæ, & aliorum Ordinum Militarium Religiosorum, huiusmodi enim licet sunt loca Religiosa, & Ecclesiastica, sic & Ecclesiastica sunt eorum bona. *Rota decis. 724. apud Seraph & Rodriq. tom 1. quæst. 27. a. 12. & ex Fabian de Monte tract. de empt. & vend. quæst. 1. nu. 8. & Capyc. dec. 3. Boss. d. tit. 18. num. 491.*

458 Quintò, bona deputata pro fabrica aut reparatione, & augmento Ecclesiarum, Capellarum, & Monasteriorum bona Ecclesiastica sunt *Rota decis. 96. numer. 1. part. 2. recent.* Quod tamen debet intelligi de deputatione irreuocabili, & per quam dominium sit iam acquisitum Ecclesiæ, vt sunt relicta in testamento morte testatoris, & legato ab Ecclesia acceptato. Nam [illegible] simplex alicuius propositum reuocabile pro [illegible] Ecclesiæ vsu, nec sunt Ecclesiæ, nec sunt bona [illegible] deputans possit mutare voluntatem, & de suo facere, quòd sibi placuerit.

449 Patrimonia autem ad quorum titulum Clerici ordinantur non sunt bona Ecclesiastica talia, quòd ad eorum alienationem requirantur solemnitates Paulinæ *Ricc. p. p. praxis res. 18 [illegible] num. 5. Boss. d. tit. 18. num. 493.* licet alias non possint alienari sine licentia Episcopi ex decreto *Conc. Trid. sess. 21. cap. 2. de reformat.* & licet gaudeant priuilegijs bonorum Ecclesiæ, secundum quosdam [illegible], quos referunt & sequuntur *Riccius. & Boss. citati.*

S V M M A R I V M.

1 *Sine causa iusta, & solemnitate licite, & valide non alienantur bona Ecclesiæ. n. 460.*

2 *Ad duas reducuntur causæ iustæ alienationis. numer. 460.*

3 *Prima causa necessitas quæ est multiplex. numer. 461.*

4 *Necessitas Ecclesiæ siue communis siue priuata est causa iusta. n. 461.*

5 *Item necessitas pauperum. n. 462.*

6 *Ob quam etiam vasa sacra vendi possunt. numer 462.*

7 *Etiam pro subleuanda necessitate orta ex pauperis culpa. n. 463.*

8 *Non tamen pro eo liberando a carceribus, aut a pœna iusta. n. 463.*

9 *Hac necessitas debet esse indubitata. n. 464.*

10 *Ex*

10 *Et ea debet constare a[illegible] quam ex alienantis as- sertione.n.*[illegible]
11 *Volenti alienare incumbit onus probandi necessita- tem. n.4*[illegible]*5*
12 *Vbi alienatio est facta ex necessitate* [illegible]*, emptor* [illegible] *probare* [illegible]*nem. n.*[illegible]*65*
13 *Redemp*[illegible] *est pro causa* [illegible] *64*
14 *Vbi alienatio fit pro solutione debiti, emptor* [illegible] *tur probare* [illegible]*nem. n.*[illegible]*5.*
15 *Nisi alienatio facta* [illegible] *solemnitatibus n.4*[illegible]*5.*
16 *Necessitas sufficit quod adsit in tempore* [illegible] *tra- ctus.n.466.*
17 *Ad alienandum non sufficit sine solemnitate neces- sitas nisi sit extrema.n.467.*
18 *Necessitate vrgente alienantur etiam, quæ sub con- ditione non alienandi rel*[illegible]*a* [illegible]
19 *Vbi interuenit decretum iudicis a*[illegible] *sine so- lemnitate. n.469.*
20 *Qualiter Iudex se habere debeat* [illegible]*amnanda* [illegible] *c*[illegible]*ia ad alienationem.n. 469.*
21 *Pro necessitate Rectoris non alienantur re*[illegible] *F*[illegible]*siæ.n.470.*
22 *V*[illegible] *alienatio facta sit necessitate* [illegible] *debe*[illegible] *con- firmari* [illegible] *Pontifice.n 4*[illegible]
23 *In alienatione seruand*[illegible] *ordo,* [illegible] *prius mobilia, quam immobilia &c. alienentur n.472.*
24 *Et hoc modo e*[illegible] *substantialis si sit de forma, vt ex eo non seruato Ecclesia notabile damnum patia- tur. n.473.*

Quæ & qualis necessitas sit causa iusta alienandi bona Ecclesiæ?

INSPECTIO TERTIA.

4[illegible] SVpponit quæstio tanquam certum bona Ecclesiæ non posse alienari sine causa iu- sta & solemnitate inducta a iure tanquam forma, qua non seruata al[illegible]na[illegible]it nulla. *Rota dec.1062. num.2. coram Seraph*[illegible]*no* [illegible] *decis.* [illegible]*04 num.5. coram* [illegible]*eg. XV. & ibi Addition* [illegible] *dec.1*[illegible] *num.11. & 12. &* [illegible]*39. num.1. par.*[illegible] *& dec.223. num.*[illegible] *& 2. p.6. & d*[illegible]*.6. num.1 & 68. num.9. par.* [illegible]*ece t. & decis.6.* [illegible]*oram Eminentiss. Ottobono &c communiter DD.* [illegible] abunde referunt decisio[illegible]es [illegible]tatæ, & tan- q[illegible] certum est supponendum. Quamobrem cum [illegible]ue explicatam sit, quid nomine alienationis [illegible]etur, & quæ sint res alienabiles, & non alie- [illegible] doctrinæ Ordo petit vt tractemus de re- q[illegible] hoc vt res Ecclesiæ alienari possi[illegible], li- [illegible] & [illegible]a idè. Primò autem agendum e[illegible] de cau- [illegible] quæ etiam ad validam electionem est om- [illegible] necessaria ex decreto S. Leonis Papæ, *cap. sine e*[illegible]*ep*[illegible]*ne 12. quæst. 2. & cap. 1. de reb. Eccl. non alie- nand. in 6.* [illegible] *per totum titulum de reb. Eccles. non alien.* Cum v[illegible] quadruplex causa reddi [illegible]eat, ob quam res E[illegible]æ possunt alienari, scilicet nece[illegible]sitas, vtilitas [illegible]tas [illegible]ga pauperes alendo & in- commoditas, *Pan*[illegible]*rm. cap. nulli de reb. Eccl. non al*[illegible] *Sylu. v. alienati*[illegible] *n*[illegible] [illegible]ene hæ quatuor [illegible]æ ad duas reducuntu[illegible] [illegible]m [illegible]ietas ad nece[illegible]at[illegible] & [illegible]umod[illegible]tas a[illegible] [illegible]teni. In præsen[illegible] qu[illegible]am[illegible]at[illegible], q[illegible]æ [illegible]ualis necessitas c[illegible] iusta[illegible] præbeat alienandi Ecclesiæ bona. E[illegible] consideranda sunt. Primum, quæ necessitas suf- ficiat. Secundum qualiter existente necessitate alie- natio facienda. Tertium ex quibus bonis sit facieda.

461 Circa primum autem consideratur, quòd necessitas potest esse communis, vel particularis, & rursus potest esse necessitas Ecclesiæ vel proximi. E[illegible] r[illegible] potest esse necessitas extrema, vel non [illegible]a, sed tamen grauis, & rursus potest esse [illegible]itas incursa casu sine culpa, vel ex culpa. Pri- mo a[illegible]em dicitur, quòd necessitas dat iustam cau- sam alienandi bona Ecclesiæ, siue sit communis, vt c[illegible]m g[illegible]ndum est bellum contra infideles, siue sit particularis, vt quando debita vrgent Ecclesiam. *au*[illegible]*ent. sancimus, & authen. hoc ius porrectum C. de Sacros. Eccl.* vel indigentia victus, vestimentorum aut medicinæ arctat Ecclesiæ Ministros, aut Reli- giosos, aut reparanda necessariò sunt Ecclesiæ ædi- ficia. *Rota coram Seraph. dec. 1490. & communiter DD.* Et quòd Episcopus de assensu clericorum possit donare quinquagesimam partem rerum suæ Ecclesiæ pro constructione Monasterij in sua diœ- cesi, ex *cap. bonæ rei 12. q. 2.* aduertit *Syluest. v. alie- natio num. 2.*

462 Nedum verò pro necessitate Ecclesiæ, sed etiam pro necessitate pauperum, & miserabilium personarum, & pro redemptione captiuorum alie- nari possunt bona Ecclesiæ etiam stabilia. *can. sa- crosan. can. aurum, & can. gloria 12. quæst. 2. & DD. quos refert Barbosa ad d. cap. aurum, & alij commu- niter.* Quòd extenditur nedum vt sit verum in ex- trem[illegible], sed etiam in graui necessitate pauperum, [illegible] ei[illegible] Ecclesiæ, sed aliarum proxima- rum[illegible] & [illegible]a vt ob hanc causam nedum immobilia, sed & vasa sacra alienari possint, quamuis non nisi in casu [illegible] grauis necessitatis distrahi debeant illa, [illegible] qu[illegible]us competens diuinus cultus non re- [illegible]eretur.

463 An verò etiam alienari iustè possint [illegible] Ec[illegible] pro subleuanda necessitate [illegible] qui [illegible] culpa [illegible]am [illegible]dit, vt quia luxuri[illegible] sua dissip[illegible], vel ob crimina carcer[illegible] inclusus fame laborat, cum hinc inde variè opinentur DD. placet resolutio *Couard. l. 2. var. cap. 16. n. num. 9.* Quia scilicet vbi necessitas est valde grauis, ita vt pau- per sit fame moriturus, nisi ei subueniatur, eleemo- syna facienda est, & bona Ecclesiæ pro eius su- stentatione licitè vendi possunt, etiam si culpa sua, in paupertatē reductus sit *cap. pasce 88. dist.* & sic po- test communis sententia procedere. *Vasquez de redditib. cap.* [illegible]*.§.2. dub. 10. nu. 37. 38. Molina disp. 468. Bossius tit. 18. num. 47.* Culpa enim præcedens non impedit obligationem charitatis, quæ est de sub- ueniendo indigenti, præsertim, cum præsumi pos- sit illum culpę pœnitere. Addit verò *ibid. vers. quar- to*, quòd etsi pium, & licitum existimet res Eccle- siarum vend[illegible] a[illegible] [illegible]uandam famem eorum, qui etiam ob c[illegible] [illegible]rceribus detinentur, non tamen id [illegible] [illegible]ol[illegible]ndam pœnam delinquen- tium, qua iu[illegible] puniuntur. Punitio enim illa iusta est, nec conuenit bono communi, vt bona Eccle- siæ alienentur, vt liberet à carceribus, & pœnas [illegible]uat pro ijs, qui pro suis criminibus puniuntur [illegible]è ad aliorum exemplum. *Donat. p. 2. tract. 14. quæst. 9. num. 14. vbi ex Bordon resol 27. quæst. 6. n. 24.* addit, quod nunc rarò, aut ferè nunquam causa pietatis locum habet. Quòd tamen ex hac causa procedit, quia necessitatibus Pauperum Ecclesia diues

diues ex fructibus potest succurrere, & ideo non est locus alienationi. Ideo nec licet vendere res Ecclesiæ pro liberando aliquo à triremibus, ad quas [illegible] tè est damnatus. Nisi talis sit necessitas lib[illegible] tis eius, qui in carceribus, aut triremibus det[illegible] tur, vt familia eius sit fame peritura, nisi ipse [illegible] retur. Et idem dicendum de eo, qui in carcere [illegible] detin[illegible] propter debita & æs alienum: Non [illegible] te[illegible] pro his res Ecclesiæ alienari debe[illegible]

464 H[illegible]c verò necessitas extrema, v[illegible] [illegible] [illegible] sit alienare res Ecclesiæ [illegible] [illegible], & indubitata, & quæ nulla [illegible] [illegible] possit; vt censuit *Rota apud [illegible] de [illegible] dec.27. 28. & 36. & post [illegible] [illegible] num.10.& Ciarl.cap.105.num.54.& cap.1[illegible] num.37.Boss.d.tit.18 num.50.* Sed hoc, quòd dictum fuit, quòd necessitas sit talis, vt non possit aliqua tergiuersatione celari, sic debet intelligi, vt [illegible] in oppositum præsumptiones, vel motiua [illegible] fficiat, quòd sint talia vt certitudinem non [illegible] tollant, sed necessitas ijs non obstantibus sit euidenter indubitata. Et ita de hac necessitate aliunde debet constare, quam ex alienantis, seu partium, seu Prælati assertione. *Rota apud Cencium vbi supra. Guidò Papa dec.152.[illegible] c.[illegible] 5.n.57.& 47. & d.cap.183.num.44.& Con. Redoan. quæst.16. numer.69 Boss. num.51.* Nimis enim ampla via esset fraudibus aperta si [illegible] al[illegible] tantum di[illegible] credendum esset. Immò quod nec credatur Notario in instrumento asserenti alienationem fieri ex causâ necessitatis, tradiderunt ijdem *Redoan. Ciarl.d.numer.47.& 60.Boss.d.num.51.*

465 Vnde est, quòd Prælato aut M[illegible] [illegible] alienanti res Ecclesiæ incumbit probare, non extare alia bona præter immobilia, & [illegible] [illegible] quæ alienari possint pro subuen[illegible] [illegible]. *Grat.dis.cap.570.num.10.& 13.Cia[illegible] cap [illegible] 5. num.60. [illegible] d.cap.183 numer.48. Giouan[illegible] num.6[illegible] b.1. Surd.dec.316. num.1[illegible] 14. l.1.Boss. num. 2.* Et ita vt etiam cont[illegible] torem agi possit, & teneatur ipse probare, quod pretium rei Ecclesiæ [illegible] versum sit in causam necessitatis expressam in instrumento venditionis, prout tradunt. *Rota dec.338.apud Seraph.num.8.vbi ex Butr. & Mol.in cap [illegible] num.17.de depos. & Alex.cons.4 numer.8.l.3.& Decan.l Ciuitas si cert.petat.* docet, quòd quando alienatio fit ob aliquam [illegible] [illegible] nominatam, debet emptor probare fuisse versum pretium in illam causam. *Ricc.p.1. praxis res.2.num.[illegible] Grat.dec.45.num.36.& 37. Rota in Romana Census 29. Ianuar.1591.coram Bubalo,* cuius meminit idem *Ricc.Boss.num.5[illegible]. Notant autem Rota in d R[illegible] Census & Grat. num.37.* alienationem factam [illegible] extinctione census non dici factam [illegible] necessitatis, sed vtilitatis, & ideo [illegible] [illegible] rem in tali casu probare pre[illegible] [illegible] in vtilitatem Ecclesiæ. V[illegible] [illegible] bi alienatio est facta pro solu[illegible] [illegible] Ecc[illegible] & ære alieno, emptor debet probare pretium fuisse conuersum in Ecclesiæ vtilitatem, vt docuerunt. *Conard.2.var. cap.17.num 3.ex Innoc Card. quæst [illegible] Abb.& Imol.num.14. [illegible] 7 cap.1. de depos.& Inn[illegible] & Abb.in cap.quod quibusdam de fidei uss. Rota dec.338.num.7.apud Seraph. Ric. p 8.pra[illegible] res.2. numer.3. Palam d.p.15. num.6. Boss.num.54.* Q[illegible] ab hoc onere liberetur emptor, si non nisi [illegible]

dente tractatu, & al[illegible] [illegible] res [illegible] Ecclesiæ [illegible]. *Conar.d.[illegible]* hoc casu præ[illegible] [illegible] sit [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] dum. *P[illegible] [illegible] Boss.d.nu.54. [illegible] supra n.282.&* [illegible] hoc est [illegible]

[illegible] causa [illegible] [illegible] quòd cum [illegible] [illegible] [illegible] debet [illegible] [illegible] *Ricc.p.p.prax. res.14.num.1.& post [illegible] in annot. Quaranta v. alien. num.3 Boss. num.55* [illegible] runt d. *Ricc. Quaranta,* si [illegible] [illegible] [illegible] debe[illegible] ad se [illegible] vtilitas, [illegible] hoc [illegible] idem est [illegible]

46[illegible] Quantum verò ad secundam [illegible] [illegible] alienatio [illegible] necessaria dicitur quod, nisi necessitate [illegible] [illegible] [illegible] concurrentibus [illegible] bus [illegible] Apostolico. *Quaranta v.alien.* [illegible] res [illegible] *Decius p.2 tract.* [illegible] Non [illegible] [illegible] [illegible] Apostolico [illegible] [illegible] [illegible] necessaria [illegible] [illegible] quia ad alienationem [illegible] non [illegible] rius, & ad non [illegible] non con[illegible] [illegible] si necessitas non pa[illegible] si Prælatus, vel rerum [illegible] rator [illegible] posset alienare, quoniam [illegible] tis. Necessitas [illegible] *consec.dist.1.Pan* [illegible] *Conar.d.* [illegible] *b[illegible] d.* [illegible] *95. num* [illegible] *Ric[illegible] num.* [illegible] *& apud eum Zaba[illegible] dom.Rebus. in c[illegible] tract.4. cap.* [illegible] *quæst.21.vbi num 5.* [illegible] digeant, ne[illegible] [illegible] cutir casum magnæ [illegible] [illegible] re, v[illegible] pignora[illegible] pere. *Peyr.in fortal.* [illegible] *verb. alien. num.15.* [illegible] me [illegible] Ecclesiæ sint in [illegible] nari [illegible] pecunia [illegible]

46[illegible] Immò n[illegible] [illegible] bona [illegible] ad [illegible] [illegible] voluntate [illegible] alienat[illegible] [illegible] proh[illegible] [illegible] *v.alienat. numer.* [illegible] *quæst.19 un[illegible] Barb[illegible]* [illegible]

[illegible]

Apostolico, & solemnitatibus, si Ecclesia necessitetur à iudice, & sic duo sunt in hoc casu necessaria, vt alienatio validè fiat, scilicet instantia creditoris Ecclesiæ, & decretum seu sententia legitimi iudicis, qui tamen non potest nec debet sententiam ferre nisi causa cognita, & examinato debito Ecclesiæ, & viso esse tale, cui ipsa teneatur satisfacere, & rursus examinatis Ecclesiæ bonis, vt appareat Ecclesiam ex mobilibus alias alienabilibus non posse satisfacere, & tunc res minùs damnosa alienari debet; nec pro paruo debito alienari debet res magna, & his consideratis Iudex sententiam ferret, & alienatio erit necessitatis, & fieri poterit nō requisito assensu Apostolico. *Redoan. Rubr.* de causis propter quas fiunt alienationes. *num.95. Quar. v. alien. num.36. & faciunt communiter DD.*

470 Est verò etiam distinguendum inter necessitatem Ecclesiæ, & Rectoris, nam pro necessitate Rectoris non licet alienare bona Ecclesiæ, vt post *Rebuff. tit. de Regia ad Prælaturas §. & Ricc. par.6. coll.2164. & Borell. tit.25. num.75. & Pyr. Corradum de dispens. l.6. c.1. num.18. aduertit Boss. num.60.* Rector verò si debita personalia habeat, debet illis satisfacere ex fructibus.

471 Quando autem ex necessitate non patiente moram facta est alienatio, nihilominùs debet postea ratificari contractus à Pontifice; necesse enim est ei repræsentari negotium, vt possit videre an necessitas fuerit vera, vel ficta, aut mendicata, & tollantur fraudes. *Redoan. vbi sup. num.128. ex Bald. in c.1. qui feu. dar. por. & ex Hugol. de off. Episc. Boss d. tit.18. num.60. Ciarlin. cap.183. nu.55. & apud eum Imola.*

472 Quantùm autem ad tertium scilicet, quo ordine facienda sit alienatio, cum ex necessitate eam fieri contingit, considerandum est, quòd concessum ex necessitate eatenus est validum, quatenus necessitas vrget, non vltra, vt ex *Barthol. in l.1. §. vlt. num.1. ff. de ferijs Gabr. cons.118. num.5. v. secundo quia, l.1. & Dec. in l. si donatione 13. col.4. ante fin. num.17. tradit Grat. tom.3. discep.570. num.11. & ex Ciarl. cap.183. num.52. et cap.105. num.65. et Pyrrho Corrado de dispens. l.9. cap.8. a. num.13. tradit Boss. num.48.* Ideò hoc primò est seruandum, vt si necessitati Ecclesiæ possit occurri ex fructibus, non debent alienari res immobiles. Nam & dato, quòd fructus sint Prælati, hoc procedit quando nō subest necessitas alienandi, alias debet, si potest, ex fructibus prouidere, non verò res alienare *Panorm. in cap. nulli, de reb. Eccl. non alien. Rota in Auximana bonor. 1. Febr. 1580. et in Placentina 1. Nou. 1580. coram Seraph. apud Ricc. p.p. praxis in princip. num.2. Donatus p.2. trac.14. quæst.9. nu.3.* Quando verò necessitas alienandi bona Ecclesiæ vrget, talis Ordo seruari debet, vt pro paruo damno non alienetur res magna, & ex Ecclesiæ bonis potiùs mobilia, quàm immobilia. & ex mobilibus potius superflua, quàm necessaria. & ex necessarijs potiùs non sacra, quàm consecrata, quæ si possit fieri potiùs in aliam Ecclesiam alienari debent, quòd si vēdantur laic[illegible] prius iuxta rubricas profanari debent, & postea tradi, vt docuit *D. Thom. supra quæst.100. num.4. ad 2. & tradunt communiter DD.* & de his videri possunt *Authent. hoc ius porrectum C. de Sacros. Ecclesijs & l. magis puto ff. de rebus eorum Redoan. de casibus in quibus potest fieri alienatio nu.91. 92. & 93. Mascard. cons.73. Quaranta v. alienatio nu.36. Grat. discep.570. a. num.10. Ciarl. d. c.183. num.51. Ricc. p.p. praxis in annot. ante resolut. primam. Rota apud Seraph. dec.1450.*

473 Sed nunquid ordo præfatus est substantialis, ita vt incidat in pœnas contra alienantes, qui illum non seruauerit? Substantialis est tunc, cum est de forma literarum Apostolicarum, vel cum ex non obseruantia illius consurgit notabile detrimentum Ecclesiæ, cuius indemnitas seruari omnino debet.

SVMMARIVM.

1 *Altera causa alienandi est vtilitas. num.474.*
2 *An hæc vtilitas sit quæ excludit damnum, vel quæ excludit non lucrum: variæ opiniones. n.475.*
3 *Ad valorem alienationis sufficit vtilitas, quæ excludat damnum, nisi aliud requirat forma rescripti. n.475.*
4 *Ad prudentem alienationem requiritur vtilitas lucrosa. n.475.*
5 *Valor rei intrinsecus & extrinsecus. n.476.*
6 *Vtilitas debet esse indubitata. n.477.*
7 *In dubio vbi alienatio facta est cum solemnitatibus præsumitur vtilitas. n.478.*
8 *Vbi alienatio sit facta cum solemnitatibus Ecclesia est probare non vtilitatem. n.489.*
9 *Secus vbi alienatio fit est facta sine solemnitatibus. num.479.*
10 *Alienatio cessante vtilitate nulla censenda. numer.479.*
11 *Solis attestationibus partium non probatur vtilitas. n.480.*
12 *Nec sola narratiua Notarij. n.480.*
13 *Ad probandam vtilitatem considerantur qualitas rei & modus fructuum. 480.*
14 *Valor fructuum ex pluribus annis æstimandus. num.480.*
15 *Fructuum valor non probatur ex locationibus. num.481.*
16 *Valor rei non tantum ex fructu, sed etiam ex rei æstimatione dependet. n.482.*
17 *Venditiones præteritæ non sufficiunt ad probandum valorem. n.482.*
18 *Valor fructuum maximè conducit ad rei valorem. num 482.*
19 *Multa circumstantia consideranda in testium examine. n.482.*
20 *Testes deponentes de diuerso pretio non probant. num.483.*
21 *Satis est quod testes deponant de valore secundum communem æstimationem. n.483.*
22 *Ecclesia post alienationem factam cum solemnitatibus potest probare læsionem; & hoc probato alienatio est nulla. n.484.*
23 *Commissarij non possunt excedere formam mandati. 485.*
24 *Nisi in vtilitatem Ecclesia augendo pretium numer.485.*
25 *Clausula vocatis vocandis infert necessitatem probationis iudicialis. n.486.*
26 *Clausula si tibi constiterit requirit probationem, & citationem. n.486.*
27 *Commissarius debet examinare testes, & probare vtilitatem. n.486. 487.*

 28 *Atte-*

28 *Atteſtationi Commiſſarij non creditur; n.487.*
29 *Etiam cum proceditur extraiudicialiter neceſſariā eſſe citationem partis alij affirmant, alij negant. num.487.*
30 *Vbi Papa derogando Paulinæ committit ſimpliciter informationem non eſt neceſſaria citatio. numer.488.*
31 *Vbi Rector eſt qui ſupplicauit pro alienatione non citatur. n.489.*
32 *Patronus an citandus? nu.489.*
33 *Qui habet regreſſum ad beneficium citandus. numer.489.*
34 *Si Rector non ſupplicauit eſt citandus; ſufficit tamen, quod ſit præſens. n.490.*
35 *Quæ ſint, quæ poſſunt vrgere contra decretū Commiſſarij. n.491.*
36 *Decretum Confirmatoris non præſumitur, niſi probetur. n.492.*
37 *Niſi vbi conſtet de Eccleſiæ vtilitate, poſſeſſione etc. num.492.*
38 *Sententia Commiſſarij an iuſtificanda ex actis. numer.493.*
39 *Sententia Commiſſarij non iudicanda nulla quia eodem die data, quo eſt præſentata commiſſio. numer.493.*
40 *Commiſſ. cognoſcit de ſubreptione reſcripti. numer.493.*
41 *Commiſſ. eſt iudex delegatus, n.495.*
42 *Ideo debet eſſe in dignitate conſtitutus. n.495.*
43 *Mortuo Papa, re integra, Commiſſarij non poſſunt vti commiſſione. n.496.*
44 *Commiſſarius non poteſt ſubdelegare. n.497.*
45 *Commiſſarij per Signaturam Iuſtitiæ poſſunt ſubrogari. n.498.*
46 *Sola taciturnitas faciens ad vtilitatem alienationis vitiat Commiſſionem.499.*
47 *Sufficit & attendi debet vtilitas de tempore contractus. n.500.*
48 *Ad habendam tamen qualitatem valoris rei & fructuum debet attendi tempus præteritum, & futurum. n.501.*
49 *Alienatio facta pro valore æſtimato tempore peſtis non ſuſtinetur. n.501.*
50 *Vbi ad valorem contractus requiritur ſcripturæ, tempus ſcripturæ attenditur. n.502.*
51 *Vbi contractus fit ex licentia Papæ data ex certa ſcientia &c. attenditur tempus contractus. numer 502.*
52 *In emphyteuſi attenditur tempus ſcripturæ. n.502.*
53 *In renouatione emphyteuſis attenditur tempus reconceſſionis. n.502.*
54 *Sufficit quod vtilitas fuerit cæpta de tempore contractus. n.503.*
55 *Emptor rei Eccleſiæ non tenetur probare verſionem pretij in vtilitatem Eccleſiæ. n.504.*
56 *Secus in mutuo, depoſito, & emptione cauſa neceſſitatis. n.504.*
57 *Dictio dummodo importat regulariter modum. num.504.*
58 *In alienatione voluntaria non eſt neceſſaria ſubhaſtatio. n.505.*
59 *In alienatione neceſſaria debet adhiberi ſubhaſtatio. n.506.*
60 *Hæc ſolemnitas an poſſit ſuppleri. n.506.*
61 *Res Eccleſiæ regulariter deliberatur pro plus offerente. n.507.*
62 *Conuenit tamen vt Eccleſia non vendat pro pretio excedente. n.507.*
63 *Res relicta ſub conditione vt non alienetur, poteſt cauſione vtilitatis ex beneplacito Apoſtolico alienari. nu.508.*
64 *Vbi non viget Paulina ſolum in caſu neceſſitatis ſine beneplacito Apoſtolico alienari poteſt res relicta vt non alienetur. n.509.510.*
65 *Donatum Eccleſiæ ad certum vſum non poteſt ſine aſſenſu Papæ conuerti in alium vſum. n.511.*
66 *Alias Eccleſia ſubditur caducitati. n.511.*
67 *Iuramentum de non alienando ſub duplici forma præſtatur. n.512.*
68 *Iuramentum de non alienando abſolutè intelligitur de alienatione illicita. n.513.*
69 *Iuramentum de non alienando ſine licentia intelligitur etiam de caſu licita. n.514.515.*
70 *Nec legatus dat licentiam alienandi, vbi adeſt iuramentum non alienandi inconſulto Prælato non ſpectante ad ſuam Prouinciam. n.516.*
71 *Legatus poteſt dare licentiam alienandi bona poſita in ſua Prouincia. n.516.*
72 *Non obſtante iuramento Prælatus alienat validè res modicas, & in caſu neceſſitatis non patientis moram. n.517.*
73 *Alienatio facta in caſu alias licito cōtra iuramentum ex vi periurij non eſt inualida. n.518.*
74 *Qui iurauit non alienare non poteſt locare. n.519.*
75 *Gratitudo eſt iuſta cauſa alienandi. n.520.*
76 *Sed merita debent eſſe magna & probata. nu.520.*
77 *Quæ conſideranda ſint circa vtilitatem Eccleſiæ, a num.521. vſque ad n.540.*

Quæ & qualis vtilitas præbeat iuſtam cauſam alienandi Eccleſiæ bona?

INSPECTIO QVARTA.

474 ALtera cauſa iuſta alienationis rerum Eccleſiæ eſt eiuſdam Eccleſiæ vtilitas, *l.iubemus, C.de Sacroſ.Eccleſ. §.ſi verò aliquis Auth.eod. authen.de non alien. §.hac igitur, authen. de alien. & emphyt. §. ſi verò aliquis, & §. ſi quis circa finem, authen. & §.ſanctiſſimi vero, cap.ſine exceptione 12. q.2. cap.nulli de reb.Eccleſ. non alien.cap.1.eod. tit.in 6. Clem 1. eod.tit.*

475 Plura autem circa hanc partem ſunt cōſideranda. Et quidem primo quid ſit & quæ illa vtilitas ob quam poſſunt alienari res Eccleſiæ? Nā dubium eſt an æqualitas pretij & valoris veniat nomine vtilitatis, ita vt ſufficiat quòd Eccleſia tantum recipiat, quantùm dimittit, vel ſit neceſſe vt eius conditio melior efficiatur. Nam ſufficere quòd in contractu Eccleſia non patiatur detrimētum, & tantùm recipiat quantum dimittit, voluerunt, *Panorm.conſ.41.num 3.lib.1.ex cap.ſi quis qualibet cum §.præced.12.q 2. & cap. ſi Epiſ.12.q.5.* per tradita ab *Innoc. & Io: Andr.in cap.cum in offic. de teſtament. Item Felin.conſ.42.nu.4.verſ.tertiò moueor. Azor.p.2. l.9. cap.2. q.8.* Verùm oppoſitum plures volunt, & cenſent nomine vtilitatis importari meliorem conditionē Eccleſiæ, & maiorem vtilitatē, & lucrum, ita vt vtilitas ſit, qua plus haberi præſupponitur, quàm priùs habebetur. *Rot.dec.430.n.5. par.2.recent. & dec.65.nu.4. & dec.22.par.2. diuerſ.*

& in Romana innaliditatis censur. 24. Maij 1591. dec. 43. num. 5 tom. 3. diuers. Barbos. ad cap. 1. de reb. Eccl. non alien. num. 7. & ad cap. si [illegible] *excep. num. 1. 12. q. 2. & de iur.* [illegible] *cap.* [illegible] *fine. Bessius tit. 8. num. 64* [illegible] *Menoch. de arbitr. in add.* [illegible] *ad casum 172. num. 43.* [illegible] *4214. & in p. p. praxis in principio num.* [illegible] Et [illegible] quod [illegible] locatio [illegible] sufficit [illegible] non sit damnificata, [illegible] est vt locu [illegible] vt [illegible] *d.* [illegible] *p. 2. d.* [illegible] *per textum in l. pup.* [illegible] *ff. de* [illegible] Et [illegible] valoris, [illegible] Ecclesiæ [illegible] Et [illegible] interim, [illegible] non [illegible] cum [illegible] pro [illegible] alie- [illegible] *C.* [illegible] *dec. 35. num.* [illegible] *Barb.* [illegible] *p. praxis in p.* [illegible] *tit.* [illegible] *nu. 6.* [illegible] Quia [illegible] pre- [illegible] tunc [illegible] & [illegible] *Dec.* [illegible] *Roman. rum. de* [illegible] *supra, vbi* [illegible] *Card.* [illegible] Ecclesiæ [illegible] alienatur [illegible] non [illegible] sed spe [illegible]

476 [illegible] magis vrgent [illegible] cit. [illegible] *Farin. autem* [illegible] *D.* [illegible] *post* [illegible] *in d.* [illegible] *cap.* [illegible] *qui* [illegible] *eod.* [illegible] habet [illegible] quantum [illegible] vt ab [illegible] Et [illegible] damnum [illegible] quantum [illegible]. Sed [illegible] possunt considerari [illegible] & adhuc ma- [illegible] vtilitas in alienatione attendi possit nedum [illegible] valorem pretij aut rei, [illegible] Ecclesiæ in compensationem, sed ex multis [illegible] contingere pu- [illegible] vt valde [illegible] conueniat etiam sub minori [illegible] pretij rem suam alienare. Nam [illegible] ager & in partibus in quibus est [illegible] magis [illegible] ob [illegible] Ecclesiæ ob [illegible] in alieno dominio, [illegible] Ecclesiæ & poterit [illegible] da[illegible] pro [illegible] propter quod minus valente intrinsece. Sed & potest esse tanta ac talis [illegible] vtilitas quam Ecclesia habet gratiæ [illegible] & tot [illegible] emolumenta quæ ex [illegible] sperat, vt [illegible] etiam minori pretio quam [illegible] valeat. Inde est, quod in hoc attendi debet [illegible] alienatione [illegible] tanquam ex medio proportionato ad aliquem finem consequendum [illegible] potest [illegible] sequitur [illegible] debet valor [illegible] valore extrinseco, qui ex extrin- [illegible] æstim [illegible] omne pretium, si [illegible] aliqua spi- ritual[illegible] quæ per alienationem expe- [illegible] tur, licet hæc [illegible] deduci non possit [illegible] quamuis [illegible] regula [illegible] Et [illegible] quod [illegible] condictio Ecclesiæ [illegible] contractu admi- [illegible] Ecclesia plus det, quam [illegible] & [illegible] pro excessu valoris donet. Nam [illegible] etiam donare. Sed si [illegible] tam [illegible]

secus, vera est secunda sententia, nec licet Ecclesiæ alienare res suas nisi aliquid lucretur, & sic fiat aliquo modo locupletior; quia scilicet, id quod dat [illegible] sibi sit [illegible] commodum, vel sit sibi necessarium, vel vtile ad aliquem finem sibi valde proficuũ [illegible] assequendum. Nam ad minus imprudentia magna esset, si Ecclesia sine spe alicuius vtilitatis, quod habet vellet extrahere, vt solum tantum reciperet, quantum daret. Vnde est, quòd nunc ad valorem contractus sufficit Sedi Apostolicæ exponere plenè [illegible] veritatem, & motiua, quæ suadent alienationem, & postea agere secundùm eiusdem Sedis [illegible] seruata omninò forma literarũ Apostolicarum. Quod si alienatio fiat sine assensu Apostolico nulla erit, non quidem ex capite inutilitatis, si Ecclesia non est damnificata, sed eo, quòd deerit assensus Apostolicus. Et vbi Paulina non vrgeat, quia legitimè contra illam præualeat consuetudo, non claudicabit alienatio in valore, si Ecclesia non est passa damnũ, sed ex defectu aliarum solemnitatum, si defuerint. Nam aliàs quòd alienatio facta cum solemnitatibus sustineatur, si Ecclesia non est læsa, habetur clarè ex citatis iuribus, & aduertit *Gloss. ad d. cap. si quis quælibet*. Vbi idem habet *Turrecrem.* Quod verò *cap. sine excep. 12. q. 1.* prohibeatur alienatio, nisi alienans ad meliora prospiciat, hoc non respicit iustitiam, & substantiam, & valorem contractus, & pretij excessum, quoniam ibi inter alienationes numeratur, & permittitur donatio, in qua nulla recompensa ex iustitia recipitur, vnde prospicere ad meliora non importat maius aliquod pretium, vel meliorem conditionem corporalem, sed motiuum quodlibet [illegible] etiam [illegible] ab extrinseco & per ordinem ad bonum spirituale, non quidem deducendum & expectandum ex pacto simoniaco, sed quod possit [illegible] finis ad quem consequendum vtilis esse possit alicuius boni corporalis alienatio, etiam si sit donatio. Ideò in eo textu non decernitur irrita alienatio si fiat, & non sit vtilior Ecclesiæ, sed si fiat sine conniuentia, & subscriptione Clericorum. Et alienatio facta sine aliquã maiori vtilitate, tanquam facta sine causa rationabili est imprudens, sed non est nulla, si aliàs non sit contra formam concessionis, aut consensus necessarij ad valorem alienationis.

477 Secundò circa hanc vtilitatem considератur, quod debet esse certa, & indubitata. Nam in *d. textu cap. sine exceptione* S. Leo Papa præcipit, ne fiat nisi id, *quod non sit dubium Ecclesiæ profuturũ*. Ideo vtilitatem hanc esse necessariam tradunt DD. omnes. Exprimit autem *Boss.* vt hæc vtilitas ita debeat esse manifesta, vt nulla possit tergiuersatione celari. Sed cum textus non requirat nisi vtilitatem indubitatam, quidquid detur, quod in contrarium possit ostendere, si non est tale, quod tollat certitudinem moralem, non afficit, sufficit enim quod vtilitas sit certa, & indubitata. Et cum modo non fiat alienatio rei Ecclesiæ nisi de assensu Apostolico, attendi debent verba concessionis. Si enim nec est in ea subreptio, vel obreptio, & tamẽ est absoluta tãquam data a Pontifice causa cognita, & examinata, alienatio fieri poterit talis qualis concessa fuit. Sed si concessio sit conditionata conditione *si in euidentem*, tunc debet probari cõdi[illegible], sed sufficit euidentia, & certitudo indubitata.

478 Tertiò, autem dubitatur, an in dubio vtilitas præsumatur, vel potiùs probanda sit? Datur verò distinctio: nam vel alienatio facta fuit sine solemnitatibus; & tunc vtilitas Ecclesiæ minimè præsumitur, & habenti interesse & alleganti vtilitatem incumbit onus eam probandi. *Bald. in l. quicumque, C. de seru. fug. Auendan. de exequend. Mand. p. 1. cap. 4. num. 31.* quos refert, & sequitur *Ricc. par. 1. praxis in princ. n. 5. Quaranta v. alien. n. 12. Rot. dec. 181. n. 3. & 4. p. 1. diuers. Ciarl. c. 105. n. 50. Menoch. Caualc. & Borell.* quos refert, & sequitur *Boss. d. tit. 18. n. 69.* Vel in alienatione seruatæ fuerunt iuris solemnitates, & tunc præsumitur Ecclesiæ vtilitas adfuisse. *Bald. in c. 1. col. 9. qui feud. dar. Panorm. cons. 31. num. 2. l. 1. Alex. cons. 79. Rota d. decis. 81. & decis. 479. numer. 1. p. 1. diuers. & dec. 370. apud Seraph. & alibi sepissimè,* prout refert *Ricc. par 1. praxis fol. 53.* Et idem dicitur vbi per Commissarios fuerit pronunciatum pro vtilitate, alienationis, *Rota decis. 479. par. 1. diuers. num. 1. & decis. 508. numer. 5. & 1125. numer. 5. apud Seraph. & dec. 201. num. 1. p. prima & dec. 684. num. 1. p. 2. Recen.* In dubio enim præsumitur pro executoribus *Panorm. cons. 41. Rota in Senegalien. soluta 13. Febr. 1580. apud Boss. vbi supra.*

479 Ex hoc verò colligitur, quòd vbi alienatio facta est seruatis solemnitatibus, si Ecclesia prætendat se fuisse læsam, illius est onus probandi læsionem, quia vtilitas præsumitur ex quo seruatæ in ea fuerunt iuris solemnitates. *Couar. l. 2. var. cap. 17. num. 2. Ricc. d. res. 13. num. 2. Barbosa ad c. ad nostram num. 4. de rebus Eccl. non alien. Rota d. 78. num. 3. p. 2. diuer. & decis 684. num. 2. p. 2. recent. & dec. 1125. numer. 5. apud Seraph. Boss. num. 71.* & alij plures quos ibi referunt. Tunc igitur per emptorem rei Ecclesiæ probanda erit vtilitas einsdem Ecclesiæ cum emptio facta fuerit sine solemnitatibus debitis. In quo sensu loquuti sunt *Ricc. p. 9. collec. 4214. & Rota dec. 607. num. 1. p. p. diuersorum.* Sed vbi interuenerint solemnitates, si Ecclesia prætenderit læsionem, id probandum erit per Ecclesiam. Et eadem ratione vbi alienatio fuerit confirmata per Papam, si Ecclesia prætendat causas confirmationis fuisse falsas, debebit hoc probare, vt post *Panorm. & Parisium dixit Couar. d. cap. 17. num. 1. Ricc. d. res. [illegible] nu. 4. Rota in Bonon. S. Appollinaris 24. Martij 1586. Coram Orano. Boss. d. tit. 18. num. 71.* Et si Ecclesia ad effectum petendi restitutionem in integrum læsionem probauerit, alienatio censenda erit nulla, cessante tunc causa validæ alienationis, quæ est vel necessitas, vel vtilitas, etiam si alienatio facta fuerit cum omni solemnitate, & etiam si fuerit confirmata a Commissario aliquo. *Quaranta v. alien. n. 12. Ricc. d. res. 13. nu. 3. Rota d. 181. n. 4. p. p. diuer.*

480 Quartò consideratur & quæritur, quomodo vtilitas sit probanda? Est autem in hac parte certum, quòd solis attestationibus partium minimè creditur. *R. decis. 181. num. 3. & 47[illegible] num. 1. & 716. num. 1. p. 1. diuers. Ricc. in p. p. praxis in princ. num. 4. & res. 3. nu. 1. Barbosa de iure Eccle. l. 3. c. 3[illegible]. num. 16. Boss. d. tit. 18. num. 73. & apud istos. Geruen. Borell Caualcanus, Corradus, & alij.* Vnde est, quod nec sola scriptura publica Notarij id asserentis sufficit ad hanc vtilitatem probandam. *Redoan. rub. de causa vtilitatis num. 130. Rota apud Cencium dec. 2[illegible]. num. 4. & 5. & dec. 28. num. 5. & dec. 36. num. [illegible] Riccius, & Boss. vbi supra,* & alij apud ipsos. Et amplius attendi debet, quòd ad probandam hanc vtilitatem duo consideranda sunt, scilicet valor proprietatis, & valor annui redditus, qui ex fundo percipitur, quia valor rei probatur non tam ex qualitate rei, quam fructuum modo. *[illegible] si fundus in princ. ff. de reb. eorum Bart. in l. si quos, & l. 2. Cod. de resciud. vendit. R[illegible] loco citato nu. 171. Amydenius de stylo Dataria cap. [illegible] §. 10. num. 16.* Horum verò æstima[illegible] de tempore in quo facta fuit alienatio. [illegible] *d. num. 146.* Sed cum hoc sit [illegible] *Bal. l. cons.* [illegible] *ideo Amy[illegible] ibid.* [illegible] aliquem numerum anno[illegible] intra qu[illegible] vna cu[m] fundi æstimatione [illegible] valorē.

481 [illegible] horum valor [illegible] aut locationibus [illegible] in Romana do[illegible] 23. Maij 1594. [illegible] Card. A[illegible] gonio cuius particulam [illegible] & ex qua duo co[illegible] ex locationibus & ar[illegible] per spatium 20. annorū non be[illegible] valo[illegible] catæ. E[t] secun[illegible] quod loca[illegible] valorem fructuum [illegible] quod [illegible] pensione [illegible] ra[illegible] parent[illegible] necesse [illegible] agere. [illegible] bus non p[illegible] verus va[illegible] etiam in ea *Rota citati Ca[illegible] Sarnen. in [illegible] de valore qu[illegible]* [illegible] Rauennat[illegible]

482 Valor igitur rei [illegible] fructuum, qui annuatim [illegible] æstimatione, vnde [illegible] tempore [illegible] ideo [illegible] probl[illegible] valorem [illegible] *num. 2. & 3. p. 1. recent.* Nihilominus [illegible] quod annui fructus multum [illegible] ad habendum verum rei valorem. *R[illegible] recent.* [illegible] & post numeratio[illegible] *p. 1. recent. Put.* [illegible] debet an [illegible] aliq[illegible] est ratio [illegible] tia[illegible]

483 [illegible] no tantum. [illegible] *Ricc.* [illegible] quod con[illegible] alien[illegible] *arb. ad* [illegible]

484 [illegible] *[illegible] Quaran-* ta

ta v.alienatio.num.12.Rota dec.508.nu.5.coram Seraph.et dec.178.num.2.p.2.diuerſ. Ricc.p.p.praxis in princ.num.4.et reſ.8.nu.2.Boſs.d.tit.18.nu.72.et 74. & hac læſione probata alienatio habenda eſt vt nulla.

485 Quintò circa decretum, & modum procedendi Commiſſariorum ad pro[illegible]nd[illegible]m vti[illegible]tatem nonnulla conſid[illegible]randa [illegible] um [illegible], quòd Commiſſarius ad vn[illegible]uem ſeruare [illegible] formam Commiſſionis & re[illegible]cripti [illegible]uia ea [illegible] ata nullius roboris eſt alienat[illegible] u[illegible] ſe[illegible] [illegible] mmiſſari[illegible] is non poſſit fines ma[illegible] *c p cum dilecta de reſc[illegible]s, et [illegible] ap.c m[illegible] c eo. qui mitt. in poſſeſs.* & qu[illegible]d fit [illegible] ommiſſioni[illegible] eſt ip[illegible] [illegible]m. *l. it[illegible] m[illegible] §. [illegible] ita ff. quid quis [illegible] niuerſ. [illegible]ua[illegible]anta v.[illegible] n. nu.1[illegible] Ricc.p.p. praxis reſol.102.Rota apud Seraph. dec[illegible]95.num.2. Boſs.d[illegible].18.num.83.* Qu[illegible]muis [illegible] mit[illegible] hoc, aſſerentes Co[illegible]m[illegible]ar[illegible]m po[illegible] quod [illegible] Ec[illegible] væ vi[illegible]us al[illegible]rare [illegible]orm[illegible] in manc[illegible] de con[illegible]nſu part[illegible]m. Vt ſi in C[illegible] r vt con[illegible]met ve[illegible]ditionem factam [illegible] o n[illegible] utis, poſſit [illegible]andem augere, vt fiat [illegible] duo [illegible]. *Rota d[illegible]num.9. [illegible]ram Serapl[illegible] Ri[illegible]p praxis reſ[illegible] num.2 [illegible]t apud eum .1[illegible]. et [illegible]. pe[illegible] ſi [illegible] m[illegible] ona [illegible].penul. ff.de acqui[illegible] hæred.* [illegible]d hoc neg[illegible]yrr[illegible]s C[illegible]adus de di[illegible]erſ. [illegible]c 4.[illegible]u.58 [illegible]oniai[illegible] [illegible]c mutati[illegible] fi[illegible]p[illegible] [illegible] [illegible]æ [illegible]li[illegible] [illegible]iato i[illegible] iaio[illegible] gratiæ p[illegible]ram o[illegible] ar exp[illegible]di[illegible] gratia ſub ex[illegible] ſ[illegible]u[illegible] n [illegible] p[illegible] [illegible]ò non intendit ſa[illegible] [illegible]æ u[illegible] offi[illegible]s, qui[illegible]a offi[illegible]ia emunt [illegible]t inde emo[illegible] a[illegible]piant ex [illegible] om [illegible] apposi[illegible]e. [illegible] addi[illegible] Pirrh[illegible] [illegible] a [illegible] a DD. A[illegible]creuiat[illegible]ribu[illegible] ma[illegible] [illegible] q[illegible]amuis nonn[illegible] iam c[illegible]rari[illegible] m[illegible] [illegible]rior.

4[illegible] A[illegible] at[illegible]ndi d[illegible]t, qu[illegible]d ſi in r[illegible]ip[illegible] po[illegible] c at[illegible] *[illegible]ocatis vocan[illegible]is*, tunc Com[illegible]m[illegible]ari[illegible] [illegible] [illegible]iciali[illegible] & citat[illegible] partem *cap.[illegible] de [illegible] vbi Panorm. n[illegible]m.6. Rota dec.[illegible]o [illegible] pt[illegible] nouis [illegible] dec.6[illegible]4.num.5.p.1.recent.[illegible] [illegible]en.29. Ianuar.159[illegible]. [illegible] Orano, quam refert[illegible] ſe[illegible]uitur Ricc.p.p praxis r[illegible] 4. fin. B[illegible]s.num.[illegible]8.* F[illegible]m di[illegible]itur [illegible]i in re[illegible]r[illegible] f[illegible]r[illegible] [illegible]lat[illegible] *[illegible] ſon[illegible]me con[illegible]terit* qua[illegible] [illegible]d[illegible] [illegible] R[illegible] *ſup.* [illegible]anc [illegible] c[illegible] [illegible]am imp[illegible]rtat[illegible] c[illegible] cog[illegible]ri[illegible]n m[illegible] pa[illegible]ti[illegible] [illegible]tionem tradunt. *Gloſs.in [illegible]em. præſ[illegible]. de [illegible]enſ[illegible]. et in [illegible]lem.multorum de pæn[illegible]. Pan[illegible]rm. [illegible]p.ſacro de ſent[illegible]m.nu.3.et cap. conquerent[illegible] num.[illegible] de r[illegible]. [illegible]p[illegible]. F[illegible] in cap.ſi conſtiterit num.[illegible]. de accuſ[illegible]t. Rota de[illegible]2.de[illegible], n antiquis R[illegible] ſupra [illegible]umer.[illegible]. B[illegible].num.[illegible]* [illegible]d proceſſus f[illegible]matus à C[illegible]m[illegible]ari[illegible] [illegible]ta E[illegible]a ſi[illegible] nul[illegible], *Rota de[illegible]. 1[illegible]7[illegible] [illegible]u[illegible] Seraphinum,et Aegid.dec.187.* Et ali[illegible] na[illegible] a I[illegible] a co[illegible]ellani cu[illegible] c[illegible] la[illegible] *[illegible] in eu[illegible]tem eſſe n[illegible]am* [illegible]iat non [illegible]ocato Ep[illegible]copo, vel eiu[illegible] Pron[illegible]o[illegible] maximè [illegible]i ad[illegible]it clauſ[illegible]a *voc[illegible] vocandi[illegible] d[illegible]xit Rota dec.6[illegible].num.[illegible] [illegible]5.p[illegible] 1.Rec. ut.*

[illegible] & [illegible] [illegible]bi [illegible]apa non der[illegible]gat Paulinæ [illegible]n [illegible] d[illegible] ex[illegible]minare [illegible]ſte[illegible] & pr[illegible] v[illegible] F[illegible] [illegible]c ſtandum eſt eius a[illegible] non p[illegible]ob[illegible]t niſi examinentur ci[illegible] [illegible] [illegible] dixe[illegible]unt *Rota apud Cre[illegible]ent. d[illegible]. apud Seraphinum et dec.[illegible].p.[illegible] uerſ. Ri[illegible].p.p. praxis re[illegible].104.et poſt reſol.[illegible]6.[illegible]a[illegible]. Boſ[illegible]. [illegible].num.[illegible]6.* Qu[illegible]d ampliatur vt verum ſit, etiam ſi Papa in Commiſſione d[illegible]cat, quòd poſſit procedi extraiudicialiter & ſummariè, nam nec per huiuſmodi clauſulam poſſe cenſeri ſublatam neceſſitatem citationis partis aduerterunt *Bellam.dec.68.et 672.Creſ.d.dec.12.de priuil[illegible].et in vna Conchen. bonor.12. Iunij 1591.coram Mantica, Boſs d.n.76.et ex d.dec.Creſcent.* Additur quòd quando proceditur extraiudicialiter, non eſt neceſſaria citatio ad ſingulos actus, ſed vna citatio ſufficit. Sed non eſſe neceſſariam citationem partis, quando proceditur extraiudicialiter voluerunt alij. In hoc enim ſenſu *Ricc.d.reſ.104.num.4.45.et dec.6.num.3. intelligit ſententiam Panorm. conſil.41.lib.1.Fel.conſ.19. num.13. Dec. conſil.99.* Rot. *dec.160.num.8.p.2 diuerſ.* & hanc opinionem hodie practicari. Et certè in his ſtandum eſt conſuetudini. Verùm vbi agitur de intereſſe alicuius iuſtum eſt vt eo non audito nihil decernatur.

488 Vbi tamen Papa in commiſſione deroget Paulinæ, & ſimpliciter committat alicui informationem, non eſſe neceſſariam citationem partis voluerunt Ro*ta d. deciſ.716.par.1. diuerſ.* vbi ait in his terminis fuiſſe loquutũ *Panor.conſ 41.et dec.160.n.7.et 8.part.2.diuer.Ricc. d reſ.104.* Et in hoc caſu ſtatur aſſertioni Commiſſarij donec contrarium probetur. Rot*a d. dec.716. nu.4. Quaranta v.alien.n.1[illegible].*

489 V[illegible]i [illegible]am, qui ſupplicat pro licentia alienat[illegible]nis eſt Eccleſiæ Rector, cum poſtea Commiſſarius procedit ad informationem vtilitatis Eccleſiæ non eſt neceſſe eundem Rectorem citare, vt ex *Pariſ. conſ.111. num.10. vol 4.Rota in cauſa Caſalis 6.Maij 1580.Coram Oradino, Romana domorum 20. Maij 1580. coram Lancelloto, Cortonen. reſciſſionis con[illegible]a Ius 26. Ian.1[illegible]90. coram Orano. tradunt Ricc. in praxi dec.6. num.4. Boſs. d.tit.18. num.79.* Quòd p[illegible]oce[illegible]it etia[illegible] ſi in Commiſſione ſit clauſula *vocat[illegible] [illegible]ocandi*, quia hoc eſt intelligendum de alijs à R[illegible]re ſupplicante, vt ex *d. dec. coram Lancelloto et Orano* ha[illegible]etur, & tradunt ijdem *Ricc. et Boſs. d. num. 9.* v[illegible] quòd nec ſit citandus Patronus ſi beneficium ſit de iure patronatus, quòd procedit in ſent[illegible]tia eorum, qui dicunt in alienatione non requ[illegible] consenſum patroni. Foret verò citandus, qui ex aliqua cauſa haberet regreſſum ad beneficium, cuius bona alienantur, quia in hac alienat[illegible] poſſ[illegible]t habere intereſſe.

[illegible]o Alias verò in alienatione rei Eccleſiæ, vbi [illegible]or [illegible] ſe non ſupplicauit, idem eſt citandus, ſed ſuffi[illegible]it ſi citetur, licet non comparuerit & fuerit indefenſus, vt ex citatis Rotis *aduertit Boſs. nu.179.* & ſufficit, quòd ſi non fuerit citatus ſit præſens, etiam ſi citatio pro forma requireretur. *Rota in An[illegible]con bonor.2.Martij 1584. coram Bubalo, et in Auximana bonor.3.Maij 1585.coram Rubeo, Ricc.d.reſ.8[illegible].nu.2.Boſs.d.num.79.*

491 Ampliùs verò aduertendum, quòd licet ex decreto Commiſſarij præſumatur vtilitas Eccleſiæ. Quia tamen eo non obſtante admittitur probatio in contrarium, & volens probare contrarium oneratur grauiori probatione, & ita vt requiratur probatio valde clara, & per teſtes valde graues. *Rota dec.[illegible]1.par.2.diuerſ.Ricc.p.p.praxis reſol.8.nu.2.Boſs.num.81.* Nihilominùs contra commiſſarij decretum vrg[illegible]e poſſunt, primò ſi appareat non fuiſſe ſeruatam congruitatem formæ, vel ſi dubitetur an præ[illegible]ceſſe[illegible] it cauſæ cognitio[illegible] vel ſi appareret decretum

tiue

fuisse præcipitanter interpositum, quæ præcipitatio videretur adesse, si statim post receptam commissionem decretum fuisset interpositum; debet enim Commissarius non procedere perfunctoriè, sed diligentissimè inquirere, vt Ecclesiæ necessitatem, vel vtilitatem cognoscat, & de ista diligenti inquisitione, & causæ cognitione debet constare expressè & clarè ex actis, & non per solam Commissarij attestationem. Et de ijs videri possunt. *Quaranta v. alienatio num. 12. Ricc. d. resol. 8. Boss. num. 81*, & alij ab ipsis relati.

492 Adeo autem debet constare de decreto Confirmatoris subsecuto, vt si de ipso non constiterit, esto constet de petitione, & commissione, nihilominùs nec ex cursu temporis præsumi possit adfuisse. Quia immò tunc præsumptio esset in contrarium, quòd scilicet Commissarius noluisset alienationis contractum confirmare. *Quaranta v. alien. num. 46. Ricc. p. p. praxis resol. 4. Boss. d. tit. 18. num. 82.* Quamuis vbi cum temporis diuturnitate concurreret iustitia contractus, Ecclesiæ vtilitas, continuatio possessionis, cum canonis solutione, scientia & patientia cuiuslibet Rectoris successoris, aliter respondendum fore dixerint ijdem *Quaranta, Ricc. & Boss.*

493 Esto autem constare debeat de sententia, non tamen necesse est illam iustificare ex actis. *Rota dec. 479. p. 1. diuers. Ricc.* (quem sequitur *B* [illegible] *d. numer 82.*) *p. p. praxis resol. 29. num. 1. plures alias decisiones Rotæ referens, & subdens num.* [illegible] id esse verum etiam si acta fuerint amissa, vel integra non repeSantur, vt per *Cornel. cons. 110. ad fin. vol. 4. Alex. cons. 359. num. 7. d. 2. & per Rotam in Romana deuolutionis domus 26. Martij 1590. coram Pamphilio. & Roman. Casalis Turricellæ 29. Aprilis 1594. coram Seraphino*. Et ratio est, quia Commissarius potuit extraiudicialiter informari, per supra tradita ex *Crescent. decis. 12.* Verum hæc ratio particularis nec valet vbi ex vi commissionis informari debuit esse iudicialis. Vnde si aliàs sententia iudicialiter data debet ex actis verificari, etiam decretum confirmatis contractum alienationis rei [illegible] dum non potuit fieri nisi iudicialiter, [illegible] verificandum. Quod etiam ex *Rota dec.* [illegible] *par. 1. diuers. & in Auximana bonorum 13. Maij 1585. coram Rubeo & 15. Nouembr. 1585. coram* [illegible] *sterio, & in Maceraten. locationis 15. Fe*[illegible] *coram Lancelloto* adducit ibid. *Ricc. num.* [illegible] *Boss. d. num. 82.* scilicet, quod [illegible] iudicari nulla, licet lata fuerit ea [illegible] gratia præsentata fuit, cum eadem di[illegible] dex se informare de vtilitate Ecclesiæ [illegible] esse vniuersaliter verum, quoniam [illegible] non in paucis horis ordiuntur, & per [illegible] est firmum, quin vt dicebatur ex hoc non [illegible] oriri præsumptio aliqua præcipitantiæ [illegible] adiunctis circumstantijs ad reddendam dubiam validitatem sententiæ.

494 Horum etiam Commissariorum magna est auctoritas, cum possint cognoscere super validitate, & subreptione assensus Apostolici. *Panormit. in c. super literis de rescript. Ricc. p. p. praxis res. 193. num. 4. per textum in Clem. 1. de rescript. & cap. ceterum eod. tit. & cap. de cætero de senten.* & re iudicata, vbi scribentes communiter. Et ex consequenti, quòd possint in expensis eòdemnari tam impetrantem, quàm abutentem gratia ista subreptitiæ impetrata ex *Clem. 1. de res* [illegible] *ript. Ale*[illegible] *&* [illegible] *tradunt Ricc. ibid. num. 5. & 6 & Boss. num. 86.*

495 Non enim sunt meri executores, sed mixti, ideoque sunt iudices [illegible] quod colligitur ex particulis *vocatis vocandis, si ita est, vel si ita tibi constiterit*, quæ important partes esse citandas, & causæ cognitionem & iuris ordinem, & ita vt etiam si mandet Papa, quod e[illegible] r se informet, adhuc voc[illegible] ios esse [illegible] os iudices [illegible] gatos d[illegible] *coram Crescen. dec. 12. de* [illegible] *deleg.* [illegible] nat[illegible] r, & eadem *Rota d.* [illegible] *in noui* [illegible] *do Papa dec. 70. Bellam.* [illegible] *praxi resol 1*[illegible] *num. 6.* [illegible] *Bo*[illegible] *d. tit.* [illegible] *num.* [illegible] Et ideo debet [illegible] Q[illegible] ro *Ricc. re*[illegible] probet quod [illegible] iudices in hac parte, quia Ca[illegible] late [illegible] *Py*[illegible] *Cor*[illegible] *us.* [illegible] Cam[illegible] ariæ Ap[illegible] [illegible] signat[illegible].

496 [illegible] Commissarij [illegible] res mixti [illegible] gratia seu commissio [illegible] ata Pap[illegible] potest [illegible] cum [illegible] quod gratia [illegible] patrono [illegible] *gati in 6* [illegible] de gra[illegible] qua sit datu[illegible] vbi gratia non est [illegible] mationibus sumendis per Commis[illegible] Papa, cessat, & ideo re integra [illegible] valet commissio, *si in euidentem* [illegible] *cis 743. num. 3. p.* [illegible] *Recent. R*[illegible] *per textum in cap.* [illegible] *in 6.* [illegible] commissariis officium [illegible] re adhuc integra. *Bellam. dec.* [illegible] *supra, Barbosa ad d*[illegible] *c. si cui num. 6. de* [illegible] *in 6 Bos. vbi supra num. 8.*

497 E[illegible] ominus, licet i[illegible] iu[illegible] Papa delega[illegible] commissionem sub[illegible] apa. *Ricc.* [illegible] *p. 5. num. 33 B*[illegible] *num. 9. ex* [illegible]

498 [illegible] etiam iudices p[illegible] per signaturam iustitiæ, h[illegible] *R*[illegible] *dij 13. Nouemb. 1585* [illegible] *dec* [illegible] *num.* [illegible] *ra*[illegible].

499 Circa [illegible] tas Apostolicas [illegible] conuenetur gratia *si in euid*[illegible] *ntem* [illegible] est, quod sol[illegible] tur subre[illegible] veritas expressa non est [illegible] enim in [illegible] Papa sol[illegible] veritatem [illegible] ex alterius tacit[illegible] vitiantur literæ. *Rota in* [illegible] *lis 1581, coram Seraphino, & in Auximana b*[illegible] *coram eodem. 8. Februa*[illegible] *& in aliis Rotæ decisionib.* quas [illegible] *Ricc. p. p.* [illegible] *sol. 4. num. 5.* [illegible] *num. 6.* [illegible]

bito pretio sit facta, intelligitur de pretio communi, vel de euidenti vtilitate.

500 Vlteriùs considerari debet, de quo tempore attendi debeat vtilitas Ecclesiæ in contractu alienationis. Circa quód duo distingui debent, scilicet valor, & id vnde valor iudicari debeat, nam valor accipi debet de tempore contractus, nam ad iustam alienationem requiritur, quód res quæ alienatur tunc tantum valeat, pro quanto datur, aliter non esset in contractu iustitia si pro minori, vel maiori pretio alienaretur, quám valeat. Et in hoc sensu vera est sententia. *Redoan. quæst 20. num.137. Rota dec.18.nu.4.& 65.nu.15.p.2. diuers.& dec.101. coram Mantica, & dec.366.num.1. coram Seraphino & 627. & dec.1073. num.4. coram eodem. Ricc. p.p. praxis resol.1.num.1.& resol.5.nu.1. Barbosa ad cap.7. num.3. de rebus Ecclesiæ non alienand. Quaranta v. alien.num.12. Grat.discep.45.nu.8. & 9. Bass.d.tit.18. num.101.* volentium, quòd vtilitas vel læsio Ecclesiæ attendi debeat de tempore contractus. Nam verè attendi debet ad valorem, quem pro illo tempore habet res, quæ alienatur.

501 Verùm quantitas valoris rei non debet mensurari ex sola qualitate quam habet res tempore contractus, sed & præteritum & futurum tempus debet inspici, si ex eo præsens valor potest vel augeri, vel minui. *Rota dec.65.nu.13.15.& 20. par.2. diuers.& dec.1073.nu 4. apud Seraph. post Afflictum dec.316.num.9. Quaranta d.num.12. Bass.d num.101.* Sic non sustinetur alienatio rei Ecclesiæ facta pro valore æstimato pro tempore pestis aut belli, vel alterius accidentalis incommoditatis, ex quo res non fructificat, si res non est in sui substantia aut qualitate deteriorata, vt tradunt DD. citati, quibus consentit *Ricc. d. resol.1.et Rota decis.101. apud Manticam*. Sed si res sit in sui substantia, aut substantiali qualitate deteriorata, vt quia terra facta est inculta, aut sterilis, & infructuosa, aut fundus factus est syluosus, vel ab eo arbores succisæ sunt; tunc non debet attendi qualitas præterita, nimirú præterita fertilis & vbertas, quæ præterijt, & non est, sed bene attendi potest futurum, vt si res de facili possit ad pristinam fertilitatem, aut commoditatem reduci, & sic debet alienatio fieri attento principaliter tempore contractus. *Quaranta d.numer.12. Grat.discep.45.num.10. Rota d.dec.65.nu.22. Bass.num.102.*

502 Vbi verò in contractu ad eius valorem & perfectionem requiritur scriptura, sicut in emphyteusi, non tempus initi contractus, sed scripturæ attendi debet, *Rota dec.627.num.3. coram Seraphino*, vbi, quód debet attendi momentum in quo actus perficitur. *Ricc.d.ref.1.num.4.* Sicut vbi est interponendum decretum datum per Commissarium attendi debet tempus talis decreti. *Donatus p.2. trac.14.quæst.9.num.16.* Econtra verò, si rescriptum Papæ emanet ex certa scientia, cum expressione omnium in instrumento alienationis contentorum attendi tunc debet tempus initi contractus, vt ex *Pyrrho Corrado de dispens.l.9.c.5.nu.50. et Gennen. cap.87.num.3. habet Bosi. num.103.* In contractu autem emphyteusis, cum res solita locari reconceditur, attendi debere tempus reconcessionis dictum fuit supra, & habet *Rota dec.607. num 1. p.1. diuers. et 252 num.16.p.7. recent. Grat. discept.389. num.22. et 813. num 37. et 41. Barb. de iure Eccl. l.3. cap.30. num.17. et de pot. Epis.all. 95. num.34.* Nam illa reconcessio nouus est contractus, qui pro tanto pretio debet iniri, quantum tunc valet res, vt habetur ex Paulina ibi, (& tunc scilicet, cum res traditur in emphyteusim) *in Ecclesiarum vtilitatem.*

503 An verò sufficiat ad valorem alienationis rei Ecclesiæ, vtilitas cœpta tempore contractus, negant aliqui, sentientes requiri Ecclesiam fieri pro tempore futuro locupletiorem. *Quaranta v. alien. num.3. Rota dec.65. num.4. p.2. diuers. Donatus p.2. tr.14. quæst.9. num.7.* Sed dicitur, quòd sufficit, quòd vtilitas fuerit cœpta, seu adfuerit tempore contractus, nec attendi debere, quid ex inopinato casu euenire possit, nam aliàs etiá inspici debeat tempus futurum ad habendum valorem rei, nam cósiderari debet, quid solet euenire, aut potest præsumi, quód eueniet, sed inopinati casus, qui non possunt præuideri, non sunt necessarió considerandi, & sufficit, quód vtilitas Ecclesiæ considerato etiam futuro quantum necesse est, adsit tempore contractus. *Ricc. p.1. praxis ref.14. Rota dec.366. nu.2. coram Seraphino, et in Placentina bonorum 7. May 1591. coram Pamphilio et in Romana Casalis 7. Iuny 1591. coram Gipsio Bass.d.tit.18. num.105.* Cum enim alienatio, dum fit, est vtilis, hoc sufficit, & quód postea deterior fiat hoc non tollit valorem prioris alienationis. Nam nec iure cautum est vt contrahentes cum Ecclesia assecurent vtilitatem eius, sed sufficit eos contrahere iusto pretio. *Syluest. v. alien. numer.24.*

504 Hinc colligitur, emptorem rei Ecclesiæ non teneri probare conuersionem pretij rei Ecclesiæ emptæ fuisse conuersum in vtilitatem Ecclesiæ, quód præcipuè verum est vbi auctoritate Commissariorum depositatum est pretium etiam apud emptorem ipsum; quia ex quo venditio de tempore contractus fuit valida, non inualidatur ex quo pretium eius fuerit inutiliter consumptum, nec emptor tenetur subire hoc onus, vt probet id in vtilitatem Ecclesiæ fuisse conuersum. *Dec. cans.36. nu.8. & 330. num.3. Rota in causa Ancomtana terrar. 13. Iuny 1578. coram Seraphino, & in Romana deuolutionis domus 17. Nou. 1581. coram Rubeo, seu dec.162. l.2. diuer. & in pluribus alijs decisionibus* quas refert, & sequitur *Ricc. p.1. praxis. ref.2. num.1.* vbi tamen ex eisdem, aut alijs DD. limitat dicta, vt in alienatione facta causa necessitatis, vel in deposito, vel in mutuo, vel in venditione facta pro soluendis debitis, pertineat ad emptorem onus probandi, quod pretium sit conuersum in Ecclesiæ vtilitatem. Ideo si Papa concedat facultatem vendendi, dummodo pretium subrogetur in aliud prædium, emens non tenetur attendere an pretium ita fuerit subrogatum, sed hoc onus incumbit venditori, cui licentia suffragatur. *Grat. discep.45. nu.25. & 20.* Vbi, quòd hoc fallit in censu, quando ex instrumento constat, quód ad extinguentem censum spectat probare subrogationem. *Ricc. p.p. praxis ref.26.* Et eó magis, quód clausula *dummodò &c.* non importat conditionem sed modum. *Rota dec.349. num.1. coram Seraphino Surdus dec.157. nu.5.* Quando autem consensus sub modo est præstitus, tunc consentiens videtur fidem eius sequi, cui modum adiecit, & ideo si non impleatur non agitur contra tertium, sed contra implere debentem. *Boss. d. tit.18. num.107.*

505 Qualiter etiam fieri debeat alienatio, an scilicet sit necessaria subhastatio dum res Ecclesiæ alienatur considerando, distinguitur, quia vel alienatio est voluntaria, vel necessaria. In alienatione voluntaria non est necessaria subhastatio de iure communi. In hac enim alienatione non est necesse de iure Canonico seruare solemnitates *Auth. hoc ius porrectum C.de Sacros.Eccles.* cum hodie ex praxi Ecclesiæ seruentur tantùm solemnitates inductæ à iure Canonico, & subhastationes in voluntarijs alienationibus Ecclesiæ non adhibeantur. *Grat. tom.3. discept.470. num.14. & apud eum Felin. in cap. cum causa num.16. de re iudicata Rota dec.1. num.1. de consuetud. in antiquis, Ciarlin. cap.183. numer.143. Donatus d. tract.14. quæst.20. & plures alij. Boss. tit.18. 126.*

506 Sed si alienatio fieri debeat ex decreto iudicis, esse necessariã subhastationem dixit *Quarunta v.alien.num.36.* sed *Grat.d. discept.479. nu.12.14. 22.& 23.* putat neque in hoc casu subhastationem esse necessariam, quia dum iudex adhibet causæ cognitionem particularem super qualitate, & valore bonorum, & quantitate pretij, permittendo alienationem, facit id, quod faceret subhastatio. Et dum dicitur, quòd subhastatio necessaria est ad probandam diligentiam, dum iudex causam cognoscit, & valorem rei, & quantitatem pretij discutit, satis est probata diligentia. Verùm non potest negari, quin vbi adest necessitas alienandi, & sine dilatione, non sit valde vtilis subhastatio, aliter ementes, vel conducentes scientes alienationem non posse vitari, longè pro minori pretio rem reciperent si concurrentia emptorum, aut conductorum non moueret ad augendum pretium. Aduertit tamen *Gratianus ibid. num.4.* quòd vbi non est præco sufficeret si Schedulæ ponerentur in locis publicis, quia hæ æquipollent præconi, per *Io: Plat. in l.iura omnia C.de locat.præd.fiscal.l.10.*

507 Sed vbi res Ecclesiæ subhastatur, pro quo est deliberanda? Nunquid pro eo, qui offert maius pretium, si illud sit plus iusto, & offerens ex æmulatione id faciat? Respondetur, non conuenire, quòd Ecclesia res suas alienet plùs quàm valent. Ecclesia enim cultrix est iustitiæ, non autrix iniustitiæ, *cap. consultationibus, de donationibus*, & licet illud dicatur iustum pretium, quòd per subhastationem discernitur. *Auth. hoc ius porrectum, C. de Sacros. Eccl.* hoc fallit, quando offerentes æmulatione ducuntur, vt offerant plusquàm res valeat. Nec Ecclesiæ conuenit, vt dum contrahentes, id permittente lege Ciuili se se inuicem decipiunt. *l. Imperatores, ff.de contrah.empt.l.in causæ §.fin.ff.de minor.* rem suam alienet plus iusto pretio. *Caroccius dec.89.* quem sequitur *Quarantu d.nu.12. Borelius in summa decis.tit.15.num.56. Ricc p.p.praxis ref.57.& apud eum Felin. cap. præsentium de testibus*, & alij plures. *Boss.tit.18.num.131. Donatus p.2. tract.14. quæst.20. num.2.* Immò qui offert plus iusto pretio non vt emat, sed vt alios inducat ad plus emendum, puniendus est pœna stellionatus, quæ est arbitraria *l.3.§.si quis imposturam. ff. de crim.stellion. Ricc.ibid.num.7.* qui addit praxim esse, vt res Ecclesiæ liberentur pro eo, qui plus offert subhastationis tempore, secus verò si post rei Ecclesiæ alienationem seruata forma ex iusta causa emanatam, alius plus offerat, vt etiam dixit *Berous cons.88.n.41.vol.1.*

508 Vlteriùs quæri potest, an vbi res est concessa Ecclesiæ cum pacto, & conditione vt non alienetur, possit nihilominùs ex causa euidentis vtilitatis alienari? Hoc quidem in eo certum est, quòd vbi Paulina viget, & non alienantur res sine beneplacito Apostolico, si Pontifici narratur talis rei conditio, & ipse dat assensum alienationi, quòd alienatio valet, nec Ecclesia per hoc subditur alicui caducitati, aut pœnę contra alienãtem impositæ. Et in hoc casu praxim esse, vt à Confirmatore alienationis non detur decretum (si de venditione tractetur) nisi postquam pretium ex hac venditione habitum implicatum fuerit in emptionem alterius fundi vtilioris Ecclesiæ, qui fundus in omnibus, & per omnia subrogatur rei venditæ, & subiacet eidem alienationis prohibitioni, refert *Pyrrhus Corradus l.9. de dispensat. cap.7. num.10.* Quòd si a donante rem Ecclesiæ sub conditione eam non alienandi imposita fuerit caducitas, & deuolutio vel ad hæredes, vel ad alium additur in decreto, & exprimitur, quòd bona empta ab Ecclesia & subrogata subiaceant eidem caducitati, & deuolutioni. Vnde est, quòd vbi res est prohibita alienari, non sufficit petere licentiam alienationis à Pontifice non expressa illa conditione, quæ & de stylo exprimitur, & de stylo licentia & decretum alienationis cum magna differentia exprimitur.

509 Sed absolutè loquendo, in vi iuris antiqui, & vbi Paulina non ligat, nisi vtilitas sit talis ac tanta, vt censenda sit necessitas quædam moralis, dicendum est, rem talem non posse validè alienari per Ecclesiam. Et sic oppositæ opiniones conciliantur. Nam primò si loquamur de illa simplici vtilitate quæ communiter, & regulariter sufficit ad iustificandam alienationem bonorum Ecclesiæ, dicitur veram esse in præsenti quęstione opinionem negantem posse ex tali vtilitate sine Pontificis dispositione commutante voluntatem testatoris, aut donatoris, alienari rem, quæ Ecclesiæ fuit donata sub conditione, vt non posset alienari. Quia donans potest donare sub conditione, & cum Ecclesia nihil possit alienare nisi ex causa necessitatis aut vtilitatis conditio illa nequit intelligi de alienatione facta sine causa iusta, quia in hoc sensu esset superflua illa conditio, cum & illa non apposita Ecclesia rem sibi donatam alienare non possit sine causa iusta. Sensus igitur donantis sub conditione non alienandi est, vt res donata etiam existente causa iusta, & in casibus alias à iure permissis. Nec obstat, quòd dicitur ex aduerso, quòd in hoc sensu conditio esset turpis, & ideo habenda tanquam nõ adiecta, quia impediret vtilitatem Ecclesiæ. Quia qui donat Ecclesiæ non impedit eius vtilitatem, sed illam promouet. Quod verò velit Ecclesiam esse contentam illa vtilitate, quàm ille donando tribuit, & nolit eam in aliam commutari non est conditio turpis, sed quæ ex multis causis honestè potest desiderari & potest in donatione apponi licitè, & validè. Vnde & Cancellaria Apostolica non dat licentiam alienandi huiusmodi donata, nisi subrogando alia bona, quæ subsint eidem oneri, & obligationi, & tamen Cancellaria Apostolica non dat licentiam alienandi nisi ex causa iusta. Additur, quòd ex vi illius conditionis non impeditur absolutè alienatio, si adsit vtilitas talis, quæ potuit et mouere animũ donantis ad permittẽ-

dam

dam alienationem, sed donans ex vi talis conditionis voluit, quòd hoc indicium spectaret ad supremum Principem. Ideo esto ex vi Paulinæ non sit alicubi prohibita alienatio facta sine assēsu Apostolico, manet prohibita alienatio rei donatæ Ecclesiæ cum conditione, vt non possit alienari, & talis alienatio summo Pontifice inconsulto nequit fieri. Et ita hanc partem sequuti sunt. *Afflict. decis. 17. num. 15. Tiraquell. de retract. conuent. ad finem tituli num. 15. M. Antonius l. 1. resol. 15. n. 10. Pyrrhus Corradus de dispensat. l. 9. cap. 7. num. 2. & 3. Borellus sum. decis. p. 1. tit. 15. num. 59.*

510 Sed si talis ac tanta sit vtilitas alienationis, vt moraliter loquendo censeri possit necessitas, admitti potest alia sententia, quæ ex benigna interpretatione voluntatis donantis censet, quòd vbi vtilitas alienationis sit euidens, ex tali vtilitate possit alienari res Ecclesiæ relicta sub conditione, proqua sentētia referuntur *Aretinus cons. 15. Claud. in l. filiusfamilias §. Diui coll. 3. ff. de legat. 1. Bald. in auth. res quæ, num. 23. commun. de leg. & in authent. hoc ius porrectum* quam refert, & sequitur *Redoan. rubric. de causis ob quas possunt fieri alien. seu quæst. 19. a num. 109.* vbi plures causas necessitatis refert ob quas etiam bona restitutioni obnoxia alienari possunt. *Molina de primog. l. 4. cap 4. num. 1. Mantica de tacitis, & ambig. contr. l. 25. num. 4. Barbosa de appellat. v. alienatio & de iure Ecclef. l. 3. c. 30. num. 14. & 15.* Qui doctores non loquuntur in casu vtilitatis, sed necessitatis, vt aduertit etiam *Boss. infra citandus. Azor. p. 2. l. 9. c. 2. quæst. 9. Sopranus in append. ad Filliuc. trac. 44. cap. 4. num. 30. Boss. tit. 18. nu. 233.* Verisimile enim est, quòd is, qui sine necessitate sua dat Ecclesiæ ob eius vtilitatem & commodum & bonum, multò libentius adduxaret illam in casu necessitatis, & propterea, quòd per illam conditionē non alienandi non voluerit adimere Ecclesiæ facultatem alienandi tunc, cum aliqua necessitas vrgeret Ecclesiam ad alienandum. In quo casu si tamen res aliqua sit relicta Ecclesiæ ad aliquem finem determinatum sub conditione, vt non alienetur, cessante illo fine poterit seruatis solemnitatibus alienari. *Donatus par. 2. tr. 14. quæst. 82.* Et si de venditione ageretur, pretium esset conuertendum in alia bona veriora subroganda in loco venditorum, qui subiacerent eidem prohibitioni. *Ita Boss. d. num. 233.*

511 Donatum etiam Ecclesiæ ad certum vsum; vt puta ad hospitalitatem non posse sine assensu Pontificis conuerti in alium vsum, dictum est supra, & dixerunt *Baldus in l. Orphanotrophos C. de Epis. & Cler. Mastrillus dec. 71. Riccius in Collec. decisa 164. Borellus tit. 15. num. 48. Redoan. quæst. 19. num. 109. & 110.* Aliàs verò si bona prohibita alienari, aut ad alium vsum conuerti alienentur, vel in alium vsum conuertantur in casibus non permissis, Ecclesia subditur caducitati, vel deuolutioni, si hæc alienanti fuit imposita. *Azor. vbi supra. supran. nu. 31. Boss. num. 234.*

512 Amplius difficultas est, an qui iurauit se non alienaturum res Ecclesiæ, possit eas alienare ex causa euidentis vtilitatis. Est verò considerandum, quòd sub duplici forma potest fieri hoc iuramentum. Vel scilicet, vt quis absolutè iuret se non alienaturum res Ecclesiæ; vel vt iuret se eas non alienaturum inconsulto Romano Pontifice. In hac enim secunda forma præstatur ab Episcopis, & alijs Prælatis, qui a Pontifice promouentur, vel de eius mandato consecrantur; isti enim iurant se bona immobilia suæ Ecclesiæ ad eorum mensam, vel ad monasterium non alienaturos etiam de consensu Capituli, aut Conuentus, & monasterij inconsulto Romano Pontifice, vt constat ex consuetudine & stylo Curiæ Romanæ, & ex Pontificali *fol. 81. & 110. Panorm. cap. vt super nu. 8. & 15. de reb. Eccl. non alien. Redoan. quæst. 55. initio. Quaranta v. alien. num. 6. Cresc. 2. de iureiur.* Et quāmuis hoc iuramentum non sit facilis probationis, cum de eo scriptura non conficiatur, nec Notarius rogetur, sed solo verbo fiat in manibus Officialium, vel Decani Cardinalium (vt *Crescent. d. decis. 2. & Borelius in summa decis. tit. 15. num. 50.*) tamen in dubio præsumitur præstitum, vt post alios aduertunt. *Crescent. & Borell. citati.* Factum enim præsumitur, quòd fieri solitum est. *Menoch. l. 2. præser. 81. num. 4. & 6. Boss. tom. 3. tit. 18. num. 136.*

513 Si ergo iuramentum præstetur de non alienando absolutè, hoc iuramentum ad solas alienationes in iure non permissas, se extendit, quia iuramentum, vt supra etiam dictum est, si in materia iuris interponitur restringitur ad ipsos terminos iuris. *Panorm. in cap. vt super. de reb. Eccl. non alien. & cap. fin. de Eccles. ædific. Sylu. v. alienatio. numer. 16. Tabien. num. 10. Boss. d. tit. 18. num. 137.*

514 Sed si præstetur iuramentum de non alienando inconsulto Pontifice, quidquid dixerint in contrarium aliqui, quos sequitur *Palaus t. 2. tr. 11. p. 15. num. 4.* dicendum est tale iuramentum extendi etiam ad casus in iure permissos, ideoque Prælatum bona immobilia ad suam mensam vel Conuentum, aut monasterium spectantia non posse sine periurio alienare inconsulto Romano Pontifice, prout docent. *Panorm. d. cap. vt super. Io. Andr. in cap. final. de Eccles. ædificand. Syluest. v. alienatio n. 16. Tabien. Redoan. citatus quæst. 55. numer. 83. & apud quæst. 6. seu rubrica de alienatione non obstante iuramento. S. videatur etiam. a. numer 7. pag. 308.* Vbi plura ad intentum cumulat. *Ricc. p. p. praxis, resol. 11. Molina tract. 2. disp. 468. num. 8. Azor. d. quæst. 9. Boss. d. tit. 18 num. 135.* Et hanc esse communem sententiam dixit *Cresc. d. dec. 2.* Ratio ab aliquib. adducitur, quia aliàs iuramentum esset superfluum, quoniam extra in casibus a iure non permissis, etiam sine iuramento non potest Prælatus bona Ecclesiæ alienare. Quæ ratio non multum vrget. Tum quia iuramentum potest adhiberi ad maiorem firmitatem non alienationis, sicut quando quis absolutè iurat se non alienaturum res Ecclesiæ, quòd iuramentum ad solas illicitas alienationes se extendit, & tamen non est superfluum. Tum quia de iure Communi ante Paulinam non erat necessarius assensus summi Pontificis ad alienandum in casibus à iure permissis, vnde iuramentum addens obligationem assensus Apostolici non erat superfluum. Sed optima ratio ad eam sententiam probandam, est, quia in tali iuramento Pontifex reseruat sibi consilium, per quòd deliberetur an sit bonum vel malum alienare; iurant enim Prælati se non alienaturos bona Ecclesiæ immobilia inconsulto summo Pontifice, vbi autem ex lege ad actum est necessarium consilium, illicitum est agere sine consilio. *cap. cum in veteri de elect. cap. cum olim de arbitr.*

cap. nouit de his, quæ fiunt à Prælat. Bart. l. 2. §. si plures ff. de exercit. Redoan. *vbi supra num. 8.*

515 Hoc verò procedit etiam in iuramento facto de non alienando sine beneplacito, aut licentia, aut inconsulto quocumque alio superiore, quia per huiusmodi iuramentum consilium & deliberatio superiori reseruatur. *Sylu. v. alienatio. numer. 16. Redoan. ibid. ex Io. Andr. & Host. in cap. p. de his, quæ fiunt à Prælat.* Quia stante illo iuramento licentia, siue consilium superioris præcedere debet, *cap. licet, de regul. iuris.*

516 Et hoc ampliatur vt nec sufficiat licentia legati de latere, vbi præstitum est iuramentum de non alienando inconsulto summo Pontifice. Quia legatus non potest disponere de his, quæ Papa sibi specialiter reseruauit. *c. quod translationem de off. legat.* Poterit tamen legatus in sua Prouincia huiusmodi licentiam dare, si iuramentum præstitum sit de non alienando incósulto aliquo Prælato ad eam Prouinciam spectante. Quia ipse concurrit cum quolibet Prælato Prouinciæ suæ, quicumque ille sit. Secus si licentia sit danda a Prælato alterius Prouinciæ, etiam si bona alienanda in dicta eadem Prouincia legati sint; quamuis circumscripto iuramento prædicto, legatus dare posset licentiam alienandi bona, quæ sunt sita in sua Prouincia licet Prælatus sit in aliena Prouincia. Ita ex *specul. tit. de dispen. §. consequenter. ver. cæterum. Redoan. vbi supra num. 12. & ex Panorm. in d. cap. fin. Sylu. v. alienatio num 16. fine.*

517 Et nihilominùs supradicta limitantur in duobus casibus, vt scilicet Prælatus non obstante iuramento de non alienando inconsulto summo Pontifice, aut alio superiori possit res Ecclesiæ alienare. Primus est casus necessitatis non admittentis moram. Secundus est casus rei modicæ & exiguæ, de quibus supra dictum fuit, & videri potest. *Redoan. vbi supra num. 10. & Panorm. in cap. vt super de reb. Eccl. non alienan. Sylu. v. alienatio num. 16.*

518 Remanet verò considerandum, an supposito iuramento de non alienando inconsulto superiore, si eo inconsulto alienatio fiat in casibus aliàs in iure permissis, & omni alia solemnitate seruata, nedum alienans sit periurus, sed alienatio sit nulla: Sed quidquid, dixerint aliqui citati à *Crescent. dec. 3. de iureiur.* qui etiam expressè contrarium non affirmant, communis sententia est, quòd sic alienans sit quidem periurus, sed alienatio sit valida. *Crescent. ibidem ex alia dec. Rota in causa S. Andreæ locationis coram Piccolomineo, & per DD. in l. si ita quis. §. ea lege ff. de verb. obligat. & cap. licet mulieres de iureiur. in 6. & cap. cum contingat eod. tit. Corn. cons. 372. vol. 3. Panorm. in cap. intellecto, de iureiur. Bonh in cap. vt super, & ibi Card. in §. possessiones, de reb. Eccl. non alien. Franc. in c. licet de iureiur. in 6.* quos sequuti sunt *Azor. d. cap. 1. quæst. 9* Ricc. *d. res. 11. & res. 66. num. 7. Boss. d. tit. 18. num. 139.* Et ratio est, quia quando iuramentum est præstitum in casu, cui ius non resistit, sed immò assistit, actus habitus contra tale iuramentum tenet; & ideo alienatio facta in casibus alias permissis ex causa necessitatis, & vtilitatis tenet non obstante prædicto iuramento, licet alienans sit periurus. Aduertit tamen *Crescent.* quòd ex quo nunc ex vi Paulinæ est necessaria licentia Pontificis ad alienandum, alienatio facta vbi Paulina est recepta a periuro contra iuramentum de non alienando inconsulto Pontifice est nulla, quia ei ius resistit.

519 An verò hæc sint intelligenda etiam de locatione ad longum tempus, quæ non est propriè alienatio, *l. si fundum. ff. de fundo dotali*, tenent aliqui non intelligenda esse; quoniam cum iuramentum sit stricti iuris, & quid odiosum, strictè est intelligendum in sensu proprio. Et ideo licet locatio ad longum tempus ex alijs iuribus sit nulla, non tamen iurans non alienare est periurus si locat etiam ad longum tempus, quia locatio non est propriè alienatio, *Conar. l. 2. var. cap. 16. num. 3. Rota dec. 26. num. 2. & 3. p. 2. diuers.* Ricc. *p. p. praxis resol. 113. & apud eum Calder. in cap. cum contingat. de iureiur. & Rota in Rauennat. domus. 2. Aprilis 1546. coram Cantuccio Borellus in summ. dec. tit. 16. nu. 15.* Sed oppositum sentiunt *Panorm. in cap. intellecto 30. de iureiur. Molina tract. 2. disp. 466. num. 6. & disp. 468. num. 8. Vasquez de reddit. cap. 1. §. 2 dub. 3. num. 14. Palaus tract. 11. p. 15. num. 3. Boss. d. tit. 18. nu. 140.* Sed vt dictum est etiam superiùs, iuramentum hoc debet accipi iuxta mentem & intentionem superioris illud exigentis, & verba in sensu ab eo intento accipienda sunt, at verò nunc in iure & mente Pontificum alienatio comprehendit etiam locationem ad longum tempus, quæ æquiualet alienationi, & sub legibus, quæ prohibent alienationem est comprehensa.

520 Vlteriùs aduertendum est, quòd ad causam vtilitatis Ecclesiæ reducitur gratitudo, & quòd ex remuneratione obsequij, & laboris, seu alterius meriti habetur iusta causa alienandi res Ecclesiæ *cap. consensus 3. de reb. Eccl. non alien. ibi Panorm. num. 4. Rota dec. 1490. num. 10. coram Seraf*[illegible]*no & dec. 243. a. num. 3. p. 7. Rec. Borell. in summ. d*[illegible]*is. tit. 15. nu. 12. Ricc. in Collect. dec. 2201. Barbosa de pot. Episc. all. 95. num. 62. & ad cap. 3. num. 4. de reb. Eccl. non alien. Boss. d. tit. 18. num. 141. & apud eum Tiraquel, Menoch. Cacheranus, & Magonus.* Quod tamen non de immobilibus, sed solum de mobilibus esse intelligendum dicunt citati *Cacheranus Magon Ricc. Barbosa, Boss. Borellus num. 13.* Et ita, quòd etiam de mobilibus Prælatus non excedat metas iustæ remunerationis; præfati DD. & *Rota d. dec. 243. num. 6.* Quando autem iusta remuneratio excedatur, arbitrarium esse dixit *Menoch. casu 434. num. 4. post Castrens. cons. 285. & ex istis Boss. vbi supra.* Et hæc remuneratio nequit fieri nisi ob obsequia præstita ipsi Ecclesiæ cuius bona pro remuneratione alienantur. *Rota d. dec. 1490. num. 10.* addens ita fuisse decisum in alia. *Posnanien. bonor. 15. Februar. 1599. coram Lancelloto.* Et addit eadē decisio 1490. Quòd huiusmodi merita ad sustinendam alienationē aliunde sunt probanda, quàm ex attestatione alienantis, & probatio debet esse non turbida, sed clara, vt conditio Ecclesiæ patenter melior fiat, & non sufficit, quòd sint beneficia colorata, sed opus est, vt sint vrgentia, & insignia.

521 Tandem, consideranda sunt, quæ faciunt ad videndum an alienatio sit vtilis Ecclesiæ & quidem aduertendum primò, quod attendi debet an rei alienatæ Ecclesia habeat solum dominium vtile, vel etiam directum; si enim hoc non habet deducenda est eius æstimatio. *Rota dec. 792. num. 6. coram Seraph.*

522 Secundò in Emphyteusi seu locatione in perpe-

[illegible] tex:a [illegible] d- [illegible] damna ex [illegible] [illegible] da[illegible]r di [illegible] hæc [illegible] [illegible] [illegible] parte rem ve[illegible] ac[illegible].

5[illegible] [illegible] est si in perp[illegible]m [illegible] pro [illegible] [illegible]ulis [illegible] Romana Domus in Burgn. [illegible] C[illegible] Mant ca. cap. R[illegible]cius. p. [illegible].

[illegible] Quar[illegible] locat[illegible]nis aug[illegible] alie- [illegible] dec [illegible]. num.5. coram Se [illegible].

535 [illegible] vt m[illegible] a- m[illegible] a[illegible] deuol[illegible] ad a[illegible]m, ho[illegible] habendum est [illegible] pa[illegible] J. [illegible] 5.num. [illegible] de re [illegible] co- [illegible] Cæsare [illegible] Gra[illegible] Qu[illegible] [illegible] bona [illegible] ra.

[illegible] æ ex [illegible] ex aqu[illegible] p[illegible] . S[illegible] alien.num.24. Rota [illegible] dec [illegible] num.4. [illegible] Seraph.

5[illegible] vt[illegible] quod [illegible] prout ve[illegible] dunt. Rota [illegible] 5.num.[illegible] 4[illegible]o.nu.4. [illegible] N[illegible] atte[illegible] [illegible] ter red[illegible]tus æstimentur ad [illegible] q[illegible] pro centenario , quia abso[illegible] [illegible] taxa[illegible] non secun[illegible] veritate[illegible] [illegible]ndum [illegible]nem.

[illegible] O[illegible] uò & ubi lominùs ad iudi[illegible] am v[illegible]m [illegible] deb[illegible] habe[illegible] ratio ma[illegible] [illegible] etiam valoris rei [illegible] vnde non [illegible] [illegible] ma[illegible] [illegible] valoris , & [illegible] d. dec.48 . Nec tam[illegible] per [illegible] a[illegible] mino[illegible] non [illegible] magis [illegible] v.alienat- [illegible] ur ex [illegible] m va- [illegible].

539 N[illegible] a[illegible] ram [illegible] & non a[illegible] & [illegible] considerari [illegible] con[illegible] [illegible] pertinas , aliter Lec [illegible] 4.num. coram [illegible] habenda [illegible] [illegible] de [illegible] [illegible].

[illegible] habe[illegible] da est ratio [illegible] res alienata [illegible] quand[illegible] am [illegible] reparatio [illegible] [illegible] alenan[illegible] Rota d.dec. [illegible] Rector potest sine a- [illegible] [illegible] da [illegible] quam sequitur [illegible] m.

5[illegible] D[illegible] m[illegible] utilis nedum [illegible] [illegible] vnde [illegible] ad a[illegible] e in dimin[illegible] R[illegible] dec [illegible] num. [illegible] [illegible]cent.

533 Decimotertiò alienatio dicitur vtilis vbi a[illegible]iol[illegible]quida ceditur pro maiori summa, quàm res va eat. *Rota in V[illegible]llaterrana bonor.28.Nouem.1585. apud Riccium Collec.3[illegible]54.*

534 Decimoquartò vtilis est extinctio census m[illegible]io[illegible] int rtelle per emptionem census sub mino- ri [illegible] [illegible] one. *Rota dec.1109.num.1.coram Seraph.* [illegible]o pro ex[illegible]n[illegible]one alterius similis census.

535 Dec moq[illegible] impositio census pro susti- ne[illegible] impens[illegible] dicitur vtilis. *Rota decis.1109. num.2.coram Seraph.*

536 Decimosexto al[illegible]natio stabilium vt ema- tur ce[illegible]us non est vtilis. *Sacr. Congreg. Concil.13. Martij 1619. apud Barbos.in summa Apost. v.aliena- tio.num.3.*

537 Decimoseptimò alienatio stabi[illegible]um pro fa[illegible]ica mouali[illegible] inuti[illegible]. *Sacr.Cong[illegible].apud Barb. ib.num.1[illegible]*

538 De[illegible]imooctauò census Reg[illegible]larium pro so- lutione ær[illegible] al[illegible]n[illegible] inutil[illegible]. *Sacr.Con[illegible]reg.19.April. 1619.ap.Barb.ibid.num.1.*

539 Decimonono vicinitas re[illegible] ad [illegible]gē- dam vtilitatem, q[illegible]ia red[illegible]t rem co[illegible]iorem. *Rota decis.711.num 4.p.4.diuers. apud B[illegible]ssium tit.18. num.124.*

54[illegible] Vigesimo vtilitas euidens non probatur ex eo, quòd per pretium receptum Ecclesia melio- ra prædia emere potuerit. *Rota d. dec.711. num.5. & 6.apud eundem Bossium ibid.* Et de his videri pos- sunt *Genuensis in Praxi Neapol. cap.6. Ricc par.7. Col.3054 & p.9. coll.4214.& p. p. praxis. re[illegible]ol 10. & 46.Pyrrhus Corradus de dispens.l.9.cap.4.& Bos- sius tit.18.num.108.vsque ad numer.127. Donat. p.2. trac.14.quæst.9.num.11.*

SVMMARIVM.

1 *Duo ad validam aliena ionem necessaria.n.541.*
2 *Solemnitas ne essaria ad alienationem duplex. nu- mer.541.*
3 *Solemnitas Auth.hoc ius porrectu C.de Sacrosan- cta Eccles.non obligat.n.542.*
4 *Tractatus necessarius.nu.543.544.*
5 *Tractatus in quo consistat.n.543.*
6 *Vnus sufficit. n.544.*
[illegible] *Apud Monachos S. Benedicti trinus est necessarius. num.544.*
8 *[illegible]ractatus necessarius in solis alienationibus perpe- tuis. num.545.*
9 *[illegible]t vbi alienanda bona Collegiatæ Eccl[illegible]sia nu- mer.546.*
10 *Tractatus necessarius vbi ex causa necessitatis est alienandum n.547.*
11 *[illegible]ractatus debet interess[illegible] superior.nu.548.*
12 *Qui hoc p[illegible]test [illegible]are.n 548.*
13 *Defectu tra[illegible]tatus irritat alienationem.n.549.*
14 *Hæc [illegible]emnitas licet substantial[illegible]s, est extrinseca. num.549.*
15 *De tractatu debet constare per instrumentum. nu- mer.550.*
1[illegible] *Non su[illegible]cit narratiua alterius instrumenti. nu- mer.550.*
1[illegible] *Tra[illegible]atus ex [illegible]ngitudine tempo[illegible] [illegible]n præsumi- tur. num.550.*
[illegible] *Necessarius e[illegible] consensu[illegible] [illegible] n.[illegible]51.*
[illegible] *P[illegible]imo in us[illegible] quæ sunt de mensa Capituli. n.[illegible]*

20 *Et in ijs, quæ sunt de mensa Prælati. n.551.*
21 *Vbi constat de euidentia vtilitatis in alienatione eorum, quæ sunt de mensa Prælati non est necessarius consensus Capituli n.55[illegible].*
22 *Beneplacitum Apostolicum supplet consensum Capituli num.551.*
24 *Consensus capituli in ijs, quæ sunt de mensa Episcopi magis respicit solemnitatem quam substantiam. num.552.*
25 *Non omnium Clericorum consensus est necessarius, sed eorum, qui sunt de Capitulo. n.553.*
26 *Si Episcopus est, qui alienat bona inferioris Ecclesiæ, id non potest facere sine consensu Capituli Cathedralis: sed si Rector inferioris Ecclesiæ est auctor alienationis, sufficit quòd Episcopus auctoritatem interponat. n.553.*
27 *Quid agendum vbi Ecclesia Cathedralis non habet Capitulum. n.554.*
28 *Consensus debet esse expressus. n.55[illegible]*
29 *Consensus maioris partis sufficit. n.556.*
30 *Cõsensus debet esse datus collegialiter etiam si præcessit tractatus. nu.557.*
31 *Ratificatio contractus valet, præmisso tamen tractatu, & consensu Collegialiter dato. n.558.*
32 *Capitulum fuisse congregatum præsumi potest, nisi constet de opposito. n.558.*
33 *In casu necessitatis Episcopus etiam inuito Capitulo alienare potest. n.559.*
34 *Præbendatus non alienat sine consensu Capit. numer.559.*
35 *Multa, quæ Episcopus solus facere potest. numer.560.*
36 *Capitulum alienare non potest, sine consensu Episcopi. num.561.*
37 *Episcopi consensus dicitur auctoritas. n.561.*
38 *Quod potest Episcopus possunt Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem. n.561.*
39 *Non est necessarium superioris decretum. numer.561.*
40 *Consensus Prælati debet esse expressus. n.562.*
41 *An hunc consensum possit dare Vicarius? n.563.*
42 *Ecclesiæ inferiores non possunt alienare sine consensu sui immediati superioris & Episcopi. numer.564.*
43 *Si Ecclesia vacet, debet dari illi defensor, aliter bona eius alienari non possunt. n.564.*
44 *Illius Episcopi requiritur consensus, cuius est Ecclesia inferior. n.565.*
45 *Etiam si bona illius sint sub alio Episcopo. numer.565.*
46 *Non est eadem ratio de alienatione bonorum pupilli, & Ecclesiæ. nu.565.*
47 *Ad alienãdas res Ecclesiæ etiam in absentia Episcopi non sufficit authoritas Iudicis laici. numer.566*
48 *Quæ dicta sunt de necessitate consensu Episcopi locum habent in Prælatis Monasteriorum. numer.567.*
49 *In Ordine Prædicatorum requiritur consensus Generalis, vel respectiue Prouincialis. n.56[illegible].*
50 *Quid in pluribus alijs Religionibus. nu.56[illegible]*
51 *Priuilegium concessum Societati IESV non communicabile. n.568.*
52 *Est etiã necessarius consensus Prælati [illegible]alis. n.56[illegible].*
53 *Sufficit vero consensus eius, qui Præl[illegible] locum [illegible]net. num.569.*
54 *Vbi Prælatus non h[illegible] non [illegible] sine [illegible] sup[illegible]*
55 *Non eadem requiruntur ad da[illegible]m mandat[illegible] alienatione, & ad a[illegible]nan[illegible]m. n.5[illegible]0.*
56 *Ad constituendum procurator[illegible] ad alienandum e[illegible] necessarius consensus mandantium [illegible] sed non s[illegible]iori. num.570.*
57 *Ex mandato ad alienandum non sequitur al[illegible] facta sine requisit[illegible]. nu.570.*
58 *Non sufficit ad alienandum mandatum genera[illegible] num.5[illegible]1.*
59 *Mandatum ad alienandum debe[illegible] co[illegible] non præsumitur etiam per mille anno[illegible] nu.[illegible]2.*
60 *[illegible]enatio nulla est, si vel fuit facta a non [illegible] mandatum, vel Procurator exce[illegible] fines man[illegible]ti. num.573.*
61 *Alienationes facta a Syn[illegible] in [illegible] mandat[illegible] valis nulla n.[illegible]74.*
61 *Quarta solemnitas est s[illegible]criptio, quæ hodie non est in vsu, sed sufficit subscriptio & instrumentum notarij. n.5[illegible].*
63 *Contractus non a scriptura sed a consensu [illegible] habet. n.575.*

Quæ solemnitas de iure antiquo sit necessaria ad alienandum res Ecclesiæ.

INSPECTIO QVINTA.

541 CVm duo sint quæ ad [illegible] alienationem rei Ecclesiæ requiruntur [illegible] licet causa iusta, & solemnitas iuris, expedita [illegible] consideratione prioris, sequitur vt quæ a[illegible] solemnitatem pertinent co[illegible]der[illegible]tur. Hæc ve[illegible] consideratio in duas partes principale[illegible] [illegible] alia est solemnitas necessaria ex iu[illegible] c[illegible] antiquiori, alia quæ est necessaria ex [illegible] *[illegible]bittesa* de rebus Ec[illegible]æ non a[illegible]enan[illegible]s. Prima itaque antiquior solemnitas est [illegible]tend[illegible], [illegible] habetur *cap. sine exceptione 12. qu[illegible]. 2.* [illegible] net decretum San[illegible] Leonis M[illegible] *rebus Eccles. non alienandis.* Et c[illegible]n[illegible] 4. [illegible] cet in hoc, quòd inte[illegible]en[illegible] c[illegible] & con[illegible]s Prælati, [illegible] coru[illegible] Capi[illegible] *cap.* [illegible] *de bi[illegible] quæ fiunt a Præl[illegible] ca[illegible] nu[illegible], cap.* [illegible] *Ap[illegible] de reb. E[illegible] non* [illegible] sing[illegible] est [illegible]n[illegible]ium.

542 Et verò prim[illegible] ad[illegible] *Au[illegible]hoc ius po rec[illegible] F[illegible] sita in iure Canon.* [illegible] ad [illegible] *mer.[illegible] post G[illegible] Donat in praxi p.* [illegible] Canonico solemn[illegible] [illegible] *cap.* [illegible] seq[illegible] *de tra[illegible]latu num* [illegible] *nulli.* [illegible] & cum *I[illegible] And.* [illegible] *p.* [illegible] ipse [illegible] conluc[illegible] [illegible] gauola [illegible] *Pauer*[illegible]

Sylu. d. num.3. [illegible] intelligo, vt non [illegible] consuetudo a. [illegible] lesæ [illegible] e. [illegible] tum f[illegible]d tam [illegible] nandi a[illegible]quam [illegible] præscripta. *cap.fin.* [illegible].

T R A C T A T V S.

543 EX ijs ergo solemnitatibus prior est tractatus, qui ot[illegible] ine naturæ [illegible] cons[illegible]. Tractatus verò importat [illegible] sionem seu de[illegible]berationem [illegible] sione [illegible] ceptam circa rem [illegible] rum & [illegible] Clerici de Cap[illegible] po & Prælato congregari debent, & simul [illegible] re & discutere, & [illegible] re [illegible] an [illegible] Ecclesiæ [illegible] alienare [illegible] ne possit aliunde pro[illegible] necessi[illegible] sæ, vel [illegible] res Ec[illegible] iam alienare [illegible] qualiter & [illegible] & cui alienanda sit, & cætera, quæ ad [illegible] alienat[illegible] & ad fugiendas [illegible] futurum lites, & [illegible] curandas personas [illegible] opportunè [illegible] A[illegible]ertit [illegible] *Panormit. in c[illegible]* [illegible] *num.* [illegible] ratione [illegible] tractatus [illegible] [illegible] causæ, an [illegible] icet detur [illegible] alienandi, non verò esse necessarium conf[illegible] [illegible] expediat magis alienare hoc, quàm illud, [illegible] hoc [illegible] fuerit nec examinatum, alienatio [illegible] nulla, si alias fiat ex causa iusta. In hoc ergo tractatu con[illegible] initium negotij al[illegible] ta[illegible] nis, & quàmuis tractatus complementum con[illegible] a in deliberatione, tamen textus *cap. sine exce-* [illegible] distinguit tractatum a consensu in quo con[illegible] deliberatio, vnde sub nomine tractatus venit [illegible] & [illegible] scussio, seu plena negotij conside[illegible] quæ est via ad prudentem deliberationem, [illegible] *Panormus cap. tua de his quæ fiunt a Prælat.* [illegible] *num.10.* [illegible] hab[illegible] medio sono Campanæ aut alio [illegible] Collegiatarum congregatis [illegible] & à Præl de Capit[illegible] alienationis [illegible] Capitu[illegible] eis quæ [illegible] videntur [illegible] de[illegible] atione [illegible] de ea [illegible] stru[illegible] tractatu [illegible] possit [illegible] fare. De his videri po[illegible] *Panorm.* & *DD.* [illegible] *Rota* [illegible] *coram* [illegible]

544 [illegible] ergo tractatum [illegible] rerum [illegible] non possit [illegible] Capituli & Prælati habetur [illegible] *sine exceptione 12.quæst.2. & cap.tua de his* [illegible] *cap.1 de reb Eccl f. non* [illegible] *tradunt DD. omnin ner.* Quamuis [illegible] duos & tres tra[illegible] antequam de[illegible] consensus a[illegible] alienatione tamen [illegible] sufficit [illegible] [illegible]

quæst.9.n.2. Et non obstat, quòd in *cap.tertio loco* *d. probat.* hat mentio de tractatu pluries habito circa aliquam alienationem, quia ibi narratur, quòd factum fuit vtiliter; nam & sæpiùs contingere potest, vt ex vno tractatu deliberatio vltima accipi possit, non verò præcipitur, vt tractatus pluries habeat[illegible]. Quòd tamen in alienatione bonorum Monachorum S. Benedicti ex eorum constitutionibus prærequirantur duo tractatus in pluribus diebus interpollatis habiti, & ita vt de quolibet tractatu debeat fieri singulum publicum instrumentum, ex eorum *Constit.cap.9. rubric. de mutuis, ac venditiion. f[illegible] nat. &c. & ex Io: Andr. Socin. & Bertach. tradit Redoan.vbi supra num.29.& habetur apud Rotam in Romana Casalis 25. May 1594. coram Seraphino, & R[illegible]c. collec.3054. & Boss.d.nu 176.*

545 Neque verò hæc solemnitas huius tractatus est necessaria in omni alienatione rerum Ecclesiæ; sed solum in donatione, venditione, & permutatione, vt loquitur *c fine exceptione.12.quæst.2.* seu in alienationibus perpetuis, vt explicauit, & dixit *Innoc.4. cap.1. de rebus Eccles. non alien. in 6.* & aduertunt *Gloss. ibi, v. concessionibus perpetuis, Panorm. in cap. tua numer.1. de his, quæ à Prælatis Barbosa ad cap. 1.de rebus Eccles. non alienan.num.5. Boss.num.177.*

546 Et quoniam tractatus nequit haberi vbi non sunt plures, cum sit plurium inquisitio, discussio, & deliberatio de aliquo agendo, ideo huius tractatus solemnitas nõ est necessaria nisi in Ecclesijs Collegiatis, vt aduertunt *Sylu v.alien.Tab.numer.6. Redoan.vbi supra num.41. Quaranta v.alienatio num.7. Boss.num.178.* Paulus autem quem refert *Gemin.cap.1.de reb.Eccl.n. n alien.in 6.* voluit, quòd hic tractatus sit necessarius solum in Ecclesijs Cathedralibus sed limi[illegible]tionem [illegible] reijcit *Sylnest.v.alienationum.1.* Nam vbi Ecclesia habet Capitulum tractatus [illegible] lunt, qui de vtilitate Ecclesiæ tractare possunt. Ideo Rector Ecclesiæ non Collegiatæ, nec habentis Capitulum, potest sine tractatu alijs solemnitatibus seruatis res Ecclesiæ alienare *Redoan.num.46.ex Innocen.& Panorm. cap.1. de dolo, & Panorm. Quarant. & Boss. citati.*

547 Non esse etiam necessarium tractatum, vbi est alienandum aliquid ex causa necessitatis, ex *Rota dec.108.num 11.& 12. coram Seraphino* tradit *Bossius 179.* Quia vbi necessitas vrget, non est necessaria inquisitio, cum non sit dubium an aliquod sit alienandum. Sed hæc ratio non vrget nisi ad probandum, quòd non est necessarius tractatus ad hoc videndum, scilicet an bonum sit aliquid alienare, cum ad hoc necessitas cogat. Quia tamen opus est tractatu vt inquiratur quid ex bonis Ecclesiæ sit alienandum; imò ad videndum si alia via, quàm per alienationem & maximè perpetuam possit fuerit necessitati, & ad inspiciendum quomodo, & [illegible] ijus pactis alienatio sit facienda, & ad inspiciendum alia quæcumque possint ad Ecclesiæ vtiliorem alienationem conducere.

548 Huic autem tractatui nedum interesse debent Canonici, seu vocales Conuentus, aut Monachi, [illegible] etiam vel Episcopus, [illegible] Ecclesiæ Collegiatæ Prælatus. Qui tamen in hoc suas vices alteri [illegible] committere & pro[illegible] substitue[illegible] [illegible] *vbi supra num.* [illegible] & pe[illegible]

dem Prælatum cum Cap[illegible] ex *Ricc.collec.2301. & B[illegible] de[illegible].5.de reb.Eccl. non alien.*affirmat *B[illegible] n.m.180.*

549 Tan[illegible] huius tractatus necessitas, vt ei[illegible] irritam al[illegible]ationem, vt expresl[illegible] cap.fine[illegible]ptio[illegible], nam & ex ci[illegible] de[illegible] ab *Episc. Dulmen. de confessu C[illegible] Innoc.4.in cap.1.de rebus Eccl. non alienand.in 6.* V[illegible] hoc idem docuerunt. *Speculat. tit. de locat.* §.*sequitur videre. Bald.in rubr.C.[illegible] rescind. v[illegible]d.Redoan vbi supra num.1[illegible].& 21.Rota dec.108[illegible] num 6.coram Seraph.* Q[illegible]amuis hæc sol[illegible]mnitas ita sit substantialis, vt tamen sit extrinsic[illegible] a alienationi, cum [illegible] præcedere debeat. *Redoan. num.40. Boss num.2[illegible].*

[illegible]o Tandem de hoc tractatu habito debet co[n]stare per instrumentum ad hoc specialiter factum, vt laté probat *Redoan.vbi supra à n.30.*vbi ait,quòd non probatur instrumentum alienationis, si diceretur, habito colloquio, vel tractatu Canonici talem domum vendiderunt &c. quia tale instrumentum, quòd non est ad hoc factum, non probat tractatum per *Alex.cons.18.vol.4. Federicum de Senis cons.143. in[illegible] Paul.de Castr.cons.74.specul.de locat. §. sequitur & alios ibi citatos.& n.33.*Et subdit, quod non probatur tractatus interuenisse,si diceretur in instrumento alienationis, habito tractatu, vel consensu Episcopi, vt patet per instrumentum scriptum per talem Notarium, quia tunc oporteret illud instrumentum relatum exhibere, quia non creditur referenti, nisi constito de relato. *Authent. si quis C. de eden. Bart.cons 40.vol.1. Felin.in cap.sicut, de re iudicata.* Vnde, quod in hac parte non stetur alienantium verbis, vel Notariorum relationi, sed necessarium sit instrumentum ad hoc specialiter factum, dixit etiam *Rota dec.108. apud Seraphinum nu.6.* Immò additur, quòd nec ex longitudine temporis præsumi potest tractatum int[illegible] se[illegible] d[illegible] hoc ex actis non constet, quia tractatus nun est de intrinsecis alienationi, quia immò illam tempore præcedit, at verò illæ [illegible] præsumuntur adfuisse contractui, quæ sunt ext[illegible] cæ. *Bald. consi[illegible] 96.Panorm.in cap. ca notabilis nu.[illegible].de [illegible] fuit a Pralat.Redoan.vbi supra num.29. & 40.Boss. num.18[illegible].* De his videri pote[illegible] *Trat. desicep.268.* Sed vbi adsit Eccl[illegible] præiudicium, nullæ huiusmodi solemnitates præsumi possunt ex longitudine temporis per C[illegible] 157 Vrbani V[illegible]

CONSENSVS CAPITVLI

551 Solemnitas secunda necessaria ad alienationem rei Ecclesiæ [illegible] consensus Capituli, *cap.fine exceptione 12.quæst.2 [illegible] p. de reb. [illegible] non ali[illegible].* Cum vero bonorum [illegible] Collegiatæ [illegible] possint esse de mensa E[illegible] & Capi[illegible] de mensa Capituli [illegible] & alia de me[illegible] Abbatis, [illegible] horum omnium alienation[illegible] [illegible]ssarius est Capitu[illegible] consensus. [illegible]

[illegible] nec à Generalibus, [illegible] alienari sine tractatu, & [illegible] & Con[illegible] cap.[illegible] de[illegible] hunt [illegible] *Card. in[illegible] alien.Couar[illegible] rubr. de con ensu.5. in[illegible] autem monc[illegible] num[illegible] vt extrem. in cap. in vend[illegible] Ric. p.p. pra[illegible] resol.4[illegible] & ex Rota dec.[illegible] Seraph. b[illegible] 18.num.164.* Et Prælatus ue[illegible] donare, s[illegible] nec res v[illegible] Ecclesiæ [illegible] pos[illegible] permut[illegible] sine earum c[illegible] *norm.c.1.n.4.de reb.[illegible] c.non alie[illegible]* alienatione eorum bonorum quæ [illegible] [illegible] interest,quod bona huiusmodi [illegible] quæ sunt bona [illegible] Ecclesiæ,cuius [illegible] Cano[illegible] *[illegible] rebus Eccles. non a[illegible] Imm[illegible] in cap. nouit[illegible] Panorm. num.7. de [illegible] Prælato [illegible] alienatio. num.4. Rota [illegible] 8. num.[illegible] & 443 nu.4. coram Seraphino, R[illegible] p.p. prax[illegible] 51. [illegible] de [illegible] Epis al[illegible] 9, numer 10. [illegible] de iure [illegible] cap.30. num.8. Boss.tit.28. nu.144.* & [illegible] plures *apud Ricc. [illegible] Rotam.*

552 Declarando aut[illegible] in ad[illegible] *R[illegible] nu.3.* quòd vbi probetur v[illegible]tas eud[illegible] sunt de mensa Episcopi, quòd tunc [illegible] sarius consensus Capituli, quia t[illegible] teresse Capituli, & defectus consensu[illegible] non est considerabilis, vt [illegible] *Rota* [illegible] *bren. prædy 10. Decembr.1566. [illegible]* hic alienationem factam sine c[illegible] Ca[illegible] dente consensu Apostolico valere [illegible] *Rota* [illegible] *dec.443.num.4.Barbos.d.num.70.Boss.[illegible]* Nam & consensum istum in alienat. bonorum quæ sunt de mensa Episcopi magi[illegible] sol[illegible] substantiam respicere, probauit *Ricc ibid.num.5.e[illegible] Panorm.cons.41.num.3.4[illegible] Rom.cons.[illegible] min.cons.17.num.3.& ex Rota in Auxim[illegible] 1.Februar.1[illegible]81. coram Seraphino [illegible] citata.*

553 Nomine verò Capituli non [illegible] C[illegible] spectantes ad aliquam Eccl[illegible] inferentes sed [illegible] Can[illegible] vocem [illegible] *Hostien.in sum.[illegible] Re[illegible] rubr. de consens[illegible]* [illegible] non est oc[illegible] Ecclesiæ [illegible] collegiatæ, & habeant Capitulum [illegible] tunc C[illegible] cor[illegible] Religio[illegible] collegiatæ vel Mo[illegible] aut Con[illegible] bona al[illegible] *[illegible] An vero [illegible]* alien[illegible] [illegible]

[illegible]

Sed vbi auctor alienationis, seu alienator non est Episcopus, sed Rector Ecclesiæ inferioris, nec est necessarius consensus Capituli Cathedralis, immò nec consilium, sed sufficit consensus Capituli illius Ecclesiæ cuius bonum alienatur, si illa est Collegiata, vel habet plures beneficiatos habentes interesse in bonis illius Ecclesiæ. *Palaus d. tract.11. p.15.§.2.num.10.* Vel sufficit, quòd Rector inferioris Ecclesiæ alienet de consensu Episcopi. Quòd satis claré deducitur ex *cap. Abbatibus, & cap. placuit.12 quæst 2.& cap.in venditionibus 17. quæst.4. & ex Gloss.in Clem.1. de rebus Eccl. non alienand.* docet *Panorm.vbi supra*, & post eum *Redoan. num.56. ex Rom.cons.36.*

554 Sed vbi Episcopus non habeat Capitulum quid agendum? Alij dixerunt alienationem non esse faciendam sine consensu Archiepiscopi. Et hæc fuit opinio *Gloss. Rebuff. & Menoch. apud Bossium d. tit.18. num.146.* vbi etiam interpretatur *Sopranum in append.ad Filliuc.tract.44.cap.1.num.12. & Bonac.de alien.p.4.* dicentes, quòd dum Episcopus alienat debet interuenire consensus Primatis, vt intelligatur in casu in quo Episcopus non habet Capitulum ex cuius consensu alienare possit. Nam aliàs de iure antiquo ad alienandum bona Ecclesiæ sufficere consensum Capituli & Episcopi aduerterunt. *Redoan vbi supra num.24.* ex eo quia iam ita loquuntur *cap. sine except.15.quæst.2. & c.1. & cap. cum Apostolum, & cap.vt super de reb.Eccl. non alien.* & idem voluerunt *Imola & Panorm.ad d. cap.p.* Quidquid in contrarium dixerit *Gloss.in c.1. de reb.Eccles.non alienand.in 6.* volens, quòd præter consensum Capituli sit etiam necessarius consensus Archiepiscopi. Alij verò existimant, quòd in præfato casu accipiendum sit consilium & consensus aliorum Clericorum. *argum.desumpto ex cap. si forte dist.65.& cap.nullus res 17.quæst.4.& l.vbi absunt. ff.de tutor.& curat.* Ita *Panorm.cap.1.*de his quæ fiũt à Prælato *num.7.Sylu.v.alienatio.num.4.Redoan.vbi supra num.27.*

555 Consensus autem iste, qui requiritur, debet esse expressus, & non sufficit tacitus quidquid in contrarium dixerit *Layman, l.3. tract.4 cap.10. num.3.* quia hoc importat vox illa *collaudatio*, qua vtitur textus in *cap.1.* de his, quæ à Prælatis fiunt, vbi *Panorm.num.3.Redoan. vbi supra. num.17. Ricc. p.p.prax's resol.83.* vbi quàmplures refert, & *nu.2.* ait consensum expressum esse, qui exprimitur verbis, tacitum verò, qui exprimitur factis. *Boss.numer 148.* in alienationibus tamen temporalibus citra triennium sufficit consensus tacitus. *cap.1. §. quis titulo, de reb. Eccl. non alien. in 6.& cap.5.de his, quæ fiunt à Prælatis Donat.p.2.tr.14. quæst.12. num.2.*

556 Maioris verò partis Capituli sufficit consensus, nec est necessarius consensus absentium, sed sufficit præsentium. *Panorm. vbi supra num.5. Palaus d.trac.11.p.15.§.5. n.10, Donatus p.2.trac.14. quæst.9.num.21.* Non esse etiam vocandos absentes tradiderunt quoque *Guido Papa decis.116. Rota in Mediolanen. bonorum de Noredo. 21. Martij 1591. coram Lancelloto, vt in decis. quot.lib.3. Ricc. collect. 3054. Boss d.tit.18.n.149.* Maiori verò parti rationabiliter decernẽti minor tenetur subscribere. Quàmuis vbi maior pars consentiret in malam alienationem, minor vt euadat malè alienantium pœnas tenetur contradicere, vt habetur *cap. si quis presbyterorum. de reb.Eccl non alien Panorm.cap.2.de his, quæ fiunt à Prælatis nu.9.* Et poterit, si opus est appellare, etiam si vnus solus sit.

557 Collegialiter quoque dari debet hic consensus, quia consensus priuatim & separatim datus etiam post tractatum habitum non est consensus Capituli, & si diligenter inspiciantur *cap.sine exceptione 15.quæst.2. & cap. p.2. & 3.de his quæ fiunt à Prælatis*, apparebit, quòd iura ista consensum Conuentualem, vel Collegialem requirunt, & sicut tractatus, quem requirunt non potest non esse nisi collegialis, ita & de consensu dicendum est, quia iura eodem modo vtrumque requirunt. *Donatus quæst.16.c .cum accessissent §. quo circa, de Constit.& cap.ei, qui appellan. §. nominationes.2. quæst.6. Lau. Hostien.Inn. Compos.apud Sylu. v. alienatio quæst.5. num.6.Palaus vbi supra num.10. Boss. num.151. Redoan.* malè pro contraria sententia citatus, qui *pag.mihi 184. §. & quia solet dubitari à num.7.* latè hoc probat, & pro eadem sententia refert *Rebuf. Archidiac. Prepos. & Perus. Donatus p.2. tract.14. quæst.13.* quidquid in contrarium dixerint. *Bonac. de alien. p.4. num.2. Barbosa ad d. cap. sine except.12. quæst.5.num.4.Tabien.v.alien.num.2. Gloss.in cap. p. v. tractatus de rebus Eccles.non alien. in 6. Sylu.v. alien.num.5.* volentium, quòd vbi præcessit tractatus sufficiat consensus separatim datus. Addit verò *Redoan. vbi supra num.8.* quòd non valet consensus datus per literas. & *num.10.ex Rebuff.* subdit, quòd etiam ratificatio contractus iam initi vt valeat, debet fieri collegialiter à Clericis vel Religiosis in Capitulo congregatis. Eos verò præsumi congregatos, vbi de contrario non apparet dixit *Rota decis.1080. num.5. coram Seraphino, & Guido Papa decis.151.* quos sequitur *Boss. num.164.* Sed de his præsumptionibus modo iudicandum est secundum *Const.157.Vrb.VIII.*

558 Ratificari enim potest alienatio facta sine consensu Capituli, ab eodem Capitulo, licet alias talis alienatio non sit valida. *Rota dec.1338.nu.2. coram Seraph. Sylu. num.5.* sed vt Capitulum illam ratam habeat debet præmittere tractatum, & postmodum consentire, *cap.cum nos*, de his, quæ fiunt à Prælatis. *Panorm.ad cap.1.n.5.eod.tit.& ex Franco Syluest.v.alienatio.num 5.Palaus d.numer.10 Boss. num.152.* Tunc igitur incipiet alienatio esse valida, cum à Capitulo fuerit approbata. Hanc tamen ratificationem non probari ex eo, quòd concessionis instrumentum in libro contractuum Ecclesiæ reperiatur.

559 In casu etiam necessitatis posse Episcopũ rectorem, aut Clericis Ecclesiæ repugnantibus alienare res Ecclesiæ eiusdem habetur ex *cap. si Episcopus. 17.quæst.4.& cap. placuit.12.quæst.2.* & docent *Panorm. ad cap.2. de his, quæ fiunt à Prælatis.* Et *Redoan. Rubrica de consensu. num.26.* vbi multis hoc probat, & ex *Molina* affirmat *Boss.num.165.* An verò in alienatione præbendæ distinctæ à mensa Capitulari sufficiat consensus Præbendarij, seu illa fieri possit per Præbendarium sine consensu Capituli cum consensu Episcopi, negatiuè respondit. *Rota coram Crescen.dec.5.de reb. Eccl.non alien* vbi quòd idvoluit *Rota in Parmensi bonorum coram Io:Paulo, & id collegit ex cap.ad audientiam de reb. Eccles. non alienan. & Panorm.& alij DD.ibid.*

560 Quod

560 Quòd verò Episc. possit sine adhibito cõsensu Capituli concedere in emphyteusim re solitas concedi, & res modicas alienare, dictum est supra, sicut dictum est qualiter Prælatus possit, vel non possit concedere bona, quæ sunt de mensa sua alicui ad vitam. Quòd etiam si res aliqua data fuisset ab vna Ecclesia alicui laico in feudum perpetuum, si idem laicus vellit illam rem donare alicui alteri Ecclesiæ aut monasterio, donatio sit valida accedente solius Episcopi consensu absque cõsensu Capituli, habetur ex *cap. cum Apostolica de ijs, quæ fiunt à Prælatis*, & tradit ibi *Panorm. num.7.* Qualiter etiam ad repudiandam hæreditatem non sit necessarius consensus Capituli est explicatũ supra.

AVTHORITAS SVPERIORIS.

561 Sicut verò Episcopus, seu superior non potest sine consensu Capituli alienare res Ecclesiæ, sic nec Capitulum idem præstare potest sine auctoritate seu consensu Episcopi, & Superioris. *Hostiea.in sum.de reb. Eccl.non alien. num.3. Redoan. rubr. de auctoritate super. a. num.1. Couarruuias l.2. variar. cap.17. num.1. Ricc.p.2. praxis cap.383. Barbosa de iure Eccles.* l 3. *cap.30. num.9. Azor. p.2. l.9.c.1.quæst.4. Palaus tract.*1 1. *p.15. num.4. Layman l.3. tract.4.cap.10.num.4. Boss.tit.18. num.156.* Dicitur verò res Ecclesiæ non posse alienari sine auctoritate Episcopi, & Superioris, quia eius collaudatio, & consensus, quia est consensus superioris auctoritatem, & iurisdictionem *habentis dicitur auctoritas. Gloss. in c.1. de rebus Ecclesiæ non alienand. in 6.v.tractatus, vbi Gemin.& Francus; & Innoc.& Panorm. cap.2.eod.tit. Couarru. l.1.var.cap.3.d. nu.9.* Distinguitur verò inter auctoritatem seu consensum, aut collaudationem, & decretum, quòd decretum importat sententiam per quam iudex auctoritatem suam interponendo decernit contractum futurum esse iustum, seu aliquem in possessionem mittit, aut mittendum declarat. *l.si finita §. Inbanut, & §.si forte.ff. de damn. infec.* Sed auctoritas dicitur auctorizabilis consensus competens superiori ex suo officio. *Gloss.in cap.1.de rebus Eccl. non. alien.in 6.quam sequitur Sylvest.v. alienatio.numer.3. Redoan. d. rubr. num.3. & seqq.* Hinc apparet discrimen inter Capitulum & Episcopum, seu Conuentum, & Prælatum in materia alienationis. Quia Capitulum vel Conuentus nudum possunt præbere consensum. Sed Episcopus, qui habet plenam potestatem super Ecclesijs sibi subiectis *10. quæst.1.per totam*, auctoritatem interponit. Et hoc idem præstare possunt Abbates. *cap.1. de reb. Eccl. non alien. vbi Panorm. num.3.* bene aduertit, quòd id potest Abbas, si habeat in Ecclesia ius Episcopale, quia illa sit sibi pleno iure subiecta. Nam talis omnia iura, quæ sunt iurisdictionis Episcopalis potest exercere, cum tamen aliàs Prælatus inferior Episcopo non possit authorizare in facto alienationis. Sic igitur & Generales, & Prouinciales Regularium, qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem in alienationibus auctoritatem interponunt. *Sylu. v. alienatio.num.3.* In alienatione verò rerum Ecclesiæ necessarium quidem est, vt interueniat Episcopi, & Superioris auctoritas, sed non est necessarium decretum *Panorm. in cap. nulli num.7. de reb. Eccl.non alien.* quamuis nec Episcopus, nec Superior consensum alienationi præbere debeat, nisi præmissa causæ cognitione, *Gloss. vbi supra Couarru. d.n.9.*

562 Hunc verò consensum debere esse expressum, & non sufficere tacitum ex eo habetur, quòd vocatur collaudatio, & approbatio, tacitus verò consensus propriè non est collaudatio aut approbatio. *Gloss. in d. c.1. verbo perpetuis, de alien. reb. Eccl.non alien.in 6. & Barbosa ibi nu.15. Boss.d.tit.18. num.156.* Quamuis vbi alienatio non sit perpetua sufficere consensum tacitum dixerint. *Gloss. ibid. Barbof. ad cap.1. num.5.de reb. Ecclesiæ non alienand.*

563 Non posse etiam hunc consensum præstare Vicarium Episcopi nisi habeat ad hoc speciale mandatum, dixerunt. *Redoan. d. rubr. num.60. ex Capell.Tholos.dec.97. Ricc.collec.2201. & ex Rota in Placentina Domus 15. Decemb.1629. coram Coccino, & in Cremonen.bonorum 9. Februar.1667. coram Lancelloto, & Ferentill.ad dec.930. Buratti Boss.d.tit.18. num.156.* Quàmuis oppositum etiam dixerit apud *Redoan. Bald.in Margarita verb. Vicarius* ex eo, quòd Vicarius habet ordinariam iurisdictionem, & interponit decreta voluntaria, & contentiosa per *Hostien.cap. Clericus de off. Par.*

564 Verùm vbi alicuius Ecclesiæ sunt plures superiores, omnium est necessarius consensus. Ita nimirum, quòd Ecclesiæ inferiores Cathedrali, quæ habent suos superiores, & Rectores non possunt sine licentia sui immediati superioris, & sine consensu Episcopi ad alienationem deuenire. Et sic distingui debet, prout supra distinctum fuit, quia aut auctor alienationis est Episcopus, aut est inferior Ecclesia. Si est Episcopus, iam supra dictum fuit non posse ad alienationem deuenire sine consensu Capituli Ecclesiæ inferioris, si illa habet Capitulum, & sine consensu Rectoris eiusdem Ecclesiæ, *cap. si quis Episcopus 10. quæst.1. & c.placuit 12. quæst.2.* Et nomine Rectoris intelligitur quicumque qui Ecclesiam Regit, & administrat, vel in ea cum titulo inseruit; ita quòd si Ecclesia sit Parochialis sit necessarius consensus Parochi, si Capellania, consensus Capellani. Immò si Ecclesia sit vidua sine Rectore; & Episcopus velit alienare aliquid illius Ecclesiæ necesse est, vt illi Ecclesiæ detur defensor, qui partes Ecclesiæ teneat, & videat an alienatio expediat. *cap.1.de reb. non alien.in 6.Gloss. ibi v.defensor.* Ita Rector inferioris Ecclesiæ non potest sine auctoritate Episcopi aliquid suæ Ecclesiæ alienare. *Panorm. ad d. cap.1. de his, quæ fiunt à Præl. Syluest. alien. num.5. Tabien. num.7. Redoan rubr. de consensu num.26. & alij DD. communiter.* Et constat ex *cap. Abbatibus, & cap. placuit 12. quæst.2. & can. in venditionibus 17. quæst.4.* Et prout dicebatur, non sine causæ cognitione potest Episcopus suum præbere consensum. *cap. hoc ius porrectum. 16.q.2.*

565 Illius verò Episcopi requiritur consensus, cui subiecta est Ecclesia, cuius bona alienantur, etiam si illa bona sint in diœcesi alterius Episcopi, vt post *Innoc. in cap. pastoralis de priuileg. Gloss. in cap. huiusmodi ver. duos 12. quæst.2. Felin. in cap. dilectus el 2. de rescript. Archid. can. in venditionibus 17. quæst.4. Imolam in Clem. cap. de reb. Eccl. non alienan. Rot. dec. 6. de iud. in nouis, & alios* plures habet *Redoan d. rub. de auctoritate Episcopi. num.39. Barbof. de iure Eccl. l.3. cap.30. num.9.* quidquid in contrarium dixerit *Gloss. in d. cap. in venditionibus.* Addit quoque *Redoan nu.40.* tutius esse vtriusque Episcopi tunc adhibe-

hibere consensum. Sed cum non intersit Episcopi in cuius diœcesi est locus, qui alienatur an bene, vel male alienetur; sed hoc intersit Episcopi cuius est Ecclesia, cuius bonum alienatur, cum illa Ecclesia cum omnibus suis bonis subiecta sit prouidentiæ eiusdem; ideo solius eiusdem Episcopi consensus est necessarius. & quæ adducuntur de alienatione bonorum minoris, quæ non possunt alienari sine decreto iudicis loci, in quo sunt bona, non bene applicatur, nec valet consequentia ab alienatione bonorum minoris ad alienationem bonorum Ecclesiæ, nisi in casibus in iure expressis. Quòd in præsenti ex eo est euidens, quòd in alienatione bonorum minoris, vt aduertit *Redoan. vbi supra num.43.* requiritur iudicis decretum, quòd est iudiciale, & in ipso actu præstatur, in alienatione verò bonorum Ecclesiæ decretum iudicis non est necessarium, vnde non mirum si in alienatione bonorum minoris requiritur decretum iudicis loci in quo est sita res, cum ipse sit, qui de illa potest iudicare. Sed præstare consensum alienationi non est actus iudicialis, quem potest præstare etiam non habens iurisdictionem in loco, vbi res alienanda est posita.

566 Quòd verò idem *Redoan. nu.37. ex Bertach. de Episc. p.4.* asserit, quòd si Episcopus absit interuenire possit auctoritas iudicis laici loco Episcopi, & probat *Bertach. ex Gloss. in cap. sine exceptione 12. quæst.2.* Neque hoc in ea gloss. inuenitur vt fatetur idem *Redoan.* neque iudicio meo admitti potest, quia iura volunt interuenire Epis. auctoritatem, & si non adsit Episcopus, non deerit, qui eius vices gerat, & iudicare possit, an alienatio expediat, si Episcopi consensus non sit expectandus.

567 Quæ verò dicta sunt de necessitate consensus Episcopi, vera sunt etiam respectu Abbatum & Prælatorum Monasteriorum, qui sine Episcopi consensu res monasteriorum non possunt alienare. *cap. Abbatibus 12. quæst.2. Panorm. in cap.1. num.3. de reb. Eccl. non alien. Syluest. v. alienatio nu.5.* Semper enim requiritur consensus illius Prælati, cui subsit Ecclesia pleno iure *Redoan Rubr. de auctoritate numer.61.* Hoc tamen intelligitur de Abbatibus non exemptis; nam Abbates exempti à iurisdictione Episcopi, non indigent Episcopi consensu ad alienandum res sui monasterij. *Syln. v. alienatio num.3. Tab. n.7.* Quare cum hodie Monasteria Regularium regulariter sint exempta, & priuilegiata, ideo quantum sit ex iure communi antiquo, ad alienandum sufficit consensus Capituli, & Prælati iuxta singularum Religionum instituta. In Ordine Prædicatorum bona immobilia, & perpetui redditus non possunt vendi, aut alienari sine licentia Magistri Ordinis, nisi aliqua Prouincia super hoc habeat speciale indultum ex ordinat. Capit. Generalis Rom. 1553. Addit *Camillus in summar. verbo bona*, quòd Romæ 1501. & Mediol. 1505. sub pœna excommun. prohibitum fuerit, ne bona immobilia & redditus alienentur sine licentia Generalis, sola excepta permutatione, quæ fieri permissa fuit de consensu Prouincialis. Sed in d. Cap. Rom. 1553. hæc permissio non continetur. Ad alienandum verò bona mobilia pretiosa non est necessaria licentia Generalis, sed sufficit licentia Prouincialis, sine qua tamen sub pœna carceris, & alijs pœnis alienari non possunt, vt habetur ex *Cap. Gener. Norimberg. 1405. ord.14. & Coloniæ 1428. ordin. vlt.* Requiritur verò etiam consensus Capituli, ita vt immobilia alienari non possint sine consilio Patrum, & consensu duarum ex tribus partibus vocalium Conuentus, vt statutum fuit Vallisolet. anno 1605. ordin.27. Et quidem datus in Visitatione Prouincialis, aut alterius Visitatoris. Quàmuis crediderim hoc intelligendum de consensu deliberatiuo, qui datur in tractatu. Hoc enim requirit illa ordinatio, vt non fiat alienatio stabilium, nisi prius in visitatione a Patrum Consilio, & duabus partibus vocalium Conuentus expedire fuerit iudicatum. In societate verò, non requiri consensum Capituli, sed sufficere Præpositum Generalem cum tractatu cum suis consultoribus, & cui Generalis commiserit, refert *Palaus d. trac.11. p.15. num.11.* In Ordine verò Theatinorum præter consensum Capituli esse necessarium assensum Præpositi Generalis testatur *Bossius trac.18. num.164.* Apud Monachos S. Benedicti esse necessariam licentiam Capituli Generalis refert *Rota dec.1070. nu.1. coram Seraphino.* In Ordine Minorum posse fieri alienationes de licentia Prouincialis tradit *Rodriq. tom.1. quæst.27. a.3.* Sed quòd regulariter Prælati locales Regularium non possint etiam de consensu Capituli alienare bona Monasteriorum sine licentia Generalis, aut Prouincialis aduertit *Tambur. de iure Abb. tom.3. disp.13. quæst.8. num.4.*

568 An verò priuilegium concessum a Greg. 13. Societati IESV, quod refert *Rodriquez d.a.3.* & habetur in Bullar. dictæ Societatis, in Constit. *quæ* incipit Apostolicæ Sedis, pag. mihi 167. & consistit in hoc, quòd Generalis habita à Prouincialibus, vel Rectoribus, vel alijs sibi bene visis summaria relatione vtilitatis contractus potest sine consensu Capitulorum auditis consultoribus alienare bona Religionis in euidentem tamen vtilitatem eiusdem, sit communicabile, affirmat *Rodriquez d. art.3.* Sed meliùs aduertit *Tambur. vbi supra nu.3.* quòd Pontifices per communicationem priuilegiorum non intendunt immutare modum procedendi Religionum, secundùm eorum Constitutiones earumque statuta infringere, neque super hoc illis licentiam impartiri. Vnde est, quòd cuiuscunque Religionis statuta in hoc seruari debent, nec contra illa possunt vti priuilegio communicationis huic vel alteri Religioni concesso.

569 Quantum autem ad consensum Prælati localis, qui requiritur, considerandum est, quòd si Abbas, vel Prior, vel Guardianus absit, sufficit consensus eius, qui illius vices gerit, *Rot. dec. 1080. nu.3. coram Seraf.* ex eo quia, vt habetur ex *Panorm. in c. causam quæ n.9. de iudicijs*, quidquid potest explicari per Abbatem, potest etiam fieri per eum, qui est loco Abbatis. *Boss. d. tit.18. num.164.* Quòd tamen limitandum censeo, vt non competat ei, qui locum tenet Prælati in sua absentia, sed qui in vacantia se habet vt Prælatus Ordinarius Monasterij. Nisi hæc auctoritas sit tali Vicario à Prælato absente delegata. Huiusmodi enim authoritas ex ordinaria delegatione non intelligitur concessa, cum alienatio rerum Ecclesiæ sit negotium grauissimum, & alias non est de illis, quæ ordinariè eueniunt, vnde sit necessarium, quod a Prælato absente facultas illud perficiendi delegetur. Et vlteriùs bene aduertit *Syluest. v. alienatio num.5.* quòd si Prælatus

alienet aliquid de consensu sui Capituli, euadit quidem pœnam *Clem. 1. de reb. Eccl. non alien.* Sed tamen contractus non valet. Et ratio est, quia vt ipse docet num. 3. ad validam alienationem requiritur nedum consensus Rectoris immediati, sed illius Prælati etiam, cui Ecclesia pleno iure est subdita, qualis est Abbas in Ecclesijs sibi subiectis & Prouincialis in Ordinibus Prædicatorum & Minorum. Quamuis vt supra dictum est, in Ordine Prædicatorum nec Prouinciales possint in omnibus casibus dare licentiam alienandi. Specialiter etiam in *Clem. 1. de reb. Eccl. non alienand.* statutum est, vt si Abbas, vel Prior, vel Præses alicuius Monasterij non habet Conuentum, debeat habere consensum sui Prælati ad hoc vt bona Monasterij alienet. *Gloss. v. proprij & ex Tiraquel. de iure mariti Gloss. 8. n. 21. Boss. num. 164. fin.* Quòd si Abbates isti sint exempti alienare non possunt sine licentia Papæ, si alium superiorem immediatum non habent. *Gloss. ibid.*

570 De procuratore quoque ad alienandum nonnulla consideranda sunt. Et quidem primò aliqui æquiparant mandatum ad alienandum cum alienatione ipsa, ita quòd solemnitates necessariæ ad alienandum seruandæ sint etiam in dando mandatum ad alienandum, aliàs mandatum redditur nullum. Ita *Bossius d. tit. 18. num. 171. post Dec. consil. 282. n. 3. Couar. l. 2. var. cap. 16. n. 6. Rotam dict. decis. 1080. num. 2.* Sed hoc ita absolutè prolatum patitur instantiam. Nam de aliqua solemnitate verum est, & de aliquo mandato. Verum quidem est quantùm ad solemnitatem consensus, quia mandatum essentialiter petit consensum mandantis; neque enim valere potest mandatum de agendo, nisi mandans consentiat in actionem, vnde si ad agendum requiritur aliqua solemnitas consensus, hæc eadem solemnitas prærequiritur mandato, sicut ei prærequiritur cõsensus in actionem ad quam datur mandatum. Ita si Capitulum est illud, quòd constituit procuratorem, debet hoc fieri à Capitulo collegialiter consentiente in alienationem, circa quam mandatarius debet gerere vices Capituli. Sed ad dandum mandatum non sunt necessariæ illæ solemnitates, quæ non se tenent ex parte mandantis, & ideo ad valorem mandati facti ab inferiori Rectore alicuius Parochiæ non est necessarius consensus superioris. Et licet sine superioris consensu non valeat alienatio, considerandum quòd ad valorem mandati ad alienandum non est necessaria validitas alienationis aliunde proueniens, quàm ex mandante. Non enim medij ad finem valor pendet à consecutione finis quando ad finem multa requiruntur; sed bene stat quòd ex pluribus medijs vnũ sit validum ex parte sui, & finis non obtineatur ex alterius medij defectu. Sic dum Rector Parochialis dat mandatum de alienando, mandatum hoc validum est, quantum sufficit ex parte Rectoris, etiam si tunc non adsit consensus superioris; quòd si superior nolit consentire, procurator nõ poterit alienare, non ex defectu mandati, sed quia ad alienationem non sufficit auctoritas mandantis, sed etiam superioris, quæ non adest. Nec obstat, quòd dicitur ex aduerso, quia nimirum ex mandato ad alienandum potest sequi alienatio, sine solemnitate necessaria. Tum primò, quia hæc sequela contingens esset, si adesset, quia Procurator non necessitatur ad alienandum sine solemnitate. Tum quia neque id sequitur, quia in mandato ad alienandum clauditur clausula *seruatis aliàs seruandis*, nisi contrarium exprimatur. Vnde est, quòd procurator ex vi mandati non potest alienare sine solemnitatibus necessarijs. Sic ergo mandans dum constituit Procuratorem debet præbere consensum solemnem, sed non est necesse vt seruet alias conditiones necessarias ad alienandum, quæ vel aliunde dependent, vel sunt, aut possunt esse posteriores ad consensum mandantis, sed sufficit quòd illas seruet Procurator, vel seruentur a quibus interest illas seruari.

571 Qualitas autem mandati est, vt non sufficiat mandatum generale Prælati aut monasterij ad alienandum bona Ecclesiæ, sed requiratur speciale ad alienandum tale prædium. Ita *Riccius p. 5. praxis resol. 52. num. 2. & 89. num. 4. Bossius d. tit. 18.* Sed verum quidem est, quòd ad alienandum non sufficit licentia generalis, vt latè probat *Redoan. rubr. de causa vtilitatis num. 112. & sequent.* Et ratio est, quia talis licentia est Ecclesiæ damnosa, quia non potest constare de euidenti vtilitate Ecclesiæ nisi priùs examinato in particulari, quodnam ex Ecclesiæ bonis potiùs sit alienandum, quàm aliud, & de hac causa constare debet rei negotio plenè discusso. Et propterea verum est, quod mandatum de alienando debet esse speciale ad alienandũ tale Ecclesiæ bonum determinatè, quòd sit vtilius alienabile. Et quia de iure antiquo tractatus est vnde incipit negotium alienationis, & consensus tractatum supponit, & mandatum supponit consensum, ideo & supponit tractatum in quo deliberatum sit, quodnam bonum in particulari sit alienabile. Verùm quia tractatus potest alteri committi, vt probatum est supra, & aliàs vbi licentia alienandi sit specialis & non data nisi discussa per superiorem vtilitate alienationis, nullum Ecclesiæ imminet periculum, ideo posset valere mandatum generale datum non ad alienandum quodlibet absolutè & cũ omnimoda indifferentia, sed ad alienandum id, quod examinato negotio apud superiorem apparebit esse magis vtile alienare.

572 Si verò non constet de mandato dato ad alienandum, illud non præsumi etiam per mille annos, ex *Afflict. dec. 345. num. 7. Caualcan. dec. 45. num. 11. p. 1. & Mastril. dec. sicil. 77. traduat Ricc. d. res. 52. num. 2. & Boss. d. num. 172.* Cum enim sit quid facti, non præsumitur ad hoc vt factum dicto nomine valeat per *Bartol. in l. 3. § si causa cognita. ff. de bonor. possess. Cassad. dec. 3. de Procur. Verall. dec. 353. num. 4. p. 2.* & alios quos refert *Ricc. citatus*, vnde *Bartol. l. qui fundum in fin. ff. de vsu cap. pro emp.* dixit, quòd qui emit ab aliquo tanquam Procuratore alterius, præsumitur semper malæ fidei, nisi appareat de illius mandato: quod item habent *Surdas cõs. 58. nu. 8. dub. 1.* & alij, quos sequuntur idem *Ricc. & Boss. citati.* Et nihilominùs aduertendum, quòd vbi *Cassad. d. 3. de Procur.* dixit mandatum præsumi de antiquo tempore, *Verall. dec. 196. p. 2.* dicit hoc intelligi in iudicialib. & quando solemnitas extrinseca est enunciata in instrumento, videlicet, si diceretur talis Syndicus vel Procurator, de cuius mandato fuit rogatus talis, prout constat in actis mei Notarij &c. vt per *Panorm. & Fel. in c. sicut. de re iudicata*, & dicit *Verall.* ita fuisse iudicatũ in Capuana Mõtium 29. Aprilis 1552. coram Vestano,

573 Nulla

573 Nulla propterea est alienatio facta per Procuratorem, si vel ille non habet validum mandatum ad alienandum. Ricc. d. res. 5?. num. 1. vel Procurator in alienando excessit fines mandati. *Rota in Crotonien. bonorum 29. Martij 1588. coram Plato, & in Crotonien. bonorum 9. Iunij 1589. coram eodem, & in Perusina rescissionis contractus 28. Martij coram Comitulo, & Ricc. collect. 3054.* quos refert & sequitur *Boss. d. tit. 18. num. 169.* Neque huiusmodi alienationis ratificatio inducitur ex scientia Canonicorum, & Religiosorum sed requiritur scientia Capituli, vt ex *Rota in Tiburtina nullitatis locationis 8. Decembr. 1597. coram Millino habet idem Boss. num. 170.*

574 Hinc est, quòd alienationes factæ à Cellerario, vel Syndico aut Procuratore alicuius monasterij in vi mandati generalis nullæ sunt. Quamuis alienationem hanc ad breue tempus factam validam esse ex *Paris. cons. 48. vol. 4. & Rota in d. Tiburtina* nullitatis locationis tradunt *Ricc. resol. 48. n. 3. & Boss. d. tit. 18. num. 168.*

575 Quarta solemnitas est subscriptio, quia nimirum nomina sua subscribere debent omnes, qui sunt de capitulo præbente consensum alienationi. *cap. sine exceptione 12. quæst. 2.* Hæc tamen subscriptio necessaria est solùm in casibus à iure expressis, nimirum in donatione venditione, & permutatione. *text. ibid. Panorm. cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælatis num. 4. Syln. v. alien. num. 4. Tabien. 2.* Hoc tamen hæc subscriptio non est in vsu, quia suppletur æquiualenter. In instrumento enim alienationis describuntur nomina singulorum Clericorum, aut Religiosorum, qui sunt de Capitulo alienante, & propterea absque eo quòd ipsi se subscribant sufficit, quòd Notarius ipse omnibus illis nominatis rogatus subscribat, seu rogitum instrumento suo adijciat *Syln. v. alienatio. num. 3. Reboan. tractat. de subscriptione. num. 2.* vbi *num. 3.* quòd contractus alienationis recipit substantiam a consensu contrahentium, non à scriptura, vnde per consensum Prælati, & Clericorum valet contractus ante descriptionem, & subscriptionem, & agetur ex illo, licet scriptura sit necessaria ad probandum contractum. *Franc. in cap. 1. numer. 14. de reb. Eccl. non alien. in 6.*

SVMMARIVM.

1 *Etiam constito de necessitate aut vtilitate alienationis necessarium est ad alienandum beneplacitum Apostolicum. n. 576.*
2 *Sede vacante Capitulum nec de iure antiquo poterat alienare inconsulto Pontifice. n. 577.*
3 *Potest tamen dare licentiam alienandi, & alienare mobilia non pretiosa. nu. 577.*
4 *Iuramentum non supplet necessitatem beneplaciti Apostolici. nu. 578.*
5 *Beneplacitum subreptitium non iuuat. n. 579.*
6 *Beneplacitum datum sine cognitione causæ non supplet solemnitates. n. 579.*
7 *Beneplacitum Apostolicum absolutum & ex certa scientia supplet alias solemnitates. n. 579.*
8 *Hodie ad alienandum sufficit causa iusta, & beneplacitum Apostolicum. nu. 580.*
9 *Et quòd vbi Papa committit alieni vt se informet, quòd non sint citandi Capitulum aut Rector, multi docent. num. 580.*
10 *Præsentia Papæ supplet solemnitates. n. 581.*
11 *Beneplacitum Apostolicum non supplet defectum causæ. nu. 582.*
12 *Nec defectum mandati ad alienandum. n. 583.*
13 *Mandatum ad alienandum non probatur assertione petentis beneplacitum Apostolicum. n. 583.*
14 *Præsentia Papæ aliquando supplet defectum mandati. num. 583.*
15 *Beneplacitum Apostolicum non est necesse, quòd antecedat tempore contractum sed bene debet antecedere causalitate. n. 584.*
16 *Contractus initus sub conditione assensus Apostolici non est nullus contrarie, sed est valide inchoatus. num. 584.*
17 *Contractus absolute factus sine beneplacito Apostolico est absolute nullus. nu. 585.*
18 *Ideo post obtentũ beneplacitum Apostolicum nouus consensus partium est necessarius. numer. 585. 587.*
17 *Ante obtentum beneplacitum Apostolicum contractus non est validus, nec transfert dominium. num. 586.*
18 *Vtilitas debet adesse de tempore obtenti beneplaciti Apostolici. nu. 586.*
19 *Si contractus sit initus sub conditione assensus Apostolici debet hoc exprimi, vel post obtentum beneplacitum erit necessarius nouus partium consensus. num. 587.*
20 *Assensus Papæ Apostolicus datus super alienatione facienda non se extendit ad factam, nec de tempore ad tempus. Quia est stricti iuris. n. 588.*
21 *Si tradita sint possessio debet eius fieri mentio, vt Papæ assensus trahatur ad præterita. n. 588.*
22 *Si Ecclesia vel per momentum acquirat bonum immobile, non potest illud cedere. n. 589.*
23 *In contractu inito sub conditione Apostolici assensus ante assensum obtentum datur secundum multos locus pœnitentiæ. n. 590. 591.*
24 *Contractus conditionalis nihil ponit in esse. numer. 590.*
25 *Assensus Papæ non intelligitur obtentus nisi supplicatione signata, & registrata. nu. 591.*
26 *Limitant hoc aliqui, vt soli Ecclesiæ liceat pœnitere. num. 592.*
27 *Contractus conditionalis dat ius conditionale & partes tenentur expectare euentum conditionis. num. 593.*
28 *In matrimonio conditionali partes obligantur expectare euentum conditionis nec possunt pœnitere. num. 593.*
29 *Hoc idem dicitur de alienatione inita sub conditione assensus Apostolici. n. 593.*
30 *Vel nec Ecclesia potest pœnitere, vel id potest altera pars. num. 594.*
31 *Potest Ecclesia pœnitere si sit læsa quia tunc contractus est contra leges. num. 594.*
32 *Vbi beneplacitum Papæ fuit obtentum non est locus pœnitentiæ. n. 595.*
33 *Si beneplacitum Apostolicum nulliter fuit executum, nulla partium tenetur stare contractus. numer. 596.*
34 *Vbi contractus simpliciter initur sub conditione beneplaciti Apostolici intelligitur cum clausula quatenus opus sit. nu. 597.*

Quæ solemnitas sit necessaria de iure Paulinæ.

INSPECTIO SEXTA:

576 SEd de iure Paulinæ alia noua solemnitas modò est necessaria ad validam alienationem, nimirum solemnitas beneplaciti Sedis Apostolicæ. *extr.ambitiosa de reb.Eccl.non alienand.* Circa verò hanc solemnitatem, dubitatur primò an sit necessaria in casibus aliàs à iure permissis? Videri enim posset, quòd nō sit necessaria, vbi aliàs constet de euidenti necessitate, aut vtilitate Ecclesiæ. Tum quia tunc cessat finis legis, & omne periculum damni Ecclesiæ, maximè si vtilitas aut necessitas sit notoria, & non possit aliqua tergiuersatione celari. Tum secundò quià in *extrauag. ambitiosa* permittitur fieri alienatio sine beneplacito Apostolico in casibus in iure permissis; At verò jura permittunt alienationem fieri ex causa euidētis necessitatis, & vtilitatis. Et ideo hanc partem tenuit *Redoan. Rubr.de causa vtilitatis*, vbi latè conatur probare, pluribus exemplis adductis, quòd vbi constat de eius vtilitate contractus teneat, & in specie loquens de necessitate beneplaciti Apostolici a num.198. idem sustinet, licet num.209. dicat bonum esse & tutius adhibere in huiusmodi contractibus assensum Papæ. Verùm dicendum est, hoc non solùm esse tutius, sed esse omnino verum & tenendum, Tum quia ob periculum magnum, quòd interuenit in his alienationibus ex cupiditate & prauis affectionibus contrahentium, & nimia facilitate iudicandi necessarium vel vtile simpliciter Ecclesiæ, quòd solùm pro nunc habet aliquid necessitatis, & vtilitatis, merito Sedes Apostolica sibi reseruauit iudicium de necessitate, & vtilitate alienationum, & voluit bona Ecclesiæ non posse alienari sine suo beneplacito. Et quòd aliquando in casu aliquo particulari vtilitas possit esse euidentissima, non obstat vigori legis, ad cuius iustitiam sufficit, quòd periculum damni sit vt in pluribus, ad hoc vt aliquid statuat vniuersaliter. Neque verum est, quòd Paulina concedat vniuersaliter fieri alienationes in casibus aliàs in iure permissis, sed hoc respicit solum contractum emphyteuticum vt patet ibi. *Nec non infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus à iure permissis, ac de rebus & bonis ab antiquo concedi solitis, & tunc in Ecclesiarum euidenti vtilitate.* Constat enim Papam hic loqui de sola alienatione infeudationis, & emphyteusis, eamque concedere in casibus à iure permissis, & de bonis, quæ ab antiquo concedi solent in feudum vel emphyteusim. Cæterùm in omnibus alijs casibus absolutè omnem alienationem prohibet fieri sine assensu Apostolico. Nam aliàs Pontifex in ea extrauag. nullam solemnitatem induxisset præter antiquas, & nihil noui præcepisset, quia seruatis antiquis solemnitatibus, & causa vtilitatis examinata per Episcopum diceretur satis constare de vtilitate, & non habere locum extrauag. *ambitiosæ*. Ideo quòd nunc ad validam alienationē rei Ecclesiæ sint necessaria duo, scilicet causa iusta necessitatis, vel euidentis vtilitatis, & beneplacitum Apostolicum, & ita

quòd

quòd horum altero deficiente alienatio non valeat, docent communiter Theologi & Iurisconsulti, quos abunde referunt, & sequuntur *Ricc. p. p. praxis resol 12. num. 1. & p. 2. resol. 283. Barbosa ad cap. fine except. nu. 18. & de pot. Episc. cap. 95. num. 2. & de iure Eccl. l. 3. cap. 30. & Boss. tit. 18. num. 195. Donatus p. 2. tract. 14. quaest. 23. & 24.* & praecipuè tanquam certum semper tenuit *Rota Rom.* vt patet *decis. 1490. num. 1. & 4 coram Seraph. & dec. 631. p. 2. recent. & supra numer. 460. citatis.* Et hoc potiori iure seruandum est à Regularibus ex decreto Vrbani Octaui, in quo etiam reuocata sunt omnia Regularium priuilegia concedentia facultatem alienandi absque beneplacito Apostolico.

577 Et de iure antiquo etiam Sede Episcopali vacante Capitulum non poterat bona Ecclesiae vacantis alienare sine assensu Apostolico. *cap. si qua de rebus, & cap. precaria 12. quaest. 2. Ricc. p. prax. resol. 80. num. 1. Boss. d. tit. 18. num. 196.* Poterat tamen Capitulum sede vacante interponere auctoritatem suam & concedere licentiam Ecclesiae inferiori alienare volenti ex causa iusta, vt dixerunt *Panorm. in cap. cum olim. num. 2. de maioritb. & obed. Ricc. p. p. resol. 80. num. 2. Boss. d. num. 196* Addunt verò *Ricc. & Boss.* quòd Capitulum sede vacante possit alienare ea, quae seruando seruari non possunt, & vlteriùs potest pecunias mutuò accipere causa necessitatis nō patientis moram, & de facili auctoritas superioris haberi non possit, & tunc ex tali mutuò obligari Ecclesiam, & Praelatum successorem teneri ad restituendum mutuum.

578 Tanta verò est huius beneplaciti Apostolici necessitas, vt nec per iuramentum suppleri possit, quoniam res Ecclesiae ex earum natura non sunt alienabiles à Praelato vel Capitulo, cum vt docet *D. Th.* in praesenti Praelati non sint domini rerum Ecclesiae, vnde nō subsunt illorum potestati; vnde si illas sine licentia alienent peccant cōtra propriū officium, & Religionem, & si alienationi adhibent iuramentum sunt magis sacrilegi & inutiliter iurant, cum iurent de eo, quòd non est in eorum potestate. *Panor. in cap cum contingat de iure iurand. num. 22. Ricc. p p. praxis resol. 66. num. 1. Boss. d. tit. 18. num. 198.*

579 Dubitatur secundò an per extrauagant. *ambitiosae* reuocatae sint antiquae solemnitates, ex eo quia beneplacitum Apostolicum omnes illas suppleat. Hic distinguendum est, quia primò beneplacitum Apostolicum per subreptionem, aut obreptionem obtentum nihil ruuat, & alienatio nulla est. *Rota dec. 65 p. 2. diuers. post Dec. cons. 142. nu. 5. & Ruin. cons. 157. num. 4. & 11 Quaranta v. alien. n. 7. Borell. nu. 15. num. 9.* Etiamsi verò rescriptum Papae nullum patiatur defectum, si tamen est conditionatum clausula *seruata iuris forma, vel quatenus per diligentem inquisitionem &c.* vel cum clausula *si ita est*, referendo se ad supplicata, vel alia simili clausula seruanda est forma rescripti, & iuris forma secundùm Papae dispositionem. Et similiter si beneplacitum Papae non est datum ex certa scientia, quia Papa non habuit plenam notitiam tenoris alienationis faciendae, non censetur Papa supplere solemnitates ex iure communi necessarias, admittendo alienationem, de qua non constet seruatis iuris solemnitatibus eam esse in euidentem Ecclesiae vtilitatem. Sed si Papae beneplacitum sit absolutum, & simpliciter ex certa Papae scientia obtentum, nō est aliarum solemnitatum necessitas, vel illas supplet tale beneplacitum, vnde nedum tractatus, aut subscriptio, sed nec consensus Capituli, aut Episcopi, aut alterius Praelati est necessarius. Nam cum Pontifex sit vniuersalis, & supremus administrator rerum Ecclesiae *cap. proposuit. de concess. prabend.* potest se solo ex iusta causa necessitatis, aut vtilitatis Ecclesiae bona cuiuscumque Ecclesiae particularis alienare, nullo Prelatorum inferiorum, aut Capitulorum requisito consensu, & taliter alienare censetur, cum per absolutum beneplacitum simpliciter sine conditione, & ex certa scientia vel alienationem confirmat, vel facultatem ad illam concedit. *Panorm. cons. 47. n. 3. l. 1. Redoan. Rubr. de tractatu. n. 67. & iterum rubr. de auctoritate Praelati §. sed an in alienatione n. 27. Capyc. dec. 16. n. 4. Borell. in summ. decis. tom. 1. tract. 15. nu. 5. Quaranta v. alien. num. 7. Ricc. p. p. praxis resol. 48. nu. 6. & p. 2. resol. 283. Sapprannus in appen. ad Filliuc. trac. 44. cap. 5. quaest. 4. num 9. Bonac de alien. p 4. num. 6. Rota d. dec. 65. nu. 1. & 178. num. 2. p. 2. diuers. & dec. 473. num. 3. p. 2. recent.*

580 Quamobrem hodie cum necessarium sit beneplacitum Apostolicū ad alienandas res Ecclesiae, duo omnino requiruntur & sufficiunt, scilicet causa iusta, & beneplacitum Apostolicum. *Ricc d. resol. 283. Boss. num. 188.* Et ita vt nunc sufficiat seruare verba rescripti Apostolici. *Redoan. d. §. sed an in alienatione num. 27.* Inde est, quod in hoc casu in quo interuenit beneplacitum Papae, vbi Papa mandat Commissario vt se informet de supplicatis, & si ita constabit alienationem concedat, si agatur de alienatione eorum, quae sunt de mensa Praelati non requiri citationem Capituli, aut Rectoris, sed sufficere, quòd alienatio verè sit, & probetur vtilis, tradit *Rota dec. 338. num. 2. & dec. 443. num. 4. coram Seraphino*, & licet vbi agitur de bonis spectantibus ad vniuersitatem & Collegium, consensus Collegij non sit mera solemnitas, sed sit necessarius ex natura rei, quia agitur de re, quae est Capituli; tamen non est necessarius nisi sub distinctione, & nisi suppleatur per Pontificem, qui est supremus rerum Ecclesiae administrator, vnde est, quòd consensus Capituli ex hac parte numeratur inter solemnitates, quas potest Papa supplere. Nam ad alienationem sufficit interuentus vnius Praelati legitimi; hic verò est Pontifex, vel Delegatus à Papa, qui potest, & quae potest Conuentus, & Praelatus. *Rota dec. 1027. num. 8. apud Seraphinum. ex Panorm. cons. 41. num. 3. l. 1. Paris. cons. 24. num. 4. l. 4. Ruin. cons. 64. nu. 1. l. 1. Rebuff. de reb. Eccl. non alien. num. 15. Donatus quaest. 18.* Si enim alienatio cedit in euidentem vtilitatem Ecclesiae cessat interesse Capituli, vel Conuentus, vel aliorum. *Rota d. dec. 338. & 343. coram Seraph.* Vnde citati non possunt contradicere. Nihilominùs tamen iuxta supradicta num. 569. in his attendi debet forma rescripti Apostolici, & si in eo sit clausula *vocatis vocandis*, qua existente vocandi sunt, qui habent interesse. Quamuis vbi tractatur de alienatione alicuius boni spectantis ad mensam Episcopi, *Rota d. dec. 338. & 443. coram Seraphino* arbitretur, quòd constito de vtilitate alienationis non sit necessaria citatio Capituli, quia tunc cessat hoc interesse, & hic defectus non sit considerabilis, & quòd clau-

ſula *vocatis vocandis* reſpiciat eos ſolos, qui habent intereſſe non verò eos, quorum conſenſus eſt neceſſarius pro ſolemnitate tantùm & ad authorizandum contractum. Sed & attendendum etiam eſt, vt videatur quis ſit, qui ſupplicat. Nam partem, quæ non ſupplicauit citandam eſſe probatum ibi fuit, & alia ad hanc citationem facienda videnda ſunt in *Rota dec.207. 4.par. diuerſ.*

581 Sicut autem beneplacitum Apoſtolicum in literis expreſſum ſupplet ſolemnitates, ſic idem præſtat præſentia Papæ ſi coram illo fiat alienatio. *Rota dec.1027.num.1. & 1042. num.2. coram Seraphino.* Et idem ſi cum Papa etiam vt cum priuatâ perſona contractus fiat; quia non poteſt Papa vti priuata perſona conſentire, ſi diſſentiat vt Papa, *Rota d.dec.1027. num.4.* ideo ſi contrahat cum aliquo, nullæ aliæ ſunt neceſſariæ ſolemnitates. *Rota vbi ſupra Capyc.dec.203.num.13.Boſſ.tit.18. nu.194.*

582 Quàmuis vero beneplacitum Apoſtolicū ſuppleat ſolemnitates iuris antiqui, non tamen ſupplet cauſam iuſtam alienandi, & ideo vbi non adeſt vel neceſſitas, vel euidens vtilitas Eccleſiæ, alienatio eſt nulla ad hoc non ſuffragante beneplacito Apoſtolico, in quo ſemper ſi non exprimitur, ſubintelligitur hæc clauſula, *ſi in euidentem &c. Rota deciſ.181.num.4. par.1. & dec.178.num.2. p.2. diuerſ.& deciſ.96. num.3.p.2. rec. Quaranta v.alien. num.7. Boſſ. dic.tit.18. num.94.& 191.* & alij ab eo citati.

583 Pariter beneplacitū Apoſtolicū nec ſupplet defectum mandati Procuratoris, ſi qui impetrauit beneplacitum non habebat mandatum. *Rota d.deciſ.207.Ricc.reſol.52.p p.praxir, Boſſ.num 192.* probatum enim eſt ſupra alienationem factam per Procuratorem non habentem mandatum eſſe nullam; & requiri mandatum ſpeciale ad alienandum iuxta materiæ conditionem, & mandatum non præſumi etiam per mille annos, niſi de eo conſtet. Ideo beneplacitum Apoſtolicum non iuuat, ſi vel Procurator non habet mandatum, vel excedit fines mandati. Immò *Ricc.p.p.praxir reſol.85.* addit, quòd quàmuis dicatur communiter, quòd impenſa in actu facit præſumi mandatum, & ratihabitionem vt per omnes in *l.cum ſodulis.ff.de verb. oblig. Felin. in cap.ſicut num.35.de re iudic. Creſcent.dec.1.de probat.* Nihilominùs praxis contraria eſt, vnde Rector, qui bona Eccleſiæ alienauit, ſi reuocet, & reuocationem oſtendat, & dicat ſe non dediſſe mandatum pro obtinendo beneplacito Apoſtolico, non probatur tale mandatum ex eo, quòd in literis Apoſtolicis enuncietur pro eius parte fuiſſe ſupplicatum ſummo Pontifici, quoniam illa verba aſſertiua non probant contra tertium, niſi aliunde probentur, vt habet ibid. *Riccius ex Bartol.in l.hac ſcriptura ff.de donat. Gemin.conſ.44.Oldrad.conſ.136.Verall.dec.140.p.2.* vbi quod ita fuiſſe iudicatum in Sact. Conſ. Neap. in aſſenſu ſuper feudis refert *Frecc.de ſubfeud.quæſt.24.* & ita etiam fuiſſe dictum in *Rota in Cortonen. bonor.26. Ianuar.1590. coram Plata.* In caſu tamen, quòd quis tanquam Procurator alicuius iniret contractum cum Papa, præſertim vt emptoris, ſuppleretur defectus Procuratoris, nam eo ipſo, quod Papa non requireret de mandato, quòd ſcit de iure requiri, videretur diſpenſaſſe etiam ſuper mandato.

584 Dubitatur tertiò an beneplacitum Apoſtolicum debeat præcedere alienationem, vel ſufficiat ſi ſubſequatur. Circa quam quæſt. hoc primo aduertendum multos eſſe caſus in quibus ſine dubio neceſſe eſt, quòd beneplacitum Apoſtolicum præcedat, vt in alienatione bonorum intra ſtatum Eccleſiaſticum exiſtentium in ſorenſes, iuxta conſtitutiones Sixti Quinti & aliorum per S. D. N. ALEXANDRVM VII. confirmatas, & ſupra relatas. Pariter alienationes bonorum Eccleſiæ iuriſdictionalium intra Italiam exiſtentium prohibitæ ſunt fieri ſub conditione beneplaciti Apoſtolici. Ideo in illis, & alijs quibuſcumque caſibus, in quibus expreſsè prohibitæ ſunt alienationes fieri ſine obtento prius beneplacito Apoſtolico, neceſſe eſt, vt beneplacitum hoc tempore præcedat. Sed in alijs caſibus, & in vi Paulinæ loquendo. Duæ ſunt in hoc puncto oppoſitæ ſententiæ, quæ conciliari poſſunt, ſic quòd quæ affirmat ſufficere ſi cōſenſus Papæ ſubſequatur alienationē, loquatur de ſubſecutione ſecundum ordinem temporis, ita quòd non ſit neceſſe incipere alienationem a conſecutione beneplaciti Apoſtolici, ſed partes priùs poſſint tractare de alienatione, & illam quantum ſit ex illarum parte concludere ſub cōditione aſſenſus Apoſtolici. Sed ſecunda, quæ vult, quòd beneplacitum Apoſtolicum debeat antecedere, intelligi debeat de antecedentia cauſalitatis. Nam in ordine ad contractum alienationis beneplacitum Apoſtolicum ſe habet ſicuti vltima forma, quæ eſt, quæ dat ſpeciem, & perficit rei ſubſtantiam, & eſſentiam, & ideo cauſalitate ſua contractum præcedit. Sed & cauſalitate præcedit conſenſum Prælati inferioris, & Capituli, ſeu Conuentus, quia horum conſenſus ſe habet vt quid materiale informabile, & perfectibile per conſenſum Papæ. Ideo quòd ſecunda opinio aſſerit, ſcilicet quòd contractus initus ſub conditione conſenſus Apoſtolici antequam conſenſus Apoſtolicus ſit obtentus eſt nullus, ſi nullus ſeu non validus accipiatur contradictoriè eſt verum, quia cum nondum iſte contractus habeat vltimam formam neceſſariam ad eius ſubſtantiam, & valorem, nondum poteſt eſſe validus abſolutè, & perfectè, licet ſit validus inchoatiuè, quia eſt validè inchoatus. Et hoc non negat prior opinio: Nam aliàs implicat contradictionem, quòd contractus ſubſtantialiter imperfectus, ſic precisè ſumptus ſit validus abſolutè, cum tamen negari nō poſſit, quòd non ſit validus inchoatiuè, cum ſit contractus verè & ſufficienter inchoatus. Sed ſi ſit ſenſus, quod ſit inualidus, & nullus contrariè hoc non eſt verum, quia inchoatio rei, non eſt quid rei contrarium, ſed eſt via ad rem. Eſſet quidem nullus contrariè, ſi Prælatus inferior & Capitulum abſolutè conſenſiſſent, quia tunc contractus haberetur vt finalis & perfectus ſine beneplacito Apoſtolico, ſed conſenſus datus ſub conditione aſſenſus Apoſtolici non conſtituit ſpeciem contractus, ſed illum inchoat, & non eſt contrarius aſſenſui Apoſtolico, ſed illi ſubordinatur. Nec ſecunda opinio poteſt aſſerere, quòd contractus initus ſub conditione aſſenſus Apoſtolici ante hunc aſſenſum obtentum ſit nullus contrariè, quia fatetur, quòd adueniente Apoſtolico aſſenſu, & facta mentione conſenſus conditionati Prælati & Capituli non eſt neceſſarius nouus conſenſus eiuſdem Prælati, & Capituli, ſed ſufficit prior conſenſus, quòd non eſſet verum ſi

prior

prior consensus & contractus fuisset contrariè & absolutè nullus; quia quòd nullum est ab initio nunquam conualidatur tractu temporis, & impossibile est, quòd vna species rei fiat alia, & sic quòd ille numero contractus, qui substantialiter est nullus contrariè, fiat validus, vnum enim contrariorum impossibile est fieri aliud, licet vno contrario corrupto possit generari aliud contrarium, sicut corrupto nigro fit album, & corrupto ligno fit ignis.

585 Primam igitur opinionem, quòd scilicet sufficiat; si consensus Apostolicus subsequatur, tenuerunt *Rebuff. in compend. alienat. Redoan. quaest. 42. num. 15. cum Bald. Barbat. Franc. Menoch. Bursat.* quos omnes refert *Riccius p. p. praxis res. 24. num. 1.* Quae sententia si loquatur in casu, in quo prior consensus Praelati inferioris & Capituli fuerit conditionatus conditione assensus Apostolici, est vera in sensu num. super. explicata. Sed in casu, quòd prior consensus Praelati inferioris, & Capituli fuerit absolutus nō est vera; quia in hoc casu ille prior contractus numero est nullus contrariè, nec ipse vires habere potest. Nam tunc Papa potest quidem, si vult alienationem mandare, eamque perficere, vel per nouum contractum ab eo initum supplendo consensum Praelati inferioris, vel praebendo facultatem vt partes per nouum consensum alienationem perficiant, sed prior ille contractus substantialiter contrariè nullus est & inualidabilis. Et alienatio tūc solùm validè fiet, si vel Papa suppleat consensum inferiorum, vel inferiores nouum consensum praebeant post obtentum beneplacitum Apostolicum, vnde in vi illius prioris consensus absolutè dati ante beneplacitum Apostolicum nunquam alienatio valida fieri potest; sed valida erit si vel de nouo fiat sine consensu Praelati & Capituli Papa hunc consensum supplente, vel eorum adsit nouus consensus, ideoque & nouus contractus, & noua alienatio.

586 Secundam verò sententiam, volentem, quòd beneplacitum Apostolicum praecedere debeat tenuerunt. *Quaranta v. alien. num. 8. Ricc. p. p. praxis res. 24. Donatus p. 2. tract. 14. quaest. 25. Boss. tit. 18. num. 205.* Et haec sententia de antecedentia causalitatis vera est, & verum docet, dum asserit, quòd contractus initus de re Ecclesiae alienanda etiam si sit initus sub conditione beneplaciti Apostolici, non transfert dominium aliquod ante obtentum Apostolicum beneplacitum, sed toto illo tempore antecedente contractus est nullus, idest nondum perfectè, & propriè validus, sed solùm inchoatus, & praeparatus, & tunc solùm transfert dominium, cum adest beneplacitum Apostolicum, & hoc est, quòd docet *Rota dec. 805. num. 8. coram Seraph.* Et ita, quòd ab eo solùm puncto incipit valor contractus, & ita vt si tunc cesset vtilitas alienationis etiam si tempore contractus initi per partes adesset, non sufficiat ad validam alienationem, ad cuius valorem est necessarium, quòd vtilitas adsit de tempore contractus; hoc verò tempus est cum per beneplacitum Apostolicum contractus primò per partes inchoatus perficitur, & completur. Ex vi enim Paulinae, cum nulla possit fieri alienatio sine beneplacito Apostolico, quaecumque fiat non habet vigorem ante illud, & ex illo adueniente incipit habere vires, si illas habet.

587 Hinc secūda opinio deducit, quòd si alietur res Ecclesiae immobilis absque assensu Apostolico, si postea impetretur assensus non validatur contractus, si non fiat mentio de alienatione iam facta; ac proinde necesse esset de nouo celebrari contractum, & valebit vt nunc tempore assensus, vt fuit resolutum per *Rotam in Bononien. locat. 10. April. 1589. coram Litta, & Rebuffum & Capycium* tradidisse refert idem tenens *Ricc. d. res. 24.* Et ita quòd, quando in alienatione non fuit reseruatum beneplacitum Apostolicum, in petenda alienationis confirmatione requiri nouum consensū Rectoris dixerit *Rot. in eluen. Numerior. 16. Decemb. 1585. coram Orano, & Tholos. dec. 55. prout ex Ricc. Collec. 3054* refert *Boss. num. 206.* Et sic contractus alienationis rei Ecclesiae immobilis, vel mobilis pretiosae si sit factus per consensum absolutum adeo est nullus, vt nec talis consensus valeat pro petendo beneplacito Apostolico, vnde vt dicebatur talis contractus est insanabilis, nec alienatio ex vi illius cōsensus est validè factibilis, sed solùm alienatio validè fiet, vel sine consensu inferiorum Papa illum supplente, vel per nouum consensū datum accedente assensu Papae. Sed si contractus sit initus per consensum conditionatum, & sub conditione assensus Apostolici, adhuc si pro impetratione, & in impetratione assensus Apostolici non fiat mentio talis consensus conditionati praestiti, necessarius sit ad valorem contractus, vt adsit nouus partium inferiorum consensus.

588 Nam assensus Apostolicus praestitus super alienatione facienda non extenditur ad alienationem iam factam, vt tam de assensu feudali praestito à Domino directo, quàm de assensu Apostolico tenēt plures quos sequitur *Ricc. p. p. praxis res. 28.* Nam assensus Apostolicus est stricti iuris, nec extenditur de tempore ad tempus, & ad expressa solum suas extendit vires. Tum quia assensus declaratur a supplicatione petentis. Quamobrem in breui Apostolico debere fieri mentionem de alienatione facta per traditionem possessionis, ad hoc vt assensus trahatur ad praeterita, ex *Decio, Redoan. & Rebuff.* tradit *Ricc.* quamuis subdat hoc esse disputabile, & quòd contrariam sententiam reddant satis probabilem, quae habet *Vrsillus ad dec. 355. Afflicti,* dixerit *Boss. d. tit. 18. num. 207.*

589 Hinc deducitur, quòd, vt supra nu. 262. probatum fuit, si Ecclesia vel per momentū acquirat, aliquod bonum immobile, non potest illud alienare sine beneplacito Apostolico. Vnde si cedat aliquod bonum, etiam si haec cessio fiat statim & coram eodem Notario & testibus necessarium est ad eius valorem beneplacitum Apostolicum.

590 Dubitatur quarto. An dum partes contraxerunt sub conditione beneplaciti Apostolici, antequam illud sit obtentum detur locus poenitentiae, & partes possint resilire à contractu? Dari locum poenitentiae ex hoc videtur asserendum, quia per talem contractum ante obtentum beneplacitum Apostolicum nullum ius acquiritur partibus. *Rota d. dec. 805. num. 8. & dec. 61. & d. dec. 624. n. 12. p. 1. rec. Mohedan dec. 6. de causa poss.* *Ricc. p. p. praxis resol. 81. Grat. dec. 554. n. 7. & 8.* Huius verò redditur ratio, quia reseruatio beneplaciti Apostolici reddit contractum conditionalem, per *Gloss. in l. item labeo §. 1. ff familiae Hercisc. Bran. consil. 42. & 1. Curtium Iun. cons. 77. num. 3.* & alios quos sequitur, & sequuntur

tur. *Riec. & Boss. num.* 210. Certum verò est, quòd conditio suspendit vim contractus, & nihil ponit in esse. *l. substituto. ff. de acquir. rer. domin. & cap.* 1. *de sponsal. in* 6. Vnde per contractum conditionalem contrahentibus nec acquiritur ius ad rem, ante impletam conditionem. Sed in præsenti euidens & propria ratio est, quia assensus Apostolicus est vnica forma veluti specifica & substantialis validæ alienationis rei Ecclesiæ, vnde sine illo contractus est informis, & solùm inchoatus, & minimè perfectus, nec valens tribuere ius aliquod contrahentibus.

591 Ex hoc enim deducitur, quòd ante obtentum beneplacitum Apostolicum detur locus pœnitentiæ. *Rota dec.* 755. *num.* 2. *p.* 2. *recent. Put. de* 2. *de transact. & dec.* 343. *num.* 4. *&* 5. *Verall. dec.* 12. *num.* 3. *p.* 3. *Achil. dec.* 2. *num.* 3. *de pactis, Boss. nu.* 211. Non purificata enim conditione cum nullum ius acquiratur contrahentibus, non tenentur stare contractui. Beneplacitum verò Apostolicum tunc censetur obtentum, cum nedum supplicatio est signata, sed quando est registrata, quia antequam registretur gratia non intelligitur facta, *Pyrrhus de dispens. lib.* 9. *cap.* 6. *num.* 37. quem sequitur *Boss. d. num.* 211.

592 Limitatur verò hoc, vt sit verum solùm ex parte Ecclesiæ, quia scilicet illi soli competat facultas pœnitendi, & si ipsa velit stare contractui non possit laicus venire contra & à contractu resilire. *Boss d. num.* 211. *ex Pyrrho vbi sup. n.* 40. *Ciarl. cap.* 39. *n.* 45. *Donat. tract.* 14. *quæst.* 32. Quia solemnitas beneplaciti Apostolici fuit introducta fauore Ecclesiæ, & ideo contractus solùm fauore illius claudicat.

593 Verùm contra huiusmodi resolutionem adest instantia. Quia sicut contractus absolutus parit absolutam obligationem, ita contractus conditionalis parit obligationem cōditionalem. Vnde licet contractus initus sub conditione beneplaciti Apostolici vel alterius futuri euentus nullum ius absolutum tribuat, tribuit tamen ius conditionale, & tale, quòd partes obligantur ad expectandum euentum conditionis, & vna inuita alia non potest pœnitere, sed obligatur ad expectandum euentum conditionis. *Syluest. v. donatio* 1. *quæst.* 15. *Sanchez l.* 5. *d. matr. disp.* 6. *num.* 8. *& apud eum Molina trac.* 2. *disp.* 285. *concl.* 4. *per l. qui balneum* 9. *& l. potior* 11. *ff. qui potiores in pignor.* & quamplures alii apud *Grat. discep.* 514. Et ideo in matrimonio conditionali partes non possunt pœnitere ante aduentum conditionis, sed quælibet illarum manet obligata ad expectandum euentum conditionis, vt per *Gloss. in cap. super eo, v. alieno arbitrio, de condit. & Panorm. ibid. num.* 7. *Præpos. num.* 3. *Anton. nu.* 6. *Syluest. v. matrimonium* 3. *quæst.* 4. *dicto p. Tabien. v. matrim.* 2. *quæst.* 11. *notab.* 3. *Victor. relect. de matr. par.* 1. *p.* 2. *num* 9. *Conar.* 4. *decreti p.* 2. *c.* 3. *num.* 6. *Ledesma de matrim. quæst.* 47. *a.* 5 *dub.* 7. *§. colligitur* 3. *Sanchez loco citato*, & alij ab istis relati. Eadem igitur ratione in contractu inito sub conditione beneplaciti Apostolici, partes tenebuntur expectare euentum conditionis.

594 Quatenus verò in foro externo velimus, vt detur partibus locus pœnitentiæ iuxta sententiam Rotæ limitatio admitti non debet, & Rotæ citatæ pœnitentiam concedunt partibus absolutè & non solùm Ecclesiæ. Nec dictæ limitationis, & inæqualitatis video rationem efficacem. Solemnitas enim hæc fuit introducta fauore Ecclesiæ vt non decipiatur in contractu, & non lædatur, & sine necessitate aut vtilitate sua non alienet; non verò, vt quando contrahit, nō debeat seruari æqualitas, quam inter contrahentes petit iustitia, aut natura contractus. Qui si substantialiter ex quo est conditionalis non dat ius contrahentibus, nec ergo dat ius Ecclesiæ contra laicum; conditio enim suspendit, & nihil ponit in esse, & non minùs conditionata, ideoque & suspensa est voluntas laici contrahentis cum Ecclesia sub conditione beneplaciti Apostolici, quàm voluntas Ecclesiæ. Aliàs etiam cum contractus sic initus ante obtentum beneplacitum sit substantialiter informis, non potest obligare ex iustitia, aut si obligat ex vna parte, obligabit ex alia, vt sit inter contrahentes æqualitas, quam natura iustitiæ, & contractus requirit. Et quidem verum est, quòd si in contractu Ecclesia sit læsa, potest Ecclesia resilire à contractu, & pœnitere, Sed hoc ideo est, quia hoc contractus est contra leges, vnde etiam obtento beneplacito Apostolico, quòd vt dictum est, non supplet defectum causæ iustæ, potest Ecclesia vel pœnitere, & impedire confirmationem, vel media restitutione in integrum agere ad rescissionem contractus. Sed vbi aliàs contractus sit vtilis Ecclesiæ, & sit secundùm leges, & ad eius complementū solùm desit assensus Apostolicus, sub cuius conditione contractus fuit initus. Vel nulla partium potest pœnitere, sed quælibet tenetur expectare euentum conditionis: Quòd verum puto saltem in foro conscientiæ. Vel si Ecclesia potest pœnitere, & id facere potest altera pars. Ita tamen vt pars, quæ pœnitet restituat, si quid ab altera recepit, vt dixit *Rota coram Puteo d. dec.* 2. *de transact. & dec.* 343. *num.* 5. *lib.* 1.

595 Post obtentum verò beneplacitum Apostolicum, etiam antequam contractus confirmetur per Commissarium à Papa deputatum statim ac supplicatio signata à Papa est registrata, nec Ecclesia potest ampliùs pœnitere. *Rota dec.* 15. *num.* 6. *coram Buratto, & dec.* 41. *nu.* 4. *coram Mantica. Grat. discep.* 514. *num.* 9. *Boss. num.* 212. Nam vbi iam adest beneplacitum Apostolicum contractus est formatus, & substantialiter perfectus; Nam & conditio fuit purificata. Nec obstat si nondum constet an contractus sit Ecclesiæ vtilis, quia hæc incertitudo non suspendit gratiam; Et si constabit alienationem non esse vtilem, tūc Ecclesia recedet a contractu non ex vi solius pœnitentiæ, sed ex defectu beneplaciti Apostolici, & intentionis Papæ nolentis alienationem fieri nisi in euidentem Ecclesiæ vtilitatem.

596 Sed quid dicendum, si impetrato beneplacito Apostolico, alienatio sub eius conditione facta nulliter confirmetur? Tunc primum contractum esse completum tradit *Rota d.* 678. *num.* 3. *p.* 2. *rec.* Nam iurisdictio in vim dictæ commissionis tributa per primum actum etiam nullum fuit consummata Et ideo nec Ecclesiam posse cogi ad contrahendum de nouo, nec posse cogi ad petendam nouam confirmationem; & tamen in eius optione esse positum vt velit, vel nolit stare contractui ex *Rota in Cortonen. bonorum* 3. *Iulij* 1589. *& Ricc. Collec.* 3054. *Boss. d. tit.* 18. *num* 213. Sed certum est, quòd si nullitas

liras confirmationis est, quia contractus non sit in vtilitatem Ecclesię, etiã si velit, non potest stare contractui. Si verò contractus habeat euidentem vtilitatem, & tamen sit nulliter confirmatus ex non seruata forma commissionis, eadem est vtriusque partis conditio, & qualibet, vel nulla potest pœnitere; sed immò dicendum est nullam obligari ad standum contractui, quia conditio iam fuit nulliter posita, & ex vi contractus, non se obligarunt partes ad iterandam petitionem assensus Apostolici, si vel semel non obtineretur, vel obtentus nulliter executioni datetur.

597 Considerandum etiam est, quòd contractus alienationis potest fieri, vel sub conditione beneplaciti Apostolici simpliciter, vel cum clausula, *& non aliàs, aliter, vel alio modo.* Si fiat primo modo, semper intelligitur cum clausula *quatenus opus sit*, seu si *illud sit necessarium*. *Rota dec.519.n.3.p.1. diuers.& dec.404.num.6.p.2. recen.& 1027. num.7. & 1319. numer.2. coram Seraphino. Bois. vbi sup. n.314.* Ideo si Papæ beneplacitum non sit necessarium, contractus sine eo tenet, & est validus, sed si contractus fiat cum præfata clausula, remanet conditionalis, ita quòd etiam si in eo casu beneplacitum Papę non sit necessarium, censendũ sit necessarium ex vi conditionis, ita vt sine eo, cõtractus non valeat, & si negatur, contractus intelligatur resolutus, & nullius roboris. *Rota dec.374.num.1. & 12.coram Buratto, & ibi additionator, & dec.192. num.1.coram Greg.XV.& ibi addit. & in Papien.bonor.12.Maij 1628. coram Coccino & dec.650.p.1.diuers. in fine, Ricc. plures allegans p. p. praxis res.53. num.1.Bois.num.215.* Præfata enim clausula conditionem importans resolutiuam contractus, facie vt contractus resoluatur, ac si nihil gestum esset. Nam est voluntatis limitatiua, & præseruat sua iura in casu contrario *Paris. cons.285. vol.1. Verall. dec.82.num.3.& 84.num.11.p.3.Ricc. vbi supra Bois. num.215.*

598 Denegato autem beneplacito ab vno Pontifice, etiam simpliciter resoluitur contractus, nullaque pars potest cogi expectare voluntatẽ successoris. Nam ex quo beneplacitum fuit semel denegatum, conditio defecit, & remansit contractus resolutus. *Rot.dec.290.num.2.p.3.lib.3 diuers. Gonzalez ad reg.8.Cancell.gloss.12.nu.99. Pyrrhus Corrad. cap.4.num.99.lib.9.de dispensat. Bois. d.num.215.*

599 Dubium etiam est, an alienans rem Ecclesiæ cum reseruatione beneplaciti Apostolici vel etiã sine ea, si ante obtentum illud beneplacitum tradat possessionem incidat in pœnas Paulinæ. Ex supra resolutis à nu.161. dicitur eum incurrere, etiam si in contractu sit clausula & *non alias, nec aliter & alio modo*, quia si traditur possessio protestatio est contra factum & inutilis. Si verò non traditur possessio, qui rem Ecclesiæ alienat non incidit in pœnas, quia tunc alienatio non est consummata, vt contra. *Bonac. de alien.p.5. nu.2.* tradunt *Couar.l.2. var.c.16.nu.7. fin. Donat.p.2.tract.14.quæst.25. Bois. d.tit.18.num.218.* Nam per alienationem si non traditur possessio non censetur translatũ dominium. *Rota dec.540. num.6.coram Seraphino.* Et quòd solutio pretij etiam habita fide de eius solutione non transferat dominium dixit *Rota dec.96.num.1.& 3. p.2.recent.* Licet enim solutio pretij faciat contractum validum, non tamen transfert dominium.

Econtra verò quomodo possessio transferat dominium, vel supponat translatum dictum est supra loco citato.

600 An etiam doctrina data debeat intelligi de eo, qui vltra tempus continuat possessionem rei Ecclesiæ non impetrato assensu Apostolico, non est prorsus certum. Nam si v. g. laicus obtinuit prædium titulo locationis per triennium, quo tempore elapso obtinuit idem prædium in emphyteusim perpetuam saluo beneplacito Apostolico, quòd iste si post triennium continuat possessionem prædij incidat in pœnas Paulinæ, tenet *Ricc. p.p.praxis res.88.* asserens sic etiam fuisse decisum in Curia Neapol. quia protestatio etiam hic est contra factum, & cum ex nouo titulo possideat, censetur possidere ex noua, & mutata causa possessionis, absque alia animi declaratione, vt per *Achil. de Grass.d.4.de causa possess.* sed *Bois.tit.18.num.220.* distinguit. Nam vel fuit negligentia ex parte conductoris, vel ex parte concedentis, impetrandi assensum Apostolicum, & conductor tanto tempore detinuit prædium, quo potuit præsumere illum peti potuisse, & non fuisse impetratum, & in hac casu quia conductor est in mala fide, & detinet bonum Ecclesiæ tanquam alienatum absq; assensu Apostolico contra dispositionem Paulinæ, incidit in pœnas illius. Vel statim & sine negligentia assensus Papæ procuratur, & interim conductor perseuerat in possessione, quia tunc conductor non est in mala fide, potest censeri, quòd maneat vt reconductor, & quòd in pœnas Paulinæ non incidat. Et huic determinationi fauet *Rota dec.13.& 14.par.1. diuers.* Sed nisi expressè reconcedatur res sub titulo locationis, sed detur in emphyteusim relicta possessione, dicendum est secundũ *Ricc.* talem incidere in pœnas Paulinæ. Bona autem fides est circumstantia ex parte operantis, quæ ab hac excommunic. excusat, etiam si quis verè alienet. Neque hæc bona fides præsumitur ex eo, quòd præfatus continuet possessionem, quia & hoc mala fide fieri potest. Et ex genere suo est malum, & per Paulinam prohibitum.

601 Dubium est, ex quibus causis gratia concessionis, *si in euidentem* sit nulla vel nulliter executa. Est enim certum, quòd forma rescripti Apostolici seruanda est omnino, quia confirmatio alienationis, facta non seruata forma rescripti, & concessionis est sine dubio nulla. *Rota 868.num 1. & 1195.coram Seraphino, & dec.624.num.1. p.1.& dec.676. numer.5. p.2. recen. Ricc. p.p.res.55.& 69. Pyrrhus Corradus de dispens.l.9. c 5.n.31.*

602 Colligitur primò, quòd si in gratia *si in euidentem* continetur vt specificentur bona alienanda, nulla est confirmatio, si illa non specificentur. *Rota d.dec.624.num.2.& 3.p.1.rec.& dec.678. nu.2.* vbi quòd non sufficit specificatio in genere, quia vbi datur certa forma specificandi illa debet seruari. *cap. Pisanis, & ibi Gloss.in v.irritum, de restit. spol. & ex Ricc.collec.3874.Bois. d. tit.18. num.224.* Nam cum validitas alienationis tota pendeat ex vtilitate Ecclesiæ. *cap.sine exceptione 12.quæst.2.* vix est, quòd vtilitas certa sine specificatione possit haberi, quia iudicium humanum fertur ad manifesta. *cap.erubescat, dist.32.* Quòd tamen limitatur, vt non procedat quando Episcopus sine specificatione dedit licentiam alienandi rem minus vtilem,

quia tūc licet Episcopus male fecerit, quia tenebatur specificare, tamen alienatio valebit. *Grat. discep.766.n 12 Ricc.& Bosi.citati*.Sed hoc difficultatē haber, quia non saluatur forma rescripti,nec *Grat. ibid.*loquitur in hoc casu,sed quando Papa rescripsit in genere, & mandauit fieri translationem bonorum. Valeret tamen alienatio, si in gratia data fuisset licentia alienandi v. g. 7. petias terræ, & in alienatione dictum fuisset alienari omnes petias terræ existentes in tali parte, si conster Ecclesiam in ea parte non habere nisi 7. petias terræ. *Rota in Bonon.domorum de Morino 16.Iunij, & 20. Nouem. 1595.coram Millino*, quam sequuntur *Ric. & Bosi, vbi supra.*

603 Colligitur secundò, quòd confirmatio, & alienatio est nulla,si mutetur species contractus,vt si licentia sit pro emphyteusi in perpetuum, & alienatio fiat per concessionem perpetui census. Quia duæ istæ species alienationis valde diuersæ sunt, cum per emphyteusim alienetur solum dominium vtile,retento dominio directo, & per censum vtrumque dominium transferatur, & vtraque possessio. *Rota dec.1195.coram Seraph.Gloss.& Panorm. in cap. constitutus num.20. de Relig. domib. Imola in cap.ad audientiam de reb. Ecc.non alien.Boss.vbi supra num.225.*vbi quòd in dubio contractus potiùs præsumitur censualis, quàm emphyteuticus per *Quarantam v.alien.n.16.Cresc.dec.1.* de censibus addens in dubio attendi contra illum, qui se fundat, in instrumento contractus;de qua te *Mascard.concl.181. & Menoch.l.3.præsump.106. sed Quaranta loc.cit.*tenet oppositum nimirum, quòd in dubio contractus præsumitur emphyteoticus potiùs, quàm censualis. Si etiam (quòd aliquando contingit) Papa in gratia restringat alienationem perpetuam ad certum tempus, forma rescripti debet seruari, & solùm pro certo tēpore poterit alienatio confirmari.

604 Colligitur tertiò, quòd etiam si alienatio facta sit cum extensione nedum ad filios,sed etiam ad extraneos, si gratia, seu licentia est restricta ad solos filios, nequit alienatio extendi ad extraneos, & pro solis filijs potest confirmari. *Rota decis.868. num.1.coram Seraphino.* Quare quando in supplicatione pro obtinenda gratia *si in euidentem* narratur factum aliter, quàm fit, pro validitate, & inualiditate alienationis attendi debet supplicatio & licentia obtenta nō instrumentum alienationis,iuxta *Rotam d.d.888.* & immò confirmatio à superiore obtenta contra formam in instrumento conuentam est inutilis, & perinde ac si non esset obtenta; vt ex *Io: Andr. Lanar. & Imer. probat Rota dec.676. num.4.p.2.recent.Boss.tit.18.num.226.*

605 Colligitur quartò, quòd si confirmatio exprimat concessionem in emphyteusim fuisse factam ad tertiam generationem, cum verè facta fuerit in perpetuum,confirmatio & alienatio nulla est etiam pro tertia generatione.

606 Colligitur quintò, nullam esse confirmationem aut alienationem,si fiat vltra summam concessam. Quando enim non determinata re alienanda datur alienandi licentia pro aliqua summa determinata, nimirum si datur licentia alienandi pro summa centum aureorum, nulla est alienatio si fiat pro maiori summa. *Rota dec.430.num 2.p.2.recent. ex Paris.cons.85.num.45.l.2.& ex dec. Rota in Lucana Bonor.26. Martij 1610. coram Pamphilio senior,* Vnde est, quòd qui alienare intendit debet probare, quòd alienatio non sit vltra summam, vt ex *Paris.cons.17.num.28.Dec.cons.6.num.3.Rota in Romana deuolut.domus 28.Maij 1582.coram Rubeo probat Boss.d.tit.18.num.228.vbi num.229.*quòd confirmatio facta non exhibito instrumento nulla erit ex *Rota in Cortonen. locationis 26. Ianuar.1590. coram Orano & Ricc.collect.4054.* Quando tamen datur licentia pro summa maiori, valet alienatio si fiat pro minori summa. *Rota dec.401. num.1. coram Seraph.ex Panorm.cons.41.fin.lib.p.* vbi etiam ex *c. Pastoralis §.idem cum totum, & Felin. ibid.num.53. de off.deleg.* dicitur,quòd licentia ad alienandum plures petias terræ valet vt minor numerus petiarum alienetur.

607 Colligitur sextò, quòd vbi in rescripto est clausula *vocatis vocandis*, vel *vocato Episcopo*, aut *Abbate*, confirmatio facta sine citatione est nulla, *cap.exhibita, vbi Panorm.in vlt.notab.de iudic.Card. cons.63.in princ.Rota dec.30.de rescript.in nouis,*quos refert & sequitur *Rota dec.624. num.4. par.1.recent. & dec.601.num.3. coram Seraphino.* Et ideò ad valorem confirmationis debet constare de citatione vocandorum. Et cum aliàs, vt supra etiam dictum fuit, quando Episcopus, vel Rector est ille, qui supplicat,non sit necessaria citatio illius, hoc fallit, quando in rescripto expressè mandatur citatio Episcopi, aut Rectoris pro aliquo nouo interesse, quòd ex forma rescripti competit Episcopo, aut Rectori. *Rota d.dec.624.num.5.*

608 Colligitur septimò, quòd si in rescripto contineatur clausula *consentiente hoc*, vel *illo* vel *consentientibus filijs Canonicis*, aut *alijs*, alienatio est nulla nisi adsit talium consensus expressus.*Ricc: p.p. praxis res.*63. Cum ex vi talis rescripti consensus requiratur pro forma, vt per *cap. cum ab vno, de re indicat.& ex Gloss in v.mandantibus, & Ricc. vbi supra*, quem sequitur *Boss.num.232.*

709 Colligitur octauo rescriptum esse subreptitium, si supplicetur pro alienatione rei litigiosæ, & non fit facta mentio de litis pendentia in supplicatione, & quidem mentio specialis vbi specifica & particularis requiritur, & quidem etiam mentio status causæ, & vlteriùs mentio appellationis quomodocumque siue iudicialiter, siue extraiudicialiter à quocumque & ad quodcumque interpositæ,& etiam si lis pendeat virtute citationis executæ licet non reprodu ctæ, nisi aliàs lis fit nulla, seu annullanda seu elidibilis exceptione, vel replicatione, aut lis fit deserta. De quibus videri possunt DD. quos latè referunt *Ricc.p.p.praxis res.74. Barbosa ad cap.20.num.13. de rescript.& ad cap.57. nu.9.de appellat.Grat. discep.100.n.37,& discep.209. Boss.d.tit.18.num.233.Lancellot.de attent. p.2. cap.4. à num.630.& tit. de inualiditate rescripti lite penden. Menoch. de arbit. casu 202. Mascard. de probat.conc. 846.a.num.20.*

610 Est verò considerandum,quòd non omnis taciturnitas reddit gratiam nullam; sed solùm taciturnitas eorum, quæ de iure vel consuetudine exprimi debent. Vt dixi etiam in tractatu de Electione Canonica *cap.25.quæst.24 num.290.& docuerunt Felin. in c. super literis de rescript. Mohed dec.7. eod. tit.Verall. dec.312.num.3. p.1.& dec.46.num 3. p.2.& dec.224.nu.1.p.3.Ricc.p.p. praxis res.59.Boss, d.tit.18.num.234.* Vnde licet aliquid redderet diffi-

cilio-

ciliorem concessionem si exprimeretur, non tamen reddit gratiam nullam, si illud in iure non consideratur, seu non est de iure vt exprimatur. DD. citati. Exprimi tamen debet etiam, quòd de praxi & consuetudine est, vt exprimetur. Dictum quoque est supra, expressionem falsæ causæ non reddere gratiam defectiuosam, si non facit ad vtilitatem causæ, seu circa eum non versatur. *Rota d.443.numer.2.& dec.508.num.10.& dec.1174. num.7. & decis.1235.num.2.coram Seraph.& dec.101.num.5. coram Mantica Ricc.p.p.praxis in princ.nu.7.& res.14. Boss.tit.18. num.92.& 235.*

611 Qui *num.236.* aduertit, quòd clausula *si in euidentem &c.* posita in fine supplicationis restringit totam supplicationem, & omnes clausulas, ita vt tota dispositio & omnes clausulæ dicantur conditionales, & num.237. quòd sufficit, vt sit derogatum Paulinæ in gratia *si in euidentem &c.* etiā si ipsa non sit in ea inserta, & num.238. Quòd gratia *si in euidentem &c.* si non sit præsentata ante obitum Papæ expirat, prout etiam supra nu.496. dictum fuit.

612 Dubium esse posset, an beneplacitum Apostolicum ex lōgitudine temporis præsumi possit. Sed difficultas modò ablata est per Constitut. Vrbani VIII. in Appendice 47. & in numero aliarum 157. in qua decreuit in præiudicialibus Ecclesiæ nec ex longissimo temporis cursu præsumi posse beneplacitum Apostolicum ibi. *Illasque & illa ex quocumque temporis cursu, nec etiam ex quacumque prætensa obseruantia quantumlibet diuturna, longæua, longissima, seu immemorabili, etiam cum fama prætensi priuilegij Apostolici, ac etiam iuncta quauis scientia, conniuentia, tolerantia, taciturnitate facultate, & permissione, etiam ex actibus positiuis non legitimis resultante, Prælatorum, Ecclesiarum inferiorum, Legatorum, Nunciorum, & aliorum quorumcumque Ministrorum Apostolicorum, ac etiam respectiuè quorumcumque Rectorum, Gubernatorū, aliorumque prædictorum, etiam feudatariorum, etiam Sedis Apostolicæ, ac Baronum, cæterorumque iurisdictionem quomodolibet exercentium, ac forsan Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, & nostra, nequaquam fuisse hactenus, nec in posterum fore approbata, conualidata, neque respectiuè prorogata, extensa, protracta, vel perpetuata, minusque inde aliquam approbationem, vel præsumptionem alicuius beneplaciti Apostolici, neque aliquam bonam fidem, possessionem, vel quasi, aut præscriptionem, in aliquo etiam impediente, imponente, exigente, attentate, vel respectiuè occupante, vsurpante, vel transgrediente, aut quomodolibet continuante, nec in quocumque alio potuisse, nec vnquam posse resultare, vel induci respectiuè in Sedis Apostolicæ iurisdictionis, immunitatis, aut libertatis Ecclesiasticæ, seu Ecclesiarum, aut personarum Ecclesiasticarum, earumue iurium, ac bonorum & fructuum præiudicium, talemque præsumi fuisse semper mentem, & intentionem Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum prædictorū, ac respectiuè nostram fuisse & esse, quouis modo prædicta, & quæcumque alia præiudicialia nunquam approbandi, seu confirmandi nisi de prætensa approbatione, vel confirmatione Apostolica constiterit ex prædictis registris Apostolicis, vel aliàs iuxta formam prædictæ alterius constitutionis nostræ. Quin immò omnia, & singula præiudicialia fuisse à Sacris Canonibus Constitutionibus Apostolicis & Concilijs etiam vniuersalibus præsertimque a prædicta Bulla in Cœna Domini legi solita respectiuè reprobata, ac damnata prout etiam ad abundantiorem cautelam tenore præsentium reprobamus, & damnamus &c.*

613 Sed quoniam d. Constit. locum non habet nisi in præiudicialibus Ecclesiæ, quando Ecclesiæ fauor erit, vt solemnitates & vtilitas contractus præsumantur, tunc locum habere poterit doctrina communis, vt scilicet huiusmodi solemnitates, & necessariò requisita ad valorem alienationis præsumuntur adfuisse ex longitudine temporis 40. vel 30. annorum iuncta tamen obseruantia contractus & subsequuta possessione sine contradictione. *Rota decis.160. num.6. & 179.p.2. diuers. & dec.101. numer.3.& .671.num.1.& 1073.num.2.& 1080, nu.7. & 1125.num.3.& 1174.num.3. & 1307 num.7. & 1319.num.3.coram Seraph.& dec.430. num.3.p.2. Recen. Put. dec.355.l.2. Cassad. dec.3. num.7. Quaranta v.alien.num.46. Ricc. p.p. praxis res 4. num.1.* & alij communiter *ex cap.peruenit de empt. & vendit. Donatus latè disputans de hoc, p.2.tract.14.q.28. 29.& 30.& 31.& l.si filius, de petit hered.* Hoc verò tempus 40. aut 30. annorum debere numerari à morte illius Rectoris, qui alienationem fecit, dixit *Rota dec.57.a num.19. & dec.94. num.13.& 14. & dec.202.num.7.par.7.& dec.73.nu.21.& dec.103. num.8.par.8. Quaranta d.num.46. Barbos.de off.Epis. all.95.num.72.*

614 Quàmuis oppositum etiam voluisse *Rotam in Sarzanen. terrarum 20.Iunij 1593. & Ricc.Collec. 3054.* referat *Boss.tit.18. num.185.fin.* Ad huiusmodi verò præsumptionem deducendam requiritur in Pontifice scientia, & tolerantia, si tempus tolerantiæ sit minus 30. annis non verò si sit 30. annorum vel amplius, absolutè enim DD. asserunt ex longitudine 40. vel 30. annorum præsumi solemnitates. Sed tamen non habet locum hæc præsumptio, si ex instrumento appareat non interuenisse assensum Papæ, vel aliam solemnitatem, vel fuisse defectiuosum, vel minùs legitimam, vel fuisse excessum in facultate alienandi, vel facultatem fuisse nulliter executam. Quando etiam in instrumento ennunciatur solemnitas, sed non est integrè descripta, ex instrumento colligitur eam non fuisse adhibitam, vt ex *Paulo de Castro cons.48. vol.1. & Alex.cons.1. vol.4. adnotauit Boss. num.186.* Quando verò in Instrumento nihil dicitur de solemnitate, tunc in facto antiquo eam præsumi, si contrarium non appareat. *Felin. cap. sicut. num.33. de re iudicata dixit.* Vbi tamen statim hoc limitat, dicens, quòd vbi requiritur consensus alicuius personæ, si cum ea non fuit insecuta diuturna obseruantia actus, neque continuata illius notitia, non esset inducta præsumptio. Ex quo deducit, quod vbi est necessarius consensus Papæ non inducitur eius præsumptio si non constet verè, vel præsumptiuè Papam habuisse scientiam dicti contractus. Et tamen, quòd non sufficiat præsumptio obseruantiæ ad præsumendum beneplacitum Apostolicum, sed sit necessaria vera obseruantia dixit *Rota dec.301. num.4. coram Coccino, & dec.1042. coram Seraph.* non enim ex eodem cursu temporis sumi debent duæ præsumptiones. Verùm doctrina de istis præsumptionibus non est modò multùm necessaria. Quia in præiudicialibus contra Ecclesiam

hæc præsumptio locum non habet, nisi ex longitudine temporis centum annorum, vel immemorabilis ad formam Const. prædictæ in fine. In fauorabilibus verò, & vbi alienatio sit vtilis Ecclesiæ, ad summum sufficiet, si obtineatur beneplacitum nouum, quòd stante vtilitate Ecclesiæ non negabitur.

SVMMARIVM.

1 *Alienatio rei Ecclesiæ facta sine causa iusta, vel solemnitate est ipso iure nulla. n.615.*
2 *Triplex casus distinguitur. n.616.*
3 *Si alienatio deficiat solum ex iusto pretio in quo Ecclesia sit læsa, in nullo foro est nulla. Sed Ecclesiæ datur restitutio in integrum. n.617.*
4 *Si in alienatione deficiat sola vtilitas primaria, quòd sit, vel non sit ipso facto nulla, sunt variæ opiniones. n.618.*
5 *Si in alienatione deficiat sola vtilitas primaria, ipsa non est de iure naturæ ipso facto nulla. numer.619.*
6 *Consensus dupliciter dicitur legitimus. n.619.*
7 *Non obstante lege præcipiente res non alienari nisi sub hac vel illa conditione, remanet in Rectore Ecclesiæ facultas consentiendi secundum substantiam. n.619.*
8 *Ex vi Paulinæ sola alienatio deficiens ex præsumptione est ipso iure nulla. n.620.*
9 *Aliæ leges Ecclesiasticæ ab hac recipiunt interpretationem. n.620.*
10 *In hoc casu Ecclesiæ datur restitutio in integrum. num.620.*
11 *Alienatio deficiens ex solo defectu solemnitatis non est nulla in foro conscientiæ. n.621.*
12 *Hæc alienatio habet habitualem statum validitatis. nu.621.*
13 *Qui bona fide alienat sine solemnitatibus qualiter non peccet. n.622.*
14 *Alienatio nulla, si fiat sine requisito ex natura rei. num.623.*
15 *Ideo nulla si fiat sine consensu habentium interesse. num.623.*
16 *Si alienatio deficiat ex parte causæ, & solemnitatis, est nulla in vtroque foro. n.624.*
17 *Vbi contractus est in foro externo nullus, ad instantiam damnum passi debet declarari nullus. numer.625.*
18 *Si alienatio est nulla ex parte causæ, quilibet de populo agit ad recuperationem rei cum fructibus. num.626.*
19 *Et potest agi contra possidentem, & alienantem. num.627.*
20 *Et vno relicto potest post inceptum iudicium agi contra alium. n.627.*
21 *Qualiter formanda petitio ab vno de populo. numer.627.*
22 *Agente Clero non potest agere laicus. n.627.*
23 *Si alienatio deficiat ex parte solemnitatis, eius defectus non potest allegari, nec potest instari pro nullitate nisi ab Ecclesia. n.628.*
24 *Ante consummatum contractum cuique partium conuenit posse allegare defectum. n.629.*
25 *Non potest Ecclesia, si alienatio sit facta ad nouem annos, compellere partem ad hoc vt recipiat per tres annos. n.629.*
26 *Tenetur Ecclesia intra terminum iustum adhibere solemnitates. n.629.*
27 *Ecclesiæ plura competunt remedia ad recuperandum male alienatum. n.630.*
28 *Ecclesiæ competit remedium ad recuperãdam rem suam, etiam si ceciderit a possessione ex negligentia Prælati. n.631.*
29 *Ecclesia non perdit possessionem ciuilem. num.631. 632.*
30 *Non obstante, quòd ex contractu nullo sequuta possessione transfertur dominium, Ecclesiæ competit remedium possessorium. n.672.*
31 *Decretum irritans inficit titulum, & possessionem. num.632.*
32 *An post decennium competat Ecclesiæ remedium retinendæ. n.632.*
33 *Etiam post quadraginta annos competit Ecclesiæ remedium recuperandæ. n.632.*
34 *Qui rem Ecclesiæ in illius præiudicium alienauit, potest, & debet illam recuperare. nu.633.*
35 *Episcopus ipse potest in hoc esse iudex, vt rem à se male alienatam recuperet. n.633.*
36 *Etiam si iurauerit non recuperaturum. n.634.*
37 *Si alienatio sit mala ex defectu solemnitatis, tenetur Prælatus qui male alienauit, vel reuocare contractum, vel solemnitates adhibere. numer. 635.*
38 *Res Ecclesiæ recuperatur cum fructibus. n.536.*
39 *Possessor tamen bonæ fidei non tenetur restituere fructus consumptos, si non est factus locupletior. num.637.*
40 *Vbi contractus sit validus, vt quando datur Ecclesiæ restitutio in integrum, si læsio sit in primaria vtilitate, contrahens in conscientia tenetur vel contractum rescindere, vel Ecclesiæ damnum soluere. n.638.*
41 *Si Ecclesia est læsa in pretio, emptor tenetur pretium supplere. n.639.*
42 *Non admittitur præsumptio donationis. nu.639.*
43 *Vbi interuenit dolus est debita restitutio. n.640.*
44 *Si emptor scit iniustitiam pretij, quam ignorat vendens, tenetur suplere pretium. n.641.*
45 *In foro conscientiæ non licet decipere, etiam infra dimidiam. n.641.*
46 *Si vterque bona fide contraxit sub minori pretio, emens, si alias non emisset, tenetur, vel rem reddere, vel pretium supplere. n.641.*
47 *Etiam si Ecclesia vendat plus iusto pretio est obligatio restituendi. n.642.*
48 *In casibus in quibus datur restitutio in integrum, si Ecclesia est læsa, est obligatio restituendi etiam fructus ad ratam læsionis. n.643.*
49 *Ex quo alienatio alias vtilis Ecclesiæ est facta sine solemnitate, non intrat obligatio restituendi fructus nisi post sententiam; & tunc vbi, qui possedit fuisset possessor bonæ fidei, non tenetur restituere nisi tanquam bonæ fidei possessor. n.644.*
50 *Si contractui non desit solemnitas potest de facili adesse bona fides in possidente, & tunc non est necessitas restituendi fructus, nisi quatenus tenetur possessor bonæ fidei. n.645.*
51 *Etiam in eo qui contraxit sine solemnitate potest esse bona fides, non tam facile. n.646.*
52 *Non dari leges ignorantiam inuincibilem aliqui volunt. n.647.*
53 *Hi sibi contradicunt. n.648.*

An alienatio rei Ecclesiæ ex defectu vel causæ, vel solemnitatis sit ita ipso facto nulla, vt in vtroque foro dicenda sit talis?

INSPECTIO SEPTIMA.

615 SVpponitur, quòd hęc alienatio ex defectu vel vtilitatis, vel solemnitatis sit ipso iure nulla. Licet enim *Steph. Bauny p.3. Theol. moral. l.1. q.6. asser.3. ad p.* existimauerit huiusmodi alienationẽ non esse ipso iure irritam, ex quo sit facta sine solemnitatibus, quia *c. sine except.* & decretum Concil. Agathensis induceunt nullitatem alienationis non factæ sine solemnitatibus per verbum futuri temporis *irrita erit*, vel *non valebit*; at verbum futuri temporis importat sententiam ferendam, non latam, seu nullitatem declarandam, non ipso iure latam. Vnde si non adesset alia lex irritans huiusmodi alienationes posset sustineri, quòd ex vi illorum canonum, alienatio facta sine solemnitatibus non esset ipso iure nulla, tamen spectatis alijs iuribus nimirum *cap. quisquis Episcopus, cap. quidquid, cap. alienationes 12. quæst.2. & cap 2. de reb. Eccles. non alien. in 6. & extrauag. ambitiosæ* manifestum est, quòd alienationes rerum Ecclesiæ factæ sine solemnitatibus sunt ipso facto nullæ. Quòd magis constat ex constit. 157. Vrbani Octaui de præseruatione iurium Ecclesiæ, per quam ita huiusmodi alienationes censentur irritæ, & nullæ, vt nec ex longæuo, aut longissimo tempore vnquam conualidentur, & nullum Ecclesiæ præiudicium ferant, & solùm per centenariam, aut immemorabilem iuris conditiones habentem possint sic alienata præscribi. Propterea, quòd alienatio rei Ecclesiæ facta vel sine causa, vel sine solemnitatibus sit ipso iure nulla, tradunt communiter DD. quos referunt, & sequuntur. *Redoan. rubr. de causa vtilitatis a num.205. & rubr de solemnitatibus à n.63. Quaranta v. alien. num.50. Nauar. commen. de reb. Eccl. non alien. num.13. Rodriquez t.1. quæst.27. a.9 Barbosa de off. Episc. alleg.95. num.47. Ricc. p.p. praxis aurea ref.7. & 12. Boss tit.15. num.161. & tit.18 num.91. &c.* Et fuit in Rota sæpissimè resolutum, vt patet *dec.39. nu.40. part.8. recen.*

616 Hoc verò supposito triplex casus distinguitur. Vel enim alienatio est nulla ex solo defectu vtilitatis, vel ex solo defectu solemnitatis, vel ex vtroque. Si autem alienatio deficiat ex parte vtilitatis, quia nimirum Ecclesia remanet læsa ex alienatione, distingunt DD. vtilitatem in primariam, & secundariam. Illa attenditur ex causa alienandi, quia scilicet adfuit necessitas vel vtilitas Ecclesiæ, ex eo quia vel v.g. vrgebant debita soluenda, vel penuria victus, vel bona Ecclesiæ erant sterilia, vel inculta, vel incommoda; & ita defectus huius vtilitatis primariæ consistit in defectu iustæ causæ motiuæ ad alienandum. Sed vtilitas secundaria consistit in æqualitate & iustitia pretij, & sic defectus huius vtilitatis consistit in eo, quòd Ecclesia læsa sit in pretij quantitate.

617 Quando igitur sit seruata solemnitas, si alienatio deficit ex eo, quòd Ecclesia sit læsa in pretio, contractus in nullo foro est nullus, ipso facto, sed indemnitati Ecclesiæ subuenitur per restitutionem in integrum. Ita habetur *cap.1.* de in integrum restitutione vbi *Panorm. num.7. Innoc. Bald. num.1. Anton. num.19. Imol. num.1. Anan. num.27.* Rota *dec.180. num.2. & 181. nu.2. p.1. diuers. & dec.445. num 5. coram Coccino, Couar. l.2. var. cap.17. num.2.* Nam si contractus iste esset nullus, non daretur Ecclesiæ restitutio in integrum, quæ locum non habet vbi contractus est nullus. *cap. ad nostram de reb. Eccl. non alien. Rota d. dec.180. num.2. Couar. d. num.2.* Et hoc nedum est verum vbi contractus initur bona fide, & pretium putatur iustum, sed est verum absolutè, & etiam si contrahentes læsionem sciant, & dolosè admittant. Quia textus *d. cap. p.* absolutè sine distinctione aliqua Ecclesiæ læsæ in alienatione decernit dari debere restitutionem in integrum. Et ita *Panorm. Bald.* & alij absolutè dicunt, quòd vbi Ecclesia læsa sit in pretio datur illi restitutio in integrum ad rescindendum contractum. In quo bene ex *Bald. cap. cum causam el 2. n.1. de test. & Panorm. cap. constitutus num.10. de in integ. restit. & Couar. l.1. var. cap.3. num.11.* aduertit *Barbosa*, quòd Ecclesiæ sic læsæ in pretio nedum conceditur vt suppleatur læsio per integram solutionem pretij, sed vt alienatio ipsa rescindatur, & annulletur. Et idem confirmetur, quia DD. communiter docent, quòd ad alienandum res Ecclesiæ duo sunt necessaria & sufficiunt, scilicet causa iusta, & solemnitas, vt dictum est supra pluries igitur vbi nullum horum duorum deest contractus non erit nullus. In foro autem conscientiæ semper, qui contraxit tenetur Ecclesiam indemnem reddere, & integrum pretium soluere, quòd ei Ecclesiæ Rector non potest remittere, nisi essemus in casu in quo idem Rector posset iustè illam quantitatem donare.

618 Sed si alienatio facta est, nulla deficiente solemnitate, sed tamen deficiente causa iusta, quæ in rei veritate, & coram Deo nulla fuit ex duabus vel quatuor causis in iure expressis, & enumeratis, quæ mouerent Ecclesiam ad alienandum, & in rei veritate Ecclesia læsa fuit, quia vel sine necessitate bonum suum amisit, vel minus vtile acquisiuit, non desunt adhuc, qui dicant contractum non esse nullum, ex quo initus fuit seruata omni requisita solemnitate, licet tunc Ecclesia restituatur in integrum. Ita senserunt *Gloss. in cap. sine excep. v. pro futuram, 12. quæst.2. Hostien. in summa tit. de rebus Eccl. non alien. in fine,* nec omnino displicuit *Couar. l.2. var. cap.17. num.2.* Sed alij limitatè magis loquentes di-

stinxe-

ſtinxerunt inter malam, & bonam fidem contrahentium, & dixerunt alienationem eſſe nullam, ſi non deſuit vtilitas putatiua, quia nimirum partes crediderunt alienationem eſſe Eccleſiæ vtilem. *Gloſſ. in cap. ad noſtram in v. enorme*, de reb. *Eccl. non alien. Gloſſ. in cap. cum Apoſtolica v. profuturum*. de his, quæ fiunt à *Prælat. Felin. in cap. quæ in Eccleſ. numer. 1. de Conſtit.* vbi pro eadem ſententia refert. *Anton. in cap. cum Apoſtolica*, de his, quæ fiunt à *Prælat.* & ibi *Imolam, & Io: Andr. in cap. 1. de reſtit. in integr. Archid. in ſumm. in cauſ. 12. quæſt. & rurſum Ant. & Io: Andr. in cap. 1. de ſolut.* Eandem ſententiam tenet *Conar.* vbi ſupra, & apud eum *Anton. Burgen. in cap. cum dilecti, de empt. & vendit.* nec negat *Rota deciſ. 445. coram Coccino num. 8. & 9.* Sed alij abſolutè volunt, quòd vbi alienatio non ſit facta in ca ſu licito, ſeu ex iuſta cauſa neceſſitatis, aut vtilitatis Eccleſiæ, alienatio ſit nulla ipſo iure. *Panorm. d. cap. 1. de in integ. reſt. num. 17. Rota dec. 18. p. 1. diuerſ. Gloſſ. in cap. 1. v. redire, de reſtit. in integr. & in cap. nulli v. alienare de rebus Eccl. non alien. Ricc. p. prima praxis reſ. 15.* & omnes illi, qui communiter aſſerunt, quòd ad validam alienationem copulatiuè duo ſunt neceſſaria, ſcilicet iuſta cauſa, & ſolemnitas, quæ eſt ſententia communis, quam ſequuta eſt Rota & DD. ab ea citati, prout retuli ſupra nu. 460. Et ij, qui dicunt, quòd beneplacitum Apoſtolicum non ſupplet defectum cauſæ, vt dictum eſt ſupra nu. 579. Ratio autem huius ſententiæ eſt petita tum primò ex *cap. ſine except. & cap. 1. de rebus Eccleſ. non alienand.* Tum ſecundò, quia nulla eſt alienatio ſi deficiat conſenſus legitimus, *cap. quæ in Eccleſiar. de Conſt. & cap. final. de reb. Eccl. non alienan.* At verò legitimus conſenſus deficit, vbi deficit iuſta cauſa alienationis, quia conſenſus non eſt legitimus, niſi interponatur in caſu licito. Et aliàs beneplacitum Apoſtolicum ſemper eſt conditionatum conditione vtilitatis Eccleſiæ.

619 Ad diſcernendum inter iſtas ſententias neceſſe eſt priùs videre, an alienatio rei Eccleſiæ facta ſine cauſa iuſta & cum Eccleſiæ læſione ſit nulla ipſo iure naturali, aut diuino. Videtur verò ita eſſe, tum quia talis alienatio eſt iniuſta, tum quia non adeſt in eo caſu legitimus conſenſus, quia Eccleſia, quæ eſt domina rei ſuæ non conſentit, & Rector non habet poteſtatem conſentiendi in damnum Eccleſiæ, quia hæc poteſtas ei eſt negata ex iuribus à tertia opinione citatis. Sed hæc habent inſtantiam, tum primò, quia & vbi Eccleſia læditur in pretio rei, conſenſus alienantis non eſt legitimus, quia non poteſt Eccleſiæ Rector alienando Eccleſiam lædere, nam & tunc rem Eccleſiæ inutiliter alienat, quia quantitatem per quam pretium deficit à pretio iuſto donat, & tamen iuxta communem ſententiam alienatio talis non eſt ipſo iure nulla, ſed Eccleſiæ datur reſtitutio in integrum, vt dictum eſt. Tum ſecundò, quia conſenſus dici poteſt legitimus dupliciter, vel quia ſit ab habente ſecundum ſubſtantiam poteſtatem conſentiendi, quia nimirum eſt ab Eccleſiaſtica perſona habente ex lege, & iure poteſtatem adminiſtrandi res Eccleſiæ, & ex conſequenti exprimendi Eccleſiæ conſenſum in alienationibus; vel quia ſit etiam à non abutente poteſtate ſua contra Canonum præſcripta. Non poteſt accipi conſenſus legitimus in hoc ſecundò ſenſu, nec verè accipitur in iuribus citatis. Nam ſi ita acciperetur ſequeretur, quòd omnis alienatio in qua quocumque modo læderetur Eccleſia eſſet ex iure naturali & diuino nulla; quia omnis talis eſt ab abutente poteſtate, quam habet ad conſentiendum, quia nullus Eccleſiæ Rector poteſt cum Eccleſiæ læſione alienare, & ſic etiam vbi eſſet læſio in ſolo pretio, alienatio eſſet ipſo iure naturæ nulla, & malè in *cap. 1. de in integ. reſt.* decretum fuiſſet, Eccleſiæ læſæ dandam eſſe reſtitutionem in integrum, quæ locum non habet, vbi alienatio eſt ipſo iure nulla. Et in *dic. cap. quæ in Eccleſiarum, de conſtit. & cap. fin. de rebus Eccl. non alienand.* agebatur de alienationibus rerum Eccleſiæ factis per laicos, & ideo Innoc. III. decernit, huiuſmodi alienationes inualidas, niſi fiant interueniente legitimo conſenſu perſonæ Eccleſiaſticæ; vnde per legitimum conſenſum intelligit eum, qui datur à perſona Eccleſiaſtica habente adminiſtrationem rei Eccleſiæ alienandæ. Et hoc confirmatur, quia vt dicetur infra, communis ſententia eſt, vt ſi alienationi non deſit Eccleſiæ vtilitas, ex ſolo & mero defectu ſolemnitatis, ſeu conſenſus Apoſtolici alienatio non ſit ipſo naturæ iure nulla, ſed ſit valida in conſcientiæ foro, & tamen talis alienatio non eſt ex conſenſu legitimo in ſecundò ſenſu; quia Rector Eccleſiæ contra legum præſcriptum abutitur ſua poteſtate, ſi alienat ſine iuris ſolemnitate. Non congruè etiam Pontifices loquuti eſſent in *d. cap. quæ in Eccleſiarum de Conſt. & cap. fin. de rebus Eccl. non alien. & cap. 2. eod. tit. in 6. & in Clem. 1. & in extrauag. ambitioſæ eod. titulo*, decernentes & irritantes alienationes rerum Eccleſiæ contra præſcriptum earum legum initas, quia non debuiſſent decernere irritationem, ſed illam ſupponere, & tanquam præexiſtentem declarare. Nam ſi per leges illas abſtuliſſent à Rectoribus Eccleſiæ poteſtatem alienandi ſecundum ſubſtantiam, & qualis de iure naturæ & diuino ſufficiens erat ad alienandum, & quam aliàs ante illas leges Adminiſtratores Eccleſiarum habebant, iam alienationes huiuſmodi tanquam irritæ iure naturæ non indigebant irritari, ſed erant ex eorum natura irritæ, & ſolùm ad maiorem expreſſionem declarari poterant irritæ. Ideò dicitur, quòd alienationes rerum Eccleſiæ factæ ſine Eccleſiæ vtilitate ab eis, qui habent aliàs adminiſtrationem rei Eccleſiæ non ſunt ipſo iure naturæ irritæ ex defectu poteſtatis conſentiendi in tales alienationes; quia hæc poteſtas ſecundùm ſubſtantiam reperitur in Rectoribus Eccleſiæ, licet ſit alijs legibus ligata, vt ea non abutantur. Ex parte verò iniuſtitiæ nec ſunt, ipſo facto omnino nullæ huiuſmodi alienationes, ſi ius ſaluis, & non reſciſſis poteſt conſuli indemnitati Eccleſiæ. In quo caſu quantum ſit ex vi præciſa legis naturalis, ac diuinæ alienationes illæ non ſunt irritæ, ſed debet vtilitati Eccleſiæ prouideri prout requirit iuſtitia.

620 His verò præmiſſis ad quæſtionem dicitur, quòd ſpectata ſola extrauag. *ambitioſæ* ſecunda opinio ex prærecitatis præferenda eſt. Quia in dicta extrauag. ſolæ alienationes ex præſumptione initæ contra ius decernuntur irritæ, ibi. *Si quis autem contra huius noſtræ prohibitionis ſeriem de bonis, & rebus eiſdem quidquam alienare præſumpſerit, alienatio &c. huiuſmodi nullius omnino ſit roboris, vel momenti.* Alienatio verò, quæ ſit bona fide

parti

partibus credentibus se alienare cum Ecclesiæ vtilitate, & ad alienationem non venientibus nisi seruata solemnitata necessaria, & obtento beneplacito Apostolico, nullo modo dici potest esse ex præsumptione; igitur in vi dictæ Constit.non est nulla. Vnde per illam extrauag. explicari possunt aliæ leges nullitatem alienationum harum decernentes. Quia bene lex posterior explicat priores, & illas restringit; vnde cum Paulus secundus expresserit, quòd nullæ sint huiusmodi alienationes, si sint ex præsumptione, in hoc alias antecedentes leges explicauit. Et quia etiam declaratio Sacr. Congregationis sub Vrbano Octauo inhæret Paulinæ, ideo & illa potest intelligi, vt tunc ex vi illius alienatio sit ipso iure nulla, cum est præsumpta. Quando verò non est præsumpta, si sit læsa Ecclesia, illi competat restitutio in integrum. Nec tertiæ sententiæ vrget ratio; quia in huiusmodi alienatione sic bona fide inita, & sine dolo, & adhibitis solemnitatibus non deest consensus validus, & legitimus secundùm substantiam, cum non desit consensus Administratoris Ecclesiæ, & præcipuè consensus Papæ. Recedente verò bona fide post contractum initum semper adest, & tunc manifesta erit ex iure naturæ obligatio reddendi Ecclesiam indemnem. Et hoc confirmatur: Quia quòd præcipuè præcipitur in decreto Sacr. Congreg. coram Vrbano Octauo est, quòd alienationes non fiant inconsulto Pontifice, in præsenti verò casu supponitur adesse beneplacitum Apostolicum. Sed & ex DD. relatis pro tertia sententia multi admittere possunt explicationem, & limitationem secundæ sententiæ, quæ cum tertia conuenit in hoc, quòd vbi non sit vtilitas putatiua in contractu, alienatio sit in vtroque foro ipso iure nulla, sed solum afficit non esse ipso iure nullam vbi cum solemnitatibus adhibitis concurrit etiam vtilitas putatiua. Quod licet expressè multi ex DD. illis non exprimant, neque tamen negant. Quòd si quis velit, quòd alienatio bona fide habita sit nulla ipso iure ex alijs sacris canonibus, considerandum erit primò, quòd nullitas expressa per octauam synodum *cap. 15. vt habetur c. Apostolica 12. quæst. 2. & per 7. synodum cap. 12. &* habetur *cap. quisquis eod. tit.* & per Vrbanum Papam *in cap. alienationes eodem tit. & quæst. & per S. Leonem Papam in constit. p. c. sine exceptione eadem caus. 12. quæst. 2. & ibid. cap. Abbatibus* est sententiæ ferendæ non verò est sententiæ latæ. Vel Sacri Canones loquuntur de alienatione facta sine solemnitatibus, *cap. sine exceptione, cap. alienationes, & in cap. 2. de rebus Eccl. non alien. in 6. & Clem. 1. eod. tit.* & præcipuè sine consensu Episcopi, qui consensus est necessarius ex natura rei, vbi de alienanda re spectante ad Ecclesiam agitur, & ideo propter huius defectum nullæ decernuntur alienationes in *cap. quidquid, & cap. alienationes eadem causa 12. quæst. 2.* Vel loquuntur de alienatione facta ex præsumptione, vt in *cap. monemus, & cap. alienationes ead. causa 12. quæst. 2. cap. final. de reb. Eccl. non alien.* Vel non loquuntur vniuersaliter, sed aut de alienationibus factis ab intrusis, vel nondum consecratis Episcopis, vt *cap. alienationes dicta 12. quæst. 2.* aut factis ab Administratoribus Regularibus, vt *Clem. 1. de reb. Ecclesiæ non alien.* seu à Religiosis, vt in decreto Sacr. Congreg. sub Vrbano VIII. Aut de particularibus quibusd.... alienationibus vt in *cap. 2. de reb. Eccl.* non alienandis in sexto, vbi prohibentur hæc actiones, scilicet bona Ecclesiæ constituere, recognoscere, seu profiteri se habere à laicis tanquam à superioribus, seu eadem ab ipsis aduocare, seu eos Patronos, vel aduocatos Ecclesiarum statuere perpetuò, vel ad tempus. Et in *Clem. 1. de rebus Eccles. non alien.* vbi prohibetur concessio rerum Ecclesiæ alicui ad vitam, vel ad tempus. Vel tandem loquuntur de alienatione facta sine beneplacito Apostolico, vt in *cap. 2. de reb. Eccl. non alien. & in Paulina eod. tit.* aut licentia Sacr. Congregat. Concilij vt in decreto Vrbani Octaui. Vnde benè examinatis legibus Canonicis apparet, quòd sub eorum nulla quatenus decernit nullitatem actus alienationis ipso facto, continetur alienatio habens vtilitatem putatiuam & solemnitates necessarias. Sed & in *cap. si quis presbyterorum de reb. Eccl. non alien.* vbi Symmachus Papa decernit, instrumentum, seu scripturam subscriptionis datam à Presbyteris, Diaconibus, aut defensoribus alienanti rem Ecclesiæ viribus esse vacuandam, *quamuis*, inquit, *ab initio nullas habuerit*, considerandum est, quòd scriptura & instrumentum nullas vires habet, eodum si contineat alienationem nullam ipso iure, sed etiam si contineat alienationem ipso iure irritandam, sicut in eodem capite decernitur, vt res malè alienata nihil obstante subscriptione Clericorum Ecclesiæ simul cum fructibus restituatur. Vnde ex illo cap. habetur nullitas actionis vt ipso iure ferenda, non verò vt ipso iure lata. Et nihilominùs adnotari debent, sicut adnotauit Antonius August. illa verba textus. *Quo iratus Deus animas percutit.* Quæ non conueniunt alienanti sine peccato, & bona fide agenti & maximè seruatis solemnitatibus iuris sine fraude, & dolo. Vnde ex nullo Sacrorum Canonum habetur, quòd alienatio bona fide facta & sine dolo, adhibitis solemnitatibus iuris, sit nulla ipso iure. Quamuis Ecclesiæ detur restitutio in integrum, si etiam sub bona fide maneniat se læsam. Credo tamen, quòd ad nullitatem alienationis sufficiat, si mala fides sit ex altera parte contrahentium, quia ad malum sufficit defectus in aliqua parte, & præcipuè si mala fides sit ex parte alienantis; quia Canones directiùs prohibent alienantes ne in Ecclesiæ damnum alienentur eius bona. Itaque vbi alienatio est in damnum Ecclesiæ, & deficit illi vtilitas primaria etiam putatiua alienatio in vtroque foro nulla est, etiam si non deficiant illi solemnitates: Quia cum hæc alienatio sit & ex natura rei, & ex parte contrahentium iniusta, merito Ecclesia illam in vtroque foro irritam voluit. Sed in casu (qui tamen vix est dabilis) quòd alienatio sit facta bona fide cum damno Ecclesiæ, & sine solemnitatibus, dicendum est, quod licet huiusmodi alienatio ex vi Paulinæ nõ sit nulla ipso iure, quia non est præsumpta, tamen nulla ipso iure dicenda est in terminis *cap. nulli, de reb. Eccl. non alienand. & cap. 2. eod. tit. in 9. & Clem. 1. eod. tit. & Decreti Vrb. VIII.* Si non admittatur, quòd huiusmodi leges ex Paulina accipiant interpretationem. Et nihilominùs bene dici potest etiam supposita nullitate iuris positiui, quod huiusmodi alienatio in foro conscientiæ sit valida, donec declaretur nulla; quia si facta sit nedum sine præsumptione, sed sine peccato, illa habet formam naturalem ex consensu bona fide contrahentium, vnde

eadem

eadem est ratio de tali alienatione, & de ea, quæ facta est salua forma naturali sine solemnitate iuris positiui.

621 Secundus casus erat, si defectus alienationis sit tantum ex parte formæ legalis seu solemnitatis, quia alienatio aliàs verè vtilis Ecclesiæ facta est sine aliqua solemnitate, licet auté multi dicane eam esse nullam in vtroque foro, tamen dicendū est eam valere in foro conscientiæ. Quia tunc contractus habet quidquid lex inducēs solemnitates prætendit, scilicet euidentem vtilitatem Ecclesiæ. Negarunt hanc conclusionem volēres huiusmodi alienationem esse nullam in foro conscientiæ *Suarez de leg. lib. 5. c. 32. n. 7. Sanchez in consil. moral. l. 4. c. primo dub. 15. & alij apud Boss. tit. 15. num. 161.* Et motiuum eorum est, quia in hoc contractu deest consensus legitimus, vnde est iure naturali nullus; quia Rectores inferiores Ecclesiarum non possunt dare consensum legitimum ad alienandum res Ecclesiæ, nisi dent consensum legibus formatum. Consensus enim legitimus est, qui est formatus legibus, & talis non est consensus ad alienandum non seruatis solemnitatibus iuris. Sed communis est sententia opposita, quòd scilicet huiusmodi alienatio sit in foro conscientiæ valida, donec per iudicem fuerit declarata nulla, & quod interim possidentes validè, & iustè possideant, licet contractus claudicet ex eo, quòd non est firmus, sed per iudicem est irritabilis, & declarari potest nullus. Sic tenuerunt. *Panorm. in c. 1. in fin. de in integr. restit. & in cap. quia plerique de immun. Ecclef. num. 31. Sylu. v. alienatio num. 13. Nauar. in comment. de spol. Cler. §. 2. num. 6. & in comment. de reb. Eccl. non alien. nu. 17. Quaranta v. alien. num. 51. Fel. in cap. 1. num. 39. de constit. Laym. l. 3. tract. 4. cap. 9 num. 9. Azor p. 2 l. 9. cap. 1. quæst. 8. Ricc. p. 1. praxis. resol. 7. num. 4. & res. 12. nu. 2. Boss. tit. 15. num. 161. & tit. 18. num 98. Donat. p. 2. tract. 14. quæst. 34.* Et à fortiori tenent omnes illi, qui absolutè volunt, quòd contractus factus in euidentem vtilitatem sit validus, etiam si sit factus sine solemnitate, quorum plures referunt *Ricc. d. res. 7. num. 1. & Boss. tit. 18. num. 97.* & dictum est supra, licet non probatum. Et probatur validè ex eo, quòd alienatio iuita cum vtilitate Ecclesiæ ab ordinario administratore rerum Ecclesiæ habet habitualem statum validitatis & quidem talem, quòd Ecclesia potest obligare alteram partem ad standū contractui, vt infra ex professo probatur. Talis igitur contractus aliquam obligationem naturalem inducit, non est igitur omnino in conscientia nullus; aliter nulla partium esset inuite obligata ad standum contractui; quia contractus nullus nullam obligationem inducit. Et ex hoc euidenter soluitur ratio oppositæ sententiæ, & dicitur, quòd leges prohibentes ne Rectores Ecclesiarum alienēt sine solemnitate, non abstulerunt ab illis potestatem alienandi secundùm substantiam, & vim naturaliter contrahendi, sed illam direxerunt. Vnde stat, quòd Rector validè consentiat, licet potestate abutatur, & per hoc in foro externo actus eius non teneat.

622 Immò quòd in hoc casu euidentis vtilitatis Ecclesiæ contrahentes bona fide sine solemnitate in foro conscientiæ non incurrant excommunicationem Paulinæ, nec mortaliter peccent, ex *Panorm. Felin. & Nauar. locis citatis* tradidit *Quaranta v. alienatio num. 50. & Grat. discep. 951. num. 5.* & probat *Boss. d. tit. 18. num. 98.* Quod tamen non approbo, nisi ex ignorantia talia alienatio proueniat, quæ sic alienantem a culpa excuset. Quia lex præcipiens adhiberi solemnitates seruari debet, & sine graui culpa nequit transgredi. Et licet ad incurrendam pœnam latam à Paulina cōtra alienantes sit necessaria præsumptio, tamen ad peccatum vitandum non sufficit nisi ignorantia inuincibilis, & quæ excludat coram Deo rationem voluntarij seu liberi.

623 Limitanda tamen est hæc assertio ex *Sylu. v. alienatio num. 15.* & distingui debent solemnitates meræ ab illis conditionibus, quæ simul sunt requisitæ de iure naturæ. Nam consensus potest esse aliquando mera solemnitas, vt in comparatione Papæ est consensus Capituli, aut Episcopi, quia ex iure naturali, & diuino Papa consentiente in alienationem non est necessarius alterius consensus, cum Papa sit supremus Ecclesiæ administrator. Verùm consensus alicuius superioris & legitimi administratoris rerum Ecclesiæ non est solemnitas, sed est de essentia validæ alienationis, quæ integratur ex mutuo alienantium consensu, vnde debet dari, qui consentiat legitimè ex parte Ecclesiæ. Similiter ex quo in Ecclesia introductæ sunt præbendæ, & bona applicata sunt mensis vel Prælatorum, vel Rectorum, vel Capitulorum, vel Conuentuum, & personæ huiusmodi habent iam interesse priuatum in huiusmodi bonis, consensus illorum in alienationibus, quæ ipsorum concernunt interesse non est solemnitas, sed requisitum ex virtute iustitiæ. Ideo si alienatio fiat sine aliquo huiusmodi consensu vel solemnitate, quæ non est pura iuris solemnitas, sed naturale requisitum, alienatio talis non est valida in foro conscientiæ, quia non habet naturalia requisita.

624 In tertiò verò casu, quando scilicet alienatio deficit tam ex parte causæ, quàm ex parte solemnitatis, certum est, quòd ipsa in vtroque foro est inualida, & ita DD. supponunt.

625 Verùm, quia contractus ipso iure nullus ex defectu solemnitatis licet in conscientia non sit omnino nullus, tamen ad instantiam damnum passi potest per iudicem declarari nullus, & irritari, videndum est.

626 Ad cuius instantiam alienatio Ecclesiæ nulliter facta sit declaranda nulla. Nam esto dicatur aliquis contractus validus in conscientia, si tamen est contra solemnitatem à lege inductam potest ad instantiam partium declarari nullus. Vnde modò quæstio est, an alienatio facta non seruata solemnitate iuris sit irritanda ad instantiam vtrorumque contrahentium, vel solùm ad instantiam Ecclesiæ. Sed distingui debet alienatio nulla, vel ex defectu causæ vtilitatis, vel ex defectu solemnitatis. Nam si alienatio sit Ecclesiæ inutilis, nedum ad instantiam Ecclesiæ, seu successoris in Prælatura, aut administratione, *cap. Episcopus*, vbi *Panorm. num. 1. de reb. Eccl. non alien.* sed ad instantiam cuiuscumque est irritanda, ita, quòd quilibet, & omnes etiam sine consensu, & mandato, & etiam si non præcesserit negligentia Prælati, vel Capituli, & etiam si aliàs seruatæ fuerint solemnitates potest, & possunt instare pro reuocatione rei Ecclesiæ inutiliter alienatæ simul cum fructibus, & pro Eccle-

siæ

fiæ indemnitate agere. *Redoan. Rubrica, seu quæst. An contractus alienationis &c. sit nullus. §. Et re ita se habente num.18. Puteus dec.431. num.3. lib.2. ex Panorm. in cap. olim de testibus. Ricc. resol.9. num.2. Ciarl. cap.105. num.36. Borell. Marc. Anton. Hugol.* quos refert, & sequitur *Boss. tit.18. num.500.* Nam ad reparandum damnum Ecclesiæ competit actio popularis. *Redoan.* vbi supra. *§. sed deinde à nu.11. & seqq.* vbi latè hoc explicat. *& ibid. §. ad repetendum. num.10.* Vbi autem iudicium est publicum, & datur actio popularis, quilibet de populo potest agere. *l.1. & per totum titulum ff. de popularibus actionibus.* Ideò ad recuperandam rem cum damno Ecclesiæ quilibet nedum Ecclesiasticus, sed laicus, & nedum si sit de Diœcesi vel Monasterio, vel Parochia, sed si sit extraneus, quidquid in contrarium dixerit *Gloss. in cap. si quis Presbyt. v. personis.* Et potest agere sine dubio contra possessorem rei alienatæ. *Redoan. d.§. ad repetendum. num.5. & 6.*

627 Nam immò Ecclesia potest agere etiam contra alienantem actione personali, si est soluendo, vt Ecclesiam indemnem reddat. *cap. monemus, & cap. statuimus 12. quæst.2.* & contra detinentem actione ad rem. *cap. Augustino, & cap. Apostolicos 12. quæst.2.* Et ita vt in eius optione sit agere contra quemcumque ex illis, & ita quòd incœpto iudicio contra vnum, possit illud deserere, & agere contra alium, vt probat *Redoan. vbi supra num.6. vbi num.8.* quòd etiam si Ecclesia consecuta sit suum interesse, adhuc potest agere contra detentorem, & alienantem ad pœnam, quòd & voluit *Panorm. in cap. si quis Presb. n.10. Redoan. nu.10.* addit, quòd vbi aliquis de populo agit ad recuperandum rem Ecclesiæ, formabit petitionem nomine suo, sed ad commodum Ecclesiæ, quia hæc est actio popularis. Quàmuis *Innoc. cap. cum olim* de testibus dicat, quòd formabitur petitio nomine Ecclesiæ, & petens petet fieri restitutionem pro Ecclesia, & pro ipsa iudicari, & tamen non erit necessarium, quòd habeat mandatum Ecclesiæ, & quòd iudex cautè faciet, si petentem non cogat ad mandatum ostendendum. Et num.11. quòd si Episcopus alienauit, potest constituere procuratorem ad reuocandum alienata, qui coram eodem Episcopo aget, quia hæc causa non est personæ, sed Ecclesiæ, & nu.12. ex Mola, quòd si is qui agebat pro Ecclesia succubat, non potest alius agere, nisi ignorasset, quando alius agebat, vel nisi doceat de collusione prioris, & alia addit circa huiusmodi actionem, quæ apud ipsum videri possunt. Sed & iudex ex officio potest ad rem Ecclesiæ recuperandam nullo instante procedere. *Boss. tit.18. nu.500.* Aduertit quoque *Panorm. in cap. si quis Presbyt. nu.9.* quòd extraneus inuitis Clericis, idest, illis agere volentibus pro recuperatione rei Ecclesiæ, non potest agere. Quòd tamen facere potest illis negligentibus.

628 Sed si nullitas alienationis sit solùm ex defectu solemnitatis, non potest alius contrahens agere ad rescissionem contractus, si Ecclesia illi velit stare. Cuius ratio est, quia ex parte contrahentium consensus in alienationem fuit absolutus, & aliàs necessitas solemnitatis inducta est fauore Ecclesiæ, quæ si velit stare contractui, & adhibere solemnitatem necessariam, alter contrahens debet stare contractui. Et sic defectus solemnitatis solum ab Ecclesia potest allegari, & ex eo defectu instari apud iudicem pro rescissione contractus. *Rota decis.278. coram Seraphino Quaranta v. alienatio. numer.34. Ricc. p.p. res.9. Panorm. in cap. diuersis fallaciis num.6. de cler. coniug.* Vnde est, quòd iste defectus non potest allegari nec a tertio, nec multò minùs ab emptore, aut conductore, nec etiam ad euitandam pensionem. *Innoc. Panorm.* & alij *in primum caput de his, quæ fiunt à Prælat.* & plures alij, quos refert *Ricc. vbi supra num.2.* Et si Ecclesia velit stare contractui, & adhibeat omissam solemnitatem, non possit alter contrahens repugnare, vt citati DD. docent, quibus adde *Garz. de benef. p.2. c.1. num.74. Rot. dec.133. num.12. p.2. diuersor. & dec.262. num.9. par.3. l.3.*

629 Ante tamen consummatum, seu completum cōtractum licet cuique contrahentium, allegare defectum solemnitatis, etiam alio inuito. Et etiam postquàm contractus est consummatus non potest Ecclesia inuito alio contrahente velle stare vni parti contractus, & non alteri, sed solùm potest cogere alterum ad standum toti contractui. Vnde si locatio facta fuisset ad nouem annos, non posset Ecclesia inuitum conductorem compellere ad hoc vt conduceret per tres annos tantùm. *Ricc. d. res.9. num.4. Boss. d. tit.18. num.498.* Et instante altero contrahente tenetur Ecclesia intra triennium iustam solemnitatem omissam adhibere, ne aliàs Ecclesia maneat semper in tuto & alius contrahens in suspenso. *Garz. p.2. cap.1. num.7. Quaranta v. alien. num.34. Vincent. de Franc. dec.35. Bossius tit.15. num.188. & tit.18. num.344. & 499.* & alij apud ipsum.

630 Sed quibus remedijs Ecclesia recuperabit sibi rem nulliter alienatam vel ex defectu causæ, vel ex defectu solemnitatis? Respōdetur, quòd sibi conuenit remedium restitutorium possessionis eorumdem bonorum ex *cap. reintegranda 3. quæst.1. & cap. Episcopus, & cap. si quis Presbyteror. de reb. Eccles. non alien.* vel ex conditione indebiti. *iuxta l. indebiti §. sed etsi nummi. ff. de condit. indebiti,* vel ex conditione, seu actione tricaria, iuxta *l.1. & 2. ff. de condit. tricaria,* vel ex interdicto vnde vi, vel ex officio iudicis, licet melius remedium sit, quòd habetur ex *d. cap. reintegranda. Redoan. rubr. seu quæst. an contractus malæ fidei alien.* sit nullus ipso iure &c. *§. ad repetendum. a. num.1.* vbi de remedio ex *d. cap. si quis Presbyteror. Verall. dec.170. num.4. & dec.182. p.3. Ricc. p.p. praxis resol.22. Boss. tit.18. numer.501.* & alij apud istos.

631 Nec obstat, quòd remedium *d. cap. reintegranda*, & dicti interdicti *vnde vi* non competat illi qui suo facto, aut proprio contractu, seu sua culpa possessionem amisit, quia hoc sibi imputare debet, *cap. sæpe, de restit. spol. Menoch. de recuperand. remed.15. num.95. Barbosa ad cap. reintegranda n.7. Rota, & Ciarlinus apud Boss. d. num.501.* quia esto hoc verum sit, vbi contractus non est ipso iure nullus, vel vbi agitur de bonis laicorum, non procedit vbi agitur de bono Ecclesiæ per contractum ipso iure nullum alienato; semper enim Ecclesia restituitur in possessionem, etiam si Rector, vel Prælatus ex facto suo, aut sua negligentia, aut ex contractu nullo ipso iure amisit possessionem. *Menoc. d. remed.15. n.101. Verall. locis citatis, Rota decis.417. num.3. coram Seraph. & dec.755. num.6. p.2. recent. Marc. Anton. apud Boss. d. num.501. Ciarl. cap.105. numer.33.*

mer.33.& 34. vbi, quòd ſufficit probare, quòd Eccleſia antea poſſederit, & quòd alius nunc poſſideat, ad hoc vt Eccleſiæ detur remedium reſtitutorium ad poſſeſſionem, & quòd non ſit conſiderandum an actor, qui agit pro recuperatione antea iuſte poſſederit, vel reus actu poſſidens ſit dominus, vel poſſideat cum titulo, vel bona fide, ſed Eccleſiæ reſtituenda eſt poſſeſſio. Et ratio eſt, quia factum Prælati non debet nocere Eccleſiæ. Tum quia vbi Eccleſia cadit à poſſeſſione ex contractu nullo ipſo iure, dicitur cecidiſſe ſine iuſta cauſa, & facto ſuo, vnde ei competit dictum remedium ex cap. reintegranda. Verall. deciſ. 172. par.3. num.7. Gratian. diſceptat. 318. num. 11. Tum præcipuè tertiò, quia Eccleſia non obſtante alienatione nulla, & traditione rei ſuæ facta alteri ex vi talis contractus retinet eiuſdem rei poſſeſſionem Ciuilem; Cum enim non Prælatus, qui eſt ſimplex adminiſtrator, ſed Eccleſia ſit illa, quæ verè poſſidet, eius ciuilis poſſeſſio nou poteſt amitti, vel interuerti per factum Prælati, aut Rectoris malè alienantis. Panorm. cap. cum ſuper num.19. de cauſa poſſeſſ. Verall. d. dec.170. num.4. & 5. & d.182. num.8. p.3 Seraph. dec.1417. num.4. Poſtius, & Ciarl. quos ſequitur Boſſ. num.502.

632 Neque ſecundò obſtat, quòd vbi contractus non ſit nullus ex defectu conſenſus, alias ex contractu nullo ſequuta rei traditione transferitur dominium in acquirentem, vt proinde agenti non competat actio ſpolij, ſeu remedium poſſeſſorium. Rota dec.276. num.5. l.3. coram Puteo, & dec.671. num.2. coram Seraph. Grat. diſcep.317. num.4. et 5. Tum primò, quia hoc aſſumptum non admittitur vbi actus eſt nullus ex vi decreti irritantis, quia decretum irritans inficit nedum titulum, ſed etiam poſſeſſionem. cap. ſi eo tempore, de elec. in 6. & cap. 2. de præb. in 6. Rota dec.310. num.5. p.3. diuerſ. & deciſ.215. num.5. & 15. & ſeq. poſt Poſtium in tract. de manutent. vbi, quòd poſſeſſor rei malè alienatæ non poteſt vti aliquo ex remedijs poſſeſſorijs nec etiam in ſummariſſimo poſſeſſionis, licet in ea non ſoleant admitti exceptiones & dec.330. num.30. & alijs pluribus in ea citatis part.9. Recent. Ciarl. contron. iur. cap.105. num.26. cap.183. num.20. Boſs. numer.503. Tum ſecundò, quia cum Eccleſia per quamcumque traditionem ex contractu nullo factam non perdat poſſeſſionem ciuilem, ſibi competit actio ſpolij ſeu beneficium retinendæ poſſeſſionis. Quòd verò hoc limitent Ciarl. d. cap.105. numer.31. & Boſſius citatis Menoch. Poſtio, Rota, vt non habeat locum ſi Eccleſia per decennium fuerit negligens in recuperanda poſſeſſione naturali, & permiſerit bona alienata ab occupante per decennium poſſideri, ex eo, quòd vltra decennium non præſumitur ciuilis poſſeſſio, ſed in tanto tempore perdatur poſſeſſio ciuilis. Rip. in cap. cum Eccleſia ſutrina num.23. Rol. conſ.50. num.26. l.2. Crauet. conſil.335. num.1. Menoch. l.6. præſ.76. nu.56. Vnde poſt decenium non conueniat Eccleſiæ remedium retinendæ poſſeſſionis. Quidquid ſit de huc, quòd nunc examinandum erit, ſpectata Conſtitut. 157. Vrbani VIII. ſupra relata. Certum eſt, quòd Eccleſiæ etiam poſt decenium conueniet remedium recuperandæ, ex cap. reintegranda 3. quæſt.1. vt tradunt Ciarl. d. cap.105. num.32. Poſtius tract. de manut. obſeru.57. num.103. & apud eum Rota dec.330. nu.8. & 9. & Boſſ. num.504. Et hoc quoque certum ſit, quòd nũc nõ habet locũ id, quòd pluribus DD. citatis tradit idem Boſſ. num.505. ſcilicet, quòd reſtiturorium cap. reintegranda. 3. quæſt.1. poſſit præſcribi ſpatio 30. aut 40. annorum, hoc enim expreſsè prohibetur in dicta Conſtitut. In qua expreſsè decernitur, vt in præiudicialibus Eccleſiæ vim non habeat præſcriptio etiam longiſſimi temporis, excepta ſola centenaria, aut immemorabili ad formam de Conſtit. habita. Vnde eſt, quòd nunc Eccleſiæ competit beneficium reſtitutionis in integrũ quacumque quadragenaria non obſtante.

633 Si autem quæratur, quis poſſit, & teneatur rem Eccleſiæ malè alienatam recuperare? Reſpondetur diſtinguendo: Nam ſi alienatio ſit mala ex cauſa, eò quod eſt præiudicialis Eccleſiæ, ſine dubio nedum ſucceſſor, ſed qui rem malè alienauit tenetur in conſcientia rem malè alienatam recuperare, & propriam turpitudinem allegare, & Eccleſiam indemnem reddere; quia res ſic malè alienata Eccleſiæ eſt, quæ nec illius poſſeſſionem ciuilem amiſit. Et propterea, qui alienando damnum intulit Eccleſiæ, debet rem alienatam repetere. cap. ſi quis Presbyteror. de rebus Eccleſ. non alienand. Gloſſ. in v. alienator, & in v. proſpexerint, Panorm. num.12. & in cap. cum ſuper. nu.19.20. & 21. de cauſa poſſeſſ. Nau. conſ.20. de reſcript. Redoan. d. rubrica §. Et re ita &c. 4. num.1. & §. ſequen. num.10. Rota dec.14. num.3. & 5. p.1. diuerſ. Verall. dec.170. & dec.182. Seraphin. dec.327. num.2. & ſeqq. Barboſa ad d. cap. ſi quis Presbyteror. & cæteri DD. communiter. Et Prælatus, qui hoc modo rem alienauit, poteſt alienationi nomine Eccleſiæ contrauenire, quia vicem duarum perſonarum poteſt gerere. Seraph. dec.1058. n.6. Nauar. vbi ſup. nu.8. ex & vt Redoan. dictum eſt ſupra ipſemet Epiſcopus, qui malè alienauit in hoc poteſt eſſe iudex conſtituto Procuratore, qui nomine Eccleſiæ malè alienatum repetat.

634 Nec obſtat, ſi Prælatus alienans iurauerit ſe non recuperaturum; quia iuramentum hoc contra iura non tenet, cum iuramentum non ſit vinculum iniquitatis. Gloſſ. in cap. peruenit de iure iur. & in cap. ſi quis Presbyteror. v. alienator Panorm. in d. cap. ſi quis Presbyteror. num.7. & ibi Barboſa numer.12. Verall. dec.182. Creſc. dec.3. de iure iur. Boſſ. num.108. plures referens, & alij DD communiter.

635 Sed ſi alienatio ſit nulla ſolùm ex defectu ſolemnitatis, poteſt Prælatus, qui malè alienauit, allegare defectum ad rem recuperandam; ſed non eſt in hoc caſu tanta neceſſitas id faciendi, quia Eccleſia non eſt læſa, vnde non intrat obligatio iuſtitiæ ad Eccleſiam reddendam indemnem. Nihilominùs ſemper Prælatus tenetur ex lege adhibere ſolemnitates, & præcipuè beneplacitum Apoſtolicum; vndè malè facit, ſi ſolemnitates non adhibet, & vel tenetur contractum reuocare, vel ſolemnitates neceſſarias adhibere, & legibus id præcipientibus obedire.

636 Sed vbi res alienata reuocatur, recnperatur ne ſimul cum fructibus? Affirmatiuè reſpondetur ex cap. non licet 12. quæſt.2. & cap. ſi quis Presbyterorum de reb. Eccleſ. non alienandis, vbi Gloſſ. Butr. Panorm. & alij Canoniſ. & Barboſa num.13. & reliqui DD. communiter. Et cum ea hoc attendenda eſt Conſtit. S. Memoriæ Pij Quinti in qua Collegio

Depu-

Deputatorum Fabricæ S. Petri dat facultatem reuidendi, & rescindendi omnes alienationes bonorum Ecclesiasticorum male alienatorum, & compellendi detentores ad restitutionem bonorum eorumdem, & fructuum etiam, qui potuerunt percipi, & applicandi eorum tertiam partem eidem fabricæ.

637 Plores tamen distingnendi sunt casus; Nã primò distingui debet possessor bonæ, & malæ fidei. Nam bonæ fidei possessor non tenetur restituere fructus bona fide consumptos, nisi in quantum factus sit locupletior vt tradunt DD. *ad d. cap. si quis Presbyteror. Sylu. v. alienatio num. 14. Conar. var. l. 1. cap. 3. nam. 6. concl. 2. Rota dec. 14. num. 2. et 3. p. 1. diuersor. et dec. 320. num. 2. p. 2. diuers. Ricc. p. p. praxis aureæ res. 68. et 72. Boss. tit. 18. num. 510.* Et ita quòd non obstat, si possidens rem Ecclesiæ nulliter alienatam dicatur possidere sine titulo, quia decretum irritans talem alienationem inficit titulum, & possessionem, vt supra dicebatur; quia possessio bonæ fidei excusat à restitutione fructuum consumptorum etiam naturalium, & etiam si possessor possideat sine titulo, vel cum titulo putatiuo, modò non reprobo, vt puta rei furtiuæ, vel inuasæ, sed causata in alienatione ex errore inculpabili, vt ex *l. sed et si lege §. scire*, ibi, *non hunc puto prædonem, qui dolo caret, licet erret in iure. ff. de petit. hered. vbi Bart. et Bald. et Ang. Alex. cons. 127. col. 3. l. 4.* & alijs probat *Rota dec. 320. num. 2. p. 2. recent.* Solùm igitur possessor bonæ fidei tenetur restituere id, in quo factus est locupletior, non verò alios fructus bona fide consumptos. *Caiet. supra quæst. 62. a. 6.* & ibi *Serra. Sanchez l. 2. cap. 23. num. 4. Bonac. disp. 1. de restit. quæst. 2. p. 1. num. 5. Martinez de Prado cap. 17. quæst. 2. num. 3.* & alij DD. communiter. Quòd adeò verum est, vt etiam si res aliena culpabiliter, & prodigè sit consumpta, quia nihilominùs possessor bonæ fidei prodigendo rem quam credit suam non est iniustus, nec propterea tenetur eam restituere, nisi ex ea factus sit ditior, vt ex *Sanchez ibid. nu. 5. Bonac. num. 8.* & alijs aduertit *Martinez de Prado. num. 4.*

638 Sed hoc supposito pro maiori explicatione plures casus distingui debent. Primò enim considerandum est an contractus initus sit ipso iure nullus, vel potiùs sit validus in sui substantia, licet Ecclesiæ detur restitutio in integrum ad eius rescissionem. Vbi igitur contractus sit validus, sicuti est semper, cum Ecclesiæ competit restitutio in integrum, quæ locum non habet vbi contractus est ipso iure nullus. *Conar. l. 2. var. cap. 17. num. 2.* distingui debet, vel enim Ecclesia læsa est tantùm in pretio, vel etiam in substantia, quia defuit vtilitas primaria. Dictum enim est supra, quòd vbi seruata fuit solemnitas necessaria, & in contractu adfuit vtilitas putatiua, quia contrahentes bona fide iudicauerunt contractum esse in vtilitatem Ecclesiæ, quòd contractus non est ipso iure nullus. In quo casu *Innoc. in cap. quia plerique num. 3. de immun. Eccles.* absolutè tenet, quòd vbi datur restitutio in integrum, qui possidet antequam restitutio petatur non teneatur restituere, nisi is, qui restitutionem petere potest læsus esset malitia contrahentis. Hæc verò exceptio in nostro casu locum habere non potest, quia si ex contrahentibus vnus malitiosè se habuit, contractus est ipso iure nullus, vt supra dictum fuit num. 720. & ideò secundùm Innoc. dicendum esset, quòd vbi contrahentes seruatâ solemnitate bona fide contraxerunt, cum contractus sit validus, antequam Ecclesia petat restitutionem in integrum non est in possidente rem Ecclesiæ obligatio ad restituendum, quia est verus rei Dominus, & facit fructus suos. Sed hæc absoluta resolutio non est admittenda; quia vbi Ecclesia est læsa, semper debet seruari indemnis, siue sit læsa in pretio, siue quia rem vtilem dedit accepta re inutili. Ideò qui bona fide solemnitatibus adhibitis rem Ecclesiæ habet non sine Ecclesiæ læsione, tenetur vel rem reddere, vel damnum Ecclesiæ aliunde compensare. Nec obstat, quòd contractus sit validus, quia esto ex vi legis positiuæ non sit ipso facto irritus, est tamen ex lege naturalis iustitiæ infirmus, & cum obligatione seruandi Ecclesiam indemnem, quæ inuita & ex facto sui Rectoris non debet detrimentum pati. Esto igitur huiusmodi contractus non sit ipso iure nullus, tamen contrahens habita notitia damni tenetur, vel alias Ecclesiam seruare indemnem, vel rem habitam restituere & contractum rescindere.

639 Sed si Ecclesiæ debetur restitutio in integrum, quia fuit læsa in pretio, *Batrius*, quem sequitur *Panormit. ad d. cap. quia plerique num. 28.* existimat, quòd si venditor est persona sagax, & quæ verosimiliter sciebat verum pretium, videtur quòd illud modicum, quòd res vltra valebat habeat pro derelicto, & ideo emens non sibi debet facere conscientiam restituendi. Et idem dicitur de emptore si fuit in pretio læsus. In his enim casibus præsumitur donatio vt notant DD. *in l. 2. C. de rescind. vend. & cap. cum dilecti 2, de empt. et vendit.* Sed in contractibus Ecclesiasticis hoc locum habere non potest, vbi non persona vendentis, sed Ecclesia læditur, & vendens etiam si expressè vellet, non potest diminutionem iusti pretij donare in Ecclesiæ damnum. Et propterea, qui minùs iusto pretio emit etiam a venditore sagaci rem Ecclesiæ, nedum tenetur restituere rem alienatam, si Ecclesia petat restitutionem in integrum, sed etiam tenetur restituere partem pretij, & reddere Ecclesiam indemnē etiam si non petatur restitutio in integrum, si pars pretij talis, ac tanta est, quòd Rector Ecclesiæ alienans non potuit illam donare. *Sylaes. v. restitutio 3. num. 10. ver. primum.* Sed vlteriùs absolutè loquendo in his diiudicandis in foro externo. vt ex *Caiet. supra quæst. 77. a. 1. §. quoad 2.* aduertit *Martinez de Prado cap. 27. quæst. 1. nu. 9.* non est recurrendum ad ea, quæ sunt per accidens, dicendo quòd vendens præsumitur donare. Tum quia hoc non est verum, sicut nec in vsura qui accipit mutuum sine necessitate donare præsumitur. Tum quia in his quæri debet iustum, non donum. Non tamen negandum est, quòd attentis circumstantijs donē præsumptio interuenire non possit.

640 Sed si Rector Ecclesiæ rem alienans est ignarus, tunc si ex parte emptoris interuenit fraus, & dolus, quo decepit venditorem. Et sine dubio etiam in foro conscientiæ emptor vel conductor tenetur ad supplendum iustum pretium, quia egit contra iustitiam naturalem decipiendo alienantem rem Ecclesiæ in iusto pretio. *D. Th. supra quæst. 77. a. 1. vbi Caiet. Bannes. et alij expos.* & DD. communiter *Martinez de Prado cap. 27. quæst. 1. num. 34. Batr.*

et Panorm. vbi supra, & apud eum *Calder. in cap. nauiganti de vsur.* Nec obstat, quòd liceat contrahentibus se decipere vsque ad dimidiam iusti pretij. *l. in causa ff. de minor.* quia in foro conscientiæ hoc non admittitur. *D. Thom. Caiet. Bannei d. q. 77. a. 1. Innoc. et Panorm.* vbi supra: *Syluest. v. emptio. numer. 8. Card. de Lugo de iust. disp. 26. sec. 6. num. 82. vbi num. 9. et* 10. quòd & in foro externo licet deceptio sit infra dimidiam, adhuc decepto datur actio, si vel fuit læsio in pretio taxato per legem, vel læsio contigit dolo contrahentis:

641 Ideò si emptor, vel conductor rei Ecclesiæ scit rem plus valere id ignorante alienante, & tunc in conscientia tenetur supplere pretium, quia alienans deceptus est in pretio. Quòd maximè verum est in alienatione rei Ecclesiæ, in qua alienans non potest illam partem pretij, quæ deficit donare in Ecclesiæ præiudicium. Sed & absolutè sicut venditori non licet vendere supra iustum pretium, sic nec emptori emere infra pretium iustum. *D. Th. et alij DD. citati*. At verò si vterque tam emptor, quàm venditor sint ignorantes, & non conscij valoris rei, vnum aliud considerandum arbitratur *Panorm. num. 19. scilicet*, si emptor emisset etiam si sciuisset valorem iusti pretij. Nam si ipse non emisset, si sciuisset rem magis valere, quàm soluit, non tenetur ad supplementum iusti pretij, sed tamen si pretium non vult supplere tenetur rem restituere.

642 Quòd verò dictum est de emptore, vel cõductore rei Ecclesiæ, sic dicitur de Ecclesia vendente, quòd non potest vendere rem vltra pretium iustum. *D. Thom.* vbi supra. *Panorm. d. num.* 29. Quàmuis quãtùm ad restitutionem sit quidem obligatus Rector Ecclesiæ, qui iniustè vendidit; non tamen sit obligata Ecclesia, nisi pro quanto facta sit ditior.

643 Sed in casibus illis in quibus datur Ecclesiæ restitutio in integrum, Emptor, vel Conductor tenetur ne restituere fructus perceptos ante petitionem restitutionis in integrum? Videtur enim non teneri, quia contractus est validus, & ipse est rei dominus & facit fructus suos. Sed dicitur, quòd pro ea parte qua Ecclesia est læsa, vt quia rem minùs fructuosam habet, vel non habuit pretium iustum, debetur ei ad ratam etiam fructuum restitutio. *Card. de Lugo. disp. 26. sec. 6. num. 79.* Aliter enim Ecclesia iniustè damnum pateretur in re sua. Et huiusmodi contractus non ita sunt inualidi, vt non maneat in contrahente naturalis obligatio seruandi Ecclesiam indemnem, etiam contra factum sui administratoris.

644 Alter casus autem est alienationis vtilis Ecclesiæ, & ex eo solo capite nullæ, quòd sit facta sine solemnitatibus. Et in hoc casu in ea sententia, quæ sustinet huiusmodi alienationem esse validam etiam in foro externo, nulla est necessitas restitutionis fructuum; quia per talem alienationem contrahens cum Ecclesia factus est sicut rei, ita fructuum dominus; vnde fructus perceptos ante motam litem non tenetur restituere. *Boss. tit. 18. n. 515.* Sed in sententia quam sequutus sum, & sequor, scilicet, quòd alienatio etiam si vtilis Ecclesiæ, sit nulla, si sit facta sine beneplacito Apostolico, Quàmuis in foro conscientiæ sit valida irritabiliter tamẽ ad instantiam Ecclesiæ, dicendum est, quòd ante iudicis sententiam possessor rei Ecclesiæ sic alienatæ fructus perceptos ante motam litem etiam extantes non tenetur in conscientia restituere, quia ante sententiam iudicis declaratoriam nullitatis, iustè possidet & facit fructus suos, vt bene tradiderunt. *Innoc. in cap. quia plerique de immun. Eccl. vbi Butr. & Panorm. & iterum Panorm. in cap. 1. de in integ. restit. Syln. v. alienatio. num. 14. Tabien. num. 8. Gonz. ad 8. Cancell. Gl. 56. nu. 91. & 95.* & apud eum *Rota in Rom. census S. Celsi Grat. 43. num. 25. Nauar. de spolijs cler. §. 2 nu. 6. Rodriq. 1. tom. 1. quæst. 27. a. 10. Redoan. quæst. 46. à num. 4. Ricc. resol. 7. numer. 4. Boss. tit. 1. num. 57. & num. 164. & num. 515.* Et vbi etiam sequatur declaratoria nullitatis contractus, & obligatio restituendi fructus, si possidens rem Ecclesiæ restituendam cum fructibus possedit bona fide, non tenetur restituere nisi fructus extantes, non verò consumptos, nisi pro quanto ex illis factus sit ditior, vt supra fuit dictum.

645 Si etiam econtra defuit in alienatione Ecclesiæ vtilitas, sed non defuit solemnitas, & præcipuè non defuit beneplacitum Apostolicum per quòd aliæ solemnitates supplentur, in simili casu de facili contingere potest, quòd adsit bona fides in possidente rem Ecclesiæ. In quo etiam data, & comperta postea nullitate contractus possidens rem Ecclesiæ malè alienatam teneretur quidem restituere fructus extantes tempore reuocationis, seu à tempore motæ litis, quia tunc cessaret esse possessor bonæ fidei, non teneretur tamen restituere fructus consumpens bona fide, nisi pro quanto ex illis factus fuisset locupletior, quia tunc possedisset cum aliquo titulo & bona fide. *Ricc. p. parte praxis res. 72. num. 1. post Botrium dec. 18. num. 13. & Beuinsend. dec. 20. Conar. l. 1. var. cap. 3. Boss. d. tit. 18. n. 514.* Addunt tamen *Ricc. & Boss.* quòd si fructus possedisset bona fide per triennium, tunc eos vsucæpisset, & legitimè præscripsisset, vt ex *Bellam. dec. 412.* Sed post Constit. 157. Vrbani Octaui hæc præscriptio nihil valet in præiudicium Ecclesiæ, aut personarum Ecclesiasticarum; & nedũ quantùm ad proprietatem, sed etiam quantùm ad fructus, vt expressè in d. Constit. statuitur.

646 Sed si alienatio sit nulla tam ex defectu vtilitatis, quàm ex defectu solemnitatum, & præcipuè ex defectu beneplaciti Apostolici, valde difficile est vt in simili casu adsit bona fides in possidente. Nam immò ex hoc recipiens rem Ecclesiæ censetur esse in mala fide, quòd receperit eam sine solemnitatibus debitis, & contra extrauagantem *ambitiosæ. cap. non liceat 12. quæst. 2. Roja dec. 14. num. 2. p. 1. diuers. Boss. d. tit. 18. num. 510.* & apud eum *Francus decis. 35. nu. 1. 2. & 3 Ciarlin. Contr. cap. 105. num. 93.* Nihilominùs tamen & in hoc casu potest esse bona fides, quia potest esse inculpabilis ignorantia.

647 Dubitant tamen DD. an ignorantia iuris sufficiat ad inducendam bonam fidem, non enim sufficere dixerunt. *Redoan. dicta rubr. seu quæst. an contractus malæ factæ alienationis sit ipso iure nullus. §. sed nunquid res Ecclesiæ. num. 9. & 12.* & apud eum *Calderinus Ricc. p. p. praxis res. 18. num. 2.* & apud eum *Bartol. Baldus, Curtius senen. Felin. Alexander, Grammat. Bero, Imola, & Alciat. Barbosa ad cap. si quis Presbyterorum num. 13. de rebus Eccl. non alien.* & fundantur tum primò, quia textus *cap. non liceat 12. quæst. 2. & cap. si quis Presbyteror. de reb. Eccles. non alien.* sine distinctione vniuersaliter, & ab-

& absolutè loquuntur & obligant possidentem rẽ Ecclesiæ malè alienatam ad restituendam rem cum fructibus. Tum secundò, quia vbi contractus est nullus ex eo, quòd lex ei resistit nedum prohibendo sed irritando contractum, iuris error non excusat à restitutione fructuum, nec facit, quòd possessor errans, & ignorans sit possessor bonæ fidei, vt voluit *Bartol. in l. sed si lege §. scire. ff. de petit. hæredit.* & videtur approbare *Rota dec. 320. par. 2. recent.* At verò lex irritat contractus rei Ecclesiæ sine eius vtilitate, & solemnitatibus initos. Tum tertiò, quia iuris error non iuuat, vbi titulus possidendi non est titulus, sed censetur non titulus, cum contractus fuerit omnino nullus. *Redoan. d. §. sed an aquid num. 3. Ricc. d. ref. 72. num. 3. & 4.* addens in simili casu possessorem ex contractu nullo teneri restituere nedum fructus perceptos, sed etiam percipiendos, seu quos percipere potuit, sicut tenetur quilibet possessor malæ fidei.

648 Sed vt verum fatear, hæc opinio æquiuocat, & sibi contradicit, nam si quid probat, probat quòd possessor bonæ fidei debeat restituere fructus etiam bona fide consumptos, immò non perceptos, sed quos percipere potuit, quòd ipsa negat affirmans cum communissima sententia, quòd possessor bonæ fidei non tenetur restituere nisi pro quanto factus sit locupletior. Quòd verò hæc contrarietas dicendi sequatur ex præfata opinione, probatur euidenter ex eo, quòd rationes per illam adductæ probant quidem, quòd contractus sit nullus, & nullus titulus possessionis, & quòd res possessa non est possidentis illam ex nullo contractu, sed est Ecclesiæ, sed nec per minimam apparentiam probant, quòd si possidens ignorat verè hanc nullitatem, & defectum tituli, sit dolosus, & malæ fidei possessor. Nam, vt ex *Panorm. in cap. granis de restit. spoliat.* aduertit *Syluest. v. possessor bona fidei*, ille est fidei bonæ possessor, qui possidet ignorans se possidere alienum. Nam hoc expressè diffinitum fuit per *S. August. l. de fide, & operibus cap. 7.* & habetur *cap. si virgo 5. 34. quæst. 1.* ibi. *Sicut in iure prædiorum tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum.* Quod, autem *Rota dec. 320. num. 3.* distinguat inter bonam fidem positiuam, & negatiuam, & immò asserat inter bonam, & malam fidem dari medium, non multum conuenit principijs naturalis Philosophiæ, & Theologiæ, quæ in actis ex inculpabili ignorantia proficiscentibus admittit veram prudentiam, quæ est actus positiuus veræ virtutis, si actus ex ignorantia tali procedens sit vestitus debitis circumstantijs, & non sit ex obiecto malus; sicut & iudicium practicum dictans huiusmodi actũ est verè positiuum; & quia hic fides sumitur, vt importat conscientiam, vt idem sit bona fides, quòd bona conscientia, in quo sensu plurimi intelligunt locum Pauli, *omne, quòd non est ex fide peccatum est*; quòd procedit ex ignorantia inculpabili est ex bona fide positiua, quia ex iudicio conscientiæ, quòd positiuum est, & quòd positiuè bonum est, quia est actus virtutis prudentiæ, nisi aliunde deficiat, & sit malus; & absolutè, & simpliciter secundùm iura ille possidet bona fide, qui possidet ignorans se possidere alienum; & de hoc loquuntur Theologi, & Canonistæ, quando dicunt, quòd possessor bonæ fidei non teneatur ad restitutionem rei alienæ consumptæ, nisi in eo, in quo factus est locupletior. Et quidem meritò, nam obligare istos ad restitutionem est iniustitia manifesta legi naturali contraria.

649 Qui enim bona fide possidet alienum, non tenetur restitutioni ex iniusta acceptione, quia non est iniustitia vbi agitur ex inculpabili ignorãtia, quia immo talis actus potest esse veræ prudentiæ actus, sicut fuit in Iacob accessus ad Liam non suam tunc, & verò non est iniustitia vbi est prudentia. Sed neque talis tenetur ratione rei alienæ, si res non extat nec in se, nec in aliquo in quo possessor factus sit locupletior. *Caiet. supra quæst. 62. a. 6.* illi igitur fit iniuria & iniustitia & sine culpa punitur, si cogitur restituere, quòd nec iniustè accepit, nec extat, vt restitui possit. Quòd si forsan dicatur, hic non habere locum bonam fidem, quia non habet locum inculpabilis ignorantia, quia non datur ignorantia iuris inculpabilis, hoc assertum planè falsum est; Nam & iuris diuini, & iuris naturalis datur inuincibilis ignorãtia, vnde dari potest infidelis negatiuus vt docet *D. Th. supra q. 10. a. p.* in quo non credere nullum est peccatum. Multò magis igitur dari potest iuris positiui ignorantia inculpabilis, & sic potest dari, qui ex alienatione recipiat rem Ecclesiæ nesciens adhibendas esse solemnitates aliquas, & putans contractum esse vtilem Ecclesiæ. Et sic præfata opinio ex omni parte repugnat iuri naturali, siue neget posse dari, qui ex contractu possideat inculpabiliter ignorans nullitatem contractus, siue neget hunc si sic inculpabiliter ignoret esse bonæ fidei possessorem, siue eundem si sic bona fide possideat obliget ad restituendum, quòd bona fide fuit consumptum, & non extat nec in se ex eo, quòd consumens factus sit locupletior. Et licet verum sit, quòd in foro externo hæc ignorantia dolum excludens non præsumitur, & ideò ab eam allegante probanda est, si tamen probata fuerit excusat illum à restitutione nedum fructuum, sed & proprietatis modò dicto. Et ideo, quòd possidens bona fide rem Ecclesiæ nulliter alienatam, non tenentur restituere fructus ante motam litem bona fide consumptos, si ipse ex hoc non est factus ditior, bene docuerunt *Rota dec. 320. num 3.* vbi latè hoc probat, licet ex aliquibus DD. admisceat distinctionem illam de bona fide positiua, vel non positiua, & admittat dari medium inter bonam, & malam fidem, quòd rationi parum conuenit. Idem post *Innoc. Anchar. Card. & Imolam ad cap. ad nostram* dixit *Couar. l. 1. var. cap. 3. num. 8. in princ.* Dicendum igitur est, quòd etiam ex errore iuris potest aliquis occasione contractus rem Ecclesiæ malè alienatam bona fide possidere, & quòd hoc stante, is non tenetur restituere fructus rei, immò nec rem ipsam si non extat, & bona fide fuit consumpta, & possidens, qui illam consumpsit ex hoc non est factus locupletior.

650 Hoc faciliorem locum habet ex errore facti, si quis recipiens rem Ecclesiæ ex alienatione habeat vnde rationabiliter iudicet de facto alienationem esse Ecclesię vtilem, & in ea adhibitas fuisse necessarias solemnitates, vt quia Prælatus alienans, & alias inculpatæ fidei habitus, asserat omnia requisita adhibita fuisse, & alias qui rem recipit non sit vir legalis, sed simplex, & indoctus. *Rota dec. 14. num. 2. par. 1. diuers. et d. dec. 320. num. 5. p. 2. recent. Couar. vbi supra §. potest etiam post Angel. Panorm.*

norm. et Felin. Ricc. *p.p. praxis aurea ref.18.num.3. Barbosa ad d.cap.si Presbyteror. num.13. Boss.tit.18. num.513.* Quod verò *Ricc.ref.72.& Boss.d.num.513.* dicunt de præscriptione triennij, nunc locum non habet, quia ex Constit.157.Vrbani Octaui præscriptio huiusmodi non valet ad inferendum præiudicium Ecclesiæ aut Personæ Ecclesiasticæ etiam in fructibus.

651 Solus ergo malæ fidei possessor debet simul cum re restituere fructus etiam non extantes, sed consumptos mala fide. Nomine tamen fructuum non veniunt nisi fructus, qui remanent deductis expensis factis pro eis colligendis, & percipiendis; expensæ enim factæ gratia fructuum minuunt fructus, & ideo appellatione fructuum veniunt fructus deductis expensis *Redoan.vbi supra num.5.* vbi quòd huiusmodi expensæ factæ pro fructibus quærendis,colligendis,& conseruandis deduci debeant etiam in prædonibus. *Couar. d.l.1.c.3.num.3. Gloss. in cap.ad nostram 1.de iureiur. & ibi Felin.nu.3.Boss. num.516.*& apud eum *Cenedo*.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia rem recipiendo non tenetur restituere pretium nisi inquantum facta fit ditior. n.652.*
2 *Bona fide rem Ecclesiæ recipiens a male alienante habet actionem contra alienantem, & eius hæredes pro pretio & interesse recuperando. numer.653.*
3 *Etiam consentientes malæ electioni tenentur ad restitutionem damni, quòd incurrit bona fidei contrahens.n.653.*
4 *Mala fidei contrahens restituendo rem Ecclesiæ qualiter possit vel non possit agere contra alienantem ad recuperationem pretij. 654.*
5 *Eidem non sunt restituenda alia damna. 654.*
6 *Melioramenta plura. 655.*
7 *Expensa circa fructus non veniunt nomine meliorameniorum. 655.*
8 *Expensa necessaria, vtiles, voluptuaria. 656.*
9 *Melioramenta necessaria debentur restituenti rem Ecclesiæ. 657.*
10 *Qualiter reddens rem Ecclesiæ non retinere possit, nat non possit donec sibi soluantur pretium,& meliorameuta. 658.*
11 *Melioramenta ab Ecclesia soluenda vel pro summa expensi, vel pro summa valoris tempore restitutionis.n.659.*
12 *Possessor bona fidei melioramenta vtilia recuperat iure exceptionis doli mali. n.660*
13 *Possessori malæ fidei conceditur asportare melioramenta vtilia, si id sine damno domini fieri potest. Vel ei soluuntur quantum valent exportata. numer.660.*
14 *Melioramenta voluptuaria non soluuntur,nisi pro quanto valent ablata, si sine fundi priori statu mutato tolli possunt.n.661.*
15 *In aliquibus tamen casibus respectu possessoris bonæ fidei, censenda sunt melioramenta vtilia.numer.661.*



Est verò etiam difficultas, an recuperata re Ecclesiæ malè alienata, eam reddenti debeat restitui pretium?

INSPECTIO OCTAVA.

652 Distinguitur verò quæstio, quia vel pretium conuersum fuit in vtilitatem Ecclesiæ, vel in vtilitatem Prælati alienantis. Si enim fuit conuersum in vtilitatem Ecclesiæ, ipsa tenetur restituere solùm pro ea parte in qua facta est locupletior. Quòd non teneatur restituere pretium si non extat, & ex eo non est facta locupletior probatur, quia ipsa illud consumpsit bona fine, & non extat nec in se, nec in suo æquiualente, & possessor bonæ fidei non tenetur aliter restituere. Sed si vel pretium extat, vel ex eo Ecclesia facta est ditior, quòd teneatur id restituere pro ea parte, pro qua facta est ditior, ex eo probatur; quia illud, quòd sic habetur est res aliena proprio domino restituenda, & non est æquum Ecclesiam cum aliena iactura locupletari. *l.iure naturæ ff.de regul.iuris, & cap.locupletari, eod.tit.* Et enim Ecclesia sit cultrix iustitiæ, non debet cuiquam præiudicare. *cap. per tuas de donat.* Nam & cum minor rem malè alienatam vendicans teneatur ad restituendum pretium inquantum factus sit ditior. *l.prædior. C. de prædijs Minor.* cum Ecclesia in simili reuocatione vtatur priuilegio minoris & eius iure, vt ex *Gloss. in cap. auditis de in integ. restit. Bald. cons.28. l.1. Alex.consil.100.num.3.vol.1.Menoch. cons.270.vol.2. probat Ricc.p.p.praxis aureæ ref.99. num.4.* quem sequitur. *Boss.tit.18.nu.518.* Sequitur, quòd & ipsa ad similem restitutionem teneatur. Fauet etiam textus *in cap.1.de restitut.spoliorum*, vbi decernitur,quòd Ecclesia rem suam malè alienatam vendicans non defraudet reddentis labores, & expensas bona fide factas. Et propterea hanc sententiam tenuerunt. *Sylu.v. alien. Tabien. num 8. Ricc. vbi supra ref.68. num.6.& d.resol 99. Barbosa ad cap.si Presbyteror. de reb Eccles.non alien. num.9. & ex Vasquez de reddit. cap.2.§.2.d.15.Boss.tit.18.num.518.* Ecclesia tamen rem suam vendicans malè alienatam, non tenetur offerre pretium, & in hoc sensu *Ricc.& Boss.intelligant l.si mancipium C. de rei vendicat.* Si autem pretium non fuit conuersum in vtilitatem Ecclesiæ, ipsa ad nihil tenetur, sed minimè restituto per eam pretio rem suam malè alienatam recuperat. Non enim tenetur ad restituendum pretium aut ratione iniustæ acceptionis, aut ratione rei acceptæ, quia ipsa nec aliquid recepit, nec damnum iniustè infert rem suam recuperando.

653 Sed nunquid rem malè alienatam restituens necessitatur vt pretium amittat? Alia propterea datur distinctio; Nam bona fide recipiens rem Ecclesiæ malè alienatam, habet actionem contra alienantem, qui tenetur Emptori vel conductori de euictione, & ita vt si alienans sit mortuus ad id teneantur eius hæredes; & eidem Emptori, vel Conductori alienans vel eius hæres vltra restitutionem pretij tenetur ad damna, & interesse. Rem enim

non

non ſuam, ſed alienam vendens ei, qui bona fide eam recipit, tenetur ad omne damnum, quòd ex hoc recipienti prouenit, vnde tenetur ei de euictione & ad reſtituendum pretium. *cap. Vulterana 12. quæſt.2.* ibi. *Sit emptoribus ad eum recurſus, qui præſumpſit aliquid de Eccleſiæ rebus illicita venditione diſtrahere. Gloſs.in cap.ſi quis Presbyteror.v.alienator de rebus Eccleſ.non alien.vbi Innoc.in princ.Imola num.19.Bald.num.16.Hoſtien.col.2.Panorm.num.vlt. Bero num.49.& ex Benint.Alciat.Fred.de ſen.& Rota in Placentina euictionis 5. Maij 1589. & 2. Aprilis 1590.coram Plateo, & iterum in vna Firmana bonorum 16. Ianuarij 1585.coram Litta.Ricc.p.p.parte praxis reſ.17. Barboſa ad d. cap. ſi quis Presbyteror. num.15.Boſſ.tit.18.num.519.* Et ampliùs tenetur ad damna & intereſſe. *Innoc.Hoſtien.& Bero:* vbi ſupra *& ex Rota in d.Placentina Ricc.nu.3. Barboſ.& Boſſ. vbi ſupra.* Et hanc obligationem etiam tranſire ad hæredes alienantis, ex eadem *Rota dixit Ricc. & tradiderunt Panorm. ad cap.ad audientiam num.5. et ad d.cap.ſi quis Presbyt.nu.13.de reb.Eccleſ.non alien. Nauar.de alien.num.24.Boſſ.vbi ſupra.* Quòd ſi plures ſint alienantes omnes tenentur de euictione. *Redoan.d.rubr.an contractus mala alienat.etc.ſit nullus.§.Poterit autem.num.5.ex Innocent. vbi num.9.ex Imola* addit, quòd non conſentientes, & ſubſcribentes malæ alienationi, ſed ſolùm alienantes tenentur de euictione; quòd & placet *Boſſ.loco citato.* Sed hoc non approbo, quia ad reſtituendum & reddendum indemnem proximum in foro conſcientiæ, & ex iuſtitia tenetur vnuſquiſque, qui eſt cauſa damni; at verò malam alienationem damnificantem emptorem, vel conductorem in pretio, & forſan in alijs cauſant nedum Prælatus alienans, ſed omnes illi ſine quorum conſenſu alienatio nequit fieri; hi enim omnes malè alienare cenſendi ſunt. Quàmuis hoc verum ſit, quòd pœnæ Ciuili aut Canonicæ latæ in alienantes non tenentur conſentientes. Vnde non tenentur ad perditam honoris, quæ lata fuit contra alienantem *cap. non liceat, 12.quæſt.2.* & tamen ex vi dicti cap.ſunt excommunicati. Emptor autem, aut conductor rei Eccleſiæ malæ alienatæ non habet vnde contra Eccleſiã agat, quæ non tenetur reſtituere pretium niſi pro quanto fuerit in eius vtilitatem conuerſum, & ex hoc ipſa locupletior fuerit facta.

654 Sed ſi emptor rei Eccleſiæ aut conductor eſt malæ fidei, ſciens rem Eccleſiæ non poſſe alienari, & poſſe recuperari ab Eccleſia, ſi noluerit ſtare contractui, hoc primò dicendum eſt, quòd alienans non tenetur ei de cæteris damnis, & intereſſe, quoniam ſibi imputare debet ſi voluit recipere, quòd ſine damno non potuit habere, *Redoan. d.§. poterit num.11, arg ex l.ſi emptor. C. comm. de leg. et ex Gloſſ.in cap.ad audientiam in fine de reb. Eccl. non alien.* Et ſimiliter dicendum eſt, quòd ſi pretium adhuc extat apud alienantem; nec eſt conuerſum in vtilitatem Eccleſiæ, quòd eſt reſtituendum emptori, vel conductori rei Eccleſiæ non bene alienatæ. *Boſſ.vbi ſupra num.520. in fine.* Pariter dicendum, quòd ſi alienans malè rem Eccleſiæ promitit de euictione eam mala fide recipienti, tunc tenetur de euictione, quia tenetur ſtare promiſſis. *l.ſi fundum ſciens.C.de euict.Redoan.vbi ſupra. §.ad repetendum.num.28.et §.poterit num.10.* Sed ſi alienans expreſsè non promiſit de euictione, res eſt controuerſa. Nam in hoc caſu emptorem, ſeu conductorem malæ fidei non habere actionem pro euictione contra alienantem Prælatum, ſeu adminiſtratorem Eccleſiæ ex *l. ſi fundum ſciens C. de euict.* tenuerunt *Gloſſ.ad cap.Vulterana 12.quæſt.2. Panor. cap.ſi quis Presbyteror.num 13.et ad cap. ad audientiam num.5. eodem tit.et alij.* Sibi enim debet imputare, ſi ſciens ſe rem Eccleſiæ modo non licito recipere, eamque recuperari poſſe ab Eccleſia, velit eam emere, vel conducere. Sed econtra quòd alienans teneatur in hoc caſu de euictione, eo quòd rem Eccleſiæ malè alienatam recipiens habeat actionem ad recuperandum pretium, quòd dedit contra alienantem, voluerunt *Imola ad d. cap. ſi quis Presbyteror. num.25. Bertachinus de off. Epiſ.4. p. quæſt.44.* quos refert, & ſequitur *Redoan. vbi ſupra. §. ad repetendum num.28.et §.poterit tamen num 11. Boſſ.d.tit.18. nu.520.* Hoc enim eſt ſpeciale in odium malè alienantium, vt ſint ſegniores in alienando per id, quòd habetur in *§.ſi quis ig. authent. de non alienand.* licet regulariter ſit ſecus vt probatur ex *d. l. ſi fundum.* Ego non dubito, quòd ſi pretium adhuc remanet in manibus alienantis, quòd tenetur illud reſtituere emptori, aut conductori, a quo reuocatur res Eccleſiæ malè alienata; quia illud pretium eſt res aliena, & aliàs malè alienans reportaret premium ex mala alienatione, cõtra regulã *l.ſine hæreditaria. ff.de negot geſtis.* Et idẽ dicendũ eſt, ſi alienans illud expendit in ſui cõmoditatẽ, aut non in commoditatem Eccleſiæ cuius ſunt bona alienata, ſed cuiuſcumque alterius. Quia ſemper alienans conſumpſit alienum mala fide. Nam cum alienatio ſit nulla, & per eam, vel non ſit tranſlatum aliquod dominium, vel tranſlatum ſit dominium reuocabile Eccleſia id volente, alienans non potuit recipere illud pretium niſi reuocabiliter, & ſi illud conſumpſit, ſibi imputet: neque enim ex malè facto præmium reportare debet, vt poſſit ipſe alienum impune conſumere. Nam & ex quo pretium fuit conſumptum, & non in vtilitatem Eccleſiæ, cuius res fuit alienata, cenſendum eſt conſumptum ex libera voluntate alienantis, & in ſui vtilitatem, ſi illud alteri vel donauit, vel pro aliqua ſatisfactione ad dictam Eccleſiam non ſpectante illud tradidit. Sed ſi pretium fuit conſumptum in vtilitatem Eccleſiæ cuius bona fuerunt malè alienata, certè rationabile eſt, vt rei Eccleſiæ emptor, ſeu conductor malæ fidei ſubeat hanc pœnam, vt non poſſit agere ad recuperationem pretij iuxta ſancita in *l.iubemus C. de Sacroſ. Eccleſ.* niſi in contractu cautelam adhibuerit & expreſsè contra alienantem de euictione conuenerit, iuxta *l.ſi fundum C.de euict.* Quàmuis æquum ſit, & iuſtum vt Eccleſia reſtituat id pretij conſumpti ex quo facta eſt locupletior. Et quòd iudex ad hoc debeat illam compellere.

655 Eſt quoque dubium an & quando, & qualia melioramenta perdat emptor vel conductor rei Eccleſię malè alienatę? Triplex autem genus melioramentorum diſtinguitur, nam alia dicuntur neceſſaria, alia vtilia, alia voluptuaria. Sed ad huius diſtinctionis intelligentiam, alia præmittitur, quia ſcilicet expenſę vel fiunt cauſa rei, ſeu fundi, vel cauſa fructuum: fiunt verò expenſę cauſa fructuum vel quęrendorum vt in arando agros, & putando vites; vel colligendorum, vt in triturando, & vindemiando; vel conſeruandorum, vt in conducendis

dis horreis, & similibus, per textum in *l. si à Domino §.fin.de hæredit. petit.* expensæ istæ, quæ pro fructibus habendis fiunt, non veniunt nomine meliorамentorum ipsius rei, seu fundi, sed ad fructus pertinent, & de fructibus deduci debent, ita quòd fructus dicantur, qui remanent deductis expensis; vnde vbi fructus restitui debent, deduci priùs debent expensæ pro illis factæ, & solui debent etiam prædonibus, vt ex *Bal. in l. si quis sciens C. de rei vendit.* tradit *Redoan. Rubric. seu quæst. de melioramentorum*, &c. *num.* 18. Et propterea supra etiam dictum fuit, quòd Ecclesia recuperans rem cum fructibus debet deducere expensas, quæ pro fructibus habendis colligendis, & conseruandis factæ sunt. Solæ igitur illæ expensæ veniunt sub nomine melioramentorum, quæ fiunt gratia rei, seu fundi.

656 Hæc verò distinguuntur in necessarias, vtiles, & voluntarias, seu voluptuarias. Expensæ seu melioramenta necessaria sunt, quæ si non factæ fuissent res erat peritura, aut deterior futura, vt sunt vetera ædificia reficere, offeres facere, flumina auertere, vites in locum demortuarum substituere, & similia facere, quæ recensentur in *l. 1. & 2. & in l. impensæ necessariæ ff. de impens. in reb. dot. faciend.* Vtiles verò impensæ seu melioramenta sūt, quæ fundum seu rem meliorem reddunt, aut certè ne fiat deterior detinent, & ex quibus redditus acquiruntur, vt nouum ædificium facere in fundo, adiungere pristinum, vel horreum, pastinare, seu plantare arbusta ne terra in futuris annis ruat, plantare nouas arbores cum vitibus, & similia facere. Expensæ demum aut melioramenta voluptuaria sunt, quæ non augent rei fructum, sed speciem ornant, vt sunt viridaria, fontes salientes, incrustationes, loricationes, picturæ, & similia. *l. impensa de verb. signific.*

657 Est ergo prima regula, quòd nedum bonæ fidei, sed etiam malæ fidei emptori, aut conductori rei Ecclesiæ debentur melioramenta necessaria, ita quòd vbi cogitur rem Ecclesiæ reddere, Ecclesia debeat ei satisfacere pro melioramentis necessarijs. Nam & malæ fidei possessor expensas factas in melioramentis necessarijs recuperat. *l. dominum ff. de petit. hæred.* Tum secundò, quia non decet, vt Ecclesia cum alterius iactura ditetur. Tum quia ei imputatur damnum sequens, si dum interim possidet, non faciat expensas necessarias, ne res aut ruat, aut deterior fiat. Et ideo, quòd rei Ecclesiæ emptor, aut venditor etiam malæ fidei debeat in rei restitutione recuperare expensas necessarias tradiderunt. *Rota dec.* 1490. *num.* 11. *coram Seraphino. Redoan. vbi supra num.* 24. *Ricc. p. p. praxis resol.* 63. *num.* 7. *Boss. tit.* 18. *num.* 525.

658 An verò rem Ecclesiæ malè alienatam possidens possit eandem rem retinere, donec expensas necessarias a se factas recuperet, quæstio est de qua videri possunt. *l. etsi in area ff. de condit. indeb. l. qua ratione. §. litera ff. de acquir. rer. domin. l. in rebus. §. possuat. §. commodati, & l. pen. ff. de doli except. Beroas cons.* 78. *num.* 61. *Boer. dec.* 4. *Capyc. dec.* 17. *Negusantius de pignor. in* 4. *mem.* 5 *p. princ. Ludouicus Ioseph. dec.* 24. *&* 34. *Vincentius de Franchis dec.* 112. *&* 146. *Marescotus l. 2. variar. cap* 112. Ricc. *d. res.* 63. Rota *dec.* 1490. *coram Seraphino, & dec.* 461. *alias* 471. *coram Puteo, Boss. d. tit.* 18. *num.* 522. Dici verò debet, quòd si expensæ non sunt liquidæ, emptor, seu conductor rei Ecclesiæ malè alienatæ contentus esse debet cautione, & interim non potest retinere rem possessam & malè alienatam, sed eam statim debet reddere, etiam si emptor, aut conductor fuerit possessor bonæ fidei ante mortam litem; quia dum ille sit securus de suis expensis, non est vnde rem Ecclesiæ detineat sub prætextu melioramentorum. Et quòd vbi melioramenta non sunt liquida, sufficiat, quod Ecclesia det cautionem ad hoc vt statim rem suam recuperet, dixit. *Rota in dec.* 461. *lib.* 2 *coram Puteo, & dec.* 1490. *coram Seraphino.* Melioramenta verò dicuntur non esse liquida, si licet constet de melioramentis, non constat vel de eorum necessitate aut vtilitate, vel de eorum valore. *Ludouicus Ioseph* tamen *d. dec.* 24. *num.* 26. *apud Bossium nu.* 522. vult, quòd si ante sententiam melioramenta non sint liquidata non sit sententiãdum, vel per immissionem in possessionem sententiæ executio debeat retardari. Et apud eundem *Boss. Vincentius de Franchis d. dec.* 112. *num.* 16. dicit, quòd in sacro Consistorio Neapol. seruatur, quòd si melioramenta deducantur ante sentẽtiam; indistinctè retardatur executio donec expensæ in illis factæ sint solutæ, sed si deducuntur post sententiam, fit executio cum fideiussione, *& Marescotus d. cap.* 112. *num.* 12. *ab eodem Boss. relatus*, dicit dari retentionem etiam si impensæ sint allegatæ post sententiam ante executionem, & num. 21. ait id procedere etiam si offeratur cautio de soluendis melioramentis, cum fuerint liquidata, nisi adsit aliquod periculum in dilatione executionis sententiæ. Sed certè loquendo de re Ecclesiæ, vbi nullitas alienationis sit certa & liquida, non est vnde sub pretextu melioramentorum nõ liquidorum retardetur sententia, & executio illius, quia est certum rem esse Ecclesiæ, & vnde sufficit, quòd rem Ecclesiæ possidens sit securus de reparatione pretij melioramentorum per fideiussionem, vt latè probatur in *d. decis.* 361. *coram Puteo.* Quòd fortiùs procedit vbi emptor, vel conductor rei Ecclesiæ sit possessor malæ fidei. Nam quando qui meliorauit erat possessor malæ fidei, multi sentiunt, quòd non competat illi repetere expensas iure exceptionis, & retentionis sed implorando officium iudicis, vt per *Redoan. vbi supra n.* 24. & ita sentire communiter scribẽtes in *l. planè ff. de petit. hæred.* testatur *Boss. vbi supra num.* 525. Quatenus verò *Marescotus d. cap.* 112. *num.* 9. *&* 13. vult, quòd etiam possessori malæ fidei competat ius retentionis pro melioramentis, saltem in hoc seruari debet, vt non retardetur immissio in possessionem sub prætextu melioramentorum, quando non sunt liquida; Nam satis hoc est, quòd vbi illa fuerint clara pretium illorum recipiat. Quando verò melioramenta sunt liquida, & facta fuerunt, tunc cum res Ecclesiæ bona fide possidebatur, communis sententia est, quòd precedere debeat melioramentorum solutio, antequam res restituatur, vt apud citatos DD. videri potest.

659 Aduertit verò *Felin. cap. cum causa an.* 28. *de sent.* & re iudicata, quòd solutio melioramentorum debet fieri attenta quantitate expensarum factarum tunc, cum facta sunt, non verò attento valore quem habent tempore restitutionis rei. Ita enim loquuntur *d. l. in fundo ff. de rei vind. & l. sumptus. eodem tit.* DD enim communiter dicunt, quòd

solúm

solùm expensæ factæ in melioramentis solui debent emptori, vel conductori rei Ecclesiæ malè alienatæ; & si de fructibus tantum recepit, quantum valent illæ expensæ, compensabit, & alterius pretij solutionem non percipiet. Verùm & vlteriùs aduertendum ex *Redoan. vbi supra §. conductores verò. numer. 7.* quòd regula prædicta valet vbi melioramenta tempore restitutionis sint melioramenta, & plùs valeant, quàm fuerit in illis expensum; nam si tempore restitutionis melioramenta minùs valent, vt quia malè facta, & non duratura, vel quia aliunde non multùm militant pro Ecclesiæ vtilitate, æstimatio eorum debet fieri pro tempore restitutionis rei melioratæ, non verò pro tempore in quo fuerunt facta, vel pro eo, quòd in eis faciendis fuit expensum. *Boss. d. tit. 18. num. 523.*

660 Sed si melioramenta non sunt necessaria, sed vtilia, distinguendum est inter possessorem bonæ, & malæ fidei. Nam melioramentorum vtilium expensæ factæ tunc, cum emptor, vel conductor rem Ecclesiæ malè alienatam possidebat bona fide, soluendæ sunt illi, ipseque illa recuperare potest iure exceptionis doli mali, & retentionis, vt ex *l. in fundo, & l. sumptus. ff. de rei vindicat.* tradunt *Redoan. vbi supra scilicet quæst. de melioramentis num. 24.* Et in hoc casu vera sunt, quæ de retentione rei donec huiusmodi impensæ soluantur supra dicta sunt. Sed si melioramenta vtilia facta sunt ab eo, qui erat in mala fide, ab eo non recuperantur regulariter, seu deducuntur per modum æstimationis. Verum est, quòd aliqui distinxerunt inter hoc, quod est de nouo aliquid facere, & factum reficere, & dicunt, quod possessor malæ fidei expensas quas fecit aliquid faciendo de nouo, censetur donare. Ita ex *§. ex diuerso instit. de rer. diuisione* & ex eo, quòd nullum voluit sibi obligare imprudens. *l. in hoc tacito. ff. com. diuid.* tenuit *Redoan. vbi supra numer. 20.* Sed hoc accipiendum est cum distinctione *ibidem num. 24.* Nam aut melioramenta facta tolli possunt sine læsione prioris status rei, aut tolli non possunt. Si non possunt tolli censentur donata & redunt solo; Non enim æquum est, vt verus dominus patiatur damnum ad hoc, vt possessor malæ fidei consequatur, quòd expendit sine necessitate. Sed si tolli possunt, tunc malæ fidei possessor ea tollere potest, nisi Dominus velit ea retinere soluendo pro eis non quantùm valent non ablata, sed quantum æstimantur ablata. *l. in fundo ff. de rei vindicat. Redoan vbi supra num. 24. Boss. tit. 18. num. 526.* Ideò si possessor malæ fidei aliquod nouum ædificium fecit, vel arbores plantauit, & Dominus non vult vt ea tollantur, non tenetur reddere quantùm valet domus ædificata, quam integram possessor malæ fidei non potest exportare, sed quantùm valerent rudera, si domus destrueretur. Et ita dicendum est de alijs.

661 At verò si melioramenta fuerunt voluntaria & non fructuosa, sed voluptuaria a possessore rei alienæ siue sit bonæ, siue sit malæ fidei possessor non deducuntur per modum æstimationis, sed solum ea potest abradere, vel tollere si fieri potest sine præiudicio prioris status rei. *l. in fundo §. 1. ca. ff. [illegible] rei vindicat. Redoan vbi supra nu. 34. & Menoch. de re[illegible] per. remed. 15. num. 530. & 546. Marescot. l. 2. vari[illegible] cap. 111.* quos refert & sequitur *Boss. d. tit. 18. num. [illegible]* [illegible] tamen hoc quantum ad possessorem [illegible] fidei, vt si melioramenta facta sint in re venali, seu quam Dominus intendit vendere, & ea valeant ad augendum pretium censenda sint vtilia, & vt talia iuxta supra dicta æstimanda. *Maresc. num 5. & 6. Menoch. nu. 533. & 534. & 542. Boss. d. num. 524. & l. quòd si §. ea. ff de impens. in rebus dot. fact.* Et idem per dictam *l. in funda. ff. de rei vindicat.* per eosdem dicitur, si Dominus ea melioramenta erat facturus. Et nihilominùs si Dominus fundi nolit, vt talia melioramenta tollantur, non possunt tolli, sed tamen tenetur soluere quantum illa ablata valerent, & si tolli non possunt saluo priori statu fundi, censenda sunt donata, & domino fundi relinquenda.

SVMMARIVM.

1 *Quando alienans, & qui rem recipit excusantur à peccato, excusantur etiam à restitutionis obligatione. n. 662.*
2 *Plura consideranda ad iudicandum an in alienatione fuerit peccatum. n. 662.*
3 *Difficile est, quòd alienans sit bonæ fidei. n. 663.*
4 *Alienans mala fidei, si recipiens sit bonæ fidei, tenetur illi restituere & pretium, & damna. numer. 663.*
5 *Et Ecclesiæ rem alienatam & damna. n. 663.*
6 *Alienans mala fide rem Ecclesiæ recipienti mala fide tenetur restituere pretium, sed non cætera damna remissiue. n. 663.*
7 *Recipiens rem Ecclesiæ tenetur eam restituere cum fructibus, vel vt possessor bonæ fidei, vel vt possessor malæ fidei. n. 663.*
8 *Recipiens etiam si sit mala fidei alienanti mala fidei nihil restituere tenetur. n. 663.*
9 *Si tamen alienans sit bonæ fidei recipiens tenetur illi ad damna. n. 663.*
10 *Vbi alienatio sit nulla solùm ex defectu solemnitatum, illæ adhibendæ sunt, & Ecclesia debet seruari indemnis. n. 663.*

Quando & qualiter malè alienantes, aut recipientes rem Ecclesiæ teneantur in vtroque foro ad restitutionem?

INSPECTIO NONA.

662 Circa hoc considerandũ est, quod diuersa ratio est eius qui bona fide, & qui mala fide operatur. Quando enim operans tali bona fide operatur, vt excusetur à peccato in foro conscientiæ, non tenetur ad restitutionem. Quamuis in foro externo, in quo iudicatur ex præsumptionibus, contingere poterit, vt non appareat bona fides & innocentia, & compellatur restituere, qui non peccauit. Ad videndum autem an operans peccauerit consideranda sunt, qualitas personæ, & negotij, & erroris, & ignorantiæ an sit iuris, aut facti, & qualis iuris an humani, vel naturalis, aut diuini, aut clari, aut dubij; & qualis facti, an proprij, vel alieni, & alia similia de quibus tractant. *D. Th. ad p. 2. D. Th. quæst. 6.* & videri etiam possunt. *Nauar. de rebus Eccles. non alien. num. 24. & Felin. in*

capit. de quarta ; a numer. 24. de prascript.

363 De alienante igitur loquendo dicitur, quòd ferè non potest contingere. quòd sit bonæ fidei, & excusetur à peccato dum malè alienat rem Ecclesiæ, quia alienantes Prælati aut Ecclesiarum Capitula, & Rectores sunt personæ doctæ, & quæ possunt, & tenentur leges iustæ alienationis rerum Ecclesiæ scire. Nihilominùs tamen etiā isti (præcipuè ex ignorantia facti) possunt errare existimantes v. g. post sufficientem, inquisitionem alienationem esse vtilem Ecclesiæ, quæ non est. Alienans igitur rem Ecclesiæ non ex bona fide, sed mala, tenetur restituere in vtroque foro tam Ecclesiæ, quam recipienti bona fide rem malè alienatam, omne damnum, quòd ex alienatione illis causatur. Quoniam iniustè vtrumque damnificat. Si verò accipiens est malæ fidei, adhuc alienans iuxta supradicta licet non teneatur ad cætera damna, tenetur tamen ad restitutionem pretij modo ibid. exposito. Accipiens tenetur quidem Ecclesiæ restituere rem cum fructibus, si tamen sit bonæ fidei, non tenetur pro fructibus non consumptis, & pro consumptis pro ea parte in qua factus sit ditior; sed respectu alienantis, etiam si sit accipiens malæ fidei, non tenetur restituere aliquid alienanti, si sit malæ fidei, quia is omne damnum, quòd sibi ex alienatione prouenit voluntariè incurrit. Si tamen alienans sit bonæ fidei, & id sciat accipiens, tunc accipiens tenetur illi restituere damnum, quòd alienans incurrit, quia accipiens mala fide illius damni censetur esse causa, vt habetur ex *cap. final. de iniurijs*. Erga Ecclesiam verò tam alienans, quàm recipiens tenentur ad restitutionem rei, & ad damna & interesse iuxta tamen regulas & differentias possessoris bonæ, aut malæ fidei secundùm quas Ecclesiæ restitui debent res, & rei fructus, & damna alia, si quæ ex alienatione fuere sequuta ex causa & culpa alienantis & recipientis. Si tamen alienatio non sit mala ex parte causæ, sed solùm ex defectu solemnitatum, sufficit procurare, quòd illæ adhibeantur, & semper Ecclesia seruanda est indemnis. Quæ cum nullum damnum alienantibus inferat, & semper inculpata sit, nihil restituere tenetur.

SVMMARIVM.

1 *Prima pœna nullitas actus. n.664.*
2 *Non habet locum vbi non est præsumptio. numer.665.*
3 *Nullitas alienationis ex vi Paulinæ est pœna. numer.665.*
4 *Secunda pœna est excommunicatio. n.666.*
5 *Antiquitus erat sententia ferenda. n 666.*
6 *In substantia non afficit nisi alienationes præsumptas sine beneplacito Apostolico legitime impetrato. n.667.*
7 *Quoad personas est vniuersalis. n.668.*
8 *Non habet locum nisi contra præsumentes. numer 669.*
9 *Alienatio prohibita est latissime sumpta. nu.670.*
10 *Non incurritur excommunicatio nisi tradatur res Ecclesiæ. n.670.*
11 *Non est reseruata. n.671.*
12 *Non datur absolutio, nisi satisfacta parte. numer.671.*
13 *Tertia pœna est interdictum. n.672.*
14 *Requirit præsumptionem, & non est reseruata. num.672.*
15 *Quarta pœna priuatio beneficiorum, lata sententia. num.673.*
16 *Non obligat, nisi Prælatos inferiores Abbatibus. num.673.*
17 *Non obligat in conscientia ante sententiam. numer.673.*
18 *Quinta pœna suspensio ipso iure. n.674.*
19 *Non afficit, nisi Religiosos administrantes bona Ecclesiæ. n 674.*
20 *Actio prohibita est concessio rerum aut redituum ad vitam, seu longum tempus. n.675.*
21 *Sexta pœna est priuatio vocis, officiorum, & inhabilitas. n.676.*
22 *Afficit solos Regularium Superiores, & Capitula. n.676.*
23 *Non obligat in conscientia ante sententiam. numer.676.*
24 *Septima pœna est excommunicationis, rebellionis, læsæ maiestatis, confiscationis bonorum &c. numer.677.*
25 *Plures actiones comprehendit. n.677.*
26 *Excom. Concil. Trid. sess.22. cap.11. contra vsurpantes bona Ecclesiæ non afficit alienantes. numer.678.*
27 *Afficit eum, qui damnatus ad restituendum bona Ecclesiæ, resistit. n.678.*
28 *Vltima pœna est depositio sententia ferenda. numer.679.*
29 *Afficit Presbyteros, & Diaconos. n.679.*

Quas pœnas incurrant alienantes malè res Ecclesiæ.

INSPECTIO DECIMA.

664 INter huiusmodi pœnas primam numerant nullitatem actus, *Quaranta v. alienatio num.49. Rodriq. tom.1. quæst.27. a.13. Sopranus ad Fillinc. tract.44. cap.6. num.7. fin.* Sed econtra hanc non esse pœnam, quia inducta sit non in odium alienantium, sed fauore boni communis vult. *Boss. tract.18. n.564.* Alioquin si esset pœna non haberet locum ante declaratoriam, cum tamen DD. velint nullitatem hanc incurri statim in vtroque foro. Qui ergo dicunt hanc nullitatem esse pœnam quatenus est ex lege politiua dictæ extrauag. *ambitiosæ*, fundare possunt intentionem suam in verbis legis, in quibus apparet, quod hæc nullitas est inducta in odium transgressionis, eiusdem legis, vt patet in Paulina ibi. *Si quis autem contra huius nostræ prohibitionis seriem de bonis, & rebus eisdem quidquam alienare præsumpserit, alienatio &c. huiusmodi nullius omnino sit roboris, vel momenti, & tam qui alienat, quam is, qui alienatas res, & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat.* Patet enim, quòd nullitas alienationis inducta est contra præsumentem alienare, & eodem tenore, & forma inductis est pœna excommunicationis contra alienantes, & nullitas præsumptæ alienationis. Et esto nullitas dicatur pœna, sic inficit alienationem etiam in foro conscientiæ, quòd per eam non transfertur nisi dominium reuoca-

uocabile ad instantiam Ecclesiæ, sicut & pœna confiscationis bonorum, licet statim non priuet possessione, inficit tamen dominium, vt res in præiudicium fisci non possit a puncto commissi criminis alienari, & ab eo tempore censenda sit eiusdem fisci, licet delinquens non priuetur possessione bonorum nisi post sententiam. Et esto hæc nullitas dicatur pœna, non per hoc alienantes sunt in conscientia securi, quin semper teneantur adhibere solemnitates, & obedire Ecclesiæ præcepto, & quin Ecclesia non sit semper reddenda indemnis, & non possit recuperare rem suam cum fructibus, vt satis supra probatum est.

665 Immò aduertendum est, quòd ex vi Paulinæ hæc nullitas non habet locum, nisi vbi in alienantibus sit præsumptio. Nam vt ex relatis verbis patet, decernitur nulla alienatio non absolutè, sed si quis *præsumpserit* alienare, tunc alienatio fit nulla. Quòd quidem loquentes de pœna excommunicationis aduertunt. *Nauar Comm. de alien. num. 16. & 17. & in man. cap. 23. num. 44. & cons. 19. de reb. Eccles. non alien. Quaranta v. alien. nu. 50. Azor p. 2. l. 9. cap. 2. quæst. 6. Pereg. in compend. priuil. v. alien. post §. 3. Ricc. p. p. praxis res. 132. num. 2. & 3. Bonac. p. 5. num. 1. Lezana tom. 3. v. alienatio num. 20. Boss. dict. tit. 18. num. 559.* At vero spectatis verbis textus bene apparet, solam alienationem præsumentium alienare cōtra prohibitionem Paulinæ decerni nullam. Et quia præsumptio importat temeritatem, malitiam, & dolum, vt tradunt. *Cardin. Zabarella in Clem. 1. de priuileg. Nauar. d. num. 16. & in cap. 27. num. 74. Quaranta v. alien. num. 9. & 50.* & alij DD. communiter. Ideo cōtractus alienationis, si fiat oedum bona fide, sed ex ignorantia iuris, vel facti culpabili, & etiam crassa non est ex vi Paulinæ in foro conscientiæ nullus, quia non est alienatio præsumpta & temeraria. Et hinc sequitur, quòd cum non desint multi DD. qui docent alienationes vtiles Ecclesiæ valere, etiam si fiat sine solemnitatibus; si quis ex harum sententia alienet cum vtilitate Ecclesiæ, licet sine solemnitatibus, ex vi Paulinæ alienatio non est nulla ipso iure & facto, quia non est præsumpta, licet semper sit irritabilis, quia contra prohibitionem facta. Si tamen alienatio, licet bona fide facta, sit sine causa iusta & solemnitatibus & præcipuè sine beneplacito Apostolico, licet ex vi Constit. *ambitiosæ* non sit nulla ipso iure, quia non est præsumpta, ex vi tamen & in terminis *cap. nulli de reb. Eccl. non alien. & cap. 2. eod. tit. in 6. & Clem. 1. eod.* tit. & decreti Vrbani VIII. nulla ipso iure est, si dictæ constitutiones non accipiunt interpretationem ex Paulina, secundùm quam nullitas alienationis est pœna in odium præsumentium malam alienationem lata.

666 Secunda pœna est excommunicatio latæ sententiæ, fuit verò apposita pœna excommunicationis malè alienantibus res Ecclesiæ etiam in antiquis canonibus. Habetur *c. Apostolicos 12. quæst. 2.* Sed est conditionalis, scilicet, si qui recepit non restituerit, vnde ex hoc apparet, quòd erat ferendæ sententiæ, maximè, quod non determinatur tempus restituendi, & ideo Turrecremata exponit illud *sit anathema*, quòd est in textu illo, vt sit idem, quòd *anathematizetur per sententiam*, quia nimirum vbi iudice decernente restitutionem rei Ecclesiæ malè alienatæ, qui recepit renuat restituere sit excommunicandus. Pariter ferendæ sententiæ est excommunicatio contra alienantes res Ecclesiæ lata in sexta Synodo, vt habetur *cap. indignè eod. tit.* Sed Paulus secundus contra præsumentes alienare res Ecclesiæ sine beneplacito Apostolico excommunicationem latæ sententiæ tulit.

667 Considerandum tamen, quòd Paulus secundus disiunctiuè loquitur, ibi, *alienanti verò bona &c. quomodolibet inconsulto Romano Pontifice, aut contra præsentis constitutionis tenorem &c.* Et ideo, quòd ad incurrendas pœnas Paulinæ alterum horum sufficiat, dixerunt. *Nauar de num. 13. Barbosa de off. & pot. Episcopi all. 95. cap. 47. Boss. tit. 18. numer. 558.* Sed attendi debet primò, quòd hæc clausula apponitur in textu post latam pœnam nullitatis, & excommunicationis. Secundo, quòd disiunctiua illa maioris declarationis gratia est posita, & quòd in re non sunt hic plura membra disiunctiuè accipienda, sed vnum tantùm. Nam vbi adest beneplacitum Apostolicum nō subreptitium, nec vitiatum, sed validum, non potest esse locus illis pœnis, quia & beneplacitum Apostolicum supplet alias solemnitates, vt supra dictum est, & non datur nisi vbi alienatio fiat ex causa iusta, igitur alienatio facta ex beneplacito Apostolico quippe quæ fit & ex causa iusta, & cum omni solemnitate iuris necessaria, nec est mala, nec est alicui pœnæ subiecta, nec contraria in aliquo constitutioni Paulinæ. Sed quia contingere potest, vt etiam dolosè impetretur beneplacitum Apostolicum super alienatione inutili Ecclesiæ, ideo licet tale beneplacitum non suffragetur, tamen ad maiorem huius explicationem additum est disiunctiuè illa clausula, *aut contra præsentis constitutionis tenorem*, vt clariùs appareat, quòd si contingat (dolosè tamen, & culpabiliter) fieri alienationem perniciosam Ecclesiæ vitiosè impetrato beneplacito Apostolico, adhuc datur locus pœnis ibidem contra alienantes latis; quia & in idem coincidunt alienare sine beneplacito Apostolico, & cum eo subreptitiè & nulliter impetrato, vel eius conditionibus non seruatis, inter quas hæc vna semper intelligitur, scilicet, quòd alienatio sit in euidentem Ecclesiæ vtilitatem.

668 Quantùm verò ad personas vniuersalissima esse hæc pœna excommunicationis. Nec obstant quæ ex *Soprano*, & *Bonacina* pōderat *Boss. d. tit. 18. num. 559.* de pœnis Paulinæ absolutè; & sine distinctione asserens, quòd pœnas dictæ extrauag. non incurrunt nisi Prælati, Rectores, & Administratores rerum Ecclesiæ, quia in d. extrauag. nominantur soli Prælati, ibi *inferiores verò Prælati &c.* Quia esto hoc possit applicari pœnę interdicti ab ingressu Ecclesiæ, aut priuationis beneficiorum, de quibus loquitur ibi hæc constitutio, id tamen non potest habere locum in pœna excommunicationis; quæ vt patet ex verbis supra relatis absolutè & sine distinctione fertur tam contra alienantes, quàm contra recipientes bona alienata.

669 Verum quidem est, quòd non omnes qualitercumque alienantes, sed solùm alienantes ex præsumptione sunt excommunicati ex vi dictæ cōstitut. vt patet ibi *alienare præsumpserit*, vnde vt supra dicebatur, vbi alienatio fit ex ignorantia etiam crassa, & tali, quæ non possit dici præsumpta, & temeraria, non subditur pœnę excommunicationis

nis, vt tradunt DD. supra num. 665. citati.

670 Actio autem in dicta constitut. prohibita sub excommunicationis pœna est alienatio latissimè sumpta, vt se extendit ad contractus supra numeratos, & explicatos, & etiam ad locationem vltra triennium. Verum quidem est, quòd ad incurrendam pœnam excommunicationis vel alias pœnas eiusdem Constit. non sufficit alienatio attentata, sed non perfecta; immò nec sufficit, quòd contractus sit perfectus verbis, & rogitu instrumenti, si non traditur possessio rei alienatæ, & sic non transfertur dominium, sed contrahentes ante traditam possessionem pœnitent; quia alienatio ante traditam possessionem, & dominium non est perfecta, quamuis aliàs & ipsa verbalis alienatio sit à canonibus prohibita, & respectiuè nulla. *Couar. var. 2. cap. 16. num. 7. 8. Quaranta v. alien. nu. 50. Ricc. p. parte praxis ref. 132. num. 3. Pereg. v. alienatio post §. 3. v. dico quarto. Boss. d. tit. 18. nu. 561. Bonac. tamen p. 5. num. 2.* putat oppositum probabilius, sed sine fundamento.

671 Hanc verò excommunicationem non esse reseruatam bene aduerterunt, *Sayr. l. 3. cap. 32. numer. 22. Suarez de censuris disp. 23. sect. 6. num. 3. Barbosa de off. Epis. all. 50. n. 235. ex Pyrrho verò Corrado de dispen. l. 9. cap. 6. num. 36. aduertit Boss. num. 562.* huius censuræ absolutionem non esse impertiendam tam Clericis, quàm laicis, nisi sub ea lege, vt quam primùm curent rescindi instrumentum alienationis, & Ecclesiam reintegrari. Sed distingui debet inter alienationem malam ex defectu causæ iustæ, vel solùm ex defectu solemnitatis. Nam vbi Ecclesia per contractum sit passa damnum, non possunt alienantes absolui, vel in foro conscientiæ, vel in foro externo nisi respectiuè seruata conditione in facultate absoluendi intimè clausa, scilicet satisfacta parte, quàmuis diuersimodè hæc conditio seruanda sit in foro conscientiæ, & in foro externo. Sed si alienatio sit mala ex solo defectu solemnitatis sufficiet obligare pœnitentes vel vt quàm primùm rescindant contractum, vel vt impetrent beneplacitum Apostolicum.

672 Tertia pœna est interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & successiuè suspensionis ab omni administratione Ecclesiæ, aut Monasterij tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, si interdictus per sex menses animo indurato in interdicto perseuerauerit. Hæc verò pœna quantùm ad personas non est vniuersalis, sed afficit solùm Episcopos, & Abbates bona suarum Ecclesiarum alienantes. Ad incurrendam verò hanc pœnam requiri in alienante præsumptionem, asserit *Boss. n. 559.* Sed hoc non est omnino certum; quia verbum *præsumpserint* est vbi textus imponit pœnam nullitatis, & excommunicationis. Postea verò addit, *alienanti verò bona &c. quomodolibet inconsulto Romano Pontifice &c. si Pontificali &c. ingressu Ecclesiæ sit penitus interdictus.* Vnde patet, quòd textus loquitur de alienatione quomodolibet facta. Nihilominus verisimile est, quod hæc pars d. Const. ad priorem referenda sit, & sic, quod semper Pontifex loquatur de præsumentibus alienare contra præscriptum suæ constitut. Et quòd dictio illa *quomodolibet*, respiciat modos alienationis habendæ ex parte alienationis, non verò ex parte solius alienantis, nimirum si ex ignorantia, vel temeritate, & præsumptione. Et aduerti etiam debet, quòd hæc pœna non incurritur ex sola alienatione verbali sine traditione possessionis, vt docent DD. citati. Hæc etiam censura interdicti, vel suspensionis non est reseruata.

673 Quarta pœna est priuatio beneficiorum, & administrationum Ecclesiarum, & hæc pœna est latæ sententiæ, sed non afficit nisi Prælatos, & administratores Episcopis, & Abbatibus inferiores, & non se extendit nisi ad beneficia, quorum bona alienantur. Quàmuis vero hæc pœna sit latæ sententiæ, & ita vt dicatur incurri sine alia declaratione, & adeo vt beneficia ex tunc censeantur vacare; nihilominùs in foro conscientiæ ante sententiam declaratoriam non habet locum, vt tradiderunt vniuersaliter de pœnis ipso iure inductis. *Gloss. in cap. fraternitas v. cum augmento 12. quæst. 2. Felin. in c. 1. num. 41. de constit. Nauar. in cap. 23. num. 56.* Et in terminis huius pœnæ priuationis beneficiorum latæ in Paulina. *Quaranta v. alienatio n. 49. & ex Henriq. l. 13. cap. 56. Ricc. p. parte praxis, ref. 133. Boss. d. tit. 18. num. 564.* Et ratio est, quia huiusmodi pœnæ, licet etiam in foro conscientiæ sic incurrantur, vt priuent absoluto dominio, quód prius habebatur, seu illud infirment, ac debilitent, adeo vt ex vi declaratoriæ retrotrahenda sit pœna ad diem commissæ alienationis, & Prælatus, seu beneficiatus teneatur ab eo die restituere etiam fructus beneficij, quos non facit suos iuxta *cap. si quis Presbyteror. de reb. Eccl. non alien. Rota dec. 246. num. 3. & 4. p. 2. diuers.* & hunc effectum pariat ius absque alia declaratione, tamen pœnæ huiusmodi non priuant possessione, & iure possidendi, nisi superueniat declaratoria sententia. Vnde similes Prælati, & Beneficiati in conscientia non tenentur vel re[illegible]are beneficia, vel fructus restituere, sed securi in conscientia gaudent suis beneficijs, & solùm attendere debent ex prudentia, vt remedia opportuna quærant contra forum externum, & euitent illius pericula.

674 Quinta pœna est suspensio ab officio lata in *Clem. p. de reb. Eccl. non alien.* Hæc verò suspensio est latæ sententiæ, & debet intelligi non vt solùm sit suspensio ab officio diuino, vt voluit *Card. Zabar. in d. clem. num. 31.* neque vt sit sola suspensio ab officio administrationis vt innuit. *Gloss. ibid. v. officio* iuncta notat. *eiusdem in Clem. 2. de decimis, ead. verb.* sed vt sit suspensio ab officio absolutè & simpliciter, quia sic loquitur textus ibi, *pœnam suspensionis ab officio eo ipso incurrat*, & ideo vt sit suspensio ab officio diuino, & iurisdictione, & administratione. *Suarez de cens. disp. 31. sec. 6. num. 8. & ex Alter. tom. 2 disp. 27. §. quinta. Boss. tit. 18. num. 567.* Est autem suspensio perpetua. Sed quantùm ad personas afficit Religiosos. *Boss. d. num. 567.* putat eam extendi etiam ad Prælatos seculares, qui ex dispensatione præsint Monasterio, seu Ecclesiæ Regulari. Sed cum textus expressè loquatur de Religiosis, ibi. *Ne quis Religiosus monasterio &c. præsidens &c.* non video vnde hæc lex pœnalis ad alias personas extendi debeat. Sed nec omnes Religiosos comprehendit, sed solos illos, qui monasterijs præsunt, aut bonorum eorumdem administrationem habent. *Zabar. ibid. num. 10. alter. vbi supra. Boss. num. 559. & 567.* Vnde si Religiosus non præsidens Monasterio, Conuentui, aut administrationi transgrediatur [illegible] licet malè faciat, & alienatio nulla sit,

sit, tamen non est ex hoc suspensus ab officio; sufficeret tamen ad incurrendam suspensionem, si esset Cellerarius, seu Syndicus, seu Procurator cum facultate administrandi bona Monasterij.

675 Nō prohibetur verò in illa Clement. quælibet alienatio, sed expressè interdicitur concessio bonorum aut redditaum monasterij ad vitam, vel ad certum tempus. Et nihilominùs hæc eadem alienatio ibi permittitur in casu necessitatis, aut vtilitatis Ecclesiæ, & accedente consensu Conuentus, vel si Ecclesia non habet Conuentum, Prælati superioris. Et tandem eadem suspensio non est reseruata.

676 Sexta pœna est priuatio Officiorū omnium, quę tunc obtinebunt, vtriusq; vocis, & inhabilitatis perpetuæ ad illa officia in posterū obtinenda. Hæc pœna lata fuit in decreto S.Cong.Conc.approbato ab Vrbano Papa VIII. & est latæ sententiæ, & reseruata, sed non afficit, nisi Religiosos Superiores, & Capitula. Nihilominùs tamen non sic incurritur ante sententiam declaratoriam in foro consciētiæ, vt sic priuatus, aut inhabilis teneatur illam exequi, vt tanquam probabile approbat etiam. *Boss. d. tit. 18. num. 565.* Et neque est verum, quòd priuatio vocis actiuæ, vel passiuæ aut inhabilitatia sit pęna purè priuatiua: hi verò superiores Regulares malè alienando res Ecclesiæ incurrunt omnes alias pęnas contra malè alienantes latas. Quoniam illas omnes confirmarunt Paulus II. in extrauag. *ambitiosa*, & præfatum decretum Sacr. Congreg. ibi. *pœnis. nihilominùs Apostolicarum Constitutionum, &c. in suo robore permansuris.*

677 Septima pęna habetur in Const. 35. Pij Quinti, in qua prohibentur alienari Ciuitates, & loca Ecclesiæ, pluresque continet, nimirùm pęnam excom. latæ sententiæ Papæ reseruatæ; rebellionis, & læse maiestatis in primo capite; proditoris Ciuitatum, & locorum; confiscationis bonorum; priuationis Ecclesiarum Monasteriorum, & beneficiorū; exilij à Ciuitatibus, & locis; & infamiæ perpetuæ etiam si contra alias pęnas reintegrati fuerint. Quantùm verò ad personas vniuersalis est, & comprehendit etiam Cardinales. Actiones verò quæ prohibentur sub præfata pęna sunt publicè, aut priuatim tractare, consulere, aut verba facere, de in feudandis aut alienandis Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Castris, Arcibus, locis immediatè ad ius & proprietatem Sedis Apostolicæ pertinentibus, etiam sub prætextu necessitatis, & vtilitatis. & de postulandis à Sede Apostolica quibusuis personis etiam Papæ consanguineis, etiam Cardinalibus, & quibusuis alijs personis in Duces Vicarios, Gubernatores seu quamuis alium titulum ad vitam, vel in perpetuum, vel longum tempus, aut beneplacitum Apostolicum prędictarum Ciuitatum, & locorum, & propterea eligere Oratores ad Sedem Apostolicam super præmissis. Item secundò munus similis Oratoris recipere. Item tertiò huiusmodi alienationes Pontificis insinuare, vel suadere. Hæc sancita fuerunt à Pio Quinto constit. 35. confirmata successiuè ab alijs summis Pōtificibus. Aduertit verò Cherub. ad const. 3. Gregor. XIII. eundem Greg. XIII. in Consistorio die 3. Aprilis 1581. declarasse, quòd sub d. constit. Pij V. comprehenditur etiam cōcessio guberniorum, quæ vltra triēnium de præfatis bonis fieri contingeret.

678 Pęnæ aliæ possent hic recenseri, quæ latæ fuerunt per constit. 3. Sixti Quinti confirmatam & respectiuè ampliatam per const. 78. Clem. VIII. & 108. Pauli V. & 65. 72. 73. 151. 153 Vrbani VIII. sed quia in istis Constitut non fit sermo de bonis Ecclesiasticis vt talibus sed de bonis etiam secularium existentibus intra statum temporalem Ecclesiæ, sufficiant dicta superiùs à num. 333. Octaua pęna ponitur à quibusdam & est excommunicationis latæ sententiæ Papæ reseruatæ, & latæ in *Concil. Trid. sess. 22. cap. 11. de reformat.* contra occupantes bona Ecclesiastica, vel impedientes ne percipiantur ab ijs, ad quos de iure pertinent. Hanc enim excommun. incurrere etiam alienantes malè vel locantes ad longum tempus bona Ecclesiastica voluit *Franciscus Leo p. praxis cap. 15. nu. 53.* quem sequitur *Bonac. de alien p. 5. nu. 3.* Verùm quia actiones ibidem prohibitæ sunt occupare, seu vsurpare bona Ecclesiæ, & impedire ne percipiantur ab ijs ad quos pertinent, vt explicat *Suarez de cens. disp. 22. sec. 6. num. 22.* & satis constat ex verbis Concilij ibi: *in proprias vsus conuertere, illosque vsurpare*, alienatio verò bonorum Ecclesiæ nō est propriè occupatio, seu vsurpatio, ideo dicendum est pœnam illam non comprehendere malè alienantes res Ecclesiæ, *Sopran. ad Filliuc. tract. 44. cap. 6. nu. 3. Barb. ad extrauag. ambitiosa num. 22. & ad cap. 11. sess. 22. Concil. Trid. nu. 10. Boss. d. tit. 18. num. 568.* Et aliàs si mala alienatio bonorum Ecclesiæ esset eorum vsurpatio, malè alienantes inciderent etiam in excommunicationem casus 17. Bullæ Cœnæ contra bona Ecclesiæ vsurpantes, quòd nullus hucusque dixit, quòd viderim. In huiusmodi vero censuras incidere dicendum erit, qui post sententiam damnatus ad rem Ecclesiæ restituendam, id facere recusauerit, vt *Sopranus, & Boss.* vbi supra aduertunt.

679 Vltima pœna est depositio, quæ fuit lata in *cap. Diacon. 12. quæst. 2. & cap. si quis Presbyteror. de reb. Eccl. non alien.* Hæc tamen Presbyteros & Diaconos afficit, & est sententiæ ferendæ, & non incurritur si post interpellationem statim sine mora res alienata fuerit Ecclesiæ restituta *Hostien. in sum. de reb. Eccl. non alien. num. 5.* & de ea mentionem faciunt. *Gloss. in d. cap. si quis Presbyt. v. pœnam Panorm. num. 10. Rodriq. tom. 1. quæst. 27. a 13. Ricc. p. p. praxis aureæ res. 132. num. 1. Boss. tit. 18. n. 570.*

SVMMARIVM.

1 *Constitutio contra Delegatos deficientes muneri suo. num. 680.*
2 *Quæ actiones sint prohibitæ Delegatis. nu. 681.*
3 *Duæ pœnæ latæ respectiue, scilicet excommunicatio & suspensio. n. 682.*
4 *Delegatus perniciosæ alienationi consentiens tenetur ad restitutionem. n. 683.*
5 *Pœnæ latæ contra procurantes vel extorquentes alienationem perniciosam Ecclesiæ. nu. 683.*
6 *Quid veniat nomine sordium, aut impressionis, num. 683.*
7 *Afficiunt omnes huiusmodi pœnæ. num. 683.*

De

De pœnis Commissariorum, si deficiant in approbando alienationes inutiles Ecclesiæ.

INSPECTIO VNDECIMA.

680 NEdum contra alienantes, sed & contra Commissarios à Sede Apostolica delegatos, ad videndum si alienationes sint in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, si in hoc à munere suo deficiant canonica lex pœnas tulit. Adest enim de hoc constitutio secunda Pauli Secundi.

681 Diuiditur constitutio illa in duas partes, in quarum prima tractat de Delegatis, in secunda de procurantibus fieri alienatione in præiudiciu Ecclesiæ. Delegatis duo prohibentur, primò scilicet per gratiam, aut timorem, aut sordes alienationi præiudiciali Ecclesiæ consentire: secundum est, ex eisdem causis simili alienationi decretum, aut authoritatem interponere. Primò igitur huiusmodi actiones respiciunt alienationem perniciosam Ecclesiæ, ideo si alienatio non cedat in maiorem Ecclesiæ vtilitatem, si non inferat illi grauamen, non est materia huius prohibitionis, & Delegatus esto etiam aliàs contra faceret literis suæ delegationis, non per hoc incurrit pœnas huius Constitutionis, si alienationi non perniciosæ Ecclesiæ consentiat, aut suum decretum interponat *Suarez de cens. disput. 22. sec. 6 num. 4.* quem sequitur *Bonac. p. 6. nu. 2.* Secunda conditio necessaria ad hoc vt pœnæ in d. Constit. latæ incurrantur est, quòd Delegatus per gratiam, aut timorem, vel sordes, nimirum per pecuniam consensum aut decretum interponat; vnde si per ignorantiam, aut negligentiam etiam culpabilem delegatus alienationi consentiat in grauamen Ecclesiæ non per hoc incidit in pœnas *d. Constitut. Suarez de Cens. disp. 22. sect. 6. num. 4. Bonac. de alien. p. 6 num. 2. Boss. tit. 18. num. 574* Tertiam conditionem requirit *Boss.* (quidquid in contrarium dixerit *Bonac. d. p. 6. nu. 5.*) vt scilicet sequatur alienatio, immò & traditio possessionis rei alienatæ, quia aliter alienatio non est completa, & pœnæ non incurruntur nisi prohibita actio perficiatur. Non enim fit præiudicium Ecclesiæ per interpositionem consensus seu decreti ipsius Delegati, immò nec ex alienatione verbali, si postea alienantes pœniteant, & rem Ecclesiæ non tradant, Pontifex verò pœnam fert contra Delegatum consentientem, aut decretantem in grauamen Ecclesiæ.

682 Pœnæ verò latæ sunt duæ respectu diuersarum personarum. Nam si Delegatus sit Episcopo inferior, & per gratiam, aut timorem, vel sordes consentiat, aut decretum interponat, super alienationē in grauamen Ecclesiæ est ipso facto excommunicatus. Hæc tamen excommunicatio non est reseruata Papæ. *Suarez vbi supra Boss. num. 572.* Sed si Delegatus sit Episcopus, vel superior & præfata operetur, est per annum suspensus ab officio, & hæc suspensio non est reseruata Papæ. *Boss. numer 573.* Sed si intra annum suspensione durante se ingesserit diuinis fit irregularis irregularitate Papæ reseruata. Additur verò, quòd huiusmodi sit condemnandus ad restitutionem damni illati Ecclesiæ; sed neque hæc restituendi obligatio est propriè pœna, sed necessitas iustitiæ, & in conscientiæ foro adest independenter à quacumque sententia, quia qui causat damnum alicuius tenetur ad restitutionem illius.

683 In secunda parte imponitur excommunicatio latæ sententiæ reseruata Papæ, *Bonac. p. 7. numer 6.* quæ fertur contra duo genera personarum, seu actionum. Nimirum contra procurantes alienationem in detrimentum Ecclesiæ, dolo, vel fraude, vel scienter. Et sic duo requiruntur vt incurratur excommunicatio, scilicet quòd per alienationem Ecclesia lædatur, secundum quod procuratio fiat per dolum, aut fraudem, aut scienter; vnde non erit excommunicatus, qui ex ignorantia, aut negligentia etiam culpabili talem alienationem procurauerit *Suarez vbi supra, Bonac. p. 7 num. 1. Boss. num. 575.* Aliud genus actionis prohibitæ est extorquere decretum alienationis per sordes, aut impressionem. Per sordes autem intelligitur iniqua donatio, aut promissio, nimirum pecuniaria corruptio. *l. 3 §. 1. ff. de recep. qui arbitr. l. 3. C. de arbitr.* & per impressionem quidquid vim inferre potest, vt importunæ persuasiones, aut deprecationes, & similes inductiones. *Suarez & Boss. vbi supra.* Licet verò absolutè procuratio, & extorsio distinguantur ab alienatione, & ideo in suo genere possint esse completæ etiam si non sequatur alienatio, quia nihilominùs in hac Pauli II. constit. attenditur præcipuè, vt excludatur grauamen Ecclesiæ, ideo non probatur *Bonac. opinio, qui p. 7 nu. 5.* vult quod procurantes alienationem præiudicialem Ecclesiæ etiā alienatione non sequuta sint excommunicati, quia in ratione procurationis præiudicialis Ecclesiæ actio non est completa si non compleatur alienatio Ecclesiam lædens. *Boss. vbi supra.* Quòd verò *Filliuc. apud Bossium,* ex eo voluerit sub hac excommunicatione non comprehendi laicos, quia Clerici esse solent, qui procurant alienationes, & ad eam delegantur perficiendam, nec subsistit in facto, quia immò sæpe laici sunt, qui res Ecclesiæ cupiunt, & habere procurant, nec conuenit textui, qui vniuersaliter loquitur. *Bonac. de alien. p. 7. num. 4. Boss. d. num. 575. Suarez* etiam loco citato *num. 5.* non habet pro certo, quòd hæc Constitutio sit in vsu, quàmuis esse timendam admoneat. Sed econtra ex vi dictæ Constitut. de ea admonendi sunt delegati, & eadem in literis delegationis inserenda est, vt patet ex *§. vlt. d. Constit. & aduertit Boss. nu. 574.* Aliique DD. eam vt habentem vim referunt.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiæ competit restitutio in integrum, si sit læsa. num. 684.*

2 *Damnum debet adfuisse de tempore contractus num. 685.*

3 *In transactionibus vtilitas mensuratur ex dubio euentus litis. num. 686.*

4 *Duo copulatiue sunt necessaria vt detur Ecclesiæ restitutio in integrum. n. 687.*

5 *Solum ex enormi læsione datur restitutio in integrum. n. 688.*

6 Mo-

6 *Modicum vel enorme debet accipi absolute. numer.688.*

7 *Læsionem probare spectat ad Ecclesiam, si seruata sint solemnitates. n 689.*

8 *Ad impetrandam restitutionem sufficit probatio summaria n 689.*

9 *Pro enormi læsione non datur Ecclesiæ restitutio post quadriennium. n.690.*

10 *Quando hoc quadriennium incipiat. n.690.*

11 *Pro enormissima etiam post quadriennium datur restitutio. num.691.*

12 *Arbitrarium est, an læsio sit enormissima. numer. num.691.*

13 *Nunc contra præiudicialia non obstante lapsu longissimi temporis Ecclesia est restituta in integrum. num 692.*

14 *Ecclesia debet restituere pretium. num.693.*

15 *Ad restituentē rem Ecclesia spectat probare, quòd pretium sit conuersum in eius vtilitatem, numer.693.*

16 *Limitatur hoc. n.693.*

17 *Restitutio melioramentorum remissiue. n 694.*

18 *Ecclesia excessum pretij debet restituere. numer. 695.*

19 *Ecclesia coram Iudice Eccles. potest petere restit. in integrum. 696.*

20 *Pro bonis Ecclesiasticis laicus conuenitur coram Iudice Ecclesiastico. num.696.*

21 *Iudex Ecclesiasticus summarie iudicat an bona sint Ecclesiastica. num.696.*

22 *Alienationem non fuisse vtilem Ecclesiæ quomodo præsumatur ex eo, quòd alienatio facta est in consanguineos. n.697.*

23 *Aliæ præsumptiones alienationis simulatæ. numer.698.*

De Ecclesiæ in integrum restitutione.

INSPECTIO DVODECIMA.

684 NEdum puniuntur, vt supra Commissarij, si alienationi quæ fit in damnum Ecclesiæ consentiant, vt fiat, vel factam confirmant; sed supposita Commissariorum confirmatione, si appareat Ecclesiæ læsio, datur Ecclesiæ restitutio in integrum, vt alienationem rescindere curet & suæ indemnitati consulat. *cap. ad nostram, de reb. Eccl. non alien & cap. 1. de in integrum restitut. Et ad huiusmodi textus & vbi alibi de alienatione rerum Ecclesiæ tractant DD. communiter*, Ecclesia enim, & quia Prælati, & Rectores non possunt illi præiudicare, & quia in restitutione consequenda vtitur minoris iure, *d. cap. 1. de in integrum restit.* etiam si alienatio facta sit cum solemnitatibus, si deprehenditur eius grauamen, habet ius restitutionis in integrum, & actionis ad hoc, vt rem suam recuperet.

685 Pro intelligentia verò huius priuilegij, quòd competit Ecclesiæ, primò considerandum est, quòd vtilitas vel damnum debet attendi de tempore contractus. Nam non datur locus restitutioni, si contractus fuit vtilis tunc, cum fuit initus, vt quia tunc res Ecclesiæ alienata verè erat sterilis, & parum vtilis, licet postea facta fuerit fertilior. *Gloss. in cap. ad aures. v. nisi forte. de reb. Eccl. non alien. Guido Papa dec. 157. Rota dec. 18. num. 4. p. 2. diuers. & ex Borell. in sum. decis. tit. 5. num. 72. Boss. tit. 18. num 530.* Et similiter si res accepta ab Ecclesia tempore acceptionis fuerat ei vtilis, si postea facta sit deterior, & Ecclesiæ parùm vtilis, non habet locum restitutio in integrum, quia alienatio de se fuit vtilis Ecclesiæ, & aliunde est, quòd Ecclesia sit læsa.

686 In transactionibus etiam dictum est supra vtilitatem non debere mensurari ex solo valore rerum de quibus est lis, sed ex litis dubietate, *Rota dec 625 num. 6. & 7. p. 1. recent. & ex Afflict. dec. 220. num. 2. & Mantica de tac. & ambig conuent. l. 26. tit. 9. num. 13. Boss. d. num. 530.*

687 Vt verò Ecclesiæ detur restitutio in integrum, duo copulatiuè sunt necessaria. Primum, quòd Ecclesia sit læsa: secundùm, quòd hæc læsio appareat, & sit manifesta, vt habetur ex *d. cap. 1. de integrum restit. & c. ad nostram de reb. Eccl. non alien.* & tradunt communiter DD. Et his duobus potest addi tertium scilicet, quòd restitutio sit petita in debito tempore.

688 Quantum verò ad primum, quòd non ex quacumque læsione competat Minori, & Ecclesiæ restitutio in integrum, sed solùm si læsio sit enormissima, vel enormis, ex textu in *cap. 1. de integ. restit.* ibi *detrimentum*, scilicet magnum, *vt Gloss. interpretatur, & ex cap. ad nostram de reb. Eccles non alien.* ibi *enorme dispendium*, tradiderunt *Gloss. citata, & ibi Panorm. in 2. notab. Comm. lib. 1. var. cap. 3. num. 11. Rota d. 625. num. 7. p. 1. recent. Barb. & ad d. cap. 1. de in integr. restit. Boss. tit. 18. num. 533.* & apud istos plures alij. Quæ verò læsio censenda sit enormis, in arbitrio iudicis est positum, vt dixerunt. *Couar. d. num. 11 Grat. discep. 1-8. num. 18.* Considerandum tamen est, quòd non debet hìc accipi læsio modica comparatiuè, & quia sit talis respectu maioris, quæ potuisset accidere, in quo sensu mille est; quid modicum respectu trecentorum millium sed debet accipi absolutè, & spectato damno, quòd infert Ecclesiæ absolutè. Vnde est, quòd est grauis læsio, nedum si Ecclesia sit læsa in dimidio pretij, sed etiam si sit læsa in tanta quantitate, quæ licet sit infra dimidiam, tamen in se est magna & graue detrimentum; vt infert *Panor. in cap. cum dilecti*, de emptionibus, *Couar. d. cap. 3. num. 11.*

689 Quantum verò ad secundum, sic læsio debet esse manifesta, quòd ad Ecclesiam spectat illam probare in hoc casu, de quo loquimur, quando scilicet alienatio facta fuit seruatis solemnitatibus necessarijs, & ab ijs, qui aliàs habebant legitimam facultatem alienandi. Sic enim & minori, & cuicumque petit restitutionem in integrum competit probare læsionem. Quia læsio non præsumitur, nisi probetur. *l. verum. §. sciendum. ff. de minoribus.* Et ideo, quòd etiam Ecclesiæ competat probare læsionem vt restituatur in integrum ex *cap. 1. de in integr. restit. & cap. Ad nostram de reb. Eccl non alien.* tradūt *Panorm. in d. cap. 1. notab. Gratian. discept. 439. nu. 44. & discept. 762. num. 13. & 15. & discept. 776. nu. 64. Barbosa ad d. cap. 1. nu. 14. & ad d. cap. ad nos num. 4. Boss. tit. 18. nu. 531.* Verum tamen est, quòd ad impetrandam restitutionem sufficit, quòd Ecclesia summariè doceat de læsione, quoniam post restitutionem obtentam plenariè de ea docendum erit,

vt

vt tradit Grat. discept. 439. nu. 44. post Bellam. dec. 38. ante finem, Felin. d. cap. cum super. n. 16. de re iudic.

690 Quantum verò ad tertium distinguendum est inter læsionem enormem, & enormissimam. Nam vbi læsio sit solum enormis tempus petendæ restitutionis, erat iam quadriennium, post quod restitutio non concedebatur, cap. 1. de in integr. rest. & ibi Barbosa num. 15. l. vlt. C. de temp. in integ. rest. petend. Couar. d. cap. 3. num. 9. Grat. discep. 601. nu. 28. 29. & 30. Ricc. p. parte praxis in annot. post nu. 130. Boss. tit. 18. num. 535. & alij DD. communiter. Hoc tamen quadriennium numerandum erat à die notitiæ læsionis, & ignoranti non currit Grat. nu. 43. Ricc. Barbos. Boss. vbi supra. Et ampliùs dictum quadriennium non incipiebat currere nisi à die mortis Rectoris, qui alienationem lædentem fecit, Grat. d. discep. 601. nu. 48 Ricc. & Boss. vbi sup. latè autem Grat. loco citato à num. 28. ad 44. probat post huiusmodi quadriennium non concedi Ecclesiæ restitutionem petendam etiam contra lapsum huius quadriennij. Nam aliter qui contraxisset cum Ecclesia, vel loco pio nunquam securus esset, & cederet in Ecclesiæ detrimentum, quia nullus cum ea contrahere vellet.

691 Sed si læsio sit enormissima non attendebatur tempus quadriennij, sed & post quadrienniū debebatur Ecclesiæ restitutio in integrum, vt docēt Gloss in cap. 1. de restit. in integrum, v. admittenda in 6. Couar. d. cap. 3. num. 10 Gratian. discep. 148. nu. 19. & 601. n. 45. Barb. ad p. cap. de in integr. restit. n. 16. Boss. tit. 18 num. 536. Quando verò læsio dicenda sit enormissima spectat ad arbitrium iudicantis. Quādo autem læsio sit vltra dimidiam iusti pretij, tunc Ecclesia duplici via potest agere pro consequenda re sua, vel scilicet vi leg. 2. C. de rescind. vendit. vel ex remedio restitutionis in integrum, cum hoc discrimine tamen, quòd Reus conuentus vi d. leg. 2. habet electionem, vel ad supplendum pretium, vel ad rem restituendam, sed vbi agitur per restitutionem in integrum, reus cogitur restituere. Couar. cap. 3 nu. 11. Panorm in c. constitutus nu. 10. de in integ. restit. Barbosa ad d. cap. 1. num. 10. eod. tit. Boss. tit. 18. num. 538.

692 Sed hodie per Constit. 157. Vrbani VIII. contra præiudicialis facta Ecclesiæ aut Ecclesiasticis personis etiam in fructibus & in ea Constit. prohibitis & comprehensis, contra præscriptionem etiam longissimi temporis Ecclesia ipsa est in integrum rest tuenda. Vnde nunc beneficium restitutionis in integrum iuxta tenorem dictæ Constit. est regulandum.

693 Vbi verò Ecclesia recuperet rem suam per viam restitutionis in integrum debet restituere pretium ei, qui cum illa contraxit, etiam si de hoc non fieret aliqua mentio in sententia restitutionis rei alienatæ. l. vnica C. de reputat. Grat. disc. 720. nu. 17. & disc. 767. num. 50. 53. 57. Quòd tamen intelligitur facta restitutione rei alienatæ, quia Ecclesia non tenetur ad illud antea restituendum. Sicut nec tenetur Ecclesia pretiū restituere, si hoc nō fuit cōuersum in eius vtilitatem, quòd factū fuisse probare spectat ad aduersarium vt ex Bart. & Pinell. tradit Barbos. vbi supra n. 11. Vbi hoc limitat, vt procedat quando Ecclesia peteret restitui ex hoc tantum, quia pretium solutum amisit, quia in hoc casu pertineret ad Ecclesiam hoc probare, & in hoc casu dixit loqui Gloss. in l. prædiorum C. de præd. Minor. quam sequuntur plures, de quibus Pinell. in l. 2. C. de rescind. vend. p. 3. c. 1. num. 25.

694 Quomodo verò in hoc casu Ecclesia debeat restituere melioramenta necessaria vel vtilia, vel voluntaria, aut non debeat, satis supra explicatum est.

695 Si etiam alienatio facta sit in damnum alterius contrahentis, licet illi non competat restitutio in integrum, tamen Ecclesia debet bonam fidem illius agnoscere, & vel excessum pretij restituere, vel à contractu recedere. Bos. tit. 18. 541. ex Ricc. coll. 3054. & Rota in Pisana Bonorum 2. Decembr. 1585. coram Orano.

696 Hanc verò restitutionem in integrum Ecclesia coram Iudice Ecclesiastico petere potest. Quòd satis neruosè ex cap. 1 & cap. constitutus, de in integrum restitut. & cap. ad nostram, de reb. Eccl. non alien. & cap. cum sit generale, de foro competent. probant Panorm. ad d. cap. 1 num. 18. & ad d. cap. constitutus, & ad d. cap. ad nostram Innoc. ad d. cap. cum sit generale, & ibid. Fel. col. 1. Barbosa ad d. capit. ad nostram num. 3. Bos. tit. 18. num. 543. Et ratio est, tum quia Ecclesia nedum ex iure minoris, sed ex speciali priuilegio cap. 1. de in integ. restit. habet ius restitutionis in integrum, vbi verò Ecclesia aliquo speciali priuilegio iuuatur, potest laicum coram Ecclesiastico iudice conuenire, vt notauit Innoc. vbi supra. Tum secundò quia laicus ratione sacrilegij potest sub Iudice Ecclesiastico conueniri; ad sacrilegium verò spectat, quòd Ecclesia in alienatione sit læsa. Tum tertiò, quia ratione bonorum Ecclesiæ, vel Clerici, si non negetur ea esse bona Ecclesiæ, vel Clerici potest laicus conueniri coram Iudice Ecclesiastico. Cap. si clericus de foro Compet. vbi Panorm. num. 1. & 2. Felin num 4. Soccin. num. 15. Nauar. de redditib. Eccles. quæst. 1. casu 9. Grassus de off. cler. effec. 1. num. 521. Miranda de ord. iudic. quæst. 1. a. 5. concl. 4. Belletti disquis. p. 1. tit. de fauor. Cleric. rea. §. 5. num. 2. Barbos. ad d. cap. si clericus. Bona enim Ecclesiastica sequuntur personam, & illius forum. cap. nouerint 10. quæst. 1. Panor. in c. solitæ nu. 3. de maior. & obed. Bellet. d. num. 2. vbi post Innoc. Panorm. Soccinum, Imolam in d. c. si clericus & Cassanum dec. 32. & alios ait id esse verum, siue agatur actione reali, siue personali, vel ex legato, vel ex locato. Quod idem dixit. Grassus d. num. 521. Quòd adeo verum est, quod licet laicus negaret bona controuersa esse Ecclesiæ, vel Clerici, & de hoc dubitaretur, quatenus dici posset ea à Clerico possideri vt feudalia, & non vt bona Ecclesiastica, in quo casu & qua exceptione existente iudex Ecclesiasticus procedere non posset contra laicum. d. cap. si clericus. Grassus vbi supra num. 522. adhuc tamen Iudex Ecclesiasticus poterit summariè super ea exceptione cognoscere, vt videat an ad ipsum spectet iurisdictio, vel vt causam suo Iudici remittat, & ad laicum reum & excipientem spectat verificare & probare exceptionem illam veram & probabilem esse. Panorm. in d. cap. si clericus n. 8. 9. 12. & 15 Bellet. d. §. 2. num. 6 Barbosa ad d. cap. si clericus num. 2. in fine. Bos. tit. 18. num. 544. Ex quibus patet, quod non obstat id, ex quo ad oppositum sentiendum mouetur Couar. lib. 1. var. cap. 4. num. 2. quia scilicet actor sequitur forum rei, quoniam hoc non est verum in Ecclesiam vbi de bonis Ecclesiæ, ab ipsa recu-

ranc.

caudis agitur, vt per rationes prædictas manet satis manifestum.

697 Iuuat etiam hic aduertere aliquas præsumptiones ex quibus colligi possit alienationem non fuisse vtilem Ecclesiæ, & ideò rescindendam. Prima est, si res Ecclesiæ alienata sit ad fauorem consanguineorum, & præcipuè Patris, aut Patrui, *auth.quibuscumq. modis* & ibi *D D.C.de Sacrosanct. Eccl. Rota dec.18. nu.4.& decis.244.nu.3.par.2. diuers. & decis.720.num.1.par.1. diuers. & coram Cæs. de Grassis dec.4.n.24.de reb. Eccl. non alienan.* Nihilominùs ex hac sola suspicione, aut præsumptione alienatio aliàs facta cum solẽnitatibus nõ rescinditur. Quia aliàs vbi alienatio sit Ecclesiæ vtilis non est nulla ex eo, quòd sit facta in consanguineos, quoniam tunc non habet locum mala præsumptio, & alienatio valet non minùs facta in cõsanguineos, quàm in extraneos, *Rota decis. 135. num.22.coram Cæsare de Grassis, & decis.1125.nu.6. coram Seraphino, & dec.18.num.5.p.2.diuers.* etiam si alienatio facta sit ab Oeconomo in suos consanguineos, *Sylu.v.alienatio num.20.* Et omnis ista suspicio cessat si vel in rescripto facta est mentio cõsanguineorum, *Rota d. decis. 1125. nu.11.* Vel facta sit alienatio in consanguineos bonæ conditionis & famæ. *Rota d.decis.18.num.6.* Vel si alienatio facta sit à pluribus nimirum à Capitulo, vel Conuentu, & vnus solus de alienantibus sit consanguineus illius in quem fit alienatio, *Rota dicto decis 18. num 6.*

698 Secundò alienatio Ecclesiæ præsumitur simulata, & in fraudem facta, si Prælatus, vel Rector post alienationẽ inuenitur manere in possessione rei alienatæ, & nihil respondet emptori. Præsumitur enim fraus, vbi venditor post venditionem inuenitur possidere bona vendita, & emptor sit homo intelligens, & cautus; siue si qui repudiauit hæreditatem non dimittit illius possessionem. Siue si donator retinet possessionem bonorum donatorum. Item si contractus fiat clandestinè, & in abscondito. Item si prohibitus contrahere id faciat per interpositam personam. De quibus videri potest, *Mascardus de probat. conclus.815.a num.48.& Boss.tit.18.a num.548 & Rict. p.1.praxis resol.31.*

ARTICVLVS VIII.

Vtrum religiosi qui promouẽtur in Episcopos, teneantur ad obseruantias regulares?

Cap. qu 88. ar 11. ad 4. & 4. d. 18. q. 1. a. 4. q. ad 1. *AD octauum sic proceditur. Videtur, quod religiosi, qui promouentur in Episcopos, non teneantur ad obseruantias regulares. Dicitur enim 18. quæst.1. quod monachum canonica electio a iugo regulæ monasticæ pro-* *fessionis absoluit, & sacra ordinatio de monacho Episcopum facit. Sed obseruantiæ regulares pertinent ad iugum regulæ. Ergo religiosi, qui in Episcopos assumuntur, non tenentur ad obseruantias regulares.* 18. q. 1. c. Statutum. q. 18. ar. 12. ad 1.

2 Præterea, Ille qui ab inferiori ad superiorem gradum ascendit, non videtur teneri ad ea quæ sunt inferioris gradus: sicut supradictum est, quod religiosus non tenetur ad obseruanda vota quæ in sæculo fecit. Sed religiosus qui assumitur ad Episcopatum, ascendit ad aliquid maius, vt supra habitũ est. Ergo videtur, quod non obligetur Episcopus ad ea quæ tenebatur obseruare in statu religionis. q. 184. a. 7.

3 Præterea, Maxime religiosi obligari videntur ad obedientiam, & ad hoc quod absque proprio viuant. Sed religiosi qui assumuntur ad Episcopatum, non tenentur obedire Prælatis suarum religionum, quia sunt eis superiores: nec etiam videntur teneri ad paupertatem, quia sicut in decreto supra inducto dicitur, Quem sacra ordinatio de monacho Episcopum facit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem iure vendicãdi potestatem habet. Interdum etiam conceditur eis testamenta conficere. Ergo multo minus tenentur ad alias obseruantias regulares. ar. 2. huius art.

Sed contra est, quod dicitur in Decr. 16. q.1. De monachis qui diu morantes in monasteriis, si postea ad clericatus ordines peruenerint, statuimus non debere eos à priori proposito discedere. 16 q. 1. c. de hic.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictũ est, status religionis ad perfectionem pertinet, quasi quædam via in perfectionem tendendi. Status autem Episcopalis ad perfectionem pertinet, tanquam quoddam perfectionis magisterium. Vnde status religionis comparatur ad statum Episcopalem sicut disciplina ad magisterium, & dispositio ad perfectionem. Dispositio autem nõ tollitur perfectione adueniente, nisi fortè quantum ad id, in quo perfectioni repugnat. Quantũ autem ad id, quod perfectioni congruit, magis confirmatur: sicut discipulo, cum ad magisterium peruenerit, non congruit quod sit auditor, congruit tamen sibi quod legat & meditetur etiam magis, q. praeced. art. 7.

quam ante. Sic ergo dicendũ est, quod si qua sunt in regularibus obseruantijs, quæ non impediant pontificale officium sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut est continentia, paupertas, & alia huiusmodi: ad hæc remanet religiosus, etiam factus Episcopus, obligatus, & per consequens ad portãdum habitum suæ religionis, qui est huius obligationis signum. Si quæ vero sunt in obseruantijs regularibus, quæ officio pontificali repugnant, sicut est solitudo, silentium, & aliqua abstinentia, vel vigiliæ graues, ex quibus impotens corpore redderetur ad exequendum pontificale officium: ad huiusmodi obseruanda non tenetur. In alijs tamen potest dispensatione vti, secundum quod requirit necessitas personæ, vel officij, & conditio hominum cum quibus viuit, per modum quo etiam Prælati religionum in talibus secum dispensant.

Ad primum ergo dicendum, quod ille, qui fit de monacho Episcopus, absoluitur a iugo monasticæ professionis, non quantum ad omnia, sed quantum ad illa quæ officio pontificali repugnãt, vt dictum est.

In ca. ar. *Ad secundum dicendum, quod vota secularis vitæ se habent ad vota religionis, sicut particulare ad vniuersale, vt supra habitum est. Sed vota re-*
q.88.ar.11. ad 1. *ligionis se habent ad pontificalem dignitatem, sicut dispositio ad perfectionem. Particulare autem superfluit habito vniuersali, sed dispositio adhuc necessaria est, perfectione obtenta.*

Ad tertium dicendum, quod hoc est per accidens, quod Episcopi religiosi obedire Prælatis suarum religionum non tenentur, quia scilicet subditi esse desierunt, sicut & ipsi Prælati religionum: manet tamen adhuc obligatio voti virtualiter, ita scilicet, quod si eis legitimè aliquis præficeretur, obedire tenerentur, in quantum tenentur obedire statutis regulæ per modum prædictum, & suis superioribus, si quos habent. Proprium autem nullo modo habere possunt. Non enim paternam hæreditatem vendicant quasi propriam, sed quasi Ecclesiæ debitam. Vnde ibidem subditur, quod postquam Episco-
18 q.1. c. Statutum in fin. *pus ordinatur ad altare, ad quod sanctificatur & intitulatur, secundum sacros Canones, quod acquirere poterit, restituat. Testamentum autem nullo modo facere potest, quia sola ei dispensatio committitur rerum ecclesiasticarum, quæ morte finitur, & ex qua incipit testamentum valere, vt Apost. dicit ad Heb. 9. Si tamen ex concessione Papæ testamentum faciat, non intelligitur ex proprio facere testamentum, sed Apostolica auctoritate intelligitur esse ampliata potestas sua dispensationis, vt eius dispensatio possit valere post mortem.*

SVMMARIVM.

1 *Expedire quid significat. nu. 1.*
2 *Tres sunt quibus dici potest quod expediat Regul. fieri Episcopos. num. 1.*
3 *Ecclesijs maximè expedit assumi Regul. ad Episc. num 2.*
4 *Ecclesiæ qualem requirant Episcopum. nu. 2.*
5 *Claustra maxime nutriunt eos, qui qualitates ad Episcopum necessarias habeant. nu. 3. 4.*
6 *Quamplures semper assumpti ad Episcopatus & Cardinalatum ex claustris. nu. 5.*
7 *Qui assumpti ad Pontificatum. n. 6.*
8 *Sancti Episcopi, & Pontifices insignes & doctissimi assumpti ex claustris. nu. 7.*
9 *Etiam ex Regularibus & non tantum ex secularibus assumendi Episcopi. n. 8.*
10 *Theologi Canonistæ melius intelligant Canones, quam non Theologi. n. 9.*
11 *Seculares laici non assumendi immediatè ad Episcopatus. n. 10.*
12 *Religionibus, vt sunt partes Ecclesiæ, expedit ex eis assumi Episcopos. nu. 11.*
13 *Religionibus vt sunt corpora particularia non expedit, & expedit ex eis assumi Episcopos. n. 12.*
14 *Non expedit illis vt inepti ex eis assumantur. n. 13.*
15 *Religiones indigent ad sui conseruationem viris pijs, & doctis, ideò eis non expedit vt plures ex illis, & frequenter assumantur Episcopi. n. 13.*
16 *In pluribus Religionibus habent votum non acceptandi Episcopatum nisi vbi iniungitur ex præcepto, quod votum est iustum & indispensabile nisi a Pontifice. n. 14.*
17 *Sancti Fundatores Religionum iudicarunt minus conuenire Religionibus eorum, vt ex eis assumerentur Episcopi. n. 15.*
18 *Etiam si Religionibus accrescat honor ex dignitate Episcopali, vtilius illis est suos intra claustra manere. n. 16.*
19 *Etsi officium Episcopale sit opus altissimæ charitatis, sic conuenit in necessitate Religiosos fieri Episcopos, quod Religiosis tutius & securius est manere intra claustra. n. 17.*
20 *Non est tamen contra humilitatem, & paupertatem, si instanctam Episcopatum recipiant. n. 18.*
21 *Religionibus conuenit ex eis aliquos assumi ad Cardinalatum & Pontificatum. n. 19. 20.*
22 *Religiosis potius melius est non assumi, quam assumi ad Episcopatus. n. 21.*
23 *Reprehenditur dictum Io. Andreæ, quod Episcopatus Regularium sit subtilis apostasia. n. 22.*

An

An expediat Regulares assumi ad Episcopatum.

1 IN limine huius articuli statim sese offert hæc difficultas, an expediat Religiosos assumi ad Episcopatus & alias Prælaturas extra illorũ ordines. Expedire verò idem est, quod interesse, conducere, vtile & è re esse, *l.5. §.si ut alienum, ff.de rebus eorum*. Vnde dum quæritur, an expediat Religiosos assumi ad Episcopatus, idem est ac quærere, an hoc intersit, seu conducat, vtile sit, & conueniat. Sed quia quod interest, alicuius interest & alicui vtile est; in proposito verò tres sunt quibus Regularium Episc. potest esse vtilis, vel non vtilis, nimirum Ecclesia ad quam regendam assumitur Religiosus, Religio ex qua assumitur, & ipsa Religiosi persona, quæ assumitur, triplex hic consideratio habenda est.

2 Quarum prima est. An Ecclesiarum regendarum intersit, vt illis præsint Episcopi ex sacrarũ Religionũ claustris assumpti. Et earum id summè interesse dicendum est. Ecclesiarum enim quæ sunt Christi greges summè interest, vt habeant Episcopos, qui cum sint successores Apostolorum, *cap. in nono, dist.21. Nedum eorum sermonem imitentur, sed conuersationem quoque & abstinentiam complectantur, cap. Ecclesiæ dist.35. ex Hieron. in cap.2. Michea. Qui nimirum in ætate antiqui, in fide integri, in pressura probati, in persecutione proscripti, cap. Nouatianus, dist.35. ex Cyprian. l.4. epist.2. ad Antonianum*. Qui vt describit *S. Ambros. lib. de dignit. Sacerdotali*, quod est professione, actione demonstret. *vt nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, ne sit nomen inane & crimen immane. Ne sit honor sublimis, & vita deformis. Ne sit deifica possessio, & illicita actio. Ne sit religiosus amictus, & irreligiosus prouectus. Ne sit gradus excelsus, & deformis excessus*. Et vt disserit *S. Greg. in Pastor. par.1. cap.10.* ille aptus est, vt præsideat. *Qui cunctis carnis passionibus moriens iam spiritualiter viuit, qui prospera mundi postponit: qui nulla aduersa pertimescit, qui sola interna desiderat, cuius intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat spiritus. Qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur. Qui per pietatis viscera citiùs ad ignoscendum flectitur, sed nunquam plusquàm deceat ignoscens ab arce rectitudinis inclinatur &c. Qui sic studet viuere, vt proximorum quoque corda arentia doctrinæ, valeat fluentis irrigare. Qui orationis vsu, & experimento didicit, quod obtinere à Domino quæ poposcerit, possit, cui prophetica voce iam quasi specialiter dicitur. Adhuc loquente te dicam, ecce ad sum*. Illos tandẽ super cathedras Pontificales desiderat Ecclesia: Qui tales sint, quales descripserunt, *Dionys. Areop. de cælest. Hier. cap.1. Ignatius Episc. ad Smyrnenses, Nazianz. in Apologetico prima. Et orat. de laudibus Athanasii, & in funere parentis, & in exhortatione ad Episcopos, Basilius epist.61. Orig. hom.6. in leuit. Ambros. de dignit. Sacerdotali. Chrysost. hom.10. in 1. ad Timot. & in libr. de Sacerdotio, Gregor. in Pastorali Bernard. in lib. de consideratione ad Eugenium, & cæteri PP. & DD.* seu (vt omnia complectar) Ecclesiarum interest vt habeant Episcopos tales, quales descripsit Apostolus in *1. ad Timot. cap.3.*

At verò status religiosus ille est præcipuè, qui Ecclesiæ tales possit alere viros, & nutrire cum sit status perfectionis. Claustra enim, vt dixit *B. Laurent. Iustin. de obedient. cap.17. & 18.* virtutum sunt schola, bellatorum statio, sanctitatis domus, castitatis custodia, pudicitiæ firmamentum, religionis magisterium, obedientiæ sanctæ speculum singulare, præsidiis iustitiæ munitissima Angelorũ vallata custodiis, & ignitarum orationum roborata præsidiis, & vt paucis verbis perstrinxit, *Petrus Blesensis epist.90. Disciplina Monastica vnica est clauis innocentiæ, religionis anchora, custos Ordinis, & per quam spiritualiter motus animi reuocantur à malo, & stabiliuntur in bono*, & ad rem præsentem facit illud Psalmi 64. *Pinguescent speciosa deserti, & exultatione colles accingentur, induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento, clamabunt etenim hymnum dicent*. Speciosa enim deserti, quæ diuinarum inanitate virtutum pinguescunt, sunt Religiosi viri, vt considerauit, *Hugo Victorinus ser.73.* dicens. *Tales enim vniuersi desertum speciositate sua insimul adornant, in eo conuersantes religiosè, exemplo, verbo, silentio, abstinentia, labore, continentia, labore manuum, austeritate vestium, duritia lectorum, continuatione vigiliarum, spiritualium melodia cantuum, instantia orationum, eleemosynæ largitate, hospitalitatis humanitate, cunctarum denique exercitatione virtutum, ac bonorum exhibitione operum, &c. Ista ergo ne vera speciosa deserti sunt, & in his quæ dicta sunt, non in carne, sed in spiritu mirabiliter quotidie pinguescunt*. Ex his propterea speciosis dum Ecclesia sancta Præsules assumit, simul plebium exultant colles, & diœcesium valles abundant, & populi clamantes Deo hymnum dicunt. Et vt addit *S. Petrus Damian. serm.5. de S. Nicolao. Claustra sunt Paradisus. Hic prata virentia scripturarum, præterfluens lachrymarũ vndositas, quã de purissimis affectibus amor ille cœlestis eliquat. Hic sunt arbores fructiferæ, chori Sanctorum, nullaque est, quæ non multa fructus gaudeat vbertate. Hæc est illa sublimis mensa, in qua Deus est cibans, & cibus, minerans, & minas, offerens, & oblatum, conuiua & conuiuium. Hic aggesta sunt omnipotentis diuitiæ, hic refusa est gloria Angelorum*. Bene igitur Ecclesia habet vnde ex claustris viros assumat, qui in summa paupertate diuites, & in abiecta humilitate sublimes Diœceses exaltent, & abundantia diuitiarum gratias faciant redundare.

4 Vnde est, quòd in huiusmodi schola eruditos ad Ecclesiastica ministeria, & Prælaturas assumendos esse docuerit inter alios *S. Gregor. Papa in 1. Regum lib.6. ad illud cap.16. Veni mittam te ad Isai Bethlehemitem. Sed Propheta*, inquit, *ad Isai Bethlehemitem mittitur, rex in eius filijs prauidetur: quia ille pastor eligitur, qui Ecclesiastica religione eruditus est. Bethlehem igitur, quæ domus panis dicitur, quid aliud, quàm vnamquemque designat domum Religionis? Panis namque nomine doctrina perfectionis ostenditur. Paulo attestante, qui ad conuersionem debiles excitans, ait, lac vobis potum dedi non escam. Nondũ enim poteratis, sed neçdum potestis. 1. Cor.3. Si enim lac paruulorum est, panis non est nisi perfectorum. Vnde & de perfectis viri robore dictum est, Isaiæ 33. In excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei datus est. In domo ergo panis, Rex ad vngendum quæritur, quia vtiliter promo-*

nentur, qui in perfectæ conuersationis ordine nutriuntur. Ille enim facere fortes alios potest, qui remissa & negligenti conuersatione nutritus non est. In domo igitur quæritur panis; quia in promouendo Antistite quærendum est robur conuersationis. De congregatione quidem debili ferè nunquam accipitur persona virtutis. Vnde est, quòd quantò Religiones sunt perfectiores, & quantò magis claustra viros doctrina, & prudentia, & sanctitate conspicuos nutriunt, tantò magis Ecclesiæ dant candidatos, qui ad Diœc. regendas fiot aptiores. Propterea S. *Ambros. epist. 82. ad Ecclesiam Vercellensem*, referens eius Ecclesiæ in eligendo Episcopo prouidentiã dixit. *Quod si in Ecclesijs tanto suppetit ordinandi Sacerdotis considerati ò, quanta cura expeditur in Vercellensi Ecclesia, vbi duo pariter exigi videntur ab Episcopo, Monasterij continentia, & disciplina Ecclesiæ?* Nòn enim dubium esse potest, quòd Religiosa continentia, & motum moderatio non sit aptissima in Episcopo ad bene regendas plebes.

5 Vnde est quod ab initio Ecclesiæ nascentis vsque ad hæc tempora Sedes Apostolica ex claustris accipere Episcopos consueuit, & sic expedire iura ipsa decernunt, *cap. de Monachis ex Innoc. ep. 2. ad Victorium cap. 10. & cap. Monachos quoque ex Siricio Papa ad Ismerium epist. 1. cap. 13. 16. q. 1. & cap. vnico 18. q. 1. ex Concilio habito apud Antheb. Et ex cap. nullus Religiosus, & cap. si Religiosus, & cap. quorundam de elect. in 6. & Clem. Cum ratione, de electione.* Vnde est, quod à nascentis Ecclesiæ exordio vsque ad hæc tempora penè infinitos Antistites de claustro in Ecclesia plebis exaltatos scimus. Nam & de sola Benedictorum Familia vsque ad sua tempora *Tritbemius lib. 4. de vir Illust. cap. 129. & 170.* quinque mille, & septuaginta; eoque amplius collegit. & de Ord. Prædic. *S. Anton. p. 3. tit. 23. cap. 10.* vsque ad suam ætatem centum & viginti quinq; profert Plodina verò, ad sua vsq; tẽpora ex Patriarch. Archiep. & Episc. plus quã 850. numerat. Et ex vnaquaq; Religione si recenseantur, in immensũ crescet horum Antistitũ numerus. Tanta enim fuit antiquitus Monastici nominis authoritas, vt vbiq; ex solis fermè monasterijs vocarẽtur Episcopi. Et cum de vna S. Martini Familia narrasset S. Sulpitius plures fuisse factos Episcopos, subdidit. *Quæ enim esset ciuitas, aut Ecclesia, quæ non sibi de Martini Monasterio cuperet Sacerdotes.* Et aduertit *Platus de bono status Relig. l. 2. cap. 29.* quòd in Græcia adeo hic mos adoleuit, vt hodie quoque in suo illo schismate nullum nisi monachum consacrent Patriarcham, aut Episcopum. Et si de Cardinalibus loquamur in Religione Benedictina, *Tritbemius l. 4. de viris Illustr. cap. 21. 184.* fuisse testatur *& Volaterranus lib. 21. apud Pennotum in Hist. Canon. Regol. l. 3. cap. 53. ex eodem Ord. Canon. regul.* 300. ad Cardinalatum assumptos recenset in Ordine Prædicatorum vsque ad hæc tempora 42. ad tantam dignitatem fuerunt exaltati.

6 Sed & ad summum Ecclesiæ vniuersalis Apicem quot & quanti de claustris ascenderunt? Regulares Monachi, aut Religiosi, Eremitæ, aut Claustrales fuerunt, Thelesphorus ex Græcia magna anachoreta, Anthetus Petilianus natione in Sardinia monasticam vitam ducens, Dionys. Calaber Anacoreta, S. Gregor. I. Monachus S. Benedicti Bonifacius IV. ex Monacho S. Sebastiani extra Vrbẽ, S. Leo I. S. Gelasius I. S. Felix III. Honorius I. ex Canonicis Regularibus, Adeodatus I. ex Monacho S. Erasmi in Cœlio Monte, Agatho I. Monachus Ordinis S. Equitij, Leo II. Benedictus II. Sergius I. Canonici Regulares, Gregor. II. ex Monacho S. Benedicti, Zacharias I. Canon. Regular. & postea Monachus S. Benedict. Stephanus III. ex Canon. Regul. Leo III. & Canon. Regul. primùm, deinde Monachus Bened. Paschalis I. ex Abbate Benedictino Ecclesiæ S. Stephani Eugenius II. Sergius II. Leo IV. Benedictus III. Formosus ex Canon. Regular. Ioan. IX. ex Monacho S. Benedicti, Benedictus IV. ex Canon. Regul. Leo V. ex Monacho S. Bened. Landus ex Canon. Regul. Siluester II. ex Monacho Floriacen. Sergius IV. Monachus S. Benedicti, Ioan. XIX. ex Monasterio S. Anastasij Monach. Benedict. Stephanus X. Canon. Regul. S. Lamberti Alex. II. Canon. Regul. Victor. III. Monach. Benedict. Gregor. I. Vrbanus II. Paschalis II. ex Monaster. Cluniacen. Lucius II. ex Canon. Reg. Monasterij S. Crucis in Hierusal. Eugenius III. ex Abbate Monast. SS. Vincentij & Anast. Anastas. IV. ex Canon. Regul. & Abbate S. Rufi Aurelianen. diœc. Hadrianus IV. ante Abbas S. Rufi iuxta Valentiam Cauarum, Alexander III. in Pisana Ecclesia priùs Canonicus Regul. Innoc. III. & Honor. III. ex Canon. Regul. & ex Ord. Præd. Innoc. V. Benedictus XI. & Pius V. ex Ordine verò Minorũ, Nicolaus IV. Alexander V. Sixtus IV. & Sixtus V. & ex Abbate Montis Frigidi Ord. Cisterc. Benedictus dictus XII. Clem. VI. iam Abbas Domus Dei Claramontis Ord. S. Benedicti, Vrban. V. iam monasticam vitam in Cluniacen. Monast. professus, & ex Anacoreta Cœlestinus V. ex Cœnobio S. Georgij in Alga Eugenius IV. Paulus verò IV. nedum Religiosus, sed fundator Religionis Clericorum Regular. De horum autem meritis consulendi sunt Anastasius, Platina, Baronius, Bzouius, Giacconius, & alij, qui vitas Pontificum descripserunt.

7 Denique quantùm Ecclesiæ interfuerit semper assumere ex disciplina Regulari edoctos, & in camino religiosæ obedientiæ igne probatos viros; ostenderunt Basilius, Nazianzenus, Io. Chrysostomus, Gregorius I. & VII. Leo I. Agatho, Gelasius, Augustinus, Fulgentius, Prosper, Hilarius, Anselmus, Damianus, Laurentius Iustinianus, Antoninus, Bonauentura, Albertus Magnus, Didacus, Thomas de Villa noua, & tot alij innumerabiles ex claustrorum schola ad Ecclesiarum magisterium assumpti, quorum doctrina fulget Ecclesia, & virtutum radijs emicat.

8 Nec obstat, quod ex vna parte non desinunt in Ecclesia Clerici sæculares moribus, & doctrina insignes, & præcipuè iuris Canonici consultissimi, qui ad regendos Episcopatus idonei sunt, etiam magis, quam Religiosi, qui Canonum & legum Ciuilium notitiam minorem habent; Ex alia verò parte Regulares Ecclesiæ vtiliores esse possunt, si manentes intra claustra Episcopis cooperentur, & in partem solicitudinis illorum assumantur, vt doceant, prædicent, Sacramenta administrent. Hoc inquam non obstat. Cum enim ad regendas diœceses promouendi sint, qui ad tantum onus sunt robustiores, & ad tale officium digniores, & vtiliores ex præscripto *Conc. Trid. sess. 24. cap. 1. de reformat.* & aliàs in Ecclesia partialitas esse non debeat;

beat: *Non enim est distinctio Iudæi & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum* Rom. 10. Ideò sine distinctione ex secularibus, vel ex Regularibus, ij exaltandi sunt super Sedes Episcopales, qui ad plebem docendam, & in finem æternæ vitæ dirigendam aptiores sunt. Et vt ex monumentis Anglorum *add. ad Bedam refert Reuerendiss. Lucarinus de Episc. Regul. cap. 1. n. 54.* Cum priùs in eo Regno decretum fuisset, vt ex solis Monachis assumerentur Episcopi, & postea in alio Regni conuentu generali contenderent aliqui, vt decerneretur, quod soli Clerici in Episcopos promouerentur, Crucifixi effigies audientibus cunctis dixit. *Non fiet, non fiet, iudicastis bene, mutaretis nō bene.* Quod si seculares Clerici regulariter antecedunt regulares in Iuris positiui peritia, & regulares præstant in notitia Theologiæ ideoque & in cognitione iuris naturalis, & diuini; quæ est summè necessaria Episcopis tanquam requisita ad eamunera, quæ sunt propria Episcopatus, nimirum docere Fidei mysteria, eaque tueri, Dei verbum prædicare, mores subditorum componere, eosque in semitam mandatorum Dei verbo, & exemplo deducere, Nam aliàs cognitio causarum forensiū & iudicij contentiosi, ad quod Iurisprudentia est necessaria, sufficit quod in Episcopo sit talis qualis, cum omnino deceat vt Episcopus huiusmodi causas per Vicarium, & delegatos cognoscat, & sicut Moyses fecit, eas alijs dijudicandas committat. Quod considerauit, *Ludouicus Granaten. in concion. de off. Episc. 2. p. §. 12.* cuius verba refert *Reuerendiss. Lucarinus de Episc. Reg. cap. 1. num. 54.* & sunt sequentia. *Vides doctrina potissimùm, & Religionis curam Summo Pastori Moysi esse commissam: litium verò & causarum seculi contentiones, veluti tanto indignas Præsule, ad inferiorum iudicia relegatas.*

9 Quamuis non detur excellens Theologus, qui canones non intelligat, & per illos causas decernere nesciat; cum lex naturalis, & diuina det principia ex quibus deducti sunt canones veluti conclusiones, Vnde est, quòd ex Canonistis & Iuris Ciuilis peritioribus plures fuerunt, qui quia Theologi non erant, & legis naturalis diuinæ, Theologiam non callebant notitiam, pessimè canones intellexerunt, quòd verò Regulares etiam non Episcopi Ecclesiæ vtiles sint, verissimum est. Nam vt considerauit P. Fr. Ignatius Galuerus Ord. Præd. *lib. 1. Discursuū cap. 1 disc. 9. S. Io. Chrys. hom. 14. in c. ad Timot.* dixit. *Religiosi tranquillo in portu nauigant, ac velati luminaria sunt sublimi de loco nauigantibus fulgere iter arripientes in littore placido sedent, omnes ad quietem suam inuitantes, ac pertrahentes, neque naufragium pati sinentes eos, qui se intueātur, non permittunt in tenebris degere eos, qui suas aspiciunt sedes.* Nihilominùs decet vt illi nedum vt delegati, sed vt Ordinarij præficiantur diœcesibus, quibus tantò vtiliores esse possunt, quantò maiori vigeant potestate. Non deficientibus interim alijs, qui tanquam ministri inferiores pro salute populorum desudent.

10 Cæterum si de secularibus non Clericis, sed laicis esset sermo, dicendum esset hos regulariter non esse assumendos in Episcopos, vt decreuerunt S. Cœlestinus ad Episcopos Apuliæ, & Calabriæ epist. 2. & habetur, *cap. Quid prodest* & S. Leo epist. 85. alias 87. ad Episcopos Africanos, & habetur *cap. Statuimus dist. 61.* & ibid. *cap. Bene ex S. Greg. lib. 10. epist 13. Passim Epist.* decernitur, vt ordinandus in Episcopū priùs vel fiat Monachus, vel subdiaconus. Et raros esse seculares, qui vitam Episcopatu dignam ducant, satis indicat S. *Bernar. epist. 8.* benè aduertens, quòd si aliquando contingerit, quòd secularis promotus ad Episcopatum vtilis fuerit, *& de quo veraciter dici possit, hæc mutatio dexteræ excelsi, non tam exemplum, quam miraculum afferre debeat.*

11 Quantùm verò ad secundam considerationem, an scilicet Religiosis expediat, vt ex eis Episcopi, aut Cardinales, aut summi Pontifices assumantur, primò distinguendum est. Nam Religiones sumi possunt, vel vt sint partes Ecclesiæ quiuersalis, vel vt sunt corpora ad inuicem & ab alijs omnibus partibus Ecclesiæ distincta. Nam quia bonum totius diuinius est, ad quod bonum partiū ordinatur tanquam ad finem, vnde expedit, vt tales sint partes, quales requirit totius perfectio, & in casu periculi iustum est, & expedit, vt pro salute & consistentia totius pars periculo exponatur, & imò pereat, si opus fuerit, certum esse debet quod quotiescumque Ecclesiæ expedit aliquem Regularem ad Episcopatum assumere, id etiam expedit Religionibus, etiam si illæ ex hoc aliquod incommodū patiantur. Quod probauit S. August. *Epist. 81.* ad Eudoxium, prout habetur cap. *Vos autem. 16. q. 1. Vos autem fratres,* inquit: *Exortamur in Domino, vt propositum vestrum custodiatis, & vsque ad finem perseueretis: ac si quam operam vestram mater Ecclesia desiderauerit, nec elatione auida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo, cum mansuetudine portantes eum, qui vos regit, qui dirigit mites in iudicio, qui docet mansuetos vias suas: nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponatis: cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini non inueniretis.* Ex quo loco Caluinus *lib. 4. Instit. cap. 13. §. 8.* apud Bellarm. *lib. 2. de Monach. cap. 6. §. Secundò dicit.* in consequenter deduxit, quod olim pij viri, qui Monachi fiebant, hoc tantum intendebant, vt in monastica disciplina se præpararent ad Episcopatum, quoniam imò benè ponderatis August. *verbis apparet*, quòd quia dein etiam tunc consuetudo Ecclesiæ erat, vt ex monasterijs Episcopi acciperentur, sed quod Sancti illi Monachi potiùs inuiti monasteria relinquebant, vnde locum habere potuit exortatio Aguf. quod scilicet, vti explicat Turrecremata, sicut non debebant se Episcopatibus ingerere, sic nec ablatos poterant licitè finaliter recusare, prout etiam supra cum D. Th. a. 2. explicatum est. Sic ergo expedit Religionibus Summo Pontifici obedire, & licet conueniat vocatis aliqualiter, & cum humilitate recusare, finaliter tamen id facere est illicitum.

12 Sed si loquamur de Religionibus secundum propriam illarum perfectionem, & de eo quod illis expedit, vt sunt particularia corpora in Ecclesia proprijs animata legibus, dicendū est quòd ex eis assumi Episcopos nō expedit, & expedit, & simpliciter loquēdo nō expedit potiùs, seu nō expedit vt plures, sed solum pauci ex eis assumantur. Quantū ad omnes partes explicatur primò & probatur assertio hoc dilemmate: Vel enim Religiosi assumēdi non sunt viri excellentis virtutis, sed potiùs ad regendas Ecclesias inepti, vel minùs apti ex defectu que

fiue scientiæ, fiue prudentiæ, fiue morum, & præcipuè si sint incontinentes, aut auari, aut ambitiosi, & superbi, qui se ingerant Prælaturæ, eamque quærant, & subesse nesciunt, sed præesse ambiant, vel sunt viri excellentis virtutis, & ad docendum, & regendum subditos apti: si de primis loquamur videri poterit; quòd valdè expediat Religionibus, quòd oues illæ putridæ aptæ ad corrumpendum ouile exeant; sed non ita est, quia huiusmodi cum non nisi in perniciem sui & animarum præsint, nó sine immenso præiudicio honoris, & famæ sacrorum ordinum est, quod ex eis prodeant, qui sint scandalum suis onibus easq. ad ruinam inducant. Illis enim Episcopatus ambientibus conuenit illud S. Leonis Papæ Epist. ad Africanos 85. *aliàs 87. cap. 1. vt habetur cap. Miramur, d. 61. Principatus* inquit, *quem, aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit ipsius initij est perniciosus exemplo, & difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* Vnde inter alia duo hinc mala oriuntur. Primùm est quòd ambitio vnius si vincat, & obtineat, quàmplures ambitiosos facit exemplo suo. Secundum est, quòd vt frequenter isti promoti pessimi præsides sunt. Et bene de illis apud reuelationes S. Brigittæ *lib. 6. cap. 85.* habetur *quod Prelati, qui ambiũt honores similiares sũt meretricibus quia decipiunt animas malis exemplis suis.* Et excellenter illas describit *Cyprianus de dupl. Martyr.* sic dicens: *Si ad munus aliquod Ecclesiasticum vocentur, videas quosdam ex illis facillimè vinci delicijs, impatientiores iniuriarum, appetentiores vindictæ, quàm quiuis alius sit ex media plebe.* Huiusmodi ergo si inueniantur in Religionibus coerceantur intra claustra, ne vitiorum suorum malus odor Ecclesiam conturbet, & claustrali disciplina premantur, & intus lateant, quia non titiones infernali igne fumigantes, sed lucernæ scientia & charitate fulgentes exaltari debent super candelabra, vt luceant.

13 At si assumendi in Episcopatus sint viri excellenti virtute prediti, considerandum est, quòd etiam in sanctioribus ordinibus isti rariores sunt, eisq; sacri ordines summopere indigent ad regularem disciplinã, vel conseruandam ne laxetur, vel reparandam, si fuit laxata, vnde nó sine damno sacrorum Ordinũ viri ab eis in virtutum studio nutriti ab eisdem auferuntur. Et licet si ex his rariùs pauci aliqui assumantur, damnum posit non esse magnum, & considerandum, tamen non sine maximo præiudicio Disciplinæ Regularis viri virtutis frequentius, & in multitudine extraherentur, quia & Religiones ad sui consistentiam maximè indigent viris doctis & pijs, qui illas regant, & dirigãt. Ideo *Glossa in cap. Hinc est, v. nunquam, 16. q. 1.* benè aduertit, quòd fuit priuilegiũ monasterij, & Xenodochij Augustodunen. cócessum illi à Sancto Gregorio vt nó cogeretur tradere suum Abbatẽ, si eligeretur in Episcopũ. Quia vbi Monasteria habent viros moribus, doctrina, & prudentia conspicuos, insignis gratia est, vt eis non priuentur, nec etiam, vt in Episcopos assumantur. Et in cronicis Ord. Præd. *par. 1. li. 3. cap. 46.* adest Epistola Vmberti Generalis ad B. Albertum magnum, in qua quàmplura damna recensentur, quæ ipse metuebat suo ordini futura ex eius assumptione ad Ecclesiam Ratisbonensem.

14 Vnde assertio confirmatur, nam si Religionibus non esset melius suos non assumi ad Episcopatus, nec de eis non acceptandis non darentur iustæ leges, & vota religiosa; quia quod bonum est iustè non prohibetur, & votum non nisi de meliori bono est. Et nihilominùs de non acceptandis Episcopatibus liberè & sponte, & extra casum præcepti necessitantis dantur leges, & vota. Sic enim in Societ. Iesu adest lex *Constit. par. 10. §. 6.* vt Religiosi illius ordinis voueant nedum se quidquã non acturos, vt Prælationem, seu dignitatem extra ordinem obtineant, sed nec consensum præstituros, vt eam obtineant, nisi obedientia eius, qui id sub pœna peccati potest præcipere eos compulerit: absolutè igitur potiùs melius est ipsis Religionibus vt ex eis non assumantur ad Prælaturas, & Dignitates extra illas, cum & supposita assumptione meliùs sit vt Religiosi electioni non consentiant nisi cópellantur ex obedientia, cum hoc sit materia voti, & hoc votum sit laudabile, & à Summis Pontificibus approbatum; cum imò Vrbanus Octauus in suis Constit. *Honorum* 165. illud approbauerit, & imò à solo Pontifice esse dispensabile iudicauerit et declarauerit. Et ex eadem *Constit.* habetur, quòd idem votum emittunt Discalceati Carmelitæ, & alij Religiosi. Et meritò hoc iudicatum est meliùs esse, & esse posse materiam voti; tum quia Religiones indigent pro sui conseruatione viris doctis, & pijs. Tum quia vtile est Religionibus, vt auferatur occasio ambitionis, quæ aliàs in vniuersitatibus est omnium malorum mater. Tum quia Religiosi vtilissimi possunt esse Ecclesiæ etiam manentes intra claustra.

15 Idem ampliùs confirmatur ex testimonio Sanctorum, qui Religiones instituerunt. Sic enim Sancti Dominicus, & Franciscus inuitati ab Vgolino Cardinali, qui postea fuit Pontifex Gregorius Nonus, cum illis Cardinalis dixisset conueniens fore, si Episcopatus suis fratribus selectioribus cóferrentur, responderunt ambo se nunquam in eam rem consensuros. Addidit verò S. Dominicus. *Fratres mei sublimem satis prædicatorum statum habent, si illum valeant æstimare*, & Sanctus Franciscus subiunxit. *Fratres mei idea Minores vocantur, vt nunquam super terram fieri appetant maiores, sed propriæ vocationis submissione contenti, meliùs Ecclesiæ vtilitati inseruire valeãt.* Et S. Ignatius similibus rationibus induxit Paulum Tertium, vt Societatis institutum in has parte illæsum conseruaret.

16 Spectato ergo solo obiecto meliùs est & magis expedit Religionibus paucos ex suis assumi ad Episcopatum, quem nec licet illis appetere omninò & procurare, & imò conuenit oblatum recusare vt explicatum est supra *a. 1. & 2.* Nec obstat, quod ex assumptione suorum ad Episcopatũ Religionibus accrescat honor & æstimatio, vt ex S. Bernardo *Epis. 142.* ad Monachos Alpenses probat *Reuerendiss. Lucarinus d. cap. 1. n. 44.* Quoniam vt ex *S. August. lib. 19. de Ciuit. Dei* probat *S. Thom. quodl. 5. a. 22.* in his non est quærendus honor, atque potentia, & appetere Episcopatum ratione honoris, aut aliorum bonorum circumstantium est illicitum, vt supra *art. 1.* proba *D. Th.* Prætérquàm quòd maius est dedecus, quod potest Sacris Ordinibus aduenire, si ex eis assumpti Episcopi muneri non respondeant, & ideo illis tutius est huiusmodi periculo non se exponere, & honore, qui

virtu-

virtutem & obseruantiam Regularem consequitur contentas esse.

17 *Et* neque obstat, quod Episcopatus sit opus Maioris perfectionis, & sit actus altissimæ charitatis; Religiosos verò decet ex charitate salutem animarum procurare. Respondetur enim, quòd vt adnotauit *Caiet. supra a. 4. ad 3.* perfectio status Episcopatus est alterius generis, & longè diuersa à perfectione status Religionis, vnde nec Religioso licet ex proprio iudicio se mouere, vt Episcopatum obtineat, vt dixit *D. Th.* & explicatum est supra *art. 2.* Quamuis verò ex iudicio superioris bonum sit Religiosis imponi onus Episcopale pro salute animarum, tamen quia Episcopalis functio onus est etiam Angelis ad portandum formidabile *Concil. Trid. sess. 6. cap. 1. de reform.* et est plenum periculi, et requirit diuinum hominem, et cum habeat adiuncta honorem, reuerentiam, et diuitias, parum etiam conuenit humilitati Religiosæ, et potest esse occasio ruinæ assumptis, et ijs, qui non assumuntur, sed cuperent assumi; ideo sic expedit aliquos assumi ex Regularibus, si adsit Ecclesiæ necessitas, quod tamen Religionibus ipsis, et eorū statui melius est, et securius vt Religiosi, suæ humilitati, paupertati relinquantur, Nec Religiosis per hoc deperit meritum operis Episcopalis si in humilitate Deo seruiētes, et iuxta suas leges vtilitati animarum operam dantes, parati etiam sint iubēte superiore onus Episcopalis charitatis subire.

18 Quamuis econtra, nec sit contra paupertatem, et humilitatem Religiosam si Religiosi suæ assumptioni ad Episcopatus, et Prælaturas consentiant, Quidquid in contrarium mussitauerit *Petrus Abulul. in Sermone de S. Io. Baptista* Vt enim docuit *S. Th. supra in hac quæst. a. 3.* & ibid. explicat *Caiet.* Non est necesse, quòd electus in Episcopum comparet se alijs, et se alijs digniorem existimet, sed sufficit, quod se non cognoscat indignum. Nā et digni electio est valida, et confirmanda.

19 Hæc quidem de Episcopatibus dicta sunt. Nam de Cardinalatu, ad quem pauci assumi possunt, cum numerus eorum sit determinatus, et ad eum conueniat assumi ex omni hominum natione, dicendum est expedire, vt aliqui ex Religionibus assumantur ad tantam dignitatem. Ratio est, quia huiusmodi dignitas non est omnino extra ordinem Regularem. Cum enim Pontifex sit omnium Prælatus Regularium, et Cardinales sint Papæ Assistentes. Tenent enim in Ecclesia locum 70 seniorum quos Moyses sibi adiunxit, *Deut. cap. 17.* vt, *ex cap. per venerabilem §. rationibus, qui filij sint legitimi* tradūt communiter Canonistæ. Vnde et cēsentur in hac parte successisse Apostolis, pro quāto illi à Christo ad vniuersale Ecclesiæ gubernium ministri assumpti fuerunt, vnde et in iure Consiliarij Papæ dicti sunt à Pelagio, *cap. in Parochia 16 q. 1. a. 7. Synodo cap. Conuenientibus 1. q. 7.* à *Gregorio Magno cap. Ecclesiasticis 12. q. 2.* Vnde est quod Cardinales assistunt Pontifici, etiam in Regularū gubernio, vnde adsunt Congregationes Episcoporum et Regularium, et super statu Regularium; ideò maximè expedit, vt inter istos sint aliqui assumpti ex Sacris Religionibus, qui valdè calleant regulas ordinum, et modum, quo ipsi regi debeant differenter præ alijs Ecclesiasticis, et qui illorum causas tanquam proprias dulciori charitatis intuitu respiciant, et diffiniant.

20 Inde est quod Religionum multò magis interest, si ex Cardinalibus assumptis ex eis aliquis in Summum Pontificem eligatur. Summus enim Pontifex etiam est Religionum Generalissimus, et proprius Prælatus. Vnde est, quòd huiusmodi Præsulatus nec est censenda dignitas omnino extra ordines Regulares, nec non potest nō expedire sūmopere illis, si aliàs dignus ex Claustris ad tantam dignitatem exaltetur, et ex suis habeant summum earum Prælatum. Quod et experientia confirmatur si inspiciātur beneficia amplissima et maxima, quæ ex Pontificibus assumptis ex Claustro Religiosi ordines consecuti sunt.

21 Quantùm verò ad 3. considerationem an assumi ad Episcopatus expediat Religiosis assumptis, si loquendum sit ex genere dicendum est, quòd cum, vt supra *a. 2. ex D. Th.* probatum est, melius sit Episcopatus etiam oblatos recusare salua semper obedientia & habetur ex *S. Aug. l. 19. de Ciu. c. 19. & epist. 148. ad Valerium, relat. cap. ante omnia d. 40. & ex S. Greg. 1. part. Pastor. cap. 6. & 7. & lib. 6. epist. 5. relat. cap. in scripturis. 8 q 1. Et leg. Si quemquam 39 C. de Episc. & Cler.* Quoniam quando sine culpa potest Episcopatus recusari, & est ex parte Religiosi, & quantum ad propriam æstimationem securius, & charitati fraternæ satisfacit Religiosus, si sit paratus ad onus Episcopale, si Superior cum præcepto illud imponat; dicendum est, quòd potiùs Episcopatus non expediunt ijs, qui ad eos vocantur propter arduitatem operis, & magnitudinem obligationis, & periculum ministerij *Suarez tom. 4. de Relig. tr. 10. l. 6. c. 8. a. 21.* In indiuiduo verò loquendo, an omnibus pensatis huic vel illi expediat esse Episcopum, Deus scit, & indiget speciali Dei auxilio, vt dignoscatur. Tot enim Sanctis Episcopis, qui vitam æternam per opus Episcopale consequuti sunt, fuit expediens, sed ijs quibus Episcopatus fuit damnationis occasio expediens non fuit. Possunt Episcopi benè, & regulariter, & sanctè viuere, si volunt, vnde est, quòd per se loquendo Episcopatus nulli est perditionis occasio, vt ad Dracōtiū scripsit S. Athanasius, dicēs. *Quapropter cum istiusmodi habeas exempla, dilectissime Draconti, ne dicas, ne dicentibus credas Episcopatum esse causam peccati, aut quòd inde nascantur occasiones delinquendi. Licebit tibi in Episcopatu esurire, sitire cum Paulo; licebit vinum non bibere, sicut Timotheus fecit, & ieiunare frequenter, vt Paulus solebat, ita vt secundùm illum ieiunans alios sermonibus nutrias, & sitiens abstinendo à potu, alijs, docendo, potum præbeas. Ne igitur talia obijciant cōsiliarij tui, nouimus enim Episcopos ieiunantes, & Monachos comedentes* Sed & ex alia parte, quod Episcopi in magno versentur periculo salutis docēt *Aug. epist. 148. & Greg. 1. p. Pastoral. cap. 8. et Auctor imperfecti apud Chrys. hom. 35.* & apparet ex tot, & tātis Sāctissimis viris, qui vel medijs insolitis se inhabiles ad Episcopatus reddiderunt, vel eos recusarunt constanter, vel non nisi inuiti receperunt, prout supra *ar. 2.* dictum fuit, & latè recenset *Suarez tom. 4. de Relig tract. 10. l. 6. cap. 9.* Vnde nō est dubiū, quod in Religiosis melior nō sit trāquillitas claustri, & quies Religiosa, quàm labor Episcopalis, Sic enim & *S. Greg. lib. 11. Epist. 4.* nolens concedere Vrbicinium Abbatem electum in Episcopum dixit. *Sed quia cæte-*

ris

ris sic est aliquis praponendus, vt dum ipse exteriùs proficit, interiùs non decrescat, quietem ipsius turbare non possumus, ne cum eum de altiora producimus, minorem illum se ipsa fieri missum in fluctibus compellamus. Quamobrem concluditur, quod Episcopatus etiam oblatos melius sit Religiosis recusare, illosque non nisi ex obedientia recipere, maximè vbi Episcopatus adiunctas habent diuitias, & honores. Nam horum respectu etiam promptitudo ad obediendum de facili suspicione non caret, quòd homo magis se ipsum, quàm Deum quærat. Quàm uis vbi *E*piscopatus pro præbenda non habent nisi labores, & pericula salutis, & vitæ, sicut sunt in partibus infidelium, promptitudo recipiendi illos & obedientia suspicione careat & ædificet. Et eò magis, quòd secluso præcepto superioris valdè difficilis est casus, in quo charitas obliget ad susceptionem Episcopatus. Cum huiusmodi susceptio aliàs ex genere non sit quid melius respectu Religiosi, vt habetur ex *cap. Per tuas, de voto*, Et nō acceptando consulitur bono spirituali non acceptantis, quia acceptando timeri potest, & propter salutis periculum, & deceptio in iudicio, propter naturalem affectum honoris, & excellentiæ.

22 Quod tamen refertur dictum à Ioanne Andreæ, quòd scilicet Regularium Episcopatus sit quædam subtilis Apostasia, est falsum prorsus, & irreligiosum, & contra honoré Sanctæ Sedis Apostolicæ, & totius praxis *E*cclesiæ sanctæ prolatum, vt aduertit etiam *Nauar. cons. 9. n. 10. de donat.* & ex eo considerauit *Reuerendiss. Lucarinus de Epis. Regul. cap. 1. nu. 1.* Neque enim ab ordine, & professione recedit Religiosus, qui legitimè ad regendas Diœceses assumitur, sicut & expedire Ecclesię Sanctæ ideoque & Religionibus, & Religiosis quatenus *E*cclesiæ sanctæ membra sunt, iura ipsa, & *E*cclesiæ praxis comprobarunt.

SVMMARIVM.

1 *De Episcopis titularibus error Marci Antonij de Dominis, & aliorum n. 23.*
2 *Episcopi titulares sunt vere Episcopi, & ex iusta causa expedit eos ordinari. n. 24. & seqq.*
3 *Ordo Episcopalis in sui substantia existentia non pendet ab existentia subditorum. nu. 25. & seq.*
4 *Multipliciter dicitur iurisdictio & Episcopi titulares eam habent, & non habent. nu. 26.*
5 *Ab initio Ecclesiæ ordinati Episcopi titulares. 27.*
6 *Sancti Linus, Cletus, Clemens ordinati coadiutores S. Petri. n. 28.*
7 *Cur Ecclesia prohibuerit Presbyteros & Diaconos ordinari sine titulo. n. 29.*
8 *Episcopi titulares non ordinantur sine titulo, & sine facultate vnde se sustentent. nu. 30.*
9 *Episcopus titularis qualiter sit sua Ecclesia spōsus. n. 31.*
10 *Episcopatus habet pro fine opus, sed in sui consistētia nō pendet ab actuali exercitio operis. n. 32.*
11 *Episcopi titulares admitti debent ad Cōcilia. n. 33*
12 *Ex Clem. In plerisque non possunt promoueri Episcopi titulares præcipuè Religiosi, nisi à Pontifice. num. 34.*
13 *Ex causa iusta etiam Regulares promouentur ad Episcopatus titulares. n. 35.*

An expediat Regularem assumi ad Episcopatum Titularem.

23 INsignis Nebulo Marcus Antonius de Dominis *lib. 2. de Republ. cap. 7.* Episcopos Titulares per ludibrium vocans Nullatenses, ait eos contra diuinam formam institui, eisque meram vanitatem illis attribuere Ecclesias in partibus infidelium, eosque nullum accipere Ordinem *E*piscopalem, nec habere ius suffragij in Concil. Generalibus, solumque valere ad vanum ambitionis titulum in Curia Romana, et ad externum habitum deferendum, præcedentiasque vanitatis habendas. Ita ex eo refert *Grauina tom. 4. par. 2. disp. 1. art. 3. pag. 331.* Mouetur vero *ex cap. Sanctor. dist. 70.* Tum quia non datur, nec dari potest sponsus siue sponsa, *E*piscopus vero sponsus est, et sponsa *E*cclesia. Tum 3. Quia Ordo *E*piscopatus intrinsecè importat officium, opus, et ministerium. Nam ea *qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. 1. Tim. 3.* igitur qui recipit *E*piscopatum sine *E*cclesia Ordinem non suscipit *E*piscopalem. Tum quia ferrè suffragium in Concilijs pertinet ad iurisdictionem *cap. sicut Sancti dist. 15.* qua carent *E*piscopi Titulares. Quod etiam aliqui existimanerint hos *E*piscopos Titulares esse abusiuè *E*piscopos *ex Maudos. & Gomez refert Barbosa de off. & pot. Epis. par. 1. tit. 1 ca. 6. n. 15* vbi etiam quòd [illegible] ithetis minùs honorificis soliti fuerint ab aliquibus affici.

24 Quæstio hæc incidenter à nobis tangitur, et eius resolutio potiùs supponatur tanquam certa et indubitata, quam intelligenda et probanda proponatur. *E*t contra Antonium de Dominis plures et præcipuè ex Ordine Prædicatorum. Grauina loco citato, et F. Nicolaus Cofeteau *E*piscopus Massiliensis egregiè disputarunt. Supponitur igitur primò tanquam omninò certum et fide tenendum, quòd Episcopi titulares sunt verè *E*piscopi, et vt tales habendi, et æstimandi, et honorandi. Secundò, quòd *E*cclesiæ expedit ex causis iustissimis, quòd ordinentur *in* ea huiusmodi Titulares *E*piscopi earum *E*cclesiarum, quæ iam fuerūt, et modò ab infidelibus desolatæ sunt. Primum autem horum explicatur. Præmissa enim, distinctione potestatis in potestaté ordinis, et potestatem iurisdictionis, quarum prima Deum sacrantem respicit, cui *E*piscopus se dedicat. Secunda *E*cclesiam, cui *E*piscopus curam se habiturum promittit: prima à Deo immediatè tribuitur, secunda licet ex genere sit debita *E*piscopis, immediatè tamen illis à Summo Pontifice confertur: per illam *E*piscopus Sacramenta conficit, et ministrat, per hanc iudicat, excommunicat, et corrigit. *Gloss.* et reliqui *DD. in cap. transmissam de elect.* Cōsideratur, quòd ad substantiam, et essentiam potestatis non exigitur, quòd eius materia, vel etiam *in*strumenta quibus vti debet sint actu, sed sufficit quod sint possibilia. Sic Architectus habet potentiam ędificandi, etiam si materia non sit prompta. Nec deest oculo visiua potentia, ex eo quòd tenebræ occupent terram, vnde nihil videri potest. *E*t quod dicitur Architectum siue materia, vel artificem sine instrumentis artis, vel oculum sine medio illuminato non posse

agere

agere considerandum est quod illud, *non potest* est valde æquiuocum, & potiùs negat exercitiū agendi, quàm potentiam. Vnde Theologi dicunt quod negat potentiam in sensu composito, non in sensu diuiso, seu negat potentiam ex parte agibilis quod nequit fieri sine materia, vel instrumentis artis, non verò ex parte agentis, quod ex parte sui potētia factiua nō caret, sed exercitium agendi aliunde pendens etiam ex materia, vel instrumentis, aut alijs medijs necessarijs sine illis haberi non potest. Et nimis puerile & ridiculum esset asserere, quòd Artifex esset incapax artis, & facultatis agendi ex arte, vel quòd ars in sui substantia & existentia dependeret ab existentia materiæ artis, vel præsentia instrumentorum. Sic igitur Episcopalis potestas in sui substantia, & consistentia non pendet ex eo quòd Episcopus actu habeat subditos, quibus præsit, sed sufficit quod possit habere, seu quòd illi sint dabiles.

26 Nam & considerandum est secundò, quòd hoc nomen *iurisdictio* multiplicem habet significationem. Nam aliquando significat locum vbi ius dicitur *Reg. vlt. ff. de iust. & iur.* aliquando importa personam subditam iurisdictioni alicuius, vnde non subiecti alicui dicuntur de aliena iurisdictione ad *l. si quis ex aliena, ff. de iud.* Aliquando iurisdictio importat facultatem dicendi ius, & ministrandi iustitiam, *l. 1. ff. de iurit.* Episcopi igitur Titulares non habentes subditos habent iurisdictionem, si iurisdictio sumatur pro loco, quia habent diœcesim & territorium, quod Ecclesia non amisit, ex eo quòd infideles Principes exclusis fidelibus non permittant ibi subditos christianos esse. Et quamuis non habeant iurisdictionem, si iurisdictio importet subditos pro quibus, vel contra quos possit dici ius, habent tamen iurisdictionem prout dicit facultatem dicendi ius. Nec obstat, quòd non possit dici ius, nisi dentur subditi, ad quorum fauorem, vel cōtra quos ius dicatur; quia hæc non est impossibilitas quæ dicat impotentiā in agente, sed quæ dicit repugnantiam terminorū in re, quæ nō est factibilis, & ad quam, vt fiat, præter facientis potentiam alia requiruntur, & sic est impossibilitas negans exercitium iurisdictionis nō ex defectu potestatis in Episcopo, sed ex defectu subditorum, qui per accidens non reperiuntur.

27 Dicitur propterea, quod Episcopi etiam si ad solum titulum Ecclesiæ alicuius actu non existentis, seu loci in quo nec fideles nec sunt, nec esse permittitur, & veri Episcopi sunt, & tales expedit ex iusta causa in Ecclesia ordinari, vel vt alio rum Episcoporum fiant coadiutores, vel ad decorem & honorem alicuius Ecclesiastici ministerij, v.g. vt possint mitti Nuncij Apost. nec expediat mitti Episcopo habentes diœc. vel ad decorem Pontificiæ Capellæ, vt reliquis Episcopis in suis diœces. residentibus, ipsi Pontifici assistant, vel vt Ecclesia manteneat ius, quod super illis locis habet est quibus iniustè est expoliata, vel ex alijs similibus causis. Nam & ab initio Ecclesiæ tales Episcopi ordinati fuerunt, quod primò colligitur ex *Conc. Ancyrano cap. 18.* ex habetur *cap. si quis Episcopi, & ex Conc. Antiocheno cap. 18.* vt habet *cap. si quis Episcopus, dist. 92.* Ibi enim Episcopi vacantes dicuntur, qui non habent Episcopatum, vt explicant *Gloss. & Turrecrem.* Nec valet dicere cum Antonio de Dominis, quod per Episcopos vacantes intelliguntur non merè titulares, sed qui ab aliqua diœcesi fuerunt. Exclusi, vt habetur ex *S. Greg. lib. 2. ind. 11. ep. 13. & l. 5. epist. 11. & dist. 71. cap. fraternitatem*. Nam vt bene arguit *Granina*, eadem est vtrorumq; ratio. Sicut enim ex eo quòd totus clerus, & plebs alicuius diœcesis periret, & Episcopus omnino sine plebe remaneat, non per hoc desinit esse Episcopus. Vnde *S. Greg. in eadem Epist.* Agellum Epis. Fundanum ab ea Ciuitate eiectum, & ab eodem Episcopum Taracineo. institutum, declarat manere Pontificem Fundis, non obstante quòd fieret Episcop. Tarac. Potestas igitur Episcopalia in sua subsistentia non pendet ab actuali exercitio potestatis, vel ab existentia Cleri, & plebis; vnde etiam validè possunt ordinari Episcopi etiam si pro Ecclesia non habente iam nisi titulum sine Clero & plebe. Sed secundo additur, quod in *Canon. citato*, est sermo non solum de Episc. exclusis, sed de ordinatis ad Ecclesias in quibus non recipiuntur, vt ex *Gloss. & Turrecrem.* habetur, & colligitur expressè ex textu ibi. *Si qui Episcopi ordinati sunt, nec recepti ab alia Parochia, in qua fuerant denominati*. Hi enim sunt, qui ordinati erant ad titulum Ecclesiarum, in quibus non recipiebantur.

28 Et quidem cum Sanctus Petrus dum viueret ordinauerit Linum & Cletum in suos coadiutores, *cap. si Petrus 8. q. 1. Baron. ad an. 69. num. 43. Ciacon. in vita S. Petri, & S. Lini* immò & Clementem vt satis innuit *Epiphan. hær. 27.* & tradidit *Niceph. lib. 2. cap. 35.* Nam & Marianus Scotus putat Clementem per nouem annos viuente Petro Cathedram tenuisse. Ad quem titulum, seu ad quam Ecclesiam ordinati fuerunt? Neque enim fuerunt ordinati Episcopi Ecclesiæ Romanæ, quia sic viuente Petro Ecclesia alios tres Episcopos habuisset, & quatuor viri eiusdem sponsæ fuissent. Sed post mortem Petri primò, Linus, deinde Cletus, postea Clemens electi fuerunt Summi Pontifices, & Ecclesiam vniuersalem rexerunt, vt fatetur Ecclesia in Martyrologio sub diebus 26. Aprilis, 23. Septembris, & 23. Nouembr. & docent communiter DD. Dicendum igitur est, quòd fuerint ordinati ad nullius Ecclesiæ determinatæ titulum, & quod fuit illis collatus Pontificalis Ordo hoc solo titulo vt possent à S. Petro assumi in partem suæ sollicitudinis. Sic cum primi illi Pontifices nōdum diffusa fide ad prædicandum Euangelium, & cōuertendos fideles, & Ecclesias erigendas mittebantur, ad nullius Ecclesiæ determinatæ titulum ordinabantur, sed tanquam ministri Pontificum in partem eorum sollicitudinis assumpti consecrabantur, vt pro loco, & tempore in Prouincijs ad quas mittebantur, vel etiam alibi vbi possibilitas inueniretur fideles gignerent, & nutrirent. Sic ergo manifestum est, quòd valor ordinationis Episcopalis non pendet ab actuali exercitio potestatis Episcopi, nec ab existentia actuali huius vel illius plebis determinatæ, & quod decentia, & conuenientia eiusdem ordinationis, & consecrationis inde sumitur, si cedat in bonum Ecclesiæ vniuersalis, & conueniat ad hoc, vt Pontifex sic ordinatis, & consecratis possit vti ad communem Ecclesiæ vtilitatem. De qua re videri possunt, *Granina & Cosiean citati Alphonsus Aluarez, Guerrero in specu-*

fo iuris Pontif.cap.3 s. Valenzuel. *conf.26. Maurit.* *de Alzed de praecellen.Episc.dignit.cap.3. Petrus Bollus in Oeconomia Catholica class.3.cap.2. Petrus Gregor. Syntagmat.iuris lib.15 cap.12. Barbosa de off. Episc. p.3.tit.1.cap.6. a num.15. Dianam tom.52. de consecrat.Episc.resol.51. Reuerendiss.Lucarinum de Episc. Regulari cap. 3.*

29 Ad primum ergo in contrarium respondetur, quòd in *d.can.Sanctor.2 dist.70.* qui est desumptus ex Conc.Vrbani II. habito Placentiæ, sicut & in *can. Neminem 1. ead. dist.* qui est desumptus ex *Concil.Calcedon. act.15. can. 6.* (& quo vtitur *Andreas Trexbub.in disp.Lypsien* ad probandum, Episcopos titulares non esse veros Episcopos) est sermo de Presbyteris & Diaconibus non ordinandis sine titulo, Et ratio huius legis est, non quia non possit esse verus Presbyter, & Diaconus qui absolutè ad nullum titulum fuerit ordinatus. Sed quia vt aduertunt ibi *Gloss. & Turrecrem.ad d. can. Neminem art.1.* fuit iudicatum conuenire, vt qui in sui ordinatione obligatur ad inseruiendum Ecclesiæ haberet beneficium ex quo viueret, *cap.cum secundum & cap dilectus de praebend. & cap.cum sit de simonia,* & ne cum dedecore Ordinis Clericalis, vt viueret, cogeretur mendicare, *cap. Diaconi, d. 93. & Concil.Trid.sess.21.cap.2. de reformat.* Vnde est, quod in Ecclesia ex vi dictorum canonum nō fuit prohibitum ad nullius Ecclesiæ titulum ordinare habentes aliunde patrimonium vnde viuerent, vt explicat *Turrecrem.d.cap. Neminem art.1. ad 2. &* habetur *cap. Episcopus, & cap. tuis de praeben. & cap.cum secundum, & cap. si Episcopus de praeben.in sexto, & approbat Concil.Triden.sess.21.cap.2. de reformat.* Patrimonium enim habentes ad titulum patrimonij ordinari valent, & quod in *d.can.Neminem, & can.Sanctarum dist.7.* ordinatio facta de aliquo censeatur irrita, intelligitur quantùm ad executionem vt *Gloss. & Turrecremat. & ceteri DD. omnes explicant,* & per illa verba intelligitur imposita pœna suspensionis, de quo postea an fuerit renouata per Concilium Tridentinum disputant latè DD. quos abundè refert *Barbosa ad d.cap.2. Conc. Tridens. a num.65.*

30 His sic stantibus dici posset ad argum.primò, quòd in dict. Canonibus non est sermo de Episcopis, qui non veniunt sub communi nomine Presbyterorum, & Diaconorum nisi in fauorabilibus. In Episcopis enim est qualitas supereminens, quæ non reperitur in simplicibus Presbyteris, & Diaconis, vnde ex hac ratione, qua Episcopi excedunt Clericos simplices, ideo in odiosis non veniunt sub nomine Clerici, *cap.sedes, & ibi Butr. num.3, & 9. Imol. num.2. de rescript. cap. si compromissarius, § huiusmodi de elect.in 6. & cap. inquisitores, vbi gloss. penult. de haeret. in 6. Abbas in rubr. de vita & honest. Cleric.num.9. & alij plures apud Barbos.in appellat.v.Episcopus, num.4.* Sed quia si non decet ordinare Presbyteros & Diaconos sine titulo, quia decet vt seruientes altari habeant, vnde viuant de altari, & sit indecens si cogantur mendicare, hoc multò magis verum est de Episcopis, vt aduertit *Pax Iordan.Praelud. 9.* Ideò respondetur secundò, quod etsi in dictis canon. comprehendantur Episcopi, ex eis nihil probatur, nisi quod non possunt ordinari absolutè & sine titulo; sed Episcopi titulares ordinantur ad titulum Ecclesiarum, quæ habuerunt, & habere possunt Episcopos; nec ordinantur nisi vel habeant vnde de proprio decenter viuant, vel eis subministretur à Sede Apostolica, vnde in eorum ordinatione nihil fit contra Canones, ex quibus nec etiam habetur, quòd si contra illorum præscriptum essent ordinati non essent veri Episcopi, & vt tales honorandi; Nam eos vt Episcopos agnoscit etiam *Concil.Trid.sess.14.cap.2.de reform.* Et eò magis quòd dicitur tertiò Episcopos istos titulares per Pontificem Romanum, non verò per inferiores Episcopos assumi Concilia autē loquantur de Episcopis inferioribus, cum prohibēt illos ordinare Presbyteros, Diaconos sine titulo; Nam Concilia non præscribunt leges Romano Pontifici, *c. significasti de elect.*

31 Ad secundum dicitur, Episcopum esse spōsum Ecclesiæ ad cuius titulum ordinatur. *Euarist. epist.2.Innoc.3.cap.inter corpor.de translat. Episcop.* Sed nihilominùs aduertendum, quòd hæc denominatio est metaphorica & analogica, non verò vniuoca. *Grauina loco citato, §.ad confirmationem. Suarez tom 3. de Relig. lib.5.cap.19.num.2.* Quamplures etiam differentiæ inter hæc duo matrimonia versantur, & ita quod à matrimonio carnali ad spirituale non valeat argumentum, nisi in casibus in iure expressis, vel nisi qui argumentatur probet similitudinem, vt quampluribus citatis docet *Barbosa in tract. de locis loca 70* In proposito verò ad cōsistentiam matrimonij spiritualis sufficit territoriū locale in quo iam fuit clerus, & plebs Christiana, & in quo iterum possit esse, Nam si de facto Episcopus cum Clero & plebe expellatur omnino de sua diœc. & grex vel omnino perierit, vel ad aliud ouile transierit, & remanet Episcopus sine clero, & plebe, non per hoc desinit esse sponsus. Immò cum Pontifex possit ordinare Episcopum ad nullum certum Ecclesiæ titulum, & solū ad hoc vt sit sibi coadiutor in ijs, quæ spectant ad munus Episcopale, sicut S. Petrus in coadiutores simplices ordinauit Linum, & Cletum immò & Clementem. vt, dictum est, & sicut Pontifices in Ecclesiæ initio ordinabant Episcopos mittentes illos, vt fundarent Ecclesias, vbi possent, & reciperentur, constat quod ad hoc spirituale coniugium sufficit sponsa de possibili, nimirum quod possit dari plebs Christiana cui Episcopus desponsetur, & quam tanquam proprium gregem custodiat. Immò cum Ecclesiæ sanctæ vnicus sit sponsus, qui est Pontifex Romanus, reliqui verò Episcopi assumantur in partem sollicitudinis Romani Pontificis, ad hoc spirituale matrimonium sufficit, quod ex Pontificis deputatione possint Episcopi alicui Ecclesiæ desponsari, & circa illam Pontificalia ad dispositionem Pontificis exercere. Sed Episcopi titulares verè habent locale territorium & iurisdictionem, & ordinantur ad titulum Ecclesiæ ad illud territorium spectantis, & in litteris dimissorijs, vt aduertit *Diana d. res.51.* eis iniungitur, vt ad Ecclesias commissas se conferant, Quod tenentur facere si fieri aliquando poterit, & non defuerunt, qui posthabita vita per summam charitatem suam Ecclesiam adiuere, sicut de Bartholomæo Bonon. Ord. Prædic. recenset *Leander in lib.de viris illust. dict. Ord.*

32 Ad tertium negatur assumptum. Episcopatus enim habet quidem pro fine opus, & ideò

qui

qui Episcopatum desiderat, opus desiderat, sed in se essentialiter est potestas operandi, quæ in sui cōsistentia nō dependet ab exercitio operis. Quàmuis non ordinentur Episcopi, nisi simul eis committatur aliquod de pertinentibus ad Episcopos, seu quod requirit dignitatem Episcopalem.

33 Ad quartum dicitur, quod *Can. lib. 5. de locis cap. 2.* inquit, quod Episcopi titulares, quos ipse vocat anulares, sine causa aliquando in Synodum sunt admissi, sicut & sine causa sunt in Ecclesia. *Bannes etiam 22. q. 1. a n. 10. dub. 3. notab. 2.* vbi dixit Synodum constare ex Episcopis, subdit, quòd nomine Episcoporum non veniunt titulares qui nullam habent iurisdictionem. Quia totum negotium Concilij transigitur virtute iurisdictionis. Et hoc tenere communiter DD. refert *Barbosa de off. Episc. p. 1. tit. 1. cap. 6. num. 20.* Sed nihilominùs dicitur, quòd hæc opinio est falsa. Nam vt ait *Granina vbi supra ad quartum argum.* ad hoc vt Episcopi pertineant ad Synodum, sufficit dignitas Episcopalis, & illa iurisdictio, quam illis tribuit Pontifex vocans eos ad Synodum.

34 Stante igitur quòd Episcopi titulares sunt verè Episcopi, & quod de facto Pontifices ex iustissimis causis aliquos ex huiusmodi Episcopis creant, meritò quæritur, an expediat Regulares ad huiusmodi Episcopatus promoueri. Videtur enim non conuenire, quia cum similes Episcopi careant exercita cura animarum, cum plebem non habeant, deficit ratio, vnde vinculo Regularis obseruantiæ absolui debeant. Propterea *Clement. in plerisque* prohibiti sunt Religiosi assumi in Episcopos titulares. Sed considerandum est, quod decretum illius *Clem.* commune est, & etiam afficit Clericos, licet specialiter afficiat Religiosos, & respicit prouisores Papa inferiores. Si ergo aliquis Religiosus qualitercumque prouideatur de Episcopatu titulari, qui careat clero & plebe Christiana, nec superior potest illi dare licentiam consentiendi tali prouisioni, & si ipse etiam licentiatus à superiore consenserit, & consecratus fuerit, non potest in Pontificali honore recipi, sed in Religione subditus suo Prælato manere debet inhabilis etiā in Religione ad quemlibet gradum honoris, & administrationis. Verùm vt aduertit *Pax Iordan. Prælud. 9.* ex vi *d. Clem.* iam à nullo inferiori Papa possunt siue Clerici, siue Regulares assumi ad Episcopatus titulares.

35 Hoc stante an expediat Regulares promouere ad Episcopatus titulares prudentiæ relinquitur Summi Pontificis. Et cum non expediat promoueri ambitiosos, & qui ex desidia labores regularis vitæ abominantur, & iugum obedientiæ subire nesciunt, vel aliàs inutiles sunt ad inseruiendum in munere Pontificali, vel hoc redūdare possit in dedecus Ecclesiastici Ordinis, aut Religionis ex qua assumuntur, immò communis nominis Religiosi, vel aliud quodcumque scandalum oriri possit; Altera ex parte concurrere possunt iustæ causæ ex quibus Pontifex indigeat opera Religiosi pro Ecclesiæ communis vtilitate, vnde iustè possit ad tales Episcopatus promoueri. Et tunc etiam ipsi Religioso expediens erit obedire, sed vbi liber relinquitur, vt possit recusare cōsultius erit, vt intra claustra maneat Religiosus.

SVMMARIVM.

1 *Ad consentiendum promotioni factæ immediatè à Pontifice Religiosus non indiget licentia superioris. num. 36.*
2 *Vbi Papa præcipit, Religiosus tenetur suæ promotioni consentire. num. 37.*
3 *In religione vbi sit lex specialis, vt nullus consentiat promotioni de se factæ sine licentia superioris, si Pontifex non præcipit, Religiosus debet nō nisi ex licentia superioris consentire, n. 38. 39.*
4 *Quid in religione Societatis, & Prædicatorum. num. 39.*
5 *Religiosi sine licentia superiorum non possunt consentire electioni, postulationi &c. ad Episcopatum. n. 40.*
6 *Regularis ad Cathedrales eligi potest. n. 41.*
7 *Regularis nequit eligi ad Prælaturas alterius Ordinis. n. 42.*
8 *Quæ sint religiones diuersæ. n. 42.*
9 *Nec moniales possunt eligi ad Abbatissatum alterius Ordinis. n. 43.*
10 *Regularis eligi potest ad Prælaturas seculares. num. 44.*
11 *Regularis ad Prælaturas alterius Ordinis postulari potest. num. 45.*
12 *Mendicantes sine licentia Papæ ad nullam Prælaturam inferiorem Episcopatu & extra Ordinem postulari possunt. num. 46.*
13 *Regularis est incapax beneficij secularis simplicis, nisi cum eo fuerit specialiter dispensatum per Pontificem. n. 47.*
14 *Regularis nunc non potest assumi ad beneficium curatum seculare, sine permissu Pontificis. numer. 48.*
15 *Regularis nequit prouideri de beneficio regulari alterius Ordinis nisi ex speciali concessione Papæ. num. 49.*
16 *Regularis etsi ad beneficia secularia, vel regularia alterius Ordinis non possit eligi, vel præsentari, potest tamen postulari à Papa. n. 50.*
17 *Regulares Mendicantes ad Ecclesias Cathedrales nulliter eliguntur, si eliguntur in discordia. numer. 51. 52.*
18 *Non Mendicantes electioni factæ à minori parte non possunt consentire. n. 51. 52.*
19 *Non comprehenditur electio ad Pontificatum. num. 53.*
20 *Nec Regulares iam facti Episcopi. n. 53.*
21 *Electio Regularis ad beneficia vnde sit nulla. num. 54.*
22 *Regula supradicta intelligitur etiam de præsentatione. num. 55.*
23 *Electio est in discordia, quæ non est vnanimis. num. 56.*
24 *Non conualidatur electio ex accedente concordia, num. 57.*
25 *Discordia superueniens non nocet. n. 58.*
26 *Qui vocales numerari debeant inter discordantes num. 59.*
27 *Electio facta de Regulari extra Ordinem vel à minori parte collegij, vel à minori parte respectu maioris respectiuè vt nulla habenda n. 60.*
28 *Nec non procedit, si electio fit à parte æquali. numer. 62.*

29 *Mendicans qui transijt ad non mendicantem valide eligitur ad Cathedralem, si a maiori parte eligitur. num.62.*

30 *Quod electus non possit consentire electioni facta a maiori parte, non verificatur in electionibus ad Prelaturas intra ordinem. n.63.*

31 *In vtroque ex dictis casibus electio respectu coelesti seecularis non est nulla. nu.64.*

32 *Regularis quilibet electioni de se facta ad quamcumque Prelaturam Episcopatum &c. extra ordinem sine sui superioris licentia non potest consentire. num.65. 66.67.*

33 *Generalis sine alterius superioris licentia potest consentire electioni. n. 66.*

34 *Nec electioni ad beneficium potest regularis consentire sine licentia. nu.67.*

35 *Non sufficit, quod hac licentia sit vniuersalis, vaga, ad electionem futuram, sed debet esse specifica, & pro electione praterita. num.68.*

36 *In Ord. Prad. non prohibentur fratres licentiari ad Episcopatus titulares. n.68.*

37 *Non sufficit licentia, vel post consensum, vel nulliter ex vi vel metu obtenta. nu.68.*

38 *Sufficit licentia tacita. n.69.*

39 *Mendicantes ex nullius superioris inferioris Papa licentia consentire possunt postulationi ad Prelaturas inferiores Cathedralibus. n.70.*

40 *Religiosis exemptis de iure communi etiam Prelati locales possunt dare licentiam consentiendi electioni. nu.71.*

41 *Religiosis habentibus votum non acceptandi Prelaturas solus Papa dat licentiam eas admittendi. n.72.*

42 *In hoc seruanda statuta specialia Religionum. numer.72.*

43 *In Ord. Prad. an Vicarius Prouincialis, aut Generalis possit dare hanc licentiam. n.72.*

44 *Quid in Ordine Minorum, & Societatis, & alijs ordinibus. n.73.*

45 *Regularis non exemptus à suo immediato superiore licentiam consentiendi petere debet. n.74.*

46 *Si sibi negetur iniustè compellitur superior ad illã concedendam, vel mediatus superior illam concedit. n.74.*

47 *In postulatione, & prasentatione necessaria est licentia superioris. n.75.*

48 *Nedum ex iure positiuo, sed ex vi voti obedientia tenetur Religiosus non consentire electioni sine licentia superioris. n.76.*

49 *Irritatio electionis, si illi praestetur consensus, sine licentia est iuris positiui. n.77.*

50 *Religiosus electioni ad Summum Pontificatum nõ petita superioris licentia validè consentit, non tamen licitè. n.78. 79.80.*

An Religiosus assumptioni suæ ad Episcopatum possit consentire sine sui Superioris licentia.

36 MVltipliciter assumi potest Religiosus ad Episcopatum, scilicet per viam electionis, postulationis, nominationis, præsentationis, & absolutæ collationis. Est verò certum, quòd vbi Summus Pontifex est ille, qui immediatè cõfert Episcopatum, Religioso nullius alterius superioris licentia est necessaria, nisi aliàs ex lege iusta religiosus sit impeditus, ne consentiat, ideoque indigeat super ea lege dispensari. Ratio huius est, nedum quia Pontifex conferens alicui Religioso Episcopatum, censetur illi date licentiam acceptãdi, si illa indiget, vt dixerunt *Suarez tom.3. de Relig. lib.10. cap.10. num.16. & Lucarinus de Episc. Regul. cap.1. num.62.* Sed quia per se loquendo ex nullo iure necessaria est alicuius alterius superioris licentia. Nedum quia iura, quæ prohibent religiosum consentire electioni ad Episcopatum, cum loquantur de electione, non se extendunt ad collationem factam immediatè à Pontifice. Sed quia absolutè & per se subditus nullius indiget licẽtia, ad hoc vt conformet voluntatem suam voluntati Superioris; Pontifex verò est religiosorum nedum supremus Antistes, sed proprius & supremus eorum regularis Prælatus.

37 Dictum tamen est, nisi ex lege iusta à Pontifice cõprobata talis licentia sit necessaria. Nam tunc distinguendum est, an Pontifex expressè, vel tacitè præcipiat religioso, vt Episcopatũ recipiat, & tunc nullius alterius Superioris licentia est necessaria; quia nec aliqua lex est, quæ in tali casu talem licentiam requiri statuat; Et Pontifici imperanti est sine cunctatione obediendum; nullusque inferior Papa potest præcipere, vt iussa Papæ non recipiantur.

38 Sed vbi Pontifex nullo modo præcipit, sed assumptus liber est ab omni lege, & potest Episcopatum acceptare, & non acceptare salua virtute; tunc locum habere possunt leges religionũ, de quibus infra erit sermo, per quas prohibentur Regulares vel consentire suæ assumptioni ad dignitates extra ordinem, nisi in casu præcepti obligantis sub pœna peccati, vel aliunde requirẽtium licentiam Prælatorum. Cum enim Pontifex non præcipiat Religioso, vt sit Episcopus, & aliàs in propria religione sint leges præcipientes Religioso, ne suæ assumptioni consentiat sine licentia, Pontifex censendus est conferre Episcopatum via ordinaria, & saluis cuiuscumque Ordinis legibus auctoritate Apostolica confirmatis. Nam & vbi Pontifex nominans ad Episcopatum Religiosum nullo modo præcipit: sicut relinquit illum in sua libertate, vt videat an sibi secundùm expediat vel non expediat Episcopum fieri; ita multò magis relinquit eum sub obedientia suorũ superiorum, ad quos etiam spectat nedum cura animæ illius Religiosi, sed prouidentia suæ religionis, vt videat quid & illi subdito in particulari, & toti suæ religioni vtile sit, & non vtile.

39 Sic igitur quia in Societate nullus potest dignitatem extra ordinem admittere sine licentia Generalis, qui illam dare non potest, nisi Sede Apostolica id præcipiente *Constit. p 9. cap.3. §.13.* non potest religiosus Societatis sine consimili licentia admittere Episcopatum, vel Cardinalatum, nisi vel obedientia, vel lex charitatis obliget, vt illum admittat. In his enim casibus nedum si vrgeat obedientia ex præcepto positiuo Pontificis, sed etiam si vrgeat charitatis lex, vel alia lex diuina, potest religiosus Societatis, & debet Episcopatum admittere, vt tradit *Suarez to.4. de Relig. tract. 10. lib.6. cap.8. num.5.* Similiter quia in Const. Ord.

Præd.

Præd. *dist.2.cap.13.§.5.* statuitur, vt si quis Archiepiscopatum, aut Episcopatum admiserit sine licẽtia Magistri Ordinis, vel Prouincialis extra casum obedientiæ ad id obligantis, sit priuatus suffragijs, Societate & omnibus bonis Ordinis, tam in vita, quam in morte, tenetur religiosus etiam oblatum Episcopatum à Pontifice non admittere sine præfata licentia. Quare non est admittenda exceptio, quam tradit *Reuerendiss. Lucarinus de Episc. Regul. cap.1.num.63. glossantis textum dictæ Constit.* vt nõ habeat locum, vbi religiosus acceptet Episcopatũ à Pontifice iniunctum. Nam immò dicta Constit. non potest habere locum, nisi præcipuè in Episcopatu à Pontifice oblato, quia extra Ordinem solus Pontifex est, qui possit per obedientiam compellere ad recipiendum, qui est casus in dicta Constit. exceptus. Nam vt dicebatur, quando Pontifex nominat ad Episcopatum, & non præcipit, sed relinquit Religiosum in plena libertate admittendi Episcopatum, relinquit eum suis legibus, vt secundum eas consideratis bene omnibus, videat quid sibi, & suæ Religioni expediat; vnde secundùm leges suas debet Episcopatum, recusare, vel admittere. Et eo magis, quòd cum huiusmodi statuta sint particularia, nec eorum scientia præsumatur in Pontifice, non censetur super eis dispensare: tum quia nõ præsumitur ea scire; tum quia ex quo non præcipit sed offert, etiam si illa sciret, non dispensaret super illis ex sola vi oblationis Episcopatus liberè admittendi ex prudenti iudicio eius, cui offertur. Non est verò prudens iudicium, quod non est secundùm leges. Quòd verò dictum est de Religiosis horum Ordinum, dicitur de omnibus alijs in quibus adsit statutum, vt extra casum obedientiæ obligantis sub culpa, Episcopatus non admittatur sine licentia superioris. Verum quidem est, quòd in huiusmodi casibus sufficit licentia tacita, seu præsumpta. Et quantùm ad culpam, & pœnam iudicandum est ex vi legum specialium cuiuscumq; Ordinis; cum aliàs de iure communi hæc licentia non sit necessarià. Vnde in Ord. Prædicat. in quo Constitutiones non obligant ad culpam, nulla culpa erit, si excluso contemptu aut negligentia nominatus à Pontifice ad Episcopatũ. nominationi consentiat non petita Superioris licentia.

40 Loquendo verò de alijs modis assumendi Religiosos ad dignitates, considerandum est, quod illi sunt contractus quidam per quos Religiosus contrahit cum eligentibus, vel postulantibus, aut præsentãtibus, & ex quibus plùs, vel minùs acquirit aliquod ius ad dignitatem ad quam nominatur. Vnde non potest competere Religiosis facultas consentiendi & sic contrahendi independenter à voluntate Superioris; & propterea meritò prohibiti sunt Regulares consentire electioni ad Prælaturas extra Ordinem sine licẽtia suorum Superiorum, vt patet *cap. quam sit* 18. *q.2. ex S. Greg. lib.7. epist. & cap. quorundam, & cap. si Religiosus, de elec. in 6. & Clem.1. 6. & 8. de elect. & extrauag. si Religiosus, eod. tit.*

41 Circa huiusmodi verò Cõstitutiones multa sunt consideranda. Et quidem primò consideratur, quòd fuit iam controuersum, an Regulares possent eligi ad Prælaturas extra illorum Religiones, an potiùs deberent solùm postulari. Videbatur enim, quod eligi non possent ex eo, quod sine licentia & consensu superiorum non possent ipsi consentire electioni. Tamen hoc non obstante certum est, quod Regulares ad Episcopatus eligi possunt, *cap. si Religiosus de elect. in 6. vbi Gloss. v. electi, & Franc. num.2. & cap. Nullus 28. eod. tit. & Clem.1. de elect. Panorm. cap. final. nu.8. de postul. Turrecrem. § sed illud dist.61. num.9. D. Anton. p.3. titul. 19. cap.3. Syluest. ver. postulatio nu.3. Sanchez lib.2. in Decal. cap.29. nu.32. Acugna decret. par.1. dist.38. num.15. Barbos. de off. Episc. p.1. tit.1. cap.3. num.47. Suarez tom.3. de Relig. orat.8. l.10. cap.10. Lucarinus de Episc. Regul. cap.1. num.68. & alij DD. comm.*

42 Sed tamen considerandum secundò, quòd Religiosi non ad omnes Prælaturas seu dignitates extra Ordines suos eligi possunt. Nam primò eligi non possunt ad Prælaturas regulares aliorum Ordinum. *Clem.1. de elect.* & ibi *Gloss. & Panorm. Rodriq. tom.2. qu.52. art.8. Sigism. de bonon. de elect. dub.87. nu.4. Lauor. variarum lucubrat. tit.4. cap.16. num.127. Suarez tom.4. de* Relig. *tract.8. l.2. c.6. nu.3. & cap.3. nu.11. Tambur. tom.1. disp.5. q.11. Layman. de elect. q.192. resp.2. Azor. p.1. lib.12. cap.13. q.11. Mirand. p.2. q.23. art.11. concl.4.* Non sufficit verò distinctio Religionum accidentalis, seu sola distinctio accidentalis in habitu, sed requiritur substantialis discretio in regula, & forma substantialis habitus. Nam aliàs inter eiusdem Ordinis Religiosos sæpius iuxta religionum differentias varij sunt habitus in colore, & forma; sed tamen sola accidentali differentia distinguuntur, & ideo simpliciter sunt eiusdem Ordinis, & habitus, vnde illa verba *eiusdem Religionis, professionis, & habitus*, quibus vtitur præfata Clementina synonima sunt, vt adnotauit *Suarez citatus num.6.* An verò ex eo Religiones dicantur diuersæ, quòd sunt sub diuersis Generalibus, licet ab eodem Institutore ortũ habuerint, & sub eadem regula viuant, & per eadem media ad perfectionem tendant, vt sunt inter Minores Conuentuales, & Strictioris Obseruantiæ, & Capuccini, non crederem, quod in proposito censendæ essent diuersæ; quia non sunt diuersæ simpliciter, & perfectè, seu specificè. *Suarez tom.4. de Relig. lib.1. cap.1. num.10.* Sic enim Moniales Sanctæ Claræ, vel Ord. Prædicatorum non ex eo censentur esse diuersorum Ordinum, quod ex eorum Monasterijs aliqua per Episcopos, aliqua per Regulares regantur: Et ideo quantùm sit ex vi dictæ Clementinæ nõ prohiberetur Capuccinus eligi ad Prælaturam Conuentualium. Quámuis aliàs in hoc illorum Ordinum particularia statuta seruari debeant.

43 Legem verò dictæ Clemen. extendi etiam ad Moniales aduertunt meritò, *Suarez loco citato num.7. & Barbosa ad d. Clement. nu.2. fin.* Quámuis quantum ad Moniales extet circa hoc etiam speciale decretum *Conc. Trident. sess.25. cap.7. de Regul. & cap. Indemnitatibus, de elect. in 6.*

44 Dubium verò statim insurgere potest, an Regulares ad Prælaturas seculares Episcopatu inferiores eligi valeant. Nam in *d. Clem.1.* solùm prohibentur eligi ad huiusmodi Prælaturas si sint Regulares. De Prælaturis non Collegiatis id absolutè affirmat *Glossa in v. secularis*, sed de collegiatis, & an v. g. possit Regularis eligi ad Præposituram, vel Decanatũ, dubitat; quia vt *Hostien.* aduer-

aduertit, Cum Clerici seculares differaut à Regularibus professione, & habitu, multò magis io illis vim habet statutũ Clementinæ, sed nihilominùs in partem affirmantem inclinat, quam neque negat *Panorm. num. 9.* Et certè Clem. illa nihil de hoc casu decernit, sed loquitur expressè de Prelaturis Regularibus alterius ordinis, vt patet ex illis verbis. *Cum rationi non congruat, vt homines disparis professionis vel habitus simul in eisdem monasterijs socientur.* In quibus expressè de Monasteriorum Prælidibus loquitur, & sic prohibet Regulares, eligi ad Prælaturas Regulares. & in Monasterijs alterius Religionis, & habitus. Aliàs verò de iure antiquo non erat illicitum vt Monachus ad Prælaturas seculares eligeretur, *cap. Priscis dist. 55. & cap. 1. dist. 58. & cap. Doctos 16. q. 1. Et cum in Compend. Priuileg. Cæsarub. v. Episcopus* habeatur priuilegium Alex. IV. concessum Minoribus, vt nullus Archiepiscopus, seu quicunque alius Prælatus vel legatus Sedis Apostolicæ, nisi fuerit Cardinalis possit dictos fratres nisi de licentia Generalis, vel Prouincialis, aut de speciali mandato Sedis Apostolicæ ad Episcopatum, vel aliàs dignitates assumere, vel ordinare, habetur quod Religiosos eligi ad Prælaturas seculares non est illicitum & nullũ per se, licet sit nullum si fiat sine Superiorum licẽtia. Sed & hoc supponit *cap si Religiosus de elect. in 6.* in quo prohibetur Religiosus consentire electioni de se factæ ad Prælaturas extra Ordinem absque sui superioris licentia. Et propterea hoc docuerunt *Glos. citata ad Clem. 1. de elect.* & ibi *Imola num. 4. & 41. & Gloss. in cap. Officij, in v. incontinenti de elect. & ibi Panorm. n. 1. Io. Andr. ad d. cap Si Religiosus statim à princip. & ibi Anchar. n. 2. Franc. n. 4. Domin. n. 6. Sanchez in Decal. lib. 7. cap. 29. n. 33* Quod tamen intelligi debet salua regula secunda Cancellariæ, & alijs iuribus, per quæ prouisio Cathedralium, & Monasteriorum ablata electione, aut postulatione reseruata est Sedi Apostolicæ. Et ideo prædicta procedunt vbi aliàs electio, vel postulatio, aut prouisio spectet de iure ad aliquos, quibus non est prohibitum vt Regulares per illos eligantur ad Prælaturas seculares.

45 Quamuis verò Regulares ad Prælaturas Regulares extra suos Ordines eligi non possint, ad eas tamen possunt postulari. Non enim arcentur ab huiusmodi electionibus, quia sint indigni, sed quia minùs decet viros vnius Religionis, professionis, & habitus regi per Prælatos alteriùs professionis, quod quidem est quid dispensabile, & eò magis quòd de licentia Papæ Religiosus vnius ordinis potest ad alium ordinem transire, & in eo profiteri. Cum igitur postulatio sit eorum, qui licet ex aliquo impedimento non possint eligi, possunt tamen ex gratia per postulationem impetrari, ideo Regulares vnius Ordinis possunt ad Prælaturas etiam Episcopatu inferiores, & etiam alterius ordinis postulari. *Gloss. in Clem. 1. de elect. in v. Eligatur. Panorm. ibid. num. 6. Innoc. in cap. fin. num. 3. de postulat.*

46 Excipiuntur tamen mendicantes, qui per extrauag. *Dispendijs*, de elec. prohibiti sunt omninò postulari ad Prelaturas extra eorũ ordines, & Episcopatu inferiores, & docet Lapus, quem referunt, & sequuntur Franc *ad cap. Quorundam num. 2. de elect. in 6.* & ibi *Domin. §. Voluntas num. 6. Sanchez d. cap. 29. num. 33.* Quamobrem Mendicantes multo minùs eligi possunt extra suos Ordines ad Prælaturas Regulares, vel seculares, cum ad eas, nec postulari possint. Illius verò extrauagantis cum multæ recenseantur interpretationes à *Thesaur. in praxi. v. Electio cap. 3. n. 3.* ex ijs vna est vt sit sensus, quod nullus si sit secularis ad Cathedralem Ecclesiam, & si Mendicans Religiosus ad quamcumque Ecclesiam ante 27. annum ætatis postulari possit. Ita *Barbos. ad d. Extrauag.* sed vel à longè aspicienti textum illum statim apparet. quod sensus est, nullus quodcumq; sit siue secularis, siue Religiosus potest postulari ad Cathedralem Ecclesiam ante 27. annum ætatis. Sed Regularis ordinis Mendicantium ad nullam Ecclesiam inferiorem Cathedralibus potest postulari simpliciter, & absolutè, & cuiuscumque sit ætatis. Ita ex *Alter. de suspens. disp. 13. cap. 1. Thesaur. vbi supra.* Et consonat *Clem. 1. de elect.* vbi decernitur, quod Regulares non possunt eligi ad Prælaturas alterius Ordin. Et nihilominus eos posse postulari, si tamen non sine Mendicantes dixit ibi *Card. num. 17. & Lap. in cap. Quorumdam de elect. in 6.*

47 Sed quid dicendum de beneficijs inferioribus Prælaturis, siue sint simplicia, siue curata? Beneficiorum alia sunt secularia, alia Regularia Beneficij autem secularis simplicis incapax est Religiosus. Quidquid enim in contrarium senserint *Glos. in cap. Deus qui in v. Professi, post Hugon. & Bertachinus de Episc. lib. 2. quæst. 39. num. 67. fin. ex eo textu, & cap. Quorumdam dist. 74.* communis sententia est, quod Regularis sit incapax beneficij simplicis secularis, quod docuerunt *Gloss. in cap. quorundam, ver. Syracusana dist. 74.* & ibi *Cer. num. 4. opin. 6. Panormit. cap. super eo num. 3. de Regular. & cap. quod Dei timorem, num. 5. de statu monach. Franc. in cap. si Religiosus num. 1. de elect. in 6. vbi Domin. num. 1. Felin. cap. causam quæ num. 5. ad fin. de iudic. Angel. v. religiosus num. 37. & v. Monachus num. 4. Syluest. v.* Religio *7. q. 5. Armilla v. Monachus n. 4. & 5. Tabien, num. 3. & 4. Nauar. Com 4. num 23. de Regul. Conar. cap. 2. num. 3, de testam. Azor. par 1. lib. 12. cap. 19. quæst. 13. & par. 2. lib. 6. cap. 4. q. 22. Rodriq. tom. 1. q. 34. art. 4. & tom. 3. qu. 53. art. 2. Card. Archidiac. Hostien. Io: Andr. Bald. Imola, Ancharan. Præpositus,* & alij plures quos refert & sequitur *Sanchez in Decal. lib. 7. cap. 29. num. 75. Garz. de benef lib. 7. cap. 10. num. 27. & 28.* & apud eum *Rota in Papien. iurispatron. 6. Martij coram D. Decano. Barbos. ad cap. super eo num. 7. de Regular.* Hoc enim habetur ex *cap. in nona. 16. q. 7. & cap. super eo, de Regul. & cap. quod Dei timorem de stat. Monach.* Vnde nec Episcopus potest super hoc dispensare, neq; Legatus à latere. Quidquid in contrarium dixerit *Gambara de off. & potest Legati l 8. cap. vlt. num. 28.* Sed ex sola Papæ dispensatione id fieri posse, vt dixerunt *dicti Syluest. Rodriq. Sanch. & Rota.* Vnde Regularis etiam si aliàs promotus ad beneficium Parochiale non potest ab Episcopo dispensari, vt simul habeant beneficium simplex. *Dom. in cap. si Religiosus num. 6. Franc. num. 1. Sanch. vbi supra numer. 77.* Quod si Regularis fuerit dispensatus vt simul cum Prioratu, aut beneficio Regulari habeas aliud simplex, non per hoc Episcopus poterit illi commendare beneficium seculare, quia hoc Religioso nec à Papa commendatur,

nisi.

nisi fuerit in signatura expressè concessum. Nec in titulum ordinarium dare potest, quia duo non dantur Regulari in titulum, nisi in dispensatione exprimatur, *& num* 81. quod si cum Religioso fuerit dispensatum vt possit habere beneficium curatum, non per hoc potest ei conferri beneficium simplex, quia hoc difficilius conceditur.

48. Sed si beneficium seculare sit curatū, quod illius sine aliqua dispensatione sit capax Religiosus fuit antiquitus controuersum, negantibus aliquibus paucis, sed quampluribus id affirmantibus, vt videre est apud *Sanchez d.l.7. cap.29. à num.35.* vbi *num.37.* probat neque excipi debere Religiosos mendicantes, & apud *Garziam de benef. par.7. cap.10. à nu.17. & Barbos. in cap. quod Dei timorem num.3. de statu Monachorum.* Sed hodie controuersia est definita, ità quòd nec Canonici Regulares sint capaces beneficiorum secularium Curatorum sine dispensatione, quia sic determinatum fuit in *Conc. Lateran. in concord.* quam determinationem Pontifex voluit extendi etiam ad alias mundi partes, vt videre est ex declarat. Sac. Congreg. Concilij apud eundem *Garziam ibid. num. 31. & 32. & Sanchez vbi supra num.31. & Barbosam loco citato & Quarant. v. Clericus Regularis, & Amaydenum de stylo Dataria lib.1. cap.15. §.7. num.107.* Inter alia autem decreta ibidem à *Garzia* recensita adest vnum relatum à pluribus alijs sequentis tenoris. *Sanctiss. Dominus Noster Gregor. XIII. noluit licere Regularibus Congreg. Lateranen. etiam de licentia sui Generalis absque permissu Summi Pontificis assumere curam animarum, etiam ad tempus; Multoque minùs beneficium curatum etiam ad tempus.* Vnde licet Constitut. Pauli Quarti *Postquàm diuina bonitas*, disponens quemcumque Regularem priuari beneficijs secularibus etiam curatis, si sine licentia, & permissione Apostolica fuerint obtenta fuerit per Pium Quartum in Constit. *Sedis Apostolica solertia*, reducta ad terminos iuris, nihilominus stante decreto Gregor. XIII. expresso in declarat. Sac. Congregat. cuius mentionem faciunt citati *DD.* iam praxis obseruat, vt huiusmodi beneficia sine licentia Apostolica non dentur Regularibus nec in titulum, nec in commendam. Vnde nunc etiam locum non habet illa quæstio, an Regulares sine dispensatione possint obtinere dignitatem & præfecturam in Collegio seculari, quæ non habet propriè curam animarum, sed impropriè, & qualem habet præfectus Collegij in pertinentes ad suum Collegium, Nam esto talis Præfectura diceretur esse beneficium curatum, cum sit seculare beneficium, iam quidquid fieri potuerit de iure antiquo, modò fieri non licet sine dispensatione Apostolica. Aduertit tamen *Amaydenus num.109.* esse quidem necessariā licentiam, & permissionem Papæ, adhuc vt Regulari concedatur beneficium seculare, quia in his terminis loquitur declaratio Sac. Congreg. & decretū Gregor. XIII. non tamen esse necessariam dispensationem propriè dictam. Nam & S. Congreg. Concil. die 17. Nouembr. 1629. declarauit, D. Io: Iacobum Canonicum S. Georgij in Alga esse capacem pro obtinenda Ecclesia Parochiali seculari, concurrente tamen Sedis Apostolicæ expresso permissu. Et si Regulares horū beneficiorū sunt capaces, sed sine licentia Papæ illis non conferuntur, & sufficere etiam licentiam implicitam Papæ & scientiam putat. Sed ille Doctor sic se declarat, vt quod hic sentit destruat, quia *num.110.* nedum limitat dictū suum ad Canonicos Regulares, sed inquit, quòd etiam in Canonicis Regularibus vsus est in contrarium, ex declaratione interpretum Concilij, & sic tandem absolutè negat, quod priùs docuerat. Itaque stylus Curiæ in hoc est seruandus.

49 Sed si beneficia non sunt secularia, sed regularia, certum est, quod Religiosus vnius ordinis non est capax beneficij alterius ordinis sine dispensatione Apostolica, *cap. Cum de beneficio de præbend. in 6. & Concil. Trident. sess. 24. cap. 10. de reformat.* Immò Religiosus vnius Monasterij non est capax beneficij alterius monasterij, nisi vnum monasterium ab alio dependeat, *cap. cum singula, §. prohibemus de præbend. in 6. Nauar. com. 4. num. 23. de Regul. Rodriq. par. 1. q. 34 art. 8. Sanchez d. lib 7. cap. 29. Barbosa ad d. cap. Cum singula.* Et Religiosus si consentiat suæ promotioni ad tale beneficium, fit ad illud ineligibilis, neque in hoc Legatus Pontificis poterit dispensare, vt ex *Rebuff. tradit. Sanchez citatus, vbi numer. 30. addit, & ei consensit Barbos. ad sess. 24. cap. 10. num. 8. Concil. Trident.* quòd Pontifex non est solitus concedere Regularibus gratiā assequendi beneficium regulare alterius ordinis, nisi transferēdo illos ad id monasterium, ad cuius collationem beneficium assequuntur, & testantur *Gomez in tract. expectatiuarum num. 69. & Staphileus de literis gratiæ*, vbi de formis expectatiuarum in forma 8. *nu. 6. & num. 32.* quòd non licet Regularibus diuersorum Ordinum permutare beneficia Regularia de sola licentia suorum Prælatorū, quia neuter est capax alterius beneficij, nisi de permissione Sedis Apostolicæ.

50 Itaque loquendo de beneficijs inferioribus Prælaturis Religiosus ad ea eligi non potest, etiam si illa aliàs sint electiua, quia si sint secularia, vel alterius Ordinis eorum non est Religiosus capax, cum ad ea non possit promoueri sine dispēsatione Apostolica. Ideo nec ad eadem beneficia potest validè præsentari eadem ratione, neque enim in præsentante vel præsentato acquiri potest ius ad id, quod nō potest de iure obtineri absque libero & speciali consensu, aut dispensatione Pontificis. Vnde si Regularis præberet consensum electioni sui ipsius, aut præsentationi ad similia beneficia, nullus esset consensus, & per illum nihil iuris sibi acquireret. Et in terminis *cap. cum singula, §. prohibemus* Religiosi beneficia alterius Ordinis suscipientes, vel suscepta detinentes redduntur ad ea ineligibiles, quod est dicere inhabiles, quia ibi electio sumi debet communiter, vt ex *Rebuff. habet Sanchez d. lib. 7. cap. 29. num. 29. fin.* Sed tamen quia postulatio innititur gratiæ Superioris à quo aliquis postulatur, *cap. Postulationem 5. de postul. vbi Gloss. & Panorm. num. 1. & reliqui DD. communiter.* Et quàmuis aliquis non sit eligibilis ad aliquod beneficium vel Prælaturam, si impedimētum non sit ex indignitate subiecti, & aliàs sit dispensabile, non impedit, quin possit postulari, vt habent *DD. cap. final. de postulat.* & immò inter cōditiones postulandi vna est quod non sit eligibilis ex impedimento tamen dispensabili; & Regulares prohibentur eligi ad præfata beneficia non quia illis sint indigni, sed quia minùs conuenit quod secu-

secularia tribuantur Regularibus, vel Regulares vestem lino lanaque contextum induant. *Concil. Trident. sess. 24. cap. 10. de reformat.* Ideò vbi præfata beneficia essent electiua, possent Regulares à Domino Papa ad eadem beneficia postulari. Exceptis tamen Mendicantibus, qui per *extrauag. dispendijs de postulat.* sunt impostulabiles ad Ecclesias & monasteria extra suos Ordines.

51 His visis, & habito quæ sint Prælaturæ, & beneficia ad quæ Regulares eligi possunt aut non possunt tertia sequitur consideratio, vt videatur quæ conditiones sunt necessariæ ad valorem electionis, vbi aliàs Regulares eligi possunt. De his *in cap. Quorundam 24. de elect. in 6.* ita statuit *Bonifac.* VIII: *Sancimus vt nulli Religioso Prædicatorū Minorum, Eremitarum S. August. aut quorumlibet Mendicantium Ordinum ex electione, postulatione, prouisione, seu vocatione ad aliquam extra administrationem sui Ordinis Prælaturam in discordia de se facta ius de cætero acquiratur: nec eorum aliquis tali electioni, postulationi, prouisioni, aut vocationi quoquo modo valeat consentire: etiam si magistri, aut ministri Prioris Generalis eorumdem ad id accesserit licentia vel consensus. Circa Religiosos quoque alios, cuiuscumque conditionis vel status existant, volumus hoc seruari, vt nec ipsi electionibus, postulationibus, prouisionibus, aut vocationibus à minori parte numero ad prælationes quaslibet de satisfactis (quæ hoc ipso, quòd à minori parte processerint nullum prorsus tribuant ius eisdem) suum audeant præbere consensum: etiamsi super hoc assensus vel licentia suorum interuenire Prælatorum. Nos enim quidquid contra præmissa, vel eorum aliquod à quoquam contigerit attentari omnino decernimus irritum, & inane.* Hæc vero decretalis fuit per *Clem. de elect. quod circa*, hoc modo declarata. *Quod circa Religiosorū electiones super discordia & minoritate numeri Bonifaciana Constitut. cauetur, de discordia, & numeri minoritate, quæ in facto, non in fictione iuris vel iuris effectu consistunt, debere intelligi declaramus.*

52 Duplex igitur casus continetur in his Decretalibus, scilicet Mendicantis electi in discordia, & non mendicantis electi à minori parte. In vtroque autem casu loquitur de electione passiua; loquitur enim de electis quibus nullum competere ius ex electione vel discordi, vel à minori numero facta decernit, & cui electioni præberi consensum prohibet. Et sic in *Clem. quod circa*, quæ est data ad explicat. *cap. Quorumdam*, de eadem passiua electione sermo est, *Gloss. in Clem. quod circa ver. electia* & ibi *Card. num. 1. Imola num. 10. Sanchez l. 7 in Decal. cap. 19. num. 47. Mirand. tom. 2. quæst. 23. artic. 14. Syluester ver. electio p. quæst. 17. num. 20.* Textus tamen non comprehendit electionem ad Summum Pontificatum, quia hæc electio non regulatur legibus communibus datis pro electione ad Episcopatus & dignitates, sed proprias leges habet. Inter quas hæc vna est *Concil. Later. cap. licet de elect.* quod electus à duabus partibus Cardinalium omnino sine exceptione habeatur verus Pontifex.

53 Vtrumque etiam casum dicti textus locū habere etiam in Religioso, qui sit extra Ordinem vt in eo qui iam est Episcopus, vel ex dispensatione Apostolica Parochus, vt si eligatur ad aliam Ecclesiam vel in discordia, vel ex numero minori respectiuè electio respectu illius inualida sit, tenuerunt, *Gloss. in cap. Quorumdam in verb. Mendicantiū, & in v. Prædicatorum, Franc. ib. num. 5. Dominicus num. 6. Rodriq. tom. 2. q. 55. art. 2.* & alij quos refert, & sequitur *Sanch.* vbi supra *num. 48.* Sed melius *Gloss. in cap. fin. in v. Religiosus de testam. in 6. & in Clem. Religiosus in ver. Religiosus de procurat. & in Clem. 1. in verbo curias, de rebus Eccles. non alienand.* arbitratur quod in similibus per verbum *Religiosus* veniat solùm Religiosus claustralis, nec valet responsio Dominici & aliorum dicentium, quod vbi Constitutiones respiciunt directè personam Regularem, etiam si sint personales, & loquantur vniuersaliter, comprehendunt etiam Religiosos extra claustra manentes. Tum quia præfatæ decretales nec loquuntur vniuersaliter, cum loquantur de Religioso indigente licentia suorum Prælatorum ad consentiendum electioni, vt patet ibi *accesserit licentia, vel consensus*, quod non verificatur in eo Religioso, qui cum sit Episcopus est extra Prælatorum regularium obedientiam. Tum quia Constitutiones & restrictiuæ communis iuris, & pœnales strictè sunt intelligendæ, & deceptio est, si ex sola identitate generali rationis quis velit Constitutiones pœnales extendere, in proposito verò nō est eadem ratio proxima & adæquata in Religioso claustrali, quæ in Episcopo cum euidens sit, quod lites ad quas fugiendas emanarunt decretales illæ longè magis dedeceant Religiosos intra claustra viuentes, quàm illos qui iam ad Episcopatum promoti & ab humilitate Religiosa ad honoris dignitatem, & a statu strictæ paupertatis ad administrationem præbendarum Ecclesiasticarum sunt translati. Decretales igitur illæ de solis Religiosis claustralibus loquuntur, & sunt intelligendæ.

54 Quamuis autem verum sit, quod in vtroq; casu est sermo solùm de electione ad Prælaturas, vnde ad electionem ad beneficia inferiora non se extendunt decretales præfatæ, quæ expressè loquūtur de Prælaturis. *Franc. ad d. cap. Quorundam n. 2. Domin. nu. 2. Sanch.* vbi supra *nu. 50.* tamen, vt supra dictum est electio Regularis ad beneficia aliunde est nulla.

55 Non est etiam dubium, quin textus præfati intelligi debeant nedum de electione, & postulatione, sed de nominatione quacumque & præsentatione, cum expressè loquantur de prouisione, & vocatione, prouisio verò aut vocatio important formas generales sub quibus comprehenditur etiā præsentatio. Et ita inanis est præsentatio Religiosi facta in discordia Patronorū, vel respectiuè a minori parte illorum. *Gloss. in Clem. fin. in v. prouisiones*, & ibi *Card. num. 11. q. 7. Imola num. 10. de elect. Franc. in d. cap. quorundam num. 4. Dominicus §. Circa num. 3. Lambertinus*, quem sequitur *Sanch.* vbi supra *num. 51.* Quoniam nihilominùs pœna nullitatis electionis in his casibus ponitur pro culpa præsumptionis, vbi cesset dolus pœna ista non incurritur. *Thesaurus v. electio cap. 9. Lucarinus d. cap. 1. num. 73.*

56 Circa verò primùm casum considerandum est, quid sit electionem esse in discordia. Nam talis dici potest, vel quia non sit omnino vnanimis, vel quia etsi non sit vnanimis est siue contradictore. Multoties enim licet aliqui electorum non eligant aliquem, vbi tamen electio sit à maiori parte,

ratam

ratam illam habent ex quo illi non contradicunt. Videint enim, quòd sufficiat ad valorem electionis si desit contradictio. Quia lex vltra rationem legis non se extendit, quæ ex procemio colligitur, Decretalis verò *quorundam* ratio fuit, ne Religiosi retrò respicientes ex ambitione honorum, & auaritia diuitiarum præcipitanter ruerent in litigiorũ anfractus, & causarum strepitus inuoluerentur, vt patet ibi. *Retro respiciunt ad aratrum manu missa, dum præcipitanter ruunt in litigiorum anfractus, & causarũ strepitus inuolunt, etc.* At verò vbi nullus est qui electioni contradicat, nullũ est litis periculum, quia electio nõ est litigiosa, si nullus contradicat. Additur, quòd electio ad Prælat. in sui cõcordia, vel discordia nõ pẽdet ex solo scrutinio, si illud sit, vel non sit vnanime; quia illud non est electio, sed præuium quoddam & viale ad electionem, quę post scrutinium publicatum fit ab vno nomine totius Collegij eligente. Vbi igitur nullus sit, qui huic electioni contradicat, quæ nomine omnium fit, electio concors censenda est, etiam si electus in scrutinio non fuerit vnanimiter nominatus ab omnibus. Nihilominùs quia electio quæ non est ex vnanimi scrutinio censetur concors potiùs fictione iuris, quia quod est à maiori parte Collegij censetur ac si esset à toto Collegio, & in *Clement. quod circa* iubetur attendi concordia quæ sit talis in facto, & non solùm fictione iuris, ideo *DD. communiter* per electionem cõcordem intelligunt electionem vnanimem.

57 Quod adeo strictè intelligunt, vt vnius solius vocalis contradictio aut discordia sufficiat ad hoc, vt electio dicatur in discordia facta: & vt nõ valeat concordia subsequens. Sic enim tenent ad *d. cap. Quorundam ex Io: Andr. Franc. num. 4. & ex Io: Monac. & Archid. Dominicus S. volentes num. 4. & ex Card. Clem. quod circa num. 5. & Bonif. nu. 2. de elect. Sylu. v. electio à nu. 20. Sanch. vbi supra n. 52. Reuerendiss. Lucarinus de Episc. Regul. cap. 1. num. 69.* Electiones enim ad Prælaturas inferiores in quibus seruanda est forma, *cap quia propter de elect.* non conualidantur per accessum vel consensum datum extra scrutinium. Nihilominùs tamen, si contingeret in electione scrutinium iterari, quia v.g. primũ esset nullũ, vel quia ante publicationẽ scrutinij electores variare vellent, sicut facere possunt ex *cap. publicato, de elect.* Si secundum scrutinium ex quo ad electionem procederetur esset vnanime, antecedens discordia non officeret, sed illa electio in facto verè esset vnanimis. Ita vbi electio non esset ligata legibus, *cap. quia propter de electione*, sed consensus extra scrutinium datus valeret, nihil noceret antecedens discordia, si postea omnes electores validè in Religiosum Mendicantem consentirent. Et quia in præsentatione non est necessitas seruandi formam, *cap. quia propter de elect.* ideò in præsentatione sufficit, quod tempore debito dum adhuc præsẽtatio est in via & patroni possunt mutare, adueniat eorum plena concordia, quia discordia antecedens, non facit, quòd subsequens concordia non sit vera. Nec ratio qua vtuntur, *Sanch. & alij aliqui*, quia scilicet initium spectandum est, valet & vera est; quia vbi res aliqua requiritur, non illius generationis initium, vel ad eam via, sed ipsa res eiusque consistentia attendi debet, & optimè contingere potest, quòd discordia sit occasio concordiæ, nec concordia desinit esse concordia, quia orta sit post discordiam.

58 Quod etiam dicitur, quòd non noceret discordia superueniens, vt tradunt *Domin. Card. Bonif. & Sanch. citati*, debet intelligi cum distinctione. Quia si discordia superueniat electioni iam completæ, & ex qua electus iam acquisiuit ius, verum est quòd discordia superueniens non potest priuare electum iure iam acquisito. Sed vbi est tempus variandi adhuc, si discordia superueniat tollit priorem concordiam; nondum enim electo, vel vocato est firmum ius acquisitum.

59 Sed quid dicendum, si vocalis discordans non sit legitimus vocalis, vt si v.g. sit excommunicatus, vel voce priuatus, vel absens non contemptus, vel qui renunciauit voci suæ? *Gloss. Clem. quod circa v. in facto*, quam secuti sunt *ibid. Panor. Card. num. 11. Imol. nu. 13. Bonif. num. 26. Sanch. vbi supra num. 45. & 46. Lucarinus num. 72.* Dicunt absentes non contemptos, & eos, qui renunciarunt voci suæ non officere si discordant, cum non habeant ius ad electionem. Similiter nec ij quibus deficit vel ordo sacer, vel ætas necessaria ad eligendum, cum nec de iure, nec de facto vnquam elegerint. Sed excommunicati, aut priuati voce, qui solùm fictione iuris censentur non electores inter discordantes numerantur. Sed puto distinguendum esse aliter. Vel enim aliquis ex huiusmodi de facto elegit. Si de facto elegit numerandus est inter electores, & contradictores, vel discordantes si discordauit; quia *Clem. quod circa*, vult quod attendatur factũ. Verum quidem est, quòd si votum illius esset notoriè nullum, eius ratio habenda non esset, quia nec præberet materiam litis, quam vitare intendit Bonifacius in sua Decretali. Sed si votum eius, qui de facto elegit non est notoriè nullum, sed eius valor indiget ope Iudicis vt appareat, vel non appareat, in præsenti casu inter electores computãdus est, quia de facto elegit, & an validè elegerit litigiosum est, & ex electione litigiosa in facto Bonifac. VIII. vult, vt Mendicanti ius nõ acquiratur. Et ita si qui voto renunciauit, vel qui non habet ætatem de facto admissus fuit ad electionem, & inualiditas sui voti non est notoria, in numero eligentium est numerandus. Sed si non elegit, nec est contemptus, nullo modo est numerandus; quia talis nullum ius habet ad electionem, quæ ad solos præsentes spectat, & volentes eligere. Si tamen dubium sit an aliquis sit contemptus, & ille de facto contradicat electioni, & dicat de contemptu, inter electores & contradictores numerandus est, quia rationabiliter se opponit. Vnde tunc electio est ex discordia. Sed econtra si aliquis verè sit cõtemptus, sed non contradicat, quia potest habere ratam electionem & ex hoc ratam habet, quòd nõ contradicit. electio non est discordia, & ex ea Religiosus mendicans ius acquirit.

60 Circa alterum casum autem consideratur, quod electio facta à minori parte nunquam est valida nisi iuris alicuius effectu & per accidens, quia electio facta à minori parte sit ex aliquo defectu inualida. Et ideò si electio sit à minori parte respectu totius Collegij, vbi electores eligunt, vel postulant, vel præsentant, vt Collegium siue sit à minori parte respectu maioris, si eligentes eligant, seu præsentent vt singuli; Religiosus non mendicans

non poteſt tali electioni conſentire, quâmuis id ſat cere poſſit ſi electio facta fuerit iuxta electionis au- pręſentationis exigentiam, vel à maiori parte Collegij, vel reſpectiuè à maiori parte reſpectu minoris, vbi lectores, vel Patroni eligunt, vel præſentant vti ſinguli. Et tunc iuxta dicta *num. ſuperiori* inter eligentes, & præſentantes numerari debent, qui de facto elegerunt, vel præſentarunt.

61 Quid verò dicendum ſit, ſi quis ab æquali parte ſit electus, ſcilicet à medietate, aut præſentatus? *Lambertinus de iure patron. lib. 2. par. 1. qu. 7. art. 20. num. 8.* putat talem electionem aut præſentationem, ſi ſit Religioſi non mendicantis eſſe nullam. Tum quia electio à dimidia parte facta non valet. Tum quia talis non erit per accidens valida niſi adiunctis litibus, vel collatis eligentium meritis, & ex aliquo iuris effectu. Sed *Sanch. d. cap. 29. num. 54.* quem ſequitur *Reuerendiſs. Lucarinus dicto cap. 1. num. 73.* diſtinguit. Quoniam ſi alius eſt ſimul ab altera dimidia parte electus, vera eſt *Lambertini opinio*; ſed ſi nullus alius eſt ſimul à dimidia parte electus, iam electus à parte dimidia eſt electus à maiori parte, & ideò electio tenet aut præſentatio, vbi aliàs ſit talis in qua ſufficiat electum eſſe nominatum à maiori parte reſpectu minoris. Quòd certè non ſufficit vbi electio eſt ſubiecta legi *Conc. Lateran. in cap. quia propter de elect.* Verùm hæc limitatio iam recedet à quæſtione propoſita; quia in eius caſu electio iam non eſt ab æquali parte, & dimidia ſed eſt à maiori parte. Quæſtio igitur debet reſolui in caſu in quo electus, vel non ſit electus à maiori parte, ſed à dimidia vel ſi à maiori parte reſpectu minoris, non tamen reſpectu Collegij cum ad valorem electionis maior pars requiritur. Et ſic ad *quæſt.* dicitur, quòd non comprehenditur ſub dicta Decretali *Quorundam* ſi ſit à dimidia parte, ſed ſolùm ſi ſit à minori. *Io: Andr. ibi num: 2. Franc. nu. 2. not. 5. Dominicus §. Circa n. 2.* Non enim Pontifices condentes leges ſunt imprudentes, vt neſciant vim terminorum, & nomina inepta vſurpent in eorũ legibus, vnde non imprudenter Pontifex vſus eſt nomine *minori*, ſub quo nõ comprehenditur æquale, cum æquale ſit diuerſum, & oppoſitum minori. Et non obſtat quòd electio quæ ſit ab æquali parte vocalium, eſt nulla. Quia neque hoc eſt verum; ſed in terminis, *cap. ſi forte. diſt. 63.* talis electio eſt confirmabilis, & ſæpius accidere poteſt vt in ſimili caſu ſuperior poſſit gratificari ex electis, vel præſentantis cui voluerit. Et quidem ſine aliqua occaſione litis, vnde patet quòd nec ſecundum motiuum *Lambert.* vrget, & quòd non eſt eadem ratio de electione, quæ ſit ab æquali, & à minori parte; quia hæc nõ poteſt eſſe valida niſi ex defectu aliquo maioris partis ideoq; ſine lite, & contradictione, ſed electio, & præcipuè præſentatio valida eſſe poteſt in pluribus caſibus ſi ſit ab æquali numero Patronorum, vt patet per *cap. quoniam de iure patron. & ibi ſcribentes.* Et licet tũc eligendus ſit ab Antiſtite, qui potioribus iuuatur meritis, hoc in Antiſtitis poſitum eſt prudenti iudicio, nec res litigioſa eſt, ſed extraiudicialiter ab Antiſtitis arbitrio diffiuienda, vt ex *d. cap. quoniam eſt manifeſtum.*

62 Extenditur verò huius ſecundi caſus amplitudo, vt comprehendat etiam mendicantem, qui legitimè ad aliquem ex ordinibus non mendicantibus tranſierit, quia talis etiam ſi electus ſit in diſcordia tenet electio, ſi ſit à maiori parte *Gloſs. in d. cap. Quorundam, v. mendicantium Franc. num. 4. Sanch. d. cap. 29. n. 53.*

63 Extendunt quoque hunc ſecundum caſum vt comprehendat electiones etiam ad Prælaturas eiuſdem ordinis; ita quod electio, vel præſentatio ad tales Prælaturas ſit nulla ſi ſit ex minori parte vocalium. *Gloſs. ad cap. Quorundam, ver. quaslibet. Franc. num. 4.* vbi extendit ad Prælaturas etiam eiuſdem Monaſterij. *Dominicus §. circa num. 2. Rodriq. tom. 2. q. 55. num. 2. Sanch. d. cap. 29. num. 49.* Sed textus expreſsè aduerſatur huic intellectui. Cum enim in primò caſu expreſsè textus loquatur de electionibus ad Prælaturas extra ordinem: & quod magis eſt in proœmio loquatur de eiſdem electionibus, & ad fugienda incommoda, quæ ex eiſdem electionibus ſequuntur; nulla eſt ratio, vnde dicatur, quod in ſecundo caſu aliter ſumatur electio. Neque hoc deducitur ex eo quòd dicat *ad Prælationes quaslibet*, quoniam hæc dictio ex proœmio expreſſam limitationem, & intelligentiam habet, & intelligitur de quibuslibet ad Prælaturis extra Ordinem. Nam & in ſecundo caſu textus expreſsè loquitur de Prælaturis ad quas obtinendas neceſſaria eſt licentia proprij Prælati, quæ ad Prælaturas intra Ordinem minimè eſt neceſſaria. Religioſus enim electioni de ſe factæ intra Ordinem poteſt non requiſita alia Superioris licentia conſentire, *cap. ſi Religioſus de elect. in 6. & ibi Auchar. Franc. Barboſa num. 4. Innoc. & Compoſtell. in cap. 1. de poſtul. Prælat. & alij DD. communiter.* Et ideò quòd Religioſus ex electione facta ad Prælationem intra Ordinem à minori parte in caſu aliquo legali poſſit acquirere ius, & illi validè conſentire dixerunt *Io: Monachus ad d. cap. quorundam*, & ibi *Archid. num. 6. Oldrad. conſ. 103. Paulus* quem ſequitur *Decius conſ. 523. num. 5. vol. 4.* Et hæc ſententia veriſſima etiam praxi eſt confirmata; Nam & ſi maior pars Regularium electorum ad Prælaturam intra ordinem eligat ſcienter indignum, meritò electio minoris partis confirmatur, nec iuſtum eſt, vt minor pars pœnâ nullitatis ſuę electionis incurrat, ex eo quod maior pars ſcienter deliquit.

64 Tandem notandum, quòd in vtroque caſu licet electio ſit nulla reſpectu Religioſi, nõ tamẽ eſt nulla aliunde, & reſpectu ſecularis ſi ſit coelectus, ſed eius electio iuxta leges cõmunes eſt iudicãda.

65 Sequitur quarta conſideratio reſpiciens neceſſitatem licentiæ Superioris ad hoc vt Religioſus electioni alias validæ poſſit validè conſentire. Sic enim diſpoſitum fuit, *de elect. in 6 cap. ſi Religioſus cuius arbitrium non ex ſua, cum velle. vel nolle non habeat, ſed illius quem vice Dei ſupra caput ſuum poſuit, & cuius imperio ſe ſubiecit, voluntate dependet, electioni de ſe ad prælationem aliquam extra ſuum monaſterium, vel ſuam Eccleſiam celebratæ, ſui Superioris, qui dare ipſam valeat, non petita licentia, & obtenta præſumpſerit conſentire, i conſenſus ſic præſtitus non teneat, & in pœnam præſumptionis illius electio eadem ipſo facto viribus vacuetur omnino.* Ad huius verò explicationem ita in *Clem. fin. ſtatutũ fuit. Cum conceſſa religioſo à Superiore ſuo licentia, vt electioni vel prouiſioni (ſi quam de ipſo contigerit fieri) ſuũ dare poſſit aſſenſũ, ambitionis vitio viã paret, nullius eam exiſtere volumus firmitatis.*

66 Ite-

66 Istorum verò textuum dispositio vniuersalis est, tum respectu personarum, quia comprehendit omnes Religiosos tam Mendicantes, quam non mendicantes, intra claustra tamen sub obedientia Prælatorum manentes. Nam qui iam facti sunt Episcopi, vel Prælati & ab obedientia Prælatorum exempti, si ad aliam Prælaturam eligantur, non indigent licentia Prælatorum vt consentiant electioni. Putat tamen *Lucarinus num. 80.* quod isti indigeant ad hoc speciali licentia Papæ, qui est illorum Superior. Quod & insinuaui superior, *q. 4. nu. 93.* sed oppositum verius credo, quia illi non veniunt ampliùs solo nomine Religiosi simpliciter prolato. Ideò comprehenduntur etiam Superiores ipsi. Et sic Prior seu Prælatus localis sine licentia, saltem Prouincialis, & Prouincialis sine licentia Generalis non potest electioni de se factæ extra ordinem consentire. Sed an Generalis ipse possit sine alterius licentia consentire, negat *Lucarin. d. cap. 1. num. 80.* Et in Religione Societatis hoc est expressum, vt Generalis eius sine consensu Societatis non possit similem dignitatem admittere. *Constit. p. 9. cap. 4. §. 5. & lit. B.* Sed in Ord. Prædicat. vt habetur *Constitut. distin. 2. cap. 13. §. 5.* hoc non est expressum. Tamen deduci videtur, & ex *cap. si Religiosus*, quia Generalis habet superiorem Capitulum generale, & interest totius Ordinis videre an sibi expediat priuari suo Generali. Nihilominùs quia Capitula Generalia raró fiunt, & Capitulum Generale non est vndequaque superius Generali, sed solum quando est congregatum, & quantum ad expressa in Ordinum Constitut. Nō credo, quod veniat sub nomine Superioris, simpliciter prolato. Et quod Generalis prouidentiæ sit commissum videre, an expediat illum electioni cōsentire, cui vniuersalis prouidētia boni communis est commissa nisi iura specialia Religionis repugnent.

67 Tum respectu Prælaturarum; omnes enim comprehendit, & nedum inferiores Episcopatu, sed Episcopatus, & Archiepiscopatus, & Patriarchatus, non tamen electionem ad Pontificatum Romanum. Non est enim vnde dispositio vniuersalis restringatur, & vt vniuersalem & comprehendentem etiam dignitatem Episcopalem, & super intellexerunt, *Franc. in cap. si Religiosus in princ. ante num. 1. Sylu. v. Religio 7. q. 6. & 9. Angelus v. electio num. 30. Suar. tom. 3. de Relig. tract. 8. lib. 10. cap. 10. num. 14. Lucarinus de Episc. Regulari cap. 1. num. 74. & 75.* An verò textus comprehendat etiā electionem, & prouisionem ad beneficia Prælaturis inferiora, dicendum est non comprehendere, quia expressè loquitur de Prælaturis. Ex ratione tamen textus, quia scilicet Religiosus non habet velle, vel nolle, quod multò magis verificandū est respectu beneficiorum inferiorum, quæ ad statū perfectionis multò minùs pertinent quàm Prælaturæ, & Rectorum illorum minor est necessitas, & illorum conditio minùs conuenit Regularibus, & magis est periculosa, & abstrahens animum ab illis, quæ perfectionis sunt, probatur, quòd non licet Religioso consentire suæ promotioni ad beneficia sine sui Superioris licentia. Quod etiam habetur ex *S. Greg. lib. 7. epist. 18*, vel vt aduertit *Suar. vbi supra ex Concil. Later. sub. S. Gregor.* & refertur *cap. 1. d. 58.* ibi. *Nullus ad Ecclesiasticum officium ex Monasterio producatur Monachus, nisi quem Abbas illius aduersus propria voluntate obtulerit.* Idem ex S. Greg. habetur *cap. quàm sit necessarium. 18. q. 2.* & tradiderunt *Franc. cap. si Religiosus in princ. ante num. 1. not. 1. Card. in Clem. final. num. 11. quæst. 8. de elect. Rodriq. par. 1. q. 34. art. 5. Sanch. d. lib. 7. cap. 29. num. 57.*

68 Hæc verò licentia non sufficit, quòd sit vniuersalis & vaga ad consentiendam electioni, vel prouisioni, si quæ de ipso facta fuerit. *Clem. fin. de elect.* Et in Ord. Prædic. in Capit. Metell. 1345. ord. 5. prohibitum fuit, ne Prouinciales dent licentiam ad titulos vagos Episcopatuum. Hanc verò prohibitionem sic interpretatur *Lucarinus d. cap. 1. num. 80.* vt per Episcopatus vagos intelligantur Episcopi titulares. Sed non est vnde huiusmodi Episcopatus dicantur vagi, cum sint ad determinatas, & certas Ecclesias. Ideò ex vi dictæ ordin. non prohibentur Superiores dare licentiā ad Episcopatus titulares, sed solū non possunt dare licentias ad Episcopatum indefinitum, & vagum. Ideò licentia huiusmodi debet esse specialis, & nec sufficit talis pro electione futura, vt si concedatur licentia consentiendi electioni ad talem Episcopatum, si fieri contingat, *Gloss. in Clem. final. v. si quam* & ibi *Paulus*, quem referunt, & sequuntur, *Card. ibi q. 10. num. 13. Imola num. 11. Bonif. num. 26. Sanch. vbi supra num. 60. Mirand. tom. 2. q. 23. art. 14. Lucarinus d. cap. 1. num. 74.* Quia in *d. Clem. final.* prohibetur licentia conditionalis de futuro absolutè, & non solùm si sit generalis, quia omnis talis licentia conditionalis de futuro ambitioni viam parat. Et poterit etiam forsan contingere, vt tunc non expediat Religiosum Episcopari, cum id modò expediret. Quòd si tempore in quo licentia petitur electio facta esset id ignorante Superiore, qui propterea daret licentiam conditionalē de futuro, vt Religiosus consentiret, si eligeretur, talis licentia non valeret, vt D. om. docent. Bene tamen valeret licentia data sub conditione de præterito, scilicet si Religiosus electus sit de facto ad talem Episcopatum, quia hæc electionem subsequitur, & supponit, non verò antecedit, nec ambitioni viam parat. Cum non sit ambitionis electioni de se factæ consentire. Si verò licentia data fuerit modo superiori, aut vniuersalis, seu vaga, aut specialis sub conditione de futuro nulla est, & si Religiosus ex vi talis licentiæ consentiat electioni nulliter consentit, & electionem nullius reddit valoris iuxta sancita in d. cap. *si Religiosus*. Et taliter, quod non sufficiet quòd post consensum ex vi talis licentiæ vel sine licentia datum, postea noua licentia obtineatur, quia nequit prior actus nullus & electio iā viribus euacuata ampliùs conualidari, *cap. non firmatur, de reg. iuris in 6. Domin. in d. cap. si Religiosus num. 8. Sanch. d. cap. 29. num. 63.* Hoc idem verò dicitur de licentia qualitercumq; nulliter accepta, & si sit per fraudem, vim, aut metum extorta. *Gloss. in cap. Quorundam de elect. in 6. in v. extorta, & d. si Religiosus, in v. obtenta.* Quia licentia per metum extorta nulla est. *Gloss. in cap. cum olim el. 2. de priuil. in verb. extor. ex cap. 1. 15. q. 6. & 2. & cap. 1. de his quæ vi vel metu &c. in 6. & cap. Lotharius 31. q. 2. & C. de his quæ vi &c. lib. 3.* Non tamen dicitur extorta si solum precibus obtineatur. *Lucarin. num. 81.*

69 An verò sufficiat licentia tacita negat Lu-

*car.num.*74.dicens exigi licentiam vel voce coram testibus, vel scripto datam,& firmatam; quia debet hæc licentia presentari coram Sede Apostolica in forma probante. Sed sufficere tacitam ex *Pereira de resol. emphyt.cap.*11.*num.*15. tradit *Barbos. ad d.cap.Si Religiosus num.*5. Dicendum est, quòd ad fugiendam pœnam in conscientia sufficit licentia tacita, & præsumpta, quia in *d. cap. si Religiosus*, non petitur licentia expressa. Sed ad probandam hanc licentiam in foro externo requiritur scriptura vel probatio authentica. Sufficeret verò si probaretur, licentiam præsumptam adfuisse ante consensum præstitum. Hanc verò licentiam consentiendi dare potest superior etiam irrequisito consensu Capituli,vt decernitur in *d.cap. si Religiosus*. Nisi ex speciali lege,aut praxi sit necessarius etiam Capituli consensus. Quod esse concessum ab Eugenio IV. aliquibus Religionibus refert, *Rodericus resol.*15.*num.*7.

70 Quis verò sit superior à quo petenda sit licentia, & obtinenda distinguendum est. Nam primò Regulares mendicantes ad Ecclesias inferiores Cathedralibus, & Monasteria extra Ordinem absque Pontificis licentia postulari nequeunt, *Lapus*,quem referunt & sequuntur *Franc.cap.Quorundam num.*x.*not.*3.*de elect.in* 6.*Domin.ibi* §.*volentes num.*6.*Sanch.d.l.*7.*cap.*x9.*num.*32. Vnde istorum postulatio aut electio ad similes Ecclesias ipso iure nulla est, & si electi consentiant ipso facto sunt ad quamcumque administrationem extra Ordinem ineligibiles,& impostulabiles,& inhabiles ad quascumque dignitates,& beneficia.

71 Quo stante distingui debent Religiosi,quia vel sunt exampti ab Episcopo, vel non. Si enim sunt exempti licentiare illos vt cõsentiant electioni alias de se legitimè factæ de iure communi pertinet etiam ad Prælatos, & superiores locales, quia isti sunt veri superiores, quibus electus se subiecit, *Lapus, & Paulus ad d.cap. si Religiosus*, & ibi *Io: Andr.num.*2.*Anchar.num.*3.*Franc.nu.*1.*not.*3.*Dom.in cap.*1.*d.*58. *idem Anchar.in Clem.fin.num.*1.*de elect.* vbi *Card.num.*6.*&* 7. *Imola num.*2. *Bonif. num.*30.*&* 35.*Sanch.d.l.*7.*cap.*29.*num.*65. vbi bene reijcit limitationem *Card.* dicentis in mendicantibus solum Generalem posse hanc licentiam dare,& hoc ex *cap. Quorundam de elect.in* 6. vbi nihil prorsus de hoc puncto habetur. Nihilominùs considerandum est,quòd si loquimur de Religiosis,qui ex legibus proprijs vouent se non admissuros Prælaturas, & dignitates extra Ordinem nisi ex præcepto compulsi, solus Pontifex potest illis concedere licentiam consentiendi electioni, vel nominationi eorum ad dictas Prælaturas. Vt declarauit Vrbanus VIII.in Const.*Honorum*, quæ est eiusdem 165.

72 Et insuper spectato iure particulari Religionum Constitutiones cuiuscumque Ordinis seruandæ sunt. In Ord. Prædicatorum solùm Generalis, & Prouinciales huiusmodi licentiam possunt concedere Constit. *dist.*2.*cap.*12.§.5.*vbi Gloss.lit.F.* inquit quod hanc licentiam non possunt concedere Vicarij Generalis, aut Prouincialis,ex *cap. Treueren.*1x89. Sed *Fontana, in v.Episcopus,num.*1.aduertit quòd in *d.cap.Treueren. decl.x.* habetur oppositum ibi. *Item declaramus, quòd solùm Magister Ordinis, & Priores, Prouinciales, nec non & eorum Vicarij, possint dari licentiam recipiendi Episcopatum.* Sed tamen addit ex priuilegio Innocent. IV.Clem. IV. Nicolai IV. quod recenset *Glossa Constit. ibid.* solos Magistrum Ordinis, & Prouinciales non verò eorum Vicarios posse hanc licentiam concedere. Verùm si in priuilegio illo non habetur,nisi quod refert præfata *Gloss.* scilicet. *Prohibemus ne quis frater Ordinis vestri sine speciali licentia Magistri Ordinis, aut Prouincialis,aut mandato Sedis Apostolicæ electioni, aut postulationi ad quamcumque dignitatem extra Ordinem de se factæ audeat consentire*; non video vnde excludatur Vicarius Prouincialis in absentia Prouincialis à Prouincia, vel Vicarius Gener. in magna distantia eiusdẽ Generalis à loco electionis,vbi debet præstari huiusmodi consensus. Prohibitio enim illa est restrictiua iuris communis & aliàs Vicarius non ponit in numerum cum Ordinario, nec constituit distinctum tribunal, & iuxta concessionem sibi factam ab Ordinario potest quidquid sibi delegatur, vnde si delegatur vniuersaliter ad gubernium vel Ordinis, vel Prouinciæ, potest quidquid potest Generalis,vel Prouincialis. Nec ex vi illius priuilegij huiusmodi licentiæ concessio facta est non delegabilis, & ita vt Generalis non possit etiam Priori, etiam simplici fratri delegare facultatem cõcedendi licentiam alicui electo vt consentiat electioni ad Episcopatũ; & ideo in delegatione generali quam vel Generalis, vel Prouincialis faciunt suo Vicario bene comprehenditur, etiam si non explicetur, facultas dandi huiusmodi licentiam. Et quòd *Glossa* illa videatur negare hanc facultatem huiusmodi Vicarijs,est ex errore impressionis in qua mutatum fuit dictio *nec non &c.* quam habet *cap. Treueren.* in dictionem *& non* prout habetur in Const. impressa Romæ 1566. Ex quo impressoris errore ortum est, quod postea in impress. *Vlysip.* clariùs expressa sit negatiua per dictionem *non autem*.

73 In Ordine etiam Minorum ex priuil. Alex. IV. apud *Casarub.* non possunt Religiosi electioni ad Episcopatum cõsentire sine licentia Generalis, vel Prouincialis. Huiusmodi autem priuilegium competere per communicationem etiam alijs Ordinibus priuilegio communicationis potientibus tradit *Lezana ad Mare magnum Carmelit. numer.* 480. Sed puto in qualibet Religione in hoc esse seruandas proprias leges, & consuetudines. Eò magis, quòd huiusmodi prohibitiones pœnales nõ sunt propriè priuilegia, sed speciales leges. Nam & in Societate cõcedere huiusmodi licentiam spectat, vel ad Societatem ipsam si electus sit Generalis, vel ad Generalem,si inferiores assumendi sint, vt patet ex *Const.par.*9.*cap.*4.§.5. *& cap.* 5. §.6. *fin.* Quamuis adhuc nec Societas, nec Generalis huiusmodi licentiam concedere valeat nisi Pontificis præceptum compellat. Et tamen aduertit, *Suarez tom.*4.*de Relig.tract.*10.*lib.*6.*cap.*9.*num* 20. Quòd si Societas, vel Generalis non coactus licentiam cõcederet alicui Religioso Societatis etiam solemniter professo admittendi Episcopatum, malè faceret, & contra suam Regulam ageret, sed tamen admissio Episcopatus, seu consensus illi datus valeret,quia in substantia seruatum esset,quòd disponit, *cap. si Religiosus*. Quantùm tamen ad solemniter professos negat hoc *Lucarinus d.cap.*1.*nu.*81. & vult quòd quantùm ad licentiandum professos ad dignitates extra Ordinem Generalis non censetur

fetur à Religione Prælatus; nisi accedat Pontificis compulsio. Sed hoc non admittitur, quia non negatur potestas & superioritas ex eo quod habenti ex iure potestatem præcipitur vt ea non vtatur nisi sub certa forma. Et aduertit *Suarez citatus*, quod constitutio, quæ obligat Generalem Societatis vt non nisi authoritate Apostolica compulsus licentiet suos ad dignitates extra Ordinem non obligat tanquam proprium præceptum, sed per modum simplicis regulæ, & quod dicta Constitutio non est voto confirmata, Ideo licentia contra illam constitutionem data est illicita, sed non est nulla, & est à superiore, licet sit ab eo abutente sua potestate. Maior posset esse difficultas ex eo, quòd Religiosi præfati solemniter voueant se non admissuros dictas dignitates nisi coacti per præceptum superioris, & dare licentiam illos admittendi spectat solùm ad Papam, vt dictum est ex Constitut. 165. Vrbani VIII. Vnde modo deficie in Generali facultas licentiãdi ad similes Prælaturas. Et in *cap. si Religiosas*, requiritur licentia illius superioris, qui illam dare possit. Ideò ex vi voti Religiosi Societatis, & aliorum Ordinum, qui vouent non acceptare prælaturas extra Ordinem nisi compulsi ab eo, qui possit hoc illis præcipere, non possunt eas recipere ex licentia superioris Regularis cuiuscumque quia in tali voto solus Papa validè dispensat, & licentiam concedit. Quamuis *Sanch.d.cap.29.num.66.* hoc etiam limitet, vt quantùm ad Episcopatus, quibus honor & opes, non annectuntur, quales sunt Patriarchatus & Episcopatus Æthiopiæ, possit Generalis Præpositus Societatis licentiam concedere, vbi eos acceptare multum referret ad Dei obsequium, quod confirmat, *author.Greg.p.1.Pastor.cap.8.* Sed *Suarez to. 4. de Relig.tract.10.lib.9. c.8. num.25.* quem sequitur *Lucarin. dict.cap.1. num.80.* limitationem non admittit.

74 Sed si Regularis non est exemptus à Iurisdictione Episcopi, ad suum Superiorem immediatum spectat cõcedere hanc licentiam. In his enim terminis expressè loquuntur canones citati ex *cap. quam sit 18.quæst.2.* Verùm quidem est quòd si Prælatus Regularis iniustè licentiam negaret, posset tunc Episcopus eum compellere, vt eam concederet. Communiter enim tradunt DD. quòd vbi sit iusta causa concedendi licentiam hanc ad prælaturas Superior negare eam non possit, & si neget ad eam concedẽdam compelli possit à superiore suo, prout docuerunt *Gloss.cap.quam sit, v.ad ordinandũ 18.q.2.& Innoc. cap. post translationem de renunc.& Host.num.4.Panorm. cap.quod Dei timorem num.12. de statu Monac.Domin. cap. si Religiosas num. 9. de elect.in 6. Sylu. v Religio 7. q.9.* Rodriq.tom.1.q.34. *art.5.& alij plures*, quos sequitur *Sanch dic.cap.29. num.68.* Vbi ex *Panorm.Sylu. Rodriq.& alijs*, quod iusta causa non est sola necessitas, sed etiam Ecclesiæ vtilitas. Et quod non est audiendus, *Franc. d.cap.si Religiosas num.3.* arbitrans quæstionem superfluam ex eo quòd statim ac superior negat licentiam electus est priuatus omni iure, ex *cap.quã fit. & Gloss.ibid.de elect.in 6.* Quia in vi dicti capitis electus iure priuatur non si licentiam non obtineat, sed si eam in tempore non petit, & ex sui negligentia non obtinet. Cæterum si ipsi eam petenti in tempore iniustè denegetur, meritò potest superioris iudicium implorare. Quamuis in hoc casu faciliùs erit, quòd superior ipse (si potest immediatè, sicut possunt Prouincialis, & Generalis) concedat negatam ab inferiore licentiam, quàm quòd inferiorem ad concedendam compellat. Hic verò superior non est solus Pontifex, sed est omnis ille, cui superior immediatus subordinatur. Et sic si v. g. Prouincialis iniustè neget suo subdito licẽtiam consentiendi electioni, illam dare poterit Generalis, vel etiam Capitulum Prouinciale, aut Generalis quilibet mediatus superior illius superioris, qui iniustè eam licentiam negauit, *Sanchez d. cap.29.num.69.*

75 Sed meritò interrogabit aliquis, an quæ dicta sunt verificentur vniuersaliter nedum de electione, sed de omni alia prouisione ad Prælaturas, scilicet etiam de postulatione, & præsentatione, *Suarez enim tom.3.de Relig.tr.8.lib.10. cap.10.n.17. Palaus tom.3.disp.4.p.5.num.2. & Lucarin.d. cap.1. n.77.* distingũt inter huiusmodi modos prouidendi, & volunt quòd vbi non acquiritur ius Religioso, sicut fit in præsentatione pura, possit Religiosus consentire sine licentia superioris, quia per talem consensum Religiosus nec contrahit, nec acquirit ius, nec verba legis in rigore cõprehendunt hunc casum. Sed oppositum est dicendum, quia licet in *cap. si Religiosus*, non fiat mentio nisi de electione, tamen electio communiter sumpta cõprehendit postulationem, & præsentationem, & quamcumque vocationem. Quod verò in eo textu hoc modo sumatur electio habetur ex *Clem.fin.* supra relata, quæ ad intelligentiam, *d. cap. si Religiosus* data fuit, & in qua exprimitur nedũ electio, sed prouisio, quæ comprehendit omnem modum electionis. Et ratio est, quia semper & per consensum ad præsentationem, & per postulationem cõtrahitur, & conualidatur ius postulantiũ, aut præsentantium tale quale est, vt possint ex Religione extrahere Religiosum, quod inuito superiore fieri non debet. Vnde in *Extrauag. diuortijs de postul.* expressè prohibentur Religiosi mendicantes consentire postulationi de se factæ ad Ecclesias Cathedralibus inferiores.

76 Sed cum certum sit ex dictis, Religiosum sine sui superioris licentia nõ posse consentire electioni suæ ad Prælaturas extra Ordinem, interrogabit rursus aliquis, an hæc necessitas sit solùm iuris positiui orta ex citatis iuribus, vel potiùs sit iuris diuini, & ex vi professionis Regularis & voti obedientiæ proueniens. Facit in hoc difficultatẽ *Suarez d. cap.10. num.14.* quòd ex Religionum institutione, & salua Religiosi status consistentia potuit fieri professio conditionata, per quam promitteretur perseuerantia in eo statu, nisi transitus esset ad statum perfectiorem siue Religiosum, siue Episcopalem, quapropter difficilè est iudicare qualis de facto fuerit instituentium intentio & sit profitentium, sed ex praxi Religionum iudicandũ est. Sed quod obligatio sit iuris positiui non verò ex vi voti, voluit *Castro Palaus tom.3.disp.4.punc.5. num.2.* quia Episcopatus est status Religione perfectior, nullo modo dispositioni Prælati Regularis subiectus. Sed hæc ratio non probat. Quia Episcopatus importat statum perfectiorem, sed alterius generis à perfectione status Religionis, & requirit tot & tanta in Episcopo, vt habeat adiunctum nõ

leue

leue periculũ ſalutis eiuſdem Epiſcopi, & in cuius admiſſione poteſt facillimè electus decipi. Vnde abſolutè dicendum eſt, quòd neceſſitas petendi licentiam tranſeundi ad ſtatum Epiſcopalem, ſeu ad Prælaturas & dignitates extra Ordinem eſt ex iure diuino & vi voti obedientiæ. Cum enim Religiones omnes ſint inſtitutæ tanquam media acquirendæ per Religioſos perfectionis, & ſalutis æternæ, & ad hunc finem Religioſi ſe ipſos tradãt Religioni, & in ea perſeuerantiam promittant, vt ſatis ex ſupra dictis *quæſt.* 183. & 184. apparet, & eſt communis ſenſus DD. omnium & Religioſorũ, nulla eſt ratio vnde votum obedientiæ intelligatur vt conditionatum conditione tranſitus ad Epiſcopatus, aut Prælaturas extra Religiones, quæ nedũ per ſe primò non ordinantur ad acquirendam propriam perfectionem, ſed ad alios perficiendos, ſed habẽt adiunctum periculum ingens propriæ damnationis, vnde tranſitus à Religionis clauſtris ad palatia Epiſcopalia, eſt à ſtatu tranquillitatis, & ſecuritatis, ad mare turbulentum, vbi vndique occurrunt ſubmerſionis pericula. Addo, quod cum Prælatura non ſit res ex proprio iudicio aſſumenda, vt probauit *D. Thom ſupra art.* 2. contra intentionem tam inſtituentium, quam profitentium vitam Regularem eſt, vt votum obedientiæ intelligatur conditionatum cõditione tranſitus ad Prælaturam externam, ſeu ad Epiſcopatum aſſumendi vna ex proprio iudicio Religioſi inconſulto, immò inuito Superiore, cui ex voto obedientiæ ſui curã & directionem in ijs, quæ ad ſalutem ſpectãt tradit Religioſus. Addo quòd Religioſum tranſire ad ſtatum Epiſcopalem res eſt concernens maximè intereſſe totius corporis Religionis, ne ambitio ineptum trahat ad Cathedram Magiſtralem cum animarum damno, & Religionis ſummo dedecore, & etiam ne Religio priuetur ſibi neceſſarijs viris ſine Eccleſiæ magna neceſſitate, aut vtilitate; irrationabiliter igitur prorſus intelligitur votum obedientiæ tanquam conditionatum conditione tranſitus ad Epiſcopatum habendũ ex proprio Religioſi iudicio ſuperiore inconſulto, & ex vi electionis aut prouiſionis factæ à ſecularibus, qui Religioſorum qualitates, & Religionum neceſſitatem plenè non cognoſcunt. Præterea ex *d. cap. quorundam, & cap. ſi Religioſus* idem habetur. Nam ratio condendi eas leges fuit, quia Religioſi nec velle nec nolle habẽt, ſed proprium arbitriũ alteri regẽdũ tradiderunt, & ideò iuſſum eſt, vt ad Eccleſias extra Ordinem non tranſeant, & electionibus non conſentiant, niſi ex licentia ſuorum ſuperiorum. Ex vi enim voti obedientiæ eſt, quod Religioſi non habent velle ac nolle, ideoque & quod non poſſint cum eligentibus, vel poſtulantibus, aut præſentantibus ad Prælaturas & tranſitum extra Ordinem contractare, & legitimum eis præbere conſenſum. Vnde in *d. cap. ſi Religioſus* conſenſus datus electioni à Religioſo ſine licentia ſuperioris cenſetur & ſupponitur præſumptio & culpa. Ibi *In pœnam præſumptionis illius electio eadem ipſo facto viribus vacuetur*. Quamobrem dicitur, quòd leges præfatæ in hac parte non continent ius nouum, ſed ius diuinum declarant. Vnde Pontifex non præcipit vt non detur conſenſus ſine licentia ſuperioris, ſed ſupponens non poſſe eo modo dari, cum ſi detur nullum declarat, & electionem viribus carere in pœnam præſum ptionis decernit, *Suarez vbi ſupra num.* 15. *Lucarin. num.* 76. & bene tamen aduertit *Suarez*, non per hoc Religioſum dicendum eſſe Apoſtatam, ſi conſentiat electioni ſine licentia. Tum quia nec in effectu exit ab Ordine vt ſit Epiſcopus, niſi ex diſpoſitione Summi Pontificis. Et factus Epiſcopus non deſinit eſſe Religioſus ſubſtantialibus votis obligatus.

77 Putat tamen *Suarez*, quòd nullitas electionis in hoc caſu ſit ex lege Eccleſiaſtica, & quòd ex vi voti conſenſus, ſeu acceptatio Epiſcopatus non ſit irrita ipſo facto. Et quidem diſtinguendo in hac parte ius eligentium à iure electi, ex eo quòd electus illicitè conſentiat electioni; aut præſentationi, non per hoc ex natura rei ius eligentium aut præſentantium irritatur. Poſterius enim non vitiat prius legitimè factum. Verum eſt, quòd diſſenſus electi electionem irritat, quia ſi electus diſſentit, & aliàs non poteſt cogi, vt conſentiat, electio effectum habere nequit, vnde remanet irrita, quia inanis, & ſine fructu, & ab extrinſeco venit eius non tam nullitas, quàm inefficacia, & inualiditas, quia electus non vult illi conſentire, quàmuis illa electio ab intrinſeco ſit valida. Vnde electus qui diſſenſit poteſt iterum conſentire & quidẽ validè, electoribus in priori voluntate perſiſtentibus. *Gloſſ. Archid. Domin. Franc. in cap. fin. de Precar. in 6. Sanch. lib. 8. de matrim. diſp.* 32. *num. Sigiſm. de Bonon. de elect. dub.* 39. *num.* 7. Sed & ſi conſideretur ius, quod ex electione conſurgit in electum ſi conſentit electioni, illud non eſt ipſo facto nullũ ex natura rei, ſi Religioſus electioni cõſentiat ſine licentia ſui ſuperioris. Et hoc nedum aſſeritur, quia ex vi voti non ſeruati ſequitur in actu ſacrilegium non verò iniuſtia formaliter, ſed etiã quia quatenus etiam ex vi profeſſionis ſequatur, quòd ſit iniuſtus Religioſus, qui poſtquam ſe tradidit Religioni conſentit, vt ab ea exeat, non omnis electio eſt ipſo facto nulla ex eo, quòd ſit iniuſta, vt patet de electione in qua aliquis fuit contemptus, quæ eſt iniuſta, & tamen non ex hoc eſt ipſo facto nulla, ſed immò poteſt haberi tanquam rata, & ſolùm ad inſtantiam contempti eſt irritanda. Vnde & in propoſito ad ſummum ſequitur, quòd ius electi Religioſi conſurgens ex eius conſenſu præſtito electioni de ſe habita, ſit irritabile ad inſtãtiam ſuperioris. Sed & alia ratio idem probat. Quia cum ſuppoſita electione, & quocumque conſenſu electi electio non ſit habitura effectum niſi Pontifice electionem confirmante, vel præſentatum inſtituente, & Pontifex poſſit talem electionem, & conſenſum ratum habere ſi velit, ideo talis conſenſus, & acceptatio non eſt ipſo iure naturæ aut diuino ipſo facto nulla, licèt ſit irritabilis ad arbitriũ Pontificis. Propterea dicitur, quod irritatio præfatæ acceptationis ipſo iure eſt pœna ex iure Eccleſiaſtico impoſita.

78 Tandem dubitatur, an quæ dicta ſunt vera ſint etiam de Religioſo non Cardinali, ſed purè immediatè electo in Summum Pontificem, ita quòd & ipſe ſic electus teneatur petere licentiam ſui ſuperioris ad hoc vt electioni conſentiat. Negant enim eum teneri *Card. cap. licet numer.* 11. *quæſt.* 18. *de elect. & Clem. fin. num.* 2. *quæſt.* 6. *eodem titul. vbi Ancharan. num.* 2 *Imol. fin. Syluest. ver. votum* 3. *quæſt.* 4. *Roſella ibid. ad fin. Pigubzplus, Barbatia*,

batia, Rosellus, *Pacianus*; quos sequitur Sanchez *d. lib.7.cap.39.num.58.* Suarez *tom.3. de Relig. tract.8. lib.10.cap.10.num.8.* & *tom.4. tract.10. lib.6. cap.9. num.15.* *Barbosa ad cap.quam sit 18.q.2.num.4.* *Lucarinus de Episc.Regal.cap.1.num.78.* & mouentur. Tum quia contra electum à duabus partibus Cardinalium nulla datur exceptio, *cap. licet de elect.* Tum quia cum Papa sit supra omnes Prælatos, leges prohibentes Religioso consentire electioni ad Prælaturam non comprehendunt electionem ad Pontificatum. Tum quia Pontificatus nón est Prælatura, aut dignitas extra Religionem. Sed supra Religionem, cum Pontifex sit Religionum Prælatus. Tum quia electio Pontificis simul est confirmatio, & absoluit electum à Religionis iugo. Tum quia non obstat, quod Religiosus non habeat velle, quia hoc est verum fictione iuris, nam velle naturale habet, per quod potest consentire electioni. Sed econtra, quòd Religiosus electioni de se factæ in Pontificem non possit consentire sine licentia superioris, tradiderunt *Gloss.in cap. quæ sit v.ad ordinandum 18.q.2.* *Io: Andr cap. Ioannes de de Regular.* *Panorm.cap.fin.num.3.de voto,* & *c.quod Dei timorem num.15.de statu Monac.* *Domin. cap.2. num.2.dist.58.* *Franc. in cap. si Religiosus num.1. de elect.in 6.* *Beroius, Bonifacius, Rochus, Lambertinus, Faber, Bertachinus, Villadiego, Greg. Lopez, Graffius apud Sanch. d.num.58.* *Sylnest. v.Religio 7.q.9.* *Rosella v.Monachus num.6.* *Rodriq.tom.1.q.34. artic.5. initio* *Emanuel Sà v.Religio num.63.*

79 Vtramque harum opinionum puto posse & debere conciliari, distinguendo inter posse validè, & posse licitè, & dicendo cum prima opinione, quòd Religiosus electus in Pontificem, si consensit sine licentia sui superioris, immo inuito superiore dictæ electioni, validè cōsentit. Tum quia lex *cap. si Religiosus* & alia similia non comprehēdunt electionem ad Pontificatum, quæ in iure non venit sub nomine electionis ad Prælaturam, vnde nec leges loquentes de electione Prælatorum comprehendunt electionem Papæ, vt est regula communis in iure, quia talis electio ob sui eminentiam non regulatur communibus legibus, sed proprijs. Tum quia etiam si aliàs comprehenderetur, exciperetur hic casus, ob legem, *Concil.Lateran.in cap. licet de elect. confirmata à Pio IV. in Constit. In eligendis,* & *a Gregor.XV. in Constit. Aeterni Patris,* per quam ab electo in Papam à duabus partibus *Cardin.* tollitur omnis exceptio quæ in iure Ecclesiastico fundata sit, vt docet ibi *Panorm.* & *tradunt communiter DD.* Tum quia, vt probatum est, consensus datus à Religioso suæ electioni ad Prælatura extra Ordinem non est ipso facto nullus, & quatenus esset irritabilis, hoc non valet in electione Papæ. Tum quia ex vi *d. cap. licet* abrogantis omnem exceptionem cōtra electum à duabus partibus Cardinalium, electio huiusmodi si fieret habenda esset pro rata & firma, quia vt talem illam habet & habere vult *d. Concil. Later.* Tum quia ex quo electio Papæ semel non est nulla, nullus remanet in terra superior à quo irritari possit, cum nullus sit Papa superior, & Papa non nisi in casu hæresis incorrigibilis possit deponi. Tum quia prorsus verisimile est, quòd in hac parte cesset omnia iniustitia, ex eo quia traditio & contractus quem init Religiosus cum Religione permanendi in ea vsque ad mortem, sit in hac parte conditionatus & non comprehendat transitum ad Pontificatum, qui est status altissimus, & ad bonum vniuersale ordinatus, quod eo magis est verum, quòd Pontificatus non est Prælatura omnino extra Ordinem, cum Pontifex sit verus, & proprius Religionum Prælatus, cui Religiosi ex vi voti obedientiæ tenētur obedire, vnde transiens ad Pontificatum non exit simpliciter ab Ordine, sed fit sui & omnium aliorum Ordinū Prælatus meliori & altiori vinculo cum sua Religione iunctus, & colligatus. Vnde non potest admitti id, quod dixit *Gloss. citata*, & cum ea *Bonif. in Clem. fin. num. 30.* & *31. de elect.* scilicet, eum qui electioni ad Papatum sine licentia superioris consentit, teneri redire ad Religionem, & à se ipso esse compellendum, sicut & alijs iustitiā tenetur facere; & similiter falsum est quòd dixit *Villadiego de orig. & dignit.Card. q.5.num.33.* scilicet, quod talis electus, & consentiens nullum acquirit ius ex electione. Hæc enim non subsistunt rationibus dictis.

80 Sed tamen secundò dicitur, quod talis electus illicitè consentit sine superioris licentia. Hoc probatur vnico argumēto vim ex pluribus medijs habente. Nam Religiosus ex vi voti obedientiæ subdit arbitriū suum iudicio & arbitrio sui superioris, vt dicitur *cap.quorundam,* & *cap. si Religiosus in 6.* Hoc autem maximè verum est respectu illius actionis, quæ ex sui natura est actus virtutis, & quæ concernit interesse maximum salutis propriæ, & boni communis nedum sui Ordinis, sed totius Ecclesiæ. Ex vi enim voti obedientiæ subditus eligit in directorem suarum actionum proprium Prælatum, ad quem ex officio indispensabiliter pertinet prouidere vt subditus præceptis legis diuinæ obtemperet, & caueat ab illis in quibus eius salus periclitatur, & præcipuè ne per illū fiat id, quod in detrimentum communitatis vergat. Et licet Prælatus Regularis non sit Prælatus totius Ecclesiæ, tamen quia pars est propter totū, tenetur prouidere ne ex parte sua, & suorū fiat aliquid quod in vniuersale damnum cedere possit. Consensus verò in electionem ad Papatum de se factam, est ex suo genere & obiecto actus virtutis Religionis, cum Pontificatus sic summus Religionis apex, & non nisi ex pura charitate & non nisi ab idoneo ad tantum onus portandum præstandus, & qui concernit summum periculum salutis electi, & in quo reposita est summa præcipui interresse nedum Religionis, sed totius Ecclesiæ, cum & vtilitas, quæ ex Optimo Pontifice oritur, & ruina quæ ex malo timenda est, sit summa & inexplicabilis. Ratio igitur omnis dictat, & vult quòd huiusmodi consensus non sit extra superioris prouidentiam, maximè quòd in eo præstando facillimè potest subditus decipi. Et eò magis, quòd assumi ad Prælaturam est quid, ad quod homo nō debet duci ex proprio iudicio, vt probauit *D.Th. supra art.2.* Vnde est, quod in consentiendo electioni electus potiùs debet duci, quàm se ducere, vnde maximè in hoc indiget sui superioris directione, vt magis etiam infra probatur. Est ergo irreligiosus Religiosus, qui sine superioris directione ex proprio iudicio consentit electioni de se factæ ad Summum Pontificatum; & in hoc vera est secunda opinio contra quam, vt patet primæ

opi-

opinionis argumenta non militant. Verum quidem est, quòd ad hoc sufficit licētia tacita seu præsumpta superioris, & aliàs supposita idoneitate certa, & indubitata, non esset in hoc culpa grauis, si tali electioni Religiosus nulla petita licentia consentiret.

SVMMARIVM.

1 *Prælatus an ex vi voti possit præcipere subdito vt consentiat electioni ad Episcopatum a nu.81.*

2 *Rationes aliquorum pro negatiua non sufficiunt. num.81.82.*

3 *Rationes in oppositum. n.83.*

4 *Id Prælatus non potest præcipere, quia non potest præcipere mutationem status. n.84.85.*

5 *Et quia id declarauit Vrb.VIII. n.86.*

6 *D.Th. non sentit oppositum. n.87.*

7 *Superior non potest consentire Episcopatui nomine subditi. n.88.*

8 *Non possunt superiores compellere subditum ad consentiendum electioni ad Pontificatum. numer.89.*

9 *Neque id potest facere Collegium Cardinalium. num.90.*

10 *Collegium Card. electo potest præcipere vt infra aliquod tempus consentiat, vel dissentiat. n.91.*

11 *Superior ex iusta causa potest præcipere subdito vt dissentiat electioni. n.92.*

12 *Etiam electo in Pontificem, sed hoc non expediret. num.93.*

13 *Superiores non possunt compellere ad acceptandā Prælaturam inferiorem, vel beneficiu extra Ordinem. n.94.*

14 *Bene tamen ad acceptandum prælaturam intra Ordinem. n.94.*

15 *An superiores possint compellere ad acceptandum Parochiam apud Indos. n.94.*

An Superior Regularis ex vi voti obedientiæ electo digno possit præcipere vt electioni ad Episcopatum consentiat, vel indignum prohibere ne consensum præstet.

81 QVòd non posse, docuerunt *Suarez to.3. de Relig.tract.8.lib.10. cap.10. numer.21. Sanchez in Decal.lib.4.cap.8.num.38.& lib.6. cap.2. num.49. Val.tom.3.disp.10.q.3 p.3. Palaus tom.3. tr. 16. disp.4.p.5. Layman.lib.4.tract.2.cap.15.num.11. Card.de Lugo Respons.moral.lib.3.dub.4.num.4. Diana par.6.tract.8.res.33.* & apud eum *Lopez & Faustus*, Reuerendiss. Lucarinus *de Episc. Regular. cap.1. num.25.& 82.* Et probatur Tum primò, quia Prælatus non potest suo subdito præcipere, nisi ea, quæ, retenta Regulari subiectione ad ipsum impleri possunt, vnde multò minus præcipere potest id, per cuius obseruantiam debitum eius obedientiæ dissoluitur: repugnat enim quod Prælatus dicat quia es meus subditus, præcipio tibi vt non sit meus subditus; aliter enim subditus ex debito obedientiæ careret voto obediendi. At verò per consensum datum electioni ad Episcopatum subditus eximitur ab obedientia Prælati. Et hoc cōfirmatur. Nam cum Generalis Societatis possit subdito concedere facultatem transeundi ad aliam Religionem etiam laxiorem, nemo dicet, quod hunc transitum possit præcipere. Huius verò nulla est ratio, nisi quia Generalis non potest præcipere id, vnde subditus à sua obedientia liberatur. Confirmatur secundo. Nam idem Generalis subditos suos Religiosos simplicibus votis ligatos emittere potest ex Societate liberos ab obligatione votorum. Neque tamen potest illis præcipere ea, quæ includunt exemptionem à voto obedientiæ. Sed hæc ratio non concludit. Nam materia obedientiæ est id per quod eximitur subditus à iurisdictione præcipientis, dum saltem subditus per hoc non eximatur ab obedientia maioris superioris. Sic Prior potest præcipere subdito vt exeat à suo Cōuentu, & Prouincialis potest præcipere Religioso vt exeat à sua Prouincia, quia licet per hoc subditus eximatur ab obedientia præcipientis, remanet subditus obedientiæ Generalis. Sic licet subditus consentiendo Episcopatui, & fiat Episcopus, sit exemptus à Prælatis Ordinis, manet subditus supremo Prælato, qui est Pontifex; vnde nec ratio valet, nec confirmationes sunt ad propositum.

82 Probatur secundo. Nam Prælato Regulari non incumbit cura vniuersalis Ecclesiæ, vnde eius non est præcipere ea, quæ ad bonum Ecclesiæ conducunt, sed quæ ad priuatum bonum subditi, aut commune Religionis pertinent: Episcopatus verò non bonum priuatū subditi, sed bonum vniuersalis Ecclesiæ respicit. Tertiò, Nam Prælatus non potest præcipere nisi ea, quæ sunt secundùm regulam, non potest verò votum subditi augere; hoc autē faceret Prælatus si Episcopale onus grauissimum posset præcipere. Quarto, Nam non potest Prælatus præcipere id, vnde subditus ponitur in statu longè periculosiori quàm sit status quietus, & tranquillus Religionis. Sed neque tres istæ rationes vrgent. Quia cum Religio sit pars totius Ecclesiæ, & pars sit propter totum; etiam Prælato Regul. maximè incumbit cura, vt sui Religiosi nihil agant, nisi quod in vtilitatem Ecclesiæ valeat conducere. Vnde hoc maximè est secundū regulam, cui est conforme, vt Religiosus ex charitate alicui periculo se exponat pro salute proximorum.

83 In contrarium verò est, quòd cum iuxta supradicta *art.2.* electus possit ex charitate, & humilitate obligari ad suscipiendum iniunctum Episcopatum, ideoque ad hoc obligari possit ex lege diuina, sicut ex tali lege censendum est obligari quotiescumq; omnibus pensatis in indiuiduo melius est electum consentire, quia ex lege naturali tenemur agere, quod est melius, vt etiam probatū est supra *quæst.184. art.4. a num.47.* Non videtur posse negari, quod superior in his casibus non possit iustè, & validè præcipere suo subdito vt cōsentiat; Quoniam Superioris est dirigere, & prout opus est compellere subditum ad diuinæ legis obseruantiam, & ea, quæ ad salutem eius sunt necessaria. Et hoc confirmatur, quia insignis & Optimus & Doctissimus Religiosus Fr. Ludouicus Granatensis

natensis

natenſis Ord. Prædicat. cum eſſet Luſitaniæ Prouincialis præcepit Fr. Bartholomæo de Martyribus ſub interminatione anathematis, vt Archiepiſcopatum Bracarenſem admitteret, & ille obediuit. Pariter & non niſi ex ſuperioris præcepto S. Thomas de Villa noua Epiſcopatum Valentinum ſuſcepit.

84 Nihilominus prior opinio vera eſt, ob hanc rationem, quòd votum obedientiæ non ſe extendit ad mutationem ſtatus, ſed intra limites illius limitatur, *Caiet. ſup. q. 88. a. n. 8. circa finem, §. ad primũ huiuſmodi dicitur*. Qui enim promittit obedientiã aſſumens ſtatum Religionis huius vel illius, & promittens in eo ſtatu perſeuerantiam, non ſubijcit ſe ſuo ſuperiori, niſi in ijs quæ concernunt exiſtentiã, & perſeuerantiam in eo ſtatu, quam ſibi vouens elegit. Nec obſtat quod poſſit dari caſus, in quo ex lege Dei obligetur ad mutationem ſtatus; quia non per hoc conſurgit in ſuperiore poteſtas coërcitiua illius ad ſeruandam Dei legem in eo caſu, quia ſuperiori non competit alia poteſtas quam illa, quæ datur ex vi voti obedientiæ & ex libera ſubiectione profitentis, & vouentis, qui promiſit obedientiam ſecundùm illum ſtatum, & intra illũ ſtatum, non verò promiſit illi obedire ſi tranſitum ex illo ſtatu præcipiat. Ideo eſto Religioſo contingat neceſſitas mutandi ſtatum Religioſum, vel in ſtrictiorem, vel in laxiorem; & hoc nedum illi ſit melius penſatis omnibus, ſed ex lege Dei neceſſarium, non tamen poteſt ſuperior illum cogere ad tranſeundum, vel ad ſtrictiorem, vel ad laxiorem Religionem, quia non tenetur ex vi præcepti Superioris mutare ſtatum, quem ſibi elegit, & ſub cuius conditione obedientiam ſuperiori vouit.

85 Vnde multò minùs poteſt ſuperior compellere ſubditum ad acceptandum Epiſcopatum, cum aliàs ex genere potiùs meliùs ſit illum recuſare, & propter maximum periculum ſalutis quod habet coniunctum, ſit onus etiam Angelicis humeris formidandum. *Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 1. de reform.* Poterit igitur Prælatus denunciare ſubdito obligationem, quæ ex lege diuina conſurgat, & illi ſuadere, & illum exhortari, ſeu illi pœnam non obedientibus diuinæ legi impoſitam comminari. Poterit quoque in dubio decernere & iudicare, an ſit melius, quod ſubditus acceptet Epiſcopatum. Sed tamen non poteſt illum præceptis, & pœnis compellere, vt ſtatũ mutet, & ex Religione exeat, quia in hoc non eſt ſuperiori ſubiectus. Prælati verò adducti, vel tunc fuerunt in ea ſententia, quòd poſſent præcipere ſuis ſubditis conſenſum ad Epiſcopatum, vel (quod probabilius dicitur) nõ propriè præceperunt, ſed denunciarunt diuinum præceptum, quod illos electos vrgebat ad conſentiendum Epiſcopatui. Sanctus enim Thomas de Villa noua factis oſtendit, quanta fuerit neceſſitas eius in Eccleſia Valentina, & Fr. Bartholomæus vir fuit inſignis, & doctus.

86 Cæterùm quòd non ſit in poteſtate Prælatorum compellere ſubditos ad acceptandum Epiſcopatum colligitur ex Conſtit. Vrbani VIII. *Honorum*, quæ eſt 165. in Bullario Cherubini, quæ hoc ſupponit. Cum enim votum de non acceptando Epiſcopatum, quod emittitur in Religionibus non explicet & reſtringat exceptionem ſuam ad præceptum acceptandi Epiſcopatum datum à Pontifice, ſed abſolutè contineat promiſſionem non acceptandi Epiſcopatum, niſi iniungatur ex præcepto eius, qui poſſit hoc iubere, ſi Prælati Regulares ſaltem Generales authoritate ordinaria poſſent præcipere ſubditis, vt Epiſcopatum acciperent, diſpoſitio Pontificis in ea Conſtit. rueret, & eſſet inanis; quia nec præceptum talium ſuperiorum eſſet contra votum, & exiſtente voto, adhuc poſſent ſuperiores eo voto non obſtante obligare ſubditos ad hoc vt Epiſcopatus reciperent, nec eſſet differentia inter Superiores Religionũ in quibus emittitur, vel non emittitur tale votum, ſed omnes Superiores poſſent non obſtante voto obligare ſubditos ſuos ad recipiẽdum Epiſcopatum, quòd certè non eſt conforme d. Conſtit.

87 Nec obſtat, quod *D. Thom. ſupra art. 2. ad tertium*, quem ſequuti ſunt *Turrecrem. cap. olim 8. q. 1. ad tertium D. Anton. p. 3. tit. 20. cap. 2. §. 6. Syluest. v. electio q. 19.* dixerit electum poſſe compelli à Superiore ad acceptandum Epiſcopatum. Quia vt aduertit, *Sotus de iuſt. lib. 10. q. 2. art. 5. D. Thom.* non expreſſit Superiorem Regularem, ſed abſolutè de Superiore loquutus fuit, hic verò Superior non eſt niſi ſolus Pontifex. Qui quidem nec ex vi voti obedientiæ, ſed ex Pontificia iuriſdictione poteſt ad hoc compellere, & habetur ex *Concil. Carthag. relato cap. 3. & 4. diſtinct. 74. & ex S. Gregor. in Paſtor. par. 1. cap. 6. & ex S. Auguſt. relato cap. vos autem 16. qu. 1. & cap. diſplicet 23. quæſt.* Et praxis ipſa confirmat. Nam B. Laurentius Iuſtinianus ex præcepto Eugenij IV. S. Antoninus Ord. Prædicat. ex iuſſu eiuſdem Eugenij Archiepiſcopatum Florẽtinum, B. Albertus Magnus Epiſcopatum Ratisbonenſem ex ſtatuto Vrbani IV. Nicolaus Albergatus Carthuſianus ex mandato Martini V. Archiepiſcopatum Bononienſem, & Bellarminus ex præcepto Clementis VIII. & idem Lugo ex præcepto Vrbani VIII. Cardinalatum ſuſceperunt, vt teſtantur. *Platus de bono ſtatus Religioſi lib. 2. cap. 38. Suarez tom 4. de Relig. tract. 10. l. 6. cap. 8. num. 12. Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 18. num. 35. Lucarinus de Epiſc. Regul cap. 5. num. 19. Card. de Lugo Reſponſ. moral. lib. 3. dub. 5. n. 7.*

88 Ex his colligitur primò, quòd Superior non poteſt huiuſmodi electioni nomine ſui ſubditi conſentire, inuito eo, quia in hoc cum ſubditus ſit liber, non eſt vnde Superior velit ſe immiſcere. *Sanchez dicto cap. 19. num. 70. ex Imola, Socin. & Aret. Lucar. d. cap. 1. n. 81.*

89 Colligitur ſecundò, quòd non poſſunt Superiores compellere ſubditum ad conſentiendum electioni de ſe factæ, in Summum Pontificem. *Suarez tom. 4. de Relig. lib. 6. cap. 9. à num. 11.* arbitratur & bene, quod votum quod emittunt Religioſi Societatis non admittendi Prælaturas & dignitates extra Ordinem non comprehendat aſſumptionem ad Pontificatum, cum Pontificatus nec ſit dignitas omnino extra Ordinem, cum Pontifex ſit Religionum Prælatus. Et quia Pontificia dignitas ob ſui eminentiam non venit ſub nomine Prælaturæ, aut dignitatis ſimpliciter prolatæ. Sed nihilominùs non per hoc ſequitur, quod poſſit Religioſus compelli ad Pontificatum admittendũ. *Cardin. autem de Lugo in Reſponſ. mor. dub. 5.* valde inclinat in hoc, quòd nec poſſit habere locum hoc præce-

ptum, quia nō potest executioni mandari per subditum, cum in eo instanti in quo electus consentit sit iam Superior omni alio Prælato, & nulli subditus. Sed & ipse Card. in fine illius dubij cognouit infirmitatem huius rationis. Nam Religiosus etsi electus ad Pontificatum est subditus suis Prælatis antequam consentiat, & per prius natura est, quòd consentiat, quam quòd sit Papa; immò & per priùs est quòd non dissentiat, quo posito ex lege diuina tenetur consentire, ne Ecclesia suspensa maneat. Electum igitur, admittere Pontificatum de se non repugnat esse materiam præcepti. Sed tamen hoc non potest præcipi à Superiore Regulari, quia transitus extra statum simplicis Religiosi non est materia voti obedientiæ, vt probatum est,

90 Sed forsan quis dicet, quòd hoc poterit præcipi à Collegio Cardinalium, quòd vacante Sede Ecclesiæ vniuersalis prouidentiam habet. *Donatus tom. 3. tract. 17. q. 29* arbitratur quòd Regulares teneantur ex voto obedientiæ obedire Collegio Cardinalium Sede vacante ex *Peyr. tom. 1. Priuil. 3. Sixti 4. num. 11*, quia Collegium vices gerit Papæ Sede vacante; Sed hæc assertio ex directo est contraria *Conc. Lugdun. in cap. vbi periculum de elect. in 6. & Clem. Ne Romani, de elect. & Const. Pij IV. In eligendis*, in quibus decernitur, quòd Sede vacante Collegium Cardinaliū non potest exercere iurisdictionē Papæ, nec in ijs, quæ ad illā pertinent immiscere, nisi in casibus ibidem expressis. Ideò dicendum est, quòd nec Collegium Cardinalium potest compellere electum ad Papatum siue secularem, siue Regularem vt cōsentiat electioni, *Card. de Lugo vbi supra*. Et hoc ex defectu iurisdictionis, quia Collegium Cardinaliū non est sicut Capitulum Canonicorum in quo residet Episcopi iurisdictio vacante Episcopatu, sed immò Collegio Cardinalium vsus iurisdictionis Papalis interdicitur. Et cum nec Pontifex ex vi voti obedientiæ possit compellere Religiosum ad accipiendū Episcopatum, multò minùs ex hoc capite possunt id facere Cardinales, qui non succedunt Papæ in ratione Capitis Ecclesiæ, vel Pastoris, vel Prælati Religionum, Vnus est enim Christi Vicarius Pontifex Romanus,

91 Verum quidem est, quòd cum S. Collegiū Cardinalium habeat iurisdictionem circa ea, quæ necessaria sunt ad celerem Papæ electionem, *d. cap. vbi periculum*. Ideò si electus dissentiat potest Sac. Collegium præfinire illi tempus rationabile, & præcipere, vt infra illud tempus aut consentiat, aut dissentiat, *Bonac. de elect. Pont. q. 2. num. 13*. Et quia idem Sac. Collegium habet iurisdictionem tantam quanta est necessaria, vt periculo graui imminenti Ecclesiæ, & non patienti moram occurrat; si vnquam contingeret casus, quòd ex dissensu electi, immineret statim graue damnum Ecclesiæ cui nō posset aliter prouideri posset idem Sac. Collegium præcipere, vt consentiret. Sed similis casus vix est imaginabilis, eo magis quod Cardinales possunt de facili occurrere periculo eligendo alium, absq; eo quòd compellant electum ad consensum. Vnde *Suarez d. tom. 4. de Relig. lib. 6. cap. 9. num. 15.* bene dixit, quòd vix potest moraliter fieri, vt præceptū de illa electione acceptanda imponatur, etiam si maxima instet necessitas. Nam neque dici potest, quòd Cardinales non velint consentire in alio: nō enim adipiscuntur illi iurisdictionem ex eo quòd nolint ex proprio arbitrio vti medijs facillimis ad prouidendum Ecclesiæ, & ideo vix est possibilis dari casus tantæ necessitatis, vt Collegium Cardinalium possit compellere electum in Pontificem ad consentiendum electioni.

92 De dissensu autem dando electioni de se factæ ad Prælaturam extra Ordinem longè diuersa est ratio; quia electus non consentiendo non mutat statum, sed in statu quem elegit & professus est, & vouit perseuerat. Et aliàs dissentire simili electioni est ex genere suo melius, vnde est materia voti non consentire nisi compellat præceptum Superioris. Ideò nedum si electus sit indignus, vel ineptus, vel de sui ineptitudine rationabiliter dubitetur, sed & ex necessitate eius intra Religionem, vel ex quacumque alia causa iusta Superior potest suo subdito præcipere vt electioni ad Episcopatū nō cōsentiat, sed in statu, quē elegit perseueret. Hinc est, quòd non debet absolutè admitti, quod ex *Imola, Socin. & Aret.* tradit *Sanchez d. cap. 29. numer. 70.* cui consentit *Lucar. d. cap. 1. num. 83.* scilicet, quod non potest Superior renunciare electioni factæ de suo subdito eo inuito. Nam cum ex iusta causa possit cogere subditum suum ad non consentiendum dictæ electioni, potest etiam illi renunciare, Quia in hoc subditus non habet velle.

93 Quàmuis si loquamur de electo in Pontificem Romanum, hoc habere posset difficultatem, nedum si diceretur, quòd professio sit conditionata conditione huius transitus, quia nimirum Religiosus tradens se Religioni, & vouens in ea obedientiam non intenderit priuare se libertate transeundi ad statum Pontificatus. Vnde est quod idem Suarez *tom. 4. tract. 10. lib. 6. cap. 9. num. 15.* censet, quòd votum Societatis de non acceptando Episcopatu non comprehendat Pontificatum, qui ad totius Ecclesiæ vtilitatem spectat, & cuius electio fit quando Ecclesia est sine Pastore, qui prospiciat cōmuni bono, & possit, si opus fuerit præcipere vt Pontificatus recipiatur. Sed quia minimè expediret talem dissensum præcipere. Nam si electus esset dignus tanto munere, non posset Superior præcipere illi vt non consentiret electioni, quia id faciendi iustam causam non haberet. Et aliàs quam spem posset Superior habere vt obediretur ejus præcepto, quod electus si vellet contemneret, & factus Pontifex in præcipientem etiam sæuire posset.

94 Colligitur tertiò, quòd multò minùs Prælati Regulares possunt compellere subditum ad acceptandam Prælaturam inferiorem Episcopatu, aut beneficium aliquod seculare etiam Curatum: quàmuis possint eum cogere ad accipiendum beneficium curatum Regulare, quod per Regulares viuentes sub obedientia Prælatorum administratur. Primum horum habetur ex *cap. Monachi, de statu Monach.* & ex *cap. Cum de beneficijs, de preben. in 6.* & tradiderunt *Nauar. tom. 4. num 13. de Regul. Suarez tom. 3. de Relig. tract. 2. lib. 10. cap. 10. num. 24. Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 2. num. 51. Palaus tom. 3. disp. 4. par. 5. num. 3.* Et ratio est, quia cum talia beneficia non pertineant directè, vel indirectè ad vitam Regularem, non cadunt sub voto obedientiæ.

Et

Et ex opposito quia beneficia Regularia ad vitam regularem spectant & sunt sub administratione Prælatorum, ideo possunt Prælati compellere subditos ad talia beneficia administranda. Vt habetur *arg. ex cap. quarundam de electi in 6.* ibi *Extra administrationes proprij Ordinis, & cap. cum singula, §. Prohibemus de præbend. in 6.* Ex quo fundamento Prælatos posse compellere aliquando suos ad officium Parochi Indorũ, quia tale officium ex Apostolicæ dispositione Religionibus est appropriatum, colligit *Suarez d num. 24.* & tenuerunt *Lopez p. 1. instruct. cap. 56. col. 3. Rodriq. tom. 2. sum. cap. 9. n. 6.* Sed oppositum dixerunt *Sanch. lib. 6. cap. 3. nu. 50.* Quia Pius V. ex eo, quod concesserit quod Parochiæ dari possint Regularibus non mutauit naturam beneficij secularis, vnde non præstitit, vt Regulares possint ad Parochias compelli. Sed cum ex eo beneficium dicatur seculare, vel Regulare, quòd consueuit administrari per seculares, vel Regulares, & quàmplures sint Regulares Parochiæ etiam in Italia; si aliàs apud Indos Parochi missi à Regularibus subsunt obedientiæ Prælatorum, nec extrahuntur extra Ordinem, ex eo quod illis committuntur Parochiæ, illæ non sunt censendæ beneficia secularia, sed Regularia eiusdem Ordinis ad quæ Regulares à suis Prælatis compelli possunt. Secus vbi ex vi assumptionis ad Parochiam Religiosi extrahantur à cura, & obedientia Prælatorum. In tantum verò Prælati ad Parochias sui Ordinis possunt compellere suos subditos, vt hoc verum sit etiam si Parochia tenues redditus habeat, quia non commodum Religiosi, sed animarum & Religionis in hac administratione spectatur. *Nauar. Suarez, Sanchez, Rodriq. Palaus supra allegati.* Quàmuis si redditus beneficij non sint sufficientes, non possit Superior obligare subditum vt relinquat monasterium & in Parochia resideat, nisi ex bonis monasterij insufficientiam alimentorum suppleat, *Suarez, & Palaus citati.*

SVMMARIVM.

1 *Resolutio articuli. num. 95.*
2 *Differentia status Episcopalis, & Religiosi. n. 96.*
3 *Episcopus Religiosus non desinit esse substantialiter Religiosus. n. 97. 99.*
4 *Aliqui hoc negant. nu. 98.*
5 *Religiosus ex eo quod sit Episcopus non debet à priori proposito deuiare. n. 100.*
6 *Religiosus status ex sui natura non est incompossibilis cum Episcopatu. n. 101.*
7 *Religiosus Episcopus ex dispensatione non est absolutus a Religioso statu. n. 101.*
8 *Id professi sunt sancti Episcopi. n. 102.*
9 *Cap. statutum 18. q. 1. n. 103. & seqq.*
10 *Religiosus Episcopus est liber a iugo regulæ inquantũ regula est incompossibilis cum statu Episcopalis. n. 103.*
11 *Decretum Gratiani quantum ad omnia ea, quæ continet, non habet vim legis. n. 104.*
12 *Leges ciuiles non ex ea sunt Ecclesiasticæ, quod sunt in decreta Gratiani. n. 105.*
13 *Textus collecti à Gratiano non maiorem habent authoritatem, quam sit illa, quam habent ex suis authoribus. n. 106.*
14 *Concilia Prouincialia, & Patrum dicta magnanimiter sunt accipienda, sed non habent vim legis vniuersalis. n. 107.*
15 *Gratian. in decreto multa cõgessit apocryphas falsa, & ex hæreticis, aut schismaticis inuenta, vnde nec est ei credendum quod textus allati sint eorum quibus illas tribuit. n. 108.*
16 *Gratiano multum debemus, sed penuria librorum nec quæ retulit in Originalibus vidit nec Patrũ verba sed sensum à se acceptum sæpe retulit. num. 108.*
17 *Concilium Altanense Prouinciale nec extat, nec constat illud fuisse celebratum. n. 109.*
18 *Concilium Altiban. Prouinciale non potuit simpliciter absoluere Episcopos Regulares à vinculo Religiosi status. n. 110.*
19 *Episcopus Regularis quomodo vendicet sibi hæreditatem. nu. 111.*
20 *Sicut in motu augmenti remanet substantialiter terminus a quo sic in transitu de statu Religioso ad statum Episcoporum. n. 112.*

Vtrum Religiosi, qui promouentur in Episcopos, teneantur ad obseruantias Regulares.

95 His ergo sic præmissis circa ea, quæ supponit titulus articuli, scilicet, quod Religiosi assumuntur validè, & licitè ad Episcoparũ, in corpore iuxta triplicis membri distinctionem quæstio resoluitur dicendo, Episcopos non teneri ad eas obseruantias, quæ impediunt Pontificale officium, teneri verò ad eas, quæ illud non impediũt, in reliquis quæ aliquando impediunt, vel non impediunt posse vti dispensatione, eo modo, quo prælati religionũ secũ dispensant. Hanc verò distinctionẽ reprehendit, *Suarez to. 4. de Relig. tr. 8. lib. 6. c. 17. n. 16.* & putat nõ esse in hac parte distinguendũ inter opera cõsona, vel dissona statui Episcopali, sed in omnibus prudenti arbitrio Episcopi totum esse committendum. Sed distinctionem esse admittendam, infra dicenda probabunt.

96 Statim verò pro fundamento dicendorum pulchra datur descriptio differentiæ inter statum perfectionis Religiosorum, & Episcoporum, quia scilicet ille sit via, hic veluti forma; ille vt schola, iste vt magisterium, vnde Religiosi in via perfectionis sunt sicuti discipuli, & Episcopi sicut Magistri, vnde sicut dispositio stat simul cum forma, & Magistrum decent ea, quæ sunt perfectionis in discipulo, non verò quæ sunt propria discipuli, & distincti à Magistro ita Episcopum decent, quæ sunt perfectionis status Religiosi nec repugnant, seu non sunt impedimento illis, quæ sunt Episcopi.

97 Ex hoc deducitur prima & fundamentalis conclusio: quia nimirum per transitum ad Episcoparum Religiosus nõ desinit esse substantialiter Religiosus; sed sic mutat statum, quod ascendendo ad statum perfectiorem retinet omnia quæ perfectionis sunt status Religiosi sine imperfectionibus Religiosi status, sicut magister nõ derelinquit quæ sunt perfectionis in discipulo, sed ita deserit discipulatum, & assequitur magisterium, vt quæ

condecorant discipulum retineat ad maiorem magisterij decorem.

98 Hanc conclusionem aliqui pauci negant, quos refert, eorum sententiam probabilem iudicans, *Diana par.3. resol.61. & par. 12. de consecrat. Episc. resol.104.* Sunt autem *Villalobos tom.1. tract. 35. diff.40. num.6.* & apud eum *Bobadilla*, *de sac. hom. contin. lib.5. cap.26. & 27. Angles in 4. q. de voto dub.6. concl.1. & Pasqualig. de votis Episc. Regular. decis.266. & sequent.* Quibus additur *Petrus Hurtado de Mendoza tract. de char. disp.160. sect.1. sub sect.3.* contra quem disertissimè disputat *Card. de Lugo respons. moral. lib.5. dub.12.* Fundamentum verò huius opinionis est *primum huius artic. argum.* sumptum ex *cap. vnico 18. qu.1.* cuius textus vim exagerat, *Diana d. resol. 104.* Tum quia debet intelligi textus ille de iugo principali, seu nexu Religionis, qui consistit in votis. Tum quia textus vult, vt Religiosus Episcopus ea quo est liber à iugo regulæ Monachalis, possit sibi vindicare hæreditatem paternam; quòd certè fieri non posset, si ipse maneret Religiosus sub iugo voti obedientiæ, & paupertatis, & ea consequenti incapax dominij, sine quo vindicatio non procedit, *l. in rem, ff. de rei vendicat.* Tum quia illa verba, *& sacra ordinatio de Monacho Episcopum facit*, designantia terminos à quo, & ad quem, quorum vnus alterum excludit, clarè denotant Religiosum non manere illum, qui est creatus Episcopus, cum de statu Religioso ad Episcopatum ascenderit. Addit præterea multa, quæ spectant ad votum paupertatis, & infra examinabuntur. Sed neque illa neque ista talia sunt, quæ vel in minimo minuere possint certitudinē conclusionis positæ. Quam reliqui Theologi omnes tanquam indubitatum principium supponunt, & quo non supposito superfluè & vanè & *D. Thom. & alij dubitarent*, an similes Episcopi maneant obligati ad votorum, & regulæ obseruantiam, an debeant deferre habitum, an subdantur præceptis, & censuris, an si renuncient, teneantur redire ad claustra, & alia plurima, quæ ideò difficultatem habent, quia tales Episcopi manent substantialiter Religiosi.

99 Dicitur igitur, quod Religiosus factus Episcopus manet substantialiter Religiosus. Hanc conclusionem simpliciter & absolutè cum *D. Tho. in hoc artic.* docuerant *S. Bonauent. in 4. dist.38.* & ibi. *Palud. q.4. art 4. concl.12. num.49. Richard. art.3. quæst.1. Turrecrem. ad cap. de Monachis 16. q.1. & ad cap. statutum 18. q.1. Gloss. in d. cap. de Monachis v. discedere. Caiet. ad hunc artic. & tom.1. opus. tract.25. q.2. D. Anton. 3. par. tit.20. cap.2. §.2. Armill. verb. Episc. num.8. Ledesm. de stat. Episc. conclus.25. Viguer. lib.1. instit. cap.17. §.1. vers.21. Reuerendiss. Lucarin. de Episc. Regul. cap. n.179. Sotus lib.10. de iust. q.5. ar.7. Syluv. v. Religio 7. num.11. Rodriq. tom.2. q.30. Siluius ad hunc artic. concl.1. Toletus lib.5. cap.4. numer.24. Abulen. cap.30. Num. q.109. Rosel v. Religio 1. nu.7. Angel. v. Monachus num. Nauar. lib.3. cons.6. num.11. de donat. & tom.3. de Regular. num.46. & lib. de reddit. q.1. mon. 9. num.1. Couar. cap. 1. num.10. de testam. Cord. in Reg. S. Franc. cap.2. q.20. p.3. Arragon. 22. q. 88. art.11. Azor. par.1. lib.12. cap.7. q.1. Henriq. l.10. de Sacram. Ord. cap.32. num.3. & cap.33. fin. Valent. hic disp.10. q.3. par.8. Less. lib.2. cap.40. dub.14. n.123. Sà v. Episcopus num.11.* Vasquez *par.2. q.66. art.4. disp.165. cap.8. num.93. Rodriq. tom.2. sum. tract. 10. dub.2. ad 4. Fuluius Pacian. cons.182. num.56. Palaus tom.3. tract.16. disp.4. par.24. num.1. Peyr. tom.1. q.4. cap.2. & tom.2. q.3. cap.1. num.211. Tambur. tom.3. disp.3. q.9. num.3. Barbosa ad cap. statutum 18. qu.1.* Et tanquam sententiam certam & indubitatam expressè sequuti sunt, *Suarez tom.4. de Relig. trac.8. lib.3. cap.16. num.4. Sanch. lib.6. in Decal. cap.2. nu.2. Lezana tom.1. cap.17. num.1. Card. de* Lugo *Respons. moral. lib.5. dub.12. num.3.*

100 Probatur autem primò ex *author. Innoc. I. epist.1. ad Victricium Episc. Rothomagensem cap.10* cuius verba non ex integro retulit, *Grat. cap. De Monachis 16. q.1.* Sic enim habetur ibi. *De Monachis, qui diu morantes in monasterijs, si postea ad Clericatus Ordinem peruenerint, non debere eos a priore proposito deuiare. Aut enim sicut in Monasterio fuit, & quòd diu seruauit, id in meliori gradu positus, amittere non debet.* Consideratis enim vltimis verbis, quæ apud *Gratianum*, non habentur, colligitur primò, non bene dictum à *Suarez d. cap.17. nu.18.* non esse necesse, intelligere textum illum de Monachis translatis ad Ecclesiam secularem, sed posse intelligi de ordinatis ad Presbyteratum, & manentibus in monasterio. Dicit enim S. Innocent. quod monachus sicut fuit in monasterio, & quod ibi seruauit, id in meliori gradu translatus, nimirum extra monasterium amittere non debet. Adde quòd, vt aduertit idem *Suarez tom.4. de Relig. tract.9. lib.2. cap.8. num.19.* antiquitus nec Monachi nec Abbates erant Presbyteri, sed laici manebant, vt habetur ex *Concil. Rom. S. Sylu. cap.7.* & refertur *cap. A Subdiacono dist.93. & ex Conc. Nicen.* prout refertur *cap.1. 16. q.1. & ex S. Hieron. epist. ad Nepot.* Vnde tempore S. Innocent. qui teste Baronio creatus fuit Pontifex anno 402. & obijt anno 417. Sed S Hieron. eodem Baronio referente obijt anno 420. Monachi intra monasterium regulariter non ordinabantur, licet ex eis assumerentur plures in Episcopos ad curam fidelium habendam.

101 Sed à priori probatur & demonstratur assertio. Nam assumptio ad Episcopatum nec ex natura rei, nec ex dispensatione Apostolica dissoluit iugum, & vinculum religiosæ professionis & status; igitur in Religioso Episcopo manet substantialiter status Religiosus. Consequentia euidens est, quia ea nulla alia causa tale vinculum potest dissolui, nisi quia vel ea natura rei status Episcopalis repugnet statui Religioso, vel ex dispensatione Pontificis à vinculo religionis Episcopus absoluatur. Primum verò probatur, & explicatur primò à simili. Quia vinculum matrimonij consummati, si coniuges fiant Religiosi, non tollitur, nec dissoluitur, licet per accidens inter eos nō possit dari copula carnalis. Vnde alter eorum si fornicaretur esset sacrilegè adulter; igitur nec dissoluitur vinculum Religionis ex eo, quòd Religiosus factus Episcopus non habet Prælatum regularem, cui obediat. Sic enim Generales Ord. Prædicat. & Societatis non desinunt esse Religiosi ex hoc, quod non habent, & eorum vita durante nō habebunt Prælatum regularem cui obediant. Sed à priori hæc pars probatur ex ratione S. Thomæ, quia dispositioni non repugnat forma. Et si calor disponit ad ignem ex forma ignis non dissoluitur calor, sed retinetur. Religiosus verò status

est

est via & dispositio ad statum Episcopalem, non ergo duo isti status repugnant, sed immò quo Religiosus perfectior erit ex vi proprij status, eò erit aptior vt fit Episcopus. Quod infra magis explicatur, ostendendo quomodo nec votum obedientiæ, nec votum paupertatis statui Episcopali repugnent, & de voto castitatis id sit plusquàm manifestum. Sed quòd neque hoc vinculum dissoluatur ex dispensatione, inde colligitur euidenter, quòd etiam si Pontifex vellet, non posset licitè, super votis solemnibus Religiosi dispensare nisi ex grauissima causa, & magna necessitate, quæ rarissimè potest contingere, & certum est non adesse, saltem tam regulariter, & frequenter, quàm Religiosi ad Episcopatus assumuntur. Nec obstat si ex *Pasqual. decis.* 270. dicatur, quòd status Religiosus commutatur in statum Episcopalem, quia hoc non probatur, & hoc non est ex natura status, sed immò ex natura rei status prior remanet in transitu ad posteriorem quantum ad compossibilia, vt certum est manere statum matrimonij in coniugibus profitentibus Religionem. Et in quocumque statu conditiones personales nõ repugnantes statui manent. Sic nobilis ad quemcumque statum transeat, siue sit militiæ, siue Doctoratus, siue Religionis fert secum iura nobilitatis. Et personales obligationes ex natura rei sequuntur personam in quocumque statu. Et minùs vrgent, quæ *num.* 6. addit, negando statum Religiosum non subordinari statui Episcopali, quia passiuum non subordinatur actiuo: status verò Religiosus se habet, vt passiuum respectu status Epis. Tum primò quia hic attendi debet si adsit, vel non adsit repugnantia, quia tam in naturalibus quàm in moralibus ex transitu de vno ad aliud prius nõ cessat, nisi pro quanto repugnat posteriori. Et certum quòd personales obligationes ex transitu ad nouum statum ex natura rei non cessant, si sint compossibiles cum nouo statu. Tum quia immò passiuum subordinatur actiuo, cum actiuum sit perfectiuum passiui. Et in proposito cum in Episcopo desideretur summa personalis perfectio, improbabile omnino est, & nulla fultum ratione, quod ex natura rei cesset in transitu ad Episcopatū id, quod maximè cõducit ad hoc vt Episcopus habeat perfectionem vitæ, & ad quod intuitu perfectionis habendæ persona se obligauit. Minùs quoque valet, quod subdit *num.* 7. *& seqq.* de commutatione votorum, quæ locum habere non potest in præsenti. Tum quia qui habet votum Religionis non potest acceptare Episcopatum, & priùs debet Religionẽ profiteri, vt habetur ex *cap. per tres*, De voto, & voti redemptione, quod verum non esset, si quia propria authoritate posset votum Religionis commutare in obligationem Episcopatus. Tum quia licet status Episcopi sit perfectior, est tamen alterius generis, & talis, qui non est ordinatus per se primò ad perfectionem vouentis, sed aliorum, & qui est talis, qui non est assumendus ex proprio iudicio, sed ex iudicio superioris, iuxta dictum Apost. ad Hebr. *cap.* 5. & probatum est supra *quæst.* 185. *art.* 2. Et esto sit status melior secundùm se, rarius est, quòd sit melior assumenti, & ita quod valet votū oppositū, scilicet nõ acceptandi Episcopatum nisi cogente Superioris præcepto, ideo irrationabiliter prorsus dicitur, quod Religiosus propria authoritate sine dispensatione possit vota Religionis & Religiosum statum commutare in obligationem Episcopalem. Tum quia hoc est manifestissimè contra iura, quæ prohibent Religiosum sine licentia suorum superiorum cõsentire electioni sui ad Episcopatum, *cap. quam sit* 18. *quæst.* 2. *cap. Quarundam, & cap. si Religiosus de elect. in* 6. Et hoc quia Religiosus non habet proprium velle vt sine iudicio superioris possit tantum onus suscipere, ergo ex propria voluntate non potest obligationem votorum, in obligationem Episcopi cõmutare. Et quantumque habeat licentiam Episcopatus, non per hoc habet licentiam huius commutationis, nec dici potest, quòd eam faciat virtualiter Religiosus, cum eam nec possit facere.

102 Confirmatur autem assertio. Tum quia huiusmodi Episcopi vocantur Religiosi, vt in Cæremoniali Episc. *lib.* 1. *& cap.* 3. & Sancti Episcopi ex Religionibus assumpti se esse Religiosos professi. S. Antoninus Archiepisc. Florent. vni ex Magistratu sibi minanti respondit, se paratum esse abdicato Episcopatu ad religiosam cellam redire, cuius clauem ostendit. Quòd certè sine fructu & imprudenter dixisset, si non iudicasset se esse Religiosum, quia si fuisset secularis non poterat redire ad claustra, nisi reciperetur iterum ad habitum, & professionem. Sic & S. Thomas de Villa noua, vt habetur ex eius vita *lib.* 2. *cap.* 2. sæpius se fratrẽ vocauit, *& cap.* 14. *refertur.* quòd cum quidam illi dixisset, *Già V.S. non è più frate, mà Arciuescouo*, respondit, *mi piace, che voi diciate ch'io sono Arciuescouo; mà non piace, che diciate ch'io non sono frate.* Sic enim & de *S. Aug. narrat S. Anton. Hist. par.* 3 *cap.* 14. §. 2. *quòd Episcopus factus Monachum se profiteri non erubuit.* Et de S. *Fulgentio refert Baronius ad annum* 504. *Nec ita factus est Episcopus, vt esse desineret Monachus.* Et talis quoque est Religiosorum Episcoporum communis sensus.

103 Ad primum in oppositum respondet *Diu. Thomas hic ad primum*, quòd Religiosus factus Episcopus liberatur à iugo regulæ monasticæ quàtum ad ea, quæ sunt incompossibilia cum officio Episcopi; & sic etiam quantum ad vnra, liberatur in multis, à quibus salua votorum substantia liberari potest; sic enim liberi sunt ab obediẽtia Prælatorum regularium, & bona temporalia administrant, vt magis explicatur infra.

104 Sed quoniam DD. maximè se fundant in *cap. illo vnico* 18. *quæst.* 1. paulò diligentiùs primo expendi debet, quod illud non habet vim legis vniuersalis, cum sit sumptum ex Concilio particulari. Quærunt DD. an decretum quantum ad omnia in eo contenta habeat vim canonis. Multi verò sentiunt, quod nedum Pontificum & Generalium Conciliorum decreta, sed & Prouincialium, & Sanctorum Patrum dicta vim legis habeant. Ratio illorum vnica est, quia Decretum Gratiani, iam à multis annis communiter legitur in scholis, & ideò censetur tacitè approbatū. Ita tenent *Panorm. cap.* 1. *de rescript. num.* 9. Vbi *Felin. numer.* 48. *Turrecrem. in proœmio decretalium art.* 8. *num.* 25. *fin. Archid. in cap. quis nesciat dist.* 9. vbi *Domin. Maranta de ord. iudic. par.* 3. *qu.* 36. *Rodriquez tom.* 1. *qu.* 6. *art.* 1. & alij plures quos recenset & sequitur *Barbosa in proœm. Decreti num.* 7. Sed ista sententia nulli innititur fundamento, & sibi ipsi contradicit,

Nul-

insignes, & Cardinales intellexerunt, vt de S. Antonino, Alberto, Card. Turrecr. & Caiet. & alijs narrant histor. Ord. Præd.

114 Cum verò huiusmodi obseruantiæ distinguantur in obseruantiam votorum & alias obseruantias religionis, quæ sunt ex regula vel constitutionibus, quoniam de prima distinctiùs loquitur *D. Thom. in respons. ad tertium*, ibi reseruatur explicandum qualiter Religiosus Episcopus teneatur ad votorum obseruantiam, & hic de alijs obseruantijs regulæ loquendo videndum restat, qualis sit in Episcopo earum obligatio.

S.V M M A R I V M.

1 *Religiosus Episcopus non subditur pœnis a regula statutis. num. 115.*

An Religiosus Episcopus, si nō obseruet ea, ad quæ tenetur ex regula, & non impediunt pontificale officium, sit subiectus pœnis in regula statutis.

115 TRactat hanc *quæst. Caiet. hic*, & negatiuè eam resoluit asserens Episcopum ex vi dignitatis Episcopalis absolutum esse à vi coactiua seu ab obligatione ad pœnas in regula & cōstitutionibus taxatas contra transgressores regularium obseruantiarum. Et hæc sententia communis est, quam tenent *Sato lib. vltim. de iust. q. vlt. art. vlt. Tabien. v. Episc. q. 6. nu. 7. Valent. 22. disp. 10. q. 3. punc. 8. col. 2. Couar. cap. 1. nu. 18. de testam. Sanchez in summa lib. 6. cap. 6. num 17.* Et apud ipsum *Manuel, y Angles*, & alij plures pro sequentis quæst. resolutione citandi. Ratio verò est, quia licet in ijs, quæ perfectionis sunt eadem deceant discipulum & magistrum, vterque enim, vt in textu dicitur, tenetur legere, & meditari, tamen magistrum non decet ferula, vel flagellum, quo compellatur ad studendum. Ita Episcopum Religiosum decet obseruantia Regularis, quem tamen non decet vis coactiua per pœnarum inflictionem, sed suæ dignitati conuenit, vt per modum dominij, & libertatis ex honestatis amore, nō ex timore pœnarum moueatur ad obseruandam regulam inquantum potest. Secundò hoc idem probatur a simili. Nam *cap. periculosum de sent. excom. in 6.* statuitur, quod vt Episcopus nulla suspensione, aut interdicto in transgressores legis indicto ligetur, nisi eius fiat expressa mentio; Et similitudine huius per naturalem rationem deducitur, sub legibus pœnalibus regulæ non comprehendi Religiosum Episcopum cum illius non fiat mentio, & hoc dignitas eius exigere videatur. Quamuis verò Episcopus à lege vt coactiua per pœnas solutus dicatur, & non teneatur subire pœnas legis, non est tamen solutus à debito morali satisfaciendi modo aliquo suæ dignitati conuenienti Deo & legislatoribus, quia non omnino impunè potest contemni lex, & ratio dictat, vt pro inobedientia legis satisfaciat, sed hoc sufficit in Episcopo, vt fiat per actus virtutum, & ex directione rationis ad sui beneplacitum.

S V M M A R I V M.

1 *Quæstio claram habet solutionem in Episcopo Dominicano. num. 116.*
2 *Ratio dubitandi. num. 116.*
3 *Variæ opiniones. num. 117.*
4 *Debitum non datur, vbi non est obligatio agendi sub culpa aut pœna. num. 118.*
5 *Debitum morale obligat sub culpa. nu. 118. 119.*
6 *Debitum morale multiplex secundum D. Thom. num. 119.*
7 *Episcopus religiosus de mente D. Thom. tenetur ad obseruantias regulæ compossibiles cum officio Episcopatus, etiam sub culpa, si id est in regula. num. 120.*
8 *Debitum morale abusiue dicitur, vbi non est obligatio agendi. n. 121.*
9 *Episcopus Religiosus, licet non ex debito legali teneatur ad obseruantias, tenetur tamen ex debito obligāte eum sub culpa iuxta suam regulam. num. 122.*
10 *Contra D. Thom. est quod obligatio sub pœna peccati mortalis spectet ad legem vt coactiuam per pœnas. num. 123.*
11 *Episcopus Regularis etiam sub mortali tenetur ad præfatas obseruantias, si ita est in regula. numer. 124.*
12 *Episcopus regularis nequit dici absolutus a regula, nisi vel quia sit incompossibilis Episcopatui, vel ab ea sit a Superiore absolutus. Et neutro modo id ei competit. n. 125.*
13 *Quanto Episcopus est in se ipso sanctior, est aptior ad officium, 125.*
14 *Obiecta soluitur. n. 126.*
15 *Obligatio ad agendum ex motiuo virtutis & præcepta decet Episcopum. n. 127. 128.*
16 *Episcopus regularis non subditur Prælatis, bene tamen subditur legibus sui ordinis, quæ Pontificiæ sunt, & secundum quas viuere promisit. num. 127.*
17 *Melior est actio, quæ fit ab obedientia. n. 128.*
18 *Ex vi cap. statutum Episc. non est absolutus simpliciter a iugo regulæ. n. 129.*
19 *Quæ non deceant Episcopum ex regularibus obseruantijs. n. 130.*
20 *Argum. soluuntur. n. 131. 132.*
21 *Argumentum a debito morali Regis ad obseruandas leges valet ad probandum, quod Episcopus teneatur legibus sui ordinis. n. 132.*
22 *Non omnes leges regulæ respiciunt regulares quatenus viuentes in consortio. n. 132.*
23 *Episcopi diuersorum Ordinum non sunt æquè absoluti a iugo regulæ. n. 133.*
24 *Regularis Episcopus tenetur deferre habitum sui Ordinis. n. 134.*
25 *An sit culpa mortalis in Episcopo non deferre habitum sui Ordinis. n. 135.*
26 *Nedum ex iure Canonico, sed ex vi regulæ tenentur Episcopi regulares deferre habitum sui Ordinis. n. 136.*
27 *Habitus substantialis delatio est quid substantiale specificans Religiones in ratione status visibilis. nu. 136. 137.*
28 *Sufficit nunc si Episcopi deferant colorem habitus Religiosi. n. 138.*

29 *Aliqui regulares Episcopi vtuntur hab.tu Cl.ricorum secularium. n.138.*
30 *Episcopus regularis debet vti habitu specifico sui Ordinis. n.139.*
31 *Non sufficit si illum occultè deferat. n.150.*
32 *Sufficit aliquando si partem habitus deferat n.141.*
33 *Episc. dimittens habitum non incidit in cens. cap. vt periculosa. n.142.*
34 *Episc. debet recitare horas iuxta ritum sua Ecclesia. n.143.*
35 *Non satisfacit, si cum socio recitet iuxta Breuiariam socij. nu.144.*
36 *Satisfacit socius recitando secundum Breuiariam Episc. 144.*
37 *Socius nō potest se in cibis conformare cum Epis. num.144.*
38 *Non teneiar Episcopus habere socium eiusdem Ordinis. n.145.*
39 *Si prohibetur ex regula vti carnibus, ita quod Religiosis sui Ordinis non liceat vti priuilegio cap. explicari, nec ipse potest eo vti. n.146.*
40 *Potest contrahere compaternitatem. n.147.*
41 *Pauca sunt obseruantia regulares, qua obligent Episcopum Religiosum. n.148.*

An Regulares obseruantias, quæ non impediunt pontificale officium, Episcopus teneatur seruare ex debito obligante ad culpam.

116 QVæstio hæc non restringitur ad Episcopos ex Ord. Prædicat. assumptos, de quibus loquendo claram haber solutionem, cum huiusmodi Ordinis constitutiones nō obligent ad culpam, sed vniuersaliter quæritur de omni religioso Episcopo. Ratio autem difficultatis est, quia ex vna parte nec *D. Thom. hic*, nec *D. Anton. 3. par. tit. 20. cap. 2. §. Siluest. v. Religio 7 qu. 10. Tabien. ver. Episcopus q. 6. num 7. Armilla ibid. num. 8. Turrecrem. cap de Monachis 16. q. 1. num. 3. Vigueria: instit. cap. 17. §. 1. num. 21. Angel. v. Monachus nu. 7. Manuel qq. reg. tom. 2. q. 58. art. 3.* Explicant an hæc obligatio liget sub culpa? Et cum absolutè doceant Episcopos ad huiusmodi obseruantias teneri, videtur de eorum mente dicendum, quod hæc obligatio sub culpa transgressores liget. Et certè *Caiet. in hoc art.* censet peccare mortaliter Religiosum Episcopum, qui ex regula prohibetur comedere carnes, si die veneris occurrente festo Natiuitatis Domini carnes comedat, quia *cap. Explicari de obseru. ieiuniorum*, non indulget eo die vsum carnium ijs, qui ex voto, vel ex regula non possunt carnes comedere. Et propterea Princeps licet ad suarum legum obseruantiam non teneatur ex vi coactiua, sed directiua, nihilominùs eas non transgreditur sine aliqua culpa; igitur multò magis culpæ adscribendum, si Episcopus propriam regulam transgrediatur in ijs, quæ decet pontificem religiosum seruare.

117 In hac parte prima sententia est illorum, qui tenent Regularem Episcopum esse omnino à regulæ obligatione absolutum ex *cap. vnico* 18. q. 1. Ex eo quia leges Regulares obligent solùm viuentes in communitate Regulari, pro cuius communitatis augmento, & conseruatione factæ sunt. Ideò Episcopus Religiosus nec debito legali nec debito morali ad eas leges tenetur. *Paluns d. tr. 16. disp. 4. par. 24. nu. 15. Suarez. tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 3. cap. 17. num. 6.* & in substantia idem tenent *Lucarin. de Ep. f. Reg. cap. 2. num. 348. Tambur. de iur. Abb. tom. 3. disp. 3. q. 9 nu. 7. Soto lib. vlt. de iust. q. vlt. art. vlt. Valent. 2. 2. disp. 10. q. 3. par. 8. Sanch. in summ. lib. 1. cap. 6. num. 19.* Et apud eum *Angles, Onand. Host. Sà, Nauar. &* Leonard. *Barbosa de off. Epis. p. 1, tit. 1. cap. 4 num. 14.* & apud eum *Emanuel, & Alphonsus Aluarez*. Isti enim putant Episcopum nec venialiter peccare transgrediēdo regulam. Et probatur primò hæc sententia, quia ex *cap. vnico 18. q. 1.* Episcopi Religiosi liberantur à iugo regulæ. Item quia hoc significat *Clem. 1. de Regular.* Tertiò quia non est eadem ratio de principe, qui vitam socialem habet cum subditis, & propterea tenetur viuere sicut illi, vnde saltem sub culpa veniali tenetur seruare suas leges. Sed Religiosus Episcopus est à cōsortio Religiosorum separatus, vnde nō est necesse, vt, qui illis non conuiuit, viuat sicut illi. Quartò, quia vt *Caiet. aduertit*, in vltimis verbis *comment. huius artic.* & postea certiùs docuit *to. 1. opus. tract. 25. q. 2.* rationabile est Regularia vincula interpretari, vt supponant commune consortium religiosorum, & sic vt obligent sub conditione cōuictus communis, & communis consortij, à quo Religiosi Episcopi sunt exempti. Secunda sententia est, quæ censet Episcopum Religiosum ad obseruantias Regulares obligari ex aliquo debito, cuius transgressio est aliqua culpa, non tamen obligari sub culpa mortali. seu non obligari ad præcepta, vt obligantia ad culpam mortalem. Et huius sententiæ sunt *Caiet. tom. 1. opus. tract. 25. q. 2. Ledesma de stat. Epis. concl. 25. §. A esta difficultad. pag. 44 Azor. p. 1. lib. 12. cap. 7. q. 4. vbi opinionem Caiet. amplectitur Couar. in cap. 1. num. 18. de testam.*.

118 Resp. difficilè intellectu esse, dari debitum morale ad aliquid agendum, quod non agere neque sit culpa, neque sit inobedientia aliqua pœna puniēda; quod multi ex DD. primæ sententiæ incōsequenter admittunt; actio enim quam quisq; pro sua libertate omnino impune potest relinquere liberrima actio est, non verò est debita. Etenim actio, quæ legi subest, sicut ex vi legis est debita, ita eius omissio ad minus obligat omittentem ad aliquam pœnam; quòd si omissio actionis omnino libera est à culpa, & à pœna, igitur actio sub nulla lege continetur, & falsum asseritur quòd sit debita, seu quod quis ad illam teneatur. Neque valet hic distinguere debitum legale, & debitum morale ex honestate. Nam quid est hoc debitum morale, quod salua honestate virtutis relinquit hominem omnino liberum ad agendum, & non agendum? Item vel hoc debitum respicit honestatem formaliter, vel honestatem talis actus, vt est talis honestas. In primo sensu debitum morale est debitum legale iuris naturæ, & diuini ex quo tenemur semper honestè agere in ordine ad Deum etiam vt finem supernaturalem. Ex hoc enim debito prohibemur agere, nisi honestè, & sine aliqua culpa non transgredimur hoc debitum, quia non honesta actio peccatum est. In secundo verò sensu

si ex nullius virtutis lege tenemur ad hanc actionem quatenus est hæc actio, sed dummodo honestè operemur aliquid, hanc actionem liberè omittère possumus, nullum est hic debitum honestatis, cum salua honestate virtutis hoc agere, vel non agere ex plena nostra libertate possimus.

119 D.Th. qui pluribus in locis admisit distinctionem debiti legalis, & moralis, vt patet *p.2.q.22.a.5.& sup.q.80 a.1.* non cognoscit debitum aliquod quòd non contineat exigentiam, & necessitatem aliquid agendi ad euitandam culpam, vel pœnam. Nam *quæst.illa* 80.*a.1.* sic diffinit morale debitum, *Debitum autem morale*, inquit, *est, quod aliquis debet ex honestate virtutis; Et quia debitum necessitatem importat, ideo tale debitum habet duplicem gradum. Quoddam enim est sic necessarium, vt sine eo honestas morum conseruari non possit; & hoc habet plus de ratione debiti &c. Aliud verò debitum est necessarium sicut conferens ad maiorem honestatem, sine quo tamen honestas conseruari potest, quod quidem debitum attendit liberalitas, affabilitas, siue amicitia, aut alia huiusmodi.* Posset verò quis ex his vltimis verbis intelligere, quòd debitum hoc honestati, quod importat necessitatem ad melius, seu ad maiorem honestatem, esset debitum, quod non obligaret ad culpam, cum non sit culpa non agere melius, dummodo quis honestè operetur. Sed hic sensus à mente D.Th. est alienus. Tum quia culpa est non agere id quod in indiuiduo hic & nūc iudicatur esse melius, vt supra *q.184.a.3.* probatum est. Tum quia culpa est aliqua, non se conformare rectæ rationi, quia inordinatè agit, qui non agit ex regula rectæ rationis; At verò ex *D.Th.loc.cit.p.2.q.99.a.5.* debitum morale est id, quod est debitum secundùm regulam rationis, quod scilicet ratio exigit. Tum tertiò quia secundùm D.Th. id est necessarium ad honestatem simpliciter, cuius defectus nō stat cum charitate, & virtute, & propterea est ex genere suo peccatum mortale. Sed illud dicitur necessarium vt conferens ad maiorem honestatem, cuius defectus non excludit virtutem, sed tamen impedit eius feruorem, & augmentum. Nam aliàs vbi contraria actio, nec tollit honestatem virtutis, nec eius augmentum impedit, nec est aliquale vitium, altera actio illi contraria, nec est de se actus virtutis alicuius, nec est debita ex virtute, & honestate, sed est actio indifferens, quia ex virtute, & honestate non debetur nisi actus virtutis cuius contraria actio sit vitium. Vnde *D.Th.p.2.q.99.a.5.cit.* distinguens hoc eodem modo debitum morale in id, quod est necessarium simpliciter, & quod est necessarium ad melius aduertit aliqua præcipi propter melius, & hæc dici posse mandata. Quamobrem si aliqua nullo modo sint præcepta; neque etiam sunt debita. Et supra *q.32.a.3* ad tertium debitum gratitudinis erga parentes vocat debitum morale, & ex quadam æquitate, cum tamen constet, quod gratitudo est ex lege naturali debita, & quod ingratitudo sit vitium. Et idem habet *q.78.a.2.ad 2. & q.106.a.1.ad 2. & q.102.a.2.ad 2.* morali debito, ait, homines ex quadam honestate debere cultum & honorem his, qui sunt indignitate constituti. Tum quartò. Quia D.Th. asserit, quòd affabilitas, & liberalitas continent hoc infimum morale debitum, quod importat necessitatem ad maiorem honestatem, & tamen vtraque virtus obligat suo loco, & tempore ad agendum, & defectus affabilitatis, & liberalitatis est peccatum. Nam liberalitati opponitur auaritia, vt docet *D.Th.sup.q.118.a.3.* quæ quidem auaritia, vt opponitur iustitiæ est ex genere peccatum mortale, vt verò opponitur liberalitati est ex genere peccatum veniale, & propterea liberalitas dicitur virtus continens infimum gradum debiti moralis, non quia non sit verè debita, & eius defectus non sit peccatum, sed quia illiberalitas ex genere non est peccatum mortale repugnans honestati virtutis, sed est peccatum veniale; quod stat simul cū virtute. Præterea nec actus oppositi virtutis affabilitatis sunt sine culpa, cum ei opponantur adulatio, & litigium, quæ sunt peccata, vt apparet supra *q.115.& 116.* sicut liberalitati opponuntur auaritia, & prodigalitas, quæ peccata sunt, licet prodigalitas sit minus peccatum auaritia, vt dicitur supra *q.119.a.3.* Nullum ergo D.Th. cognoscit debitum morale, cuius defectus sit sine culpa, vel sine obligatione ad pœnam.

120 Dicitur igitur primò de mente Sancti Thomæ hic esse; quòd religiosus Episcopus respectu eorum mandatorum regulæ; quorum obseruantia non impedit pontificale officium tenetur ex debito, quod si ex regula obligat religiosum ad culpam, eodem modo obligat religiosum Episcopum. Quod probatur primò, quia D Th. absolutè loquitur, & asserit religiosum Episcopum teneri ad huiusmodi obseruantias regulæ. Quod dictum absolutum esset valde improprium, & alienum à formalitate locutionis; si non importaret nisi debitum illud morale, quod solum est nominaliter tale, & improprijssimè dicitur debitum morale; vel ex virtute, & honestate, si se opponere tali debito nullum est peccatum, sed salua honestate virtutis est licitum. Secundò quia ratio D.Th. vel nihil concludit, & nec probat remanere in religioso Episcopo obligationem votorum, vel probat remanere obligationem ad omne id, quod non dedecet Episcopale officium. Nam ratio D.Th. est, quia dispositio bene stat cum forma, & quia id, quod est perfectionis, nec impedit Pontificale officium, ex natura sua remanet in Episcopo, quoniam non assumitur religiosus ad Episcopatum, vt desinat esse perfectus, vel vt sit deterior in statu perfectionis, sed vt in perfectione augeatur: modò obligatio ad regulam in ijs, quæ non dedecent Episcopale officium perfectionis est, & ad perfectionem charitatis valde conducens, vel igitur ex hac ratione, nec concluditur quòd maneat in religioso Episcopo obligatio votorum, vel probatur adesse etiam obligationem huiusmodi obseruantiarū, quæ non dedecent Episcopum, sed valde congruunt perfectioni. Tertiò nam D.Th. in prima hac sua conclusione iungit simul obseruantiam votorum, & aliorum huiusmodi, quæ valent ad perfectionis custodiam, & non impediunt officium Episcopi, vnde de mente eius omnium vna est ratio, & remanet obligatio talis in substantia, qualem habebat religiosus ante Episcopatum. Quartò, quia diminutè omnino respondisset D.Th. ad primum argumentum explicando *cap vnic.18.q.1.* vt non intelligatur religiosum Episcopum absolui à iugo monasticæ professionis quantùm ad omnia, sed solùm quantùm ad illa quæ officio Pontificali repugnant, si aliàs & quantùm ab istis maneret

absolutus, & si esset verum absolutè quòd liberaretur à iugo regulæ. Et quintò sufficienter, & diminutè respondisset quæstionis titulo, qui quærit, an religiosus Episcopus teneatur ad obseruantias regulares, dum absolutè respondet eum teneri ad omnes illas, quæ custodiunt perfectionem, & non impediunt officium Pontificale, si semel est verum, quòd ad nullas tenetur nisi ad obseruantiam trium votorum. Sextò, nam Sanctus Thomas inquit, quòd in his obseruantijs Episcopus potest vti dispensatione sicut & Prælati Religionum; esset verò impropriissima loquutio immò ineptissima asserere necessitatem, vel vsum dispensationis, respectu illius actionis, quæ nulla sub lege continentur, vel præcepta, vel prohibita, sed salua honestate virtutis, seu sine inhonestate potest haberi ipsa, & ei opposita. Nec valet dicere cum *Palao d. n. 15. D. Th.* non loqui de dispensatione propria, sed de indulgentia, qua non debet vti sine rationabili causa is qui in suis actionibus debet procurare, quòd perfectius est. Tum quia D. Th. fuit semper in loquendo formalis, & valdè proprius. Tum quia si Episcopus sine rationabili causa non potest sibi indulgere, vt leges sui Ordinis non seruet, ad eas igitur seruandas tenetur, nisi secum ex rationabili causa dispenset.

121 Et si dicas D. Th loqui de debito morali respōsio deficit; Nā si per debitū morale nō intelligitur necessitas & saltē aliqua obligatio ex alicuius virtutis præcepto, esset interpretari D. Th. in sensu ineptissimo, & tanto DD. indigno. Quia vbi salua virtutis honestate liberum sit agere hoc, & non agere illud, sed oppositum, non habet locum debitum nisi valdè abusiuè, & impropriè dictum, non conuenit verò asserere D. Th. impropria locutione suam quæstionem soluisse. Eò magis quòd apud ipsum, vt ex supra dictis constat, debitum morale non est sine aliqua obligatione, cuius trāsgressio sit culpa; Nam debitum morale est quod ex recta ratione necessitatem habet, vt patet ex locis D. Th. relatis, & explicat *Caiet. d. tract. 25. quæst. 2.*

122 Dicitur secundò verum quidem esse, religiosum Episcopum ad obseruantias regulares non teneri propriè ex debito legali, sed ex debito virtutis, & honestatis, sed ita tamen, vt eas sine culpa transgredi non possit, si aliàs non impediunt officium Pontificale. Prima pars probatur, quia debitum legale vt contra distinctum debito morali est debitum iustitiæ, vel quod ortum habet ex vi coercitiua legis positiua. Nam aliàs debitum rectæ rationis, & virtutis est debitum morale esto sit debitum ex lege naturali, vel diuina. Bene ergo in hac parte *Caiet. tom. 1. Opusc. tract. 25. quæst. 2.* describit debitum legale, quòd sit id, quod habet necessitatem ex lege, & debitum morale quòd sit id, quòd habet necessitatem ex recta ratione. Vnde vnum est debitum, quia lex id iubet, & aliud est debitum, quia est in se honestum & ex honestate, & virtute necessarium. Sed quando dicitur, quod debitum legale est, quod est necessarium ex lege, non potest esse sermo de omni lege, sed intelligitur de lege iustitiæ, quæ ex priuatis contractibus constat; vnde debitum iustitiæ est debitum legale, vt docet *D. Thom. supra quæst. 80. a. 1. c.* vel de lege positiua, & quæ fit ab homine. Nam id quod est debitum ex recta ratione quòd est debitum morale, vt sic formaliter est necessarium ex lege naturæ, quam Deus nostræ menti impressit. Vel debitum est legale vt est ex lege vt cogente media pœna, & vt sic importante coactionem per timorem pœnæ. Est verò debitum morale vt est ex ratione seu lege rationis dirigente, & non cogente sed medio amore honestatis nos inclinante.

123 Hoc verò stante contra *D. Thomam* est, quod *Caiet.* ibidem asserit, scilicet quòd, *censurarum & peccati mortalis pœna, ad vim coactiuam legis spectant.* Nam licet censurarum pœna spectet ad legem vt coactiuam; peccati tamen pœna spectat simpliciter ad legem vt directiuam per amorem honesti. Et quidem primò non tam bene dicitur peccati mortalis pœna, quia peccatum mortale non est pœna, sed culpa, & est id quòd præcipuè prohibetur ex lege honestatis, quia est illud quòd repugnat virtuti, & charitati. Vnde peccatum vt peccatum formaliter est materia legis vt directiuæ, quam lex prohibet ex recta ratione, & ex vi honestatis. Secundò peccati mortalis pœna essentialis & principalis non est nisi ipsum peccatum, quod auersio à Deo, & ideo est amicitię Dei priuatio, quā recta ratio omnino refugit ex honestatis, & Dei amore, qui nō compatitur hominē manere auersum à Deo, & Dei inimicum. Dicas igitur quòd licet peccati mortalis pœna possit etiam esse obiectum timoris, & spectare ad legem vt coactiuam, tamen primò & principaliter est obiectum abominationis, quod & quatenus est sui ipsius pœna, maximè odio haberi debet ex Dei, & honestatis amore. Ideo debitum morale quod est necessarium ex ratione recta, importat obligationem cuius trangressio semper est culpa, & sępe est peccatum mortale quòd manifestè apparet ex verbis, *D. Thom. supra citatis, ex quæst. 80. a. 1. vbi D. Thom.* docet, & quòd omne debitum importat necessitatem, & quòd debitum morale est duplex, & aliquod datur quod importat necessitatem simpliciter, quia sine eo honestas morum, ideoque nec gratia nec charitas consistit, quod est debitum obligans ad agendum sub mortali.

124 Dicitur propterea tertiò magis distinctè loquendo, quòd Episcopus Religiosus respectu eorum, quæ non impediunt Pontificale officium remanet obligatus debito morali obligante ad mortale si ita est in regula sui ordinis. Conclusionis huius sensum habent D. Th. & DD. illi, qui sine aliqua distinctione absolutè dixerunt Episcopum Religiosum non esse absolutum à vinculo regulæ nisi quantum ad ea, quæ sunt incompossibilia cum statu Episcoporum. Et hanc candē conclusionē tenuerunt plures Canonistæ quos etiam refert, & sequitur, *Panorm. in cap. clerici officia num. 10. de vita, & honest. cler.* de Episcopo regulari dicens. Secundum aliquos absoluitur, vt possit comedere carnes & illud tenuit *Gloss. in d. cap. 3. 16. quæst. 1.* Hugo tenuit contrarium *de consec. dist. 5. cap. carnem.* Potes concordare opinion. vt voluit *Archid. in d. cap. 3.* quia vbi potest sine scandalo abstinere se à carnibus, debet se abstinere, & in hoc non absoluitur à regula monachali prout tenuit *Goff. & Host.* vt refert *Archid. d. c. 3.* secus vbi sine scandalo non potest abstinere, quia tunc procedit *Gloss. in d. cap. 3.* Et per hoc videtur etiam quòd in ieiunijs, si commode,

mode, & sine scandalo posset seruare regulam, quod debet seruare, alias non tenetur propter ea, quæ dixit, *Gloss. vrbali.* Et quamuis DD. isti non explicent, an teneatur sub mortali, vel sub veniali; quia tamen absolutè loquuntur & sine distinctione sensus planus eorum est, quod eo modo tenentur, quo obligat regula, quia DD. isti dicunt, quod in hac parte non sunt absoluti à regula.

125 Ratione vero hæc & suprapositæ conclusiones probantur; quia cum obligatio professionis Regularis de se sit perpetua, & duret vsque ad mortem; quòd hæc cesset ex duplici sola causa potest euenire, scilicet vel ex natura rei, & incompossibilitate obseruantiæ vel voti, vel præcepti cum ijs, quæ spectant ad officium, & dignitatem Episcopalem, vel ex Papæ dispensatione. Hoc enim principium in hac materia est certum. At vero sic est quòd ex neutra harum causarum Episcopus Regularis absoluitur a vi & mandatis, & præceptis regulæ. Primum euidenter apparet consideranti, quod status religiosus est status disciplinæ per se primo ordinatus ad perfectionem ipsius Religiosi obtinendam, sed status Episcopalis qui est status magisterij per se primo ordinatur ad alios sanctificandos, quod tanto melius & vberius fieri poterit, quanto Episcopus, fuerit in se ipso, & respectu sui sanctior; igitur quidquid disponit Episcopi personam vt sit in se sanctior, etiam disponit vt Episcopus sit aptior ad munera Episcopalia; & tantum abest, quod tale sit incompossibile cum officio Episcopatus, quod est congrua dispositio ad illud melius, & cum vberiori fructu exercendum. Quidquid igitur habet has duas conditiones, nimirum, quod de se est medium ad sanctitatem Episcopi ordinatum, & mandatum, & ab eo ex vi professionis assumptum, & ex sancto proposito promissum, & alias commode ab Episcopo potest obseruari, immo si obseruetur reddit Episcopum aptiorem ad munus suum perficiendum, nedum non est incompossibile cum officio Episcopatus, sed immo Episcopatui decorem addit, & reuerentiam, & vires Episcopi ad alios sanctificandos auget, igitur ex vi assumptionis ad Episcopatum à talis operis obligatione non absoluitur quia talis operis obligatio sit incompossibilis cum statu Episcopatus.

126 Nec iuuat dicere cum, *Suarez d. capit. 17. num. 15.* Ex ea ratione, quod Episcopus non debeat retrocedere non probari obligationem ad ea, quæ sunt regulæ. Nam existens in statu perfectionis non potest omnes actus perfectionis exercere, determinatio ergo ad hos, vel illos est voluntaria, seclusa lege obligante, quæ lex hic non est cum Episcopus non teneatur legibus sui ordinis. Et præterea status Episcopalis secum fert suos actus perfectionis, vt sunt docere, spiritualiter regere &c. ergo si Episcopus Regularis muneri suo satisfaciat quoad omnes istos, sufficienter implet illam rationem decentiæ exercendi opera perfectionis suo statui consentanea. Huiusmodi enim rationes supponunt, quod probandum est, scilicet, quod Episcopus sit absolutus ab obligatione regulæ; seu quod nos probare debeamus obligationem Episcopi ad ea, quæ sunt regulæ, cum tamen sufficiat ostendere non adesse vel causam, vel authoritatem, quæ illum absoluat. Et ideo verum cum sit, quod Episcopus non potest simul omnes actus perfectionis exercere, inter eos tamen, quos potest commode exercere, cur primi non sunt illi ad quos ex professione se obligauit? At cessat, dicis, hæc obligatio Sed vnde hoc probas? Certè non ex eo, quod hæc obligatio sit incompossibilis cum Episcopatus officio, quia immo ad eum dignius, & efficacius habendum disponit, & iuuat (loquimur enim de obseruantia decenter compossibili cum officio Episcopatus). Et licet multum faciat Episcopus si omnes actus Episcopales exerceat, minus tamen facit, si simul potens habere actus ad quos ex professione se obligauit, & quos habere potest commode, a sua obligatione deficiat, & sic retrocedat. Manet ergo euidenter probatum, quod obligatio ad huiusmodi regulares obseruantias non eo cessat, quia ex natura rei repugnat Episcopatui, si alias Episcopus cum decentia sui status illas potest obseruare.

127 Sed dices obligatio ad agendum non decet Episcopum, quia subditorum est obligari, dignitatem autem Episcopalem decet libertas, & potestas agendi ad beneplacitum. Sed si ita est Episcopus nulli legi subiectus erit, & obedientia, quæ est excellentissima virtus & quæ secundum, *S. Greg. l. 35. mor. cap. 10.* virtutes ceteras menti inserit, insertasq; custodit, Episcopatui non conueniet. Aliud est ergo quòd Episcopalis dignitatis sit, vt Episcopus nullum Prælatum habeat inferiorem Pontifice (salua tamen subordinatione sui ad Archiepiscopum, & Primatem, seu Patriarcam suæ Prouinciæ), & sic quod non subdatur amplius Prælatis sui ordinis, & aliud est, quod ei non conueniat obedire legibus, quarum ex voto promisit obedientiam cum promisit viuere secundum illas. Primum est verum, sed falsum est secundum. Et consequentia illa nulla est euidenter, quam faciunt aliqui dicentes, Episcopus Religiosus est solutus à lege Prælatorum; ergo & à iugo regulæ & Constitutionum suarum & statutorum Capitulatum Regularium, quia omnia ista sunt statuta Prælatorum à quorum obedientia est solutus. Nam euidentissimum discrimen est inter particularia aut futura præcepta Prælatorum, à legibus communibus ante Episcopatum statutis. Nam priora sunt à non habente iurisdictionem in Episcopum, ideo illis non tenetur obedire. Sed priora sunt statuta Pontificia, quæ emanarunt ab habentibus iurisdictionem à supremo Prælato, cui Episcopus tenetur obedire. Item Episcopus Religiosus numquam promisit obedientiam Prælatis non habentibus facultatem præcipiendi; sed bene promisit viuere secundum leges ordinis sui ab habẽtibus potestatem impositas. Nõ ergo mirum non tenetur ad præcepta particularia Prælatorũ, qui non habeant facultatẽ præcipiendi, & in quibus respectu Episcopi non præcipit Pontifex, & tamẽ teneatur legibus illis, quæ illũ ligabant antequam esset Episcopus, & secundum quas viuere promisit, & quæ sunt leges Pontificiæ tanquam emanatæ ab illis, qui ad id Pontificiam habebant authoritatem. Et illius consequentiæ insufficientia patet, quia similis est huic alteri. Religiosus non tenetur obedire Prælatis, qui suum officium expleuerunt, & non sunt amplius eius Prælati; ergo non tenetur obedire legibus, & Prælato vero secundum illas præcipienti. Quæ consequentia vanissima est. Sic Episcopus Religiosus non tenetur obedire Prælatis

..do

latis inferioribus, quia in ordine ad illum non sunt Prælati, manet tamen Pontifex supremus Prælatus, & manet vis legum, quæ authoritate Pontificia vigent, & secundùm quas tenetur viuere Episcopus, sicut in sui professione promisit. Et quamuis neque deceat Episcopum subditum esse pœnis Regulæ quia Magistrum non decet ferula, vt dixit, *Caiet.* Quoniam etiam status Episcopalis petit, vt Episcopus non tanquam seruus timore pœnæ, sed tanquam filius & liber amore virtutis ducatur ad ea, quæ sunt perfectionis. Tamen cõsiderandũ est quòd obedientia est virtus præstantissima, & digna Episcopi, cum alias etiam actio longè melior sit facta ex voto, vel obedientia, quam ex propria voluntate assumpta, vt docuit D.Th.

128 Et ideo hoc maximè decet Episcopum, vt seruet leges, quas professus est, & hoc illi necessarium est ad hoc vt bene preesse possit. Nam vt dixit *S. Leo Papa epist. 84. ad Anastasium Epis. cap. 11. Qui quibusdam scit se esse præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse Prælatum, sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse dependat.* Et cum lex ex eo quòd præcipiat propriè etiam obligando ad culpam mortalem, hoc non faciat nisi ex vi directiua, & mouendo ratione virtutis, & honestatis, quia alias lex non esset honesta nisi ex honesto motiuo procederet, nihil continet, quod Episcopum non deceat, ex hoc præcisè quòd sub mortali obligat. Nam & quam plurimæ sunt leges obligantes Episcopum sub mortali. Leges vero regulæ ex eo magis petunt obedientiam à Religioso Episcopo, ex quo ille vouit viuere secundum illas. Quamobrem dubium esse non potest, quod non ex eo Episcopus absoluitur à iugo legum sui Ordinis, quia harum obseruantia, aut obligatio repugnet dignitati Episcopali, si alias Episcopus commodè & seruato decore suæ dignitatis illas potest seruare.

129 Non ergo dici potest, quòd in his Episcopus religiosus, sit absolutus à iugo regulæ, nisi quia Pontifex ex dispensatione illum absoluerit. Sed qui hoc affirmat, id probet; contrarium enim habetur ex S. Innocentio primo epist. citata ad Victricium, & si adducatur *cap. statutum 18. quæst. 1.* Videat quilibet prudens, si probabilitate aliqua potest huiusmodi absolutio & dispensatio fundari super textu Concilij, de quo nec plenè constat, quod fuerit celebratum, nec constat quòd textus adductus fuerit illius Concilij, si celebratum fuit, & tale fuit illud Concilium, quòd huiusmodi dispensationem, & absolutionem concedere non potuit, etiam si voluisset, cum fuerit Concilium Prouinciale non habens ad hoc iurisdictionem; maximè cum in contrarium sit decretum S. Innocentij. Et eo amplius, quod nõ adest iusta causa dandæ huius dispensationis, & concedendi Episcopo, vt à priore proposito deuiare possit, vbi Episcopatus officium hoc non petit. Et nec illud Concilium in texto allato hanc absolutionem concedit, sed eam refert & supponit non simpliciter, sed in quantum in puncto administrationis bonorum, de quo loquebatur, Episcopus est absolutus à iugo Regulæ, quia non conuenit, quod Episcopus in administrando Episcopatu dependeat à Prælatis Regularibus, & sic quòd in eo textu affirmatur necessario habet hanc interpretationem, vt Episcopus Religiosus sit absolutus à iugo regulæ in ijs, in quibus Regulæ obseruantia est incompossibilis cum officio Episcopatus.

130 Bene verum est, quòd vt ex *Caiet. Soto. Valentia, & Azorio.* aduertit *Sanchez*, id omne dicitur impedire Pontificale officium, quod dedecet Episcopalem dignitatem, sicuti esset bibere cum duabus manibus, quòd in constitutionibus ordinis mei habetur. Pariter aduertẽdus est finis legis; Nam quæ in Regula sunt, vel non præcipiuntur omnibus, sed respiciunt determinatas personas, vel instituta sunt directè, & per se ratione consortij, vel ex alio fine, qui locum non habet in Episcopo, vel ex alijs similibus casibus, in quibus locum habere potest Epiicia religiosus Episcopus liber est ab omni legis monasticæ obligatione, & vt ad conclus. 3. D.Th. infra dicetur, sic nec debito legali, nec debito morali ad talium obseruantiam tenetur.

131 Ideo ad rationes quas pro se adducit opinio negans respondetur. Nam ad primum iam patet responsio ex sæpe dictis, & textus ille non potest intelligi nisi, vt iuxta D.Th intelligatur, de illis, quę officio Episcopatus repugnãt, & additur ex *Caiet.* quod respectu omniũ religiosus Episcopus est solutus à lege monastica, vt coactiua per pœnas Ecclesiasticas, & tẽporales, non verò ab ea; vt est lex directiua, & ex consequenti vt obligatiua ad culpam, quia culpa est quod rectæ rationi opponitur, & repugnat. Et ita cum D.Th. sentiunt omnes citati DD. absolutè, siue limitatione asserentes, religiosum Episcopum non esse solutum à lege monastica nisi respectu eorum, quæ impediunt officium Episcopi. Et quod hæc obligatio sit ad culpam, tenent etiam *Caiet. Couar. Angles, & Manuel.* solùm asserentes, religiosum Episcopum non obligari ad culpam mortalem, licet, vt probatum est hæc exceptio non sit admittenda. In illa verò *Clem. 1.* nihil est huic sententiæ contrarium.

132 Ad secundum dicitur immo esse valde simile exemplum de rege, qui licet suæ legi non subdatur, vt est lex pœnalis, ei tamen subditur, vt est directiua, & habet debitum morale illam seruandi, & aliquo modo peccat, si illam non seruat; Et alias esset improprijssima locutio, dicere quod salua honestate virtutis omnino, & sine vllo peccato liberum esset Regi non seruare suam legem, & tamen quòd teneretur illam seruare. Non valet verò id, quod asseritur ad probandam dissimilitudinem Regis, & Episcopi, quia scilicet Rex viuit in consortio cum suis subditis, Episcopus verò est separatus à consortio monachorum, quia supponit falsum, quod scilicet ratio condendi leges sit consortium, & quòd ex hoc lex præcepta habeat, vel non habeat honestatem, & sit conformis rectę rationi. Nam in legibus religiosis non ex hoc vniuersaliter loquendo religiosæ obseruantiæ habent honestatem quod religiosis, vt simul viuentibus conueniunt, sed quia absolutè, sunt vtiles ad vitæ perfectionem; hic enim est finis primarius, & adæquatus; consortium autem venit ex consequenti, ex quo plures eundem modum viuendi assumant. Quòd si leges monasticæ non obligant nec sunt conformes rectæ rationi, neque ex honestate necessariæ, nisi sub conditione consortij, cur de tribus votis hoc idem non asseritur? & cur magis de alijs legibus monasticis, quàm de tribus votis dicitur, quòd obli-

obligant ſub conditione conſortij religioſi? Alia huius ratio reddi non poteſt, niſi quia votorum obſeruantia per ſe eſt opus perfectionis, ex intentione perfectionis aſſumpta, & quæ non repugnat pontificali officio, & ideo illam deſerere eſſet à perfectione retrocedere; ſed hæc ratio communis eſt etiam alijs aliquibus obſeruantijs religioſis, igitur omnium eadem eſt ratio, & omnium ſimilium remanet obligatio & morale debitum, quod ſimul eſt legale directiuum, licet non coactiuum per cenſuras, & pœnas humanas. Et per hæc patet reſponſio ad quartum.

133 Hinc ſequitur primò non poſſe admitti, & eſſe etiam manifeſtè contra D. Thomam id, quod primò dubius protulit, *Sotus l.10.de iuſt. quæſt. vlt. a. vlt.* Et poſtea abſolutè tradidit, *Suarez d. c.17. num.16.* Et admiſit *Reuerendiſs. Lucarinus d. cap.2. num.310.* nimirum, quòd quamuis Epiſcopi ſint ex varijs Religionibus aſſumpti, tamen quia à iugo Regulæ omnes per Epiſcopalem ordinationem ſunt æquè abſoluti, non tenentur ex debito, nec quidem morali ſtrictè loquendo ad has potiùs obſeruantias, quæ in prioris vitæ regularis cõtinentur, quàm ad has, quas quæcumque alia regula præſcribit. *Suarez* quidem hoc aſſerens loquitur conſequẽter, & eodem numero improbat diſtinctionem D. Th. aſſerens non eſſe diſtinguendum inter opera conſona, vel diſſona ſtatui Epiſcopali, quia putat Epiſcopum eſſe in omnibus à iugo regulæ abſolutum. Sed hoc primò eſt contra decretum Innoc. primi in *Epiſ.* ad Victricium in qua ſtatuitur non licere monacho aſſumpto ad Clericatum deuiare à priore propoſito. Prius autem propoſitum Epiſcopi ex Ord. Præd. fuit obſeruantia legum dicti ordinis, non verò Ordinis Minorum; & ſic vice verſa. Secundò eſt contra S. Thomam, & reliquos DD. qui docent, Epiſcopum Regularem teneri ad ſeruandum obſeruantias regulares non incompoſſibiles Epiſcopatui, quód eſt verum ſaltem de debito morali, at verò nullus eſt qui dicat, Epiſcopum Dominicanum teneri ad obſeruantias Regulæ Minorum. Item *Suarez cap.16.num.9.* docet, Epiſcopum Franciſcanum teneri vilioribus vti veſtibus, quàm Dominicanum. Et Epiſcopum ea ſocietate poſſe obligari, vt pro muneribus ſpiritualibus aliud ſtipendium non accipiat, quàm redditus Epiſcopalea. Sicut verò iſta concernunt votum paupertatis, ita aliarum legum obſeruantia concernit vota paupertatis aut caſtitatis, & obedientiæ, quod votum omnia ambit. Et errat, ſi quis credat Religioſum ex voto obedientiæ non obligari ad leges quaſcũque ſui ordinis, cum certum ſit, quòd Religioſus promiſerit viuere ſecundùm illas: & ideo Dominicanus ex vi voti tenetur viuere ſecundùm leges ſui ordinis, non verò ſecundùm leges ordinis Minorum & econtra. Et ſicut in Epiſcopo Religioſo manet votum obedientiæ, ita manet obligatio viuendi ſecundùm leges ſui ordinis, & non alterius. Tertiò præcipuè eſt contra D. Thomam in reſp. ad primum vbi expreſsè docet, quòd Religioſus Epiſcopus quantùm ad compoſſibilis cum officio Epiſcopatus non eſt abſolutus à iugo monaſticæ Regulæ; Hoc verò non verificatur reſpectu regulæ alterius ordinis, à qua cum nunquam fuerit ligatus, manet etiam omnino abſolutus & liber dum eſt Epiſcopus; à propria igitur non manet abſolutus. & ſic nec eſt verum quòd omnes Epiſcopi ſint æquè abſoluti, quia licet à propria regula ſint abſoluti quantùm ad incompoſſibilia, non tamen quantùm ad alia. Et ſic qui aſperiori regulæ erat obligatus ad aſperiora non incompoſſibilia cum Epiſcopatu manet obligatus. Et ſic factum eſt, quòd vbi ieiunium 6. feriæ ſit compoſſibile cum Epiſcopatu, ad illud ſtrictius obligetur Frãciſcanus cuius Regula ad id ſtrictiùs obligat, quàm Dominicanus, cum neuter à iugo regulæ in hoc ſit abſolutus, & regula Franciſcani ſtrictiùs obliget, quàm Dominicani.

134 Sequitur ſecundò religioſum Epiſcopum teneri ad deferendum habitum ſui ordinis. *cap. penult.* de vita, & honeſtate clericorum. *D. Th. hic, & Caiet. Gloſſ. cap. in nona, & cap. de monachis 16. quæſt.1. Tabien. v. Epiſ. quæſt 6. num.7. Panorm. in d. cap. penul. num.19. de vita & honeſ. cler. & ibi Ioan. Andr. Bald. in tit. de ſtat. monach. & ibid. ſpecul in princ. Bertach. de Epiſ.4. lib. p.1. in princ. & a. l.56. Syluеſ. v. religio 6. quæſt.10. & v. religio 7. quæſt.11. Sotu lib. vltim. de iuſtit. quæſt. vlt. ar. vlt. Turrecrem. c. de Monachis num.2. & 3. Io: de la Crux l.1. cap.2. dub.4. Nauar. l.3. Concil. in p. edit. tit. de regular. conſil.15. num.11. in 2. tit. de donat. conſ.6. num.11. Azor lib. 12. inſtit. cap.7. quæſt.4. Sanchez l 6. cap.6. num.22.* & apud illum *Hoſt. Abbas, Henriquez Nicolaus de Vbaldis, Iaſon, Imola, Angel. Sà, Leonar. Henric. Abulenſ. cap.30. Num. quæſt.109. Palaus vbi ſupra, num.10. Barboſa de off. Epiſ. p 1. tit.1. cap.4 num.17.* & apud eum *Alphonſus Aluarez, Emanuel, Darolom. a. S. Fauſto, Caſtro Soſa, Lezana p. p. cap.27. num.9. Suarez tom.4. de Relig. tract.8. l.3. c.27. Lucar. de Epiſ. Reg. cap.2.*

135 Dubium verò eſſe poteſt, an hæc obligatio ſit tanta quòd obliget Epiſcopum ſub mortali ad non mutandum Religionis habitum. Videtur enim quòd non. Tum quia habitus non eſt de ſubſtantialibus Religionis. *cap. porrectum de Regular. vbi Panorm. Gloſſ. Burr.* & alij Canoniſtæ. *Gloſſ. in cap. ſicut bonum 27. quæſt.8. v. apparuerint.* Vnde ea diſpenſatione aliquando factum eſt, vt Monachi Epiſcopi vel Cardinales deferant habitum ſecularem, vt de Io: Treuiſano Patriarcha Venetiarum & Georgio Cardin. Tranſyluano monachis refert *Catena in tract. de Biretto rubeo dando Card. Regular. num.59.* Et de facto Canonici, & Clerici Regulares ſi fiant Epiſcopi vtuntur habitu ſeculari. Tum ſecundò quia ſi adeſſet hæc obligatio, adeſſet ea iure Canonico, nimirum ex *cap. clerici officia, de vita & honeſt. Cleric. ſeu ex can. Synodi* 8. Hoc tamen non eſt aſſerendum; quia verbum oportet quo vtitur textus *in ca. Clerici* non importat præceptum obligans ſub mortali, *& in can.8. Synod.* ſolùm dicitur, quòd eſſet arrogans Epiſcopus monachus ſi habitum mutaret, quod non videtur importare obligationem grauem. Nihilominùs communis ſententia eſt, quòd Epiſcopus Regularis grauiter peccet, ſi habitum ſui ordinis dimittat. Aliqui tamen dixerunt hanc obligationem non eſſe niſi ex iure poſitiuo & conſuetudine. *Sanchez l.6. in Decal. cap.2. num.21. Palaus tom.3. trac.16. diſp.4. p.24. v. Lucar. de Epiſ Regul. cap.2. num.329.* Nam & verbum *oportet* iuxta ſubiectam materiam ſępe importat neceſſitatem præcepti, vt per DD quos refert *Barboſ. tract. de dictionib. dict.242. & Acunna ad cap.*

non

non oportet dist. 23. *Et in* 8. *Syn.* pro hac habitus mutatione imponitur pœna depositionis, si admonitus Episcopus nolit corrigi, quæ pęna non nisi pro graui delicto imponi debet. Et ita legem canonicam intellexerunt DD. & interpretata est Ecclesiæ praxis, & consuetudo. Sed hanc obligationem oriri etiam ex Regula, dixit *Suarez tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *l.* 3. *cap.* 17. *num.* 9. *Ledesma de stat. Epis. concl.* 25. §. *es la difficoltad. pag.* 43.

136 Dicitur propterea hãc obligationem principaliter esse ex regula, & super hac obligatione fundari iura positiua, illamque supponere, & confirmare. Sic sentit S. Thomas in hoc articulo, & probatur ex eius ratione: Ex quo enim Religiosus Episcopus manet substantialiter Religiosus; non solutus à vinculo trium votorum, deducit D. Th. obligationem ferendi habitum Regularem; *Et per consequens*, Inquit, *ad portandum habitum suæ Religionis, qui est obligationis signum*. Hæc consequentia necessitatem expressam continet, vt aduertit Ledesma tantam ac talem, quanta est necessitas votorum, & obseruantiæ eorum, quæ sunt substantialia. Debet enim attendi, quòd status Religiosus est status Ecclesiæ visibilis, & ad Ecclesiæ visibilis ornamentum, & decus ordinatus, vt dixit *D. Th. sup. q.* 183. *a.* 2. ideo de substantia status Religiosi non dum est interior obligatio ad ea, quæ sunt perfectionis, sed aliquod externum sensibile per quod status Religiosus appareat exteriùs visibilis. Et quòd dicitur, quòd habitus monachi non est de substantialibus, non habet vel minimum fundamentum *in cap. porrectum de regul.* vbi dicitur quidem & optimè, quòd solus habitus non facit Monachum, sed professio regularis; non tamen dicitur, quòd etiam habitus non pertineat ad substantiam status Monachalis, cum sine habitu, & specificatione habitus status Monachalis non appareat exteriùs, nec spectet ad Ecclesiam, vt visibilis; quod omninò est substantiale statui Religioso quatenus est pars Ecclesiæ visibilis, Ecclesia verò Christi corpus visibile est sub vno capite visibili Pontifice Romano congregata, quæ adstat tanquã Regina á dextris Dei, in vestitu deaurato, circumdata varietate habituum Religiosorum, quæ illi summum decorem tribuunt. Sicut igitur Religiosus Episcopus manet simpliciter Religiosus, ita debet deferre habitum talem, vnde discernatur visibiliter eius status. Et *Panorm. ibid. num.* 4. & alij, qui dicunt habitum non esse de substantialibus Religiosi, sed de accidentalibus, verum dicunt spectato statu regulari secundùm se, & coram Deo, coram quo sola professio Religiosum facit, vnde Religiosus dimittens habitum non desinit esse essentialiter Religiosus. Sed tamen considerato statu Regulari, vt est pars Ecclesiæ visibilis, & ad eius decorem, & perfectionem spectat, de eius substantia est habitus aliquis Religiosus, qui est veluti specificatiuum Religionum in ratione status perfectionis in Ecclesia visibili. Et non obstat, quòd dentur Religiones, quæ non habent habitum propriũ, sicuti sunt Clerici Regulares, Quia neque hoc est verum, licet enim in forma generali, & colore conueniant cum Clericis secularibus; tamen & primò à Laicis distinguuntur per habitum Religiosum Clericorum. Secundò a Clericis sæcularibus distinguuntur, quia deferunt habitum vniformem maiorem vilitatem, contemptum, & paupertatem præseferentem, quàm faciant Clerici sæculares; Et inter se se etiam distinguuntur per particulares quasdam formas. Religiones verò, quæ assumpserunt proprium habitum sine dubio instituerunt hoc tanquam quid substantiale, nimirum tanquam specificatiuum visibile internæ professionis illarum.

137 Et hoc idem probatur ex iuribus citatis. Nam verbum *oportet*; quo vtitur *d. cap. Clerici officia*, ex sui natura non inducit nouam obligationem, sed præcedentem indicat, & supponit: Id enim fieri oportet, quod est de lege, vt fiat. Et ita oportet religiosum Episcopum deferre habitum suæ Religionis, quia id est præceptum ex regula. Et in 8. Synodo can. 27. bene dicitur, quod arrogans esset Episcopus Monachus, si habitum dimitteret, quia sibi vsurparet id, quod ex regula ei est prohibitum, illique non conuenit. Ideo D. Th. & fere omnes alij DD. communiter hanc obligationem deferendi habitum Regularem in signum Regularis professionis, vt ortam ex necessitate Regularis status intelligunt.

138 Verùm quidem est, quòd ad significandum Religiosum statum non est necessarius habitus omninò conueniens in forma, & colore cum habitu, quem deferunt simplices Religiosi, sed sufficit conuenientia in colore; Vnde ex Cæremoniali per Clem. VIII. reformato conceditur Episcopis Regularibus, vt vtantur forma habitus Episcoporum Regularium, retento colore habitus Religiosi, quod sufficit ad iudicandum Religiosum statum Episcopi. Et ita in Italia seruatur. Nam in alijs partibus, vt in Hispania Episcopi retinent habitum regularem integrum, dignitatem Episcopalem significantes per crucem quam pendentem ad pectus deferunt. Quod verò Canonici Regulares, si fiant Episcop. deferunt habitum Episcoporum secularium, hoc est permissum eis ex antiqua consuetudine approbata per Leonem X. constit. 34. sicut & ex consuetudine introductum est, vt Clerici Regulares eodem habitu vtantur. Et hoc non mirum, quia Clerici Societatis Iesu ex eorum instituto non habent habitum certum, sed vti debent habitu honesto illius regionis, in qua viuunt, vt patet *Constit. p.* 6. *cap.* 2. §. 15. & tradunt *Sanchez l.* 6. *in Decal. cap.* 8. *num.* 70. *& Palaus tex.* 3. *tract.* 16. *disp.* 4 *p.* 6. *num.* 2. Et quamuis *Lucar. num.* 323. arbitretur Clericos Regulares, etiam Societatis habere specialem habitum á Clericis secularibus distinctum, quod probat ex vsu, quia licet conueniant in habitu Clericali quantùm ad colorem nigrum, & formam generalem, tamen distinguuntur per quasdam peculiares formas in succinctorio, pallio, veste manicata, pænula, vel gausapina, cubicularia; item in coloris materia, & plicaturis & caligarum colore, in calceorum forma, quibus insuper aliqui non vtuntur, sed nudis pedibus solea obtentis plantis incedunt, & sic singuli præferunt suum distinctiuum. Nihilominùs est hæc differentia leuis, & quæ inter Episcopos non posset decenter institui, & obseruari, & de se vix sufficit ad discernendos huiusmodi Religiosos, vnde non nisi á valde peritis horum Religiosorum differentiæ ex habitus modo dignoscuntur; & ideo meritò introductum fuit, vt qui ex Clericis Regularibus

bus fiunt Episcopi, habitu Episcoporum secularium vtantur. Ex hoc tamen non sequitur, quòd in illis Religionibus in quibus est specialis forma habitus ex eorum institutione, & vt per habitum significetur interna eorum professio & status, hoc non sit tanquam substantiale obseruandum ex vi regulæ, & tanquam quid valde graue, omnino seruandum etiam à Religiosis factis Episcopis, vt permanentia status Religiosi in illis extare videatur. Neque ex eo quòd concedente sancta Sede Apostolica institutæ sunt Religiones vtentes habitu Clericorum factum est, vt quod antea Religiosos vtentes habitu speciali obligabat desierit obligare.

139 Ideo nec sufficit, quòd Religiosus Episcopus vtatur habitu, qui indicet eum Religiosum, sed debet vti habitu qui saltem in colore conueniat cum habitu Religionis, quam fuit professus, vt D. Thom. docet, & habetur in Rituali Episcoporum. Et ratio est, quia Episcopus manet substantialiter Religiosus illius Ordinis quem fuit professus, & ad eum ex vi voti obedientiæ rediret, si munere Episcopali & exemptione tali muneri concessa priuaretur; debet igitur habitum illius Ordinis deferre. Quod in facto fecisse Cardinalem Turrecremat. Ord. Præd. refert *Ciacon.* in vita Eugenij Quarti, & de Carain. Caiet. narrat idem in vita Leon. X. & S. Thomâ de Villa noua author eius vitæ *l.2.cap.2.* Et vbi aliqui Pontifices cogitauerunt Cardinalibus ex Regularibus assumptis concedere vsum purpuræ, ij qui tunc erant Cardinales humiliter reclamarunt, & mutationem non fieri impetrarunt sunt de Card. Alex. qui postea fuit Pius quintus refert *Catena vbi sup. num.93.* & de Card. Asculano tempore Greg. XIV. narrat *Lucarin. de Episc. Regal cap.2. num.336.*

140 Propterea nec sufficit, quòd Episcopus deferat habitum sui Ordinis occultum sub habitu Episcopi secularis, quidquid in contrarium senserit quidam apud *Reuerendiss. Lucarin. d.c.2. num. 338.* fundans se *in Gloss. cap. in nona 16.q.7. & cap. Deus qui, de vit. & honest. Clericorum*, & pro hac sententia referens, *Io. Monach. cap. vt periculosa, num.5. de Cleric. & Monach. Calcan. consil.133. num.4. & 5. Io. Anan. cap. consultationi, num 4. de Apost. & Baptis. rener.* Nam cum habitus debeat deferri, vt sit signum visibile internæ professionis & Religiosi status, & obligationis, debet visibiliter deferri, vt statuitur *in Clem.2. de vit. & honest. Clericorum*. Vnde est, quòd Religiosus temerè occultans habitum suæ Religionis extra claustrum incidit in pœnam excommunicationis, *cap. vt periculosa, ne Cler. vel Monach.* vt tradunt *Caiet. v. excom. cap. 61. Nauar. in Manual. c.27. num.131. Bannes 22. q.12. a.3. d.2. conclus. vlt. Sanchez lib.6. cap. 6. num. 63. & alij apud Barbos. ad d. cap. numer. 5.* Non satisfacit igitur Episcopus Religiosus, si habitum occultè deferat.

141 Quamuis non sit necessarium, quòd Episcopus Religiosus semper deferat totum habitum sui Ordinis, sed sufficit quòd si contingat vel ex causa itineris, vel ex alia, vt aliquam partem dimittat, nihilominus ita exteriùs vestiatur, vt ex habitu status Religiosus appareat; in quo etiam vsus multùm præualere potest, & alia etiam quædam ad habitum spectantia leuia iudicari poterunt, quorum dimissio, vel nihil, vel parui sint æstimanda.

142 An verò religiosus Episcopus dimittens habitum sui Ordinis, vel assumens rochetum seu vestem illam albam, quam deferunt Episcopi sæculares incidat in *excommun. cap.2. ne Clerici, vel Monachi in 6* affirmant *Sylvester v. religio 7. q.11. Iason auth. ingressi, de sacros. Episc. Imol. Clem.1. num. 21. de statu Monach. Card. ibi num.9. & alij*, qui etiam tenent hoc esse crimen Apostasiæ. Sed plures alij meritò id negant, scilicet *Conar. c.1. num.18. de testam. Emanuel quæst. regul. tom.2. quæst.58. a.3. Diana p.3. tit.2. resol.50. Sanchez in sum. l.6. c.6. num.23. & apud eum Tapia, & Bonif. Bonac. de censuris extra bullam Cænæ d.2. quæst.8. punc.6. num 17. Barbosa loc. cit. num 17.* & apud eum *A S. Fausto, & Sosa Ledesma de stat. Episc. conc.25. §. Toda via. Palaus t.3. tr.16. disp.4. p.24. num.11. Tambur. tom.3. disp.3. q.9. num.5.* Et ratio est, quia *cap. illud ne clerici &c.* apertè loquitur de monachis in religione sub iurisdictione Abbatis viuentibus, & ratio illius decretalis est, vt tollatur monachis vagandi securitas sub habitus dimissione, quæ ratio locum non habet in Episcopo, maximè quòd ei vagandi occasio tollitur, si habitum Episcoporum deferat. Addit Palaus quòd non esset temeraria dimissio habitus, suscipiendo habitum tam decentem, sed non admittitur: Nam fine dubio esset excommunicatus Religiosus non Episcopus, si vt vagaretur assumeret habitum Episcopalem; licet is habitus sit decentissimus, & honestissimus & sacratissimus.

143 Econtrario autem non tenetur religiosus Episcopus recitare officium iuxta breuiarium sui ordinis, & ratio est, quia ratio recta exigit, vt in hoc propriæ Ecclesiæ se conformet, & vsui Clericorum cum quibus ad diuina celebranda conuenit. Vt tanquam decisum à Sacr. Congr. Rituum 11. Iunij 1605. refert *Nouar. in Lucerna Regul. v. Episc. nu.4.* & tenent DD. communiter in Clement.2. de celebrat. Missarum & *Turrecrem. in sum.91. dist. cap.22.* vbi etiam dicit secum dispensatum fuisse ab Eugen. Papa, vt vteretur breuiario sui ordinis, quæ tamen dispensatio nostris temporibus alijs Cardinalibus negata est. *Sanchez l.6. c.6. num.25. Barbosa* plures alios referens, *loc. cit. num.15. Diana par.1. trac.2. resol. Lezana p.p. cap 17. num.11. Lucar. d.c.2. num.315. Palaus vbi supra num.19. Tambur. t.3. disp.3. q.9. num.6.*

144 Episcopos verò ex ordine Minorum de obseruantia assumptos ex indulto Sacr. Congreg. Rituum posse recitare officium sanctorum sui Ordinis & missam celebrare priuatim in sua Capella diebus ipsis dedicatis, seruato tamen Ritu Breuiarij & Missalis Romani refert idem *Nouar. vbi supra num.5. Portell. etiam v. hora Canon. num.54.* quem *apud Lucar. nu.314.* sequutus fuit *Thomas de Benc. gr1. cap.4. dub.9. nu.21.* & tenet Episcopum Regularem satisfacere obligationi suæ si reciter horas in breuiario eum socio secum recitante, in breuiario suæ religionis, sed hoc meritò reijcitur ab eodem *Lucarino d. num.315.* Quoniam est contra ius obligans Episcopum ad recitandum horas iuxta praxim suæ Ecclesiæ. Bene econtra verum est, quòd socius recitans cum Episcopo satisfacit recitando horas secundùm breuiarium Episcopi, licet sit alienum

num à breuiario sui Ordinis. *Rodriq. in summ. to. 4. cap. 68. num. 10. Portel ibid. nu. 8.* quos sequitur *Diana p. 2. tr. 12. resol. 35. Lucar. num. 316.* quoniam hoc conceditur *Clem. 2. de celebrat. miss.* Et quàmuis *Lucar.* ex *Gloss. v. pontificum* hoc limitet ad commensales Episcoporum, qui consecrati sunt, non admittitur limitatio: Nam & Episcopi confirmati, & promoti antequam consecrentur, veniunt sub nomine Episcopi in ijs, quæ non concernunt potestatem ordinis. Et tales iam habent commensales domesticos, neque hoc priuilegium respicit consecrationem, cum concedatur etiam commensalibus Cardinalium, qui non consecrantur. & datum est intuitu dignitatis, & seruitij præstiti, eò quòd deceat, vt tales commensales non obligentur ad recitandum bis officium diuinum. Eadem vero *Gloss. in v. officijs* aduertit, quod hoc priuilegium respicit recitationem officij non verò communicationem in cibis; quia Episcoporum socij non sunt liberi à iugo monasticæ regulæ sicut sunt Episcopi. Tempus autem in quo Religiosus Episcopus debet se conformare breuiario Romano aut suæ Ecclesiæ, est tempus confirmationis, seu collationis, aut institutionis; & ex tunc non debet vel in orationibus, vel in *Confiteor* aliquid addere, & neque v. g. dicere, *& B. Dominico Patri nostro*; sed sincerè juxta suæ Ecclesiæ praxim horas tenetur recitare.

145 Neque etiam tenetur religiosus Episcopus ad consortium socij regularis, vt docent *Caiet. h. c. Tabien. v. q. 6. num. 7. Palaus vbi supra num. 19. Azor. instit. lib. 2. q. 6. cap. 4.* Et ratio est, quia in Episcopo cessat omnino finis legis obligantis religiosum ad habendum socium, cum Episcopis non desint socij & famuli illi inseruientes, & nihil interest an isti sint vel non sint eiusdem ordinis. Et licet oppositum huius teneant, *Sotus loc. cit. Valentia 22. d. 10. p. 8. & Sanchez loc. cit. nu. 21.* tamen cum isti teneant obligationem istam nō esse obligationem nisi verbaliter, quia putant esse debitum, quod ad nullam vel culpam, vel pœnam obliget, ideo isti in hoc bene sentiunt, sed malè loquuntur. Quia nihil affirmant, nisi quòd est honestum Episcopum habere socium sui ordinis. Sed quia simul asserunt, quòd non habere non est aliquomodo inhonestum, quia tunc esset culpa omne enim priuatiuè inhonestum, est culpa, remanet, vt dicant propriè loquendo, quòd est res indifferens, & quòd ex fine honesto potest ad libitum & haberi, & non haberi. Vsus etiam Episcoporum multorum iam est, vt nullum socium ordinis habeant, ex quo magis constat eos ad hoc non teneri. In Ord. Prædicat. in Cap. Genet. Meten. anno 1313. Statutum fuit, vt Episcopis ex ordine assumptis non dentur socij nisi discreti, & maturi, vita, & morib. approbati. Additum verò fuit, vt si inuentum fuerit Episcopos præfatos minùs honestè in grauamen ordinis conuersari, auferantur ab eis socij. Et prius apud Montempessul. ann. 1247. ordinatum fuerat, vt si Episcopi ex ordine assumpti in vestibus, & calceamentis, & alijs, quæ non impediunt officium Episcopale non se conformarent ordini socij illis non concederentur, aut concessi reuocarentur. Huiusmodi verò ordinationes fundatæ sunt super priuilegijs dicti ordinis, per quæ Prælati nec tenentur dare socios Episcopis ex dicto Ordine assumptis, nisi quatenus eis bene visum fuerit, & datos possunt secundùm regulam, & leges dicti ordinis corrigere, & ad Claustrum pro eorum arbitrio reuocare. Sic enim concessit primò Alex. IV. quinto Calend. Maij Pontif. anno 2. & iterum 5. Idus Iunij Pontif. anno 3. & Sixtus IV. in Mari magno. De quo videri potest *Lezana* §. 18. Vbi quod idem priuilegium fuit concessum à Clem. IV. minorib. à Sixto IV. Carmelitis, à Iulio II. Minimis, à Gregor. XIII. Societati. Et alij etiam Pontifices eadem concesserunt, vt videre est apud, *Io: de Cruce de stat. Relig. l. 1. cap. 16. dub. 7. concl. 3.* Nunc tamen hæc facultas concedendi hos socios non est libera, sed ex decretis Clem. VIII. pro reformat Regularium confirmatis ab Vrbano VIII. non potest concedi licentia manendi extra Claustra nisi ex causa grauissima à Sede Apostolica approbanda. *Lez. ibid. post Faustum lib. 6. q. 162.*

146 Hinc quoque soluitur illa quæstio, an religiosus Episcopus cuius religio vel ex voto, vel ex decreto regulę non vescitur carnibus, possit vti priuilegio *cap. explicari, de obseru. ieiun.* comedendi carnes die veneris festiuitatis Natiuitatis. Qui enim tenent huiusmodi Episcopos solutos esse a legibus sui ordinis dicunt illos nullo modo peccare, alij verò, vt *Caiet.* hic tenet illos peccare mortaliter, quàmuis oppositum doceat *opusc. citat.* Sed tenendo religiosum Episcopum manere obligatum ad leges ordinis, quæ non impediunt officium Episcopale, dicendum est eum nedum teneri non vesci carnibus, etsi sit in casu, in quo possit secum dispensare, sed nec posse vti eo priuilegio, si nec religiosi sui Ordinis eo vti possunt, nisi casus daretur in aliquo Episcopatu, quod Episcopus conuiueret eo die suis clericis, cum quibus honestum esset vt Episcopus conueniret in cibo, & se consuetudini suæ Ecclesiæ conformaret. Ideo adhærere non possum opinioni *Reuerendiss. Lucarini d. cap. 2. num 311.* vbi admittens, quòd religiosus Ord. Præd non possit dum est in Religione vti præfato priuilegio, vult ex alia parte, quòd factus Episcopus eodem vti possit, quia Episcopus Regularis ex debito legali non tenetur ad obseruantiam legis sui Ordinis. Quasi ad inducendam hanc obligationem non sufficiat debitum morale, si est verè debitum & non abusiuè, Nam vt ipse ex doctrina *Caiet. tom. 1. opusc. tract. 25. quæst. 2.* bene docet *n. 308.* debitum morale est, quòd oritur ex recta ratione, quale, (vt ipse ibidem exemplificat) est debitum non mentiendi, quòd de fide est esse tale, vt sine peccato saltem veniali, non possit violari, vnde mentiri est ab intrinseco peccatum. Quidquid ergo sit de veritate illius assumpti, scilicet quòd Religiosus Ord Præd. non potest vti priuilegio *d. cap. explicari*, de quo non disputo, si supponamus illud esse verum; Cum maneat in Episcopo ex tali Ordine assumpto debitum morale ex sui natura obligans ad seruandam legem talis Ordinis exclusiuam ex supposito vsus dicti priuilegij, non est vnde Episcopus tali priuilegio vti possit.

147 Monachis quoque seu religiosis cum interdictum sit contrahere compaternitatem suscipiendo baptizandum, contractam, *c. non licet, el p. & cap. monachi, de consec. dist. 4. & peruenit el p. 18. quæst. 2.* vbi *Gos. & Turrecrem. ad dictum cap. non licet* docent canones illos non prohibere compaternitatem, quæ contrahitur baptizando, sed solum susci-

suscipiendo de sacro fonte. Nihilominùs hanc cõpaternitatem contrahere non est vetitum Episcopis religiosis. *Gloss. cap vnic. v. absoluit. 18. quæst. 1. Turrecrem. ibid. num. 2. & dicto cap. pervenit. Cardin. Clem. 2. num. 8. quæst. 3. de censibus. Manuel qq. reg. tom. 1. quæst. 58. a. 3. Sanchez dicto l. 6. c. 6. num. 24.* Et ratio est, quia in religioso Episcopo non est periculum illius familiaritatis, qui esset in simplici religioso, & Episcopum non dedecet habere curam paternam spiritualem suscepti à se de sacro fonte. Et *Gloss. & Turrecr.* afferunt exempum S. Greg. Papæ, qui ex monacho factus Cardinalis fuit compater Mauritij Imperatoris.

148 Tandem circa hanc partem aduertendum, quòd tãta est excellentia officij Episcopatus, & exigens tot vires, & fortem animum, vt inter obseruantias regulares paucæ inueniantur, quæ vel non impediant, vel non dedeceant dignitatem Episcopi præter obseruantiam trium votorum; vnde est quòd religiosus Episcopus ex hac parte erit ferè ab omni obseruantia regulari solutus iuxta dicenda in sequenti conclusione D. Thomæ.

SVMMARIVM.

1 *Ad obseruantias incompossibiles cum officio Episcopatus non tenetur Episcopus Regularis, numer. 149.*
2 *Regularium legum multiplex discrimen, & ideo plures non conueniunt Episcopis. num. 150.*
3 *Ad quatuor capita reducuntur obseruantiæ dissonæ statui Episcopali. num. 151.*
4 *Abstinentia maximè decet Episcopum. nu. 152.*
5 *Abstinentia vtilitates. num. 152.*
6 *Abstinentia lex grauis si sit indispensabilis. nu. 153.*
7 *Quæ abstinentia grauis. n. 153.*
8 *Abstinentia à carnibus non est censenda dissona Episcopa. n. 154.*
9 *Obligatio ad chorum nocte, & die dissona statui Episcoporum. n. 155.*
10 *Paucæ remanent obseruantiæ regulares ad quas obligentur Episcopi. n. 156.*

149 SEcunda conclusio D. Th. est in qua decernitur, quòd ad obseruantias regulares, quæ sunt repugnantes officio Episcopatus, religiosus Episcopus non tenetur. Fauet huic conclusioni decretum S. Gregorij Papæ. *lib. 4. Epist. 1.* quòd habetur *cap. 2. 16. quæst. 1. ibi. Nemo potest Ecclesiasticis obseruantijs deseruire, & in monastica regula ordinatè persistere, vt ipse monasterij districtionem teneat, qui quotidie in ministerijs Ecclesiasticis cogitur permanere.* Quòd licet sit dictum à S. Greg. ad euitandum abusum, qui introducebatur, vt Clericis traderetur cura monasteriorum, & monachorum. Tamen satis ostendit, quòd in multis incompossibilia sunt regula monastica, & officium Episcopale, vnde huiusmodi tanquam Episcopo non conuenientia, à monacho assumpto ad Episcopatum sunt relinquenda. Non tamen ex eo capite deducitur, vt vult *Suarez d. cap. 17. num. 6.* quod ad nullã teneatur. Ex verbis enim Greg. habetur quidem incompassibilitas vitæ Regularis, & vitæ Clerici sæcularis, ex qua sequitur quòd Episcopus non teneatur ad seruandas omnes obseruantias regulæ ratione incompossibilitatis cum officio Episcopali, vt in hac conclusione asseritur: Sed non sequitur quòd ad nullas teneatur, nimirum ad illas, quæ decenter possunt ab Episcopo custodiri.

150 Est autem circa hãc conclusionem aduertendum primò ex Caietano, quòd non solùm impediunt officium pontificale quæcumque sunt cum eo impossibilia seruari, sed etiam quæcumque dissonant à pontificali dignitate, & non decent Epis. Et licet, vt notat etiam *Sanchez loc. cit. nu. 11.* Soto credat nullam dari obseruantiam regularem, quæ non deceat Episcopum, tamen in rei veritate nonnullæ sunt, vt bene *Caiet. Tabien. & Valentia aduertunt.* Sed & præterea aliæ sunt, quæ sunt personales afficientes hoc vel illud particulare genus personarum, vt quæ respiciunt officiales, vel nouitios, vel studentes. Aliæ etiam directè respiciunt personas intuitu vniuersitatis, & collegij, quæ propterea personas non afficiunt nisi? vt sunt de Collegio, & in collegio viuunt, vt est ordinatio non exeundi à domo certis horis, & sine licentia, & aliæ similes, ad quas Episcopus à Claustro assumptus non tenetur.

151 Considerandum verò est secundò D. Th. huiusmodi obseruantias, quæ statui Episcopali repugnant reduxisse ad quatuor capita, scilicet solitudinem, silentium, abstinentias, & vigilias graues, solitudo enim Episcopali officio repugnat, cum Episcopus debeat docere, prædicare, ius dicere, audire fideles ad se velut ad Patrem, & iudicem continuè recurrentes. Ideo silentium prorsus est pontificali officio contrarium.

152 De abstinentijs tamen, & vigilijs non absolutè, & vniuersaliter affirmat D. Th. quòd repugnent statui, & officio Episcopi, sed solùm de aliquibus, id asserit, & meritò. Nam aliàs abstinentia maximè decet Episcopum, quoniam, & *Apost. p. ad Tim. 3.* requirit in Episcopo sobrietatem, & *Concil. Trid. sess. 25. cap. p. de refarm.* decernit quòd Episcopi modesta supellectili, mensa, ac frugali victu sint contenti. Aliàs verò quod abstinentia nedum corpori, sed menti sit vtilis habetur ex eo, quod secundùm *S. Athan. lib. de Virg. Ieiunium morbos sanat, distillationes exsiccat, mentem nitidiorem reddit.* Et secundùm *S. Ambr. lib. de Elia cap. 8. Ieiunium est continentiæ magisterium, pudicitiæ disciplina, norma virtutis, purificatio animæ, senectutis gratia, custodia inuentutis, infirmitatis alleuiamentum, alimentum salutis.* Duas enim generales vtilitates affert ieiunium, quia primò corporis sanitatem, & vitæ tribuit longitudinem; Vt plurimùm enim morbi ex excessu in cibo, & potu oriuntur. Et econtra bene dixit *S. Io. Chrysost. hom. 29. in epist. ad Hebræos,* & habetur *c. 28. de consecr. d. 5. Nihil sic iucundum est, sicut cibus bene digestus, aut decoctus, nihil sic salutem nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio: sufficientia quippe cum nutrimento, & sospitatem simul etiam procreat, & voluptatem.* De qua te videri, possunt, *Hiar. epist. 2. ad Nepot. & l. 2. adu. Iouin. Cyprian. de ieiunio Christi, Chrys. hom. 49. in p. ad Cor.* Et ita nedum Theologi ieiunium sanitati corporis proficere dixerunt, vt videre est apud *Less. l. 2. de iust. cap. 2. d. 10. Filliuc. tract. 27. cap. 1. q. 7. Barbos. de off. Epis. par. 1. tit. 2. Gloss. 5. num. 16.* Sed & Medici ipsi, id profitentur, vt videre est apud *Codronch. de Christ. med. rat. l. 1. cap. 26. & Io. Alphons. à Forench. in*

spec.med.Chris. lumin.2. in princ. quos refert, & sequitur *Zacbias lib.5. tit.1. q.1. num.23.* Secundò ieiunium est valde vtile animæ; vt Patres omnes affirmant, & præcipuè supra citati, & præterea *Ambros.serm.25. Chrysolog.serm.12. S. Aug.230. de temp. & lib. de vtilit. ieiun. Ignat. Epis. ad Philip. D. Tho. 2.2. quæst.147. a.1. Chrys. hom.1. in Gen. Leo Magnus ser.2. de ieiun.10. mensis.* Et inter alias vtilitates hæc est in proposito valdè consideranda quòd acuit sensus tam externos, quàm internos humoribus superfluis consumptis, & animum ad illuminationes diuinas præparat, vt dixerunt *Chrys. & Leo citati*, & considerat D. Th. loco citato. Quod maximè necessarium est in Episcopo vt possit à Deo edoceri, & vt possit ex animo super sui gregis curam vigilare, & negotijs indefessè attendere. Vnde abstinentiam, & ieiunium conuenire statui Episcopali est ex his manifestum, & experimento comprobarunt *S. Aug.* qui quantùm temperantiæ studuerit refert ipse *lib.10. Confess. cap.31. S. Fulgent.* qui nec tempore infirmitatis carnis, & vini vsum adhibuit teste *Surio* in eius vita. *S. Io. Chrysost.* qui vno tantùm hordeaceo ferculo contentus erat non comedens carnes, nec bibens vinum. *S. Basilius* cui panis, & aqua sufficiebant, *S. Ambros.* qui singulis diebus ieiunabat præterquam in Sabbatho, & die Dominico, & celebrioribus festis Martyrum, *S. Thom. Cantuar.* qui leguminibus contentus pauperes quotidie secum discumbere faciebat.

153 Propterea S. Thomas inter ea, quæ repugnant statui Episcopali non posuit abstinentiam absolutè, aut ieiunium, sed solùm aliquas abstinentias, & vigilias graues. Nam negari non potest, quin abstinentia, si moderationem excedat, diminuat vires corporis, sicque etiam impedimentum animo ad internas sensuum, & intellectus operationes, quarum vsus est Episcopo maximè necessarius. Propterea videndum est, quænam dici possit abstinentia grauis. Mihi autem primò videtur quòd omnis illa grauis sit, quæ statuta est vt indispensabilis, quia nimirum indispensabilitas in materia abstinentiæ grauis obligatio est repugnans statui Episcopali; maximè enim conuenit Episcopo hæc libertas, vt iuxta temporum, & occasionum conditiones possit vti qualibet ciborum qualitate, saluis semper communibus præceptis; ideò conuenit, vt leges particulares præcipientes abstinentiam maiorem sint in manu Episcopi, qui nedum cum omni facultate, quam habent Prælati sui Ordinis, etiam Generalis, sed cum maiori etiam, si opus sit, possit ex iusta causa secum dispensare ex leuioribus etiam causis, quàm dispensetur in lege ieiunij Ecclesiastici, & ex omni rationabili causa ex bono publico, & ratione sui officij prouenientè. Deinde verò ad hoc vt abstinentia sit talis, quòd ab eius lege Episcopus sit simpliciter absolutus, debet esse talis, vt ex natura sua simpliciter, non possit sustineri sine incommodo, & vel impedimento officij, vel dedecore dignitatis. Nam si solùm per accidens in aliquo repugnaret dignitati, aut officio Episcopatus, essemus in alio casu, in quo lex obligaret, licet Episcopus in ijs paucioribus casibus vti posset dispẽsatione. Talis verò abstinentia grauis dicẽda est cõtinua abstinẽtia, quæ permitteret solum vsum olei, & leguminũ.

154 An verò abstinentia continua à carnibus dici debeat grauis, ita quòd propterea simpliciter sit dissona officio Episcopatus; multi id affirmant. Quidam ex eo putant abstinentiam à carnibus nõ conuenire Episcopo, quia cum ipsum deceat esse hospitalem, *1. ad Tim. 3.* conueniens sit, vt non recipiat hospites ad mensam cibis quadragesimalibus paratam, aut quòd ipse non conueniat cum illis in cibis, sed vtatur cibo quadragesimali. Sed cum verum sit, quòd Episcopus debeat esse hospitalis adeoq; *S. Hieron. ad Ocean.* dixerit, quòd Episcopi, *domus omnium debet esse hospitium.* Episcopi nihilominus hospites pauperes præcipue esse debẽt, & peregrini. Illius enim, qui dispersit, & dedit pauperibus iustitia manet in seculum seculi. Et Ecclesiæ bona, quæ Christi patrimonium sunt, bona pauperum dicuntur, *cap. indignè 12. q.2. cap. vlt. 16. q.2. cap. quod autem, 23. q. 2.* Nam alias Conuiuia ab Ecclesiasticis esse vitanda tradiderunt, *S. Hieron. epis.2. ad Nepot. & S. Ambr. lib.1. de off. cap.20.* Pauperes igitur potest Episcopus quotiescumque voluerit etiam ad mensam quadragesimalem recipere, vel etiam eis lautiorem mensam parare, cum nec sit necesse, quòd ad mensam propriam eos recipiat. Si verò aliquando contingat, quòd non pauperes ad conuiuium dignum Ecclesiastico recipiat, bene poterit, si sibi rationabile visum fuerit, secum dispensare super lege abstinentiæ, neque ex huiusmodi casibus, qui rarò contingunt; potest concludi, quòd abstinentia à carnibus sit per se dissona statui Episcopatus. Alijs verò videtur hæc abstinentia onus graue, quia alij cibi sunt noxij saluti, mali succi, & peioris nutrimenti, qui generando superfluitates, & excrementa, nedum vires corporeas debiliores reddunt, sed non paruum impedimentum viribus animæ præbent. Sed qui solutionem huius argumenti desiderat ex principijs medicinæ, legat *Paulum Zacbiam in quæst. Medico legalibus lib.5. tit.1. q.1. & 2.* vbi *q.1. nu.26. ex Plutar. lib. de tranquill. an.* asserit vini, & carnis pleniorem vsum corpus quidem validum facere, animum verò imbecillum, & fragilem *quæst. verò secunda à n.10.* longo discursu probat pisces boni succi esse, & cum auibus montanis in paritate conuenire, & quòd optimum præbent nutrimentum, & quod antiquitus Hipocrates, & Galenus pisces tanquã optimi nutrimenti dabant aliquibus ægrotis, multam vtilitatem ex medicinæ principijs de alijs quadragesimalibus cibis probat. His verò si addatur, quòd oua sunt optimi nutrimenti, vt fatentur omnes, vnde etiam dantur infirmis, bene apparet, quod abstinentia à carnibus, cum qua ante Diluuium homines ferè ad mille annos viuebant; & hodie viuunt tot viri Religiosi; & viuebant antiquitus Monachi, vsque ad decrepitatem, *cap. carnem de consec. dist.5.* non est tam grauis per se, & ex se, vt statui Episcopali, quem decet sobrietas, & abstinentia non sit conformis, maximè supposita in Episcopo facultate vtendi dispensatione, & vescendi carnibus, vbi id petat causa rationabilis. Et ideo quod Episcopus Regularis ex eo ordine assumptus in quo est lex abstinentiæ à carnibus; si id facere possit sine scandalo teneatur legem seruare, docuerunt *Panorm. Archid. Hug. Goffred. & Azor. sup. n.134. relati.*

155 Inter obseruantias graues verò, & dissonas Episcopo est vigilia grauis quæis est continua obli-

obligatio, vel longa, aut frequens surgendi de nocte ad persoluendum matutinum, sed & grauis est Episcopatui obligatio ad chorum nocte, & die.

156 Quamobrem si rem hanc interius meditemur, apparebit, quòd tandem præter obseruantiam votorum, & habitus saltem conuenientis in colore cum Religioso valde paucæ remanent Regulares obseruantiæ, ad quas teneatur Episcopus. Nam primò remouentur omnes, quæ respiciunt specialia genera personarum, secundò illæ etiam, quæ per se primo respiciunt collegialitatem, & non afficiunt nisi viuentes in collegio, & intra claustra, tertiò omnis alia etiam religiosa obseruantia, vel respicit habitum vel vitam & actiones Religiosi. A forma habitus, iam Episcopi sunt exempti ex concessione Clementis Octaui, & solùm seruare suarum Religionum colorem tenentur. Quantùm verò ad habitum interiorem, si non sit communis, & ex lineis, facile est, vt ex nimia austeritate repugnet officio Episcopatus, vt est habitus minorum. Non tamen de facili admitterem, quòd Episcopus ex Ordine Prædicatorum assumptus possit, vti libeis ad carnem, & non deferre indusium laneum ex subtili materia; quia hoc nec debilitat naturā, nec est valde graue illum deferre, & quamuis, quia Constitutiones huius Ordinis non obligant ad culpam, & à lege vt pœnali Episcopi sunt soluti videatur dici posse, quod Episcopus ex Ordine Prædicatorum assumptus ad hanc, vel alias obseruantias Constitutionis non maneat obligatus; tamen obligatus remanet suo modo, vt negligentia obseruandi eas sit aliqua culpa, & multò magis consuetudo, & voluntas illas non seruandi quædam dispositio ad contemptum sit, & vt supra dicebatur, licet sit solutus à pœna Constitut. non tamen à debito morali satisfaciendi pro inobedientia. *Illustriss. Lucar. d. c. 2. num. 341.* adducit, Religiosos Episcopos etiam in collari debere deferre signum aliquod suę professionis, vt in iis quorum regula, vsum subuculæ laneæ imponit sit laneum, & quòd in Episcopis Franciscanis maximè Reformatis decet esse coloris cinericij, quod & consuetudo apud ipsos iam obtinuit. Cæterum si actiones consideremus, vel istæ respiciunt vtilitatem proximi, & ad huiusmodi obligatur Episcopus altiori modo, ita vt illius sit ordinare, non verò semper ministrare, & exequi. Vel respiciunt bonum ipsius Episcopi. Et istæ actiones si sint ex genere actus virtutis, ad eas altiori modo obligatur Episcopus, qui & tenetur legere, meditari, orare, eleemosynas facere, corrigere, docere. Vnde circa actus virtutum non diminuitur, sed augetur in Episcopo obligatio; sed tamen modus proprius exercendi hos actus in Religione est modus priuatus, & subditorum, sed Episcopus ad illos tenetur ex munere publico, & ex officio, & tanquam aliorum director, & perfector. Sed si actiones ex genere sint indifferentes, omnes comprehendi videntur sub solitudine, aut silentio, aut abstinentia, vel vigilias. Vnde posito quòd Episcopus, nec sit obligatus ad cellam, & claustra, nec ad silentium remanent solùm abstinentiæ, seu vigiliæ non graues, aut similes quædam obseruantiæ ad quas Episcopus possit esse obligatus.

SVMMARIVM.

1 *In obseruantijs, quæ non impediunt perpetuo officium Episcopi ipse potest vti dispensatione. numer. 157.*
2 *Tres sunt causæ dispensandi, desumptæ ex officio, persona, & conuictu. n. 157.*

157 Quarta conclusio textus asserit religiosum Episcopum posse dispensatione vti in alijs obseruantijs, quæ non impediunt perpetuò officium Episcopi, sicut & alij Prælati suæ religionis facere possunt. Vnde hic primò considerandum, quòd licet officio Episcopi non repugnet v. g. continua abstinentia a carnibus, vel ieiunium ad longum tempus, potest tamen Episcopus ex quacumque rationabili causa secum dispensare, vnde illa obseruantia non est censenda grauis. Secundò diligenter aduertendæ sunt causæ legitimæ dispensandi, quas D. Thom. reddit, sunt enim tres, quæ respiciunt vel personam Episcopi, vel eius officium, vel alios cum quibus viuit, ideo vbi in singulari vel personæ necessitas aliqua, vel officium, vel alij cum quibus Episcopus viuit, exigunt dispensationem in obseruantia regulæ, potest Episcopus secum dispensare. Cum immò hæc sit regula certa, quòd Episcopus est à iure solutum ab obligatione regulæ vel in vniuersali, vel in casibus singularibus, quotiescumque regulæ obseruantia impedit illum ab exercitio sui officij. Ad huius officij necessitatem reducitur etiam necessitas personæ, vel conuictus cum alijs quia & personæ infirmitas, & conuictus honestas cum alijs, ad perfectè exercendum officium suum in Episcopo necessaria. Cæterum vbi ex obseruantia regulæ nullum nascitur impedimentum officij, non est, cur Episcopus non teneatur ad id quod in professione sua promisit.

SVMMARIVM.

1 *Responsio ad primum explicata à remissiue, numer. 158.*

158 Responsio ad primum in qua explicatur *cap. statutum 18. q. 1.* abundè est explicata superius à *num. 114.* & latè probatum, quòd dictus textus non suscipit aliam explicationē, quàm illam, quam hic tribuit D. Th.

SVMMARIVM.

1 *Cur in Episcopo maneant vota simplicia emissa intra Religionem. nu. 159.*

159 In responsione ad secundum. Redditur ratio, cur vota simplicia sæcularium per votum professionis cassentur, & vota Religiosorum per votum Episcopalis officij non tollantur, quia professio per quam homo totum se ipsum per totam vitam consecrat Deo, ad vota simplicia sæcularium se habet, vt commune ad particularia, quæ superfluunt habito vniuersali; sed professio ad Episcopatum se habet vt dispositio, quæ superueniente forma & perfectione non deficit

cit nisi in quantùm perfectioni repugnet. Quoniam verò in Religionibus præter vota solemnia sunt etiam vota aliqua simplicia videndum est in præsenti.

SVMMARIVM.

1 *Quod præter tria vota Religionis ad alia ex statuto emissa non teneantur Episcopi Regulares quidam sentiunt. num.160.*
2 *Præfertur opinio contraria. n.161.*
3 *Episcopus tenetur obseruare vota in Religione emissa in quantum non repugnant officio Episcopatus. n.162.163.*
4 *Hæc obligatio non est ex lege vi coactiua. n.164.*
5 *Prælatus Regularis non potest Episcopi Religiosi vota relaxare. n.165.*
6 *Episcopi ex Ordine Minimorum & aliorum Ord. tenentur ad vota emissa ab eis ex statutis suorum Ordinum. n.166.*
7 *Prælati Regulares super votis ex statuto Religionis emissis non possunt dispensare. n.167.*
8 *Prælati Regulares super votis sui subditi emissi ex statuto alterius Religionis, in qua professionem emiserat, non possunt dispensare. n.168.*

An in Religioso Episcopo maneant in sua vi vota simplicia, quæ in sua Religione emisit, præter vota solemnia suæ professionis.

160 NAm *Sanchez dict.l.6. cap.6.nu.15.* quem sequitur *Palaus tract. 16. disp.4. p. 24. num.5.* distinguit vota Religiosorum in priuata, & in illa quæ fiunt ex instituto ordinis. Nam sunt aliquæ Religiones, in quibus præter tria vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ emittuntur alia vota, vel solemnia, vt in Societate Iesu votum obediendi Pontifici in missionibus, & in Religione Minimorum, votum abstinentiæ quadragesimalis, & in Religione B. Mariæ de Mercede, votum incumbendi redemptioni captiuorum, vel simplicia, vt in societate Iesu emittuntur quinque alia vota simplicia, inter quæ illud est per quod Religiosus promittit, quòd si ex obedientia Pontificis coactus acceptabit Episcopatum, adhuc non detrectabit audire consilium Generalis, vel eius, quem ad id substituerit. Hac autem supposita distinctione, admittens in fine illius numeri manere in religioso Episcopo vota priuata, quæ non fuerunt a Prælato eius irritata, dicit apud eum non manere vota specialia solẽnia, vel vota simplicia, quæ fiunt ex communi instituto Religionis, sed eorum obligationem cessare, & suspendi *Barbosa de off. Episc. p.c. tit. 1. c.4. num.14. in fine,* ex *Lezana p.p. cap.17. num.10. Pasqualig.* latè de singulis istis votis expresse id affirmans *decis.175.& seqq.* Probatur autem, quia huiusmodi vota emittuntur, vt annexa, & accessoria professioni monasticæ, à qua liber manet Episcopus, & ordinantur ad faciliorem communitatis religiosæ perfectionem, & ordinem, sicut obseruantiæ regulares, à quibus Episcopus est exemptus. Secundò quia eorum votorum materia valde immutata est in Episcopis, vnde non potest eorum obligatio non cessare.

161 Oppositũ tamen sentiunt *Caiet. hic, & in opusc.tom.1.tract.25.q.2. Sotus lib.vlt.de iust.quæst.vlt. art.vlt.vers.sed contra, Suarez tom.4.de Relig. trac.8. l.3.cap.17.num.8. Ledes.de stat. Episc. concl.25. dub.2. Lucar.c.2.num.218 & 792. Vasq.* loquens in particulari de voto consulendi Generalem Societatis *p.2 q.96.a.4.disp.165.num.89.* & hæc opinio vera est & amplectenda, quam etiam defendunt, *Peyr. in insubd. quæst.4.cap.2. & Tambur.tom.3.de iure Abb. disp.2.q 9.num.12.*

162 Eadem igitur distinctione respondendum est, qua quæstio de obseruantijs regularibus soluta est. Vel enim votorum particularium obseruantia repugnat, & moraliter impedit liberum exercitium officij Episcopatus, vel non impedit, nec ei repugnat. Si primum detur, suspenditur talium votorum obligatio, quia maius vinculum est vinculum officij Episcopatus, & ex hoc quòd assumitur aliquis ad Episcopatum remanet absolutus à votis, quæ sunt impedimentum ad Episcopale officium pro dignitate exercendum.

163 Sed vbi obseruantia voti specialis nec est impedimentũ officij Episcopi, nec dedecet Episcopalem dignitatem, contra rationem est asserere, quod voti obligatio vel extinguatur, vel suspendatur ex assumptione ad Episcopatum. Quod enim dicitur huiusmodi vota esse annexa professioni vitę monasticæ, nõ probatur. Nam licet huiusmodi vota non sint de substantia Religionis absolutè, tamen non continent obligationem ex lege superioris, nec ad illarum obseruantiam tenetur, qui vouit, ex lege alterius sed ex lege sibi indita, & ex promissione facta Deo & ex præcepto virtutis religionis, vt bene *Caiet. & Sotus* aduertũt; vnde obseruantia cuiuscumque voti est de substantia perfectionis, esto non esset de substantia perfectionis religiosæ. Quamuis igitur religiosus Episcopus esset solutus a regulæ obligatione (quod etiam ex supra probatis negatur) non est solutus a vinculo propriæ promissionis. Et numquid si religiosus legitimè contraxisset cum aliquo, cui se obligasset ex iustitia, & iuramento, assumptus ad Episcopatum esset exemptus ab obligatione? Itacum non maneat solutus ab obligatione priuati voti, multò minus manet priuatus ab obligatione votorum quæ emisit ex instituto regulæ, semper enim ratio militat, quia hæc non est obligatio ex lege vi coactiua, sed vt directiua, & quæ est ex honestate virtutis religionis, & ex eius præcepto. Secundò nam quòd ait *Barbosa,* scilicet, credendum esse, quòd religiosus huiusmodi vota emittat conditionatè pro tempore quo manet in religione, est dictum sine fundamento. Nam vnde hoc colligitur? Maximè cum votum Societatis IESV de consulendo Generali respiciat tempus Episcopatus extra religionem? Neque finis præcipuus professionis vitæ monasticæ est perfectio communitatis vt distinctæ a singularibus personis. Sed finis eius est perfectio in singulis, & eò quisque ingreditur religionem, non vt perficiat communitatem, sed vt ipse sit perfectus, & perfectè Deo adhæreat, ex quo fine singulorum oritur postea quod religio sit perfectissima communitas; ideo vota religiosorum directè & immediatè ordinatur ad perfectionem profitentis, à cuius amore, & studio non

auocat

auocat officium Episcopi, sed illum auget & perficit. Tertiò nam quòd dicitur, quòd materia talium votorum notabiliter mutatur per assumptionem ad Episcopatum, non est per se, atque ideo non est vniuersaliter verum; Non enim est necesse vt in religione non voueatur id, quòd valde sit conforme dignitati Episcopali. Vnde non debet vniuersaliter & per se, responderi quòd huiusmodi votorum obligatio vel extinguatur, vel suspendatur, sed in particulari considerandum est, si alicuius materia per accidens adeò mutetur vt cesset voti obligatio, & de illo voto particulari affirmari, quòd eius obligatio, vel extinguitur, vel suspenditur. Sed absolute & formaliter, & per se asserere, quòd ex assumptione ad Episcopatum cessat obligatio specialium votorum etiam solemnium, quæ fiunt ex instituto religionis alicuius non est verum; obligatio enim voti de se est perpetua, & de se nullam repugnantiam habens ad officium Episcopatus, vnde per assumptionem ad Episcopatum non cessat, nisi per accidens in casu quo voti obseruantia pontificale officium impediat. Quamobrem si voti obseruantia in parte non impedit officium Epis. tenetur religiosus Episcopus ad eam sui voti obseruantiam, quæ non dedecet officium Episcopi. Sicut licet religiosus non Episcopus in particulari necessitate non obligatur ad votum, non per hoc est à voti obligatione solutus extra casum necessitatis, sed tenetur suum votum obseruare quantùm potest.

164 Bene tamen *Sanchez n.16.* admonet, hanc obligationem in religioso Episcopo nō esse ex lege vt coactiua per pœnas, vnde sequitur votorum transgressionem in Episcopo religioso non esse punibilem pœnis regulæ, nec subiacere censuris in regula statutis, quia Episcopus est solutus a lege regulæ vt coactiua per pœnas. Et ita priùs docuerant. *Sotus, & Angles floreb. 2. p. q. vnica de voto art. 15. post 13. difficul.* & postea *Lucar. n. 299.* Vbi quod si culpa violationis voti esset in Religione reseruata, non haberet in Episcopo locum hæc reseruatio.

165 Sed huiusmodi vota simplicia, quę in Episcopo Regulari perseuerant, possunt ne irritari nedum à Pontifice, sed etiam à Prælato Regulari? Affirmat *Reuerendiss. Lucar. de Epis.* Reg. *cap. 1. num. 262.* Tum quia huiusmodi vota continent hanc conditionem, nisi Prælatus, qui erat vouentis, contradicat. Tum quia si Regularis emittat votum implendum tempore Episcopatus, Prælatus Regularis potest id relaxare, & eius obligatio adueniente Episcopatu non reuiuisceret. Et pro hac sententia refere. *Eman. Sà v. voti irritatio num. 5. Syluium 22. quæst. 88. ar. 8. concl. 5. Nauar. cap. 12. num. 75. & Caiet. a Nauar. citatum.* Sed si hæc opinio esset vera, eadem ratione sequeretur, quod Prior postquam terminauit officium suum, & nullam amplius habet potestatem, & iurisdictioné posset irritare vota religiosi facta tempore sui Prioratus. Nam Prælati Regulares omnes, respectu Episcopi Religiosi non sunt Prælati, sed respectu illorum officium suum compleuerunt. Nec rationes allatæ probant. Prima enim assumit, quòd non probat, nec est verisimile, scilicet, quòd votum religiosi sit conditionatum hac conditione, scilicet, nisi Prælatus, qui erat vouentis, quando vouit, contradicat. Votum enim huiusmodi est quidem conditionatum hac conditione, nisi Prælatus dissentiat, sed non dependet a dissensu illius personæ, vel alterius, vel a dissensu dato ab eo Prælato qui tunc vel postea erit, nam nec Prælatus, qui tunc erat, si cessat esse Prælatus potest illud votum relaxare, & Prælatus, qui succedit illud irritare potest. Ideo votum religiosi non potest irritari nisi ab eo, qui sit Prælatus tempore irritationis, non verò ab eo, qui licet fuerit Prælatus tempore emissi voti, postea voto non irritato desiuit esse Prælatus. Ad aliud verò dicitur, quòd non est eadem ratio, & immò probat oppositum. Quia Prælatus irritat votum subditi pro futuro tempore emissi, quia pro præsenti est illius subditi Prælatus. quod fieri non posset, si de præsenti Prælatus non esset.

166 Hinc ad particularia magis descendendo dicitur v. g. votum non vescendi carnibus poterit esse, quòd huic vel alteri Episcopo non conueniat, sed absolutè maximè conuenit, tum quia Episcopum decet abstinentia, Tum quia habet maiorem commoditatem ciborum quadragesimalium. Tum quia Episcopus nō maiorem requirit corporis fortitudinem, & mentis applicationem ad perfectè obeundum munus Episcopale, quam expostcat officium Generalatus Religionis alicuius in qua emittatur votum abstinentiæ à carnib. Et tamen cum huius voti obseruantia Generales suo muneri non deficiunt. Ideo Episcopus assumptus ex Ordine Minimorum per se tenetur ad obseruantiam voti abstinentiæ quadragesimalis, quod in tali Religione emisit. *Montaya, in Cron. Minim. cap. 13. §. 9. Vasquez p. 2. disp. 155. cap. 8. numer. 89. Ledes. p. 2. de stat. Epist. c. 3. concl. 15. d. 2. Peyrin subd. q. 4. cap. 2. Tambur. de iure Abbat. tom. 3. disp. 3. quæst. 9. num. 12. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 3. cap. 17. num. 8.* Sic Episcopus ex Ord. Prædicat. æquè bene & meliùs potest seruare iuramentum de non discedendo a doctrina S. Thomæ. Votum verò non procurandi vel acceptandi dignitates extra ordinem respicit dignitates absolutè, & ideo conuenit etiam Episcopo Regulari; vt satis certè deducitur ex Constit. 140. & 165. Vrban. VIII. Quod fortiùs procedit in casu, quòd rediret Episcopus ad statum Religiosū, tūc etenim materia voti manifestius subesset, & votū obligaret, vnde in Episcopo Religioso simile votum non est extinctum. Similiter non dedecet Episcopum mitti missionarium ad cōuertendos infideles indos. Quod nedum verum est de Episcopo titulari, sed etiam de eo, qui habet Ecclesiam, quam ex vi voti etiam tenebitur relinquere, si Pontifex iubeat. *Suarez loc. sup. citat.* Pariter procurare quando opus est, & iniungitur redemptio captiuorum, non dedecet Episcopum & ideo tale votum in sūpto ex Ordine de Mercede Episc. remanet. Item ministrare infirmis in aliquo vili ministerio non conueniet dignitati Episcopi, sed absolutè ministrare infirmis est opus nobilissimæ charitatis, vnde in Episcopo assumpto ex Ordine Clericorum ministrantium infirmis remanet votum præfatum.

167 Superiora autem magis confirmantur ex sequentis difficultatis solutione, dum quæritur, an Prælati Regulares cum suis subditis possint præfata vota relaxare, aut super illis dispensare? Et quidem si vota sint emissa ex libera voluntate Religiosi, hæc subiacent dispositioni Prælati Regularis, vt dum Religiosus est sub eius iurisdictione, possit il-

la

la commutare, vel dispensare, vel irritare. Secus verò quando Religiosus iam est Episcopus, & non subditus Prælati Regularis. Sed difficultas est de illis votis, quæ ex instituto Religionum emittuntur, & de istis iam certum est, quòd votum non procurandi aut acceptandi dignitates, aut Præ aturas extra Ordinem, nisi præceptum Superioris compellat, non est dispensabile nisi à Romano Pontifice, ex declaratione Vrban. VIII. in const. *Honorum*, quæ est in Bullario 165. Vnde remanet difficultas de alijs votis huiusmodi, quæ etsi non sint solemnia, sed dicantur simplicia, ex quo tamen ex instituto Religionis in manibus Superioris regularis emittuntur, qualia sunt quoque vota, quæ emittūt PP. Societatis, quorum fit mentio *à Greg. XIII. in Constit. Ascendente Domino*, & de quibus agunt *Rodriq. p. 1. q. 16. a. p. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 10. l. 6. cap. 8. & 9.* nimirum votum non assentiendi relaxationi paupertatis. *Const. p. 6, cap. 2. §. 1.* Votum non procurandi aliquam dignitatem, vel Prælaturam intra Ordinem. Votum non procurandi, nec admittendi dignitatem, aut Prælaturam extra Ordinem, nisi quis ex præcepto Superioris sit compulsus, qui valeat illud præcipere. Votum de audiendo consilio Generalis, vel ab eo substituti, si contingat aliquem esse Prælatum extra Ordinem, & de exequendo, id quod Generalis, vel substitutus si ipse iudicauerit id esse melius. Quę tria vota habētur statuta *Const. p. 10. §. 6.* Vbi etiam habetur aliud votum, quòd est quintum, scilicet votum manifestandi, quem animaduerterit procurasse dignitatem aliquam, vel Prælationem intra Ordinem. Duplex verò hic est difficultas: primò an talia vota possint irritari, aut dispensari, vel commutari à Prælatis eiusdē Religionis. secundò an dato quòd huiusmodi Religiosi transeant ad alium Ordinem, in quo talia vota non emittuntur, Prælati illius Ordinis ad minùs Generalis possit eadem vota irritare, vel super eis dispensare. Et quantùm ad primam partem certum est, ea vota in illis Religionibus esse indispensabilia, seu non esse irritabilia. Oppositum quidem huius tenuit *Rodriq. p. p. q. 26. a. 1.* Vbi tamen inter vota simplicia dictæ Religionis Societatis ponit votum obediendi Pontifici in missionibus, quod tamen in ea Relig. non est simplex sed solemne vt ex Const. & Bullis Pontificijs probat *Suarez tom. 4. de Relig. trac. 8. l. 2. c. 12. num. 19. & trac. 10. l. 6. cap. 4. per totum.* Sed oppositum omnino est certum. Quia vt habet *Concil. Trid. sess. 25. de Regul.* substantialia Religionis debent esse immutabilia, huiusmodi verò vota sunt de substantia specifica talium Religionum, tanquā instituta vt fundamenta quædam Religionum immobilia, & ideo in illis Religionibus immutabilia esse debent, vt non liceat super illis dispensare, quæ veluti complent speciem talis status. *Suarez d. trac. 8. l. 2. c. 12. a num. 30.* latè hoc probans. *Lucar. vbi supra num. 301.*

168 Sed neque si Religiosus transeat ad alium ordinem, in quo similia vota non sunt substantialia potest super illis eum eo dispensari à Prælatis illius Ordinis ad quem fit transitus. Cum hoc sit certum ex præfata Const Vrb. VIII. de voto non procurandi immò & acceptandi liberè Prælaturas extra Ordinem; aliqui nihilominùs de alijs votis hoc negant. Sed debuissent probare differentiam. Consideratur enim, quòd illa Const. est declaratio; at verò declaratio non est inductiua nouæ legis, sed prioris legis explicatiua. Et certè ante Vrb. VIII. nulla erat positiua lex quæ prohiberet dispensare super præfato voto. Vnde lex illa Vrban. VIII. quæ est declaratio præcedentis obligationis, & prohibitionis nullam aliam quàm naturalē & diuinam consurgentem ex natura talis voti supponit, & declarat. Cum verò ex natura rei non sit discrimen inter hoc, & alia vota præfata, sicut hoc, ita & alia sunt indispensabilia. Ratio autem quam Pontifex exprimit hoc idem comprobat, quia scilicet Religiosus non debet respicere retro, ibi *retro respicientes, emissique à se voti huiusmodi immemores*. Vnde sicut in priori Ordine fit immutabili voto obligarunt, hæc voti immutabilitas, quæ de se non parùm ad perfectionem spectat, debet & in alio Ordine permanere, aliter Religiosus retrocederet à statu perfectionis. Ex ijs ergo magis confirmantur supradicta, & apparet vota esse personales obligationes, quæ comitantur personam, etiam si transeat de statu ad statum, & quod vota ista, quæ sunt de substantia specifica Religiosorum talia sunt, quòd nullus nec Prælatus Regularis, nec Nuncij, nec Legatus de Latere potest super illis dispensare. Quòd quidē magis cōfirmatur etiam ex verbis Constit. Vrbani VIII. quæ incipit *Honorum*, ibi, *Nihilominus aliqui ex ipsis Regularibus etiam translati ad alios Ordines Regularium etiam mendicantium, qui prædictum aut simile votum non emittunt*. Apparet enim ex his Pontificem habuisse huiusmodi vota pro similibus, & ex eadem ratione esse indispensabilibus, & pro talibus eum omnia illa habuisse, & declarasse.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus religiosus qualiter obligetur ad vota solemnia. num. 169.*
2 *Tenetur ad votum castitatis. n. 169.*
3 *An esse Religiosum sit circumstantia exprimenda. n. 169.*

169 IN respons. ad tertium tractat D. Th. qualiter Episcopus teneatur ad votū obedientiæ & paupertatis Nam de voto castitatis certū est, Episcopum religiosum non esse ab eius obligatione exemptum, cum nec alij Episcopi ab illo sint exempti. Sed in Episcopo Religioso votum castitatis fit aliquomodo magis consceratum, & ita quòd etiam violando hoc votum magis peccet religiosus Episcopus, quam simplex religiosus, aut religiosus sacerdos. *Suarez tom. 4. de Rel. tr. 8. l. 3. c. 17.* An vero sit circumstantia explicanda in confessione pendet à resolutione illius quæst. an circumstantiæ non mutantes speciem sint necessario exprimendæ, si aggrauent in infinitum. I edesma vbi supra putat esse exprimendam. Sed hoc negat *Suarez t. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. c. 8. num. 5.*

SVMMARIVM.

1 *Quod in Episcopo Religioso non maneat votum obedientiæ, aliquorum opinio. n. 170.*
2 *Certum est manere votum obedientiæ in Episcopo Regulari. n. 171.*

3 Vo-

3 *Votum simplex non acceptandi dignitates omissum à Religiosis ex statuto comitatur personam inseparabiliter. Ideo hoc magis conuenit voto solemni. nu.172.*
4 *Episcopus Regularis non est simpliciter absolutus à iugo regulæ. nu.173.*
5 *In assumptione ad Episcopatum non commutatur status cum statu. nu.174.*
6 *Stat Episcopum esse Ecclesiæ Sponsum & obligatum alteri ex voto. nu.175.*
7 *Non tollitur votum obedientiæ ex eo, quòd Episcopus absoluitur ab obligatione obediendi superioribus ordinis. nu.176.*
8 *Superior supremus potest sibi religiosum immediate subijcere. nu.176.*
9 *Votum obedientiæ manet etiam omni superiore deficiente. nu.177.*
10 *Votum obedientiæ habet diuisibilem materiam. nu. 177. 180.*
11 *Episcopus religiosus est Religionis membrum. numer.178.*
12 *Licet non habeat ius viuendi de bonis* Religionis, *non per hoc est solutus ac voto. nu.179.*
13 *In Episcopo religioso non deficit materia voti; vnde ex hoc non infertur quòd votum deficiat. numer.180.*
14 *In assumptione ad Episcopatum non commutantur vota in obligationes Episcopales. n.181.*
15 *Votum obedientiæ manet formaliter, nu.182.*
16 *Cur D. Thom. dixerit eum manere virtualiter, num.182.*
17 *Pontifex religiosus non est solutus à votis. nu.183.*
18 *Sufficit votum manere virtualiter. n.182. 183.*
19 *Pōtifex vt Prælatus potest Episcopo* Regulari *præcipere quidquid est secundum regulam. n.184.*
20 *Papa potest Episcopum Regularem reducere sub obedientia Prælatorum. nu.185.*
21 *Episcopus non potest se subijcere obedientiæ Prælatorum. nu.186.*
22 *In Episcopo religioso inobedientia non est duplex peccatum. nu.187.*
33 *Iterum probatur Episcopum religiosum teneri ad obseruantias regulares. nu.188. 189.*

An in Episcopo Religioso maneat votum obedientiæ.

170 NOn manere dixerunt *Angles flor. 2. p. q. vn. de voto a. 2. post. 13. diff. dub. 5. Medina de sac. hom contin. lib. 5. c. 26. & 27. Ouand. dist. 38. prop. 17. Petrus Hurtad. de spe, & char. disp. 160. sec. 6. 5. S. 25. Bobadil. in sum. tom. 2. trac. 35. diff. 40. num 6.* Hanc quoque sententiam sequutus est *Pasqualigus decis. 268. num. 4.* & nouissime *Antonius Cotonius controu. l. 4. con. 5. num. 161.* & probatur. Tum primò ex *cap. statutum 18. quæst. 1.* ponderando, quòd cum obseruantia Regulæ non sit verum iugum, non potest textus ille intelligi nisi de absolutione à voto, in quo est substantia iugi. Sic non diceretur absolutus à carcere, qui solùm haberet licentiam ab ea egrediendi. Nam absolui à iugo non est tantùm non subijci iugo, sed est liberari ab obligatione vt subijciatur. Et ideo nec potest dici absolutus à iugo, ex eo quòd absoluatur ab obedientia Prælatorum, quia non est religiosus absolutus, nisi tollatur id quòd ligat. Ideo hoc confirmatur, quia Generales Ordinum etiam perpetui non ex hoc sunt absoluti à iugo monasticæ Regulæ, quòd nullum in Ordine habeant Prælatum, cui obediant, nisi summo Pontifici; sic enim & Episcopus Regularis si summo Pontifici vt Prælato teneretur obedire, non esset absolutus à iugo Regulæ. Secundò arguitur ex verbis eiusd. capitis. *Et sacra ordinatio de Monacho Episcopum facit*, quæ verba commutationem quandam important de vno in alium statum, quod locum habere non potest, si maneat votum obedientiæ. Tertiò nam Episcopus traditur in potestatem suæ Ecclesiæ sponsæ; quod fieri non posset, nisi eximeretur à potestate cuiuscumque, cui subijcitur ratione voti. Quòd confirmatur quia non potest obligari Episcopus ad ea, quæ sunt impeditiua sui muneris. Quartò quia cum votum obedientiæ consistet in indiuisibili, non absoluitur Episcopus ab obligatione obediendi Prælatis nisi simpliciter absoluatur à voto, quia votum non cessat obligare, nisi cesset in se ipso. Tum quia votum factum est Prælato Regulari, vnde non cessat obligare respectu illorum, quin cesset in se ipso. Tum quia Pontifex & Prælati se habent sicut vnus superior, igitur votum non potest non obligare respectu Prælatorum, quin cesset simpliciter. Tum quia votum nuncupatur immediatè Religioni, & Prælatis eius; igitur si soluitur respectu Religionis, soluitur quoque respectu Pontificis. Tum quia Pontifex vi voti non potest præcipere nisi secundùm regulam, ergo si Episcopus est absolutus à Regula, est solutus ab obedientia respectu omnium eorum, quæ spectant ad Religionem. Quintò quia Episcopus non est ampliùs membrum suæ Religionis, vnde non est in statu vt recipere possit influxus Capitis ipsius Religionis, & sic nec Pōtifex ex vi voti potest præcipere aliquid tali Episcopo, in quo est extinctum id, per quòd constituebatur membrum, nempe ius communicandi cum alijs in ijs, quæ sunt Religionis propter votum obedientiæ, in quo est tale ius essentialiter. Et confirmatur quia dum Episcopus desinit esse membrum, desinit compaginatio cum corpore, quæ præcipuè fit per votum obedientiæ. Item Episcopus amittit ius viuendi in communi cùm alijs Religiosis; ergo soluitur contractus factus in professione, quo acquisiuit tale ius; ergo soluitur etiam votum obedientiæ, in quo consistit talis contractus. Sextò cum materia voti sit regula, dum Episcopus Regularis à iugo regulæ est absolutus iuxta *cap. statutum 18. quæst. 1.* cessat materia voti obedientiæ; nec obstat, quòd aliqua sint compossibilia cum Episcopatu, quia illa pauca sunt, nec sufficiunt vt regula dicatur compossibilis, & status Episcopalis est extra regulam habens alios fines, & sic respectu eius cessat materia voti. Et confirmatur quia non potest cessare regula indiuisibilis, quæ importat talem determinatum modum viuendi, nisi in totum cesset. Tandem 7. potest addi, quod ex vi assumptionis ad Episcopatum ex natura rei cessat obligatio votorum, ex eo quòd vota professionis commutantur in obligationes Episcopatus, sicut vota secularis per professionem commutantur in obligationes Religionis. Stante enim natura Episcopatus Ecclesia non admittit professionem, nisi sub ea conditione, vt cesset obligare,

si professus, Episcopus fiat; sic in milite si fiat Dux cessant obligationes militis. Hæc tamen non sunt talia quæ mouere possint animum à sententia communi opposita, quæ est certissima.

171 Dicendum igitur est, in religioso Episcopo manere obligationem voti obedientiæ. Hanc sententiam cum D. Thoma hic, & supra *q 88.a.11. ad quartum & 4.d.38.q.1.a.4.quæst.1.ad 5.docuerunt B.Bonau.ead.dist.a.2.q.vlt.ad vlt. Palud.quæst.4.a.4. concl.11.* Riccard. *a.9. q.1. ad p.Maior q.20. a.3.c.p. contr.lus.supplem.Gabriel.q.1.a.1.Palat.disp.1. D.Anton.3.p.tit.20.cap.2.§.2. Turrecrem.cap. de monachis 16.q.1.num.3.Syluest.v.Religio 6.quæst.10. Armilla v. Episcopus num 8. Caiet.ad hunc artic. & tom.1.opusc. trac.25. q.2. Sotus l.10. de iust. q.vlt.art.vlt.*Ledesma *p.2.tr.10.cap.8.diff.3. & de stat. Epis.cap.3. concl.25.* Vigner.*inst.mor.cap.12.§.1.ver.21.Lopez Texeda l.2. controu. mor. trac.1. contr.1. num.15. Io; de la Crux lib.1.de stat. Relig.cap.2.dub.4. Illustriss Lazarinus de Epis. Regul.cap.2. num.189. Arragon supra quæst.88. a.11. Syluius ad hunc articulum Conisch. disp.27. de fide &c. dub.11.num.201.* Valent.*tom.3.disp.10. p.8.* Vasquez *p.2.disp.165.cap.8.num.93. Sà v. Episcopus num.11. Azor tom.1.l.12.cap.7.q.1.Henriquez l.10.de Sacram. Ord. cap.23. num.5. & cap.33.in fin.Suarez tom.4.de Relig.tr.8.l.3.cap.16.num.4.& cap.17.nu.1. Less.lib.2.cap.40.d.14 num.113.Tolet.l.5.cap.4.n.24. Sanchez l.6.in decal.cap.6.num.2.Fernand.p.4.exam. Theol.cap.7.§.1. num.3. Card.de Lugo* Resp. *Moral. lib.5.dub.12.* Valer. *diff. vtriusque fori v. Regularis diff.5.* Corduba *in Reg.* S.*Francisci cap.2. q.20. p.3. Palaus p.3.tr.16.disp.4.p.24.num.1.& 2. Angelus v. monachus.num.7.Rosell.v.religio primo num.7.*Rodriquez *tom.2.sum.cap.10.num.4.& tom.2.quæst.58. a.3. Faustus l.6.Thes.q 171.edit vlt. Hieron.* Rodriq. *resol. 60.num.4.Portel.v.Episcopus, nu.11. Bassaus v.Episcopus num.7.& v.Religio p num.8.Laurentius de Peyrinis in subd.Relig.quæst.4. cap.Lauret. de Franc.p.7. q.112.Diana p.3.tr.2.de dub.Regul.ref.61.Lezana p.1. cap.17.num.2.& 3.& ex Iurisconsultis.Bald.authent. licentiam num.3.C.de Epis.& cler.Nicolaus de Vbaldis de succes. Regul.p.1.nu.4. Pacian. cons.132.nu.56. vol.1.Aug.de meliorationibus lib.1.Gloss.3. num.141. 2.edit.Gulliel.Bened.in cap.Raynutius ver.mortuo itaque testatore 1.nu.101.Panorm. in cap.penul. num.19. de vita & honest.Cleric.Gloss. in cap. de monachis 16. q.1.Couar.cap.1.num 18.de testam.Surd. de alim.tit.8. priu.79.num.10.Lel.Zech.de Republ.Christ. tit.de Regular.cap.3.num.14.Rebuff. cons.14. Ricc.in praxi resol.123.num.2.Nauar.cons.6.de donat. num.11, & de reddit. q.7. mon 9. Barbosa de off. & potest. Episc.p.1. tit.1.cap.4. num.12.* & alij plurimi, quos infra loquendo de voto paupertatis referam.

172 Quàmuis verò supra ex S. Innocentio primo epist.2.ad Victricium Rothomagensem Episcopum, & ratione tanquam certum & indubitatum probatum sit, Episcopum religiosum manere substantialiter religiosum, quia super votis emissis nec a Sede Apostolica dispensatur, nec illorum existentia & perseuerantia repugnat Episcopatui, & quia aliàs Episcopus retrocederet, si religiosus votis professionis ligatus non maneret, iuuat hoc magis nunc confirmare ex constitut.140. & 165. Vrbani VIII. Nam in constit. 140. quæ incipit, *cum sicut accepimus*, & fuit data 21. Maij 1635. Pontifex declarat, & decernit, quòd per quamcumque translationem expulsionem aut dimissionem habitus religiosi quauis authoritate & causa rationabili factam religiosi à voto non procurandi, nec acceptandi aliquam dignitatem aut superioritatem extra eorum Religionem emisso ex statuto suæ Religionis non liberantur & sic nedum si vnus ex religiosis, qui tale votum emiserunt, transeat ad Religionem aliam, sed etiam si eijciatur à Religione simpliciter, & priuetur habitu Regulari, manet tali voto ligatus. In constit. verò *Honorum* 165. data 26. Februar. 1643. de eodem voto declarat, quòd hoc votum sit indispensabile à quocumque inferiori summo Pontifici. In proœmio autem huius constit. hæc habet. *Nihilominùs aliqui ex ipsis Regularibus, etiam translati ad Ordines Regularium, etiam mendicantium, qui prædictum aut simile votum non emittunt, retro aspicientes, emissique à se voti huiusmodi immemores, Prælationes, seu Prælaturas vel dignitates ambiunt, immò etiam Episcopatus, maiorumque dignitatum solium conscendere moliuntur, prætendentes, quòd suis superioribus Regularibus, præsertimque Generalibus liceat eis præcipere &c.* Cum ergo præfatum votum, quod non est solemne, sed simplex inseparabiliter comitetur personam vouentis, & hoc ex natura talis voti, quia constit. Vrbani sunt declarationes eius, quod natura illius voti postulat, & adeo inseparabiliter comitatur personam vouentis, vt nec per professionem in quacumque Religione dissoluatur, immò quod magis est, si eijciatur Religiosus, & priuetur habitu & ad statum secularem reducatur, non cesset illius voti vinculum, & ex hoc solo quòd Religiosi voto præfato ligati prætendant posse in eo voto à suis superioribus dispensari, dicantur ambientes Prælaturas, & retrocedentes. Multò magis votum obedientiæ, & alia vota solemnia ex eorum natura & conditione inseparabiliter comitantur personam, ad quemcumque statum transferantur, & velle liberari ab hoc voto esset retrocedere, & vinculum horum votorum est de se immortale, & perpetuum simpliciter. Nec dicatur, in dictis constit. non esse sermonem de translatione ad Episcopatum. Tum quia primò hoc non benè dicitur, quia Pontifex de quacumque translatione expressè loquitur in constit. illa, *Cum sicut*, 140. vt patet ibi, *adeo ne per præfatas, & quascumque alias translationes &c.* & ibi. *Declaramus, & decernimus &c. per quamcumque translationem hactenus, & in posterum quandocumque de sua ad aliam Religionem, vel ordinem, vt præfertur, seu aliàs quomodolibet*; vnde nedum de translatione ad aliam Religionem, sed de quolibet translatione aliàs quomodolibet facta de suæ Religionis statu ad alium statum loquitur. Tum secundò quia per argumentum a maiori ratione concluditur, quòd si votum præfatum simplex inseparabile est a persona nec ex mutatione status desinit, multò minùs desinit vinculum voti solemnis in transitu quocumque de statu ad statum.

173 Sed magis certitudo assertionis communis apparet ex euidenti solutione rationum in contrarium. Prima enim ratio ferè petit principium, si attentè consideretur; Probat enim quòd si Religiosus non est absolutus a voto obedientiæ, non est simpliciter absolutus à iugo Regulæ monasticæ, sed solùm secundùm quid. Hoc totum verum est, & id docet communis assertio; debuisset verò

aiguens

arguens probare & non assumere id, in quo est controuersia, scilicet quòd Religiosus ex vi assumptionis ad Episcopatum simpliciter absoluatur à iugo Regulæ, & quòd textus *d. cap. statutum* in eo sensu nedum intelligi debeat, sed intelligi possit, etiam dato quòd verba illius textus essent verba Concilij apud Altheum celebrati, de quo non constat. Nam Concilium illud tam ex defectu iustæ causæ, quam ex defectu potestatis non potuit simpliciter & omnino absoluere Episcopum Religiosum à iugo Regulæ, cum Religiosum sic absolui sit eum retrocedere, & Concilium Prouinciale, quale fuit illud non habeat potestatem liberandi à votis perpetuis & solemnibus, & præcipuè respectu totius Ecclesiæ. Meditationes igitur & exaggerationes tam repetitæ super verbis illius textus intentum non probant arguentis, quia probant quòd religiosus non absolutus à voto obedientiæ non est omnimodè absolutus à iugo Regulæ, quod est id, quod intendimus, nec oppositum colligitur, vel colligi potest ex eo textu. Quod verò dicebatur, iugum regulæ non esse verum iugum, non bene asseritur, cum omnis obligatio iugum quoddam sit, & Regula nedum obligat ad vota, sed etiam ad alias obseruantias.

174 Ad secundum dicitur quòd verba illa textus citati, *& sacra ordinatio de monacho Episcopum facit*, non importat commutationem: Nam de ligno fit arca, nec per hoc lignum commutatur cum arca, sed arca lignum est, seu ex ligno constat. Seu res de parua fit magna, & de minori fit maior, nec tamen res cum re commutatur, sed quæ minor erat ampliatur. Sic Religiosus ex assumptione ad Episcopatum non cessat esse, quod est, sed sic ipso fit maior.

175 Tertium continet consequentiam & falsam prorsus, & manifestè inutilem. Quasi matrimonium soluat sponsum à votis personalibus, & obligationibus, quæ matrimonio non aduersantur. Et quasi sponsus simul non possit esse sponsæ & Principis cuius est vasallus, & Domini cuius est seruus. Et quasi Episcopus non possit esse suæ Ecclesiæ, & nihilominus aliàs ligatus mille vinculis votorum quorum implementum officio Episcopali, vel non repugnat, vel si de facto repugnat stante matrimonio, potest soluto matrimonio non repugnare manente interim obligatione voti. Sicut manet votum castitatis, & continentiæ in eo, qui talis voti præuaricator contraxit matrimonium. Sicut & è contra manet vinculum matrimonij in ijs coniugibus qui de communi consensu post consummatum matrimonium professi sunt Religionem; & quilibet illorum est alterius corporis dominus licet non possint licitè petere, & reddere debitum. Sic ergo bene stat, quòd Episcopus sit Ecclesiæ sponsus, & tamen ex voto teneatur obedire superiori, si illum habeat, vel quando illum habuerit, & interim teneatur ad obseruantias Regulares compossibiles cum officio Episcopatus.

176 Quartum etiam assumit principium euidentissimè nullum. Quasi etiam in Religione manens non possit Religiosus liberari ab obligatione obediendi Prælato locali, aut Prouinciali, & subijci immediatè Generali, seu quasi quòd potest facere Generalis subijciendo sibi immediatè aliquem Religiosum voto obedientiæ integro & illibato manente, non possit facere Papa, & sine voti præiudicio sibi soli Episcopum Religiosum subijcere. Verissimum igitur est, quòd votum obedientiæ sit indiuisibile, sed argumentum ex hoc dupliciter deficit. Primò quia obiectum voti obedientiæ non est Petrus tantùm, vel Paulus superior, vel etiam Prior tantùm, aut Prouincialis tantùm, aut Generalis, aut tota simul collectio superiorum, quocumque nomine vocetur, sed est legitimus superior absolutè, qui possit præcipere secundum Regulam, ideo ad hoc vt votum obedientiæ maneat etiam formaliter, sufficit quòd maneat superior aliquis cui sit obediendum, & qui possit præcipere secundùm Regulam, qui superior est summus Pontifex. Cui principaliùs Regulares se obligant ex voto. Et hæc subiectio non est solum mediata, sed immediata. Et licet in professione Papa non nominetur, & sic profitens mediatè mediatione suppositi videatur emittere votum Pontifici. Tamen immediatione virtutis prior est Papa; quia nec promittitur obedientia Generali, nisi vt est minister Papæ.

177 Secundò deficit, aliud falsum supponendo, scilicet quòd existentia & vinculum voti obedientiæ dependeat ab actuali existentia superioris potentis præcipere secundùm Regulam, cum tamè sufficiat quòd Religiosus semel alicui promiserit obedientiam secundùm Regulam, ne per hoc vinculum voti cesset, si per accidens contingat professum non habere superiorem, qui illum possit ad obseruantiam compellere. Vnde mortuo vel Priore locali, vel Prouinciali, vel Generali, vel omnibus simul & nullo existente actu superiore legitimo in Religione, non tamen cessat votum obedientiæ: Et si vnus solus esset in mundo Religiosus maneret voto obedientiæ ligatus, sicuti manet eodem voto ligatus eiectus simpliciter, licet omnes superiores Religionis illum à se & Religione eiecerint. Sic etiam ligatus voto obedientiæ est Generalis Ord. & tamen Generalis, & præcipuè in Ordin. Præd. & Societatis in quibus Generalis est perpetuus non habent superiorem Prælatum, qui illis præcipiat; & si arguens dicat, quòd habent summum Pontificem, bene dicet, sed totam vim sui argumenti destruet, & vim voti remanere fatebitur ex eo quòd manet Pontifex, cui Episcopus obedire tenetur. Et sic cum euidens sit vinculum voti manere in Generali; si dicat Generalem non habere superiorem, manet ergo votum, etiam si religiosus non habeat superiorem, cui obediat. Si verò dicat Generalem habere superiorem Papam, manet ergo votum obligans etiam Episcopum Regularem ad obediendum Papæ, vt Prælato sui ordinis supremo, sic ergo patet quòd votum obedientiæ manet etiam si contingat non manere superiorem, & patet quòd licet votum sit indiuisibile, non est tamen eius materia indiuisibilis, nec habet pro materia totam simul collectionem superiorum, sed aliquem illorum, & præcipuè supremum, qui ex iusta causa potest manente voto absoluere subditum ab omnium inferiorum superiorum obedientia, & sibi illum immediatè subijcere, vnde manent soluta omnia in illo argumento repetita.

178 Quintum etiam assumit principium euidenter falsum, scilicet, quòd Episcopus religiosus non sit membrum suæ Religionis. Vnde enim pro-

batur assumptum hoc, quod est id, de quo vertitur quæstio? Sicut enim diximus, quòd religiosus Episcopus manet substantialiter religiosus, sic dicitur quòd manet substantialiter membrum illius, sicut maneret religiosus vnus si solus omnino remaneret in mundo, & sicut manet Generalis licet nulli superiori sit subiectus. Sed arguens supponens tanquam infallibile & certum id, quod est omnino falsum, scilicet quòd Episcopus Regularis sit omnino absolutus à iugo regulæ, assumit pro principijs certis ea, in quibus saltem æquiualenter tota versatur quæstio, & principium petit. Dum ergo assumit quòd Episcopus religiosus non est suæ Religionis membrum, assertio communis habet oppositum pro certo, & vult quòd religiosus Episcopus maneat substantialiter religiosus, & colligatus cum corpore Religionis suæ per vinculum votorum, & multi addunt per veram obligationem seruandi Regulam, vbi non sit dissona statui Episcopi.

179 Et cum dicitur, quòd Regularis Episcopus non habet ius viuendi in communi cum alijs, & ex hoc infertur, quòd soluitur contractus in professione initus cum religione; hoc certè verum est quantùm ad communionem bonorum temporalium, & ad victum, & vestitum obtinendum ab ordine, & vitam habendam intra claustra. Sed vbi infertur, ergo deficit votum obedientiæ, in quo consistit talis contractus; consequentia inanis est. Quia alius est contractus ille, & aliud votum obedientiæ, & ille voto præsupponitur illius contractus, sed ex suppositione, quòd vouens legitimè à vita communi claustri non eximatur. Sed deficiente vno effectu, non sequitur quòd deficiat votum obedientiæ: Et sic non deficit votum quod non pendet à vita communi intra claustra habita, sed in hoc quòd teneatur quis obedire superiori, a qua obligatione non eximitur quis, esto non viuat de communi mensa monasterij. Tum quia Episcopus regularis viuit de bonis summi Pontificis, qui est supremus Prælatus. Tum quia votum obedientiæ non est conditionatum conditione si vouens intra claustra vixerit expensis monasterij. Tum quia ex hoc tandem non sequitur, nisi quòd Episcopus non habeat actu superiorem ex congregatione; quo dato non sequitur quòd cesset votum obedientiæ.

180 Pariter sextum argumentum fundatur in hoc, quòd Episcopus religiosus est absolutus à regula, quod non est verum. Et ex duplici causa deficit argumentum. Primò quia non deficit materia obedientiæ, cum non deficiat regula ad quam seruandam ex vi voti tenetur, & potest à summo Pontifice etiam cogi, vt illam seruet. Secundò deficit, quia ad hoc vt vinculum voti simpliciter cesset, non sufficit quòd deficiat materia voti ad tempus, & de facto, sed requiritur quòd deficiat simpliciter, & de possibili; nã ex quo materia per accidens aliquando deficit, sequitur quòd voti obligatio suspendatur pro interim, ea tamen simpliciter manente vt liget pro tempore, pro quo contingat materiam non deficere: Modò nonne potest Episcopus vel liberè, vel coactè redire ad religionem? Esto igitur deficeret materia voti actu & per accidens, dum Episcopus manet extra claustra, non deficit de possibili. Et Episcopus religiosus si redeat ad religionem, nunquid tenetur de nouo, & iterum profiteri? Minimè quidem. Albertus Magnus dimisso Præsulatu Ratisbonensi redijt ad Ordinem suum Prædicatorum, vt habetur in histor. Ord. eiusdẽ neque tamẽ iterum professus fuit, cum tamen hoc fuisset necessarium, si priora vota fuissent totaliter ablata. Quod verò dicitur in argumento quia scilicet regula est indiuisibilis, & non cessat eius obligatio, nisi cesset in totum, manifestè falsum est, cum quotidie etiam a Prælatis regularibus eximantur religiosi ad obseruantiã huius vel illius partis regulæ, quæ maximam latitudinem & diuisibilitatem compatitur, in hoc indiuisibili manente, vt religiosus sub superioris directione hoc vel illud obseruet, aut non obseruet, iuxta regulæ permissionem.

181 Septimum argumentum ex consideratis circa constit. Vrbani Octaui soluitur clarè, & fuit solutum à D. Thom. hic ad secundum. Per professionem enim extinguuntur vota simplicia emissa in seculo, quia votum professionis ad illa se habet vt commune illa omnia continens eminentiùs; sed non sic se habet votum Episcopi (cum neque omnes concedant Episcopum votum emittere in sui consecratione) sed se habet tanquam forma ad dispositionem, ideo eadem non est ratio. Et quod dicebatur Ecclesiam non approbare professionem nisi sub ea conditione, vt religiosus a professionis voto absoluatur, si fiat Episcopus, dicitur, sed non probatur, & aduersatur decretis S. Innocentij Primi, & Vrb. VIII. supra ponderatis. Et parùm iuuat dicere quòd S. Innocentius non loquitur de transitu ad Episcopatum, quia ratio eius militat etiam in Episcopatu, quoniam non decet vt religiosus ex quo transit ad altiorem gradum retrocedat & dimittat prius propositum, & obseruare desinat, quæ intuitu suæ salutis in monasterio seruare consueuit.

182 Reiecta ergo præfata sententia considerandum remanet D. Th. dicere obligationem voti obedientiæ manere in Episcopo virtualiter: quod videtur habere difficultatẽ, quia cum religiosus teneatur obedire Papæ, vt proprio Prælato, & Generalissimo Religionum omnium, videtur, quòd obligatio voti obedientiæ remaneat formaliter, quia religiosus Episcopus habet Superiorem, cui ex voto obedientiæ obedire tenetur. Episcopum verò religiosum teneri obedire Papæ nedum ratione iuramenti, quòd præstat in susceptione Episcopatus, sed etiam ratione voti tenent *D. Bonau. Richar. Soto, Petrus Ledes. Sà, Valentia, Vasquez loc. sup. citat.* & ampliùs *Suarez tom. 2. de relig. tract. de voto l. 6. c. 7. num. 10. Henriq. Tambur. Card. de Lugo lib. 10. de Sacram. cap. 33. in fine Palaus tom. 3. trac. 16. disp. 4. p. 24. num. 2. Aragon, 22. quæst. 88. a. 11. Palac. 4. d. 38. disp. 1. Sanchez dict. lib. 6. c. 6. num. 3. Bartholom. à S. Fausto lib. 7. q. 21.* Lezana *dict. cap. 17. num. 3. & 4. Barbosa loc. cit. num. 12. Lucarin. de Epis. Regul. cap. 5. num.* 189. Et ratio hoc dictat, quia cum Pontifex sit summus Prælatus confirmator Religionũ, cui omnes Prælati religiosorum obedire tenentur, dum promittitur obedientia Prælatis, simul promittitur Papæ cui omnes Prælati sunt subiecti, & cuius principaliter sunt statuta regulæ, secundùm quam religiosus profitetur viuere. Aduertit verò *Sanchez, Sotum, Sà, & Petrum Ledes.* minùs bene locutos fuisse dicentes mutari materiam obedientiæ

Præla-

Prælatis debitæ in obedientiam Papæ, & meliùs locutos, *Vasq. Valent. Arag. Palac.* qui asserunt religiosum Episcopum non liberari à voto obedientiæ respectu Pontificis, quia obligatio hæc non incipit cum religiosus assumitur ad Episcopatum, sed cum Religiosus primò profitetur, neque ex officio Episcopatus ab ea liberatur. Vnde nec bene dixit *Less. lib. 2. cap. 40. num. 142. apud Lucar. vbi sup.* quòd scilicet in Episcopo Regulari non desinit votum obedientiæ, quia ipsius tacito consensu mutatur in obedientiam conuenientem tali statui. Quia si hoc esset verum, iam votum obedientiæ desineret, & aliud nouum superueniret. Quod non dicitur cum fundamento, & dicendum est, votum obedientiæ non tolli ex transitu ad Episcopatum. sed durare, & quidem etiam formaliter, vt præfati DD. docent. *Tambur. etiam tom. 3. disp. 3. q. 9. n. 10.* Ait manere votum, non quia vt vult *Sotus l. vlt. de iust. q. vlt. art. vlt.* Pontifex sit omnium Religiosorum supremus Prælatus: sed statim quod impugnauit, approbat, affirmans Religiosum ex vi voti obedientiæ teneri obedire Papæ, quod est Papam esse religiosi Prælatum. Nihilominùs D. Th. dixit obligationem hanc manere virtualiter, quia hoc solum est verum in eo Religioso, qui assumitur ad Pontificatum supremum.

183 Nam & religiosum summum Pontificem esse ligatum vinculo voti obedientiæ, docent expresse *Aragon. & Sanchez loc. cit.* & meritò, nàm viget eadem ratio. Nam huius voti obligatio perfectionis est, & respicit Superiorem veluti sub conditione si adsit, cum per accidens sit respectu talis personæ, quòd non habeat Superiorem, qui intantùm in ijs, qui non impediunt officium Pontificatus tenetur seruare statuta regulæ suis Superioribus obediendo, si quos habet. Nec valet dicere, quòd Papa secum dispenset in tali voto, quia cum status Religiosus, non repugnet Pontificatui per se præcisè non est capax dispensationis ex ista causa. Bene ergo docet D. Thom quòd in religioso Episcopo manet obligatio voti virtualiter, quia hoc solum sufficit ad hoc, vt maneat votum, quod alio modo non potest manere in religioso summo Pontifice. Et sic votum formaliter manet licet sit suspensum quantùm ad vsum respectu Prælatorum Regularium, & non maneat obligatio eius nisi virtualiter respectu eorum; per accidens verò euenit, vt aliquis Superiorem non habeat, cui secundùm regulam obediat. Hoc enim, vt supra dicebatur ex effectu declaratur. Nam si Episcopus renũciato Episcopatu rediret ad claustrum, sicut fecit B. Albertus Magnus ex vi voti obedientiæ priùs emissi, vt magis infra explico, teneretur obedire Superioribus Ordinis secundùm regulam præcipientibus. Et hoc idem dicitur de summo Pontifice Religioso, si renunciato Pontificatu ad suum Ordinem rediret, vt fecit Cœlestinus V. Et hoc explicatur ex discrimine, quod est inter transeuntem ad alium Ordinem, & ad Episcopatum. Quia in illo votum obedientiæ commutatur, & loco obligationis obedientiæ respectu Prælatorum Prioris Ordinis, quæ cessat, succedit obedientia Prælatorum alterius Ordinis, sed in Episcopo religioso votum obedientiæ, idem manet viuum respectu Pontificis, & veluti suspensum respectu Prælatorum Regularium, vt patet ex *D. Th.* hic ad secundum.

184 Colligunt verò DD. summum Pontificem posse præcipere Episcopis religiosis quidquid est secundùm regulam, non verò posse ex hac parte, & ex vi voti obedientiæ præcipere illis, quod non est secundùm regulam. Quod expressè docuerunt *Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8 l. 3. cap. 17. num. 4. & Sanchez loco cit. num. 5. & Palaus d. p. 24. num. 2.* & alij communiter. Et bene *Suarez* aduertit contingere posse, vt aliquid sit secundùm regulam respectu talis personæ, quod non erit tale respectu aliarum personarum; ideo omne illud potest Pontifex præcipere ex vi voti obedientiæ Episcopo religioso, quod in ipso est moraliter conducens in tali statu ad spiritualem salutem illius, atque ad eiusdem perfectionem.

185 Deducit etiam *Sanchez num. 4.* Pontificem ex hoc capite posse reducere religiosum Episcopũ ad Ordinem regularem. Quod est verum nedum supposito, quòd adsit causa sufficiens, vt priuetur Episcopatu: Cum aliàs Episcopatus de sui natura sit perpetuus, vt supra probatum est. Sed etiam quia ipso manente Episcopo posset Pontifex velle, vt ille non esset exemptus ab obedientia huius, vel alterius Superioris. Imò & posset eum subijcere alicui non Religioso sui Ordinis, qui tanquam Vicarius Papæ, vt supremi Prælati religionis ipsius, haberet super talem Episcopum superioritatem.

186 Econtra verò religiosus Episcopus, iam à sui Ordinis Prælatorum obedientia exemptus, non potest se iterum illorum obedientiæ subijcere, & illis obedientiam promittere. Quamuis enim hoc votum (quatenus tamen est purum votum obedientiæ) ex natura rei non sit impossibile, vt docent *Suarez tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. c. 9. num. 3. & Lucar. vbi sup. num. 193.* tamen ad minus hoc est contra ius Ecclesiasticum, cum Episcopi soli Papæ immediatè subijciantur, & sic deceat dignitatem Episcopalem, nec possit Episcopus huic prærogatiuæ renunciare, quæ dignitati, non sibi concessa est.

187 Sed forsan interrogabit aliquis, an in Prælato religioso sit duplex peccatum non obedire Papæ; videri posset ita dicendum esse ex eo quod talis inobedientia sit contra duplex præceptum, obediendi Papæ, vt Papæ, & vt Prælato. Sed bene respondet *Ledesma de stat. Epis. concl. 25. dub. 1. §. la razon es*, quod est vnum peccatum, quia nisi Papa se explicet non censetur præcipere, vt Prælatus, nec Religiosus ad leges Canonicas tenetur ex vi voti.

188 Ex his autem magis probatur, quod supra dictum est, nimirum religiosum Episcopum non ex decentia, sed ex virtutis obligatione teneri ad seruanda statuta Religionis, quæ non dedecent officium Pontificale. Et ratio est manifesta. Nam obligatio, quam habet Religiosus ad obseruantiam statutorum est ex voto obedientiæ, quia in sui professione promisit, vel ea seruare, vel secundùm illa viuere. Et licet hæc obligatio non sit semper ad culpam mortalem, immò in religione Prædicatorum non sit ad aliquam culpam, nisi vbi præcipitur aliquid sub pœna excommunicationis, uel in uirtute sanctæ obedientiæ, quia nec emittens uotum obedientiæ aliam obligationem intendit nisi viuere secundùm regulam,

vel

vel regulam obseruare secundùm obligationem, quam regula inducit, nihilominùs obligatio illa, qualiscumque illa sit est obligatio voti, de se perpetua, & de iure diuino, super quam respectu eorum, quæ non dedecent Episcopale officium. non cadit dispensatio, nisi ex iusta causa. Et DD. qui censent obligationem ad statuta Religionis extingui, vel suspendi per assumptionem Religiosi ad Episcopatum, & manere solùm secundùm quandam decentiam, & ex alia parte docent manere vinculum voti obedientiæ, quia non est iusta causa dispensandi in illo, non loquuntur consequenter; quia si manet votum obedientiæ, manet obligatio ad statuta, quæ non repugnant Episcopatui, quia hæc obligatio est obligatio voti obedientiæ. Præterea quomodo manet votum obedientiæ, si non manet eius obligatio in ordine ad materiam ad quam priùs obligabat? Dicere autem, quòd hæc obligatio virtualiter manet, quia si Pontifex præcipiat religioso Episcopo obseruantiam regulæ, ipse tenetur obedire, non satisfacit. Tum primò, quia nulla est ratio vnde dicatur, quòd hæc obligatio non maneat formaliter, cum formalis, & actualis obligatio ad huiusmodi statuta non dedeceat Episcopum. Non enim dedecet, quia sit obligatio voti, quia immò voti obligatio conuenit Episcopatui. Nec quòd sit obligatio ad talem materiam, quia neque obseruatio horum statutorum, vt supponitur repugnat officio Episcopi; non ergo est ratio iusta vnde hæc obligatio dicatur extingui formaliter, & manere solùm in potentia, vel virtualiter. Et certè multò magis difficile erit saluare, quòd in religioso Papa maneat votum obedientiæ, si cum non habeat superiorem cui obediat, non habeat etiam aliquid ad quòd actu ex vi voti teneatur.

189 Sed alia ratione hoc idem probatur. Nam statuta religionum, non sunt solùm statuta Prælatorum ordinis, aut statuta communitatis religiosæ, sed principaliter sunt statuta Papæ, qui illa confirmat, & rata habet, & qui est supremus religionum generalissimus, in cuius virtute illa statuta conduntur, & in tantùm vigent in quantùm ipse illa rata habet, & non reuocat. Igitur cum religiosus Episcopus non eximatur ab obedientia Papæ, neque cum eo dispensetur nisi quia eximitur à iurisdictione prælatorum, simul cum eo dispensetur quidem super statutis regulæ vt sunt statuta Prælatorum, vel superiorum ordinis, non verò vt sunt statuta Papæ, & vt sunt ea, quorum obseruantiam religiosus Papæ promisit. Quod enim Episcopus maneat dispensatus super obseruantiā illorum statutorum, quæ Episcopali officio repugnant, hoc ex natura rei sequitur, quia non possunt simul obseruari repugnantia & simul incompossibilia, & ideo Papa præcipiente officium Episcopatus, ex natura rei manet Episcopus dispensatus super obseruantia regulari incompossibili cum officio Episcopali: sed vnde colligitur quòd Pontifex dispenset Episcopum super lege sua quatenus sua, & respectu eorum, quæ decent Episcopum? Hoc enim ex natura rei non habetur, quia obseruantia horum nedum non repugnat, sed valde decet Episcopum. Quod verò Pontifex ex superabundanti dispenset, demonstrandum remanet, quia nec apparet vnde hoc affirmetur, nec adest huius dispensationis iusta causa. Vnde neque apparet ratio, vnde dicatur religiosum Episcopum non teneri ad obseruantiam regulæ prout non impedit, vel non dedecet Episcopum.

SVMMARIVM.

29 Su-

29 *Superiares Episcopis possunt de consensu Conuentus concedere vsum ad certum tempus. nu. 218.*
30 *Immobilia, vel mobilia pratiosa non alienantur sine iuris solemnitate. num. 218.*
31 *Statutum Clem. IV. non est priuilegium, sed lex pœnalis. num. 219.*
32 *Episcopi aliorum Ordinum illi pœna non subijciuntur, num. 219.*
33 *Suspensio lata in eo statuto est lata sententia, sed non reseruata. nu. 220.*
34 *Episcopus Regularis tam plenã administrationem habet redditunm, quam habet Episc. secularis, num. 221.*
35 *Episc. ex parce viuendo acquisitis potest disponere, sed hoc in Regulari Episc. non admittitur. numer. 222.*
36 *Expendens fructus in vsus illicitos non peccat contra iustitiam. nu. 223.*
37 *Ex fructibus potest pro sua Religione emere stabilia. num. 224.*
38 *Potest pro futuris necessitatibus redditus conseruare. num. 225.*
39 *Ampla facultas administrandi stat cum vota paupertatis. num. 126.*
40 *Ex vi voti paupertatis grauiter peccat Episcop. vtens nimis pratiosa supellectili, &c. nu. 227.*
41 *Episcopus bona Ecclesiastica expendẽs in vsus turpes debet hanc circumstantiam confiteri, nu. 228.*
42 *Episcopus secularis de patrimonialibus non de Ecclesiasticis potest testari. nu. 229.*
43 *Episcopus Regularis testari non potest. nu. 229.*
44 *Qua & qualis licentia valeat, & sit necessaria ad testandum. nu. 229.*
45 *Habens licentiam testandi, si moritur intestatus bona eius perueniunt ad suam Ecclesiam, vel ad Cameram Apost. nu. 230.*
46 *Non est necesse quod in licentia testandi exprimatur causa. num. 230.*
47 *Episcopus non potest donare causa mortis. nu. 231.*
48 *Donatio facta ab Episcopo reseruato vsu fructu est nulla. nu. 232.*
49 *Donatio, qua sit non tradita possessione, censetur facta causa mortis. nu. 232. 233.*
50 *Infirmus est laborans qualibet febricula, & prasumitur infirmus ex infirmitate, qua laborabat mortuum esse. nu. 234.*
51 *Non est donatia in infirmitate, si infirmus post consequitur sanitatem. nu. 235.*
52 *Donatio facta in infirmitate, ex qua infirmus decedat, censetur causa mortis. nu. 236.*
53 *Infirmus sine fraude moderate ad causam piam donare potest, non vero immoderate; & qua sit donatio immoderata? nu. 237.*
54 *Non tamen potest testari. nu. 237.*
55 *Valet donatia si fiat per 40. dies ante mortem. numer. 238.*
56 *Donatio remuneratoria, & debita valet facta tempore infirmitatis, nu. 239.*
57 *Valet datum pro adimplendo voto. nu. 240.*
58 *Ex consuetudine Episc. potest testari. nu. 241.*
59 *Consuetudine potest prascribi consuetudo testandi etiam ad vsus prafanos. nu. 242. 243.*
60 *Consuetudo testandi, non edest respectu Episcoporum. num. 244.*
61 *Consuetudine testandi vteretur etiam Episc. Regular. num. 244.*
62 *Qua sint, de quibus Episcop. non potest testari. num. 245.*
63 *De rebus sacris ad Dei cultum deputatis, & apud eos tempore mortis inuentis testari non possunt, nu. 245.*
64 *Habens licentiam testandi si decedat intestatus, bona eius ad Ecclesiam perueniunt, vel ad Cameram; quod pracipuè est verum in Episc. Regular num. 246.*
65 *Qua sint, qua spectant ad spolium Camera Apostol. nu. 247.*
66 *Licentiam testandi, & exemptionem à spolio habent Incola, & Curiales Romani. nu. 248.*
67 *Iuri communi derogatum in Hisp & Italia, in quibus viget lex spoliorum, nu. 249.*
68 *Camera acquirunt Titulares Episcopi, nu. 250.*
69 *Ecclesia acquirunt, qui renunciarunt Episcopatui, num. 250.*
70 *Episcopus rediens ad claustra acquirit Monasterio. num. 250.*
71 *Episcopus Regularis translatus relinquit Ecclesia, à qua recedit, qua acquisiuit cum esset eius Episcopus. nu. 251.*
72 *Quod dictum est de Episcop. verificatur in Card. num. 252.*
73 *Pontifex Religiosus potest testari, & donare, numer. 252.*
74 *Pontifex potest testamentum Episcopi Religiosi irritare. num. 253.*
75 *Confirmationes secundi argumenti diluuntur, numer. 254.*
76 *Episcopus etiam Regularis, si abutatur bonis sua mensa non tenetur ad restitutionem. nu. 255.*
77 *Episcopus Religiosus abutendo bonis sua mensa non peccat directè contra votum paupertatis, numer. 255.*
78 *Si daretur Episcopo expressa licentia abutendi bonis temporalibus ad vsus turpes, licentia esset valida, ad hoc vt abusus non esset iniustus, licet non ad hoc vt esset licitus. nu. 256.*
79 *Ex eo quod Pontifex non obligat ex iustitia Episcopos ad non abutendum bonis suarum mensarum, nec peccat, nec est occasia peccandi, cum immo ad non abusum alijs legibus sufficientissime obliget. nu. 256.*
80 *Item ex ea quod Pontifex pro Episcopis Regularibus leuius reddat votum paupertatis quantum ad hoc, quod dat eis vniuersalem administrandi bona, nec peccat, nec est occasia peccandi, quia imo per alias leges prohibet talem abusum. nu. 256.*

An in Religioso Episcopo maneat votum paupertatis.

190 PRæter illos DD. quos inspectione superiori retuli affirmantes in Episcopo Regul. nõ manere votum paupertatis, hanc eandem sententiam tenuerunt *Sotus lib. 7. de iust. q. 4. a. 2. ad vlt. & lib. 10. q. vlt. a. vl. Vasquez p. 2. disp. 165. cap. 8. nu. 91. & num. 104. & de reddit. cap. 3. num. 27. Gratian. regul. 320. num. 4. Alphons. de Lean. de off. confess. p. 1. ref. 11. num. 178. Marquez de orig. Erem. Aug. cap. 6. §. 4. & 5. Tamburin. de iure Abb. tom. 3. disp. 3. q. 9. num. 1. Calest. in compend. Theol. Moral. trac. 6. cap. 7. vers. vlt.*

vlt. & probabilem putant Villalobos. *tom.2. tr.35. diff.40.num.6* Sanchez *in decal.l.6.c.6.num.3. Bassaus v.religio p.num.8. Diana p.3.trac.2. resol.50. & p.5. trac.8. resol.31. & p.12. de consecr.Epis.resol.104.* Et eidem sententiæ sine formidine, & quia omnino illam veram censet, adhæret *Pasqualig.dec.267.n.4.* Ad tria autem capita eius fundamenta reducuntur. Primò enim fundatur in sæpe examinato *cap. statutum 18 q.1.* Circa quòd ponderantur illa verba *legitimus hæres, & sibi vindicandi*. Nam esse hæredem dicit ius proprium ad hæreditatem, & sibi vindicari dicit capacitatem acquirendi dominium: ly enim *sibi* stat intransitiuè, ius autem & capacitas dominij non stant cum voto paupertatis. Confirm. nam de monacho non potest dici, quòd sit legitimus hæres, dicitur verò de Episcopo, vnde oportet, quòd ab eo sit absolutum impedimentum voti, ob quod de monacho id non poterat affirmari. Nec obstat illa dictio *velut*, nam est expressiua legitimitatis, non verò diminutiua, sicut & in Euangelio *Io: p. ibi. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti &c.* Deinde ponderantur illa verba, *secundùm sacros canones, quidquid acquirere potuit restituat altari*. Illud enim *restituere altari* importat, quòd priùs, quidquid acquirit, faciat sibi proprium, & hoc deinceps secundùm sacros canones debet altari restituere. Quòd si non solueretur votum paupertatis ex natura rei, quæ acquirit essent Ecclesiæ; vnde non opus esset, vt id per sacros Canones sanciretur.

191 Secundò idem probatur, quia fructus mensæ Episcopalis eodem modo adiudicantur Episcopo seculari, & Regulari, & vterque plenè habet facultatem de eis disponendi; igitur vterque eodem modo est eorum dominus. Nam dominium est facultas vtendi, & disponendi de re ad sui beneplacitum sine alterius iniuria. Confirmatur primò, quia Episcopus vt Ecclesiæ sponsus communicat cum ea in dominio. Secundò. Nam Episcopus secularis eo acquirit dominium bonorum Ecclesiasticorum, quia fit Episcopus, & quia ius dominij ad talia bona est intrinsecum titulo Episcopatus. Tertiò Ecclesia secundùm se non est capax dominij, cum dominium sit solùm creaturæ rationalis, igitur dominium non est apud Ecclesiam nisi ratione illorum, qui sunt capaces dominij, atque adeo ratione Episcopi; igitur Episcopus dominij debet esse capax. Quartò, quia implicat esse plenam administrationem sine dominio, quia facultas amplè disponendi de re aliqua sine alterius iniuria est dominium. Quintò, quia Religiosus Religionis incapacis acquirendi si fiat Episcopus, recuperat ius succedendi, ergo etiam recuperat capacitatem dominij, sequitur enim conditionem suæ Ecclesiæ. Sextò non minùs effectus voti est incapacitas dominij, quàm abdicatio facultatis succedendi in hæreditate, si igitur ius succedendi non extinguitur per votum irrecuperabiliter; ita nec ius dominij. Septimò tandem, quia in Episcopo cessat finis voti paupertatis; ideo enim Religiosi vouent paupertatem, vt liberi à cura temporalium diuinis vacent; Episcopis verò obesset, si priuarentur cura rerum temporalium, ideo in illis votum paupertatis inutile esset.

192 Tertiò autem ad idem arguitur; quia si Episcopi Regulares non essent domini redditu um suarum Ecclesiarum, sequeretur quòd vtentes eis ad profana peccarent contra iustitiam, & tenerentur ad restitutionem. Quod nimis durum est, & contra Ecclesiæ praxim. Sed & hæc motiua æquiuocatione plena, & naturam dominij, & voti paupertatis non attingentia non valent, vt liceat ab opposita communissima sententia discedere.

193 Dicitur igitur omninò certum esse, quòd in Episcopo Regulari manet votum paupertatis. Hanc conclusionem cum D. Th. præter *Sotum, Vasquez, & Tambur.* tenent omnes DD. in superiori difficultate citati, & docentes Episc. Religiosum, nō absolui à voto obedientiæ, & præter illos *Graff. par.2.l.3.cap.19.num.87. Tancr. 25.disp.5.q.4.dub.6. Sanctarel.de Apos.cap.16.d.3.num.20. Cened.de Paupert.Relig.dub.43. Gloss in cap. quorumdam v. mendicantium de elect.in 6. & cap.statutum v. legitimus. 18.q.1. & cap. Quia tua, ver.sensum. 12. q.1. & cap. de Monachis, v.discedere. 16.q.1. Io: Andr. cap.1. n.6. de testam. Anchar.cap. Cum olim el 2. n.8. de Priuilegijs. Henric. cap.final.n.10. de pecul.Cler. Francus in rubr.de testam.n.75. in 6. Turrecrem.cap.Non dicatis. 12.q.1. a.1. num. 2. Paulus authen. licentiam num.3. C.de Episc.& Cler. Iason authen. ingressi num.15. de sacros.Eccles. Gamb.authen.legati lib.6.nu 255.10.13. tract.p.2. Tapia auth.ingressi verb.sua cap.6.num.85. C.de sacras. Eccles. & verb. Ideoque, nec de his cap. vnico num 32. C. eadem. Fuluius Pacian. cons.132. num.35. & 37.volum.1. Sarmien.de reddit.p.1.cap.1. num.10. & in defens.eiusd.q.p.monit.11. num.2. & 3. Molina de primog.l.1.cap.10.num.28. Cucus Instit.l.1. num.158. Binius cons.6.num.7. vol.1. Angel. de meliorat.l.2.gloss.3.num.14. edit.2. Rota decis.109.coram Greg.XV. & dec.87. & 111.par.4.tom. 2. recent. Alged.p.1.de prae.Episc.dignit.cap.5.num.93. Manfred. de Card.dec.154. Nauar.com.1.de Regul.num.31. & com.2.num.17. Barbosa de off.Episc. all.114. num.29. & voto 101.* Et hanc veritatem verbo, & factis docuerunt omnes sancti Episcopi ex Religionibus assumpti, & præcipuè S. Thomas de Villa Noua, qui vt habetur, *2.cap.1.* vitæ eius, cuidam dixit. *Io son Frate, che hò professato pouertà, & fuori di quello di cui hò necessità per il mio sostentamento, tutto il resto è de poueri.*

194 Hanc verò conclusionem probant ea, quibus supra probatum fuit Episcopum religiosum manere substantialiter religiosum, & ligatum votis obedientiæ. Et pro eius confirmatione distinguenda est nominis æquiuocatio. Nam dominium duplex est, aliud scilicet impropriè & communiter dictum, & quod est idem quòd libera facultas aliquid administrandi soluta à lege iustitiæ commutatiuæ, & aliud propriè dictum, quod importat facultatem disponendi de re nomine proprio, & independenter à licentia, & permissione cuiuscunque superioris. Distingui enim administrationem plenam & liberam à dominio constat ex eo, quòd *Nauar.* & quàm plures DD. recensiti artic. super. admittunt Episcopos etiam seculares esse administratores fructuum Ecclesiasticorum, & tamen notant eos esse dominos. Sed quia prædicti DD. non admittunt in Episcopis secularibus administrationem liberam à lege iustitiæ commutatiuæ, magis data distinctio declaratur exemplo. Sit testator qui relinquat Titio facultatem quot annis distribuendi pauperibus decem millia scutorum pro suo arbi-

trio

trio pauperes eligendo, & cum expressa declaratione, quòd non intendit obligare Titium ex iustitia, & quòd non vult, vt si contingat eum abuti illa pecunia teneatur ad aliquam restitutionē, vel pauperibus, vel sibi, aut suis hæredibus, aut alicui alteri, & cum expressa declaratione quòd Titius habeat dictam facultatem dependenter à voluntate ipsius testatoris, vel hæredis, qui possit eam vel limitare, vel etiam tollere, & ei cui voluerit concedere. In hoc casu Titius esset administrator illorum 10. millium scutorum, cum plenissima facultate, & ita quòd, si illa pecunia abuteretur, nihil teneretur restituere, & non esset iniustus. Et non esset tamen dominus, nedum quia saltem ex lege fidelitatis teneretur illa scuta in pauperes distribuere, sed quia illa non distribueret nomine proprio, sed alieno, & illa scuta semper essent in bonis testatoris, aut hæredis, & Titio solùm competeret distributio facienda nomine testatoris. Et eò magis, quòd in hac eadem distributione dependeret perpetuò à licentia domini, scilicet testatoris, aut hæredis, qui amplam facultatem illam posset, vel tollere, vel limitare, si sibi videretur, licet de facto eam illi in sua amplitudine relinqueret.

195 Talis verò est facultas, quam habent Episcopi regulares disponendi de suarum mensarum bonis, amplissima quidem, quia soluta à lege iustitiæ commutatiuæ, & in hoc conuenit Episcopus regularis cum seculari. Sed in Episcopo regulari manet illa dominij incapacitas, & dependentia illa essentialis à voto paupertatis, per quam Religiosus pauper in vsu dependet à licentia sui Prælati. Et licet Pontifex talibus Episcopis de facto amplissimam licentiam concedat; quoniam putat non conuenire gubernio Ecclesiæ, quòd Episcopus toties quoties sibi conuenit vti re temporali petat licentiam, vel à Pontifice, vel ab alio, & ideo Episcopis amplissima facultas datur disponendi & administrandi bona temporalia, non tamen tollitur illa dependentia à licentia superioris; vnde Papa vt religionum Prælatus posset, si vellet, hanc amplissimam facultatem restringere, & immò tollere constituendo v.g. Aeconomum, qui Episcopo præstitis sufficienter, & decenter alimentis, de alijs ad voluntatem Papæ disponeret. Et sic Episcopus ve pauper religiosus viueret, non habens nisi alimentorum vsum, quæ de manu superioris reciperet. Dependentiam igitur hanc per quam fit, vt Episcopus non disponat de redditibus mensæ suæ, nisi vt de re aliena, & dependenter à licentia Prælati sui, non deponit Episcopus regularis, & ideo manet ligatus vinculo voti paupertatis, cuius essentia est non habere proprium, seu non disponere de rebus titulo proprietatis. *cap. nec dicatis 12.q.1.*

196 Probatur ergo assertio quia cum ad officium Episcopatus super abundè sufficiat facultas administrādi bona Episcopatus sine titulo proprietatis, nulla afferri potest probabilis ratio, per quam dicatur, quòd votum paupertatis non maneat in Episcopo. Quia tale votum nullam vel minimam dissonantiam habet cum officio Episcopatus, immò ad decorem Episcopi maximè conducit. Vnde est, vt bene adnotauit *Nauar. com. 2. de regul. nu. 17.* non esse iustam causam dispensandi Episcopum super hoc voto, ex quo Religiosus sublimetur ad statum Episcopalem, quia ad munera Episcopalia obeunda decentissimè, & sine impedimento sufficit facultas administrandi sine proprietate. Nam & Episcopum secularem posse vouere paupertatem, dixit *Suarez to. 4. de relig. tr. 8. l. 3. c. 16. n. 6. & cū c. cum ad monasterium* in fine de statu monac. dicatur paupertatem adeo annexam esse Ordini monachali, vt contra eam, nec Papa possit indulgere, nullo modo dici potest, quòd Pontifex super voto paupertatis cum monacho Episcopo dispenset.

197 Ex his argumenta contraria soluta manent. Sed quia continent plura explicatione digna, ad singula respondetur. Ad primum igitur dicitur, quòd in *cap. statutum 18.q.1.* non absolutè, sed cum diminutione dicitur, quòd monachus Episcopus sit hæres, quia habet facultatem administrandi hæreditatem, quam tamen non sibi sed Ecclesiæ acquirit. Et cum dictio *velut*, quæ habetur in textu ex sui significatione diminutionem importet, & non proprietatem, sed similitudinem, vt per DD. quos refert *Barbosa tract. de dict. in 417. n. 4. & Card. Tuscus lit. D. concl. 375. num. 1.* Et cum iuxta sanctorum canonum præscripta translatio de statu religioso ad Episcopatum debeat intelligi fieri, ita quòd Episcopus non retrocedat, & non deuiet à priore proposito, arguentis erat nedum probare quòd dictio velut aliquando possit accipi vt non diminutiua, sed quòd in hoc textu ita accipi debeat. Quòd quidem non deberi, prædicta conuincunt. Immò ex eodem textu habetur, ex quo colligitur quòd etiam hæreditatem Episcopus Monachus acquirit Ecclesiæ, eique eam restituere debet; Et non est verum, quòd restituere indicet dominium in eo, qui restituere debet, quia immò alienum est, quod restitui debet. Et ideo alienum dicendum est, nimirum altaris, & Ecclesiæ, quidquid Episcopus Monachus post Episcopatum susceptum acquirit, quia illud restituere tenetur. Et textus ille non inducit nouum ius, sed antiquum, & diuinum à sacris Canonibus traditum exprimit. Addo autem, quòd cum simus in textu cuius originale non extat, & de quo nec constat, quòd Gratianus vnquam eius originale viderit, & ex originali desumpserit, & ex animaduersione ad Lectorem, quæ in Decreto iussu Gregor. XIII. reformato habetur, inter alia adnotetur, quòd Gratianus aliquando, nec Sanctorum Patrum verba, sed sensum à se conceptum retulerit, bene apparet non posse accipi validum argumentum ex ponderatione verborum huius textus, cum illius authenticum non appareat, & Concilij Arthanen. ex quo est desumptū, acta non extent. Et benè contingere potuerit, vt in originali alia sint verba magis propria, quæ eius sensū assertioni positæ magis accommodatū, & sententiæ oppositæ contrarium exprimant. Quoniam nihilominus *d. cap. statutum 18. q. 1.* licet de se non contineat legem obligantem Ecclesiam vniuersalem, cum sit Concil. Prouinc. ratione tamen legis diuinæ quam continet, & declarat, & ratione Canonum quos supponit, obligat, iuxta sacros Canones, & DD. placitum explicandum est. Est autem sequentis tenoris, videlicet, *Statutum est, & rationabiliter secundum sanctos Patres à Synodo confirmatum, vt Monachus, quem canonica electio à iugo regulæ Monasticæ professionis absoluit, & sacra ordinatio de monacho Episcopum facit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea iure*

vindicandi potestatem habeat: sed quidquid acquisierat, vel habere visus fuerat, monasterio relinquat, & Abbatis sui, qui fuerat secundùm regulam sancti Benedicti arbitrio. Postquam enim Episcopus ordinatur, ad altare, ad quod sanctificatur, & titulatur secundum sacros canones, quod acquirere poterit, restituat. Diuiditur verò in duas partes, in quarum prima tractat de acquisitione, & in secunda de retentione bonorum temporalium. Bona verò temporalia acquiruntur, vel ex dispositione causa mortis, hæreditate, successione ab intestato, legato &c. vel donatione inter viuos, vel emptione, aut quocumque alio oneroso contractu.

Quæ Episcopus Regularis acquirere possit, & cui.

198 EST verò regula certa, quòd Episcopus regularis omnibus præfatis modis potest acquirere, etiam si aliàs esset Religiosus alicuius religionis incapacis succedendi, & acquirendi bona stabilia, & fundos, vt si esset Religiosus ex Ordine Minorum de obseruantia, vel Capucinorum D.Thom. hic ad tertium. *Bartol. in tract. minor. l.4.d.3.cap.3: Suarez tom.4. de Relig. tr.4. l.3.c.16. nu. 13. Sanchez in decal. l.7.cap.32. numer.64. Rota p.4. tom.2.dec.115.num.22, Recent. Barbosa ad d. cap. statutum num.15.* & apud eum *Tapia, Azor. Molin. & à S. Fausto Lucar. de Epis. regul. cap.2. nu.212.* & apud eum *Fagnudez.* Ius enim hoc succedendi in Religioso huiusmodi professione non extinguitur, sed consopitur, vnde eo ad Episcopatum euecto resurgit.

199 Sed pariter altera regula certa est, quòd religiosus Episcopus proprietatem & dominium non sibi sed Ecclesiæ, sibi verò solum vsum & administrationem acquirit. Et hic est sensus *d. cap. statutum*, quod enim Religiosus, non acquirat sibi proprietatem & dominium cū D.Th. hic ad tertiū dixerunt DD. quàmplurimi, quos referunt abundè & sequuntur *Sanchez l.7.cap.6.nu.8. & Diana p.12. de consec. Epis. resol.104. & Glossa Turrecremata alijque Canonistæ ad d. cap. statutum vbi Barbosa nu.14.* plures refert *& l.3. voto 101. num.4. & 5.* Quod verò acquirat sibi vsum, & administrationem, habetur ex *dic. cap.* & tradiderunt præfati DD. & ita quod in hac parte non minùs sibi acquirat, ac si esset secularis. *Rota decis.772.p.1. diuersor. & decis. 241. num.4. & dec.306.p.2. & dec.115. n.3.p.4. tom.2. Recent. & in causa Vssellen. Spolior. 13. Februar. 1609. coram Ludouisio, Nauar. cons.15. num.4. de regular.* & alij DD. supra citati.

200 Distinctè verò cōsiderando modos acquirendi adiungitur, quòd Episcopus religiosus per viam successionis, aut etiam donationis Ecclesiæ suæ non verò monasterio nedum acquirit quòd sibi relinquitur, postquàm est Episcopus, sed quæ acquisiuit dum esset Religiosus, si monasterium non adiuit hæreditatem, vel relictum ante Episcopatum, quod relictum post assumptionem ad Episcopatum fuit purificatum, vt quia tunc solùm testator, mortuus fuit, vel fuit purificata conditio sub qua facta fuerat donatio. Licet enim religiosus vel per eum monasterium haberet ius ad rem relictam, vel donatam, tamen hoc ius erat conditionatum, & annexum personæ, & dependens à vita religiosi, & permanentia eius in monasterio, Quare si purificatur relictum vel donatum post assumptionem religiosi ad Episcopatum, quia hoc ius sequitur personam, & respectu monasterij persona Religiosi se habet ac si esset mortua; ideo tunc purificato relicto aut donato, illud non ad monasterium pertinet, sed ad Ecclesiam, vt colligitur ex *d. cap. statutum*, & ex D.Th. hic ad tertium & ex *Less. & Rota decis.943. coram Buratto aduertit Lucar d. cap.2. nu.213.*

201 Vbi verò religiosus Episcopus acquirit per emptionem, aut similem contractum onerosum, dicitur etiam acquirere Ecclesiæ. Ita vt ipso iure transeat in dominium Ecclesiæ. *cap.1. de testam. auth. licentiam. C. de Epis. & Cler. Gloss. in cap. inquirend. de pecul. Cler. v. comparauit. Couar. cap.1. num.5. de testam.* & alij apud *Barbosam d. all.114. num.17.* Sed hoc non est vniuersaliter verum. Distingui ergo debet, quia si religiosus Episcopus emat ex pecunia, quæ sit de proprietate Ecclesiæ & non de mensa Episcopi, vt quia sit pecunia habita ex venditione boni immobilis, vel mobilis Ecclesiæ iuxta explicata art. superiori, non potest Episcopus acquirere nisi pro Ecclesia, de cuius proprietate est pecunia, & pretium rei emptæ. Sed si Episcopus ex pecunia, quæ non sit de Ecclesiæ proprietate vt distinctæ à mensa Episcopi, vt quia est accepta ex fructibus, quorum liberum vsum habet Episcopus, vel ex pecunia ad suos vsus sibi donata, si quidem emendo stipuletur simpliciter, vel impersonaliter, vel sibi, censetur emere pro Ecclesia, & Ecclesiæ acquirit. Sed si explicet se emere & acquirere sibi vt laicæ personæ, vt tradat emptum alteri, & emere pro altero non Ecclesiæ sed alteri acquirit pro quo emere intendit. *Rota dec.241. num.5.6. & 7. & dec. 306. num.1. par.2. recent.* vbi bis proposita causa *Vrgelen. Spoliorum contra Capit. Eccl. Vrgelen.* decidit, duas domos ab Episcopo Vrgelen. Carmelita emptas, a se vt laica persona pro suis hæredibus, & successoribus, & post paucos dies Iosephæ & Marianæ neptibus donatas ad easdem legitimè pertinere tanquam validè emptas, & pro illis acquisitas, *& d. dec.306. num.6.* addit *Rota*, quòd ille Episcopus potuit illam donationem grauare onere substitutionis ex regula, quòd qui potest actum facere potest etiam illum qualificare. *l. in actionib. vbi Iason 2. notab. ff. de in lit. iur.* Et ita quòd Episcopus regularis in vita possit valide donare (licet non licitè, si donet ad vsus prophanos) probauerunt etiam *Barbosa d. all.114.a. num.33.* Vbi quòd Episcopus potest primogenituram instituere. *Sanchez l.2. cons. cap.2. dub.51.*

202 Sed nunquid, sicut religiosus Episcopus acquirit Ecclesiæ, ita potest illi præiudicare repudiando hæreditatem? Supra *art.7.a num.256.* probatum est, Prælatum validè posse præiudicare Ecclesiæ repudiando hæreditatem, quàmuis malè faciat, si id faciat sine iusta causa. Sed simul *n.267.* probatum est, hoc non habere locum in hæreditate, quæ aduenit monasterio ex vi professionis alicuius religiosi; nam monasterium statim simul cū religioso acquirit sibi religiosi bona, non possunt vero cedi bona monasterio iam acquisita. Idem propterea dicitur de religioso Episcopo, cuius iura, & bona statim simul cum persona acquirit Ec-

clesia;

elesia: Ideo religiosus Episcopus non potest repudiare hæreditatem, quæ suæ personæ intuitu debetur Ecclesiæ. Oppositum tamen ex *Vasquez. de reddit.cap.3.dub.2.num.28.* videtur innuere *Rota decis.115.num.14.p.4.tom.2.recen.* Sed non est recedendum a priori sententia.

203 Bene tamen ex eadem *Rota num.9.* aduertendum est, quòd Episcopo negligenti bona hæreditaria, vel renunciaunti succedit Ecclesia proprietaria ex dispositione *d.cap. statutum*, & pro ea Capitulum potest agere dum tractatur de præiudicio Ecclesiæ, & Episcopatus, vt per *Innoc. in cap.dilecti, el p. vbi Panorm.num.3.de maior.& obed. & secundùm Panorm.cap.cum olim col.3. nu.2. Felin.nu.2. de testibus Barbos.d.all.c.14.num.28.* Cui non minus quam monasterio ex persona monachi competit huiusmodi remedium adipiscendæ. *ex l. fin. C.de edict.D.Adr.tollen.& per Menoch.post Ripam & alios de adipiscend. remed.4. num.293.* dicens, quòd & si monasterium, & sic etiam Ecclesia scripei hæredis nomen propriè non obtineat, legis tamen interpretatione habet, quod idem operatur secundùm eum. Hæc *Rota*.

204 Bene etiam eadem *Rota d.n.15.* dicit quòd Episcopus censetur adire hæreditatem per exactionem creditorum hæreditariorum, & quòd post quocumque modo aditam hæreditatem Episcopus religiosus eam repudiare non potest, & quòd non releuant protestationes factæ, quòd per actum relaxationis pecuniarum non intendit adire hæreditatem, quia contrariæ sunt facto exactionis de se aditionem inducentis, vnde non releuant.

205 Et bene etiam à *num.15.* additur, quòd vbi Episcopus religiosus instituatur hæres & dicatur institui tanquam persona laica cum onere disponendi ad fauorem personarum vel personæ sibi bene vitæ, relictum non sustinetur, si onus testituendi non est iniunctum fauore certæ personæ, vel saltem incertæ de certo genere, *§.incertis inst.de leg. l. Paulus la 2. l. si ita fuerit, ff. de reb. dub. Pereg.de fideic.a.14.num.1.* quod magis procedit in præsenti, vbi agitur de suspicione fraudis, vt incapaces ad acquirendum, & disponendum per hanc viam libere disponant recedendo à regula & voto paupertatis.

206 Sed si religiosus Episcopus ante professionem legitimè & seruata forma *Concil. Trid. sess.25. cap.16.* renunciauit bonis suis, nunquid potest hanc cassare, & regressum habere ad omnia iura, quæ tunc habebat? Fuit hæc quæstio valde controuersa, sed stante declarat. Sacr. Congreg. Concilij quam refert *Barb.lib.p.de iure Eccles.c.42.n.242.* tenoris sequentis videlicet. *Die 11. Ianuarij 1631. proposito in Sacr. Congreg.Concilij Trident.dubio ad instantiam. N. regularis professi, & ad Episcopatum promoti, Eminentiss. Patres censuerunt, dictum oratorem recuperare ius succedendi etiam in bonis ab eo renunciatis, dummodò non sint alteri acquisita*, eum hac resolutione transeo, DD. verò pro hac sententia daut abundè *Barbosa vbi supra, & de pot. Episc. all.96. num.15. & apud Laurcium de Franchis q.11 S. Pasqualig.* Et ita etiam tenuit *Rota in Romana de Mellinis 7. Aprilis 1657.coram Reuerendiss.Cerro*, quam refert, & sequitur *Lucar. d. cap.2. num.217.* Bene tamen dictum fuit dummodo non sint alteri acquisita. Nam secus dicendum est, vbi bona, quæ Episcopus reliquit fuerint allijs acquisita tunc enim nō recuperat neque bona ipsa, neque eorum fructus etiam post translationem decurrentes, vt eadem Sacr. Congreg. declarauit 7. Iunij 1617.& 10. Decembr.1633.de Religioso translato à religione incapaci bonorum stabilium ad capacem. Est enim in hoc eadem ratio etiam de translatione ad Episcopatum. Multò magis autem supradicta resolutio procedit in Scholastico religioso societatis, qui cum per votum simplex paupertatis non abdicer a se dominium temporalium, sed solum vsum, vt docet *Card. de Lugo resp. mor. lib.5. dub.12. num.17.* factus Episcopus & ideo habens iam dominium & liberum vsum bonorum suorum, potest de illis disponere, ac si esset secularis, & ideo potest reuocare testamentum si aliquod iam fecit, & aliud ad fauorem alterius condere. Quilibet etiam religiosus Episcopus, si ante professionem renunciauit bonis suis ad fauorem cuiuscumque, sed cum expresso pacto, & conditione, vt in casu quòd contingeret eum egredi de religione intendit bona renunciata recuperare, illa recuperat sine dubio si fiat Episcopus, vt ex *Anchar. Hostien. Panorm. & Feder. de Senis;* probat *Barbosa d.cap.42.n.243.*

207 Sic ergo manet explicata prima pars illius *cap.statutum* & apparet, quòd Episcopus religiosus sic sibi vendicat veluti hæres legitimus hæreditatem, quòd tamen sibi acquirit solum vsum liberum, & liberam administrationem independenter à Prælatis regularibus, dependenter verò à Pontifice vt à summo Prælato. Proprietatem verò acquirit Ecclesiæ cuius est Episcopus.

Quæ Episcopus Regularis possit retinere.

208 IN secunda autem textus parte decernitur, quid religiosus Episcopus possit vel non possit retinere, dum de monasterio transit ad Episcopum. In d.autem *cap.statutum* dicitur, quòd quæ monachus acquisierat relinquit monasterio Abbatis arbitrio. Et hoc est conforme ei, quod *S.Greg. l.8.epist.1.* ad Romanum defensorem Siciliæ scribit, & mandat agi cum Traiano monacho ad Episcopatum assumpto. *Sed ne postulata*, inquit, *videamur indiscretè concedere, hanc tenendam obseruantiam scito: idest, vt quidquid postquàm ab Abbatis semotus est officio comparauit, vel quolibet titulo acquisiuit, libera illitollendi facultas sit &c. si quid autem dum adhuc illuc Abbatis fungebatur officio acquisiuit, non suum, sed monasterij ipsius esse cognoscat.* Est ergo regula seruanda, quòd bona quæ Religiosus acquisiuit (non in sola spe, sed in re) ante Episcopatum, sint religionis, & religiosus factus Episcopus non possit ea retinere, & extra religionem transferre *Conar.cap.1.num.19. de testam.post Io: Andr. & Panorm.ibid.Suarez tom.4.de Relig.tr.8.l.3.c.16. nu.22. & 14.Lucar.de Episc.reg.cap.2. nu.221.* Quod tamen fallit in Religiosis adstrictis soli voto simplici paupertatis, & retinentibus dominium rerum temporalium, sicut sunt scholastici in societate. Hi enim bona, quorum habent dominium apud se retinent si fiant Episcopi. Rota in nullius seu Caputaquen. pensionis 18. April.1616. quæ est 78. *coram Marti-*

no *Andrea*. Si etiam aliquo casu hæreditas iaceret, & interim religiosus fieret Episcopus antequam monasterium adiret hæreditatem, hæc non ampliùs ad monasterium pertineret. Sed ad Ecclesiam ad cuius titulum Epis. ordinaretur, & illam Epis. retinere posset. *Suarez. tom. 4. de rel. tr. 8. l. 3. c. 16. numer. 14. fin.*

209 Regulam verò datam limitant aliqui, vt non sit vera de patrimonialibus, sed solùm de acquisitis ex industria, quia patrimonialia videntur semper accedere ad personam monachi *Card. in c. quod ad te de cler. coniug.* Quod tamen explicat & limitat *ibid. Panorm. num. 8.* vt non sit verum, nisi de patrimonialibus quæ dantur ratione ingressus in monasterium, & hoc vel expressè, vel tacitè ex coniecturis colligitur, sed si patrimonialia non sunt data intuitu ingressus, vt quia sunt data ante ingressum, hæc non reuocantur, nec transeunt cum religioso facto Episcopo, nisi ex misericordia: Sed communis sententia est, quòd omnia acquisita à religioso remaneant monasterio, si ille vel ad alium Ordinem transeat, vel fiat Epis. Et certè in *d. cap. statutum* vniuersaliter dicitur, quòd quidquid religiosus acquisiuit remaneat monasterio. *Syluest. v. religio 4. qu. 10. ex Archid. Tabien. v. religio quæst. 27. nu. 28. Couar. de testam. cap. p. a. nu. 20. Nauar. Com. 4. de regular. num. 24. Azor. p. 1. l. 12. cap. 15. q. 3. & c. 16. q. 8. Rodriq. t. 2. q. 79. a. 1. & 2. & t. 3. q. 5. a. 5. Suarez tom. 4. de relig. tr. 8. lib. 3. c. 16. nu. 22. Sanchez in Decal. l. 7. cap. 32. num. 8. Miranda tom. 1. q. 31. num. 24. Lucar. de Epis. reg. cap. 2. num. 221.* Verè enim distinguuntur spes, & actualis acquisitio, ideo vt bene aduertit *Syluest.* non debuit *Panorm.* ex eo quòd spes acquirendi non iuuat monasterium, sed quæ monasterium sperabat acquirere intuitu religiosi acquiruntur postea Ecclesiæ, si spes purificetur religioso facto Episcopo, inferre, quòd ea etiam, quæ monasterium actu acquisiuit, non debeant remanere monasterio, sed eis expoliari debeat, si religiosus fiat Episcopus. Et si verba S. Gregor. citata spectentur, potiùs Episcopus retinere posset industrialia, quia sanctus Pontifex concessit, quòd quæ Traianus acquisierat post expletum Abbatis officiũ haberet, nolẽs quòd retineret, quæ in officio Abbatis comparauerat; illa verò sic per Traianum post Abbatiam acquisita industralia videntur. Sed neque hoc licet, quia quod concessit S. Greg. fuit indulgentia, & gratia facta Traiano, non verò lex cum omnibus seruanda.

210 Vbi tamen relictum religioso pendet in futurum, & habet de spe respectu futuri acquirendi, vt si religioso competat census seu redditus annualis, videtur quòd pro annis Episcopatus ad ipsum dictus census pertineat, etiam si de bonis monasterij sit soluendum. Habetur hoc in simili determinatum à *S. Greg. d. lib. 8. epis. 1. in fine ibi. Et ideo de iure illud, quod antedictum fratrem nostrum* (scilicet Traianum ex monacho Episcopum) *capitulana conditrix supradicti monasterij singulis annis de eodem monasterio per vltimam voluntatem suam habere constituit, experientia tua solatiante, iustitia faciente, sine aliqua faciat dilatione percipere.* Vbi notandum, quòd annuum reditum eidem Traiano relictum censet eidem facto Episcopo deberi ex iustitia. Quàmuis capitale, & redditus iam antea acquisita monasterio, illi remanere debeant.

211 Ex leuitate etiam materiæ nonnulla esse possunt, quæ Episcopus religiosus sibi retinere possit, & præcipuè quia in similibus adsit præsumpta licentia, aut donatio superioris. Inter hæc *Lucar. num. 223. & num. 228.* numerat libros ab eodem Episcopo conscriptos, item libros in margine habentes adnotationes ab eodem Episcopo in adminiculum memoriæ appositas, item instrumenta artis, quibus religiosus singulariter vtitur ad aliquod artificium, quibus æqualia non haberet extra monasterium; item proprias ipsas vestes, quas exuit, dum induit Episcopales. Ego considero quòd in *d. cap. statutum* res ista Abbatis seu superioris arbitrio committitur, & non decernitur absolutè quòd monachus, quæ in monasterio acquisiuit relinquat, sed quòd hac faciat arbitrio Abbatis. Sic ergo superior pro suo arbitrio, ex causa tamen iusta suo subdito ad Episcopatum vocato potest vel titulo gratitudinis, vel ex motiuo pietatis, & eleemosynæ, vel ad maius decus Ordinis, vel ex simili motiuo virtutis, etiam ex titulo liberalitatis (si tamen res sit modica) aut ex alia causa vnde vtilitas monasterij possit prouenire, donare quæ illi religioso ad vsum erant concessa, vel in parte, vel in toto spectata causa donandi, & quantitate rei donatæ, & alijs considerandis, & obseruandis in donationibus habendis à Prælatis. Hæc enim in particulari non possunt determinari, sed prudenti superioris arbitrio remittuntur. Neque hoc est contra Constit. Clem. VIII. de largitione munerum: quia vt declarauit Vrbanus Octauus, per eam constit. non sunt prohibitæ largitiones munerum, quæ veniunt ex motiuo virtutis. *Suarez. tom. 4. de Relig. trac. 1. l. 2. cap. 26. num. 15. Sousa super Const. Clem. VIII. de larg. munerum §. 13. num. 114. Io: de la Cruz de stat. relig. l. 1. c. 3. dub. 1. concl. 3. Thesaur. de pœnis p. 2. v. munera cap. 10. Lucar. d. cap. 2. num. 225.*

212 Pariter multò magis superior potest quæ acquisiuit religiosus in monasterio, eidem Episcopo commodare, vel ad tempus, vel etiam ad vitam, concedendo illi solum vsum. Sed in hoc casu necesse est, vt fiat publicum inuentarium coram Notario, & testibus, & si fieri potest in præsentia alicuius deputati per officiales Cameræ Apostolicæ. Si enim plenè, & concludenter in morte Episcopi non probaretur res illas esse monasterij, & non fuisse acquisitas ex fructibus Episcopatus; hoc Camera Apostolica præsumeret, & res illas titulo spolij sibi adiudicaret. De quo videri potest *Barbosa ad cap. sint manifesta 12. q. 1. & cap. inuestigandum, & cap. cum vnusquisque de pec. Cler. & cap. de Syracusana dist. 28.* Et quia hoc periculum satis de facili imminet, non nisi ex valde graui causa, & cum maxima cautela commodari debent huiusmodi acquisita ipsi Religioso ad vitam, nisi sint parui momenti.

213 Quantùm verò ad manuscripta, seu Codices à Religioso compositos, *Suarez tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. cap. 13. num. 10.* non omnino assertiuè admittit, quòd exiens Religiosus possit ea retinere. *Diana verò p. 1. tr. 6. ref. 25. ex Valero* id absolutè affirmat. Ego considero, quòd codices manuscripti ab aliquo compositi quantùm ad vsum sunt eius irreuocabiliter. Vsus enim eorum respectu authoris non est pretio æstimabilis, sed supra omne pretium, tanquam quid intrinsecè sibi necessa-

riuni

rium ad vsum propriæ scientiæ, ad quam Religiosus habet naturale ius, quo non priuatur per votum paupertatis; Et ideo potest Religiosus Episcopus codices a se compositos retinere etiam superiore inuito. Quia tamen tales respectu aliorum sunt pretio æstimabiles, sicut, & alij libri, & aliàs dominium illorum est Religionis; ideo debet Episcopus Religionem indemnem reddere, & illi vel originale, vel copiam relinquere, vel securam reddere, vt ad Religionem reuertantur, vel eos imprimere pro communi vtilitate. Si verò sint parui momenti, & æstimationis, non est vnde Religio de illis curet, & sic Episcopus eos sibi retinere potest.

214 De alijs verò rebus loquendo considerandum est, quòd aliud est, quòd Episcopus eas possit retinere, quia rationabiliter præsumere potest Religionis consensum, vel ratione paruitatis materiæ, vel quia ex iusta causa Religio censeatur illa donare; maximè si ex vsu, & praxi similes res retineri soleant, sicut retineri solent vestes, quibus actu Religiosus vtitur dum transfertur ad habitum Episcopalem. Et aliud est, quòd eædem res possint retineri inuita Religione. Primum verum est, quia non fit iniuria Religioni, nec vsurpatur, quod est illius, ea inuita. Sed vbi non adsit expressus, vel rationabiliter præsumptus consensus Religionis, nihil ex acquisitis in religione potest Episcopus sibi retinere, vt *in d. cap. statutum* dicitur. Nec valet, si dicatur, quòd in adminiculum memoriæ, Religiosus postillauit libros; quia si hoc sufficeret, integram librariam posset sibi retinere, si illam postillasset, in maximum præiudicium religionis; neque ex hoc, quod ipse postillis marginalibus repleuit librum, & forsan illum deturpauit, acquisiuit vsum illius inuita religione. Est enim etiam considerandum, quòd potest Episcopus, vel religioni soluere pretium, vel rem aliam æqualis valoris reddere, vel religionem assecurare, quòd ad eam res redibit, & sic vno, vel altero modo cum ea conuenire, vt rem retineat, non verò potest illam retinere religione inuita.

215 In Ordine Prædicatorum adest speciale statutum Clement. IV. de quo mentionem fecit *S. Anton. tract. de suspensione cap. 4. §. 20.* & quod ad verbum refert *Fontan. v. Episcopus*, per quod Religiosis assumptis ad Prælaturas extra Ordinem præcipit, ne consecrationem recipiant, nisi priùs religioni integrè reddiderint libros, & bona quæcumque ad religionem spectantia, & si id non præstent eo ipso suspendit illos ab executione Pontificalis ministerij. Excipit tamen quaternulos, & chartulas, vel membranas in quibus Fratres certa sibi notabilia cum aliquibus priuatis sermonibus colligerunt. Consimile verò statutum datum suisse pro Minoribus ab Alexandro IV. ex monument. Ord. Minorum tradit *Suarez tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. c. 16. num. 21.*

216 Hoc verò statutum non continet legem nouam, nisi inquantum est pœnale, sed ex vi voti paupertatis ad hoc teneri tales Religiosos satis ostendit Clemens in proemio, vbi pro ratione suæ dispositionis assumit, quod contingat Fratres aliquos non considerantes quòd nihil habent proprium dum assumuntur ad Prælaturas, retinere sibi libros, & ea quæ sunt religionis in propriæ salutis dispendium, & religionis detrimentum; supponit igitur, & declarat hoc esse contra votum paupertatis, & in salutis talium dispendium, & propterea sic agentibus pœnam imponit.

217 Et ex quo excipit solùm chartulas, & membranas, cum paruis priuatis sermonibus, firmat quòd alia retinere inuita religione sit contra paupertatem. Quamuis, vt supra dicebatur, vsus codicis à religioso ipso compositi non possit illi negari, omni tamen meliori modo assecurata religione, quæ illius est Domina.

218 Concedit etiam, quòd Priores possint de consensu Conuentus concedere vsum talium bonorum ad certum tempus. Sed hoc est dictum exemplariter; non enim negatur, quin ex iustis causis possint etiam donare, vbi hoc possit esse omnibus pensatis virtutis actus. Addit verò, & requirit consensum Conuentus, quod intelligitur, vbi ex magnitudine materiæ Prælatus sine consensu Conuentus, non possit Conuentus bona alienare, & de eis disponere. Hinc considerandum est, quòd vbi res esset immobilis, aut mobile pretiosum, non posset Prælatus sine consensu Conuentus rem illam concedere, immò etiam si aliàs non esset censenda mobile pretiosum, sed esset fructus, seu pecunia, non posset Prælatus sine consensu conuentus illam concedere, quia non potest Prælatus bona religionis nisi ad quantitatem paruam, & determinatam alienare, seu ad vsum extra religionem concedere. Ideo in hac parte, deberent etiam seruari aliæ solemnitates iuris necessariæ ad alienandum res Ecclesiæ, quod indicat Clem. IV. ex quo ad præfatam concessionem requirit consensum Conuentus; quamuis quia non requirit beneplacitum Apostolicum iuxta Constit. Pauli II. *Ambitiosæ*, dici possit, quòd huiusmodi solemnitas non sit necessaria, vbi concessio non est donatio, sed concessio ad vsum ad certum tempus. Verùm si ageretur de donatione, vel venditione, vel quacunque alia alienatione rei immobilis, vel mobilis pretiosæ, esset necessarium beneplacitum Apostolicum, tum ex Constit. Pauli II. tum ex decreto Vrbani VIII. pro Regularibus iuxta latiùs explicata in art. super. Et hoc idem dicendum esset de concessione ad vsum vltra triennium, si aliquod ius super re concederetur, iuxta explicata *art. sup. nu. 232. & 381.* Alienationes enim huiusmodi cum sint alienationes rerum religionis extra religionē, continentur sub legibus eas fieri prohibentibus sine iuris solemnitate.

219 Non desunt verò, qui existiment hoc Clemen. statutum esse priuilegium commune alijs religionibus per communicationem. *Passarel. in compend. priuil. p. 35. Peyr. in subd. q. 1. cap. 10. Tambur. tom. 3. d. 3. q. 9. nu. 9.* Sed non est priuilegium, sed lex pœnalis. Ideo commune est omnibus pro quanto continet legem diuinam ex vi voti paupertatis. Sed pœna imposita alijs non est communis, vt bene aduertit etiam *Rever. Lucar. num. 227.*

220 Suspensio autem ab executione Pontificalis muneris est ipso facto: non est verò reseruata. *D. Anton. 3. par. tit. 17. cap. 4. Bonac. de susp. disp. 3. q. 8. p. 17. Lucar. d. num. 227.* Ad eam verò incurrendam necessariam esse præsumptionem, & quòd delinquens sciat se retinendo bona incurrere in dictam suspensionem, ex eo quòd Clem. dicit nouerint se suspensos tradit, *ibid. Lucar.*

Quo-

Quomodo facultas ampla administrandi stet cum voto Paupertatis.

221 AD secundum respondetur non esse, & esse eandem rationem de Episcopo seculari, & Regulari. Non est eadem ratio, quia secularis est dominus sui patrimonij, & iuxta probata art. sup. est dominus redditimum Ecclesiæ, qui pertinent ad suam mensam. Sed Episcopus regularis nullius omnino rei est dominus. Conueniunt verò, tum primò, quia vterque habet plenam administrationem eorum, quæ ad mensam Episcopalem pertinent; & secundò nullus eorum habet dominium fundorum Ecclesiæ, aut rerum mobilium pretiosorum, seu eorum, quæ spectant ad mensam communem Ecclesiæ, seu quæ censentur esse de proprietate Ecclesiæ, seu Ecclesiæ incorporata, vnde talia à nullo illorum alienari possunt sine iuris solemnitate; & tertiò nullus eorum potest disponere de redditibus ad eorum mensam spectantibus, nisi ad propriam condecentem sustentationem sui & familiæ, & ad vsus pios, iuxta exposita *art. super.* ideo quartò conueniunt, quòd vterque potest ea quæ spectant ad mensam propriam liberè vendere, permutare, & etiam donare, dummodò non distrahantur in vsus prophanos. Et ita verum est, quòd communiter asseritur, scilicet Episcopum religiosum redditimum sui Episcopatus spectantium ad mensam Episcopi habere administrationem tam plenam, & amplam & vniuersalem, vt possit illos in quolcumque vsus distrahere sine iniuria, & iniustitia & obligatione restituendi, etiam si expendat in vsus illicitos, sicut habet Episcopus secularis vt (quidquid in contrarium dixerit *Pereira decis. 75. n. 3.*) docet *Bal. in cap. clerici el 2. de vita, & honest. cler. Card in cap. si quis de pecul. Cleric. & in Clem. 2. §. sed & talis, in princ. eod. tit. Nauar. cons. 15. de regular.* vbi dicit praxim totius orbis ita seruare. Et *cons. 70. num. 4 eod. tit. & cons 6. de donat. et de reddit. q. 1. mon. 8. Sanchez l. 6. sum. cap. 6. num. 14. Sot. l. 10. de iust. q. 5. a. 7. Card. de Lugo vbi supra. nu. 25. Azor. p. par. l. 12. c. 7. q. 2. Rota dec. 772. p. 1. diuers. & dec. 241. num. 4. & 306. nu. 1. & dec. 306. par. 2. & dec. 115. num. 3. par. 4. tom. 2. recent. & communiter DD.* quos abundè referunt Barbosa, de *pot. Epis. all. 114. & voto 101. num. 7. Sanchez vbi supra & Pasqualig. ad Lauretum de Frãchis p. 2. q. 119.* Et quàmuis non defuerint, qui dixerint Episcopum regularem non posse immodicè donare. *Panorm. cum olim el 2. §. praterea, num. 15.* de priuilegijs, vbi hoc docet etiam de Episcopo seculari. *Io: Andr: Butrius, Socin.* & alij plures apud *Barbosam voto* 101. *num.* 11. Tamen contraria sententia praxi confirmata est tenenda, quæ etiam est communis, vt ex *Rotis citatis & alijs DD. patet.*

222 Ex quo sequi videtur quòd in ijs casibus in quibus Episcopus secularis potest vti fructibus suæ præbendæ etiam ad vsus prophanos, vt puta ijs, quæ parcè viuendo, & minus quàm posset ad sui & familiæ sustentationem expendendo, vel compensando ea quæ ad sui sustentationem aliunde habita expendit, ita & Regularé id posse, quia pars illa censetur ac si esset patrimonialis, & profana & censentur concessa Episcopo, vt eis ad libitum vtatur, vt apparet ex dictis & probatis in superiori *artic. num. 24. & seqq. Sanchez l. 6. c. 6. num. 14. ex Nauar. de redd. 1. mon. 33. num. 1. 2. &c.* Sed non potest hoc admitti in Episcopo Regulari, qui quidquid acquirit Ecclesiæ acquirit, vnde semper est bonum Ecclesiæ, & patrimonium Christi in pios vsus erogandum.

223 Sequitur secundò quòd sicut Episcopus secularis, sic & regularis si expendat fructus ad suam mensam spectantes in vsus profanos, aut etiam illicitos, peccat quidem & contra fidelitatem sui officij, & religionem, sed tamen non peccat contra iustitiam commutatiuam, nec tenetur restituere, vt in dicto *art. 7. probaui num. 113. & habetur ex D. Thom. art. super. & quodl. 6. a. 12. Soto l. 10. de iust. q. 4. a. 3. & 4. Couar. cap. cum in offic. num. 3. de testam. Ledes. 2. p. 4. q. 18. a. 5. dub. vlt. Petro de Soto tract. vlt. lec. 3. Bannes 2. 2. q. 62. a. 5. dub. 5. Lucar.* autem *d. c. 2. num. 242. & 243.* vult quòd Religiosus donans ad vsus profanos violet iustitiam: sed hoc non est conforme doctrinæ *D. Th.* vt patet *ex art. 7.*

224 Sequitur tertiò quòd Episcopus religiosus nedum ex ijs quæ lucratur parciùs viuendo, sed ex superfluis fructibus quibuscũq; sui Episcopatus possit pro sua religione ædificare Ecclesias, emere stabilia, donare supellectilia ad vsus pios, quia omnia ista ad pium vsum spectant, & Episcopus dum in vsum pium fructus sui beneficij expendat, satisfacit suæ obligationi *Pasqualig. vbi supra nu. 4.* Cum hoc tamen etiam semper considerare debet, quòd ex officio est pater pauperum; & ideo non potest relinquere pauperes in necessitate, vt Ecclesias alijs ædificet. Sicut & ordo charitatis vult, vt per priùs necessitatibus suæ Ecclesiæ, quàm aliorum subueniat. Vnde in his seruandus est ordo charitatis quem Episcopale officium postulat.

225 Sequitur quartò quòd Episcopus potest etiam fructus suos pro futuris necessitatibus reseruare. Negant aliqui posse Episcopum thesaurizare, & retinere fructus pro futuris necessitatibus, vel etiam vt si contingat ex iusta causa eum renunciare Episcopatui, habeat, vnde viuat. Sed dicendum est, quòd vbi necessitas pauperum, vel Ecclesiæ non vrgent, vt docet *D. Th. art. sup. ad vlt.* non est malum redditus Ecclesiasticos in thesauros recondere pro futuris pijs necessitatibus, inter quas numeranda est necessitas sustentationis Episcopi, vbi contingat eum ex iusta causa cedere Episcopatui.

226 In hoc ergo stat difficultas tota huius quæstionis. Nam si religiosus Episcopus non minus amplam administrationem habet suorum redditimum, quàm secularis, vnde & quomodo esse potest quòd ille sit dominus, iste non? Cum dominus sit, qui sine alterius iniuria potest de rebus ad sui beneplacitum, disponere? Ratio est, quia hæc diffinitio dominij, non est propria, & conuenit etiam administranti nomine alterius cum plena potestate, & veluti nomine proprio, is enim ad sui nutum de rebus disponit, sine alicuius iniuria, non quia sit dominus, sed quia dominus talem sibi licentiam concessit. In hoc ergo est discrimen, quòd Religiosus in hac sua administratione pendet à Pontificis voluntate, qui si vellet eam restringere posset, & limitare. Et quia religiosus est dominij incapax, nec potest nomine proprio & ex proprietate sibi tradi-

tradita, sed solùm ex licentia domini sibi concessa fructus sui Episcopatus administrate; & quàmuis tam amplam habeat, quàm secolaris, tamen secularis, qui eius est capax habet sibi concessam nedum facultatem administrandi, sed ius & proprietatem, eoi talis facultas competit ex iustitia; sed Religiosus incapax proprietatis habet solam administrandi facultatem sibi ab extrinseca gratia & concessione, non veró ex intrinseco iore, & proprietate competentem. Vnde est, quód nedum non est dominus, sed ea facultate ampla absque iniustitia & sine demerito priuari posset, ex hoc solo quód Papa iudicaret conuenire, quód religiosus Episcopus ab alio & ex alterius administratione sustentamentum reciperet. Et vlteriùs si talis deponeretur ab Episcopatu maneret ligatus voto paupertatis, nunquam soluto.

227 Hinc veró oriri posset aliud maximum discrimen in ea sententia, qoæ arbitratur duo promitti per votom paupertatis, scilicet non habere proprium, & secundò non vti rebus vt diuites, & vt opulenti, sed vt pauperes, de quo dicendum erit quæst. sequenti. In hac enim sententia maneret votum paupertatis in Episcopo religioso obligans illum ad non admittendum pretiosa supellectilia, & superflua, qoæ licet diuitibus competant non decent tamen religiosos Episcopos paupertatem profitentes. Sed quidquid sit, an vsus rei pretiosæ aut superfluæ directè contrarietur voto paupertatis de quo negantem partem probo infra *q. 186.a.7. a. num.*152. indirectè & consecutiue ex eodem voto sequitur quód religiosus Episcopus habeat restrictam amplitudinem facultatis vtendi fructibus Episcopatus. Quia quantitas expensarum quæ pro sustentatione suæ personæ & familiæ fieri honestè debet & potest, maximè pendet etiam ex personali conditione Episcopi, vt probatum est *artic.sup.num.*278. vnde ex eodem beneficio abundantiùs potest expendere Cardinalis, vel filius magni Principis autRegis pro sui sustentatione, quàm possit persona genere & conditione inferior; igitur ex hac proportione religiosus Episcopus, qui profitetur contemptum mundi, & diuitiarum, & vouit pauperem statum, nec tā pretiosa suppellectili, nec tanta seruorum copia, & multitudine equitum & curruum vti potest, quanta secularis. Quoniam superfluitas est specialiter prohibitaReligiosis. Ideo à culpa graui non excusari Episcopum religiosum, si pretiosa nimis suppellectili vtatur, & quæ nimis status religiosi modestiam excedat; multoque magis si familiam ex parasitis, venatoribus, & musicis refertā habeat, quæ vix in Principe seculari approbari possunt, dixerunt *Card. de Lugo vbi supra numer.*27. *Suarez d.l.*3. *cap.*16. *num.*10. *Lucar.d.cap.*2. *num.*238.

228 An veró, si Episcopus in vsus turpes fructus Episcopatus expendar, hanc circomstantiam confiteri teneatur, affirmatiuè est respondendum, etiam si sit Episcopus secularis, quia peccat contra fidelitatem sui officij, & virtutem religionis abutendo patrimonio Christi ad illicita. Episcopus veró religiosus ex hoc quòd abutarur patrimonio Christi ad malum, non committit peccatum alterius speciei ab eo quod committit Episcopus regularis, quia vterque ex eisdem virtutibus tenetur ad non vtendum bonis Deo consecratis ad malum, licet facilius sit, quód inReligioso hic vsus sit abusus quàm in seculari.

De facultate Testandi.

229 TAndem quantum ad testandum de bonis Ecclesiasticis, & non testandum cōueniunt Episcopus secularis, & Religiosus, quod neuter sine licentia Papæ potest testari. De patrimonialibus quidem, & quasi potest Episcopus secularis testari, secus de acquisitis, ex redditibus Ecclesiasticis *cap.*1.*cap.ad hæc, cap. quia nos cap relatum de testamentis, Clem. statutum de elect. cap. Episc.* 12.*q.*1.*auth. licentiam, C.de Episcopis*, quod qui dem verum est, non quia Episcopus non sit dominus fructuum Episcopatus, sed quia lex positiua in citatis iuribus id prohibitis. *Barb.d.all.*114. *num.*5. Quæ veró censenda sint acquisita ex redditibus Ecclesiasticis, de quibus secularis Episcopus non potest testari, tradunt *Barb.d.alleg.*114.*num.*9.*& seqq. Antonell.l.*3.*c.*17.*num.*3. *Bellet tit. de bonis Cler.*§.10. *Panorm. Host. & aly in cap. Cum in officijs de testam. Couar. de testam. cap.*1.*num.*7. Episcopus veró Regularis, quia ex vi voti paupertatis existens incapax dominij propriè non habet bona patrimonialia, & prophana, sed quidquid habet Ecclesiæ est, ideo nedum de acquisitis inquantùm Episcopus, sed nec de obtentis per hæreditatem, aut industriam, aut alia quacumque via potest testari: vt communiter tenent DD. quos dat *Barbos. d. alleg.* 114. *num.*2. & sic duplici causa sibi est id prohibitum, & quia Episcopus, & quia Religiosus, *cap. statutum* 18. *q.*1. *D. Thom. ad tertium, & DD. communiter*. Ideo vt Episcopus religiosus obtineat licentiam testandi, vtraque qualitas exponi debet sanctissimo. Quamuis si vellet testari de solis bonis ex industria vel hæreditate, aut donatione acquisitis, & quæ in seculari censentur patrimonialia, sufficeret explicare qualitatem Religiosi. Licentia veró testandi debet esse expressa, nec sufficit generalis, & simpliciter data, intelligitur data solùm ad vsus pios. Imò non desunt, qui dicant licentiam testandi ad quoscumque vsus non extendi ad profanos, nisi id explicetur. Sed contrariū est dicendum. Nam cum simplex licentia testandi ad quoscumque actus licitos extendatur, illa clausula apposita, si nihil alius importaret, esset superflua. Nec illicitum est, quód Pontifex ex iusta causa det licentiam testandi ad vsus præcisè secundùm se prophanos, immó hoc iustum est, & vsus aliàs prophanus ex hac iusta causa fit licitus. Fauet huic *Bannes* 22.*q.*62. *a.*5.*d.*5 Licentia autem hæc data morte Papæ concedentis non expirat. *Rota in Placentina facultatis testandi* 24. *Iannar.*1578. *coram Rubeo, apud Ricc. in prax resol.* 386. *& Barbos. de offic. Episc. alleg.*114. *num.*24. Et ex vi huius licentiæ religiosus Episcopos, vt eadem Rota dixit, potest prius testamentum reuocare, & aliud condere. Et testamentum valet, etiam si in eo habitæ licentiæ mentio non fiat, quia præsumitur testator voluisse, vti facultate quam habet. *Redoan. de spol. Eccl. quæst.*7. *num.*27. Et immo sufficit, quòd licentia superueniat testamento, & quod facultas testandi adsit tempore mortis. Quamuis tutius sit obtenta licentia coram Notario præcedens testamentum con-

confirmare. Facultatem autem testandi non extendi ad Codicillos, nonnulli senserunt apud *Barbosam vbi sup. num.27.* Sed contrarium meritò sensit *Molina tr.2.disp.141.* Quia codicillare non est nisi disponere causa mortis, addendo testamento iam facto, quod non est completum vsquequo testator viuit. Addit verò Barbosa quòd Episcopus non possit testari, nisi de bonis, quæ supersunt solutis debitis, & reseruatis ijs, quæ sunt necessaria Ecclesiæ vacanti pro seruitoribus, & ministris, & incumbentibus oneribus, vsque ad nouos redditus supportandis.

230 Et si verò Episcopus Regularis habeat licentiam testandi, si decedit sine testamento, licentia habita nihil iuuat, sed totum Ecclesiæ, vel Cameræ Apostolicæ acquiritur. *Panorm. in cap fin. n.3. de Regular. Sotus l.10. q. vlt. a. 3.* Quod verum est etiam si bona sint hæreditaria. Et pro istis aquirendis Capitulum potest agere. *Innoc. cap. dilectis, el 1. vbi Abbas nu.3. de maior. & obed. Rota d. decis. 15. tom.5. par.4. recent.* Et sic etiam si Episcopus sit titularis, si sine testamento decedat totum, acquiritur si non Ecclesiæ suæ, quæ non adest de facto, Papæ, & Cameræ Apostolicæ. De his verò videndus est *Barbos. de offic. Episc. alleg. 114. & l.3. vot.101. & ad cap.2. de testam.* qui ad singulas ex præfatia sanctionibus comprobandas quàm plures DD. refert, Quod etiam commentarij militiarum, quibus concessum est matrimonium, vt sunt in Hispan. D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ possint testari, etiam de fructibus commendarum tradit idem ad d. cap.2. Putat etiam *Lucar. num.149.* quòd forsasse in gratia testandi, Pótifex data Episcopo Regulari exprimi deberet causa iusta, seu rationabilis ex qua Pontifex motus fuisset, quia aliàs si fieret sine dictis causis, gratia nulla iudicari posset. Verùm ex *Redoan. de spol. quæst.7. num. 16. ap. Barbosam alleg.114. num.53.* dicitur, quòd Papa licentiam testandi dat sine causa expressa, & Papam nunquam nisi ex causa iusta gratiam concedere præsumi debet. Et cum prohibitio testandi sit ex iure positiuo, etiam si ex non iusta causa concederetur, Papa sciente, & volente gratia esset valida.

231 Quæ verò dicta sunt intelliguntur etiam de donatione causa mortis; quæ licet assimiletur contractui, tamen conuenit cum vltima voluntate, & testamento in hoc, quòd non habet effectum, & efficaciam nisi post mortem, ideo non competit ei, qui est vsuarius, & solùm pro tempore vitæ rei vsum habet Pius IV. Constitut. 8. Et quia donato facta tempore infirmitatis præsumitur facta causa mortis, ideo si fiat vacillat. *Rota decis.241. nu.12.* refert breue Clementis VIII. in quo decernitur, quòd inualidæ sint omnes donationes factæ ab Episcopis reseruato vsufructu. Quod tamen eadem *Rota ibid.* explicat, vt intelligatur de illis, quæ viuentibus donatarijs non sunt effectum sortitæ; vnde non comprehendit eam, de qua in ea decis. erat sermo, cum infra quinque dies donatarijs fuerit tradita possessio domorum donatarum. Sed *Rota decis.440. par.9. recent.* sustinet validam donationem factam ante infirmitatem ex qua donans decessit, etiam si donatario non fuerit ante mortem tradita res donata. Et sic loquitur. Sat est dicere, quòd agatur de bonis donatis à Clerico Beneficiato mediante donatione inter viuos, dum Bartholomæus præfatus dixit se donare irreuocabiliter inter viuos; vnde talia reputatur, *l. non aliter, de leg.3. l. Labeo, de suppellect. legat. Barthol. Imol. Castren. Alex. & Iason in l. qua dotis, ff. solut. matrim. Menoch. præsumpt.35. num.2. l.3. Iason cons.5. col. penult. l.3. & cons.169. col. vlt. l.4. Decian. cons.305. per tot. & 470. num.1. & 6.* Nec inde intrat spolium, licet donatio facta legatur ab infirmo, dum ex illa infirmitate non decesserit *Iason in l. qua dotis, num.28. ff. solut. matrim. Io. Franc. à Ponte consil.83. num.5. l.1.* Etiam si effectus donationis fuerit collatus post mortem. *Bald. in l.2. C. de iur. dot. Io. Franc. à Ponte d. consil.83. num.6. & seqq. l.1. Rota decis.9. num.24. & seqq. p.7. Hæc Rota, ibi.* In citata autem *Rota decis.9. num.24. p.7.* latè explicatur quomodo stet, quòd donatio non sortiatur effectum nisi post mortem etiam ex pacto, & tamen non sit donatio causa mortis. Verùm considerandum est, quòd in præfata Rota non est sermo de Episcopo donante, sed de Decano, & non de spolio Camer. Apost. debito, sed magno Magistro Religionis militum Melitensium.

232 Loquendo enim de Episcopo, cum per Constit. Clem. VIII. quam refert, *Rota præfata decis.241. p.2. recent.* seu *decis.401. coram Greg. XV.* inualida sit donatiò facta reseruato vsufructu, dicendum est donationem etsi factam ab Episcopo sano, & multò ante infirmitatem ex qua decessit, si sit facta reseruato vsu fructu, & non tradita possessione rei donatæ sit nulla iuxta *leg.2. §. si pecuniam de donat. Gratian. discept. 834. num.46. Port. consil.104. Roman. cons.26. in princ. Manuel. cons.4. nu.8. & cons.137. num.7. Alex. cons.13. & 14. l.6. Valle in praxi Collect. par.1. cap.9. Barbos. d. alleg.114. nu.33 fin.* & apud eum *Solor. & Noguerol.* Vnde ex eo solo, quòd rei donatæ, non tradatur possessio ante mortem, etiam si in donatione non sit expressa reseruatio vsusfructus vsque ad mortem, censebitur reseruatus, & donatio non tenebit. Si tamen possessio tradatur, & sit pactum reseruationis vsusfructus, vtque ad certum tempus, vt pura ad tempus nuptiarum donatariæ, sicut in casu illius *Rotæ 241.* tenebit donatio, etiam si contingat eam non habere effectum nisi post mortem, hoc enim per accidens esset, neq; ex eo concludi posset, quòd donatio esset causa mortis.

233 Hinc soluitur illa quæstio, an ad valorem donationis requiratur, quòd Episcopus rem donatam tradat in vita, vel sufficiat eam tradi post mortem. Sufficere enim voluit *Sanchez lib.2. consil. c.2. dub.53. num.8. & apud eum Innoc. cap. ad hæc, de testam. & Nauar. q.1. de reddit. num.89. Lucar. d. cap.2. num.142.* sed oppositum voluerunt *Io. Andr. Card. Barbat. d. cap. ad hæc Panorm. cap. cum in officijs, & ibi Couar. num.5. eod. tit. & cap. ad hæc, & ibi Hostien. num.2 eod. tit. Beliet. vbi supra num.9. v. Clericus 4. q.2. Ang. num.2.* Et hoc est indubitatum, ex supradicta Const. Clem. VIII. quia donans, qui rem non tradit in vita sua, sibi de facto reseruat vsumfructum rei dum viuit; quod facere non potest Episcopus donans. Et ita siue Episcopus sit sanus, siue infirmus, dum antequam moriatur non tradit rem donatam, donatio nullas habet vires. Et ita, vt aduertit *Barbosa lib.3. voto 101. num.16* vera est resolutio *Britti de Locato p.1. rubr. §.4. num.15.* scilicet, quod donationes ab Episcopis factæ dum viuunt, quæ incœperunt à promissione, nec fuerunt effectum

ctum sortitæ non sunt validæ, cum enim sola superfit actio personalis, ius verò, & dominium dantis Episcopi morte resoluatur, successor, qui non est hæres, in quem transeat personalis actio, non tenetur donationem implere.

234 Videndum igitur remanet, an donatio facta tempore infirmitatis, si res ante mortem Episcopi sit tradita donatario, subsistat. An verò aliquis sit infirmus vel non, medicorum est ferre iudicium per *l. semel. C. de re milit. lib. 12.* Sed ad hoc vt aliquis dicatur infirmus, sufficit quælibet febricula, etiam si intermittens, vt tertiana, vel quartana. *Rebuff. ad Reg. de infirmis gloss. 2. num. 5. & seqq. Azor. p. 2. l. 7. c. 28. §. dubitat aliquis.* Nam infirmus est, cui infirmitas est impedimentum ad agendum aliquam actionem. *Mandos. super reg. 19. Cancell. q. 5. num. 8.* & vbi constiterit semel de infirmitate, præsumitur quòd fuerit continuata vsque ad mortem. *Panorm. cap. cum inter, num. 7. de elect. Mascard. de probat. concl. 897. Decian. resp. 14. num. 35. vol. 3.* & quòd mortuus fuerit ex illa infirmitate, nisi probetur aliam peiorem qualitatem superuenisse *Coch. ad reg. Cancell. de infirmis num. 24. & seqq. Barbosa d. voto 101. num. 18. & seqq.*

235 Quàmuis verò donatio facta fuerit in infirmitate, & tamen infirmus donans conualuerit, si donatio facta fuit cum traditione rei, idem est ac si esset facta in sanitate, nam & sanitate superueniente consolidatur, nec potest dici factum causa mortis, quod verè donatur inter viuos, & donatum traditur, & cessante infirmitate non reuocatur; nisi tamen infra quadraginta dies donans moriatur: prout decreuit Pius quartus in motu proprio, de quo infra.

236 Sed vbi donatio facta est in infirmitate ex qua donans decessit, præsumitur facta causa mortis, *per text. in l. filia mea. ff. sol. matrim. & in cap. de his de sepult.* & ideo non subsistit *cap. ad hæc de testam. Sarmient. de reddit. p. 4. cap. 4. num. 6. Ricc. dec. 164. n. 3. p. 4. Panorm. in d. cap. ad hæc in fine Anch. num. 6. Imol. & Couar. Rota in Arboren Spolij 17. Iunij 1624. Coram Manzanedo, quæ est dec. 560. part. 4. tom. 3. recent. Barbosa de off. Episc. all. 114. n. 35. & voto 101. nu. 25.* In Ecclesiasticis enim redditibus id iuris habent Clerici, quod à Canonibus sibi conceditur, vt post *Innoc. in cap. indecorum, de ætat. & qual. Card. cons. 110. col. 2.* tradit *Couar. cap. in officijs, num. 2. de testam.* Iura autem volunt, quòd clericus infirmus se habeat in hoc sicut vsuarius, & donare non possit. *Gloss. in cap. præsenti de off. ord. in 6.*

237 Limitatur autem hæc assertio, vt ad causam piam, possit fieri donatio etiam ab infirmo, si sit moderata, & res donata tradatur cum effectu. Aliqui absolutè limitationem intelligunt, vt sit vera etiam si donatio sit immoderata, si nulla interueniat fraus. *Molina iurisc. de primog. l. 2. c. 10. n. 40. & 41. Molina Theolog. disp. 148. num. 5. Vasquez de reddit. c. 1. §. 3. num. 70. Nauar. in Apol. q. 1. mon. 81. & 82. Lucar. num. 242.* quia cum Episcopus teneatur implicare redditus Ecclesiasticos in vsus pios, iustum est, vt quod non fecit sanus perficiat infirmus, & sic ad felicem exitum se præparet. Sed hæc ratio satis valere potest ad hoc probandum, quòd in foro conscientiæ huiusmodi donatio facta sine fraude, & dolo sit valida, cum lex prohibens se fundet in fraudis præsumptione. Sed hæc ratio etiam probaret, quòd in foro interno valeat donatio facta sine fraude & dolo non causa mortis sed inter viuos, etiam si sit ad vsus profanos, quàmuis ista sit intrinsecè mala, & illicita. Ideo dicitur, quòd donatio facta tempore vltimæ infirmitatis, si non sit moderata est nulla, & inualida *cap. ad hæc de testam. DD. num. super. citati cap. Cæterum, vbi Panorm. numer. 1. & 2. de donat. & cap. relatum 2. vbi Panorm. num. 8. de testam. Bellet. disq. Cler. Couar. cap. cum in officijs de testam. num. 5. Redoan. q. 3. §. statutib. de spol. num. 8. par. 1. tit. de bonis cleric. §. 5. num. 4. Antonel. de Regim. Eccles. Episc. l. 3. c. 17. nu. 9.* Vult autem *Bellet*, vbi supra, quòd Episcopus moderatè titulo eleemosynæ possit testari, sed meritò hoc negat *Couar. cap. ad hæc de testam.* Quod etiam donatio dicatur moderata attendi debet considerata facultate donantis, & meritis donatarij. *Rota dec. 421. num. 11. p. 2. recent. Barbos. ad cap. ad hæc de test.*

238 Limitatur secundò vt valeat donatio adiuncta traditione, si fiat per quadraginta dies ante mortem donantis. Nam cum Pius IV. in quodam motu proprio dato 10. Iunij 1560. cuius meminit *Barbosa d. voto 101. num. 33.* declarauerit, nullas & inualidas quascumque donationes factas intra quadraginta dies proximos morti Episcopi donantis; igitur arguendo à contrario sensu extra illud tempus factæ valent; & videtur Pontifex declarasse, quòd extra illud tempus non habeant locum suspiciones fraudis, ob quas vitandas Pontifex illam declarationem fecit. *Barbosa vbi sup.*

239 Limitatur tertiò vt donatio facta tempore infirmitatis valeat, si sit facta pro solutione debitorum, aut pro remuneratione obsequiorum, accedentibus duabus conditionibus, scilicet, vt donatum sit proportionatum & æquale præmium obsequij; & licet in se sit magnæ quantitatis, non excedat tamen notabiliter meritum obsequij præstiti; secunda est, quòd obsequium sit tale, vt pro eius iusto pretio obtinendo actio competat ei, qui illud præstitit. *cap. relatum, ibi, iuxta seruitij merita, de testamen. Dec. cons. 201. num. 6. Barbosa d. voto 101. num. 36.* & apud eum *Tiraq. Pinel. Io: Garz. Borell. Giurba, & Castill. Sanchez. l. 6. de matrim. disp. 36. num. 4.* Sed iam hæc non est donatio, sed solutio. Aliàs enim donationes remuneratoriæ, quæ fiunt ratione obsequij, pro quo non datur actio, parùm aut nihil à donationibus liberis differunt, & ideo nisi moderatè fiant iuxta dicta num. 237. sunt nullæ, si fiant tempore vltimæ infirmitatis. *Gloss. communiter recepta, in cap. præsenti. ver. reseruari de off. ord. in 6. Barbos. Antonel. & Bellet. locis supra citat.*

240 Hinc est, quòd si tempore infirmitatis contingat adesse tempus alicuius voti adimplendi, & reddendi Deo, quod illi vouit; potest Episcopus infirmus immò & debet illud adimplere, & soluere; vnde validè tradit id, quod vouit quantocumque quantitatis illud sit. Magis enim vrget præceptum diuinum obligans ad implendum votum, quam præceptum humanum prohibens donationes tempore infirmitatis.

241 Limitatur quartò, vt vbi sit consuetudo rationabilis quòd Episcopi etiam tempore infirmitatis testentur, vel donent causa mortis, valida sit donatio vel testamentum. Consuetudo enim æquiualet priuilegio, & locum habere potest, vbi locum habet, vel lex positiua, vel priuilegium; igitur

ſicut validè diſponunt cauſa mortis, qui ad id faciendum habent priuilegium, vel licentiam, id etiã ex iuſta cauſa poteſt præſcribi. *cap. præſenti de off. ord. in 6. Syluest. v. Clericus 4. nu. 2. Garz. de benef. p. 2. cap. 1. à num. 8. & apud eum Rota in Palentina fructuum 26. Febr. 1580. coram Lancelloto. Couar. cap. cum in off. num. 9. de test. Nauar. cap. 25. num. 129. & de reddit. q. 3. nu. 10. & in Apolog. mon. 40. quæſ. 1. & q. 3. monit. 5. & de ſpolijs §. 6. num. 6. Azor. p. 2. l. 7. cap. 9. q. 1. & l. 8. cap. 4. q. 4. Ricc. dec. 1718. p. 5. Rebuſ. de ſpol. q. 4. per totam Bellet. diſq. Cler. tit. de bonis Cler. §. 5. num. 1. Sarmien. Mol. P. Molin. Craſſ. Salzed. P. Barboſa, Surd. Gutier, Velaſcus, Marta*, quos refert & ſequitur *Barboſa d. all. 114. nu. 8. Antonell. d. l. 3. c. 17. num. 7.*

242 Eſt verò circa hoc grauis difficultas, an ſcilicet conſuetudine introduci poſſit, vt Clericus valeat teſtari etiam ad vſus profanos. Nam aliqui negant quòd hoc fieri poſſit nedum licitè ſed validè: quia hæc conſuetudo eſſet nimis grauis Eccleſiæ, *Syluest. v. Clericus 4. q. 2. & 3. Roſell. num. 1. Angelus v. 13. num. 2. Turrecrem. cap. nulli num. 11. 12. q. 5. Panorm cap. cum in officijs de teſtam. Nauar. c. 25. num. 127. & de reddit. q. 3. num. 1.* & alij plures apud *Couar. cap. cum in officijs de teſtam. n. 9.* Sed alij econtra in alio extremo ſunt & dicunt poſſe dari, immò de facto dari conſuetudinem in Hiſpania & Gallia vt Clerici validè, & licitè diſponant de fructibus beneficiorum cauſa mortis, & ſimilem conſuetudinem etiam authoritate Caroli quinti fuiſſe comprobatam anno 1523. In comitijs habitis *Pinciæ cap. 47.* & ita tenent *Couar. cap. in officijs num. 9. de teſtam.* & quàmplures alios referens *Barboſ. all. 114. num. 6. Antonell. vbi ſup. num. 7.* Bellet. *d. §. 5. num. 2. Garz. de benef. p. 2. cap. 1. num. 16. vbi num. 17.* quòd Clericus nedum poteſt bona ſua relinquere conſanguineis etiam diuitibus, ſed etiam tenetur, ſi ſint hæredes neceſſarij, vt filij vel deſcendentes legitimi, aut parentes; at verò num. 20. negat dari poſſe ſimilem conſuetudinem donandi inter viuos, quia hoc eſſet contra miſericordiam, & charitatem. Tertia verò ſententia eſt media, & tenet dari poſſe conſuetudinem, vt Clericus etiam ad vſus prophanos teſtetur validè non tamen licitè. *Sanchez l. 2. Conſil. cap. 2. dub. 50.* & alij apud *Garz. vbi ſup. num. 14.*

243 Ego non dubito, quòd totum id poteſt conſuetudine introduci, quod poteſt ex priuilegio, aut licentia admitti; quia nihil intereſt quòd Princeps, vel expreſsè per priuilegium, vel tacitè per conſenſum datum conſuetudini aliquid faciendi licentiam tribuat. Contra tamen legem diuinam conſuetudo præualere non poteſt. Diſponere verò, & donare res Eccleſiæ ad vſus profanos eſt, & non eſt contra ius diuinum, quia ſine iuſta cauſa fieri non poteſt? Quod eſt dicere, niſi vſus de profano aliquo modo tranſeat in ſacrum; quia vbi vſus ad finem iuſtum & ſacrum ordinatur, induit conſecrationem ex fide. Formaliter ergo loquendo nunquam licet donare res ſacras ad vſus profanos; quia hoc intrinſecè eſt contra ius diuinum, ex quo res conſecratæ Deo non niſi in Dei cultum ſunt diſtrahendæ. Verùm non eſt contra diuinam legem, quòd ex iuſta cauſa vſus profanus in ſacrum conuertatur, & non eſt impoſſibile, quòd detur iuſta cauſa concedendi quòd in hac, vel illa natione bona beneficiatorum decedentium tranſeant, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato ad hæredes. Et tunc ſi ſpectetur ille vſus ex ſe præcisè, eſt vſus profanus, ſed ſi ſpectetur, vt per Pontificem ad bonum commune fidei ordinatur, eſt vſus pius, & ſacer. Ideo vbi conſuetudo rationabiliter ſit introducta, & præſcripta, vt bona Clericorum, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato tranſeant ad hæredes etiam diuites, hæc conſuetudo & licitè, & validè obſeruatur, quia ex cauſa rationabili (quæ non erit talis niſi ad fidei augmentum, aut conſiſtentiam, aut aliquid ſpectans ad Religionem Chriſtianam ordinetur) iam habet vt talium bonorum vſus non ſit prophanus, ſed ſacer. Nec obſtat, dum dicitur, quòd talis conſuetudo eſt pernicioſa Eccleſiæ; quia hoc non eſt verum, niſi ſit irrationabilis, & contra Eccleſiæ bonum nõ eſt, quòd vel ſucceſſor, vel Capitulum Eccleſiæ, vel Camera Apoſtolica non lucretur, ſi aliũde bonum Eccleſiæ vniuerſale augetur, aut conſeruatur. Concordari ergo poſſunt præfatæ ſententiæ, vt quæ negat loquatur de conſuetudine irrationabili, & reſpectu vſus profani, vt profani. Quæ verò affirmat, loquatur de conſuetudine rationabili, & ex qua vſus aliàs profanus tranſit in ſacrum, & pium.

244 Loquendo verò de Epiſcopis, hæc conſuetudo teſtandi nullibi viget, vt habet *Barboſa d. alleg. 114. num. 7.* Et an alicubi vigeat ſibi notum non eſſe aſſerit Reuerendiſs. *Lucar. num. 252.* Quia pro illis ſpecialiter, ſimilis conſuetudo reprobatur, *cap. quia ſæpe 40. de elect. in 6. & Clem. ſtatutum eod. tit.* pro alijs verò inferioribus beneficiatis non Prælatis eadem conſuetudo expreſsè approbatur, *cap. præſenti, de off. ord. in 6.* Et ideo in Epiſcopis rigor Canonum viget, vt teſtari non poſſint ſine licentia. *Barboſa vbi ſup. num. 8.* An verò ſi præfata conſuetudo daretur, Regulares Epiſcopi ex ea poſſent ſine licentia diſponere de fructibus Epiſcopatus, negat *Suarez tom. 4. de Relig. tr. 8. 8. l. 3. c. 16. num 3.* Sed ſupponit falſum, ſcilicet quòd Regularis ſit incapax teſtandi, & id ei concedi non poſſit, niſi diſpenſando in voto paupertatis. Quod certum eſt eſſe falſum, cum ad hoc ſufficiat, vt facultas adminiſtrandi, quæ ſibi pro vita conceditur, extendatur etiam ad diſponendum pro morte. Et ideo vbi vigeret conſuetudo, quòd Epiſcopus cauſa mortis poſſet diſponere, ea etiam potiri poſſet Epiſcopus Regularis, vt vult *Lucaria. d. n. 252.* Quia Epiſcopo Regulari non minùs ampla facultas adminiſtrandi bona Epiſcopatus datur, quàm ſeculari, niſi pro quanto ſtatus Religioſus obſiſtat. Et de facto ſæpius etiam facultas teſtandi Epiſcopis Regularibus conceditur.

245 Sunt autem quædam de quibus Epiſcopi ex ſpeciali prohibitione non poſſunt teſtari. Nimirum primò de ijs, quæ pertinent ad proprietatem Eccleſiarum, & non ſunt de menſa Epiſcopi, ſed ſunt, vel immobilia, vel mobilia pretioſa, quæ non poſſunt alienari ſine iuris ſolemnitatibus, & præcipuè inconſulto ſummo Pontifice, & præcipuè donari non poſſunt ſiue inter viuos, ſiue cauſa mortis, de quibus diffusè habitus eſt ſermo *art. ſuper.* Secundò non poteſt Epiſcopus teſtari in præiudicium ſucceſſoris, vt v. g. ſi culpa Coloni cecidit ædificium rurale, non poteſt Epiſcopus eum liberare gratis, etſi liberet, ſucceſſor poterit reuocare

libe-

liberationem. *Panorm.conf.41.per totum p.1. Bellet. d.§.5.num.11.* Tertiò omnia, & singula ornamenta, & paramenta, ac vasa, necnon missalia, & gradualia, & Cantus firmi, & musicæ, alijque quomodolibet nuncupati libri, & aliæ res sacræ etiam auri, & argenti, ac quæcumque alia bona, quæ per quoscumque Episcopos ad vsum, & cultum diuinum, etiam in eorum priuatis ædibus, & capellis, vel oratorijs destinata tempore eorum obitus reperiuntur, sub quibusuis facultatibus testandi, & aliàs disponendi minimè comprehenduntur, sed ea omnia ad eorum Ecclesias, idque proportionabiliter habita ratione fructuum, & temporis, quo beneficia, si plura fuerint, possederunt, pertineant, nec ad eorum hæredes, siue ex testamento, siue ab intestato deueniunt. Ex Constit. 42. Pij Quinti, *Scortia epit.48. Barbos.in sum. Apustolicarum v. spolium, num.5. Nauar.de spolijs §.8.* Cum verò *Nauar. num.2.& 3.* præfatam constit. intelligat, vt comprehendat præfata, etiam si non ex fructibus Ecclesiæ, sed ex patrimonio sint empta, negant hoc alij teste *Azor.p.2.l.8.cap.3.q.7.* quia à iure communi non recedimus, nisi sit expresè abrogatum, *l. pracipimus, C. de appellat.* & certè ex quo Pius Quintus vult, quòd huiusmodi spectent ad Ecclesias, quarum fructibus potitus est Episcopus habita ratione fructuum, & temporis in quo illos fructus percepit, satis ostendit se loqui de præfatis quatenus ex Ecclesiæ redditibus acquisita sunt. Et hoc etiam praxis confirmat. Neque ex hoc quòd aliqua res sit ad Dei cultũ deputata sequitur quòd sit Ecclesiæ, non verò laici; Nam bene stat quòd secularis sit dominus rei, cuius vsus est sacer, & possit eam ad similem vsum alienare, licet non liceat illa abuti ad vsus profanos, *Scortia d. ep. 98.* Comprehenduntur igitur sub ea constitutione res ad Dei cultum deputatæ, etiam si non sint consecratæ, immò nec benedictæ, vt Missalia, & libri musicæ, si tamen sint emptæ ex redditibus Ecclesiæ, & apud Episcopum sint tempore mortis. Non tamen comprehenduntur empta ad dandum altari Ecclesiæ, vel ad permutandum cum bonis eiusdem generis, vel alijs sibi necessarijs. *Azor. et Scortia citati*, sed si huiusmodi tempore mortis non fuerunt donata alteri Ecclesiæ, vel alienata, credo ea comprehendi; sunt enim res ad Dei cultum ex fructibus Ecclesiæ emptæ, & quæ apud Episcopum sunt tempore mortis, nec sunt illius Ecclesiæ pro qua præsumuntur emptæ, sed ad spolium pertinerent, nisi Pius Quintus eas applicasset Ecclesijs. Bene verò non comprehenduntur, quæ antea validè donatæ, vel venditæ, vel permutatæ fuerunt; vel quæ ad domum Episcopi spectant, licet aliquando commodentur Ecclesijs ad ornatum, aut cultum. *Nauar. Azor. Scortia.* Comprehenduntur verò etiam, qui Romæ, vel non procul moriuntur, licet habeant testandi licentiam. Vnde per hanc Constitut. limitatur extrauag. Iulij Tertij edita anno 1549. 6.Id.Martij. *Nauar.nu.5. Scortia ep.98. Ther.242.fin.* Quintò Ecclesiasticæ personæ ad fauorem illegitimorum disponere non possunt ex Constit.17. Pij Quinti.

246 Quando autem Episcopus ex licentia testari potest, si id non faciat, & decedat intestatus (nisi in facultate testandi sit posita clausula, vt si contingat eum mori sine testamento succedant proximiores ab intestato,) bona illius spectant, vel ad eius Ecclesiam, *cap.placuit. 12.q.3. cap. cum in officijs, cap.relatum de test. cap.1. de success. ab intest.* vel respectiuè ad Cameram Apostolicam. Et si in aliqua Ecclesia esset priuilegium, vt Episcopus posset disponere pro certa summa v.g. pro centum, deberet huius priuilegij facere mentionem, si vellet facultatem testandi absolutè impetrare. *Barbos. d.alleg.114. num.28.* Quod multò fortiùs procedit in Episcopo Regulari, cuius bona, si decedat intestatus spectant non ad monasterium, sed ad suam Ecclesiam, *Panorm.cap.fin.num.3.de Regul. Sot.l.10. q.vlt.a.vlt. Lezana p.p.cap.17. num.12.* & si haberet plura beneficia, ad omnes eius Ecclesias seruata proportione fructuum, & temporis. Et præfata vera sunt etiam si bona iure hæreditario, vel ex donatione essent acquisita *Mol tract.2.disp.140. fin. Less.l.2.cap.41.dub.11.num.92. Rodriq. t.2. q.58.n.7. Antonell.* vbi supra *n.14. Barb.d.alleg.114.num.28. Azor.p.1.l.12.cap.10.q.6. Couar.in cap.1.num.19.de testam.* Addit verò *Lucar.n.* 248. Quòd si Papa Episcopo Regulari concederet, quòd eo moriente ab intestato bona eius non subiacerent spolio, adhuc non pertinerent ad eius consanguinéos, seu proximiores, sed vel Ecclesiæ, vel Cameræ, quibus ipse acquirit. Verùm consideranda esset series concessionis, & attendi deberet, ne verba priuilegij remanerent sine effectu.

247 Multa tamen sunt ex huiusmodi bonis, quæ spectant ad Cameram Apostolicam. Nimirum acquisita ex fructibus beneficiorum Italiæ Sedi Apostolicæ affectorum. Pius IV. Constitut. 32. Sixtus V. Constit. 100. §.20. & præcipuè in Regno Neapol. ex Constit. 26. Pij Quinti. De quibus videri possunt *Nauar.de spolijs §.7. Redoan.de spol.q.2. Garz.p.2.cap.p.num.90. Scortia* Theor.78. *Thesaurus de pœnis, v.vacantia cap.6. Barbos.sum. Apos. v. spolium.* Secundò bona Clericorum etiam Primatum, Archiepiscoporum, & Episcoporum extra residentiam decedentium ex Constitut. 91. Pij IV. & 18. Pauli V. & 28. & 137. Vrbani VIII. Tertiò bona ex illicita negotiatione acquisita ex Constit. 19. Pij Quarti, & 100. Sixti quinti. Quartò bona Regularium extrà claustra degentium acquisita, dum extra claustra degunt, quamuis de licentia superiorum extra claustra maneant Gregor. XIII. Constitut. 44. & 72. Quintò omnia à beneficiatis etiam Archiepiscopis, & Episcopis, & Cardinalibus ex fructibus Ecclesiasticis obtentis, & non alienatis, sed extantibus tempore mortis, si vel isti ea valida facultate testandi de eis non disposuerint, vel fines facultatis excesserint, ex Constit. 29. Pauli Tertij, & 8. Pij Quarti. Sextò fructus omnes à Clericis tempore mortis non exacti, ex Constit. 7. Iulij III. & 90. Sixti Quinti. Quamobrem quando Episcopus decedit, vel intestatus, vel ex inualida facultate disposuit, vel fines facultatis excessit, quidquid apud ipsum reperitur, quod antea non fuerit legitimè alteri traditum, & acquisitum, spectat tanquam spolium ad Cameram, vbi spoliorum locum habet. Et vlteriùs ad spolium spectant fructus non exacti. De his videndi sunt, *Nauar. &. Redoan.de spolijs, Azor. p.2. l.8.*

248 Licentiam verò testandi & exemptionem à spolio habent Curiales Curiæ Romæ quicumque sint, etiam Regulares habentes administratio-

nem per Sixtum IV. const. 8. Iulium III. constit. 5. Pium IV. const. 19. Paulum V, const. 18. vt de quibuscumque bonis consistentibus Romæ, vel intra 10. miliaria ab ipsa possint testari. Et si decedant intestati eorum præfata bona non pertineant ad Cameram, sed spectent ad eorum hæredes. Hoc tamen in Episcopo religioso non admitti à ministris Cameræ refert *Lucar. num*, 244.

249 Cum igitur de iure communi bona ab Episcopis dimissa spectent ad eorum Ecclesias, fructus verò tempore vacantiæ obuenientes ad successorem reseruentur, *cap. quia sæpe, 40. de elect. & cap. præsenti de off. ord. in 6. & Clem. statutum de elect. Nauar. de spol. §* 10. *num.* 1. *&* 2. *Garz. p.* 2. *cap.* 1. *num.* 89. *Barbosa de off. Episc. all.* 114. *nu.* 8. *& voto* 101. *num.* 1. In Italia tamen, & Hispania & alibi huic iuri communi derogatum est per Constit. Pauli III. Iulij III. Pauli IV. Pij V. & huiusmodi bona spectant ad Cameram Apostolicam, quæ in singulis Prouincijs suos Collectores spoliorum constituit, de quorum iure tractant. *Molin. de primog. l.* 2. *c.* 10. *Cened. ad Decret. col.* 11. *Cabed. decis.* 8. *p.* 1. *Pereira dec.* 95. *Molin. tract.* 2. *disp.* 147. *Gonzalez reg.* 8. *gloss.* 51. *Gar. p.* 2. *cap.* 1. *num.* 16. *& p.* 5. *cap.* 1. *num.* 596. *Nauar. de spol. §.* 10. Et sic etiam Episcopus regularis in partibus istis acquirit Cameræ Apostolicæ, ita vt quæ extant tempore mortis suæ, nullique antea in tempore, legitimo fuerunt ab alio acquisita, ad spolium spectent. Ad quod spectant vbique bona Episcopi Titularis, qui non nisi Pontifici acquirit, vt supra dictum fuit & tenet *Pasqual. dec.* 130.

250 De eo autē qui Episcopatui renūciauit, quod acquirat Ecclesiæ suæ, cum qua quantum ad hoc partem durat vinculum matrimonij dixerunt, *Nauar. consil.* 6. *n.* 11. *de donat Sā v. Epis. n.* 11. *Sanchez l.* 6. *c.* 6. *n.* 39. *Barbos. de off. Episc. p.* 1. *al. cap.* 4. *num.* 118. *& d. voto* 101. *num.* 44. *Barbosa autem d. vota* 101. idem censet etiam si Episcopus regularis cedens Episcopatui ad monasterium reuertatur, & fiat iterum regularis sub obedientia Prælatorum. Sed si regularis Episcopus ita rediret ad claustrum, vt nullam haberet liberam administrationem bonorum, sed sub obedientia Prælatorum viueret pauper vt alij, monasterio viueret, & acquireret, *Nauar. de spol. §. n.* 3. *Pasqual.* autem *dec.* 131. putat quòd pertineant ad Cameram Apostolicam. Et hoc quidem est indubitatum vbi viget lex spoliorum. Sed de iure communi ad Ecclesiam sui tituli spectant; vel si habuit plura beneficia aut Ecclesias ad singulas earum spectata proportione fructuum, & temporis. Sed seruanda est in hoc legitima consuetudo Ecclesiarum.

251 De permutantibus verò Ecclesias, multi sentiunt, quòd Episcopus regularis translatus teneatur priori Episcopatui relinquere fructus ab eo perceptos, & res ex illis emptas. Ita tenet post Paulum *cons.* 337. *nu.* 6. *l.* 1. *Alciat. resp.* 1. *num.* 49. *l.* 1. *Sarmien. de reddit. p.* 2. *cap.* 4. *Barbat. cons.* 20. *num.* 13. *vol.* 3. *Barbosa d. all.* 114. *num.* 16. quia translatus respectu Episcopatus à quo transfertur pro mortuo reputatur, & qui succedit non viuenti sed defuncto quodammodo substituitur. *cap. in apibus.* §. *ecce.* 7. *q.* 1. *Gloss. in cap. susceptam de rescrip. in* 6. *Gloss. in cap. si Episcopus, v. morte de supplen. neglig. Prel.* & idem suadetur ex *cap. si quis* 21. *q.* 2. Et quia Principis concessio in dubio nullum côtinet tertij præiudicium.

l. 2. *§. si quis. ff. ne quid in publico. cap. super eo* 15. *de off. deleg. Bellet. tit. de bonis Cler.* §. 8. *num.* 7. *sed Suarez tom.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 3. *cap.* 16. *num.* 25. putat probabile quòd deferre possit secum bona, quæ acquisiuit proprio, & speciali titulo; quod & sustinet *Lucar. cap.* 3. *num.* 363. *sed Pasqual. dec.* 128. *&* 129. vult, quòd Episcopus nedum bona propria, & speciali titulo acquisita, sed etiam ex fructibus Ecclesiæ habita possit secum transferre. Et pro hac sententia refert *Calder. de reb. Eccl. cons.* 12. *Panin. de potest. capit. p.* 2. *q.* 8. *num.* 28. *& Halden. p.* 2. *de success. ab intest. §. Furta. nu.* 11 Ego puto, quòd Episcopus Regularis bona qualibet etiam acquisita ex fructibus Ecclesiæ possit sibi retinere, quæ posset alteri donare. Cum enim habeat plenam administrationem fructuum Episcopatus, & ita illa ad vsus pios possit ad libitum distrahere, & ita vt ex fructibus ad vtilitatem alterius possit etiam immobilia acquirere. Si hæc ad fauorem alterius potest facere, multò magis id facere potest ad sui vtilitatem. Aliam regulam tradit *Pasqualig.* quia scilicet bona quæ pertinent ad spolium vbi adest lex spoliorum, vel pertinerent, nisi facta fuisset compositio cum Camera Apost. potest Regularis Epist. retinere, quia hac censeotur acquisita vniuersali Ecclesiæ. Non approbo tamen, quod habet *Pasqualig. decis.* 129. *num.* scilicet, quòd Episcopus non acquirat Ecclesiæ, sed superiori; hoc enim est contra communem sententiam, & veritatem; Rerum enim Ecclesiasticarum dominium non est superiorum, qui administratores suntnō domini; vt probatum est artic. superiori. Quamuis in casu mortis, quæ manent apud Episcopum, & nulli priùs erant legitimè acquisita, censeantur acquisita Ecclesiæ vniuersali. Quod est verum de illis, quæ aliàs Episcopus poterat alienare ad fauorem alterius à sua Ecclesia, & ideo hæc est propria ratio à priori assertionis; Quia bonorum Ecclesiæ particularis alia sunt, quæ Episcopus alienare non potest, & præcipuè non potest donare, & hæc sunt de Ecclesiæ plena proprietate, & nec spectant ad spolium, nec Episcopus transiens ad aliam Ecclesiam, etiam si ipse illa emit etiam ex acquisitis ex industria, vel titulo hæreditatis habuit, non potest secum deferre: sed alia sunt, quæ sic sunt Ecclesiæ, quòd non sunt eius irreuocabiliter, quia adeo plenam eorum administrationem habet Episcopus etiam Regularis, vt ad libitum possit ea validè donare; & hæc sunt quæ spectant ad spolium, si ante mortem non fuerunt alteri acquisita. Et hæc eadem sunt, quæ Episcopus potest sibi ad alium Episcopatum transeunti retinere. Et per hæc explicata maneant *cap. statutum* 18. *q.* 1. *& cap ex transmissa de renunc. & cap. quod ad te, de cler. coniug. & cap. cum olim el* 2. *de priuil.*

252 Quæ verò hucusque dicta sunt vera sunt de Episcopis, aut etiam Cardinalibus Religiosis, qui nec domini sunt alicuius rei, nec possunt sine licentia aliquid administrare, quàmuis à Pontifice licentiam habeant amplissimam administrandi redditus Episcopatuum, Abbatiarum: Beneficiorum, & pensionum, quæ sibi concessa sunt. Pontifex verò religiosus & si maneat ligatus vinculo voti, in ijs tamen, quæ sunt iuris positiui summam habet facultatem & plenissimam administrationem. Et quia supposita hac ampla administratione compatibili cum voto paupertatis substantialiter indispensato

& ma-

& manente prohibitio testandi est de iure positiuo, ideo ipse sine dubio t. stari potest, & donare causa mortis. D.Thom.hic ad 3. *Sotus, Card. de Lugo Respons. mor. l.5. dub.12. num.16.*

253 Aduertit etiam & bene *Illustrijs. Lucar. num.255.* quòd summus Pontifex testamentum Episcopi regularis factum de eius licentia posset annullare. Sicut Prælatus id potest facere respectu simplicis religiosi. *Sanchez. l. 7. capit. 8. numer.13.*

254 Sic igitur nedum soluto secundò argumento, sed eius materia plenè discussa & *cap. statutum* 18.q.1. abundè explicato, breuiter respondetur ad confirmationes eiusdem Argumenti. Prima enim contra argumentem militat, quia viuente sponsa, sponsus non est dominus dotis, aut bonorum sponsæ, sed administrator. Sic igitur neque Episcopus est Dominus rerum Ecclesiæ, sed solùm administrator. Et si maritus daretur, qui haberet votum paupertatis, & aliàs esset incapax dominij, nullius tei posset esse dominus, nisi quòd re alieoa de dominì licentia vteretur. Et Prælatus Regularis est suæ Religionis sponsus, neque tamen est bonorum eiusdem Religionis dominus. Secunda confirmatio assumit falsum omnino. Tum quia falsum est quòd alij Episcopi sint domini rerum Ecclesiæ, tum quia admisso quòd sint fructuũ sibi assignatorũ domini falsum est, quòd inde talia bona sit intrinsecũ titulo Episcopatus. Vt enim patet ex dictis art. super. antequam instituerentur præbendæ in principio Ecclesiæ, Episcopi erant meri, & puri administratores bonorum Ecclesiæ, solùm habentes ius viuendi ex illis, vnde etiam postea statutum est, ve ex illis vna tantùm portio Episcopo assignaretur pro eius sustentatione. *cap. de redditibus* 12.*quæst.* 2. Nec ad Episcopum est necessarium dominium, sed sufficit facultas administrandi talis qualis sit bene visa Pontifici. Ad tertiam dicitur, quòd errat valde loquens de Ecclesia materiali, quæ est domus incapax dominij, cum Ecclesia cuius sponsus est Episcopus sit fidelium, quibus præest, congregatio, & præcipuè Ecclesiasticorum. Et hæc est, quæ habet dominium rerum Ecclesiasticarum, quarum administratio competit Episcopo, vt ex can.45. Apost. habetur. Solum verò ea Pontificum permissione concessum est Episcopis secularibus dominij capacibus, quòd sint domini fructuum spectantium ad suas mensas, sub conditione tamen vt quod superest expendant in vsus pios. Ad quartam dicitur, quòd valde distinguuntur, vt ex dictis patet, facultas administrandi & dominium. Ad quintam dicitur, quòd non est Episcopus, qui acquirat ius succedendi, sed Ecclesia succedendi capax illa est, fauore cuius reuiuiscit ius succedẽdi ratione personæ Episcopi, quod consopitũ erat, ex eo, quod monasteriũ nõ erat succedẽdi capax. Et sic ad sextã dicitur, quòd supponit falsũ, scilicet quòd Episcopus Regularis ex ordine incapaci succedendi assumptus, acquirat ipse id se ipso, & pro se ipso ius succedendi, & quòd ipse possit esse propriè hæres, & dominus; hoc enim falsum est, quamuis talis Episcopus similitudinariè possit esse hæres, pro quanto acquirit facultatem administrandi hæreditatem, cuius hæres est Ecclesia intuitu personæ illius, ac si ipse hæres esset. Ad septimam dicitur, finem voti & vouentis non deficere, quia hic fuit perfectio vouentis acquirenda medio contemptu, & per abdicationem dominij rerum temporalium, qui finis manet in Episcopo, & maximè iuuat ad finem Episcopatus, cum abdicatio rerum temporalium sit dispositio aptissima ad hoc vt Episcopus totum animum applicet omnino ad lucra animarum spiritualia.

255 In responsione ad tertium continetur difficultas an Religiosus abutens facultate administrandi, bona Ecclesiastica, eisque vtens ad vsus profanos, immò & illicitos teneatur ad restitutionem, Potest verò esse difficultas primò absolutè, ex eo quòd bona Ecclesiastica sint patrimonium Christi. In qua *Illustriss. Lucarinus de Epis. Regul. cap.1.* pluries, præcipuè *num.239. & 243.* existimat, Episcopum ex iustitia teneri ad non distrahenda bona Ecclesiastica nisi in vsus pios, vnde putant teneri ad restitutionem si in malos vsus expendat. Quod multò magis putat verificari in Episcopo Religioso. Sed Episcopum non teneri ex iustitia propria ad non distrahenda bona, quæ facit sua in vsus profanos, aut illicitos cum sententiã magis communi, quæ etiã est S. Thomæ probatum est articulo superiori *nu.50. & nu.153. Suarez verò tom.4. de Relig. tr.8. l.3. c.16. num.29.* admittens Episcopos seculares non peccare contra iustitiam abutendo bonis Ecclesiasticis, affirmat hoc de Episcopis Regularibus, quia putat quòd non habeant licentiam à Domino talium bonorum. Verùm cum Episcopis etiam Regularibus sit commissa plena & libera administratio bonorum suæ mensæ, vt supra dictum est, non est vnde dicatur eos ex iustitia teneri ad non expendendum talia bona in malos vsus. Sed neque votũ paupertatis obligat ex iustitia propria, sed ex virtute Religionis, vt per se euidens est ex *D.Thom. supra q.88. a.3.* Vnde nulla est consequentia argumenti. Et Episcopum Religiosum, si abutatur bonis Ecclesiasticis validè contrahere, & donare, & nec ipsum, nec qui ab eo recipiunt manere obligatos ad restituendum docuerunt. *Ledesma de stat. Epis. concl.25. dub.1. concl.3.* & omnes illi DD. quos supra *num.221.* retuli sentientes Religiosum Episcopum habere plenam administrationem bonorum suæ mensæ. Ex hoc enim quòd taliter abutatur vsu bonorum nedum non est iniustus, seu non peccat contra iustitiam, sed nec directè, peccat contra votũ paupertatis, nec est simpliciter proprietarius. Quia à licentia Prælatorum non pendet ampliùs in vsu temporalium, à Papa autem habet amplam facultatem ea administrandi, Quomodo verò indirectè peccare possit contra votum paupertatis, & statum Religiosæ perfectionis, aut vtendo pro se bonis minus pretiosis, aut superfluis, aut ad vsus illicitos dictum est supra *num.237.*

256 Hinc est, quòd licet de iure diuino sit, quòd Episcopus non vtatur ad vsus profanos bonis Ecclesiasticis. Tamen si Papa expressè & sine minima iusta causa daret licentiam distrahendi præfata bona ad vsus profanos etiam illicitos & turpes, licentia esset in hoc sensu valida, quòd non esset contra iustitiam, licet tam ipse, quàm Episcopus vtens tali licentia peccaret, præcipuè contra virtutem religionis, & contra fidelitatem officij sui. Sed tamen ex causa iusta dũ Pontifex licentiã dat testandi etiã ad fauorem consanguineorum, & hæredum; iam testamentum est ad vsum pium, non verò ad profa-

oum,

num, cum sit ad id, quod conducit ad bonum Religiosæ communitatis, & sanctæ matris Ecclesiæ. Nunquam verò Pontifex dat licentiam ad vsus illicitos, & si aliquis ad similes vsus abutatur rebus Ecclesiasticis. Sed absolutè committens administrationi Episcoporum bona Episcopatuum, facit quod de se bonum est, & conuenit gubernio vniuersalis Ecclesiæ, nec ille propterea peccat, quòd Episcopus sua libertate abutatur. Sicut nec peccat Deus, nec est iniqua lex naturæ, quæ dominium absolutum bonorum concedit hominibus, quo homines bene vti possunt, si volunt, licet vt plurimùm ipsi hoc dominio abutantur. Nec propterea Christus peccauit cōcedendo suo Vicario plenissimam administrationem rerum Ecclesiæ, ex eo quòd aliquis ex eis hac plenitudine abutatur. Et in hoc error est eorum, qui ex eo quòd Christus suos Vicarios non obligauit ex iustitia propriè ad fidelem administrationem bonorum Ecclesiæ, velint inferre, quòd occasionem peccandi dederit; quia Christus in hoc bonum concessit, & quòd hæc facultas sit occasio aliquibus malè agendi est occasio accepta, non data. Et Christus ex præcepto aliarum virtutum, vt fidelitatis, iustitiæ legalis, religionis, ideoque altissimæ cuiusdam iustitiæ ad se obligauit eos ad fidelem administrationem. Sic esto Pontifex non obliget Episcopos ex iustitia propria & priuata obligante ad restitutionem, sed det illis amplissimam facultatem liberam ab obligatione iustitiæ ad dispensandum bona Ecclesiæ non per hoc est particeps abusuum, quæ ex mala voluntate aliquorum proueniunt; cum quantùm sie ex sua parte transmittat in eos obligationem, quę ex natura rei afficit administratores patrimonij Christi, ampliùs legibus positiuis etiam munitam, & firmatam. Sic quia conueniēs fuit vt Episcopus in administratione temporalium non obligaretur ad petendam licentiam à Prælatis Regularibus, & aliàs moraliter non erat possibile, vt eam specialem & expressam toties quoties opus erat, obtineret à Pontifice, qui solus est Episcoporum immediatus Prælatus ex vi Regulæ, ideo conueniens fuit, vt sufficeret generalis & semel data licentia Pontificis, & liberaretur Episcopus ab obligatione petendi licentiam specialem, & sic in hac parte in vsu temporalium relinqueretur Episcopus Regularis liber sicut alij, ligatus tamen alijs legibus diuinis, & Canonicis, quæ si seruentur, inculpabilis prorsus est etiam in Religioso Episcopo diuitiarum vsus.

SVMMARIVM.

1 *Pontificem Religiosum esse absolutum à voto paupertatis, quæ suadeant, nu.* 157.
2 *Hoc negatur. num.* 258.
3 *Votum paupertatis stat cum plena facultate administrandi. num.* 259.
4 *Pontifex Religiosus, an validè possit acquirere dominium. num.* 260.
5 *Non est necesse, quod dominus sit superior. nu.* 261.
6 *Dominium rerum Eccles. est apud Ecclesiam, & plenissima administratio apud Pontificem. n.* 261.
7 *Non est æquum, vt Pontifex dispenset secum super voto paupertatis, ne angatur scrupulis. n.* 262.
8 *Pontifex potest testari. num.* 263.
9 *Alia explicantur quærenda. num.* 264.

An Pontifex Religiosus sit liber à voto Paupertatis.

257 Dubitari autem meritò potest, an hæc, quæ de voto paupertatis dicta sunt, locum habeant in Religioso ad Papatum euecto. Nam religiosum Pontificem esse absolutum à voto paupertatis suaderi potest, tum primò, quia incapacitas dominij non est intima voto paupertatis, sed est introducta iure humano, cui Papa non est subiectus. Tum secundò, quia Papa est incapax vsus paupertatis, cum non habeat superiorem cuius nomine possideat. Tertiò, quia Papa potest secum dispensare in voto paupertatis, & quidem rationabiliter, ne alioqui in vsu bonorum Ecclesiasticorum angatur scrupulis.

258 Vera nihilominùs est contraria sententia, scilicet Religiosum ex assumptione ad Papatum non eximi à voto paupertatis, quod docuerunt. *Franc. rubr. de testam. in 6. num. 70. Nauar. Comment. 2. de Regular. num. 17. & l. 3. consil. in p. edit. tit. de regul. cons. 70. num. 10. & in 2. tit. de statu Monach. cons. 13. nu. 10. Aragon. 22. q. 88. a. 11. Sanchez l. 6. mor. cap. 6. num. 9. Suarez tom. 4. de relig. l. 8. c. 18. num. 13. Card. de Lugo resp. mor. l. 5. num.* 20. Militat enim semper eadem ratio, quia ex vna parte obligatio voti paupertatis perfectionis est, & intrinseca statui Religioso à quo non recedit Pontifex, cum huiusmodi obligatio in nullo obstet perfectioni statu summi Pontificis, nec eius officio, ad quod sufficit, quod Pontifex habeat summam, & liberam administrationem bonorum Ecclesiæ.

259 Quomodo verò dicatur stare sine dominio tam plena administratio, & cum Papa non habeat superiorem de cuius licentia administret, quomodo non sit dominus, cum sine alicuius iniuria possit de rebus Ecclesiæ disponere? Respondetur, quòd eadem ratione, qua Pontifex fundi Ecclesiastici non est Dominus, & tamen est etiam alienandorum bonorum Ecclesiæ supremus administrator, eò quia non nomine proprio, sed nomine Christi, & Ecclesiæ administrat: ita Regularis Pontifex non est fructuum Dominus, sed administrator; quia semper adest, nedum illa dependentia virtualis à superiori, si contingat superiorem habere, illumque Pontificem non esse, sed quia quod administrat, vt Vicarius Christi administrat nomine Christi, & Ecclesiæ. Cuius rei datur exemplum in Religioso professo, si solus remaneret in mundo, qui nullius rei esset dominus, & tamen non haberet superiorem de cuius licentia, vteretur temporalibus.

260 Ad primum verò dicitur in oppositum, bene respondet *Sanchez*; supposita enim illa sententia, quòd incapacitas dominij non sit ex natura voti paupertatis, sed ex iure Ecclesiastico, de qua infra suo loco disputandum erit, sequitur quòd Papa possit si velit acquirere dominium validum, si non licitè, nec sanctè velit contra votum paupertatis dominium acquirere. Ex vi enim voti paupertatis Religiosæ omnis acquisitio dominij est illicita, quidquid sit, an sit valida.

261 Ad secundum dicitur, quòd *Aragon.* citatus

tus putat dominium redditutum Ecclesiasticorum manere apud Christum, quod Michael à Medina, apud *Sanchez* putat esse absurdissimum. Sed artic. superiori probatum est dominium hoc manere apud Ecclesiam, & ad argumentum dicitur, quod non est necesse, vt dominium maneat apud superiorem, sed sufficit quòd maneat apud alienum; & sic certum est, quòd dominium rerum Ecclesiæ apud Ecclesiam Christi manet, & eorum administratio ad Pontificem. Aliàs verò bona spectantia particulariter ad Cameram Apostolicam, sub eius dominio stant, eorundem verò administratio plenissima ad Pontificem spectat, *Card. de Lugo*, vbi supra. *num.* 23.

262 Ad tertium dicitur, non esse iustam causam dispensandi in hoc voto, ne Pontifex angatur scrupulis, quia non licet retrocedere à statu perfectionis, ne quis angatur scrupulis. Eo magis quòd scrupuli ex ignorantia, & imperfecta charitate, & nimio sui amore, & inani timore oriuntur: quorum defectuum nullus locum habere debet in summo Pontifice. Sed & omnium scrupulorum nubea euanescere faciet, si solùm Dei gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem (prout debet) præ oculis habens, administrabit bona Ecclesiæ, prout sibi in Domino videbitur expedire. Charitas enim timorem vanum scrupulizantium tollit. *Et* eò magis, quòd in hoc aliàs manet Papa ligatus iure diuino, vt non abutatur bonis Ecclesiæ, sine scrupulo verò imaginabili, non obstante voto est liberrimus, vt eis ex iusta causa ad quoscumque vsus vtatur.

263 In hoc tamen discrimen esse potest; quia licet *Franc.* citatus dicat Pontificem, nec posse testari, & licet *Tapia authen. ingressi num.* 34. *C. de sacrosanct. Eccles.* hoc limitet, vt solùm non possit testari de bonis Ecclesiæ, tamen absolutè dicendum, est Pontificem posse testari, vt docent *Bened. cap. Raynutius p. num.* 301. & *Sanchez loco cit.* quia tota hac prohibitio est de iure humano in qua Papa potest dispensare.

264 His autem ita in communi, & indiffinitè de Episcopis determinatis nonnulla alia inquirenda sunt, nimirum, an sint vera de omnibus Episcopis, & à quo tempore illis conueniant, & an solis Episcopis competant. Inter Episcopos enim alij sunt titulares, alij qui deseruerunt Ecclesiam, alij qui depositi fuerunt pro culpa. Ideo quæritur.

SVMMARIVM.

1 *Episcopos titulares non esse exemptos à regula aliqui tenent. num.* 265.
2 *Esse exempti ab obedientia Prælatorum. nu.* 266.
3 *Non sunt ita exempti ab obseruantijs Regulæ, sicuti qui exercent officium Episcopi, nu.* 267.

An absolutio ab obedientia Prælatorum, & ab alijs obseruantijs regularibus competat Episcopis titularibus.

265 NEgant enim eos exemptos esse *Host. cap. quod Dei timorem num.* 9. *de stat Monach.* & ibi, *Io. Andr. num.* 15. & *Card. num.* 5. *q.* 2. Et ratio eorum est, quia exemptio ab obseruantijs regulæ competit Episcopis ratione officij, non verò ratione dignitatis, tales verò Episcopi officium non habent, cum nec habeant subditos. Recentiores tamen oppositum sentiunt, nimirum *Azor. instit. moral. tom.* 1. *l.* 12. *cap.* 10. *q.* 7. *Sanchez l.* 6. *mor. cap.* 6. *numer.* 27. *Suarez. tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 3. *cap.* 17. *num.* 2. & 5. *Barbosa de off. Epis. p.* 5. *tit.* 1. *cap.* 4. *num.* 14. *Lezana in summa p. p. cap.* 17. *num.* 8. *Palaus* vbi supra *num.* 20. *Pasqual. dec.* 271. *num.* 2. Tum quia de facto habent Diœcesim, & per ipsos non stat; quod non exerceant curam animarum, tum quia assumuntur ad Episcopatum, vt in Pontificalibus coadiuuent alios Episcopos habentes oues.

266 Respondetur, quòd verè propria causa, & præcipua dispensandi Episcopos in obseruantijs regularibus est cura animarum, ad quam assumuntur, cui tamen etiam est per se annexa dignitas maxima, quia habere curam animarum, vt causam principalem, & per modum pastoris principalis maxima dignitas est, quæ est inseparabilis à consecratione, & non dependet ab exercitio officio curæ animarum, quia esse deputatum ad tale munus est maximè dignitatis, & præeminentiæ, ideo Episcopis multa competunt ratione dignitatis independenter ab exercitio officij, & nihilominus totum competit illis ratione officij ad quod deputantur, & consecrantur. Si ergo loquamur de exemptione ab obedientia Prælatorum, ratio dictat eam competere Episcopis ratione dignitatis sui officij; neque enim decet ab inferioribus dirigi eos, qui ad Ecclesiarum regimen sunt assumpti in partem solicitudinis summi Pontificis tanquam eius fratres, & animarum Christi Pastores.

267 Sed loquendo de obedientia præstanda in obseruantia regulæ, hanc non esse tantam in huiusmodi Episcopis non laborantibus in animarum cura eadem ratio ostendit. Non enim negari potest, quòd non sit retrocedere à perfectionis statu, sine necessitate, & exigentia officij, relinquere obseruantiam, quam Religiosus promisit ex voto, & maximè conducit ad perfectionem, & non dedecet Episcopum, quem decet sobrietas, abstinentia, studium legendi, meditandi, orandi, & alia similia, quæ in regulis, & constitutionibus Religiosorum ordinantur. Et regula Sancti Thomæ est prorsus rationabilis, vt Episcopus non sit exemptus nisi ab illis obseruantijs, quæ eius impediunt officium. Quod si non habeat exercitium officij, manebit quidem exemptus ab eisdem quatenus id Episcopalis dignitas requirit, vnde erit exemptus ab obedientia Prælatorum, non tamen erit exemptus à ieiunijs, vigilijs, orationibus, & alijs quæ minimè dedecent Episcopalem dignitatem.

SVMMARIVM.

1 *Episcopum Regularem cedentem Episcopatui teneri, aut non teneri redire ad claustra, qui seruiant. num.* 268.
2 *Non tenetur redire. num.* 269.
3 *Tenetur tamen Cardinalis non Episcopus, numer.* 270.
4 *Episcopus degradatus tenetur redire ad claustra. num.* 271.

5 *Episco-*

5 *Episcopus an ex quo redit ad claustra maneat subditus Prælatis. num.272.*
6 *Episcopus Religiosus licet possit nouo voto promittere obedientiam Prælatis, non tamen ex hoc potest se illis subijcere, vt fiat eius Prælati, num.273.*
7 *Episcopus rediens ad claustra manet subiectus Prælatis. num.274.*
8 *Non potest habere Prælaturam in Ordine, nu.274.*
9 *Cessat eorum exemptio si redeunt ad claustra, numer.275.*
10 *Conueniens est Episcopum, qui cessit Episcopatui redire ad claustra. num.276.*

An Religiosi Episcopi deponentes Episcopatum, vel de licentia Papæ, vel in pœnam, teneantur redire ad Claustra.

268 AFfirmant plures, nimirum *Abul. cap.30. Num.q.109. Maiol. l.3. de irregular. c.6. num.3. Arag.2.2.q.88.a.11.* vbi ait, idem esse de Papa renunciante Papatum. *Azor.tom.1.inst.mor. l.2.c.7. fin. Fuln. Pacian.cons.132.num.6. vol.1.* Et probatur hoc, tum quia cessat ratio exemptionis, & aliàs Episcopus manet ligatus vinculo voti obedientiæ. Tum secundò quia sic fecisse Cœlest.2.& alios Episcopos legitimos legimus. Tũ tertiò quia sicut Gen. Ordinis religiosi terminato officio remanet subditus, ita Episcopus, quo officium deseruit, tenetur redire ad ordinem; Nihilominùs oppositum sentiunt *Sanchez loc.citat.num.29.* qui tamen priorem sententiam tenet probabilem, referens pro hac sent. *Imol. Clem.1. num.50. de Elect. Bonif.Clem.1. num.83.& 84.de regul.Nauar. l.3.Consil.ia p.edit.tit. de regul. cons.15. num.12. & 13.& in 2. tit.de donat. cons.6.num.11.12.& 13. Freder. consil.38.num. 2. & cons.19. a. num.3.* Et idem sentiunt *Emanuel. Sà v. Epis.num.11.Henriq.l.10.de sacram.Ord.c.32.num.4. Rodriquez t.3.q.52.n.26. Barbosa de off. Epis.p.1. t.1. c.4.num.14.Cardinal.de Lugo Resp.mor.lib.5.dub.12. num.6. Lezana p. p. cap.17. num.8. Paluus vbi supra. num.21.Layman l.4.tr.5.cap.2.nu.9.Pasqual. dec.281. Lucar.cap.3.num.372.*

269 Respondetur, Episcopum religiosum etiam propter culpam depositum ab officio, sed non dignitate priuatum, & degradatum teneri quidem ad obseruantiam regulæ in ijs, quæ dignitatem Episcopalem non dedecent, vt supra de Episcopo titulari dictum est, quia non est iusta causa vt in ijs cum illo dispensetur, sed tamen non per hoc teneri redire ad claustra, quia ex vi dignitatis iustè exemptus fuit ab obedientia Prælatorum, & ex consequenti à solitudine claustri, & consortio religiosorum. Non decet enim Episcopum subdi nisi summo Pontifici, cum gradu, & officij dignitate excellat omnes alios; cum verò dignum sit & iustum illum non subdi Prælatis claustralibus, iustum est etiam illum non subdi obligationi viuendi intra claustra cum illis.

270 De Cardinali tamen, quòd si vel cedat dignitati, vel ea priuetur, teneatur redire ad Claustrum docent *Palaus d.p.24.num.25.& Card. de Lugo, vbi sup. num.9.* & meritò, quia Cardinalis non Episcopus relicto Cardinalatu, nihil dignitatis retinet, & remanet simplex sacerdos vel Diaconus, vnde in eo reuiuiscit obligatio obedientiæ erga superiores.

271 Et sic patet solutio ad primum, quia in Episcopo retinente dignitatem manet propria ratio exemptionis ab obedientia Prælatorum, & solitudine claustri. Quòd si Episcopus ob culpam depositus sit etiam degradatus, quia est priuatus dignitate, censetur reductus in ordinem subditorum, & tenetur ad claustra redire, & se Prælatis sui Ordinis submittere. *Henr.l.10.de sacr.Ord.cap.32.nu.4. Sanchez l.6.cap.6. num.29. Layman. lib.4.tr.3.cap.2. num.4. Barbosa de pot. Epis. tit.1. c.4. num.18. Palaus tom.3.disp.3.p.24.num.21. Card. de Lugo Resp. Mor. l.5.dub.12. num.6.* Quidquid in contrarium dixerit *Pasqualig.decis.272.Lucar.cap.3.num.372.* Ad secundum autem dicitur Cælestinum secundum id fecisse ex beneplacito suæ voluntatis, non ex necessitate. Et ad tertium dicitur, non esse eandem rationem, quia in Generali terminato officio non remanet dignitas, sicut remanet in Episcopo.

272 Sed si Episcopus redeat ad Claustrum Episcopali dignitate manente, dubium est an ex vi huius reditus maneat subditus Prælatis, an verò necesse sit, vt illis se ex nouo voto subijciat, vel subijciatur à Pontifice. Affirmant enim *Palud.in 4. d.38.q.4.a.3.concl.12.& supplem.Gabrielis ibi q.1. a. vlt.& Arag. loc.citat.* Idemque tenent omnes, qui putant huiusmodi Episcopos teneri redire ad claustrum: Quam sententiam esse probabilem tenuit etiam *Sanchez.* Qui tamen iuxta eam sententiam quam probabiliorem iudicauit, censet Episcopum redeuntem ad claustra non manere obligatum ad obediendum Prælatis regularibus, nisi illis se subijciat nouo voto, vel subijciatur à Pontifice; quia licet talis Episcopus maneat semper verus Religiosus, & ligatus vinculo obedientiæ, ex vi tamen dignitatis manet exemptus ab obedientia Prælatorum Regularium, nisi suo fauori & exemptioni renunciet, vel à Pontifice exemptione priuetur ob iustam causam. Neque ex eo, quòd eligat viuere inter religiosos censetur velle cedere suæ exemptioni, cum nec cedat suæ dignitati, & semper remaneat inæqualis & gradu, & dignitate Prælatis ipsis superior. Et ideò consequenter loquendo & sustinendo, quòd Episcopus ex quo relinquit officium non sit priuatus exemptione ab obedientia superiorum, dicendum videtur, eum redeuntem ad claustra eodem modo manere exemptum, & tamen non manere exemptum à regulæ obseruantia in ijs, quæ non dedecent Episcopalem dignitatem.

273 Sed plura sunt, quæ in hac resolutione speciali indigent consideratione. Et quidem primo quantum ad id quod dicitur, scilicet, quod Episcopus rediens ad claustra potest nouo voto se subijcere Prælatis Regularibus; considerandum est, quod hoc non est vndequaque verum. Licet enim Episcopus possit ex voto subijcere se consilio, & directioni alterius. In quo sensu dictum est superius num.186. quod ex natura rei non repugnat quod Episcopus voueat obedientiam Prælatis sui Ordinis, non potest tamen ex voto facere, vt illius sit suus Prælatus; quia Prælatus habet iurisdictionem quam Episcopus ex proprio suo voto supra se ipsum

ipſum non poteſt alieni tribuere, ſed hoc eſt ſolius Papæ, qui ſolus eſt Prælatus & habens iuriſdictionem ſupra Epiſcopos iam ab aliorum Prælatorum iuriſdictione exemptos. *Et ſic Epiſcopus* rediens ad clauſtra ex nouo voto poſſet ſe obligare ad viuendum ſecundum directionem ſuperiorum, ſed non poſſet facere, vt ex hoc illi haberent iuriſdictionem in illum, & poſſent cenſuris illum coercere, & alios actus iuriſdictionis erga illum exercere. Niſi Pontifex ipſe hanc iuriſdictionem concederet. *Card. de Lugo vbi ſup. num. 8.*

274 Sed ſecundò dicendum eſt, quod ex vi reditus ad Religionem reuiuiſcit votum obedientiæ, & quod manet ſubiectus Prælatis in ijs, quæ ſunt ſecundum Regulam, & non dedecent dignitatem Epiſcopalem. Et ſic non eſt neceſſe, vt rediens nouam profeſſionem emittat, & noua vota ſed vota priora reuiuiſcūt: ſeu melius loquendo recuperant extenſionem priorem; Mortua enim non erant, ſed eorum amplitudo reſtricta fuerat, & hæc tollitur & vota illa extenduntur, vt illorum vi teneatur Epiſcopus ad obediendum Prælatis & paupertatem obſeruandam. *Card. de Lugo, Reſp. Mor. l. 5. dub. 12. n. 8. Lucar. de Epiſ. Regul. cap. 3. num. 375. Ledeſma de ſtat. Epiſ. in fin.* vbi aduertit, quod ad vitandam dubietatem, & difficultatem praxis Religionum eſt, vt non recipiant Epiſcopum cedentem Epiſcopatui & reuertentem ad clauſtra, niſi renunciet priuilegio, quod ex ſua dignitate habebat. Et quidem ſi redeat de ſpeciali licentia Papæ, dicendum eſt, quod ex natural vi talis licentiæ ſeu talis reditus redit prior ſubiectio; quia non conuenit vt Epiſcopus redeat ad Communitatem Religioſam, vt ſit tanquam vnus de communitate, & non ſit ſubiectus legibus communitatis. Epiſcopus vero renunciare Epiſcopatui non poteſt ſine licentia Papæ. Sed & ſi iam renunciauerit Epiſcopatui, vel ſit Epiſcopus Titularis, cum à Papa fuerit translatus ad ſtatum ſuæ immediatæ ſubiectionis, non poteſt Epiſcopus Papa inconſulto redire ad clauſtrum. *Bonac. de clauſ. q. 2. p. 9. §. 2. num. 7. Lucar. de Epiſ. Reg. cap. 3. nu. 367.* Quatenus tamen redire poſſet, ſimul poſſet ſe Prælatis ſubijcere ſine nouo voto, & ex vi antiquæ profeſſionis ſubijceretur, quæ nunquam fuit extincta, ſed ſuſpenſa. *Card. de Lugo Reſp. Mor. l. 5. dub. 12. n. 6.* Quatenus vero à Pontifice indeffinite obtineret licentiam redeundi ad Religionem, non poſſet redire ad laxiorem (quidquid in contrarium dixerit *Bonac. citat. num. 8.*) ſed redire deberet ad propriam, cuius manſit ſubſtantialiter Religioſus, poſſet vero redire ad ſtrictiorem petita licet non obtenta à Prælatis licentia. *Sanchez l. 6. cap. 7. num. 8. Lezana t. 1. cap. 21. num. 28. Lucar. d. cap. 3. num. 367.* Sed hoc intelligendum iuxta explicanda infra ad *art. 8. q. 189.* Sic igitur ſi Epiſcopus de Ordine Mendicantium in vi licentiæ indefinitæ rediret ad Ordinem non Mendicantium incideret in pœnam *Clem. 1. de Regular. Sanchez l. 6. in Decal. cap. 7.* & apud eum *Anchar. Mol. & Card. Lucar. d. cap. 3. n. 370.* Rediens igitur Epiſcopus ad Religionem vel ſponte, vel ex mandato Pontificis (poſſet enim Pontifex ex vi voti obedientiæ præcipere Epiſcopo Regulari vt ad ſuum Ordinem rediret, non tamen ad alienum) non indiget noua profeſſione ſed ex vi prioris ſubditur Prælatis Religionis ſuæ ad quam redit. Quæ confirmantur ex Conſtit. 21. Pauli Quarti, in qua Archiepiſcopi & Epiſcopi Regulares, ſi à Pontifice abſoluti à vinculo Epiſcopatus, & ab eo obtinuerint facultatem remanendi intra eorum Ordines, inhabilitantur ad officia & dignitates in eodem Ordine obtinendas. Supponit igitur Pontifex, quod ſic redeuntes ſint capaces officiorum, & Prælaturarum Ordinis, & ex conſequenti quod ſint eorumdem Ordinum Religioſi Regulis Ordinum ſubiecti, quia alias non conueniret, vt præeſſent Religioſis, qui Religioſi non eſſent, cum de iure communi, vt dictum eſt, Prælati Regularium debeant eſſe Religioſi in eorum Religionibus profeſſi.

275 Quod vero dicitur Epiſcopum redeuntem ad clauſtra eſſe inhabilem ad Prælaturas in illo Ordine, etiam ante Conſtit. Pauli IV. fuit obſeruatum aliquando. Nam cum fr. Io: Theutonicus renunciaſſet Epiſcopatui Vaſiaenſi, & ex permiſſione Gregorij IX. rediſſet ad Ordinem Prædicatorum, fuiſſetque electus in Prouincialem Lombardiæ, recuſauit ille acceptare, ſentiens ſe tanquam Epiſcopum non poſſe ad id cogi. Vnde per ſpeciale breue Apoſtolicum ad dignitates habilitatus fuit, & fuit poſtea etiam Generalis inſignis eiuſdem Ordinis. *Chron d. Ord. lib. 2. cap. 20.* Quamuis vere præciſo iure poſitiuo Epiſcopus rediens ad clauſtra ſit capax Prælaturarum Ordinis, ad quem redit, vt docent *Card. de Lugo d. dub. 12. nu. 10. & Lucar. d. cap. 3. num. 369 fin.*

276 Nec obſtat, quod Epiſcopi per translationem ad Epiſcopatum obtinuerint exemptionem à iuriſdictione Prælatorum. Nam ex hoc non impeditur, quin ſi Epiſcopus legitime redeat ad clauſtrum & transferatur valide ad ſtatum communitatis clauſtralis, non ceſſet illa exemptio, pro quanto poſſit conuenire dignitati Epiſcopali & ſaltem quãtum ad obligationem moralem ſeruandi leges & ad ſubiectionem ad Prælatos vt ad dirigentes in lege, immo & quantum ad obligationem legalem & vt ad valentes coercere talem Epiſcopum per pœnas delictis proportionatas ſalua quantum fieri poſſit reuerentia dignitatis. Hæc tamen non admittit in totum *Reuerendiſs. Lucar d. cap. 3. num. 373.* Sentit enim debitum legale ad leges ſeruandas non reuiuiſcere, cum Epiſcopus ab hoc debito fuerit ſolutus in perpetuum, & non poſſe eundem Epiſcopum reuerſum cogi ad obſeruantias omnes in regulis præſcriptas, ſed ſolum ad illas, quæ conueniunt ad obſeruantiam votorum, & ſtatus illius decentiam, & honeſtatem. Addit tamen, quod Prælatus obſeruantias regulæ ſub certis pœnis illis imponere poſſet, ad quas ille teneretur. Sed vnde habetur, quod Epiſcopus ſit liber in perpetuum à debito legali obſeruandi regulam? Hæc enim abſolutio, vt ſupra eſt probatum non eſt ex lege poſitiua, & quatenus ſit ex connaturalitate Epiſcopalis officij, hæc non eſt perpetua, cum Epiſcopus ab officio nedum abſolui poſſit, ſed reduci ad ſtatum diſcipulatus, quem non dedecet ferula: ſicut reducitur, quando redit ad clauſtra. Ideo hic diſtingui debet, & dici, quod Epiſcopus ratione officij non ampliùs excuſatur ab obſeruantia regulæ cum officio ceſſerit, ratione vero ſuperioritatis dignitatis, nec etiam excuſatur in toto, quia illi ſuperioritati ceſſit redeundo ſub obedientia. Quia tamen conſecratio, & dignitas eſt indelebilis, & illam retinet,

etiam subditur legibus, & pœnis salua tamen semper decentia suæ dignitatis. An vero his stantibus conueniat Episcopum redire ad Religionem. *Nauar. cons. 6. de donat. numer. 12.* censet rem esse indecentem, & scandalosam, quod Episcopus, qui vocatur frater Papæ, *cap. quam grauis de crim. falsi,* subijciatur Priori, aut Guardiano. Sed maximè dictum hoc reprehenderent SS. Antoninus & Thomas de Villanoua, qui ardentissime desiderarunt redire ad claustrum, & multo magis Sancti Cœlestinus quintus, qui Pontificatum, Gregor. Nazianz. Patriarchatum Constant. Petrus Damianus, Cardinalatum & Episcop. Ostien. & præterea Albertus Magnus, Io: Theuton. Bartolomæus de Martyribus ex Ord. Præd. qui Epis. Ratisbonen. Vasinen. & Bracharen. & alij plures doctrina, & virtute pollētes qui Episcopatibus dimissis ad sua monasteria redierunt. De quo argumento videri potest Ardicinus de la Porta iunior Cardinalis & Episc. Alerien. in Epis. ad Innoc. III. Non licet quidem cedere Episcopatui causa redeundi ad monasterium iuxta dicta sup. art. quarto sed qui Episcopatui cessit laudabiliter ad suum ordinem reuertitur: cum immo multi eum teneri redire dixerint.

SVMMARIVM.

1 *A die confirmationis, vel promotionis incipit exemptia Episcoporum. num. 277.*

A quo tempore Episcopus maneat exemptus ab obedientia Prælatorum sui Ordinis.

177 TRactatur hæc quæstio etiam sub alijs terminis, nimirum à quo tempore Episcopus incipiat acquirere Ecclesiæ. Breuiter autem respondetur, religiosum Episcopum eximi, seu liberari à iugo regulæ, non à die possessionis, vt voluit cum pluribus alijs apud *Pasqualig. decis. 132. Glos. in cap. statutum 18. q. 1. verb. Certum est,* neque à die electionis, quæ non dat illi ius in re. Neque à die acceptæ possessionis, vt dixit *Gloss. in cap. Nemini liceat 16. q. 1.* & alij apud *Pasqual. vbi sup.* sed à die confirmationis, per quam Episcopus fit suæ Ecclesiæ sponsus, & ex qua iurisdictionem habet, & per quam sub speciali protectione Pontificis ponitur: *Sanchez l. 7. cap. 32. num. 67. & cap. 6. num. 31. Barbos. de offic. Epis. a. 14. numer. 29. Less. l. 2. de iust. cap. 40. d. 14. num. 113. Palaus tom. 3. disp. 3. p. 24. n. 22. Pasqual. d. decis. 132. & 283.* Non potest tamen negari, quin per consecrationem compleatur, & firmetur hæc exemptio, quæ in confirmatione, seu promotione inchoatur, quia ex officij dignitate, & celsitudine, quam obtinet Episcopus per consecrationem oritur præcipuè iusta causa soluendi Religiosum à legis monasticę obligatione, quatenus Episcopatui præbet impedimentum. Sed quid dicendum de bonis, quæ Religiosus acquirit post sui nominationem ad Episcopatum, antequam in Consistorio promoueatur? Respondetur, quòd per se loquendo acquirit monasterio; quia nondum est ab eius potestate sublatus; si tamen donetur ei aliquid intuitu Episcopatus, censebitur donatum sub conditione, & poterit id retinere sibi, dum fuerit Episcopus; vel eo vti ad ea, quæ necessaria sunt pro obtinendis bullis, vel parandis ijs, quæ ad Episcopum pertinent. Non approbo tamen, quod habet *Pasqual. decis. 133. nu. 2.* scilicet, quod huiusmodi donatum transeat in vsus, ad quos Episcopus determinauerit: Vnde monasterium non habet ius ad ipsum, ac proinde non debet transire in dominium illius. Nam cum Religiosus sit incapax dominij, donatio, quæ dominium transfert, non potest illud transferre nisi in monasterium, cui acquirit Religiosus, antequam fit Episcopus. Sed tamen dominium illud est conditionarum ad certum vsum, scilicet ad vsum Episcopi. Vnde nec Episcopus nominatus potest sine speciali licentia re illa donata vti, nisi ad ea, quæ concernunt Episcopatum, & monasterium non debet illis, vti ad alium finem, & sic adest etiam præsumpta licentia superioris, quod superior nec potest rationabiliter negare, vt Episcopus nominatus tale sibi donatum retinere valeat. Quando autem donans expreſsè non declarauit se donare intuitu Episcopatus, *Pasqual. ibid. num. 6.* dixit id colligi, vel si res donata est propriè dignitatis Episcopalis, aut excedit vsus consuetos Religiosorum, aut aliunde ex coniecturis colligitur. Sed via tuta est, sine Prælati scientia, & licentia nihil sibi vsurpare.

SVMMARIVM.

1 *Quæ dicta sunt de Episcopis cum proportione dicenda sunt de Cardinalibus. num. 278.*
2 *Non omnino est eadem ratio de Abbatibus, numer. 279.*
3 *Parochi extra Ordinem commorantes sunt veri Religiosi. num. 280.*
4 *Cui superiori subdantur. num. 280.*
5 *Tenentur ad obedientias Regulares. nu. 281.*
6 *Etiam debita legali. num. 282.*
7 *Si dimittant habitum incidunt in excommunicationem &c. num. 283.*
8 *Deposito officio tenentur redire ad claustra, numer. 284.*
9 *A quo debeant dispensari si indigeant, nu. 285.*
10 *Tenentur ad officium iuxta ritum suæ Ecclesiæ. num. 286.*
11 *Tenentur habere socium sui Ordinis. nu. 287.*

An hæc solutio à lege Regulari solis competat Episcopis.

278 HOc autem primò certum est, & communiter admissum, quæ dicta sunt de Episcopis vera esse proportionaliter de Cardinalibus. *Suarez tom. 4. de Relig. to. 8. l. 3. cap. 18. num. 4.* Quia nimirum etiā isti manent Religiosi, & vinculo trium votorum ligati, exempti verò ab obediētia Prælatorum Ordinis, & à legibus Ordinis, vt cogentibus per pœnas, & insuper ab omnibus obseruantijs, quæ cum tanta dignitate non conueniunt; In suis enim titulis habent iurisdictionem quasi Episcopalem; & quod maximum est, illorum est assistere Pontifici in cura totius gregis Christi,

quod

quod officium laboriosissimum est, cui & solitudo, & silentium, & graues abstinentiæ, & vigiliæ maximum impedimentum ferunt.

279 Hoc idem cum proportione dicendum esse sentit *Sanchez num.* 35. de Abbatibus habentibus propriam diœcesim, nulli Episcopo subiectam, sed in ea gaudent propria iurisdictione. Quia dempta consecratione ferè æquiparantur Episcopis in iurisdictione. Verùm multum est, quòd consecratione sint destituti; vnde nec sunt ex natura rei perpetui, & tanquam causæ propriæ, & principales, vt supra dictum est, nec crederem Abbatem depositum non teneri ad redeundum ad claustra, nec eum ita esse solutum à iugo legis Monasticæ sicuti est Episcopus. Stat enim, quòd aliqua possint dedecere Episcopum, quæ non dedecent Abbatem.

280 De Religioso autem promoto ad beneficiũ Parochiale, hoc quidem dicitur primò, quòd manet verus Religiosus, & tenetur ad tria vota Religionis, & ad gestandum habitum Ordinis. An verò sit exemptus à iurisdictione, & obedientia Prælatorum Ordinis, respondent communiter Doctores, illum esse exemptum, si Ecclesia parochialis nullo modo subijcitur Superiori Regulari, *cap. Parochia.* 16. *quæst.* 1. Sed si subijcitur quoad temporalia tantùm, manebit parochus exemptus quoad spiritualia. *cap. visis, & cap. sanc.* 16. *q.* 1. Sed si sit subiecta quoad spiritualia solùm, non manebit exemptus, nisi quantùm ad temporalia. Sed si sit subiecta quoad omnia, manet Parochus quoad omnia subiectus. *Ita Syluest. v. religio* 7. *q.* 1. *Tabien. v. monachus. q.* 5. *num.* 6. *Angel. ibi num.* 7. *Rosel. ibi num.* 5. *Rodriquez qq. regul. t.* 1. *q.* 34. *a.* 6. *Sanchez l.* 6. *mor. c.* 6. *num.* 36. & apud eum *Host. Henric. Greg. Lopez. Cuccus, Tambur. de iure Abb. t.* 3. *disp.* 3. *q.* 9. *num.* 11.

281 At loquendo de statutis regulæ, & regularibus obseruantijs respondent *Syluester & Angelus. Azor. l.* 12. *institut. c.* 19. *q.* 15. *& Sanchez* & apud ipsum *Host. Io: Andr. & Cardinal.* locis citatis, eum teneri ad obseruantiam regulæ solumque eximi ab illis, quorum obseruantia in Ecclesia nó regulari & officio Parochi commode inueniri non potest. Et hoc colligitur ex *cap. Nemo potest.* 16. *q.* 1.

282 Quo autem debito teneatur ad obseruandas regulas in casibus in quibus eas seruare debet. Respondet *Sanchez* ibid. teneri debito legali. Nec obstat quòd sit exemptus ab obedientia Prælatorum Ordinis, quia vt habetur *cap. Parochia* 16. *q.* 1. eius superior, & Abbas est Episcopus. Nec habet magisterium in statu perfectionis, nec dignitatem Episcopi, sed est in cura animarum instrumentum, vnde eum non dedecet esse subiectum pœnis regulæ.

283 Ex quo colligitur, vt docent *D. Anton.* 3. *p. tit.* 16. *cap.* 5. *& Syluest. v. relig.* 7. *q.* 11. ipsum incurrere in excommunicationem. *cap.* 2. *de Cler. vel Monach. in* 6. si habitum religiosum dimittat.

284 Sequitur etiam similem Parochum deposito officio teneri redire ad monasterium, vt bene docet *Sanchez* loco citato, quàmuis oppositum sentiant *Nauar. l.* 3. *consil. tit. de regul. in* 2. *edit. consil.* 79. *num.* 2. *Rodriq. tom.* 1. *q.* 30. *num.* 20. Nam Parochus non habet dignitatem & gradus celsitudinem, quam habet Episcopus, sed purum officium curæ animarum, quo deposito non est quòd maneat in seculo, & non redeat ad claustra. Quod cùm multi affirment de Episcopo, multò magis est verum & affirmandum de Parocho.

285 Quòd si indigeat dispensatione in aliqua obseruantia, vel Ecclesia eius est exempta a iurisdictione Episcopi, vel non; si non, habet Episcopum vt Abbatem, a quo petere debet dispensationem. *cap. si quis monachus* 16. *q.* 1. *Syluest. v. religio* 7. *q.* 12. *Tabien. v. monachus q.* 6. *num.* 7. *Angel. ibi. num.* 7. *Sanchez loc. citat.* Sed si Ecclesia sit exempta, non est recurrendum ad Pontificem, vt volunt *Angel. & Tabien.* Sed ipse ad instar aliorum Prælatorum Ordinis secum poterit dispensare, vt docent *Syluest. & Suarez* & satis probabile iudicat *Tabien.*

286 De officio diuino eum teneri ad illud persoluendum iuxta ritum suæ Ecclesiæ, bene docent *Goffred. Host. Io: Andr. Card. Anchar Rosel. & Rodriq.*

287 An etiam Parochus teneatur habere socium sui Ordinis, quia de hoc est textus clarus *cap.* 2. *& cap. quod Dei timorem de stat. monachor.* vbi decernitur quòd singuli monachi non præficiantur parochijs, & solùm quantùm ad Clericos regulares limitatur, si commodè possint habere socium. Et quia textus isti vniuersaliter loquuntur, ideo veriùs dicitur religiosum Parochum etiam in Parochia Prælatis Ordinis non subiecta teneri habere socium sui Ordinis; sicuti docet *Sanchez. loc. citat.* seruata limitatione in eo *cap. quod Dei timorem* posita, scilicet quòd quantum ad Canonicos regulares, hoc tenetur si commodè fieri possit. Quàmuis ex Canonistæ aliqui oppositum sentiant.

SVMMARIVM.

1 *Episcopos gaudere Religionum suarum priuilegijs alij affirmant alij negant. num.* 288.
2 *Priuilegiorum plura genera, quibus non gaudent Episcopi. num.* 289.
3 *Priuilegijs personalibus gaudent. num.* 290.
4 *Priuilegijs commodum corporis, & animæ concernentibus gaudent. num.* 291.
5 *Gaudent facultate absoluendi à casibus aliquibus reseruatis. num.* 291.
6 *Priuilegium, causa non cessante, non cessat. num.* 291.
7 *Priuilegium Sixti IV. declaratur. num.* 292.
8 *Religiones possunt in certis casibus priuare Episcopos ex eis assumptos suffragijs, & beneficijs Ordinis. num.* 293.
9 *Possunt etiam sub pœna excommunicationis præcipere subdito, ne consentiat electioni sine licentia. num.* 293.
10 *Prælati possunt concedere Episcopis vsum priuilegiorum, vbi alias, id non sic eis prohibitum iure Pontificio, sed sit in potestate Prælatorum, id concedere. num.* 294.
11 *Magister Ord. Præd. beneficiatos in aliquo casu admittit ad vocem actiuam, & passiuam. n.* 294.

An Episcopus Religiosus gaudeat sui Ordinis priuilegijs.

288 NOn gaudere dixerunt *Rodriq. tom.* 2. *q.* 58. *a.* 4. *Mandos. de priuil. Gloss.* 3. *num.* 11. *Sanchez l.* 6. *sum. cap.* 6. *num.* 33. *Portell. v. Episcopus*

num.15. Fauftus l.6. q.177. edit. Neap. Perrg. in comment. ad Constit. Cler. Reg. p.5. cap.9. lit. T. 6.4. Lauret. de Franch. p.2. q.116. Aixed. lib.4. de precell. Epis. cap.3. num.33. Hieron. Rodriq. ref.60. num.5. Diana p.12. de collect. Card. resol.25. Sed alij distinguunt. Nam vel priuilegia concernunt corpus Religionis & fauorem eius quoad iurisdictionem, & administrationem temporalium, vel sunt facta personis; & hæc subdistinguuntur, quia vel vsurpantur sine detrimento Religionis, vel non nisi cum illius detrimento vsurpari possunt. Religiosi Episcopi gaudere possunt illis solis priuilegijs, quæ sunt personalia, & sine detrimento Religionis possunt vsurpari. Ita *Suarez tom.4. de Relig. tr.8. l.5. capit.8. nu.2. Lucar. de Epis. Regul. cap.3. num.342. Donatus* autem in praxi *p.1. tract.6. q.22.* paulò aliter explicat distinctionem. Quantum enim ad priuilegia personalia distinguit ea, quæ concernunt commodum animæ aut corporis ipsius Religiosi absque tamen Religionis detrimento, & ea quæ data sunt in commodum alterius, vt est facultas absoluendi. Prioribus gaudent Episcopi Religiosi, non verò posterioribus. Sed *Pasqualig. ad Lauret. de Franch. p.2. q.116. & decis.134.* asserit eos gaudere omnibus priuilegijs personalibus quorum vsus est independens à communitate, & propterea vult quòd Episcopi Religiosi gaudeant etiam facultate absoluendi, qua gaudent Regulares intra claustra viuentes. Et cum aliàs Pasqual. sentiat, quòd Episcopi ex Regularibus assumpti non sint amplius substantialiter Religiosi, sed sint absoluti etiam a votis essentialibus Religionis, nihilominùs vult eos sic omnino absolutos à iugo regulæ, Regularium posse frui gratijs, & priuilegijs, etiam quæ alios respiciunt, quale est priuilegium absoluendi à multis Papæ reseruatis, quia licet causa & motiuum concedendi priuilegia fuerit Religio, hæc tamen non est causa in conseruari, sed priuilegia personalia talia sunt, quòd quilibet acquirit ius ad illa, quod ius comitatur personam. Quamuis nec causa concedendi priuilegia desit in Episcopo, qui est in statu perfectionis maximo labore præstans Ecclesię seruitium; & hæc fuit causa concedendi priuilegia. Tum quia vt obseruat *Cochier. de iurisdict. tom.2. par.2. q.59. a.9.* ex permutatione status non amittitur priuilegium compatibile cum statu. Tum quia non est tanta vis translationis, vt rei priuilegia adimat, sed rem, & locum in eadem conditione dimittit. *l.2. ff. de priuil. cred. l. tempus ff. de iud. Felin. cap. quia iadicande sub fin. de præcept.* Tum quia Ecclesia Regularis ad statum secularem translata non amittit exemptionem, & priuilegia nisi expresse sint sublata. Vnde Abbatia Regularis si fiat secularis manet exempta. *Tambur. de iure Abb. tom. 1. disp.25. q.11.* & facit textus *Clem.1. de supplend. neglig. Prælat.* E contrario autem prior opinio se fundat in quodam priuilegio Sixti quarti concesso Ordinib. Prædicatorum, & Minorum in quo vult, quòd qui obtinuerint beneficia non possint gaudere beneficijs dictorũ Ordinum nisi de Prælatorum consensu. Hoc enim priuilegium habetur in libro qui dicitur *monum. Ordin. fol.149. & 364.* illudque referunt ad verbum. *Rodriquez. Suarez, Donatus, & Pasqualigus citati.* Et de eodem priuil. tanquam recepto in Capit. Gen. Perus. 1478. habetur mentio in *Const. Ord. Præd. dist.2. cap.13. §.7. lit. L.*

289 Ego in hac parte sic puto distinguendum. Priuilegiorum enim alia sunt, quæ directè concessa sunt corpori vel totius Religionis, vel monasterij, vt est priuilegium quòd impedientes ingressum Religionis sint excommunicati, quòd aliquibus Ordinibus est concessum, seu quòd fratres mendicantes non possint transire ad non mendicantes. *Clement. 1. de Regul.* & sine dubio his non gaudet Episcopus Regularis. Alia sunt priuilegia concessa solùm certo generi personarum in Religione, sub quo genere non sunt Episcopi Regulares, vt sunt concessa Nouitijs, vel Lectoribus actu legentibus, vel Religionum Prælatis, quæ priuilegia non respiciunt personam, sed conditionem, officium, aut dignitatem. Et absque dubio neque istis priuilegijs huiusmodi Episcopi fruuntur. Alia sunt priuilegia quæ singulis data sunt intuitu tamen communitatis, & quatenus viuant intra claustra, quorum vsus essentialiter dependet ab existentia intra claustra, sub obedientia Prælatorum, sicut est ius viuendi de bonis conuentus, & habendi vocem actiuam, & passiuam in Capitulis & electionibus. Eligere enim pertinet ad Capitula, seu Collegia. *cap. congregatio 16. q.7. cap.2.3. & q.18. q.2. & cap.1. de elect.* Prælati verò Religionis debent esse Religiosi professi intra Ordinem existentes, & viuentes in communi cum alijs, sub eisdem legibus. Et eò magis, quòd Prælatus potiùs exemplo & exercitata legum obseruantia debet subditos dirigere, quàm verbo. Et nec huiusmodi priuilegijs potest vti Episcopus, qui ad statum Episcoporum, a statu Religionis est translatus; vnde priuilegia, quorum vsus pendet ab existentia in communitate Religiosa sub obedientia Prælatorum, non competunt Episcopo extra Ordinem posito. Sic enim & Generalis translatus ad Episcopatum non potest se amplius in negotijs Religionis ingerere, vt decreuit Sac. Congreg. Regular. 9. April. S. Pietro di Pisa. 1650. & signanter non potest dare suffragium in Capitulo Generali.

290 Alia verò sunt priuilegia personalia singulis concessa, & intuitu status Religiosi donata, quorum vsus non pendet à statu obedientiæ Prælatorum Ordinis, seu à permanentia in claustro: Et de istis loquendo dico Episcopus Regulares eis vti posse. Et supposito, sicut probatum est ex D. Thoma præcipuè, quòd Episcopi Religiosi sint substantialiter Religiosi, & ita quòd teneantur etiam ad leges sui Ordinis inquantum non impediunt officium Episcopatus, hoc debet esse indubitatum; quia qui subest Religiosi status oneribus, non debet priuari gratijs tali statui concessis. Et eo magis, quòd exemptio, quam Episcopi habent, est conformis statutis sui Ordinis, & necessaria ex subordinatione status Religiosi ad statum Episcoporum, cum non deceat statum Religiosum impedire Episcoporum officium, sicut igitur Episcopi sunt veri religiosi, sic gaudent religiosorum personalibus priuilegijs, quorum vsus non pendet ab existentia intra claustrum, seu quæ non sunt concessa Religiosis vt intra claustrum viuentibus, & spectantibus ad communitatem alicuius monasterij.

291 Ideo priuilegia, quæ concernunt salutem corporis, vel animæ ipsius Religiosi tam respectu sui, vt sunt indulgentiæ, & facultates vt possint absolui ab aliquibus casibus, quàm respectu aliorum, vt à casibus reseruatis absoluere possint, à qui-

bus Regulares sui Ordinis (subditi tamen & non verò Prælati) absoluere valeant, competunt huiusmodi Episcopis. *Suarez, Lucar. & Pasqual. dec. 134. & 136.* Cum enim maneat Regularis status, & maneant etiam causæ concessionis talium priuilegiorum, non est vnde non vigeant priuilegia. Nam & facultas absoluendi intuitu salutis animarum data est Regularibus, quos sancta sedes tanquam dignos administratores a se iudicatos selegit ad hoc, vt illi facultates huiusmodi committeret. Quod totum abundanter in Episcopo Religioso manet. Tūc autem solùm cessat priuilegium requirens causam successiuam, cum causa cessat. *cap. Generaliter. 16. q. 1. cap. Tua, de Cler. non resid. cap. Abbate fin. de verb. signif.* Immò nec cessat, quando ex aliquibus causis vna remanet. *l. si vnus. l. in bonis ff. de priuileg.* Et propterea multa priuilegia numerat *Lucar*, quæ remanent, nec oportet hic singula recensere, cùm regula communis sufficiat. Ideo hoc extenditur, vt locum habeat etiam in casu in quo Religiosus nōdum approbatus a Prælatis sui Ordinis fiat Episcopus. Quamuis enim hoc neget *Pasqual. dec. 137.* quia supponit Episcopum non manere substantialiter Religiosum, & ideo non posse acquirere de nouo ius absoluendi, quod non acquisiuit dum esset Religiosus, quia nondum erat ad audiendas confessiones approbatus; tamen hoc non procedit in vera sententia & communissima, quæ docet Episcopum manere substantialiter Religiosum, ideoque habere ius, quod habent alij Religiosi, vt quoties fuerint ad confessiones approbati possint absoluere pœnitentes ab istis vel illis casibus aliàs Pontifici reseruatis.

292 Non obstat verò priuilegium Sixti quarti, quoniam illud priuilegium loquitur expresse de priuilegijs, quæ in suo vsu requirunt statum viuentis intra claustra sub obedientia Prælatorum, nimirum habere cellam in conuentu, & vocem actiuam, & passiuam, & alia similia, quorum vsus etiam vergit in detrimentum monasteriorum, seu communitatis Religionis. Immò cum Sixtus IV. permittat Episcopis vsū priuilegiorum de consensu Prælati, bene colligitur, quòd loquitur de illis solis priuilegijs, quæ Prælati concedere possunt, aut negare, non verò de illis quæ personalia sunt & ex iure Pontificio competunt personis singulis independenter etiam ab eo, quòd Religiosus sit membrum alicuius determinati monasterij, & sub obedientia huius, vel illius Prælati, immò independenter à voluntate Prælatorum, & quæ nec Prælati possunt à suis subditis auferre.

293 Hinc deducit *Lucard. num. 342.* attendendas non esse quasdam particularium Religionum Ordinationes, per quas Episcopos ex se ipsis assumptos priuant suffragijs in aliquibus casibus, vt videre est in *Const. Ord. Præd. dist. 2. cap 13. §. 5. & 6.* Episcopi enim manent eorumdem Religionum si non membra ciuilia membra tamen integralia & non decisa; ideo huiusmodi gratijs, & suffragijs priuari non possunt, sicut nec possunt priuari alij Religiosi, vnde sequitur eam priuationem esse comminatoriam, non realem. Immò si alicui Religioni esset concessa facultas priuandi Religiosos in aliquo casu talibus gratijs, & suffragijs, verificaretur respectu subditorum, non verò respectu Episcoporum, qui non sunt subditi Prælatis Religionis. Verùm nec in Constitut. Ordin. Prædicatorum loco citato adest contra iam factos Episcopos lata priuatio aliqua gratiarum, aut suffragiorum, & si lata fuisset, censenda esset valida. Verum quidem est, quòd in §. 5. priuantur suffragijs societate, & beneficijs Ordinis, qui Archiepiscopatum aut Episcopatum receperint sine licentia Magistri Ordinis, vel sui Prouincialis. Et quòd per priuilegium Innoc. IV. Clem. IV. Nicol. IV. nullus decernitur consensus datus electioni, aut postulationi ad quamcumque dignitatem extra Ordinem sine licentia, vt supra, aut mandato Pontificis. Immò, vt refert *Fontana, in v. Episcopus* Magister Ordin. B. Iordanus in Cap. Paris. 1233. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibuit, ne aliquis frater sine licentia *Papæ*, aut Capit. Gener. aut Mag. Ord. consentiret electioni, aut postulationi de se factæ ad dignitatem Episcopalem. Sed considerandum quòd totum hoc respicit Episcopos pro statu in quo erant simplices fratres; consensus enim antecedit Episcopatum & Religiosus ante Episcopatum subditus est, vnde bene etiam sub pœna excom. potest præcipi subdito ne consentiat promotioni suæ. Et eò magis, quòd vbi promotio est per viam electionis, consensus etiam tempore præcedit Episcopatum, & post consensum etiam Religiosus manet subditus vsquequò electio confirmetur. Sed & vbi consensus solùm natura præcederet Episcopatum hoc sufficeret; quia, qui consentit, subditus est, & ideo illi potest præcipi etiam sub censura, ne sine licentia consentiat, vt etiam supra in hoc artic. dictum est. In iam creatos Episcopos verò nulla est lata suffragiorum priuatio. Nā in §. 6. fertur quidem priuatio suffragiorum, & beneficiorum Ordinis contra socios Episcopis deputatos, si statuta Ordinis non seruent, sed nihil ibi de Episcopis. In Glossa verò statuitur solùm, vt si Episcopi minùs honestè se gerant, vel quantùm fert officium Episcopi, leges Ordinis non seruant socij eis deputati ad claustra reuocentur, sed nihil dicitur de priuatione gratiarum aut suffragiorum. In §. verò 7. Episcopi declarantur absoluti à qualibet præsidentia, & officio intra Ordinem; quod est de iure communi. Sed quatenus Ordo in aliquibus casibus, vt quia Episcopi non seruarent pro posse leges Ordinis, eos priuasset suffragijs, & beneficijs Ordinis, id facere potuisset, & posset. Distingui enim debent gratia, & priuilegia Pontificia, a gratijs & beneficijs Ordinis, quæ concedere aut negare est in Ordinis potestate, & mera libertate. Suffragia enim specialia, quæ ex statuto Ordinis fiunt pro defunctis, ex vi legis Ordinis, non verò ex iure naturali, aut Pontificio debita sunt. Et hoc vel illo modo orare pro defunctis est liberum, non verò est necessarium, & ordo suas leges potest ex iusta causa vel mutare, vel restringere, vt hos non illos afficiant, & pro his, vel illis non valeant. Et ad concedendum gratias, vel negandum non requiritur iurisdictio & superioritas, sed sufficit rei Dominium. Cum ergo huiusmodi suffragia, & alia similia Ordinis beneficia sint res Religionis commissæ, dispositioni superioris vt erogandæ ad eius rationabile arbitrium, potest superior ex arbitrio rationabili eas vel concedere, vel negare. Et sicut huiusmodi suffragia Religio iustè denegat socijs Episcoporum si non seruent statuta Ordi-

Ordinis, posset etiam eadem causa negare Episcopis, quia non tenetur suum donare alicui, & ex iusta causa potest semel donatum vel reuocare, vel in futurum nolle concedere.

294 Immò ex hoc explicandum est præfatum Sixti Quarti priuilegium, pro quanto concedit facultatem Prælatis concedendi, ideoque & negandi Episcopis vsum priuilegiorum. Quia hoc non potest intelligi absolutè, & quatenus talis vsus sit prohibitus iure Pontificio, sed quatenus vsus ille sit in detrimentum Religionis, & subditus dispositioni Prælatorum Ordinis. Loquebatur enim Pontifex ibi de fratribus ad beneficia habilitatis, & quia bene contingere potest, quòd frater beneficiatus non impediatur ex iure Pontificio manere in Conuentu etiam sub obedientia Prælati, & viuere ibidem vita communi, ad remouendum fratres ab huiusmodi beneficiorum ambitu, & ad prouidendum indemnitati Ordinum voluit eos posse, vel in Conuentu residere, vel in Cõuentu nõ habere vocem actiuam, & positiuam nisi de consensu Prælatorum, idest nisi in casibus in quibus id aliàs non esset iure Pontificio prohibitum. Sic enim si beneficium requirat residentiam in Parochia, non possunt Prælati beneficiato Regulari concedere residentiam in Conuentu. Et si beneficium extrahat beneficiatum à monasterio, & Ordine non possunt Prælati concedere beneficiato vocem actiuam, aut passiuam, quia hoc iuri communi repugnat. Et sic Sixtus Quartus in eo priuilegio loquitur de gratijs, & priuilegijs quorum vsus est in potestate Prælatorum, vt illum concedant, aut negent, & præcipuè quorum vsus est in aliquod Religionis detrimentum. Quod verò *Lucan.* ait, quòd consensum ad huiusmodi priuilegia dare non possunt Prælati Ord. Prædicatorum, vt pluries in Capit. Generalibus sancitum est, limitationem admittit, quia vt habetur *d.§.6.lit.*L. Magister Ordinis, ex Ord.Cap.Rom.1553. dispensare potest cum beneficiatis etiam ad vocem habendam: quod tamen intelligitur, vbi aliàs ex vi iuris Pontificij vox illis non sit adempta. Et præterea Capitula Generalia non ligant manus Magistri Ordinis, qui potest super illorum statutis, quoties sibi visum bene, fuerit dispensare.

QVAESTIO LXXXVI.

De ijs, in quibus Religionis status præcipuè consistit, in decem articulos diuisa.

D*Einde considerandum est de his, quæ pertinent ad statum religionis. Circa quod occurrit quadruplex consideratio. Quarum prima est, de his in quibus principaliter consistit religionis status. Secunda, de his, quæ religiosis licite conuenire possunt. Tertia, de distinctione religionum. Quarta, de religionis ingressu.*

Circa primum quæruntur decem.

1. *Vtrum Religiosorum status sit perfectus?*
2. *Vtrum Religiosi teneantur ad omnia consilia?*
3. *Vtrum paupertas voluntaria requiratur ad religionem?*
4. *Vtrum requiratur continentia?*
5. *Vtrum requiratur obedientia?*
6. *Vtrum requiratur, quod hæc cadant sub voto?*
7. *De sufficientia horum votorum.*
8. *De comparatione eorum ad inuicem.*
9. *Vtrum Religiosus semper mortaliter peccet, quando transgreditur statum suæ regulæ?*
10. *Vtrum cæteris paribus in eodem genere peccati plus peccet religiosus, quam secularis.*

SVMMARIVM.

1 *Ordo Huius quæst. ad alias, num.1.*
2 *Quid Religio, & Religiosus secundum D.Thom. num.1.*
3 *Religio propriè sumpta respicit Deum. num.2.*
4 *Religionis etymologia multiplex, num.3.*
5 *Religio cur à verbo religari desumpta. num.4.*
6 *Religio, & Religiosus dicitur multipliciter. numer.5.*
7 *Regulares viri dicti monachi, &c. num.6.*
8 *Antonomasticè dicuntur Religiosi. num.6.*
9 *Status Religionis. num.6.*

De his, quæ pertinent ad statum Religionis?

1 COnuenienti Ordine procedit S. Thomas, cum enim in statu perfectionis sint Episcopi, & viri Religiosi, vt ex dictis *quæst.*184. *art.*5. & sequentibus appareт cum in *quæst.*185. de Episcopis sermonem habuerit, quorum status sublimior est, & perfectior, in *quæst.*186. incipit tractare de statu Religiosorum. Quid vero sit Religio, & quid Religiosus ostendit idem *D.Thom.opusc.*19. *cap.* 1. Vt autem religionis naturam cognoscere valeamus, huius nominis originem inquiramus.

2 Ad horum vero maiorem intelligentiam considerandum, quod non defuerunt, qui dicerent

Religio-

Religionem non tantum respicere Deum, sed homines, ita quod non tantum Dei cultus, sed etiam officium, quod cognatis, & affinibus, nobisque quocumque modo coniunctis exhibemus, quædam religio sit, sic enim voluit *S. August. l. 10. de Ciuit. cap.* quem vt aduertit *Suarez tom. 1. de Relig. p. 1. c. 1.* sequutus est *Thom. Aurelian. lib. 1.* de cultu imaginum ante medium. Sed vt aduertit *D. Thom. supra q. 81. a. 1. ad 2. S. Augus.* nomine Religionis in extensa, & amplissima quadam & communissima significatione vsus est: nam Religio proprie sumpta solum Deum respicit, & importat Dei cultum, nedum ex accommodatione Patrum Latinorum; sed ex vsu gentilium Philosophorum, vt ex Cicerone loco citato à D. Thoma, qui est *lib. 2. de inuentione* apparet. Virtus igitur religionis, quæ est vera Religio importat cultum, quem in veræ fidei protestationem fideles Deo Creatori exhibent. Officia vero exhibita coniunctis dicitur religio, vel per exagerationem, aut metaphoram, aut analogiam pro quanto Dei religio beneficientiam proximorum imperat, iuxta illud *Iacob. 1. Religio munda, & immaculata hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum.*

3 Dei vero cultus, & obsequium iure merito dicitur religio; cuius tamen significationis causam, & originem diuersam reddunt. DD. quidem eius significationem deducunt à verbo relinquo, eo quod religiosum dicatur, quod est separatum à communi vsu. Ita ex *Masurio Sabino Aulus Gellius lib. 4. Noct. Attic. cap. 9.* Alij à verbo religendi etymologiam sumunt, quasi nos Deum colendo eum reeligamus, quem negligentes amisimus. *S. Aug. l. 10. de Ciuit. cap. 4.* Alij à verbo relegendi, ex eo quod, quæ ad Dei cultum spectant legenda nedum sed relegenda sint, atque iterum, & iterum cogitanda. Cicero de natura Deorum *l. 2.* quem sequutus est *Isid. l. 10. orig. lit. R.* Alij tandem eam ducunt à verbo religandi. *Lactant. lib. 4. de vera sapientia cap. 28. Hieron.* ad illud *Amos 9. Qui ædificat in cælo ascensionem suam. S. Aug. lib. de vera relig. & l. 1. Retract. cap. 13. Bernard. l. de natura & dignit. diuini amoris cap. 15. Abulen. q. 49. super Exod. D. Thom. loc. cit. Raphael de la Torre supra q. 81. in princip. Syluest. v. Religio primo Suarez tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 1.* & alij DD. communiter. Et merito hæc etymologia præfertur, quia religio importat vinculum illud naturale, quo ad Deum colendum obstricti sumus; tum quia fideles Deum colentes inter se se vinculo religionis congregantur & vniuntur in Dei cultum, & optima ratione dicuntur religari, quasi iterum ligari.

4 Quod explicat *Suarez*, quia cum creatura rationalis per debitum naturale sit obligata, vt Deum colat, per habitum Religionis iterum magis ligatur, quia habitus auget inclinationem in actum. Sed hoc minus bene dicitur, quia nomen Religio per se primo impositum est ad significandum actum, non habitum; ideo explicari debet, quomodo per actum religionis dicimur religari Deo. Ideo idem sumit metaphoram, distinguens inter naturalis inclinationis obligationem & actualem electionem, per quam dictæ obligationi satisfit, quasi primum vinculum sit naturale debitum, & iteratum vinculum sit actualis electio, qua eligimus Deum colere. Sed & hoc habet instantiam, quia actualis electio non est nouum vinculum, sed est actualis colligatio, quam petit naturale debitum, vnde non est computanda in numerum cum vinculo naturalis debiti, cum sit eiusdem vinculi complementum. D. Thomas autem in verbis supra citatis duo vincula explicat, primum per quod vnimur Deo in quo omnia extiterunt ab æterno; secundum quo iam extra Deum existentes vniuntur homines per vinculum religionis, sic ad suum principium redeuntes. Sed obijcit *Suarez*, ex eo quod nimis metaphorica & minus propria videatur illa deductio, quia cum creaturę in Deo existentes sint ipse Deus, non possunt dici illi alligatæ, sed solum creaturæ iam productæ Deo colligantur. Sed respondetur quod actus colentium Deum solum per metaphoram dicitur colligatio, vnde non est hic attendenda proprietas significationis, sed similitudo in aliquo. Et additur quod aliud est, quod creaturæ ab æterno existentes in Deo non existant nisi per esse Dei, aliud est, quod non fuerint entia realia distincta à Deo. Primum verum est, & propter hoc dicitur quod creaturæ in Deo sunt ipse Deus, & dictum est *Ioan. 1. Quod factum est in ipso vita erat.* Quia creaturæ ab æterno fuerunt in Deo inexistentes per esse Dei tanquam contentæ in eius virtute, & cognitione, & quia essentia Dei est exemplar ad quod factæ fuerunt creaturæ; sed tamen creaturæ semper fuerunt entia realia distincta à Deo, & non entia necessaria, sed contingentia, & non entia per essentiam, sed per participationem. Quod super sufficit ad hoc, vt metaphoricè dici possit, quod ab æterno fuerunt colligatæ Deo, in quo solo habebant esse, & per quod poterant creari. Et postquam creatæ sunt, sicut per actum religionis complent veluti circulum sui motus, & ad principium à quo sunt redeunt, & sic circularem motum finiunt, sic optime possunt dici iterum colligari Deo, illique vniri. Sic ergo Dei cultus & obsequium optima ratione dicitur Religio, quasi religatio, quia homines per illum in vnitate vnius modi Deum colendi quasi per vnum vinculum Deo, a quo promanarunt colligantur.

5 Sed hoc modo sumpta Religio quadrupliciter dicitur secundum *Io. Andr. in rubr. de relig.* quem sequitur *Syluest. v. religio 1.* Nimirum de cultu veri Dei per fidem *cap. 1. dist. 97.* de cultu veri Dei per fidem viuam, & charitatem. Iuxta illud *Actor. 2. viri religiosi; & cap. iuxta 16. q. 1. & cap. quod Deo 33. q. 5. & cap. Ecclesia de constit.* Tertio pro clericali officio, per quod homines deputantur ad ministerium eorum, quæ spectant ad Dei cultum, *cap. Saluator 1. q. 3. & c. 1. 12. q. 1.* & quarto pro modo viuendi eorum, qui ex voto ad specialem modum Deum colendi se obligant, de quo tractatur in titulo de Regularibus. Et sic quatuor genera personarum dicuntur Religiosi; scilicet primo Christiani omnes Deum per fidem colentes, secundo Christiani boni, qui per fidem viuam Deo seruiunt, tertio clerici ad sacra ministeria deputati, & quarto illi, qui ad speciale Dei obsequium per vota Religiosa se obstringunt. Et isti sunt, qui modo simpliciter dicuntur Religiosi. Nam vt docet *D. Thom. in p. artic. huius quæst.* nomen dictum de pluribus sæpius antonomasticè, & simpliciter dicitur de eo, in quo perfectiori modo inuenitur eius significatio. Et quia religio Dei cultum, & obsequium importat, & per-

& perfectissimus Dei cultus est, per quem homo totum, & totaliter se Deo donat, & consecrat, mundi delectationibus, diuitijsque relictis, propriaque etiam libertate abnegata; ideo antonomastice & simpliciter religio importat modum colendi Deum per professionem castitatis, paupertatis, & obedientiæ, & religiosi dicuntur, qui hunc modum colendi Deum profitentur.

6 Isti vero diuersimode fuerunt appellati antiquitus. Dicti enim fuerunt monachi, quod nomen Glossæ veteres interpretantur vt idem sit monachos, quod solitarius, seu singularis. Cui consentit Rutilius in itinerario agens de monachis Capraria insulæ, quos ipse tanquam paganus irridet, dicens.

Ipsi se monachos Graio cognomine dicunt,
Quod soli nullo viuere teste volunt.

Et *Cassian. Coll. 18. c. 5. monachos à singularis, & solitaria vitæ districtione nominatos esse vult.* Sed Author Ethymologici veteris monachum sic dictum ait; quia *solus doleat*; hoc est solus fleat sua vel aliorum peccata. Et in hoc sensu *Hieron. lib. adu. vigil. cap. 6.* dixit, quod *monachus non docentis, sed plangentis officium habet, qui vel se, vel mundum lugeat.* Sed *S. Dyon. de Eccl. hier. cap. 6.* deducit etymologiam à nomine monas, quod significat vnitatem, ex eo quod monachus mūdi varietate contempta, & affectuum diuersitate abdicata, & communi vita in monasterio electa ad hoc tendat, vt cum Deo vnū fiat. Dicti sunt etiam Therapeutæ à *Dyon. loco citato*; idest sincero Dei famulatu Deū coli. Sic enim & authore *Iulio Polluce lib. 1. Onomastici cap. 1.* Gentilium mystæ ob similem causam Therapeutæ dicebantur. Dicti quoque fuerunt Philosophi à S. Io Chris. in libello de differentia Regis, & monachi: & à *Nazianz. orat. 9. & 21.* & ab alijs pluribus Patribus Græcis, quia Religiosi diuinæ sapientiæ esse debeant amatores, & studiosi. Vnde *S. Dyon. loc. cit.* vitam religiosam vocat perfectissimam Philosophiam. Exercitatores etiam appellati sunt apud S. Basilium, Maximum, & Palladium, & alios, quia in omni virtutum genere contentiori studio, & animo se exercere debent. Hoc enim nomen à ludis gymnicis sumptum fuisse retulit *Iulius Pollux. l. 3. Onomastici cap. 3.* Athletæ igitur sunt religiosi, qui quotidie contra insultus Diaboli pugnant. Et ideo vita religiosa exercitatio dicitur. Sed antonomastice appellantur Religiosi apud S. Ferreolum in præfatione regulæ, & S. Hidelphonsum *lib. de viris Illust. c. 3. Saluianum l. 3. & 4. de prouidentia. Concilium Tarraconen. c. can. 1.* Vnde religio pro vita monastica & regulari accipitur à *Saluiano l. 3. ad Eccl. Cathol. S. Ferreolo cap. 5. Regula, S. Fructuoso Epis. Bracar. cap. 24. Regula, Fructuoso altero cap. 14. Regula.* Et modo communiter sic accipitur, & sumitur, vt idem sit religio strictè, magis propriè, & antonomasticè sumpta, quod vita monastica, seu regularis quam profitentur qui per vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ diuino obsequio se adstringunt. Et status religionis est deputatio immobilis, per quam homines per vitæ religiosæ professionem obligantur. Et de hoc statu tractat D. Thom. ab hac quæst. vsque ad vltimam huius 2. 2.

ARTICVLVS I.

Vtrum Religio importet statum perfectionis?

AD primum sic proceditur. Videtur, quod religio non importet statum perfectionis. Illud enim quod est de necessitate salutis, non videtur ad statum perfectionis pertinere. Sed religio est de necessitate salutis: quia per eam vni omnipotenti Deo religamur, sicut August. dicit in libro de vera relig. Vel religio dicitur ex eo, quod Deum reelegimus, quem amiseramus negligentes, vt Aug. dicit in 10. † de Ciu. Dei. Ergo videtur, quod religio non nominet perfectionis statum. — q. 81. a. 1. & ep. 18 c. 16. — paul. ante fi. c. 55. t. 1. — † l. 10. c. 4. ante me. t. 5.

2. Præterea, Religio secundum Tullium est, quæ naturæ diuinæ cultum, cæremoniamque affert. Sed afferre Deo cultum & cæremoniam magis videtur pertinere ad ministeria sacrorum ordinum, quam ad diuersitatem statuum, vt ex supradictis patet. † Ergo videtur, quod religio non nominet perfectionis statum. — lib. 2. de inuē. tio. in fol. 4. ante fi. lib. — † q. 183. art. 3. ad 3.

3. Præterea, Status perfectionis distinguitur contra statum incipientiū & proficientium. Sed etiam in religione sunt aliqui incipientes & aliqui proficientes. Ergo religio non nominat perfectionis statum.

4. Præterea, Religio videtur esse pœnitentiæ locus. Dicitur enim in Decretis 7. quæst. 1. Præcipit sancta synodus, vt quicumque de Pontificali dignitate ad monachorum vitam & pœnitentiæ descenderit locum, numquam ad Pontificatum resurgat. Sed locus pœnitentiæ opponitur statui perfectionis. Vnde Dionys. in 6. cap. Ecclesiasticæ Hierarchiæ ponit pœnitentes in infimo loco, scilicet inter purgandos. Ergo videtur, quod religio non sit status perfectionis. — 7. q. 1. c. 46. Hoc nequaquam. — c. 6. non longe à prin.

Sed contra est, quod in collationibus Patrum dicit Abbas Moyses, de religiosis loquens, Ieiuniorum inediam, vigilias, labores corporis, nuditatem, lectionem, cæterasque virtutes debere nos suscipere nouerimus: vt ad perfectionē charitatis istis gradibus — 1. collat. c. 7. circ. princ.

dibus possimus ascendere. Sed ea quæ ad humanos actus pertinent, ab intentione finis speciem & nomen recipiunt. Ergo religiosi pertinent ad statum perfectionis. Dionysius etiam 6. cap. Ecclesiastica Hierarchia dicit eos, qui nominantur Dei famuli, ex Dei puro seruitio & famulatu uniri ad amabilem perfectionem.

Respondeo dicendum, quod sicut ex supradictis patet, id quod communiter multis conuenit, antonomastice attribuitur ei, cui per excellentiam conuenit: sicut nomen fortitudinis vendicat sibi illa virtus, quæ circa difficillima firmitatem animi seruat; & Temperantia nomen vendicat sibi illa virtus, quæ temperat maximas delectationes. Religio autem, ut supra habitum est, est quædam virtus, per quam aliquis ad Dei seruitium & cultum aliquid exhibet. Et ideo antonomastice religiosi dicuntur illi, qui se totaliter mancipant diuino seruitio, quasi holocaustum Deo offerentes. Vnde Gregor. dicit super Ezechielem. Sunt quidam, qui nihil sibimetipsis reseruant, sed sensum, linguam, vitam, atque substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant. In hoc autem perfectio hominis consistit, quod totaliter Deo inhæreat, sicut ex supradictis patet. Et secundum hoc religio perfectionis statum nominat.

Ad primum ergo dicendum, quod exhibere aliqua ad cultum Dei, est de necessitate salutis. Sed quod aliquis se totaliter & sua diuino cultui deputet, ad perfectionem pertinet.

Ad secundum dicendum, quod sicut supra dictum est, cum de virtute religionis ageretur, ad religionem pertinent non solum oblationes sacrificiorum, & alia huiusmodi, quæ sunt religioni propria; sed etiam actus omnium virtutum, secundum quod referuntur ad Dei seruitium & honorem, efficiuntur actus religionis. Et secundum hoc, si aliquis totam vitam suam diuino seruitio deputet, tota vita sua ad religionem pertinebit. Et secundum hoc, ex vita religiosa quam ducunt, religiosi dicuntur, qui sunt in statu perfectionis.

Ad tertium dicendum, quod sicut dictum est, religio nominat statum perfectionis ex intentione finis. Vnde non oportet quod quicumque est in religione, iam sit perfectus, sed quod ad perfectionem tendat. Vnde super illud Matth. 19. Si vis perfectus esse, &c. dicit Origenes, quod ille qui mutauit pro diuitijs paupertatem, ut fiat perfectus, non ipso tempore, quo tradiderit bona sua pauperibus, fiet omnino perfectus, sed ex illa die incipiet speculatio Dei adducere eum ad omnes virtutes. Et hoc modo in religione non omnes sunt perfecti, sed quidam incipientes, quidem proficientes.

Ad quartum dicendum, quod religionis status principaliter est institutus ad perfectionem adipiscendam per quædam exercitia, quibus tolluntur impedimenta perfectæ charitatis. Sublatis autem impedimentis perfectæ charitatis, multo magis exciduntur occasiones peccati, per quod totaliter tollitur charitas. Vnde cum ad pœnitentem pertineat causas peccatorum excidere, ex consequenti status religionis est conuenientissimus pœnitentiæ locus. Vnde in Decretis 33. quæst. 2. canone Admonere, consulitur cuidam, qui vxorem occiderat, ut potius monasterium ingrediatur, quod dicit esse melius & leuius, quam quod pœnitentiam publicam agat remanendo in seculo.

SVMMARIVM.

1 Summa textus D. Th. num. 1.
2 *Quid significet, & qualiter sumatur religio, numer. 2.*
3 *Religiosi proprie, & communiter dicti. num. 3.*
4 *Perfectio in charitate consistit. num. 4.*
5 *Dubiū contra consequentiam textus. num. 5.*
6 *Hic non quæritur an religio sit status, sed an sit status perfectus. num. 6.*
7 *Actus Religionis sunt medium ordinatum in perfectionem, num. 7.*

1 IN prima parte textus D. Thom. explicat quid significet hoc nomen religio antonomastice dictum, quia scilicet importat religionem illorum, qui se totaliter mancipant diuino seruitio. Quo posito respondetur ad quæstionem religionem esse statum perfectionis, quia religio est deputatio totalis hominis ad Dei seruitium, perfectio autem consistit in adhæsione totali hominis ad Deum.

2 Primo igitur præmittitur, quod cum virtus religionis sit virtus inclinans nostram voluntatem & illam determinans in illis, quæ spectant ad Dei cultum, & seruitium, ideo antonomastice dicitur religio hæc eadem virtus, vt est in illis, qui se totaliter mancipant diuino seruitio, & cultui. Verum quia nomen virtutis dicitur, & de habitu, & de actu, hic accipitur religio potius pro actibus religionis,

quam pro habitu. Et ideo antonomastice loquendo, vt in introductione quæs. dictum est, religio importat modum viuendi, seu operationes eorum, qui totaliter se manciparunt diuino obsequio; seu vita totaliter dedicata & ordinata in Dei seruitium, & obsequium. Religiosi autem antonomastice dicuntur, qui ad hanc vitam se obligant. Et antiquitus SS Patres, vt habet *Dyon. Areop. de Eccles. Hier. c. 6.* eos vocauerunt *partim Therapeutas, idest cultores à sincero Dei famulatu atque cultui partim monachos ab indiuidua, & singulari vita appellantes; vt qua illos sanctis diuisibilium complicationib. in diuinam, & Deo gratam monadem perfectionemque promoueat.*

3 Distinguuntur vero religiosi, quia hoc nomen accipi potest vel proprie, vel in magis lata & communi significatione. Primo enim modo dicitur solum de illis, qui per tria vota solemnia religionis se mancipant diuino seruitio, vt patet ex DD. scribentibus super titul. de regularibus. Sed religiosi communiter sunt, qui per aliquod votum, vt v. g. per votum castitatis se Deo specialiter obligant. Vtrique vero religiosi sunt suo modo in statu perfectionis. Et cum *Hieron.* vt refertur. *cap. duo sunt 12. quæst. 1.* duo genera Christianorum distinxerit, scilicet, in clericos & Deo deuotos, & in laicos. Primum genus subdistinguitur, quia alij sunt clerici alij Deo deuoti. Conueniunt enim isti in hoc, quod diuinis officijs sunt mancipati. Sed distinguuntur, quia clerici per sacram Ordinationem non tam ad propriam vitæ perfectionem, quam ad Ecclesiasticum Officium dedicantur, & ideo non veniunt sub nomine religiosi nisi latissime sumpto. Sed viri Deo deuoti dicuntur, qui sponte per votum se ad aliquod Dei obsequium obligant, & inter istos illi soli simpliciter, & perfecte religiosi dicuntur, qui per tria religionis essentialia vota se Deo dedicant.

4 Aliud vero principium addit D. Thom. nimirum quod perfectio consistit formaliter in vnione voluntatis cum Deo, quæ fit per charitatem, & ideo perfectio Christianæ vitæ nihil aliud est, quam perfectio charitatis, in qua omnium præceptorum obseruantia continetur. Quod quidem docuit etiã *D. Thom. supra q. 184. a. 1. & 3.* vbi hoc abunde fuit declaratum.

5 Ex his vero conclusionem responsiuam ad quæst. deducit D. Thomas, quia nimirum instat Religionis est status perfectionis. Dupliciter dubitat *Caietan.* contra vim huius consequentiæ. Primò quia nihil in antecedente assumitur, ex quo concludi possit, quod religio sit status. Nam ad perfectionem charitatis nedum religiosi, sed etiam sæculares ordinantur, & tamen sæculares non dicuntur esse in statu perfectionis. Secundò quia nec videtur concludi, quod religio sit perfectionis; quia non est eadem adhæsio & vnio hominis cum Deo, quæ habetur per charitatem, cum illa, quæ pertinet ad religionem, & ita non valet hæc consequentia, religiosi perfectissimam adhærentiam religionis profitentur; ergo sunt in statu perfectionis; quia status perfectionis non est talis ex virtute religionis, sed ex virtute charitatis.

6 Primum breuiter soluitur, nam D. Thom. in hoc articulo non quærit an religio sit status, quia & hoc supponit ex dictis, & probatum supra q. 184. a. 5. Et quatenus in hac quæstione ex proprijs magis explicandum sit, probatur infra præcipue in a. 6. vbi probat ad statum religionis requiri votum, ex eo quod status immobilitatem requirit. Cum ergo in hoc articulo D. Thom. principaliter quærat solum de perfectione. Vnde in introductione quæst. hic articulus proponitur sub his terminis. An religiosorum status sit perfectus. Non fuit assumendum medium, quod probaret religionem esse statum, sed quod probaret esse statum perfectionis.

7 Ad secundum dicitur, quod ex fine non distinguuntur status perfectionis, quia in eo omnes conueniunt; omnes enim habent pro fine perfectionem charitatis, sed distinguuntur respectu mediorum, quæ assumuntur, vt perfectio obtineatur; inter hæc media vero actus religionis est aptissimus, & inter omnes religiosos actus mancipare se totum in perpetuum ad Dei obsequium est aptissimum ad vnionem cum Deo, vel acquirendam, vel augendam; Vis ergo consequentiæ est ista perfectio consistit in hoc, quod homo totaliter Deo inhereat, ergo religio nominat statum perfectionis, quia religio antonomastice dicta importat holocaustum per quod homo se ipsum, & omnia sua in Dei obsequium offert. Vis autem consequentiæ non fundatur, quia in hoc holocausto consistat formaliter perfectio, sed quia hoc holocaustum est medium aptissimum ad hoc, vt homo totaliter Deo inhereat per amorem, in quo consistit perfectio formaliter. Circa conclusionem ipsam, in qua asseritur quod status religionis sit status perfectionis dubitari potest.

SVMMARIVM.

1 *Status Religiosus vt propria non dicitur status perfectionis acquirendæ. num. 8. & 9.*
2 *Status Religionis, & status perfectionis vt propria conuertibiliter se habent. num. 10.*
3 *Finis Religionis charitas patria, & via. num. 10.*
4 *Religiosus, qui viuit legi, & Deo. num. 10.*
5 *Status Religionis essentialiter non distinguitur à statu perfectionis vt propria; numer. 11. & seqq.*
6 *Charitas via, & patria non distinguuntur, vt plures charitates, seu absolute, & ex specie. & ita vtraque est finis, status perfectionis. num. 11.*
7 *Charitas non est finis intrinsecus status perfectionis, vt est talis status, licet sit illi intrinsecus, vt est status perfectionis in genere. num. 12.*
8 *Quomodo status perfectionis vt propria sit essentialiter idem quod status Religionis. num. 13.*
9 *Obseruantia præceptorum spectat ad finem status perfectionis. num. 14.*
10 *Status Episcoporum respicit, vt finem charitatem extensam ad alios, & ideo est perfectior. num. 15.*

An status perfectionis acquirendæ, & status religionis idem sint, solisque nominibus differant.

8 AFfirmat enim *Suarez tom. 3. l. 2. cap. 1. nu. 1.* eo quod status religionis, & status perfectionis conueniant in fine, & medijs, solisque nomi-

nominibus differunt, quæ a diuersis respectibus eiusdem status accepta sunt. Finis enim intrinsecus status perfectionis est perfectio charitatis vitæ huius, per obseruantiam non præceptorum tantum, sed etiam consiliorum obtinẽda. Finis vero remotus & extrinsecus est gloria æterna, seu perfectio patriæ, vtrumque autem finem etiam respicit religio, vt patet ex D.Thom. in hoc artic. ad tertium & quartum. Quod confirmatur ex *Abb. Moyse Collat. 1. cap. 4. & 5. Basil. ser. 1. & 2. de instit. monachorum Chris. lib. 3. de vituperat. vita monas. Aug. Epis. 89. q. 4.*

9 In hac tamen resolutione primo ex supra q. 184. a. 5. probatis placere non potest, quod status religionis simpliciter dicatur status perfectionis acquirendæ. Licet enim status religionis comparatiue ad statum Episcoporum se habeat vt via ad terminum, & vt dispositio ad perfectionem, & vt schola & disciplina ad magisterium, vt docet *D. Thom. quæst. super. a. 8. c.* Hoc non est verum, nisi quatenus per se loquendo status religionis non supponit in assumente tantam vitæ perfectionem, quantam supponit Episcopatus. Sed tamen per se & simpliciter loquendo neuter status requirit necessario in assumente perfectionem vitæ simpliciter, & neuter necessario illam reijcit, & vterque ad hoc, vt digne assumatur, requirit in assumente statum gratiæ, & vterque respicit perfectionem vitę absolute, ad eamque tendit, si non habetur acquirendam, & si habetur conseruandam, & augendam, & regulariter loquendo neuter a perfectione incipit simpliciter loquendo, quamuis Episcopatus maiorem gradum perfectionis scientiæ & bonitatis per se requirat, quam status religiosus. Melius propterea distinguuntur isti status ex *D. Thom. supra q. 184. a. 5. & 7. & q. 185. a. 8. & in hac quæst. a. 4. ad 1.* Quod status religionis sit status perfectionis propriæ, sed status Episcopatus sit status perfectionis alienæ; quia in eo homo studet vt sit perfectus, nimirum vt si non est perfectus, fit, & si est conseruetur, & augeatur, in isto vero homo ex vi officij studet, vt alij sint perfecti. Ideo vterque in quantum est status, ita respicit perfectionem propriam, quod Episcopatus respicit illam vt habitam cum quadam superabundantia, & per modum magisterij, & vt talem, quæ redundet in plebem, & vt hæc redundantia est medium ad acquirendam perfectionem omnimodam & perfectam, si illam non habet, vel augendam si habet. Proprie igitur dicitur, quod per se & simpliciter status religionis est status perfectionis vt propriæ.

10 Secundò autem aduertendum, quod ista duo scilicet religio, & status perfectionis vt propriæ, licet conuertibiliter formaliter se habeant accipiendo religionem in latiori & communiori significatione, tamen hoc non satis bene explicatur, & probatur per illud principium, scilicet, quod charitas viæ sit finis proximus & intrinsecus status perfectionis, & status religionis, charitas vero patriæ sit vtriusque status finis extrinsecus, ad quem consequendum eisdem vtuntur medijs. Conuertibiliter quidem se habent, & hoc est, quod probant, quæ affert *Suarez.* Nam certe vtriusque finis primarius est salus æterna & perfecta vnio cum Deo per charitatem patriæ, ad hunc enim finem religiosi relicto mundo claustra petunt. Quod elegantissime descripsit sãctus Paulinus in natali S. Felicis sic canẽs

Vita prior pereat, pereat ne vita futura.
Spõte relinquamus mundũ, nam sponte cauendum
Sponte nisi fugimus; moriamur, ne moriamur.
Lethalem vitam vitali morte tegamus.
Terrena intereat, subeat cælestis imago,
Et Christo vertatur Adam, mutemur & istic,
Vt mutemur ibi, qui nunc permanserit in se,
Idem & in æterno, non immutabitur à se,

Et sicut status perfectionis, sic status religiosus ad perfectionem charitatis, quæ potest consequi in hac vita, intendit, & ad eam anhelat. Sic enim *Hier. in cap. 3. lament. Hier.* dixit. *Militum Christi perfectio est, exutam mentem habere à cunctis terrenis negotijs, & tumultu seculi iuxta illud Apostoli. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus &c. eamque quantum humana imbecillitas sinit, festinat vnire cum Christo.* Et Isidorus Pelusiota de monastica vita dixit. *Epis. 278. Monastica vita, ò amici, omnium Dei mandatorum incitatia est, ac receptaculum.* Et Nazianz. in definitionibus Iambicis optime describens monachum paucis verbis dixit. *Quod monachus? est qui viuit legi & Deo.* Propter hoc enim religiosus relictis parentibus, amicis, diuitijs, gloria seculari, mundi fastu vitam pauperem sub obedientia eligit, vt totus legis obseruantiæ, & sic totus Deo viuat, in quo illa summa perfectio consistit, quam status perfectionis prætendit.

11 Sed tamen primo non bene distinguitur inter charitatem viæ, & patriæ, vt illa status perfectionis sit finis proximus, & intrinsecus, hæc vero sit finis remotus, & extrinsecus. Nam primo charitas viæ & patriæ non sunt duæ sed vna charitas. Nam & charitas viæ manet in patria, & eiusdem rationis & speciei est charitas vtriusque status, & finis status perfectionis est charitas absolute, quæ est vinculum perfectionis ex sua specifica ratione, & quam status perfectionis intendit sine mensura. Vtraque igitur charitas finis est status perfectionis, & in hoc charitates istæ distingui non possunt, quia sub eadem prorsus & specifica ratione charitatis, in quo conueniunt habent, vt sint finis status perfectionis. Quod si charitas viæ quatenus est charitas viæ accipiatur ratione modis vialis, quem habet, sic potius habet rationem medij ad finem, quam finis; imperfectio enim charitatis rationem finis habere non potest, cum nec habeat rationem boni; sed materialiter se habet ad perfectionem & ad perfectionis statum, ad quem spectat vt medium ad perfectum statum charitatis obtinendum.

12 Sed præterea neque est omnino verum, quod charitas sit finis intrinsecus status perfectionis, distingui hic debent charitas, & religio, & status religionis, & perfectionis, qui non est aliud, quam status charitatis. Charitas virtus est, quæ quidem ex sui ratione est finis, quia vt in 1. ad Tim. c. 1. ait Apostolus, finis præcepti est charitas, in qua perfectio consistit, cum eodem Apos. ad Coloss. 3. teste, sit vinculum perfectionis. Sed cum sit finis cuiuscumque status Christianæ religionis, quis quicumque status si sit bonus, & ea virtute laudabilis, & ex Christi fide directus habet pro fine charitatem tam viæ, quam patriæ, non potest charitas esse finis proximus, vel intrinsecus status perfectionis simpliciter, vt est status specie distinctus a statu laicorum, vel clericorum, vel viduarum fidelium, vel fide-

lium militum; quia status conuenientes in fine extrinseco, per fines proximos distinguuntur. Et sic finis proximus status perfectionis, vt est status specie distinctus ab alijs fidelium statibus, non est charitas, sed sunt media illa ad charitatis perfectionem acquirendam assumpta, ad quæ se obligat, qui statum assumit. Sed charitas finis est intrinsecus quidem statui perfectionis communissime sumpto, & quod tanquam genus se habet ad omnem statum ex fide Christi dirigibilem, sed hoc conuenit charitati absolute, & quatenus est amabilis sine mensura; modus vero charitatis viæ ad hunc finem materialiter & accidentaliter se habet, & non est finis, nisi pro quanto, & ipsa pertinet ad collectionem illam mediorum, quæ est finis proximus, & immediatus status perfectionis specifice sumpti.

13 Et quia, si bene rem consideremus, apparet, quod medium adæquatum & principale, quod assumit status perfectionis specifice sumptus, est Dei obsequium consistens in sincero famulatu Deo exhibito ex fide per vitam castam, pauperem, & obedientem sic abnegando se ipsum, & crucem suam tollendo, & sequendo Christum, & hoc totum spectat ad religionis virtutem tanquam purissimum holocaustum Deo exhibitum: ideo idem & conuertibiliter & essentialiter sunt status perfectionis vt propriæ, & status religionis. Quia status Christianæ Religionis ex genere charitatem vt sibi proprium, & intrinsecum finem respicit, & ideo status religionis in quantum status Christianæ Religionis intrinsece respicit charitatem vt finem, sed idem status vt talis respicit remote charitatem, & immediate religiosum holocaustum sub ratione tamen perfectionis, & quatenus est medium perfectionis charitatis, vel obtinendæ, vel conseruandæ, aut augendæ, & nihil aliud respicit status perfectionis vt propriæ ad differentiam status perfectionis, vt alienæ, qualis est status Episcoporum: Quia & iste status, vt est talis status specie distinctus ab alijs respicit remote charitatem, quam intendit absolute, & sine mensura; proxime vero respicit illud idem sincerum holocaustum, quod ad religionem pertinet.

14 Tertiò vnum aliud consideratione indiget, quia scilicet dicitur, quod finis status perfectionis est perfectio charitatis vt acquirendæ, nedum per obseruantiam præceptorum, sed etiam consiliorum. Hoc enim neque subsistit, quia obseruantia præceptorum non est medium ad perfectionem, sed pertinet ad ipsam perfectionem essentialiter, tanquam essentialiter contenta in obseruantia præcepti charitatis, quæ sine obseruantia præceptorum non consistit. In obseruantia autem præceptorum charitatis consistere perfectionem simpliciter docet D.Thom. etiam in art. sequenti, & iam docuerat supra *q.184.a.1.& 3.* Et ideo obseruantia præceptorum est finis status Religiosi, nō medium ad finem. Nam vt dixit S. Io: Damascenus. In vita Barlaam cap.12. Christi fideles, quoniam *mandatorum obseruationem, & virtutum cultum in medijs mundi tumultibus ægre consequi se posse perspiciebant, nouum quoddam, & ab alijs diuersum vitæ genus sibi ipsis instituerunt, ac iuxta diuinam vocem relictis omnibus rebus &c. in solitudines tanquam exules quidam se se contulerunt.*

15 Quarto aduertendum ex *D.Thom.art.illo 3.* *q.184* quod perfectio consistit in obseruantia perfecta præceptorū charitatis, & nodū charitatis erga Deum, sed secundario charitatis erga proximum. Ideo status Episcoporum est perfectior, qui habet pro fine talem Dei charitatem, quæ redundet in proximum: vnde Episcopatus, vt est officium, totus est in procuranda perfectione plebis, quod supponit in Episcopo excellentiam amoris Dei. Inter religiones propterea illæ cæteris paribus sunt status perfectionis excellentiores, quæ ex instituto ad salutem animarum ordinantur, sicuti sunt Religio Societatis IESV, & Ordinis Prædicatorum.

SVMMARIVM.

1 *Status perfectionis respicit actus morales, vt sunt actus Religionis. num.16.*

16 IN respōsione ad secūdū obseruandū quod status religiosus per se primo & ex principali intētione respicit actus virtutū moralium, vt sint actus religiosi ordinando illos in Dei obsequium, & cultum, quia religiosus ex vi suæ professionis totam vitam suam, & vt habet Greg. in corp. artic. relatus, sensum, linguam, vitam, atque substantiam deputat ad Dei cultum, & obsequium.

SVMMARIVM.

1 *Charitas est de ratione status, vt intenta. num.17.*
2 *In Religionibus datur distinctio incipientium, proficientium, & perfectorum. num.18.*

17 IN responsione ad tertiū bene monet *Caiet.* quod religio nominat statum perfectionis ex intentione finis, non quia sola hæc intentio constituat statum, quia ad statum requiritur assumptio & obligatio ad media opportuna perfectioni. Sed dicitur quod religio dicitur status perfectionis ex intentione illius, quia perfectio non pertinet necessario ad statum vt forma illius, scilicet vt necessario habita actu, sed sufficit quod sit intenta.

18 Aduertit vlterius *Caiet.* & distinguit, quia gradus incipientium, proficientium, & perfectorum accipi possunt simpliciter, & in tali genere, scilicet in tali religione. Simpliciter enim attenduntur secundum perfectionem charitatis, sed in tali genere intelliguntur secundum talis generis latitudinem. Quæ distinctio vera est, sed tamen D. Thom. in hac responsione loquitur de his gradibus simpliciter sumptis, & vult quod in religione de facto non omnes sunt perfecti simpliciter, sed quidam proficientes, & quidam incipientes, in quibus adhuc sæpius peccatum mortale regnat, quamuis illi pugnent, vt concupiscentiam vincant, & à peccato abstineant, & ad hoc consequendum obseruantijs propriæ regulæ vtantur.

SVMMARIVM.

1 *Status Religiosus est status pœnitentiæ. num.19.*

19 IN responsione ad tertium bene dicitur, quod religio sit status pœnitentiæ, quod recte explicat *Caiet.* quia est talis eminenter. Quoniam cum religio remoueat etiam occasiones quæ perfectæ charitati repugnant, multo magis remouet occasiones & impedimenta charitati simpliciter repugnantia, vnde est quod status religiosus est aptissimus pœnitentiæ. Nam & *S.Hier. lib. adu. Vigil.*

cap.6. definiens Monachum dixit, *Monachus autem non docentis, sed plangentis habet officium, qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pauidus præstoletur aduentum: qui sciens imbecillitatem suam, & vas fragile, quod portat, timet offendere, ne impingat, corruat, atque frangatur.* Et S.Bernard. *lib. de præcept. & dispens. cap. 25.* Instrumentum pœnitentiæ vocat Monasticam vitam, sic dicens. *Audire & hoc vultis à me, vnde inter cætera pœnitentiæ instrumenta monasterialis disciplina meruerit hanc prærogatiuam, vt secundum baptisma nuncupetur? &c.*

ARTICVLVS II.

Vtrum quilibet Religiosus teneatur ad omnia consilia?

opl.1.q.32. 6.4.2. ad 3. *AD secundum sic proceditur. Videtur, quod quilibet religiosus teneatur ad omnia consilia. Quicumque enim profitetur statum aliquem, tenetur ad ea quæ illi statui conueniant. Sed quilibet religiosus profitetur statum perfectionis. Ergo quilibet religiosus tenetur ad omnia consilia, quæ ad perfectionis statũ pertinent.*

2. *Præterea, Gregor. dicit super Ezech.* (ho.20.in Eze.) *quod ille qui præsens seculum deserit, & agit omnia bona, quæ valet, quasi iam Aegypto derelicta, sacrificium præbet in eremo. Sed deserere seculum, specialiter pertinet ad religiosos. Ergo etiam eorum est agere omnia quæ valent. Et ita videtur, quod quilibet eorum teneatur ad omnia consilia implenda.*

3. *Præterea, Si non requiritur ad statum perfectionis, quod aliquis omnia consilia impleat, sufficiens esse videtur, si quædam consilia impleat. Sed hoc falsum est: quia multi in seculari vita existentes aliqua consilia implent, vt patet de his qui continentiam seruant. Ergo videtur, quod quilibet religiosus, qui est in statu perfectionis, teneatur ad omnia quæ sunt perfectionis. Huiusmodi autem sunt omnia consilia.*

Sed contra, Ad ea quæ sunt supererogationis, non tenetur aliquis nisi ex propria obligatione. Sed non quilibet religiosus obligat se ad omnia, sed ad aliqua determinata: quidam ad hæc, quidam ad illa. Non ergo omnes tenentur ad omnia.

Respondeo dicendum, quod ad perfectionem aliquid pertinet tripliciter. Vno modo, essentialiter. Et sic, sicut supra dictum est, (q.184.a.3.) *ad perfectionem pertinet perfecta obseruãtia præceptorum charitatis. Alio modo ad perfectionem pertinet aliquid consequenter: sicut illa quæ consequuntur ex perfectione charitatis: puta, quod aliquis maledicenti benedicat, & alia huiusmodi impleat. Quæ etsi secundum præparationem animi sint in præcepto, vt scilicet impleantur quando necessitas requirit: tamen ex superabundantia charitatis procedit, quod etiam præter necessitatem quandoq; talia impleantur. Tertio modo, pertinet aliquid ad perfectionem instrumentaliter, & dispositiue: sicut paupertas, continentia, abstinentia, & alia huiusmodi. Dictum est autem, quod ipsa perfectio charitatis est finis status religionis.* (art. præc.) *Status autem religionis, est quædam disciplina, vel exercitium ad perfectionem perueniendi: ad quam quidem aliqui peruenire nituntur exercitijs diuersis, sicut etiam medicus ad sanandum, vti potest diuersis medicamentis. Manifestum est autem quod ille, qui operatur ad finem, non ex necessitate conuenit, quod iam assecutus sit finem, sed requiritur, quod per aliquam viam tendat ad finem. Et ideo ille qui statum religionis assumit, non tenetur habere perfectam charitatem, sed tenetur ad hoc tendere & operam dare, vt habeat charitatem perfectam. Et eadem ratione nõ tenetur ad hoc, quod illa impleat, quæ ad perfectionem charitatis consequuntur. Tenetur autem vt ad ea implenda intendat: contra quod facit contemnens. Vnde non peccat si ea prætermittat, sed si ea contemnat. Similiter etiam non tenetur ad omnia exercitia, quibus ad perfectionem peruenitur, sed ad illa quæ determinate sunt ei taxata secundum regulam, quam professus est.*

Ad primum ergo dicendum, quod ille qui transit ad religionem, non profitetur se esse perfectum, sed profitetur se adhibere studium ad perfectionem consequendam. Sicut etiam ille, qui intrat scholas, non profitetur se scientem, sed profitetur se studentẽ ad scientiam acquirendam. Vnde sicut Aug. dicit in 8. de Ciuit. Dei, (lib. 8.c.2.nõ multũ à pri.) *Pythagoras noluit se sapientem profiteri, sed sapientiæ amatorem. Et ideo religiosus*

non

non est transgressor professionis, si non sit perfectus, sed solum si contemnat ad perfectionem tendere.

Ad secundum dicendum, quod sicut diligere Deum ex toto corde tenentur omnes, est tamen aliqua totalitas perfectionis, qua sine peccato prætermitti non potest, aliqua autem, qua sine peccato prætermittitur, dum tamen desit contemptus, ut supra dictum est: ista etiam omnes tam religiosi, quam seculares tenentur aliqualiter facere, quicquid boni possunt. Omnibus enim communiter dicitur Eccles. 9. Quodcũque facere potest manus tua, instanter operare. Est tamen aliquis modus hoc præceptum implendi, quo peccatum vitatur, scilicet, si homo faciat quod potest, secundum quod requirit conditio sui status, dummodo contemptus non adsit agendi meliora: per quem animus firmatur contra spiritualem profectũ.

q. 184. a. 2. ad 3.

Ad tertium dicendum, quod quædam consilia sunt, quæ si prætermitterẽtur, tota vita hominis implicaretur negotijs secularibus: puta, si quis haberet proprium, vel matrimonio uteretur, aut aliquid huiusmodi faceret, quod pertinet ad essentialia vota religionis. Et ideo ad omnia talia consilia observanda religiosi tenentur. Sũt autem quædam consilia de quibusdam melioribus particularibus actibus, quæ prætermitti possunt absque hoc, quod vita hominis secularibus actibus implicetur. Unde non oportet, quod ad omnia talia religiosi teneantur.

SVMMARIVM.

1 *Tituli sensus. num. 1.*
2 *Summa resolutionis articuli. num. 2.*
3 *Tripliciter aliquid pertinet ad perfectionem. numer. 3.*
4 *De essentia perfectionis est perfecta observantia præceptorum charitatis. num. 3.*
5 *Sub præceptis charitatis cõtinentur præcepta aliarum virtutum. num. 3.*
6 *Consequenter ad perfectionem pertinent, quæ sunt ex abundantia charitatis. num. 4.*
7 *Habere ista ex habitu est proprium perfectorum. num. 4.*
8 *Quæ instrumentaliter spectent ad perfectionem; num. 5.*
9 *Finis status perfectionis est observantia præceptorum charitatis. num. 6.*
10 *Distinctio status perfectionis, & status Religionis. num. 6.*
11 *Status Religionis est disciplina perveniendi ad perfectionem; hoc tamen illi accidit, &c. num. 7.*

1 IN titulo huius articuli supponitur religiosum ad aliqua teneri, & quæritur an teneatur ad omnium consiliorum observantiam.

2 Optimo autem ordine, vt dicit *Caiet.* procedit D. Thom. in corpore artic. & præmissa distinctione eorum, quæ pertinent ad perfectionem, quia alia ad eam pertinent essentialiter, alia consequenter; alia instrumentaliter, respondet quæstioni dicendo non teneri religiosum habere actu perfectionem, & ea quæ illam consequuntur, sed solum in præparatione animi, teneri vero nec etiam ad omnia instrumenta perfectionis, sed ad illa ad quæ obligatur ex regula, quam profitetur.

3 Datur ergo primo distinctio, quia scilicet ad perfectionem aliquid tripliciter pertinet, nimirum essentialiter, consequenter, & instrumentaliter. Essentialiter ad perfectionem pertinet perfecta observantia præceptorum charitatis. Est vero considerandum, quod non dicitur, quod ad essentiam perfectionis pertineat observantia præceptorum charitatis, sed perfecta observantia; quia vnius transgressio perfectionis essentiam destruit. Præcepta autem charitatis omnes virtutes respiciũt, quia charitati incumbit nedum elicere actus amoris Dei, & proximi tempore oportuno, sed omnium virtutum actus ordinare, & imperare, & non relinquere, vt aliquod præceptum omittatur. Ideo observantia perfecta præcepti charitatis continet observantiam omnium præceptorum spectantium ad alias virtutes, tanquam materiam perfectionis, & circa quam charitas extendi debet. Ideo nũquam D. Th. asseruit, quod actus aliarum virtutum vt sunt de præcepto sint instrumenta perfectionis, sed hoc de solis consilijs asseruit.

4 Secundo modo aliqua pertinent ad perfectionem consequenter, vt benedicere maledicentibus, cum hoc non est in præcepto, & alia huiusmodi facere. Bene autem dicitur, quod huiusmodi pertinent ad perfectionem consequenter, quia licet sint instrumenta augendæ perfectionis, perfectionis tamen essentiam supponunt. Benedicere enim maledicentibus v.g. cum hoc non est in præcepto, non nisi provenit ex abundantia charitatis. Verum nihilominus est, quod huiusmodi secundũ quid, & divisim inveniri possunt etiam in incipientibus, & proficientibus, quia bene contingit quod aliquis aliquando maledicentibus benedicat, sed ista habere ex habitu, & non in vna, sed in omnibus materijs virtutum, est perfectorum, & semper provenit ex abundantia aliqua charitatis, in quocumque statu inveniantur.

5 Tertiò ea instrumentaliter dicuntur pertinere ad perfectionem, quæ ex suo genere sunt indifferentia, nec sunt actus virtutis, sed per se sunt remotiva impedimentorum charitatis. Nam alias actus virtutum quatenus sunt de consilio, potius pertinent ad secundum membrum, vt sint fructus charitatis, quam instrumenta. Sunt enim actus ex genere boni, in quos ex abundantia charitatis homo prorumpit.

6 Hac igitur distinctione præmissa aliud principium D. Thom. reassumit, ex quo conclusiones inferat, quod status religionis habet finẽ perfectam observantiam omnium præceptorum charitatis. Et quia hoc convenit statui religionis absolute, ideo

omni

omni religioni conuenit, neque in hoc vna ab alia distinguitur ; sed bene respectu consiliorum quorum obseruantiam profitetur, vt ad perfectionem perueniat. Et propterea minus bene videtur Suarez explicasse differentiam status perfectionis a statu religioso, quod status perfectionis dicatur ex fine proximo & intrinseco in quem tendit, sed dicatur religiosus per respectum ad finem vltimum in quem tendit, qui est Deus, cuius cultum religio profitetur. Nam immo totum oppositum est dicendum. Nam cũ finis status perfectionis sit perfectio charitatis, quæ respicit Deum finem vltimũ secundũ se, ideo finis ex quo dicitur status perfectionis proximus, & primum est finis vltimus simpliciter, Deus scilicet per charitatem attingẽdus. Sed hic est finis immediatus status perfectionis communiter sumpti, quia omni statui Christiano est communis ; omnis enim status Christianus perfectionem amoris Dei sine mensura intendit, cum fides doceat Deum esse ex toto corde, anima, & spiritu diligendum : Status vero perfectionis, vt est status perfectionis simpliciter, & specie ab alijs statibus distinctus, Deus & charitatis perfectio finis vltimus est, sed proximus est holocaustum Religiosum, quod Deo offerunt Religiosi, & hic idem est finis status religionis, quia status religionis in ratione status non respicit religionem nisi sub ratione perfectionis, & quatenus est medium ad perfectionem. Et sic distinguuntur, quod status perfectionis exprimit ordinem ad Deum finem vltimum, sed status religionis exprimit ordinem ad religionem, quæ est medium ad finem.

7 Quamuis vero per se de ratione status religionis non sit, quod assumens illum non sit perfectus, & perfectissimus, tamen nec perfectionem requirit in assumente. Immo quia hominis est non fieri repente perfectum, status religionis accommodatur humanæ imperfectioni, ideo est ordinatus ad perfectionem acquirendam, vt sit veluti via secura, & schola perfectionis acquirendæ illis, qui illam non habent, & ex consequenti multitudini hominum, & præcipue iuniorum, qui vt plurimum imperfecti sunt, & indigent edoceri, & manuduci ad perfectionem. Ideo status religionis dicitur status acquirendæ perfectionis, & à D. Thom. disciplina, vel exercitium perueniendi ad perfectionem, non quia in hoc stet eius essentia ; sed quia ab eo, quod vt in pluribus contingit describitur ; vnde supposita hominum imperfectione ad hoc ordinatur, vt sit schola perfectionis his, qui sunt imperfecti, & supposita hominum imperfectione vt in pluribus, iam hoc per se moraliter est verum, quod status religiosus est schola & exercitium perueniendi ad perfectionem, cum tamen hoc illi accidat ex imperfectione nostra.

SVMMARIVM.

1 *Non est necesse quod religiosus sit actu perfectus, sed quod tendat in perfectionem. num. 8.*

8 EX his deducitur prima textus conclusio duas continens affirmatiuam, & negatiuam per quam statuitur non esse necessarium habere actu perfectionem, sed bene necesse esse tendere ad hoc, vt habeatur perfecta charitas. Conclusionem docent *Caiet. & Valentia hic. Ledesma de stat. cap. 4. concl. 2. Suarez tom. 3. l. 2. c. 1. & DD. omnes.* Cuius ratio est, quia qui operatur ad finem non habet finem, sed in finem tendit, perfectio autem est finis religionis. Est autem considerandum, quod dum dicitur, quod non tenetur religiosus actu habere perfectionem charitatis, est sermo de ea perfectione & totalitate charitatis, quæ sine peccato prætermitti potest, vt dicitur ad secundum, loquendo autem de ea perfectione charitatis, quæ sine peccato prætermitti non potest ; adhuc est verum, quod ex vi suæ professionis non tenetur nouo titulo ad illam actu habendam, nisi modo explicando in artic. vltimo huius quæst.

SVMMARIVM.

2 *Sufficit Religioso quod tendat in ea, quæ consequuntur perfectionem. nu. 9.*

3 *Non peccat, qui non habet perfectionem, sed qui eam contemnit. nu. 10.*

9 SEcunda conclusio est, in qua asseritur, non esse necesse vt homo actu impleat, quæ sunt consequentia ad perfectionem charitatis, sed sufficit, quod in ea tendat. Et ratio est eadem, nam qui non tenetur habere perfectionem nec tenetur habere ea, quæ perfectionem consequantur.

10 Ex hac conclusione deducitur corollarium duas conclusiones positas explicans, quia scilicet non peccat, qui prætermittit perfectam charitatem, vel quæ ad illam consequuntur ; sed qui eam contemnit. Quod corollarium ex *Caiet.* dictis explicandum erit circa respons. ad secundum.

SVMMARIVM.

4 *Religioso non est necesse vt obseruet omnia consilia. num. 11.*

11 IN tertia conclusione statuitur religiosum non teneri ad omnia exercitia, per quę peruenitur ad perfectionem, sed ad ea ad quæ obligatur ex regula, quam profitetur *Caiet.* in præsenti & alij DD. citati. Huius autem conclusionis prima pars euidens est. Tum quia non omne quod est vtile est necessarium, cum aliud æque vtile sufficere possit. Tum quia non omne quod ex genere secundum se est melius, est cuicumque homini, ac propterea cuicũque statui religioso proportionatum. Ex hoc enim plures status religiosi necessario distincti sunt in Ecclesia, vt nec vnusquisque, & ideo nec vnaquæq; religio teneatur ad optima omnino cõsilia admittenda, quia neque hoc cuicumque statui, & conditioni personarum est conforme. Ideo vnaquæq; religio propria sibi consilia assumit, vt vnusquisq; hominũ quorũ habitudines sunt diuersæ habeat viã sibi proportionatã, per quam ad perfectionem tendat. Tum quia omniũ consiliorũ conseruatio esset potius impedimẽto ad perfectionem consequendam, & sæpe impossibilis, cum diuersa consilia simul obseruari non possint. Tum quia, vt arguit *D. Th. opusc. 19. cap. 2.* Si omnia cõsilia a quocumque statu religioso essent obseruanda, esset religionum confusio, & desficeret in Ecclesia decor ille, qui ex inæqualitate perfectionis religionũ prouenit.

Nun-

SVMMARIVM.

1 *Nequit dari status Religiosus, qui non obliget ad aliqua consilia. num. 12.*

Nunquid possit esse status Religionis, qui ad nullius consilij obseruantiam obliget?

12. RESPONDETUR, quod sine obseruantia consiliorum nō potest religio consistere. Hoc probat *Suarez tom. 3. l. 1. c. 1. num. 6.* quia sicut substantia non potest consistere sine aliquibus accidētibus, sic neque religio sine alicuius consilij obseruantia: Et ita nedum, vt videbimus obseruantia castitatis, paupertatis, & obedientiæ est de essentia religionis perfectæ, sed præter huiusmodi consilia generalia, alia magis specialia veluti accidentia necessaria sunt, quia non inuenitur substantia religionis sine suis accidentibus, quæ illam perficiunt, & ad obseruantiam trium substantialium consiliorum perducunt. Immò bene aduertit *Suarez*, quod cum omnis religio perfecta in obseruantia trium illorum consiliorum conueniat, sicuti conuenit in fine, qui est perfectio charitatis, ad quam omnis religio tendit, distinctio religionum desumitur per ordinem ad diuersas formas seruandi tria vota, & ad diuersa consilia, ad quorum obseruantiam veluti ad fines proximos vnaquæque religio ordinatur. Econtra vero.

SVMMARIVM.

1 *An detur aliquod consilium repugnans statui Religioso. num. 13.*

2 *Ex parte excessus perfectionis nullum est consilium, quod repugnet statui Religionis. num. 14.*

3 *Quæ non sunt meliora ex genere, sed respectu huius, vel illius non sunt consilia, & hæc possunt repugnare. num. 16.*

4 *Nullum est consilium, quod secundum quid non possit cuicumque statui Religioso conuenire. num. 16.*

5 *Religioso non deest meritum omnium consiliorum. num. 17.*

Dari ne possunt aliqua consilia, quæ statui Religioso repugnent?

13 AFfirmatiuam partem probabilem putat *Suarez loco citato num. 8.* Ita vt dentur consilia, quæ repugnent statui religioso nedum propter deffectum proportionis, sed etiam propter excessum. Primi generis sunt, quæ solum sunt opera meliora, & de consilio respectu subiecti imperfecti, vt ornare se respectu mulieris maritatæ. Secundi generis sunt ea, quæ D. Th. inquit consequi perfectionem, vt benedicere maledicenti extra casum necessitatis; cum enim hoc supponat perfectionem, non est aptum medium ad perfectionem acquirendam. Similiter habere vel dominium, vel administrationem temporalium competit statui Episcopali, sed disconuenit statui Religioso. Nihilominus quamuis hunc dicendi modum putet esse probabilem, si recte explicetur, tamen absolute de consilijs loquendo, nullum, ait videri, quod in sua generalitate sumptum repugnet statui Religioso.

14 Et vere dicendum est, nullum quidem esse consilium, quod ex perfectionis excessu repugnet statui religioso, plura vero esse, quæ illi repugnant, quia non sunt consilia absolute sumpta, sed solum comparatiue, vel ex imperfectione, vel ex officio aliquo, ad quod homo obligatur. Et quidem nullum est virtutis opus, quod statui Religioso repugnet, cum immo status Religiosus ad virtutum perfectionem tendat. Quod si dantur opera consequentia perfectionem; Et hæc spectant ad statum perfectionis, vt fructus perfectionis, & vt media ad perfectionem augendam. Quod eo magis est verum considerando, quod status Religiosus essentialiter non est status perfectionis acquisitæ, sed perfectionem absolute respicit, & tendit vt ad illam perueniat in illis, qui illam non habent, quales sunt, vt plurimum, qui de nouo statum religiosum assumunt. Et ideo Religiosum maximè conuenit, & maledicenti benedicere, & omne opus perfectum exercere.

15 Verum ea, quæ non sunt ex suo genere meliora bona, vnde nec sunt consilia nisi respectu talis personæ, vt v.g. accipere vxorem, potest esse consilium respectu eius, cui moraliter sit impossibilis castitas cœlibatus; proculdubio ista repugnat statui Religioso, sed nec sunt absolutè consilia, sed solum per accidens, & comparatiue respectu huius, vel illius personæ. Et tale consilium etiam est dominium, vel administratio bonorum temporalium, quod consilium ratione officij conuenit Episcopo. Et nihilominus Religiosus non est incapax huius, vt patet in religioso Episcopo, & in religionis Prælato.

16 Et nihilominus dicitur vlterius, quod si loquamur de statibus religiosis in particulari quatenus tales status sunt, sic aliqua consilia illis repugnant; quia cum obseruatio plurium consiliorum simul sit incompossibilis, & vnus status religiosus ex regulæ præscripto obligetur ad aliquorum obseruantiam, ideo aliorum incompossibilium obseruantia illi repugnat non omnino, sed quatenus repugnat obseruantiæ eius, ad quod tenetur ex regula. Ita v.g. Religioso qui ad inseruiendum hospitali deputatur ex suo instituto contrarium est consiliorum eorū obseruantia, quæ ad contemplatiuam deputati sunt & nocte ac die choro insistunt, quia hoc repugnat infirmorum seruituti. Sed tamen & istis conuenit Deum orare & laudare & aliquid meditari, quatenus non impedit seruitium infirmorum. Et sic absolute nullum consilium repugnat etiam infimo, vel supremo statui religioso, quin possit illud seruare saltem in parte, & quatenus non impedit obseruantiam eius, ad quod tenetur ex regula.

17 Et vlterius quoque additur religiosum posse habere meritum omnium consiliorum, desiderando illorum etiam obseruantiam, quam non potest habere, & ei conuenit habere animum paratum ad obseruantiam cuiuscumque consilij quatenus illa necessaria sibi sit ad perfectionem acquirendam,

vel

vel conferuandam, vel augendam, quamuis non teneatur per se nisi ad illa, ad quæ tenetur ex regula.

SVMMARIVM.

1 *Qualiter Religiosus debeat habere intentionem seruandi omnia consilia. num.18.*

18 CVm argumentum primum intendat probare, religiosum teneri ad omnia consilia, quia tenetur ad perfectionem, dum D. Thom. respondet non teneri religiosum esse perfectum, sed intendere perfectionem, videtur simul asserere, religiosum teneri habere intentionem seruandi singula consilia, & peccare si aliquod consilium contemnat. Et vere sic est, quod in religioso debet esse intentio obseruandi quodcumque consilium quod illum ducat in perfectionem tali intentione, vt saltem illud non omittat ex contemptu. Quod magis explicatur in respons. ad secundum.

SVMMARIVM.

1 *Summa responsionis ad secundum. num.19.*

19 IN responsione ad secundum duo singularia docet D. Thom. Primum est, quod nedum religiosus, sed quilibet tenetur habere intentionem faciendi quidquid boni potest, quod probat ex illo Eccl. 9. quodcumque potest manus tua instanter operare. Secundum est, quod homo huic præcepto satisfacit, si faciat quod potest secundum conditionem sui status, & quod omittit facere, non omittat ex contemptu. Horum autem vtrumque dubium esse potest, & circa primum quæritur.

SVMMARIVM.

1 *Ratio difficultatis, & opinio aliquorum. nu.20.*
2 *Homo qui tenetur diligere Deum sine mensura tenetur totum possibile bonũ facere propter Deum. num.21.*
3 *Præceptum affirmatiuum, & negatiuum. nu.22.*
4 *Intentio positiua non sequendi consilium, & intentio positiua sequendi consilium distinguuntur. num.22.*
5 *Intentio positiua peccandi, vel non adhibendi diligentiam necessariam ad non peccandum, est mala. num.23.*
6 *Intentio positiua non proficiendi mala. nu.24.*
7 *Hac intentio respectiue peccatum mortale est, vel veniale. num.25.*
8 *Intentio nullum sequendi consilium, vel nullum operandi bonum supererogationis mala. nu.26.*
9 *Voluntas non faciendi melius in indiuiduo, vel resistendi inspirationi mala. num.26.*
10 *Non tenemur habere intentionem absolutam excellentia charitatis, sed sufficit habere conditionatam. num.27.*
11 *Omissio cuiuscumque boni determinati & non præcepti non est ex se mala. num.28.*
12 *Nullus tenetur habere intentionem absolutam faciendi, id quod est melius ex genere. num.29.*
13 *Quilibet tenetur habere intentionem faciendi, quantum est ex se ipso, quidquid potest pro gloria Dei, & non resistendi gratiæ Dei. num.30.*
14 *Duo requiruntur ad hoc vt satisfaciat homo obligationi faciendi omne bonum possibile. num.31.*
15 *Huic obligationi satisfacit habendo actum charitatis tunc cum est necesse. num.32.*
16 *Obligatio ista tugam sequitur. num.33.*

Vtrum vnusquisque teneatur habere intentionem faciendi omne opus bonum sibi possibile.

20 HOc enim non videtur necessarium, quia videtur magis nimis durum, & iugum grauissimum impositum animabus. Præterea secundo, nam non stant simul teneri ad habendam voluntatem aliquid faciendi, & non teneri illud facere: cum igitur in hac responsione dicatur dari quoddam bonum, nimirum quandam totalitatem & perfectionem amandi Deum, quam sine peccato prætermittimus, igitur & intentionem illius sine peccato permittimus, quia omissio, quæ non est peccatum, potest esse voluntaria, & non intenta. Propterea *Ledesma de statib. cap. 4. concl. 2. 5.* Aduertas, ponens tres conuenientias inter secularem, & religiosum in hac parte, vult primo quod eorum nullus sit obligatus habere actualem intentionem perueniendi ad perfectum statum charitatis, sed vtrosque satisfacere suæ obligationi si charitatis præcepta obseruent. Et Religiosus non tenetur habere maiorem intentionem charitatis, aut aliarum virtutum, quam secularis. Secundo quod nullus eorum peccat, ex eo quod omittit id, quod est de consilio ex positiuo proposito voluntatis, quoniam consilia non cadunt sub præcepto. Tertio quod contemptus consiliorum in vtroque est peccatum mortale. Differentia vero est, quod multa sunt religioso de præcepto, quæ sunt seculari de consilio. Sicut & in vna religione multa sunt de præcepto, quæ non sunt in alia.

21 Respondetur nihilominus, quod cum vt docet *D. Thom. sup. q. 184. a. 3* præceptum charitatis obliget nos ad diligendum Deum sine mensura, & limitatione aliqua, nulla est totalitas dilectionis Dei, nullumque bonum, quod nostram intentionem fugere debeat, & vnusquisque tenetur habere intentionem faciendi quidquid boni potest, quia tenetur Deum diligere, & propter Deum dilectum facere quidquid potest. Et ideo nedum in homine est obligatio faciendi bonum, sed est obligatio faciendi melius, ac melius sine mensura, quia ad diligendum Deum sine mensura tenetur. Et ex hoc etiam habetur, quod homo tenetur semper operari, nisi ex necessitate somni & quietis rationabilis impediatur, & operando tenetur non operari malum, sed bonum, & vel Deum diligere, vel in Dei gloriam aliquid agere, si enim ad hoc non teneretur, iam posset diligere Deum cum mensura aliqua & determinatione, quia ad hoc teneretur solum sub mensura temporis determinati, quod verum non est, ideo ex præcepto charitatis tenetur homo & semper operari in Dei gloriam, & operari illud melius ac melius in infinitum, quod potest.

22 Verum quomodo stant simul, quod omissio executionis huius, quod est operari bonum, & melius

lius

lius non sit semper peccatum, quia datur totalitas, & perfectio amandi Deum quam præterminimus sine peccato, & tamen peccatum sit non habere intentionem talis perfectionis, imo habere voluntatem non exequendi talem perfectionem. Ad huius euidentiam, quia præcepta alia sunt affirmatiua, quæ exercitium agendi iubent pro loco, tempore, & circumstantiis, & alia negatiua, quæ actus exercitium absolute, & pro semper prohibent, ideo summe considerandum est, & distinguendum, præceptum amandi Deum sine mensura, vel vt est affirmatiuum, vel vt est negatiuum. Sicuti distingui debet positiua intentio proficiendi & operandi semper bonum, & melius, seu seruandi etiam consilia omnia seruabilia, & intentio contraria, scilicet voluntas non proficiendi, seu voluntas positiua non seruandi aliquod consilium, seu voluntas non abstinendi à peccatis venialibus, seu voluntas non faciendi aliquod bonum supererogationis. Hac enim distinctione supposita duplex est hic difficultas. Prima est an præceptum diligendi Deum sine mensura quatenus negatiuum prohibeat intentionem positiuam non proficiendi, vel non seruandi consilia, vel non faciendi aliquod bonum supererogationis, ita vt huiusmodi intentio sit ab intrinseco mala, & peccatum etiam præcise contemptus. Alia difficultas est, an idem præceptum charitatis obliget ad aliquando habendum in actu exercito intentionem proficiendi, vel faciendi opera supererogationis, vel seruandi etiam ea, quæ non sunt præcepta sed consilia.

23 Quantum vero ad primam difficultatem certum est, quod intentio non vitandi peccata mortalia est peccatum mortale, sicut & intentio vitandi quidem mortalia, sed non venialia est peccatum veniale, sicut & peccatum est mortale, vel veniale respectiue, si quis intendat, non adhibere diligentiam moralem necessariam ad vitanda peccata, vel si quis intendat positiue non vitare occasiones proximas peccandi etiam tunc cum ex lege prohibente peccatum, prohibitum quoque est non vitare occasionem proximam peccandi. Quia in idem coincidunt non vitare peccatum, & non vitare occasionem peccati cum ex vi legis prohibentis peccare simul prohibetur etiam vitare peccandi occasionem proximam.

24 Vlterius quoque dicitur, quod positiua intentio non proficiendi in vitæ perfectione, de sui natura est mala, & peccatum aliquod. Caietan. hic circa respons. ad secundum. Ledesma de statib. cap.4. concl.2. & dico in primo. Valentia disp.10. q.4. p.4. Lezana tom.1. cap.1. num.10. & 12. Et ratio à priori est, quia contra præceptum Dei obligantis ad diligendum Deum sine mensura est, quod quis positiue velit non proficere, quia hoc est velle diligere Deum cum mensura, & limitate non veto quantum fieri potest in infinitum. Ideo supra q.184. a.3. à num.72. probatum est quod excellentia charitatis cadit sub præcepto per modum finis, quia licet eam non habere non sit peccatum, tamen peccatum est illam non intendere vt finem, illamque reijcere. Additur quod in hac positiua voluntate non proficiendi clauditur voluntas non cooperandi gratiæ Dei mouentis ad perfectionem, & ad meliua etiam in indiuiduo, quæ quidem voluntas rectæ rationi aduersatur. Nam & esse peccatum resistere diuinæ inspirationi & contemnere magisterium Spiritus Sancti probatum fuit d. art.3. à num.79. Et omnino videnda sunt pro huius conclusionis intelligentia, quæ ibi latius probata sunt.

25 An vero hoc peccatum sit mortale, vel veniale. Lezana loc. citat. censet esse mortale; sed Caiet. & Ledesma, & Valentia veniale dicunt. Sed non est discrepantia, quia nolle proficere simpliciter, vt incindit voluntatem non obseruandi vota, quæ ad perfectionem acquirendam sunt ordinata, hoc dubio peccatum mortale est, & in hoc sensu loquitur Lezana. Sed si nolle proficere dicat solum nolle per opera supererogationis tendere ad perfectionem sic non est peccatum mortale, sed veniale, quia per hanc voluntatem non excluduntur media necessaria ad perfectionem acquirendam ordinata, sed solum excluditur excellentia charitatis, & perfectionis quæ non intenditur, præceptum vero diligendi Deum sine mensura non obligat sub mortali ad excellentiam charitatis, salua voluntate nihil agendi, quod charitati repugnet.

26 Idem vero præfati DD. asserunt de voluntate non faciendi aliquod opus supererogationis, vel aliquod opus consilij, quod scilicet sit peccatum veniale. Quod explicat Ledesma, quia licet non sit peccatum nolle sequi hoc vel illud consilium, excludere tamen omnes est contra rectam rationem. Sicut non est contra rationem, & sine peccato posset contingere, quod per aliquod tempus quis in peccato perseueret sine peccato; sed peccatum est positiue velle ad tantum tempus non pœnitere. Et semel nolle amico gratiam facere non est contra amicitiam, sed nolle vnquam facere, ro gratiam amico amicitiæ aduersatur, & quamuis amicitiam non destruat, feruorem tamen amicitiæ impedit. Dicendum vero est voluntatem præfatam esse peccatum. Sed operari aliquod consilium vage, vel aliquod opus supererogationis non est consilium, sed est præceptum. Nam ex lege charitatis obligamur nos ad diligendum Deum sine mensura ad duo homo obligatur nimirum ad hoc vt non impeditus agere semper agat, & ad hoc, vt agendo bonum agat, vt supra q.184. a.3. à num.6 probatum fuit. Quotiescumque igitur non adest præceptum determinate aliquid agendi, vnde agere hoc, vel oppositum est indifferens indifferentia præcepti & est supererogationis bonum, & saltem lato modo consilium, nihilominus agere vage vel hoc, vel oppositum, seu agere hoc, vel aliud bonum est necessarium ex virtute charitatis, quæ non patitur, vt homo non impeditus sit otiosus non feruens Deo quantum potest, cum sit ex toto corde & anima seruire teneatur. Igitur operari aliquod consilium, seu supererogationis bonum, cum non vrget determinatum præceptum, non est consilium sed est præceptum aliquod in eo saltem sensu in quo lex obligat sub veniali. Præterea quidquid est extra bonum præceptum, vel bonum supererogationis, malum est, nam bonum non est, nec in gloriam Dei fit, vt charitas petit, quod sit, & non est nec bonum præceptum, nec bonum non præceptum quod dicitur bonum supererogationis igitur qui nullum bonum supererogationis vult facere malum & non bonum facere vult. Præterea si proprie loquamur de consilio prout importat nedum bonum, sed melius ex genere, quia impossibile est

vt

vt omne quod est melius ex genere nunquam sit etiam simul melius in indiuiduo; sed per se loquendo aliquod melius ex genere erit respectu cuiuscumque etiam melius in indiuiduo; igitur vnusquisque peccat, si dicat se nolle agere aliquod consilium, quia per hoc habet voluntatem aliquando non faciendi, id quod sibi melius est facere, quod est velle, non proficere. Peccat igitur qui positiue vult nihil operari, quod sit consilium. Et qui nihil vult operari, quod non sit bonum præceptum, sed bonum liberum, aut supererogationis, & qui vult, non facere id, quod viderit esse sibi melius in indiuiduo: & qui vult resistere sanctæ inspirationi & magisterium Spiritus Sancti negligere. Quia vt probatum est supra *q.184.a.3.* tenetur homo facere quod melius est sibi in indiuiduo, & teuereri magisterium Spiritus Sancti à se cognitum. Exempla tamen à *Ledesm.* allata non probant. Non quidem primum, quia velle non proficere ab intrinseco est malum, sed per se nolle sequi consilium nullum malum est. Non secundum, quia nullo modo est contra amicitiam, si quis nolit facere aliquid vltra id, quod ex lege amicitiæ est necessarium; quia implicat quod ex lege amicitiæ sit necessarium agere, quod ex lege amicitiæ agere non est necessarium.

27 Et per hæc soluta manet prima difficultas. Circa secundam vero considerandum est, quod duplex esse potest, scilicet absoluta, & efficax, & conditionata & quæ non est absolute efficax, sed esset si poneretur conditio. Non obligamur ad habendam intentionem efficacem faciẽdi totum bonum quod per nos absolute & vt sic dicam metaphisice spectata virtute nostra, & virtute gratiæ possibilis haberi à nobis potest fieri. Quia non obligamur ad voluntatem absolutam diligendi Deum tam perfecte, sicut eum diligit Domina nostra Maria, Dei mater, filia, & sponsa; quia habere excellentiam charitatis, vt dixit D. Thomas non est in præcepto; ideo nec de præcepto est habere intentionem efficacem habendi excellentiam charitatis, quia intentioni efficaci, & absolutæ habendi excellentem charitatem coniuncta est excellens charitas, immo ipsa est actus excellentis charitatis. Sed tamen tenemur habere intentionem conditionatam hac cõditione, vt quantum sit ex parte nostra operemur secundum statum nostrum, id quod nobis erit melius & secundum vires, quas habemus, & non ponamus obicem maiori ac maiori perfectioni in infinitum, sed parati simus cooperari gratiæ Dei ad Deum in infinitum perfectius ac perfectius diligendum.

28 Ex his obiectioni in contrarium respondendo dicitur primo, quod omissio nedũ melioris boni, sed boni cuiuscumque determinati, quod non est sub præcepto, non est ex suo genere mala, & peccatum, & ideo si ex recta voluntate fiat nullum peccatum est. Ita *Calet.* in præsenti. Et ratio est quia vbi actus non est præceptus, iam est in potestate nostra illum facere, vel non facere. Et præterea nec omne melius ex genere est melius huic, immo nec omne bonum ex genere est bonum huic hic, & nunc; ideo omissio eius, quod est bonum vel melius secundum se & ex genere nedum non est mala, sed est bona, & necessaria, respectu huius cui secundum statum suum illud melius non conuenit.

29 Ideo dicitur secundo nullum teneri ad habendam intentionem absolutam & efficacem faciendi omne bonum metaphisice possibile, vel quidquid est bonum, & melius ex genere. Nam intentio absoluta, & efficax tantæ necessitatis est, quantæ est executio intentionis, quæ cum sit actus humanus est actus voluntarius, vnde qui non tenetur exequi non tenetur velle executionem; cum ergo homo non teneatur exequi omne bonum possibile, nec tenetur habere intentionem efficacem & absolutum illud exequendi.

30 Tertio tamen dicitur, quemlibet ex præcepto charitatis & respectiue etiam aliarum virtutum teneri habere intentionem conditionatam faciendi omne bonum possibile, quantum sit ex se ipso, ita vt habeat intentionem absolutam non resistendi diuinæ gratiæ, & non contemnendi præcepta, & consilia. Nam alias non diligeret Deum tantum quantum potest, si contemneret propter Deum aliquid agere. Contemptus enim supponit potentiam agendi, & importat negationem faciendi id quod homo ex parte sui potest, vnde ex directo opponitur præcepto faciendi tantum quantum quis potest. Ita qui ponit obicem gratiæ omittit, non quia non possit, quia posset per gratiam quam habet, si vellet, sed quia non vult, sed contemnit.

31 Ideo dicitur quarto, quod ad hoc vt homo satisfaciat obligationi faciendi omne bonum possibile requiritur aliquid positiuum, & aliquid negatiuum. Positiuum est executio illius melioris quod proxime & expedite potest secundum statũ suum. Ideo tenetur exequi quidquid hic & nunc omnibus pensatis est melius sibi, quia aliter non diligeret Deum, nec operaretur propter Deum quantum potest, sed gratiæ Dei resisteret, & ei cooperari nollet, & à totalitate dilectionis deficeret quia illam nollet & negligeret. Negatiuum vero est, negatio voluntatis non tendendi ad meliora seu repugnandi gratiæ, seu firmandi voluntatem contra spiritualem profectum, quod negatiuum excluditur per voluntatem conditionatam quantum sit ex parte sui faciendi meliora, si per gratiam Dei possit.

32 Dicitur vltimo, quod in quantum præceptum excellentiæ charitatis, seu faciendi quidquid potest fieri propter Deum est affirmatiuum, & obligat ad aliquando habendam voluntatem sic faciẽdi ei satisfit per actus charitatis, quos homo ex Dei gratia habet, & tunc tale præceptum obligat cum obligat præceptum charitatis, quia & hæc voluntas actus charitatis est.

33 Hoc igitur modo nec est graue iugum actu facere propter Deum, quod homo secundum suam imperfectionem proxime potest, nec omissio executionis melioris infert negationem intentionis huius conditionatæ, sed solum intentionis absolutæ faciendi totum bonum absolute possibile. Sic ergo primum dictum D. Thom. explicatum manet. Circa secundum vero quæritur.

SVMMARIVM.

1 *Ratio difficultatis. num. 34.*
2 *Contemptus duplex, num. 35.*
3 *Contemnere præceptum aut consilium Dei est peccatum mortale. num. 36.*
4 *An sit tale contemnere consilium superiorum n. 37.*

5 *Contemptus materialis diuinæ legis non semper est peccatum mortale. num. 38.*
6 *Voluntas non fugiendi peccata venialia non est mortalis. num. 38.*
7 *Non operari id, quod est melius non est peccatum mortale. num. 39.*
8 *Peccatum est non sequi consilia Dei in singulari. num. 40.*
9 *Libertas a præcepto non respicit bonum absolute & exercitium agendi. num. 41.*
10 *Relinquere feruorem charitatis ex negligentia peccatum veniale. num. 42.*
11 *Prætermissio melioris est mala, nedum si sit ex contemptu formali, sed etiam si sit ex negligentia. num. 43.*
12 *Contemptus consiliorum potest esse ex hæresi. numer. 44.*
12 *Contemptus consiliorum cuius speciei sit. n. 44.*
13 *Contemptus præceptorum est semper inobedientia. num. 44.*
14 *Contemptus aliquorum consiliorum non stat in Religioso cum intentione proficiendi secundum regulam. num. 44.*

An omittens ex contemptu facere illud bonum, quod potest, peccet mortaliter?

34 NAm videtur ita dicendum, quia contemptus est ex suo genere peccatum mortale. Sed in oppositum est, quia qui habet animum firmum non peccandi mortaliter, & vitandi omne graue periculum mortalis peccati, de reliquo non vult nedum omittere meliora, sed non vitare venialia peccata, non est in statu peccati mortalis, quia hæc voluntas non aufert, quin talis homo diligat Deum super omnia, cum omnino talis velit vitare peccatum mortale.

35 Respondetur, autem quod ex doctrina *D. Thom. supra q. 104. a. 1. & Caiet. ibi, & his q. & in summa v. contemptus, Armil. ibid. Medina p. 2. q. 96. a. 4. Sot. 4. d. 15. q. 2. a. 2. Suarez tom. 3. de relig. l. 10. c. 7. num. 7. Sanchez moral. l. 6. c. 4.* & communiter ex alijs DD. contemptus est duplex, scilicet materialis, & formalis. Contemptus materialis est voluntaria non executio eius, ad quod aliquis tenetur ex quacumque obligatione: Nam nolle exequi mandatum est illud parui facere & contemnere. Sed contemptus formalis est nolle exequi aliquid, quia quis non vult subijci absolute vel præcepto, vel consilio præcipientis, vel consulentis. Et sic est ex eo nolle exequi aliquid, quia illud est præceptū, vel consultum.

36 Qua distinctione stante cum communi sententia dicitur, quod contemptus formalis est ex suo genere peccatum mortale, & hoc nedum respectu præceptorum, sed respectu consiliorum Dei, ita quod grauis Dei iniuria est ex hoc nolle aliquid facere, quia quis non vult Deo subijci, vel tanquam præcipienti, vel tanquam magistro consulenti, cum ex lege naturæ Deus sit noster legislator, & magister, & director. An vero hoc verum sit, nedum respectu Dei, sed respectu hominum. Certe *D. Thom. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3.* docet quod solus contemptus Dei est peccatum mortale, sed vt bene aduertunt *Caiet. & Suarez*, contemptus superiorum, qui sunt Dei ministri est contemptus Dei. Et non est dubium, quod vbi superior legitime præcipit, contemnere præceptum est peccatum mortale, & in Religioso habet duplicem malitiam, & quia contemnitur authoritas præcipientis, & sanctitas voti, vt aduertit *Sanchez loc. cit.*

37 Sed an sit in nobis obligatio exequendi consilia superiorum, ita vt sit peccatum mortale in subdito nolle habere superiorem pro magistro & directore in illis, in quibus non præcipit, sed solum consulit, alia quæstio est, & non video vnde sit hæc obligatio sub mortali. Nam & Religiosi profitentur obedientiam, vnde se obligant ad obseruantiam mandatorum, non vero ad obseruantiam talium consiliorum. Nec est eadem ratio de hominibus, & de Deo, quia Deus est ex natura noster magister, cuius directione indigemus, & sine qua nihil boni facimus. Et cum incertæ, & dubiæ sint prouidentiæ nostræ, ratio dictat, vt subdamur diuinæ directioni; ideo nolle habere Deum in magistrum & directorem est contra naturæ legem. Ideo nolle sequi consilia Dei ex contemptu est peccatum mortale. Nihilominus tamen contemnere consilium superioris, immo cuiuscumque bonum consulentis, est aliquod peccatum, quia licet secundum rectam rationem sit non sequi consilium alterius ex motiuo iusto & rationabili causa, tamen causa irrationabilis est nolle accipere alicuius consilium, & ideo ex hoc nolle agere, quia proximus consulit. Cum enim Deus vnicuique mandauerit de proximo suo, simul mandauit vt proximi consulentis bonum non contemnatur affectio, & efficacia.

38 Dicitur vero secundo quod contemptus materialis non est semper peccatum mortale, sed tunc cum aliquid agere præcipitur sub mortali, eius omissio est peccatum mortale. Ideo vt *Caiet.* hic docet, supposita voluntate firma non peccandi mortaliter, & in nullo casu agendi id, quod charitati repugnat; voluntas firma non proficiendi vlterius non est peccatum mortale, quia cum hac voluntate stat dilectio Dei super omnia, per hoc quod stat voluntas nihil agendi, quod charitati secundum substantiam repugnet; seu stat voluntas seruandi præceptum charitatis prout obligat ad mortale. Sed tamen talis voluntas est peccatum veniale, quia est voluntas non obseruandi perfecte præceptum charitatis, & non potest negari quin talis voluntas non sit dispositio ad mortale, quamuis non sit dispositio proxima, quia in tali voluntate bonum intur etiam voluntas abstinendi ab omni eo, quod sit proxima dispositio ad mortale, scilicet vitandi pericula ad quod vitandum ea lege obligante ad mortale tenetur.

39 Hinc etiam est, quod in particulari nolle operari illud melius, quod homo potest, omnibus pensatis, est quidam contemptus materialis præcepti charitatis, sed non est peccatum mortale, nisi adsit præceptum operandi illud melius.

40 Sequitur etiam ex hac doctrina D. Thom. quod non est liberum homini non sequi Dei consilia in singulari, licet liberum sit non sequi Dei consilia in genere. Quia consilia Dei in singulari sunt de eo, quod homini secundum statum suum hic & nunc est melius. Ad vero, iuxta D. Thom. sen-

sententiam quilibet tenetur facere quidquid melius potest secundum statum suum. Non vero tenetur sequi consilia in genere, quia stat quod melius ex genere non sit conforme huic; immo sit illi quodammodo impossibile.

41 Iterum vero ex his colligitur id, quod supra q. 184. a. 3. num. 10 dictum fuit, scilicet quod libertas nostra libera ab obligatione omnimoda præcepti non respicit operationem bonam & eius exercitium, quia nisi impediti tenemur, & semper operari, & nunquam operari malum, sed liberi sumus ad determinate operandum hoc vel illud bonum ex genere; sed neque in hoc adeo liberi sumus, vt in particulari non teneamur ad illud determinate, quod omnibus pensatis nobis hic & nunc secundum statum nostrum est melius. Et hæc obligatio ex duplici capite oritur nimirum ex præcepto diligendi Deum, & diligendi nos ipsos: charitas enim obligat nos ad diligendum Deum, & nos & ideo ad operandum propter Deum; & nos tantum quantum possumus.

42. Ex his verò explicatur id, quod D. Th. in corpore dixit ibi. *Tenetur vt ad ea impléda tendat, cōtra quod facit contemnens, vnde nō peccat, si ea prætermittat, sed si ea cōtemnat.* Hæc enim propositio si loquamur de peccato nedum mortali sed veniali debet intelligi, nedum de contemptu formali, sed etiā de materiali, & quatenus negligere quoddam contemnere est. Et quamuis negligentia non sit peccatum mortale, nisi negligatur, quod est de necessitate salutis, vel quod negligitur, ex contemptu negligatur; tamen secundum se saltem est veniale peccatum, & ita quod minus amare Deum ex negligentia sit peccatum veniale docet D. Thom. *sup. quæst. 54. a. 3. ad 1.* & ita non est peccatum mortale si homo minus amat Deum, nisi hoc faciat ex contemptu formali, est tamen peccatum veniale si id proueniat ex negligentia, quod contingit quando homo proxime potens operari id, quod sibi est melius & diligere Deum perfectius, id facere negligit non quia non possit, sed quia non vult.

43 Quia ex quo Religiosus tenetur contendere ad perfectionem secundum regulam, tenetur remouere id, quod impedit perfectionis acquisitionem secundum regulam. Hoc autem est omne illud, quod impedit acquisitionem perfectionis absolute, sine qua nec esse potest perfectio intenta secundum regulam: contemptus vero consiliorum & quodlibet peccatum contra legem Dei impedit perfectionem absolute. Ideo in religioso contemptus consiliorum est peccatum grauius, iuxta dicenda infra art. 9.

44 Sed de materia omissionis ex contemptu iterum erit sermo infra *art.* 9. Interim aduertendum, quod contemptus consiliorum Dei potest esse coniunctus cum heresi & ex ea prouenire: Vt si quis parui pendat diuinum consilium ex eo quod iudicet, quod Deus vel non sciat, vel non possit, idque non sit tantus, vt consilium dare possit; vel ex eo, quod iudicet ea, quæ consuluntur, parui pendenda esse tanquam opera vel mala, vel non meliora & parui facienda. Contemptus tamen consiliorum Dei licet non sit inobedientia formaliter; est aliquid simile, & est negatio reuerentiæ debitæ Deo vt Magistro, amico, & directori, & Patri. Quod vero Valentia hic [illegible] dicat contingere, contemni præcepta vel per inobedientiam, vel per superbiam, vel per irreligiositatem, non probatur disiunctiua. Quia contemptus præcepti formaliter essētialiter semper est inobedientia, & semper est ex superbia, & ex quadam irreligiositate. Quod etiam dicis 2. *Respondeo*, quia scilicet contemptus consiliorum aliquorum potest stare in Religioso (licet non secundum rectam rationem) cum intentione perfectionis, quia non tenetur intendere perfectionem nisi secundum regulam; non bene dicitur.

SVMMARIVM.

1. *Consiliorum alia substantialia alia accidentalia. num. 45.*

45 IN hac responsione ad tertium habetur distinctio consiliorum, quorum quædam sūt de essentia religiosi status, & hęc sūt sine quibus vita religiosorum manerec implicata negotijs sæcularibus de quibus consilijs tractatur in sequentibus articulis. Alia vero sunt consilia magis particularia, quæ prætermitti possunt absque eo, quod Religiosus sit de mundo, & sit obstrictus mundi negotijs; & huiusmodi consilia non sunt statui religioso necessaria. Quod nec absolute dicitur, sed solùm asseritur quod non omnia sunt necessaria; & ita nec sine aliquibus illis est status religiosus, licet sine aliquibus consistat, vt etiam supradictum est.

ARTICVLVS III.

Vtrum paupertas requiratur ad perfectionem religionis?

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod paupertas non requiratur ad perfectionem religionis. Non enim videtur ad statum perfectionis pertinere illud quod illicite fit. Sed quod homo omnia sua relinquat, videtur esse illicitum. Apostolus enim 2. ad Cor. 8. dat formam fidelibus eleemosynas faciendi, dicens, Si voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, id est, vt necessaria retineatis. Et postea subdit, Non enim vt alijs sit remissio, vobis autem tribulatio; glossa, id est paupertas. Et super illud 1. ad Timoth. 6. Habentes alimenta & quibus tegamur: dicit glossa, etsi nihil intulerimus vel ablaturi simus, non tamen omnino abijcienda sunt hæc temporalia. Ergo videtur, quod voluntaria paupertas non requiratur ad perfectionem religionis. Infra quæst. & a. 1. [illegible] op. 18 c. 7. & 8. gl. interl. ibid.

2. Præterea, Quicumque se exponit periculo, peccat. Sed ille qui omnibus suis relictis, voluntariam paupertatem sectatur, exponit se periculo: & spirituali, secundum illud Prou. 30. Ne forte egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei; & Ecclesi. 27. Propter inopiam multi deliquerunt: & etiam corporali. Dicitur enim Eccl. 7. Sicut protegit sapientia, sic protegit, & pecunia: & Philos. dicit in 4. Ethic. quod videtur quædam perditio ipsius hominis esse corruptio diuitiarum, quia per has homo viuit. Ergo videtur, quod voluntaria paupertas non requiratur ad perfectionem religiosæ vitæ.

c. 1. paulo à prin. to. 5.

3. Præterea, Virtus in medio consistit, vt dicitur in 2. Ethic. Sed ille, qui omnia dimittit per voluntariam paupertatem, non videtur in medio consistere, sed magis in extremo. Ergo non agit virtuose. Et ita hoc non pertinet ad vitæ perfectionem.

c. 6. to. 5.

4. Præterea, Vltima perfectio hominis in beatitudine consistit. Sed diuitiæ conferunt ad beatitudinem. Dicitur enim Ecclesi. 13. Beatus diues qui inuentus est sine macula, & Philosoph. dicit in 1. Ethic. quod organicæ diuitiæ deseruiunt ad felicitatem. Ergo voluntaria paupertas non requiritur ad perfectionem religionis.

c. 8. circ. fi. ... to. 5.

5. Præterea, Status Episcoporum est perfectior, quam status religionis. Sed Episcopi possunt proprium habere, vt supra habitum est. Ergo & religiosi.

q. præced. ar. tic. 6.

6. Præterea, Dare eleemosynam, est opus maxime Deo acceptum: & sicut Chrys. dicit, medicamentum, quod maxime in pœnitentia operatur. Sed paupertas excludit eleemosynarum largitionem. Ergo videtur, quod paupertas ad perfectionem religionis non pertineat.

Hom. 9. in 1 c. 6. ad Heb. post me. to. 3.

Sed contra est, quod Greg. dicit 8. Moral. Sunt nonnulli iustorum, qui ad comprehendendum culmen perfectionis accincti, dum altiora interius appetunt, exterius cuncta derelinquunt. Sed accingi ad comprehendendum culmen perfectionis, proprie pertinet ad religiosos, vt dictum † est. Ergo eis competit, vt per voluntariam paupertatem cuncta exterius derelinquant.

c. 17. declinando ad fi. — a. 1. & 2.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, status religionis est quoddam exercitium, & disciplina, per quam peruenitur ad perfectionem charitatis. Ad quod quidem necessarium est, quod aliquis affectum suum totaliter abstrahat à rebus mundanis. Dicit enim Augu. in 10. Confess. ad Deum loquens, Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Vnde & in lib. 83. †, qq. dicit August. quod nutrimentum charitatis est imminutio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas. Ex hoc autem quod aliquis res mundanas possidet, allicitur animus eius ad earum amorem. Vnde Augustinus dicit in Epistola ad Paulinum & Therasiam, quod terrena diliguntur arctius adepta, quam concupita. Nam vnde iuuenis ille tristis discessit, nisi quia magnas diuitias habebat? Aliud est enim nolle incorporare quæ desunt, aliud iam incorporata diuellere. Illa enim velut extranea repudiantur, ista vero velut membra præsciduntur. Et Chrysost. dicit super Matth. quod appositio diuitiarum maiorem accendit flammam, & vehementior fit cupido. Et inde est quod ad perfectionem charitatis acquirendam primum fundamentum est voluntaria paupertas, vt aliquis absque proprio viuat, dicente Domino, Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.

art. præc. — c. 29. 1 me. tom. 4. q. 36. cir. prin. to. 4. — Epist. 34. à med. illius. to. 2. — ho. 64. in Matt. ante med. to. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut gloss. ibid. subdit, Non ideo dixit Apostol. scilicet, vt vobis non sit tribulatio, id est paupertas, quin melius esset omnia dare: sed infirmis timet deficere, quos sic dare monet, vt egestatem non patiantur. Vnde similiter etiam ex glossa alia non est intelligendum quod non liceat omnia temporalia abycere, sed quod hoc non ex necessitate requiritur. Vnde & Ambr. dicit in 1. de Offic. Dominus non vult (scilicet ex necessitate præcepti) simul effundi opes, sed dispensari: nisi forte, vt Helisæus boues suos occidit, & pauit pauperes ex eo quod habuit, vt nulla cura teneretur domestica.

gl. interlin. — c. 30. circa med. to. 4.

Ad secundum dicendum, quod ille qui omnia sua dimittit propter Christum, non exponit se periculo neque spirituali neque corporali. Spiritua-

le enim periculum ex paupertate proveniens, quando non est voluntaria: quia ex affectu congregandi pecunias, quem patiuntur illi, qui involuntarie sunt pauperes, incidit homo in multa peccata: secundum illud 1. ad Timoth. ultimo; qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli. Iste autem affectus deponitur ab his, qui voluntariam paupertatem sequuntur. Magis autem dominatur in his, qui divitias possident, ut ex praedictis patet. Corporale etiam periculum non imminet illis qui intentione sequendi Christum, omnia sua relinquunt, divinae providentiae se committentes. Unde Augustinus dicit in libro de Sermone Domini in monte, Quaerentibus primum regnum Dei, & iustitiam eius non debet subesse sollicitudo, ne necessaria desint.

Ad tertium dicendum, quod medium virtutis secundum Philosophum in 2. Eth. accipitur secundum rationem rectam, non secundum quantitatem rei. Et ideo quicquid potest fieri secundum rationem rectam, non est vitiosum ex magnitudine quantitatis, sed magis virtuosum. Esset autem praeter rationem rectam, si quis omnia sua consumeret per intemperantiam, vel absque utilitate. Est autem secundum rationem rectam, quod aliquis divitias abiiciat, ut contemplationi sapientiae vacet: quod etiam philosophi quidam leguntur fecisse. Dicit enim Hieron. in Epistola ad Paulinum, Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit: nec putavit se posse simul & virtutes & divitias possidere. Unde multo magis secundum rationem rectam est, ut homo omnia sua relinquat ad hoc, quod Christum perfecte sequatur. Unde Hieron. dicit in Epistola ad Rusticum monachum, Nudum Christum nudus sequere.

Ad quartum dicendum, quod duplex est beatitudo sive felicitas. Una quidem perfecta, quam expectamus in futura vita: alia vero imperfecta, secundum quam aliqui dicuntur in hac vita beati. Vitae autem praesentis felicitas est duplex. Una quidem secundum vitam activam: alia vero secundum vitam contemplativam: ut patet per Philos. in 10. Ethic. Ad felicitatem autem vitae activae, quae consistit in exterioribus operationibus, instrumentaliter divitiae coadiuvant: quia ut Phil. dicit in 10. Ethic. Multa operamur per amicos, per divitias, & per civilem potentiam, sicut per quaedam organa. Ad felicitatem autem contemplativae vitae non multum operantur, sed magis impediunt, inquantum sua sollicitudine impediunt animi quietem, quae maxime necessaria est contemplanti. Et hoc quod Philos. dicit in 10. Ethic. quod ad actiones multis opus est: Speculanti vero nullo talium, scilicet exteriorum bonorum ad operationem necessitas: sed impedimenta sunt ad speculationem.

Ad futuram vero beatitudinem ordinatur aliquis per charitatem. Et quia voluntaria paupertas est efficax exercitium perveniendi ad perfectam charitatem: ideo multum valet ad caelestem beatitudinem consequendam. Unde & Dominus Matt. 19. dicit, Vade, vende omnia quae habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in caelo. Divitiae autem habitae per se quidem natae sunt perfectionem charitatis impedire, principaliter alliciendo animum, & distrahendo. Unde dicitur Matth. 13. quod sollicitudo saeculi, & fallacia divitiarum, suffocat verbum Dei: quia ut Gregor. dicit, Dum bonum desiderium ad cor intrare non sinunt, quasi aditum flatus vitalis necant. Et ideo difficile est charitatem inter divitias conservare. Unde Dominus dicit Matth. 19. quod dives difficile intrabit in regnū caelorum. Quod quidem intelligendum est de eo, qui actu habet divitias. Nam de eo, qui affectum in divitiis ponit, dicit hoc esse impossibile secundū expositionem Chrysost. cum subdit, Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum. Et ideo non simpliciter dives dicitur esse beatus, sed qui inventus est sine macula, & post aurum non abiit. Et hoc ideo, quia rem difficilem fecit. Unde subditur, Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua: ut scilicet inter divitias positus, divitias non amaret.

Ad quintum dicendum, quod status Episcopalis non ordinatur ad perfectionem

Hom. 15. in Euang.

Hom. 64. in Matt.

nem adipiscendam, sed potius vt ex perfectione, quam quis habet, alios gubernet, non solum ministrando spiritualia, sed etiam temporalia: quod pertinet ad vitam actiuam, in qua multa operanda occurrunt instrumentaliter per diuitias, vt dictum est. Et ideo ab Episcopis, qui profitentur gubernationem gregis Christi, non exigitur vt propria careant, sicut exigitur a religiosis, qui profitentur disciplinam perfectionis acquirendæ.

In fol. ad 4. argum præc.

Ad sextum dicendum, quod abrenuntiatio propriarum diuitiarum comparatur ad eleemosynarum largitionem, sicut vniuersale ad particulare, & holocaustum ad sacrificium. Vnde Greger. † *dicit super Ezech. quod illi qui ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant, in bonis quæ faciunt, sacrificium offerunt: quia aliquid Deo immolant, & aliquid sibi reseruant. Qui vero nihil sibi reseruant, offerunt holocaustum, quod est maius sacrificio. Vnde etiam Hieron. contra Vigilantium dicit, Quod autem asseris eos melius facere, qui vtuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum suarum pauperibus diuidunt: non à me eis, sed à Deo respondebitur, Si vis perfectus esse, &c. Et postea subdit* †. *Iste quem tu laudas, secundus, & tertius gradus est, quem & nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis, & tertijs praferenda Et ideo ad excludendum errorem Vigilantij dicitur in libro de Ecclesiast. dogmatibus, Bonum est facultates cum dispẽsatione pauperibus erogare; melius est pro intentione sequendi Dominum insimul donare, & absolutum in solitudine cum Christo egere.*

† Ho.20.in med. & [illegible]illim.

nō multum remote à finc incipit hæc epist. Multa in urbe mōs istra, t 2.

† statim post verba citata.

c.71 habetur hic liber inter opera Augus. t. 3.

SVMMARIVM.

1 *Paupertas non est ad salutem necessaria. num.1, & 2.*
2 *Resolutio articuli. num.3.*
3 *Abstractio affectus à rebus est medium necessarium ad perfectionem. num.4.*
4 *Abstractio affectus à rebus non est in hoc, vt non amentur. num.5.*
5 *Abstractio affectus à rebus in puritate charitatis, num.6.*
6 *Finis* Religionis *perfecta vnio charitatis. num.6.*
7 *Perfectio charitatis difficilis inter diuitias. numer.7.*
8 *Diuitiæ possessæ vsurpant affectum, & sunt instrumentum omnium vitiorum. num.8.*
9 *Diuitiæ possessu sua[illegible] affectum ligant. num.9.*
10 *Diuitiæ sollicitudine distrahunt animum. num.10.*
11 *Nec sanctus diues sine magna difficultate fit perfectus. num.10.*
12 *Diuitiæ armant concupiscentiam. num.11.*

VNum supponit articuli titulus, scilicet paupertatem non esse de necessitate salutis, sed esse opus consilij, quod est certum de fide, licet oppositum eius tenuerint hæretici dicti Apostolici, & Pelagiani, vt habetur ex S. *Aug. Epist.89. & 106.* Et hæretici dicti Fraticelli docuerunt illicitum esse possidere aliquid vt proprium, quos damnauit Bonifac. VIII. vt patet ex *extrauag. 12. Sancta Romana.* De Iuliano etiam Apostata refert *Iulian. orat. 2. in Iulianum*, cum statuisse ne Christianis daretur actio ad se defendendum, & bona sua, quia eis in Euangelio præceptum sit, vt nihil possideant.

2 De fide tamen est paupertatem non esse necessariam Christiano ad vitam æternam. Quod & docuerunt *Basil. de inst. monach. ser. 1. Chris.* in locum Pauli ad Roman. *Salutate Priscam, & Aquilam. Hier. ad Heliod. epis.1.* Et ad *Hedib. epis. 150. quæst.1. & ad Pamac. epis.26. Aug. epis.89. ad Hilarium. Petr. Damian. epis.12. cap.3.* Et hoc idem vsus ipse Ecclesiæ ab Adamo ferè vsque ad tempus præsens confirmat. Nam & antiqui Patres Abel, Abraham, Israel, Iacob, Iob, Dauid, Salomon diuites fuerunt, habueruntque dominium tam rerum mobilium, & se mouentium, quam immobilium, quod idem apparet de tot Regibus, & viris nobilibus noui testamenti. Sed & septimum præceptum Decalogi ad legem naturæ spectans est prohibitio furti, quod dominium rerum supponit, cum sit ablatio iniusta rei alienæ domino inuito. Ex quo clarè patet dominium non esse illicitum, & contra naturæ legem, iustèque ex iure gentium institutam esse diuisionem bonorum, & eorum dominium Sed neque ex lege positiua Christi hoc dominium est prohibitum, nullibi enim lex ista inuenitur. Sed quod dicitur Matth. 19. *Facilius est Camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum*, Solam difficultatem annunciat spectata infirmitate naturæ, quam tamen gratia tollit, vnde Christus ipse subdidit, *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt*. Significans per gratiam Dei etiam diuites saluari, vt notarunt *August. epis.89. q.4. & Nazianz. orat. 26.* Et quod magis est Christus ibidem apertè docuerat diuitem seruando mãdata posse saluari; Nam iuueni illi diuiti petenti, quid facere deberet, vt saluus esset, dixit. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata*. Et solum ad maiorem perfectionem vitę dixit esse necessariam paupertatem, dum subdidit. *Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Similiter illud Lucæ 14. *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Non continet præceptum, nec loquitur de quocumque discipulatu Christi, sed explicat medium vtile, immò necessarium ad illum specialem discipulatum, qui est proprius eorum, qui sunt perfecti in moribus, & virtutibus. Tanquam certum igitur supponitur paupertatem non esse de præcepto, sed de consi-

lio

lio absolutè loquendo ; quæritur verò an sit necessaria ad statum religiosæ perfectionis.

3 Resolutio est, paupertatem esse fundamentum primum acquirendæ perfectionis, quia diuitiæ possessæ abstrahunt animum a pura Dei dilectione.

4 Etenim hoc ad perfectionem charitatis summè necessarium est, vt aliquis affectum suum omnino abstrahat à rebus mundanis.

5 Non tamen in hoc consistit hæc abstractio amoris a rebus mundanis, vt nullo modo res mundanæ amentur, quia cum nos ipsos amare debeamus, qui rebus mundanis ad honestam vitam indigemus, non possumus non amare res mundanas, ex charitate, qua nos diligimus. Immò cum res mundanæ & ad publicam vtilitatem cõducant, & in Dei cultum assumantur, ex reipublicæ amore, & Dei charitate eas diligere debemus. Et neque malæ sunt diuitiæ, vt amari non possint & possideri. *Nam benedictio Domini diuites facit. Prou.* 10. & vt dixit *Ambr.lib.3. Epis.25. ad Vercellensem Ecclesiam. Sed nec ipsæ diuitiæ vituperabiles. Denique redemptio animæ viri diuitiæ eius: quoniam qui pauperi donat, redimit animam. Est ergo & in his materialibus diuitijs virtuti locus.* Et idem *Ambr. lib.8.in c.18.Luc.* expendens illud, *& ecce vir nomine Zacchæus, & hic Princeps erat publicanorum & ipse diues,* subdidit. *Quis iam de se desperet, quando & iste cui census ex fraude, ad salutem peruenit? Et ipse diues. Vt scias non omnes diuites auaros: & discant diuites non in facultatibus crimen habere, sed in ijs, qui vti nesciunt facultatibus. Nam diuitiæ vt impedimenta improbis, ita bonis sunt adiumenta virtutis.* Sicuti fuerunt tot sanctis diuitibus, Principibus, Regibus tam in veteri, quàm in nouo testamento, qui diuitias possederunt, & auxerunt, quod non fecissent, nisi diuitias amassent. Non ergo abstractio affectus à terrenis consistit in hoc quòd terrena non possideantur, & non amentur.

6 Sed in hoc puritas diuini amoris est reposita, prout *S.Aug.l.10.Confes.c.19.* dixit, vt nihil cum Deo amemus, nimirum, quòd nihil amemus, quod non propter Deum diligamus, & sic nihil amandum nisi ex charitate, quæ Deum propter se ipsum amat, & nihil aliud cum Deo amat, quia nihil omnino amat, quod propter Deum & ex Dei amore non amet, vt ex S. Augus. citato in textu à D. Thom. constat. Vnde in hoc est positum culmen perfectionis vitæ, vt nulla in homine inueniatur cupiditas, omneque hominis desiderium sit pura charitas. Et hic est finis ad quem religiosa professio ordinatur, vt tandem Religiosi mens per veri amoris puritatem Deo vnita sit, ita vt eius voluntas non sit nisi pura charitas dulcissime illi vniens Deo. Ideo vt dicebatur *art.p.ex S.Dyonis.de Ecclesi. Hierarch.c.6. nomen monachi* desumitur ab hoc nomine *monas*, quod significat vnitatem, quia finis eius professionis est, vt per amorem sincerum omnino vniatur cum Deo, fiatque veluti Deus immobilis in bono, qui nec inter secunda superbiat, nec inter aduersa deficiat, quod placet Deo, & illi placeat, & de omni mensura donorum eius vnicè gaudeat.

7 Sed vt tanta affectus abdicatio, & pura sinceritas habeatur inter mundi diuitias, hoc opus, hic labor est. Bene hic locum habet illud Christi. *Luc.18.16. quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt.* Nisi enim specialis Dei gratia diuitem iugiter illuminet, & dirigat in omne genus vitij trahitur; Nã vt de Epulone dixit *Chrysolog.serm.22. Diuitem extulit purpura ad superbiam, byssus ad luxum, ad inhumanitatem copia, abundantia ad impietatem, vnguenta ad marcorem, ad cæcitatem splendor, sublimitas ad ruinam.* Et propterea adnotauit *S.S.Io: Damas.In historia Barlaam ca.15.* quòd præfatis Christi domini verbis auditis, *sancti omnes id studuerunt, vt ab huiusmodi opum difficultate se abstraherent, ac per largitionem erga pauperes dispersis omnibus facultatibus, sempiternisque diuitijs sibi ipsis reconditis crucem sustulerunt, Christumque secuti sunt.*

8 Ratio autem à priori quare difficile sit inter diuitias perfectionem diuini amoris obtinere, & illum conseruare, & augere est, quia diuitiæ possessæ alliciunt voluntatem ad earum amorem, nimirum ad augendas illas propter se ipsas, & non purè propter Deum. Vnde est Augustini sententia Epis.43. quòd terrena diliguntur arctiùs adepta, quàm concupita. Quod experimento comprobauit iuuenis ille Euangelicus alias iustus, qui audito illo verbo Christi, *si vis perfectus esse vade vende omnia quæ habes &c. abijt tristis.* Ratio autem istius amoris est, quia res terrenæ & sunt necessariæ ad conseruandam vitam honestè, & aliàs sunt instrumenta vtilia ad omne id, quod magis sensum delectare possit. Nam & verum est illud sapientis *Eccles.10. Pecuniæ obediunt omnia*, & propterea experimus diuitias secum ferre omnipotentiam quãdam ad agendum quidquid magis sensualitati cõplaceat, vnde etiam afferunt excellentiam quandam & supereminentiam supra alios, vt eis vtantur in seruos, ac propterea sunt ad omnia vitia fomentum. Sunt ergo impedimentum ad perfectionem obtinendam primò & essentialiter, quia ob eorum maximam vtilitatem alliciunt voluntatem ad sui amorem.

9 Et hoc arctiùs faciunt adeptæ quàm concupitæ, quia experientia vtilitatis, quam afferunt, & conditio ipsa possessionis boni, & commoditatis vt habitæ, & vt possessæ tanquam propriæ habet vim ad arctiùs ligandum voluntatẽ. Quod elegantissimè descripsit *S. Cyprian.l.de lapsis*, sic dicens: *Decepit multos patrimonij sui amor cæcus, nec ad recedendum parati, aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ velut compedes ligauerunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ, quibus & virtus retardata est, & fides pressa, & mens victa, & anima præclusa, vt serpenti terram secundùm Dei sententiam deuoranti, præda, & cibus fierent, qui terrestribus inhærerent. Et idcirco Dominus bonorum magister, & præmonens in futurum: Si vis, inquit, perfectus esse, vade, vende, omnia tua, & dà pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni sequere me. Si hoc diuites facerent, per diuitias suas non perirent; thesaurum in cælo reponentes, hostem nunc, & expugnatorem domesticum non haberent; esset in cælo cor, & animus & sensus, si thesaurus esset in cælo. Nec vinci à seculo posset, qui vnde vinceretur in seculo non haberet: sequeretur Dominum solutus vt liber, vt Apostoli, & sub Apostolis multi & nonnulli sæpe fecerunt, qui & rebus suis, & parentibus derelictis, indiuiduis Christo nexibus adhæserunt. Sequi autem*

Christum quomodo possunt, qui patrimonij vinculo detinentur? Aut quomodo Cœlum petant, & ad sublimia, & alta conscendunt, qui terrenis cupiditatibus degrauantur? Possidere se credunt, qui potiùs possidentur, censûs sui serui, nec ad pecuniam suam sunt domini, sed magis petuniæ mancipati. Econtra verò solutus à diuitijs, & vt dixit Antiochus hom. 89. de inopia, *qui nullum possidet peculium monachus aquila est altiuola.*

10 Secundò autem diuitiarum possessarum amore supposito intrat solicitudo illas custodiendi, & augendi, quæ abstrahit animum valde à contemplatione diuinorum, & ab illis, quæ necessaria sunt ad fouendam in nobis, & augendam charitatem. Et hoc quoque pulcherimè demonstrauit, *Cyprianus lib. 2. Epist. 2. ad Donatum. Sed & quos, inquit, diuites opinaris continuantes saltibus saltus, & de confinio pauperibus exclusis, infinita ac sine termino rura latiùs porrigentes &c: hos etiam inter diuitias suas trepidos cogitationis incerta solicitudo discruciat, ne prædo vastet, ne percussor infestet, ne inimica cuiusque locupletioris inuidia calumniosis litibus inquietet, non cibus securo, somnusue contingit, suspirat ille in conuiuio, bibat licet in gemma, & cum epulis marcidum corpus thorus mollior alto sinu condidit, vigilat in pluma: nec intelligit miser speciosa sibi esse supplicia, auro se alligatum teneri, & possideri magis, quàm possidere diuitias.* Quomodo autem totus erit in æternorum contemplatione, & Dei amore, quem terrenorum cura ita occupat, sollicitat, angit, & torquet? Bene ideo dictæ diuitiæ, quia diuidunt mentem. Scindunt enim animi cogitationes, diuidunt affectus, & maiori parte sibi vindicata, immò sæpius totum cor sibi vsurpant, nec locum, nec tempus relinquunt, vnde diues vel aliquando de Deo cogitet. De quo videri potest *Chrys. hom. 22. in Io: & hom. 13. in Act. Apost.* Et solum si diuitiæ speciali fauore Dei sint benedictæ liberæ sunt ab illa solicitudine, quæ animum distrahat, & à Deo reuocet. Quod argumentum latè explicat *S. Greg. l. 18. cap. 25.* Et nihilominùs S. Maximus hom. in festo S. Michaelis expendens illud Christi. *Matt. 19. Si vis perfectus esse vade vende omnia, quæ habes &c.* dixit. *Vsque adeo enim nuda virtus apta cælo est, vt quamuis iustus, quamuis sanctus aurum vel diuitias possidens, non possit esse perfectus.* Quia nimirum sine singulari Dei dono etiam sanctis viris mandata Dei custodientibus impossibile sit vitæ spiritualis obtinere perfectionem. Vnde summum Dei beneficium est Religiosa paupertas, quod agnouit Orsiesis, lib. de instit. monasticis. *Magnam nobis, inquit, Deus præstitit gratiam per Patrem nostrum Pachumium, vt renunciaremus sæculo, & omnem solicitudinem mundi, vt curas rerum secularium pro nihilo duceremus.* Quod & agnouit Macharius Aegyptius. hom. 11. Nam rerum mundanarum sollicitudo & aures cordis obturat, ne documenta cælestia percipiat, iuxta illud Christi Matt. 13. *Solicitudo seculi huius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur.*

11 Tertiò diuitiorum possessio armat concupiscentiam & facit eam ferè inuincibilem contra virtutem, Et præcipuè extollit animum in superbiam, & emollit ad libidinem, quia cuicumque desiderio sensuali satis explendo sternit viam. Lignum enim *offensionis,* inquit, Ambros. lib. de Nabuch. cap. 13. *Est aurum, & væ ijs, qui sectantur illud. Denique Eccles. 31. beatdicitur diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia, & thesauris. Sed quasi is cognitus esse non possit, eum sibi desiderat demonstrari: quis est hic? inquit, & laudabimus eum. Fecit enim, quod mirari magis quasi nouum, quàm quod quasi vsitatum recognoscere debeamus. Itaque qui in diuitijs potuerit comprobari, is verè perfectus & dignus est gloria. Qui potuit, inquit, transgredi, & non est transgressus: & facere mala, & non fecit.*

SVMMARIVM.

1 *Paupertas necessaria ad statum perfectionis. numer. 12.*
2 *Hoc hæretici negant. num. 13.*
3 *Probatur ex scripturis & PP. num. 14.*
4 *Paupertas est fundamentum status perfectionis. num. 15.*

12 EX ijs deducitur conclusio textus, & dicitur nedum quòd voluntaria paupertas sit necessaria ad perfectionis statum, seu ad acquirendam perfectionem, sed quòd perfectionis charitatis acquirendæ sit primum fundamentum. Et ratio est, quia diuitiarum voluntarius contemptus aufert funditus terrenarum rerum cupiditatem, quæ est ex directo opposita perfectioni.

13 Hanc tamen conclusionem hæretici aliqui negauerunt. Nam Vigilantius contra quem scripsit S. Hieronym. dicebat melius esse retinere diuitias, & eleemosynas facere, quàm illas penitus abijcere. Nostri autem temporis hæretici, vt videre est apud. *Bellarm. lib. 2. de monachis cap.* 8. duo asserunt. Primum quòd vouere paupertatem sit superstitiosum, secundum quòd illam assumere propter curā temporalium abijciendam sit vanum, & stultum, quia sufficit ferre paupertatem, quam infert necessitas, vel mundi cursus. Guillelmus etiam de S. Amore insignis hostis ordinum mendicantium dixit, vt referunt *Castro lib. 12. verb. paupertas hær. 3.* paupertatem in promptitudinem animi necessariam esse, sed actualem voluntariè assumptam nec bonam esse nec consulendam. Quidam quoque Desiderius apud *D. Th. lib. contra impug. relig. cap. 8.* mendicitatem reprobauit, admittens bonum esse vouere paupertatem in religione quæ in communi possideret bona, vel si vouens talis persona sit, quæ labore manuum sibi victum comparare queat, malum verò esse vouere pauperem mendicitatem. Horum verò hæreticorum fundamenta non alia sunt, quàm quæ adducit D. Th. in arg. huius artic. Econtra autem, vt referunt Castro, & Prateolus, alij adeo laudauerunt paupertatem, vt illa sola ad expianda peccata sufficeret, & ad consequendam æternam vitam.

14 Conclusionem tamen positam docuerunt Patres vnanimiter. *Clemens Alexand. lib. 2. Padag. cap. 3. Orig. hom. 16. in Gen. Macharius hom. 11. Basil. in reg. fusiùs disputatis interrog. 9. & in const. monast. cap. 19. Oriosiesis lib. de instit. monasticis Nazianz. orat. 16. Damasc. in vita Barlaam Cyprian. lib. de Lapsis Ambr. in c. 6. Lucæ Hier. ad Heliodorum Epist. 1. & ad Hebidiam Epist. 150. quæst. 1. Aug. Epist. 89. ad*

Hila-

Hilarium. Seuerus Sulpitius in vita S. Martini. cap. 26. Possidius in vita S. Aug. cap. 2. Sixtus Tertius Pontifex. Saluianus ad Ecclesiam Catholicam lib. 2. Gregorius Turonen. de gloria confessor. cap. 107. Greg. Magnus. hom. 18. in Ezech. Beda in cap. 10. Marci. Hugo Victor. in reg. S. Aug. cap. 1. D. Thom hic, & scholastici omnes, & habetur ex Euangelio. Matt. 5. Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum Cœlorum & Matt. 10. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam, & Lucæ 14. Omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet; non potest meus esse discipulus. Et Lucæ 18. & Matt. 19. Si vis perfectus esse, vade vende omnia, quæ possides & da pauperibus, & veni sequere me. Ex quibus locis assertionem positam deducunt sancti Patres omnes, & alij commentatores.

15 Quod verò inquit S. Thomas, nimirum, quòd paupertas sit fundamentum acquirendæ perfectionis, id priùs considerat Ambrosius ad illud. Lucæ 9. Beati pauperes &c. Primam, inquit, beaedictionem hanc vterque Euangelista posuit. Ordine enim primo est, & parens quadam generationque virtutum: quia qui contempserit secularia, ipse merebitur sempiterna. Nec potest quisquam meritum regni cælestis adipisci, qui mundi cupiditate pressus emergendi non habet facultatem. Qui ergo super nibilo terram firmauit, & sustentat Deus, etiam super nihilo paupertatis corda hominum tamquam templa in quibus vnicè colatur, & adoretur ad vsque Angelorum erigit sublimitatem.

SVMMARIVM.

1 Non tamen est ad salutem necessaria. num. 16.

16 IN responsione ad primum argumentum, habetur, quòd esse diuitem non est malum & quod paupertas non est ad salutem necessaria. Sed hoc supra num. 2. probatum est.

SVMMARIVM.

1 Paupertas coacta est peccatorum occasio. nu. 17.
2 Non diffidendum diuinæ prouidentiæ. nu. 18.
3 Illis tamen qui quærunt regnum Dei. nu. 19.

17 IN respons. ad secundum meritò aduertit D. Thom. distinctionem inter coactam, & voluntariam paupertatem. Nam illa occasio peccatorum est, quia retinet cupiditatem habendi, quæ est omnium malorum radix. Et vt dixit Hegesippus. l. 5. c. 15. Nulla est passio, quæ magis virtutem animi effeminet, quàm cupiditas diuitiarum. Sed ista quæ cupiditatem extinguit periculum peccandi tollit, & ad augendam charitatem disponit.

18 Potuisset autem argumentum ex parte solui dicendo, quòd in religione quæ habet proprium in communi, vel vbi ex labore acquiritur victus, subuenitur necessitati temporali quantùm sufficit. Sed non sic esset satisfactum argumento, quod vrget contra mendicantium paupertatem. Et quod soluitur ex eo, quòd Christus quærentibus Dei regnum promisit ea quæ ad vitam sunt necessaria, ita vt vetuerit eos de his solicitari. Circa quod digna vt semper mente retineantur sunt ponderationes S. Petri Chrysol. ad illa verba Luc. 12. considerate coruos, quia non seminant, neque metunt, quib. non est Cellarium, neque horreum & Deus pascit illos. Dubiam meritò infidelem, inquit Chrysol. ad ancipitem mittit amicam belli, furoris sociam, insaniatam sanguine, & in ipsos mortuos ferro grauiùs sauientem. Namque cessante gladio carnifex improbissimus exanime grassatur in corpus, laniat, dissipat, spargit, ne quid faueris inuentum quiet misericors sepultura commendet. Itaque Dominus exemplo tali exagerat dubitantis insaniam: qui putat Deum hoc pijs filijs denegaturum, quod impijs auibus subministrat: & existimat relinquentibus pro se patriam, domum, parentes, filios, coniuges, victus subsidia non daturum, qui nascenti indulsit crescere, terminauit corporis incrementum. O miseram, o tota infelicitate dignissimum, cui cum detur regnum, suspirat panem; cum perpetuitate donetur, deflet potum: cum immortalitatis gloria induatur, plangit corporis vestimentum.

19 Aduertendum verò, quòd huius diuinæ prouidentiæ charitas non omnibus ex libito, sed illis qui quærunt regnum Dei est promissa. Illi autem regnum Dei quærunt, qui mandata Dei custodiunt, ideo propter nullam temporalium solicitudinem transgredi debemus mandata, & securi esse debemus nullum instum relinqui a diuina prouidentia. Sed illi etiam quærunt Dei regnum, qui occupantur in aliqua spirituali exercitatione, vel aliorum saluti inseruiendo, vel propriæ perfectioni militando, & de reliquo se diuinæ prouidentiæ committunt. Qui verò eò mendicare volunt, quia laborare nolunt & potiùs otio marcescunt vitijs etiam abundantes non est cur in diuina prouidentia spem certam habeant.

SVMMARIVM.

1 Paupertas secundùm se non est virtus, sed instrumentum virtutis. num. 20.
2 Aliquando potest esse mala. num. 20.

20 ASsertio responsionis ad tertium est, quòd sit honestum, & rectè rationi conforme hominem relinquere omnia ad hoc, vt sequatur Christum. Hoc autem intelligitur, non quia paupertas secundùm se sit virtus, nam vt habet D. Th. 3. c. g. c. 133. Non paupertas secundùm se bona est, sed inquantùm liberat ab illis, quibus homo impeditur, quominùs spiritualibus intendat. Ideo ipsa est virtutis instrumentum, quo quisque per se, vel potest ex amore virtutis, sicuti fecit S. Alexius Romanus, & tot alij, qui paupertatem religiosam diuitijs, & regnis prætulerunt. Ideo bene dixit Ambros. l. 8. in cap. 16. Lucæ, quòd neque sancta omnis paupertas, aut diuitiæ criminosæ: sed vt luxuria infamat diuitias, ita paupertatem commendat sanctitas. Et propterea in indiuiduo, & attentis multis malis circumstantijs posset voluntaria paupertas esse mala, vt si mulier iuuenis extra monasterium degens, nec manibus victum sibi procurari valens, mendicitatem eligeret, quæ in illa esset periculum scandali sibi & alijs.

SVMMARIVM.

1 *Diuitiæ coadiuuant ad vitam actiuam. num.21.*
2 *Diuitiæ quietis contemplationis inimicæ. num.22.*
3 *Diuitiæ moderatæ, seu earum vsus iuuat ad contemplationem. num.23.*

21 IN responsione ad quartum, asseritur primò diuitias coadiuuare ad vitam actiuam, & non est dubium eas multùm deseruire ad opera misericordiæ corporalia, Sed quia nihilominùs sunt impedimento ad bonum vsum ipsarum, qui cum earum possessione, & amore est valde difficilis, & vlteriùs possunt impedire multas actiones morales meliores, & ad opera misericordiæ spiritualis spectantes, quia sollicitudo, & cura diuitiarum abstrahit ab hoc quod est incumbere alijs operibus, ideo diuitiæ non tam conferunt ad perfectionem vitæ actiuæ, quin eam etiam impediant. An verò dicendum sit, quòd pensatis omnibus etiam ad perfectionem vitæ actiuæ, plùs impediant, quàm iuuent, sicut affirmat *Suarez loc. cit. num.9.* non videtur omnino verum, quoniam in Episcopis non impediunt curam animarum, ad quam ipsi tenentur; Et quia quatenus reddunt difficilem bonum vsum temporalium, hoc directè respicit perfectionem charitatis absolutè; Cæterum diuites multùm prodesse possunt proximis quantùm sit ex diuitiarum conditione, vnde respectu ad vitam actiuam simpliciter loquendo non sunt impedimento nisi secundùm quid, vel per accidẽs quatenus sunt impedimento charitatis, vt est amor Dei, & potiùs ad vitam contemplatiuam spectat.

22 At econtra indicibile est quantum inimicas quietis ad contemplandum diuina, sit diuitiarum copia. Nam vt docet *S. Ambr. lib. de Nabuch. cap.6.* Homini satiato diuitijs non est, qui eum sinat dormire, excitat eum cupiditas, exagitat cura peruigil aliena rapiendi, torquet inuidia, mora vexat, sterilitas infæcunda prouentuum perturbat, sollicitat abundantia. Ideo ad fœlicitatem etiam in hac vita non parùm conducit paupertas. Quod expressit S. Basilius in constit. Monach. c.19. *Perfectissimam ergo* (inquit) *vitæ communionem illam appello, à qua priuata omnis rei cuiusque exclusa possessio est, & eliminata; item vnde dissensio omnis, ac perturbatio omnis, contentio omnis abest, & rixa: contraque vniuersa communia, animi, mentes, corpora, eaque quibuscumque necessariò ad victum, cultumque vtimur communis Deus, communis pietatis mercatura, communis salus, commun a certamina, communes labores, communia præmia, & certaminum exantlatorum corona, vbi multi vnus, & vnus non solus, sed in pluribus, Huic vitæ instituto, quid est tandem, quod iure æquiparari possit? Quid eo beatius? &c.* Sed & pulchrè cecinit, Nazianzen. carm. de Beatitudinibus.

Fœlix, qui mulsis iunctis non plurima versans
Distrahitur, pectus sed dedit omne Deo.
Fœlix, qui Christum fortunis omnibus emit,
Cunctorumque crucem, quam gerit, instar habet.

23 Bona temporalia moderata nihilominùs iuuant ad speculationem, quia alias necessitas procurandi necessaria abstrahit nós à speculatione, Verùm stant simul, quòd quis omnia relinquat propter Deum, & nihilominùs non impediatur à speculatione, si vel viuat inter eos, qui possident diuitias in communi, vel qui habent alios, qui laborent, quærant, & procurent necessaria ijs, qui speculationi incumbũt, vel qui proprio labore, aut mendicando breui tempore tantum acquirunt, quantum opus est ad sui pauperem sustẽtationem; Nam neque continuò est speculandum, sed aliquando agendum. Superflua verò diuitiarum copia tollens quietem, & serens sollicitudinem, augensque timorem impedit speculationem.

SVMMARIVM.

1 *Diuitiæ cur conueniant Episcopis. num.24. & 25.*

24 DVbium mouet Caietan. circa id, quod dicitur in textu, scilicet, quòd diuitiæ per se natæ sunt impedire perfectionem charitatis, Quomodo enim diuitiæ per se sunt impedimentum charitatis, si in Episcopu reperiuntur & status Episcopalis est status maximæ perfectionis? Respondet autem, quòd diuitiæ sunt de se impedimentum respectu hominum imperfectorum & respectu perfectionis acquirendæ; seu licet sint de se impedimentum tamen non sunt tale, quod aliàs respectu hominis perfectæ charitatis non sint instrumentum bene agendi. Considerandum igitur est diuitias de se impedire perfectionem charitatis, quatenus alliciunt animum ad se, & illum distrahunt, sed hoc non est tale impedimentum, quod per gratiam tolli non possit. Ideo nec est impedimentum, ob quod diuitiæ sint per se malæ, quia non necessitant ad malum, & per gratiam Dei possunt diuites, vti bene diuitijs, si volunt. Et vlteriùs supposita perfectione hominis, iam sunt instrumenta bonitatis, in Episcupo necessaria nedum, vt se nutriat, sed vt pauperes sustentet, sed de his in responsione ad quintum argumentum.

25 Duplex ratio redditur in respõsione ad quintum; vnde Episcupo non conueniat paupertas. Prima est, quia status Episcopalis non est accessiuus ad perfectionem, seu non est schola adipiscendæ perfectionis, sed est status perfectionis, vt potiùs ex perfectione quam habet, alios perficiat. Vbi interim notandum est illud aduerbium *potiùs*, ex quo habetur in quo sensu intelligi debeat, quòd status Episcopalis non est status propriæ perfectionis, vel vt loquitur *Caiet.* non est status accessiuus ad perfectionem sicuti est status Religiosus; quia scilicet hoc non debet intelligi absolutè, sed comparatiuè; quia absolutè status perfectionis ordinatur ad perfectionem assumentis statum, sed status Episcopalis dicitur status perfectionis *potiùs*, quia Episcopi est, quod ex propria perfectione alios perficiat, quia comparatiuè ad statum Religiosum est status alios perficiendi, quia pro medio ad propriam perfectionem assumit perficere plebem cuius est Episcopus. Quia ergo in Episcopo perfectio charitatis supponitur, ideo in eo non est tantum periculi, vt à diuitijs impediatur. *Et* sic hæc ratio magis probat, quòd diuitiæ Episcopo non disconueniant, quàm quod conueniant. Sed secunda ratio est præcipua; quia diuitiæ necessariæ sunt ad actus vitæ actiuæ proprios Episcopo, scilicet ad hoc vt Episcopus curam habeat pauperum, viduarum,

rum, pupillorum, miniſtrando eis nedum ſpiritualia, ſed temporalia. Quæ nihilominùs quantum illis impedimenti præſtent ad charitatis propriæ perfectionem augendam, immò & conſeruandam ipſimet, qui experiuntur, id referant. Aliàs verò non defuerunt, nec deſunt ſanctiſſimi Epiſcopi, dignè diuitijs ad Dei gloriam, Eccleſiæ decorem, & pauperum ſolamen vtentes. Sed iſtos benedictio Dei diuites fecit, quæ copiam diuitiarum contulit, & æſtum cupiditatum extinxit. Et ſic de horum quolibet dici poteſt, quòd ad Abrahami laudem protulit S. Petrus Chryſol. ſerm. 121. *Abraham*, inquit, *non ſibi, ſed pauperi diues fuit, & opes non habere, ſed prorogare geſtiuit, magis mergiſq; in ſinu pauperis, quàm in horreis recondere ſuas ſtuduit facultates.*

SVMMARIVM.

1 *Melius diuitias relinquere propter Deum, quam illos retinendo eleemoſynas facere. num. 26.*

26 IN reſponſione ad ſextum, D. Tho. oſtendit melius eſſe omnia renunciare, quàm illa retinere, & ex eis eleemoſynas facere; hoc enim, vt optimè arguit Hier. in textu citatus contra Vigilant. demonſtrat Chriſtus Dominus noſter, qui dicit Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum perpetua continentia requiratur ad perfectionem Religionis?

Su. q. 88. art. 11. co. fin. & op. 18. c. 9. & op. 19. c. 9. & in prolo. ſu. 10. li. 2. co. 2.

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod perpetua continentia non requiratur ad perfectionem religionis. Omnis enim vita Chriſtiana perfectio ab Apoſtolis Chriſti cœpit. Sed Apoſtoli continentiam non videntur ſeruaſſe, vt patet de Petro, qui ſocrum legitur habuiſſe, Matth. 8. Ergo videtur, quod ad perfectionem religionis non requiratur perpetua continentia.

2. Præterea, Primum perfectionis exemplar nobis in Abraham oſtenditur, cui Dominus dixit Geneſ. 17. Ambula coram me, & eſto perfectus. Sed exemplatum non oportet quod excedat exemplar. Ergo non requiritur ad perfectionem religionis perpetua continentia.

3. Præterea, Illud quod requiritur ad perfectionem religionis, in omni religione inuenitur. Sunt autem aliqui religioſi, qui vxoribus vtuntur. Non ergo religionis perfectio exigit perpetuam continentiam.

Sed contra eſt, quod Apoſtolus 2. ad Corinth. 7. dicit, Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem noſtram in timore Dei. Sed mundities carnis, & ſpiritus conſeruatur per continentiam. Dicitur enim 1. Cor. 7. Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta, & corpore & ſpiritu. Ergo perfectio religionis requirit continentiam.

Reſpondeo dicendum, quod ad ſtatum religionis requiritur ſubtractio eorum, per quæ homo impeditur, ne feratur totaliter in Dei ſeruitium. Vſus autem carnalis copulæ retrahit animum ne totaliter feratur in Dei ſeruitium, dupliciter. Vno modo, propter vehementiam delectationis, ex cuius frequenti experientia augetur concupiſcentia: vt etiam Philoſophus dicit in 3. Ethic. Et inde eſt, quod c. 12. & vſus venereorum retrahit animum ab illa perfecta intentione tendendi in Deum. Et hoc eſt quod Auguſt. dicit cap. 10 ante med. to. 1. in 1. Soliloquiorum, Nihil eſſe ſentio, quod magis ex arce deijciat animum virilem, quam blandimenta fœminea, corporumque ille contactus, ſine quo vxor haberi non poteſt. Alio modo propter ſolicitudinem, quam ingerit homini de gubernatione vxoris, filiorum, & rerum temporalium, quæ ad eorum ſuſtentationem ſufficiant. Vnde Apoſt. dicit, quod qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt Domini, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, & quomodo placeat vxori. Et ideo continentia perpetua requiritur ad perfectionem religionis, ſicut & voluntaria paupertas. Vnde ſicut damnatus eſt Vigilantius, qui adæquauit diuitias paupertati: ita damnatus eſt Iouinianus, qui adæquauit matrimonium virginitati.

Ad primum ergo dicendum, quod perfectio non ſolum paupertatis, ſed etiam continentiæ, introducta eſt per Chriſtum, qui dicit Matth. 19. Sunt eunuchi qui caſtrauerunt ſeipſos propter regnum cælorum. Et poſtea ſubdit, Qui poteſt capere, capiat. Et ne alicui ſpes perueniendi ad perfectionem

nem solleretur, assumpsit ad perfectionis statum etiam illos, quos inuenit matrimonio iunctos. Non autem poterat absque iniuria fieri, quod viri vxores desererent, sicut absque iniuria fiebat, quod omnes diuitias relinquerent. Et ideo Petrum quem inuenit matrimonio iunctum, non separauit ab vxore: Ioannem tamen volentem nubere, à nuptijs reuocauit.

c. 21 inter. prin. & med. to. 6.

Ad secundum dicendum, quod sicut Aug. dicit in lib. de Bono coniugali, Melior est castitas cælibum, quam castitas nuptiarum: quarum Abraham vnam habebat in vsu, ambas in habitu: caste quippe coniugaliter vixit. Esse autem castus sine coniugio potuit, sed tunc non oportuit. Nec tamen quia antiqui patres perfectionem animi simul cum diuitijs, & matrimonio habuerunt, quod ad magnitudinem virtutis pertinebat propter hoc infirmiores quique debent præsumere se tantæ esse virtutis, vt cum diuitijs, & matrimonio possint ad perfectionem peruenire: sicut nec aliquis præsumit hostes inermis inuadere, quia Sampson cum mandibula asini multos hostium peremit. Nam illi patres, si tempus fuisset continentiæ, & paupertatis seruandæ, studiosius hoc implessent.

Ad tertium dicendum, quod illi modi viuendi, secundum quos homines matrimonio vtuntur, non sunt simpliciter, & absolute loquendo, religiones, sed secundum quid: in quantum scilicet in aliquo participant quædam quæ ad statum religionis pertinent.

SVMMARIVM

1 *Confutantur qui matrimonium malum esse dixerunt. num 1.*
2 *Resolutio articuli. num. 1.*
3 *Continentia perpetua necessaria ad statum perfectionis. num. 3.*
4 *Qualiter multiplicatio hominum sit in præcepto. num. 3.*
5 *Ex causa conseruandi speciem præceptum generandi nullum determinate obligat. num. 4.*
6 *Præceptum propagationis speciei non est determinatum ad tempus, & personas, sed relictum prudentiæ hominum. num. 5.*
7 *Vagus concubitus illicitus, non vero illicita virginitas. num. 6.*
8 *Materialia indiuidua determinata non sunt de perfectione vniuersi. num. 6.*
9 *Qui virginitatem reprehenderunt. num. 7.*
10 *De fide est virginitatem esse laudabilem. num. 8.*

1 Hic quoque articulus supponit perpetuam continentiam non esse ad salutem necessariam, sed esse de consilio. Quàmuis verò hanc perpetuæ continentiæ necessitatem asserentes matrimonium dānauerint Encratitæ, qui ex saturnino, & marcione errorem hauserunt, vt constat ex *Irea. l. 1. c. 30. Epiph. hær. 46. Euseb. l. 4. Histor. cap. 25.* In quo errore fuerunt etiam Apostolici, vt habetur ex *Aug. de hæres. c. 4. Epiphan. hær. 61. D. Th. 3. c. gētes. c. 127.* tamen huius imaginationis fatuitas inde manifestè colligitur, quòd humanum genus perijsset in Adamo, si matrimonium non fuisset. Et apertè Christus in Euangelio matrimonium insolubile docuit, dum dixit Matt. 19. *Quos Deus coniunxit homo non separet*, & præsentia sua nuptias sanctificauit, in Cana galileæ: *Io: cap. 2.* Tanquam ergo certum supponitur perpetuam continentiam non esse ad salutem necessariam, & hoc supposito quæritur, an requiratur ad statum perfectionis, quod quidem negauerunt multi, quos infra recensebo ad finem corp. articuli.

2 Perpetuam continentiam requiri ad perfectionem ex hoc probat D. Thom. quia vsus matrimonij retrahit animum ne totaliter feratur in Deum, & augendo concupiscentiam, & addendo curam & solicitudinem temporalium propter curam vxoris, & filiorum.

3 Est ergo conclusio textus, in qua asseritur necessitas perpetuæ continentiæ ad statum religiosæ perfectionis. Posset verò obijci, quòd perpetua continentia sit mala, quia contra illud præceptum Dei. Gen. *Crescite & multiplicamini & replete terram.* Sed virginitas ab omni gente etiam tempore idololatriæ laudata, ostendit eam non esse de se malam. Quanto enim in pretio habita fuerit virginitas etiam apud Gentiles videri potest ex *Hier. lib. p. c. Iouin. Tertull. lib. p. ad vxorem, c. 6. & lib. de præscrip. hæret. c. 40.* Nam quod etiam in veteri lege multi & præcipuè, qui viam perfectionis colebant virginitatem amplexi sint, tradit Ioseph, & post eum *Baron. tom. 1. an. 57. num. 56. & an. 93. num. 8.* Verba autem illa *Gen. 1.* diuersimodè explicantur, & primò dicitur, ea non continere præceptum, sed benedictionem fœcunditatis, & approbationem nuptiarum, vt habetur ex *S. Aug. lib. 2. de peccat. orig. c. 15. & lib. 3. Gen. ad lit. c. 13. & Chrys. hom. 10. in Genes.* Vel si continent præceptum, vt indicare videtur *S. Cyprian. lib. de habitu virg. circa finem, & Hier. lib. cont. Iouin. & lib. contra Heluid.* continent præceptum naturale affirmatiuum non obligās ad semper, neque singulos homines, & cuius determinatio prudentiæ hominum est remissa.

4 Est enim aduertendum, procreationem filiorum per se posse indicari necessariam, vel ad conseruandam speciem, vel ad eam propagandam, & multiplicandam. Primus titulus est præcisus, & necessitatem matrimonij infert, & generationis, sed non in singulis hominibus, neque semper. Sed quantum opus est, ne species pereat. Vnde hæc obligatio strictè sumpta fuit in Adamo, cæterùm procreatis iam pluribus hominibus, & supposita inclinatione vehementi naturæ ad actum generationis,

tionis, iam hoc præceptum nullum in singulari determinatè obligabat, quia non erat defutura generatio etiam si hic, vel ille a coniugio abstinuisset. Et ita ex causa speciem conseruandi præceptum generandi filios non obligat determinate aliquem, sed cum ex naturali inclinatione plures generationi incumbant, alij liberi relinquuntur.

5 Quatenus verò procreatio filiorum est necessaria ad propagationem speciei, sic ea ea est necessarium matrimonium & eius vsus, sed hoc præceptum non est ea natura sua determinatum ad tempus, & ad personas, sed est humanæ prudentiæ relictum. Nam nec ratio dictat, vt tale præceptum daretur vt determinatum ad singulos homines, & ad omne tempus, & respectu omnis augmenti filiorum possibilis; quia & hoc augmentum est possibile in infinitum, nec cadit per se sub intentione, quia incertum, & vagum, & indeterminatum, nec Deus facit quidquid fieri potest. Ideo talis ac tanta propagatio est necessaria quanta opus est ad speciem ipsam, vt dicatur & sit simpliciter propagata, ad quem finem in effectu consequendum sufficit illa naturæ inclinatio, quæ nobis insita est, relicta libertate hominibus abstinendi a filiorum procreatione ex fine honesto. Ideo & ex hoc titulo obligatio generationis filiorum determinatè in hominibus mansit ab Adamo post aliquod tempus, vsquequò species fuit sufficienter multiplicata, post quod tempus tam apud fideles, quàm apud idololatras qui arctiùs sanctitatem & religionem, vel veram, vel falsam colere voluerunt, virginitatem vt medium ad id assequendum elegerunt.

6 Sed nunquid non est damnum prolis nasciturræ abstinere a matrimonio? Nam & propter hanc causam concubitus vagus, vel non habitus modo apto ad generationem, vel cum muliere menstruata est illicitus, quia est contra bonum prolis. Respondetur, aliam esse necessitatem agendi, quantum ad exercitium, seu absolutam, & quantùm ad specificationē seu conditionatam. Multiplicatio indiuiduorū materialis cum sit infinita, & indeterminata, & nō formalis, sed materialis, nō est de perfectione vniuersi, Ideo nec per se, nec ratione speciei est necessaria nisi sub aliqua determinatione. Ideo nullus tenetur absolutè ad exercitium generationis ad hoc vt fit illud singulare quod esset si Pater generaret; quia singulare materiale non cadit per se sub intentione naturæ. Neque ex hoc quòd aliquod est factibile oritur statim necessitas agens ad agendum, aliter Deus teneretur ad omne factibile. Sed supposito quod causa velit causare iam intrat debitum agendi tale quale actio ipsa & illius honestas requirit. Et sic Deus tenetur in agendo non discedere a regula suæ sapientiæ. Et homo si vult generare tenetur ita vacare generationi, vt ratio requirit, hæc verò dictat, vt attendatur etiam bonum prolis. Ideo vagus concubitus est illicitus, non tamen est illicita virginitas.

7 In præsenti autem puncto errauit Iouinianus, quia sicut Vigilantius æqualis constantiæ & meriti putauit esse diuitias, & paupertatem, ita Iouinian. matrimonium voluit esse æqua cum virginitate. In hunc errorem autem incidit Iouin. ex alio errore, vt docet *D. Tho. opusc. cont. retrahent. a relig. cap. 6.* nimirum ex eo, quod credidit omnes beatos esse æquales in beatitudine, qui error sustineri non poterat, si virginitas fuisset maioris meriti quàm matrimonium. Viguit hic error etiam apud gentiles. Nam Hermes Trismegistus lib. 9. qui inscribitur *sermo vniuersalis*, impietatem post mortem punitam, dixit, aliquem ex hominibus excedere sine filijs. Sed & *Plato lib. 6.* de legibus voluit, vt si quis in cœlibe vita durauerit vsque ad 35. annum, quotannis plecteretur si de maximo censu esset, drachmas centum, si de 2. 70. si de 3. 60 si de 4. 30. Et si singulis annis mulctam non solueret decuplam deberet, & honorem nullum iuuenes ei deberent. Quod etiam Augustus innuptis grauiorem mulctam imposuerit, nuptis verò præmia constituerit, retulit. *Dion. lib. 54. & 56.* Sed ex Hæreticis primo Nicolaus Diaconus dixit, nisi quis venerem singulis diebus exerceret, non posse eum vitæ æternæ participem fieri. Irenæus, Epiphanius, & August. de Nicolaitis. Gnosticis continentia adeo fuit ingrata, vt continentes ludibrio haberent. *Epiphan. hær. 26.* Eunomius negauit virginitatem maioris esse meriti, quàm coniugium & relicto monachatu virgines sedusit. *Hier. ad cap. 4. Osææ. Aug. hær. 54.* Sed & Faustus Manichæus reprehendit Catholicos, quòd ad virginitatis professionem certatim incitarent, & illud dæmoniorum doctrinam vocabat. *Aug. l. 4. c. Faustum.* Pseudo Apostoli à Gherardo Sagarello orti fornicationem cuiuslibet viri, & mulieris voluerunt licere, *Guido de illorum erroribus.* Lollardi credebant virgines sub terra non posse deflorari, etiamsi a mille viris cognoscerentur, & tale stuprum non esse peccatum affirmabant. *Thritemius in Chronico Hirsaugien. de anno 1305.* Eodem verò tempore quo Iouinianus etiam Heluidius eiusdem gloriæ voluit esse virgines, & maritatas, contra quos egregiè scripsit *S. Hier. qui lib. 2. contra Iouin.* dixit hos hæret. hausisse hunc errorem a Basilide, & Basilidem in Iouinianum transformatum fuisse. Qui benè potest nunc dici transformatus in Lutherum, Caluinum, & alios eorū sequaces, quorum dogma duplex est: Primum quod vouere virginitatem sit superstitiosum, cælibatum verò diligere ad vitādas matrimonij molestias esse laudabile, si id fiat, vt homo sit magis expeditus ad munera Euangelica obeunda, vt refert *Bellarm. l. 2. de Monach. cap. 8.*

8 De fide autem est, virginitatem esse rem honestam & Euangelicum consilium dignum vt quis ad illam ex voto se obliget. Nam & *Apost. 1. Cor. 7.* consulit virginitatem, tanquam medium ad hoc vt virgo à curis mundi aliena cogitet, quæ domini sunt. Et Christus laudat eos, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum, qui sine dubio illi præcipuè sunt, qui virginitatem vouent. Nec vrget, quòd hæretici dicunt, scilicet continentiam perpetuam esse rem valde difficilem, quia est facilis per gratiam sub cuius certa spe possunt fideles sibi obseruantiam voti promittere, & ad illam se obligare quia gratia Dei nulli deest nisi negligenti & obicem ponenti. Et ita sancti omnes, & DD. virginitatem, & cœlibatum semper laudauerunt, quos abundè refert *Iodocus Coccius Thesaur. Cathol. l. 4.*

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Cur Christus vxoratos Apostolos vocauerit, illisque continentiam non praeceperit, num. 9.*

9 Contra hanc responsionem ad primum, dubium mouet *Caiet.* quia vel D. Th. loquitur de perfectione religiosa, vel de perfectione Episcopali, si primū falsa est cōclusio literæ quia iā cōstat ad primā perfectionē esse electos non virgines. Si secundū nulla est differentia posita in responsione, quia per se ad perfectionem Episcopatus nec paupertas, nec continentia requiritur. Respōdet verò D. Thom. de vtraque perfectione indistinctè loqui, quia ad vtramque vocauit Apostolos, scilicet ad religiosam, quando primò eos ad se vocauit, ad Episcopalem, quando Episcopos eos instituit, & ad obiectionem in oppositum dicitur, quòd castitatem non exegit ab Apostolis, quia perfectos viros matrimonium non deijcit, Apostolis verò Dominus perfectionem gratiæ contulit. Ideo ab eis castitatem non requirit, requirit verò paupertatem, ad eam commendandam. Sed & cur ad commendandam virginitatem, hanc non requirit? Ideo dicendum est D. Thom. directè loqui de perfectione religiosa. Et ad obiectionem facile dicitur, quòd Christus ad perfectionis statum viros ætate maturos, ideoque iuxta conditionem humanam, & gentis Iudæorum vxoratos vocauit, quia sic decebat eius esse discipulos, & requirebat etiam officium Apostolatus, ad quod eos eligebat, & cui apti non erant iuuenes adhuc virgines, & nondum vxorati. Cum ergo conueniens fuerit Christum ad Apostolatum vocare iam vxoratos, non erat iustum contra ius vxorum petere ab illis perpetuam continentiam, fuit verò iustum requirere abdicationem rerum temporalium. Cæterùm Ioannem Apostolum quem iuniorem inuenit, & non ligatum, virginem manere voluit, & sic in Apostolis quantùm fieri potuit etiam virginitatem esse voluit.

SVMMARIVM.

1 *Magnæ virtutis est in matrimonio & diuitijs esse perfectum. num. 10.*

10 In respons. ad secundum notandum, quòd singularis cuiusdam gratiæ, & magnitudinis virtutis est in matrimonio, & diuitijs ad sanctitatem & perfectionem peruenire, quod nemo de se debet præsumere, sicut nec quis præsumere debet inermem inuadere hostes, ex eo quòd Sampson cum mandibula asini inimicos prostrauit.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi non profitentes castitatem non simpliciter tales. num. 11.*

2 *Hoc negant aliqui. n. 12.*

3 *Nomen antonomastice dictum non conuenit nisi habenti significatum cum excellentia. n. 13.*

4 *Nomen status perfectionis; seu religionis est commune, sed antonomastice dictum importat holocaustum perfectum, per quod homo se consecrat Deo perfecte, & totaliter. num. 14.*

5 *Status Christianorum est status perfectionis, & religionis communiter. num. 15.*

6 *Milites, qui non vouent castitatem, simpliciter non sunt veri Religiosi nisi secundum quid. n. 15. 16.*

7 *Nomen Religiosus antonomastice non dicitur nisi de vouente castitatem, & paupertatem, & obedientiam simpliciter. nu. 15. 16.*

8 *Soluuntur contraria obiecta. n. 17.*

9 *Milites præfati sunt Religiosi milites, vel generice. num. 18.*

11 In responsione ad tertium habetur, quòd Religiosi qui castitatis votum non emittunt, solùm secundùm quid sunt personæ religiosæ. Sed quia hoc controuertitur, dubitatur.

An Religiosi, qui non emittunt votum castitatis sint simpliciter, absolutè, & propriè Religiosi.

12 Sub alijs terminis proponitur hæc quæstio: an scilicet milites Religiosi, qui quidem matrimonio vtuntur vouentes solam castitatem coniugalem, quales sunt milites S. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, S. Stephani, & similes, sint simpliciter, & absolutè Religiosi. Affirmant enim *Nauar. de reddit. Eccles. q. 1. monito 55. & 56. & q. 3. num. 27. & sequent. Didacus Mota in speciali tractatu de hac re lib. 2. cap. 1. & 2. Michael Medina lib. 4. de sacr. homin. continent. controu. 7. cap. 39. Martinus Ayala in compend. & declarat. Ord. S. Iacobi per tot.* & præcipuè *cap. 1. & 2. Suarez tom. 4. de Relig. tr. 9. lib. 1. cap. 4.* referens *Couar. 4. p. 2. cap. 3. §. 1. num. 18.* (vbi tamen *Couar.* vtramque sententiam refert, & nullam reprobat) Et apud *Garziam de Benef. p. p. cap. 4. num. 15. Salzedo ad Diaz. Auendan. Vega, & Io. Ramires, Sanchez l. 4. in Decal. cap. 16. num. 11.* Et apud eum *Bonadilla*. Fundatur hæc opinio in multis Bullis Pontificijs, & præcipuè Alexandri Tertij, in quibus huiusmodi Ordines sub nomine ordinis Religiosi significantur. Secundò, quia profitentur Regulas à sancta Sede Apostolica approbatas. Tertiò, quia huiusmodi Ordines important statum perfectionis, & emittunt tria vota substantialia. Circa quod dicta opinio ponderat, quòd non est necesse, quòd huiusmodi vota respiciant eandem rigorosam paupertatem, & castitatem, & obedientiam, quia nec inter Religiosos promittitur paupertas æquè rigorosa, cum pauperiores sint Ordines, qui excludunt etiam dominium bonorum in communi, vt est Ordo Capucinorum, quàm qui illud dominium admittunt. Modò, licet huiusmodi Ordines non promittant castitatem totam, promittunt tamen coniugalem. Et si dicatur, quòd ex hoc non potest dici, quòd promittunt castitatem, prout est consilium, quia extra vsum matrimonij licitum, castitas non est consilium, sed præceptum. Respondetur, quòd suo modo promittunt etiam castitatem, prout castitas est de consilio, vel quia dicatur hos milites contra votum peccare, si ex affectu ad rem vxoriam debitam militiam omittunt; hoc enim est intemperantia quædam repugnans castitati. Vel quia

quia huiusmodi milites peccent contra votum castitatis, si in præiudicium militiæ extenuent vires ob nimium vxorium vsum, sic enim in Constitut. Equitum S. Iacobi cap. 6. aliàs 25. præcipitur, ne milites abstinentijs vires ad militiam necessarias debilitent: Quod cum proportione de vsu vxoris est intelligendum. Et in eisdem Constitut. cap. 13. aliàs 32. prohibentur accedere ad vxores cum ieiunauerint, & in solemnitatibus Sanctæ Mariæ, Sancti Io. Baptistæ, & Apostolorum. Vel quia sufficiat vouere castitatem necessariam, & obligare ad maiorem aliquam seruandam, si non ex voto, saltem ex regula. Et sic etiam eodem modo de voto paupertatis est philosophandum, quia milites huiusmodi promittunt paupertatem eorum fini proportionatam, quæ licet non excludat omnino dominium, quia nec Religio potest eorum bona auferre nisi in certis casibus, & non potest impedire, quòd filij eorum non succedant in hæreditate parentum, tamen non habent proprium, cum non habeant dominium omnino liberum quoad omnem vsum, sed dependens à voluntate suæ Religionis. Item vouent obedientiam, & si eorum Constitutiones legantur, apparebit eas viam multæ perfectionis continere. Nihil ergo deest istis Ordinibus propter quod non sint veri Religiosi.

13 Verùm sententia contraria communior vera est. Nam quid est Religiosus simpliciter, absolutè, & propriè dictus? Nomen commune aliquod significans, (dicebat D. Th. supra art. 1.) & quòd pluribus conuenit, antonomasticè attribuitur ei cui per excellentiam conuenit: vnde ad hoc vt nomen commune antonomasticè sumptum dicatur de aliquo, non sufficit quòd dicatur de eo etiam quidditatiuè, & vniuocè, sed est necesse, quòd significatum illius per excellentiam, idest excellenti modo, & per excellentem differentiam specificantem illi conueniat. Ita v.g. hoc nomen *vir*, commune est ad omnes homines, sed si ex quo à robore, & fortitudine sumptum est, accommodatum fuisset ex vsu ad significandum hominem virtute constantem, & fortissimum, tunc nomen *vir*, dictum simpliciter non conueniret omni homini, sed distingui deberet, quia communiter sumptum diceretur de omni homine, sed propriè simpliciter prolatum, & antonomasticè, solùm homini, qui esset excellentis roboris & virtutis, conueniret.

14 Certè si consideremus hæc duo nomina, scilicet *Status perfectionis, & Religionis*, nedum ex parte status, sed ex parte perfectionis, & Religionis communia sunt, & quidem vniuocè, Nam perfectio vnica est charitas Patriæ, quæ est summa adhæsio, ad quam omnis status perfectionis ordinatur, status verò importat deputationem immobilem, & obligationem ad media vtilia ad hanc perfectionem obtinendam. Sed hoc est commune omni statui hominum per quæcumque media tendentium in perfectionem; Ideo etiam status secularium fidelium propriè, & vniuocè est status perfectionis, quia est deputatio immobilis ad ea, quæ sunt diuini cultus, & vitæ æternæ, quamuis ad hanc consequendam non sit obligatus ad ea quæ sunt consilij, sed solùm ad ea, quæ sub lege sunt, à quo distinguitur status dictus Religiosorum, sed tanquam species à specie; Conueniunt enim in genere status perfectionis, quia vterque tendit in perfectionem charitatis & quidem sine mensura habendam, quia Deus sine mensura est ab omnibus diligendus, vt dixit *D. Thom. supra q. 184. a. 3.* Sed per hoc distinguuntur, quòd status Religionis ad perfectionem consequendam assumit media vtiliora, & validiora, quia se obligat etiam ad consilia. Ita hoc nomen *religiosi*, si absolutè sumatur, non importat nisi Dei cultum, & status Religionis non dicit nisi deputationem immobilem, & deputationem ad ea, quæ sunt diuini cultus. Et propterea hoc nomen *status Religionis*, verè & propriè (si propriè sumitur, vt est non metaphoricè, & impropriè) immò & vniuocè dicitur de omnibus Christi fidelibus qui per professionem Baptismi deputantur, & se obligant ad ea, quæ sunt Christiani cultus. Sed si hoc est, vnde est, quod nomen status perfectionis, aut religionis simpliciter dictum conuenit solùm illis fidelibus, qui per vota Religiosa deputantur, & se obligant ad consilia vt perfectionem charitatis obtineant, vel cóseruent, & augeant? Respondet *D. Thom. supra art. 2.* quia nomen commune antonomasticè sumptum proprium est illorum in quibus significatum nominis reperitur excellentissimo modo, seu per excellentissimam differentiam specificatum. Et quia excellentissimus modus tendendi in perfectionem consistit in sublimi illo religioso cultu, per quem homo in perfectum holocaustum se consecrat Deo nihil sui retinendo, pro Deo diuitias, & carnis concupiscentias, & se ipsum perfectè abnegando, ideo hoc nomen *status perfectionis aut religionis* simpliciter dictum, huic soli statui conuenit.

15 Si ergo quæratur an status Christianorum sit verè, immò & propriè, immò & simpliciter status perfectionis? Ex vna parte quomodo hoc potest negari, si est vniuocè talis? Distingui igitur debet. Quia hoc nomen *status perfectionis*, aut status religionis accipitur dupliciter, nimirum communiter, & proprie, idest antonomastice. Et cum dico communiter, non dico analogicè, vel impropriè, vel abusiuè, sed dico genericè, quia ex sua priori & quidem propria significatione significat quid commune, & genericum, quia ex parte status importat conditionem hominis immobilem, & immobilem deputationem ad aliquid. Ex parte verò perfectionis, quia perfectio moralis hominis consistit in Dei amore simpliciter, & immobiliter habito in patria, vel etiam in via modo viæ possibili qui quidem amor per actus, qui sunt diuini cultus acquiritur, ideo status perfectionis importat deputationem ad ea, quæ sunt diuini cultus ad finem perfectionis charitatis acquirendæ; quod est quid commune & cum proprietate, immò & simpliciter (si simpliciter idem est quod vniuocè, & totaliter, quia tota significatio & tota ratio generica verè, & propriè, & sine diminutione) conuenit statui Christianorum. Sed si nomen status perfectionis, aut religionis sumitur antonomasticè, & sic magis strictè, & propriè, statum reliquorum Christianorum non est status perfectionis, & religionis, quia per talem statum non se obligat homo ad excellentissima media acquirendæ perfectionis, nec ad ea, quæ sunt perfectionis se excellentissimo modo obligat, sicut facit Religiosus, qui ad obligationem

Baptismi addit obligationem votorum, & non se obligat solum ad ea, quæ sunt legis, sed ad ea, quæ sunt consilij.

16 Ex his ad quæstionem dicitur, quòd Religiosi, qui non vouent nisi castitatem coniugalem, sunt veri Religiosi communiter, sed antonomasticè non sunt tales, nisi secundùm quid, & cum diminutione. Nam excellentiam quam significat nomen Religiosi antonomasticè sumptum non habent totam, sed ex parte, & secundum quid, & non vniuocè, sed analogicè. Nomen autem Religiosi, quod iam antonomasticè sumitur, dum simpliciter profertur, non significat formaliter & primò tendentiam in perfectionem, vel deputationem ad diuinum cultum, sed per se primò, & de formali significat excellentiam tendentiæ in perfectionem per holocaustum totale, & perfectum per quod homo nihil sibi reseruat, vt dixit *Greg. hom.* 20. *in Ezech.* At verò milites præfati multa sibi reseruant, quia non vouent castitatem, prout est de consilio, sed solum illam, quæ est necessitatis. Et non dant Deo omnia sua, quia suorum patrimoniorum sunt verè domini, & licet non habeant dominium adeo liberum sicuti seculares, sunt tamen verè domini, & habent proprium; ideo nec nisi partialiter obedientiam vouent. Sunt igitur Religiosi secundùm quid, non verò simpliciter, & antonomasticè. Et ita cum D. Thom. in hac responsione senserunt, *Sotus l. 7. de iust. q. 5. a. 3. & 4. d. 27. q. 1. a. 4. Arragon.* 22. *q. 88. a. 11. Ludou. Lopez tom. 2. p. 2. cap. 48. Molina de iust. tom. 1. tract. 2. disp. 141. Valent. tom 3. disp. 10. q. 4. p. 2. Azor. p. p. l. 13. cap. 3. q. 2. Rodriq. tom. 1. q. 1. a. 8. & ex Iuristis Natta cons. 508. & 509. lib. 3. Burgus de paz. cons. 17. num. 2. & 3. Sarmiento de reddit. 4. p. cap. 1. num. 13. & in defen. p. p. mon. 55. & 56. Molina de primog. Azeued. Io. Gutier. Lasserte, Gironda, Ioan Parlad.* quos refert, & sequitur *Garzias de benef. p. 1. cap. 4. num. 16. & 21. Rota p. p. diuers. decis. 591. & decis. 587. coram Seraph. & in vna Lucana Plebis* 22. *May* 1579. *coram Robusterio, & in Romana alimentorum* 21. *Iunij* 1627. *coram Duran. Barbosa in tract. de appellat. v. Religiosus. n. 4. Donatus par. 3. tr. 1. q. 18.*

17 Et quæ in oppositum adducuntur non probant. Primum quidem deficit. Quia in citatis constitutionibus nec agitur an milites illi sint veri religiosi simpliciter, & propriè, nec asseritur. Et in locis relatis à *Suarez num.* 10. semel tantùm adest nomen religionis, & hoc non in parte dispositiua, sed in narratiua supplicantium, & id intelligitur, quia sunt religiosi communiter, vel etiam secundùm quid. Secundum deficit, quia probat solùm quòd dicti milites viuant sub Regula à Sede Apostolica approbata, quod non sufficit ad religionem antonomasticè sumptam. Tertium tandem probat contra arguentem. Nam *Suarez* ipse, qui ex eo argumento vrget post longum discursum tandem num. 21. fatetur, quòd ponderata ab ipso non cogunt vt asseramus, quòd in dictis militibus vsus vxoris quando est impedimentum ad militiam sit sacrilegium contra votum castitatis, licet sit peccatum contra regulam. Et tandem ad hoc reducitur tota vis argumenti, quòd in talibus militibus non est nisi votum castitatis necessariæ, & quòd illi ex regula obligantur ad maiorem quandam castitatem; quòd totum demonstrat eos promittere solùm partem castitatis, sicut & paupertatis, & obedientiæ, & ex consequenti eos non esse antonomasticè religiosos.

18 *Rodriquez verò d. ar. 8.* admittit eos esse Religiosos milites, quod non placet *Garzia num.* 20. quia si non sunt veri Religiosi, nec sunt Religiosi milites. Sed verum est dictum *Rodriq.* quia tales Equites sunt veri Religiosi secundùm quid; & hanc diminutionem importat illud nomen *milites*. Sed puto aliter posse sententias oppositas conciliari distinguendo, quia nomen *Religiosi* potest sumi generalissimè, genericè, & specificè propriè, simpliciter omnino & antonomasticè. Primo modo Christiani sunt Religiosi. Secundò modo Religiosi sūt qui sub regula à sancta sede approbata aliquod consilium profitentur, seu ad aliquod consilium se obligant. Hoc enim sufficit ad statum Religiosum, vt contradistinctum à statu fidelium secularium. Et hoc modo isti milites sunt veri religiosi. Sed antonomasticè, & propriè simpliciter non sunt tales, quia ad excellentiam religiosæ professionis, non perueniunt, & ideo dicuntur religiosi secundùm quid, licet sumendo nomen Religiosi genericè sint verè Religiosi. Sed quia ex vsu Canonum nomen *Religiosus* simpliciter dictum antonomasticè dicitur, ideo qui non vouent perfectam castitatem, & paupertatem non veniunt in iure sub nomine Religiosi, nisi vbi in fauorabilibus ampliatur nominis significatio vt citati DD. dicunt. Sed vnica adhuc restat obiectio soluenda, respectu eorum ordinum militarium, quales sunt ordines S. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, quos antea fuisse verè Religiosos antequam Pontifex concederet illis facultatem coniugij dixit *Nauar. dic. mon.* 55. non est verò dicendum, quòd ex hoc desierint esse, quod erant. Propterea idem *Nauar. loc. citat. & Donatus dicta q. 8. num. 16.* citans ad hoc Rotam in in nouissimis *dec.* 226. *num.* 6. putant ex hac mutatione seu commutatione non esse mutatam substantiam Religionis, talesque ordines esse propriè Religiones sicut priùs. Sed meritò hoc reijcit *Suarez dict. cap. 4. num. 8. & 9.* & aduertit, quòd ad rem non facit modò illa sententia, quæ tenet Papam posse dispensare cum Religioso super solemni voto castitatis, quia illa sententia non tenet, quòd hoc possit fieri Religioso manente Religioso, sed bene quòd possit fieri quòd Religiosus desinat esse Religiosus, & sic vxorem ducat. Et implicat in terminis quòd vbi deest obligatio votorum remaneat status Religiosus eiusdem speciei cum illo qui ex votis ad opera consilij adstringitur. Et ideo ex quo Pontifex concessit ordini S. Iacobi & alijs quòd eius milites possint vxores ducere, remansit substantia status religiosi genericè, sed species fuit destructa, nec ampliùs illa Religio continetur sub Religione antonomasticè dicta, sed genere differt ab ea. Et ideo Milites S. Iacobi non esse vere Religiosos tenuit iterum *Rota dec. 91. num. 4. par. 5. recent.* affirmans Rotam sæpius hoc determinasse. Nec obstat, quod ait *Nauar.* quia scilicet non fuit intentio Papæ permutare statum dictorum ordinum, quia implicat in terminis, quòd eiusdem speciei substantialiter immutata maneat Religio, quæ priùs vouebat castitatem, quæ est de consilio, & modò non vouet. Aliàs verò sine fundamento diceretur, quòd tales ordines etiam nunc voueant

ueant

ueant continentiam simpliciter, sed ex perpetua dispensatione sufficiat illis, continentia coniugalis.

ARTICVLVS V.

Vtrum obedientia pertineat ad perfectionem Religionis?

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod obedientia non pertineat ad perfectionem religionis. Illa enim videntur ad perfectionem religionis pertinere, quæ sunt supererogationis, ad quæ non omnes tenentur. Sed ad obediendum prælatis suis omnes tenentur: secundum illud Apost. ad Hebr. vlt. Obedite præpositis vestris: & subiacete eis. Ergo videtur, quod obedientia non pertineat ad perfectionem religionis.

2. *Præterea, Obedientia pertinere videtur proprie ad eos, qui debent regi sensu alieno: quod est indiscretorum. Sed Apostolus dicit ad Hebr. 5. quod perfectorum est solidus cibus, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni, & mali. Ergo videtur, quod obedientia non pertineat ad statum perfectorum.*

3. *Præterea, Si obedientia requireretur ad perfectionem religionis, oporteret quod omnibus religiosis conueniret. Non autem omnibus conuenit. Sunt enim quidam religiosi solitariam vitam agentes, qui non habent superiores, quibus obediant. Prælati etiam religionum ad obedientiam nõ videntur teneri. Ergo obedientia non videtur pertinere ad religionis perfectionem.*

4. *Præterea, Si votum obedientiæ ad religionem requireretur, consequens esset, quod religiosi tenerentur Prælatis suis in omnibus obedire: sicut & per votum continentiæ tenentur ab omnibus venereis abstinere. Sed non tenentur prælatis suis obedire in omnibus, vt supra habitum est, cum de virtute obedientiæ ageretur. Ergo votum obedientia non requiritur ad religionem.*

5. *Præterea, Illa seruitia sunt Deo maxime accepta, quæ liberaliter, & non ex necessitate fiunt: secundum illud 2. ad Corinth. 9. Non ex tristitia aut ex necessitate. Sed illa quæ fiunt ex obedientia, fiunt ex necessitate præcepti. Ergo laudabilius fiunt bona opera, quæ quis propria sponte facit. Votum ergo obedientiæ non competit religioni, per quam homines quærunt ad meliora peruenire.*

Sed contra, Perfectio religionis maxime consistit in imitatione Christi: secundum illud Matth. 19. Si vis perfectus esse, &c. sequere me. Sed in Christo maxime commendatur obedientia: secundum illud ad Philip. 2. Factus est obediens vsque ad mortem. Ergo videtur, quod obedientia pertineat ad perfectionem religionis.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, status religionis est quædam disciplina, vel exercitium tendendi in perfectionem. Quicumque autem instruuntur, vel exercitantur, vt perueniant ad aliquem finem, oportet quod directionem alicuius sequantur, secundum cuius arbitrium instruuntur, vel exercitentur, vt perueniant ad aliquem finem, quasi discipuli sub magistro. Et ideo oportet quod religiosi in his, quæ pertinent ad religiosam vitam, alicuius instructioni, & imperio subdantur. Vnde & 7. q. 1. dicitur, Monachorum vita subiectionis habet verbum, & discipulatus. Imperio autem & alterius instructioni subijcitur homo per obedientiam. Et ideo obedientia requiritur ad religionis perfectionem.

Ad primum ergo dicendum, quod obedire prælatis in his quæ pertinent ad necessitatem virtutis, non est supererogationis, sed omnibus commune. Sed obedire in his quæ pertinent ad exercitium perfectionis, pertinet proprie ad religiosos. Et comparatur ista obedientia ad aliam, sicut vniuersale ad particulare. Illi enim qui in sæculo viuunt, aliquid sibi retinent, & aliquid Deo largiuntur: & secundum hoc obedientiæ prælatorum subduntur. Illi vero qui viuunt in religione, totaliter se, & sua tribuunt Deo, vt ex supra dictis patet: vnde obedientia eorum est vniuersalis.

Ad secundum dicendum, quod sicut Philos. dicit in 2. Ethic. homines exercitantes se in operibus, peruenient ad aliquos habitus: quos cum acquisierint,

Marginal notes: q. 18. a. 10. & q. 4. c. 8. (obj. 1); q. 104 ar. 5. (obj. 3); ar. 2. & 3. huius q. (Respondeo); 7. q. 1. c. Hoc nequaquam; a. 3. ad 6.; c. 1. & 2. c. 3.

rint, eosdem actus maxime possunt operari. Sic ergo obediendo illi, qui non sunt perfectionem adepti, ad perfectionem perueniunt. Illi autem, qui iam sunt perfectionem adepti, maxime prompti sunt ad obediendum: non quasi indigentes dirigi ad perfectionem acquirendam, sed quasi per hoc se conseruantes in eo, quod ad perfectionem pertinet.

Ad tertium dicendum, quod subiectio religiosorum principaliter attenditur ad Episcopos, qui comparantur ad eos, sicut perfectiores ad perfectos: vt patet per Dionys. 6. cap. eccles. hier. p. 2. à me.
Vbi etiam dicit, quod monachorum ordo Pontificum consummatiuis virtutibus mancipatur, & diuinis eorum illuminationibus edocetur. Vnde ab Episcoporum obedientia, nec eremitæ, nec etiam prælati religionum excusantur. Et si à diœcesanis Episcopis totaliter, vel ex parte sunt exempti, obligantur tamen ad obediendum Summo Pontifici, non solum in his quæ sunt communia alijs, sed etiam in his quæ specialiter pertinent ad disciplinam religionis.

Ad quartum dicendum, quod votum obedientiæ ad religionem pertinens, se extendit ad dispositionem totius humanæ vitæ. Et secundum hoc, votum obedientiæ habet quamdam vniuersalitatem, licet non se extendat ad omnes particulares actus; quorum quidam ad religionem non pertinent, quia non sunt de rebus pertinentibus ad dilectionem Dei, & proximi; sicut confricatio barbæ, vel leuatio festucæ de terra, & similia, quæ non cadunt sub voto, nec sub obedientia. Quidam vero etiam contrariantur religioni. Nec est simile de voto continentiæ, per quam excluduntur actus omnino perfectioni religionis contrarij.

Ad quintum dicendum, quod necessitas coactionis facit inuoluntarium: & ideo excludit rationem laudis, & meriti: sed necessitas consequens obedientiam non est necessitas coactionis, sed liberæ voluntatis, in quantum homo vult obedire: licet forte non vellet id quod mandatur, secundum se consideratum, implere. Et ideo quia necessitati aliqua faciendi quæ secundum se non placent, per votum obedientiæ homo se subijcit propter Deu, ex hoc ipso ea quæ facit, sunt Deo magis accepta, etiam si sint minora: quia nihil maius potest homo Deo dare, quam quod propriam voluntatem propter ipsum voluntati alterius subijciat. Vnde in collationibus † Patrum dicitur, deterrimum genus monachorum esse Sarabaitas, quia suas necessitates curantes, absoluti à seniorum iugo, habent libertatem agendi quid libitum fuerit: & tamen magis, quam hi qui in cœnobijs degunt, in operibus diebus ac noctibus consumuntur. In collationibus Patrum.

SVMMARIVM.

1 *Obedire in his, quæ sunt de consilio pertinet ad perfectionem. num. 1.*
2 *Resolutio articuli. num. 2.*
3 *Religio schola perfectionis. num. 3.*
4 *Obedire pertinet ad vitæ perfectionem. num. 4.*
5 *Obedientia vtilis disciplina, quæ assecurat operantem ne erret. num. 4.*
6 *Obedientia opus est ad ordinatæ multitudinis quietem, & tranquillitatem. num. 5. & 6.*
7 *Perfectus ille est, qui nihil est sui, & totus Dei. num. 6.*
8 *Perfectis conuenit imitari obedientiam Christi num. 6.*
9 *Conclusio articuli. num. 7.*
10 *Obedientia contempta ab hæreticis. num. 8.*
11 *Commendata à PP. num. 9.*

1 TAnquam certum supponitur, quòd obedientia in illis, quæ sunt de necessitate virtutis; vt dicitur in responsione ad primum est de necessitate salutis, nec est bonum supererogationis. Duplex est ergo obedientia per quam quis obedit alicui, altera est necessitatis ex suo genere, altera est supererogationis. Illa respicit virtutum præcepta, & latas leges, quam vnusquisque tenetur reddere Deo, & superioribus locum Dei in terra gerentibus. Sed ista respicit actiones ad quas homo ex necessitate virtutis, seu legis non tenetur. Et de hac est in præsenti quæstio; an in actionibus supererogationis, & quæ solùm sunt de consilio, obedire alicui, tanquam directori ad perfectionem acquirendam pertineat ad perfectionem religiosam.

2 Affirmatiuè resoluitur quæstio; quia cum religio sit schola perfectionis, iam est quid mixtum ex discipulis, qui instruuntur, & Magistris instruentibus, & sic ad eum, qui in Religione tendit ad perfectionem pertinet, vt subdatur alterius magisterio, & instructioni, quod est obedire.

3 Præmittit autem primò D. Th. quòd status Religiosus sit schola perfectionis. Hoc enim per se habet Religiosus status, vt per se non supponat perfectionem in illum assumente, immò ordinatur, vt sit veluti schola, & disciplina imperfectorum

rum tendentium in perfectionem, quia tales, vt plurimum sunt homines. Et ideo necessariò Religio exigit, vt in ea sint nedum instruendi, sed instructores, seu discipuli, & Magistri, seu subditi obedientes, & Prælati.

4 Hac ratione quoque vsus est *Hieron.* ad Rusticum Monachum, & dixit. *Nulla ars absque magistro discitur, etiam muta animalia, & ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt; grues vnam sequuntur ordine literato. Imperator vnus, iudex vnus prouinciæ. Roma, vt condita est, duos fratres simul habere Reges non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebecæ vtero Esau atque Iacob bella gesserunt. Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archidiaconi, & omnis Ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur. In naui vnus gubernator: in domo vnus Dominus; in quouis grandi exercitu vnius signũ expectatur. Et ne plura replicando fastidium legenti faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, sed viuere debere in monasterio sub vnius disciplina patris consortioque multorum, vt ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam; hic te silentium, ille doceat mansuetudinem; non facias, quod vis; comedas, quod iuberis; vestiare, quod acceperis; operis tui pensum persoluas, subiciaris cui non vis, lassus ad stratum venias, ambulansque dormites, & nedum expleto somno surgere compellaris.* Hæc autem ratio ex multiplici capite vim habet. Et quidem primò ex natura scholaris disciplinæ, quæ petit magistrum directorem, vt & in naturalibus ipsis probat *Hieron.* & hoc præcipuè locum habet in homine: Primò, quia difficillimum est, quòd homo se ipsum suasque prauas affectiones plenè cognoscat, & non nisi insignis prudentiæ est in singularibus cognoscere, quod melius est, ideo vt dixit *Basilius constit. monast. cap. 23.* disciplina perfectionis petit dari magistrum, cui tendentes in perfectionem obediant. Et ita securi incedant, & cum tranquillitate animi operentur. Propterea de obedientia optimè dixit Io: Climacus gr. 4. *Obedientia est inexaminatus, & indiscussus motus, spontanea mors, vita curiositate carens, securum periculum, immediata ad Deum excusatio, metus mortis contemptio, tuta nauigatio, confectum dormiendo iter.* Vbi enim subditus ex obedientia operatur non est periculum erroris, neque naufragij, ipsaque ante Dei tribunal operantem excusat. Et cum circa perfectum viuendi modum multæ possint singulis illusiones obuenire, dum habent Rectorem, qui eos dirigat, & non nisi ex eius obedientia operantur, tutò nauigant, & omne periculum contemnens, & quasi dormiendo iter quietè perficiunt.

5 Secundò quia huiusmodi disciplina non est vnius, sed multorum; status enim religiosus debet esse amplissimus, & veluti portus ad quem vt ad locum securum multitudo conueniat: At verò multitudo sine Rectore inordinata confusio est. Necesse igitur est dari in statu Religioso Rectores, qui nedum consilijs, sed legibus, & præceptis singulos de communitate in perfectionem dirigant, & cui præstetur obedientia. In multitudine enim multæ de facili oriuntur difficultates, diuersæque opiniones, & studia, ex quibus non leues procellæ & tempestates excitantur; debet ergo multitudo legibus in vnum contineri, & suauissimo obedientiæ vnius directoris vinculo in vnum colligari. Sic enim meritò S. Greg. Nazian. dixit, *Quòd obedientia lex tam terrena, quam cælestia tuetur, atque conseruat.* Quia obedientia illa est, quæ pacem in cœnobijs fouet, concordiam nutrit, disciplinam custodit, & sanctitatem auget. Vt meritò *Basilius in constit. monasticis cap. 20.* de ea dixerit, *Quod totius vitæ huius instituti caput sit*, Quoniam instituti Regularis summa est, caput & fundamentum.

6 Sed forsan obijciet aliquis, & dicet, quòd hæc ratio D. Th. non probat vniuersaliter, quia probat solùm respectu imperfectorum, qui indigent disciplina, & magistro. Non verò probat respectu perfectorum, qui non ampliùs habent, vt in via Dei addiscant. Religio verò non est solùm pro imperfectis, sed pro perfectis; igitur D. Tho. diminutè probat suam conclusionem, cum non probet necessitatem obedientiæ, nisi ex parte eorum, qui indigent requirere perfectionem, & in via perfectionis sunt discipuli. Verùm dicitur, quòd ratio D. Th. vniuersalissimè probat, quia perfectio est res immensa, quam nullus tantùm acquirit, quin in infinitum remaneat magis ac magis perfectè acquisibilis. Vim huius considerationis attigit D. Thom. opusc. 18. cap. 10. *Non solùm autem necessarium est ad perfectionem charitatis acquirendam, quòd homo exteriora abijciat, sed etiam quòd homo quodammodo se ipsum derelinquat. Dicit enim Dyon. 4. cap. de diuin. nomin. quòd diuinus amor est extasim faciens, idest extra se ipsum ponens, non sinens hominem sui ipsius esse, sed eius quod amatur: cuius rei exemplum in se ipso demonstrauit Apostolus, dicens ad Gal. 2. viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus; quasi suam vitam non suam existimans, sed Christi; quia quod proprium sibi erat contemnens, totus Christo inhærebat.* Sic ergo homo, vt sit perfectus debet esse pauper sibi, immò nihil sui, & totus Dei, sicut fuisse Colos. dixit Apos. ad Colloss. 3. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Et propterea *Chris. Luc.* 14. non est contentus, nisi discipuli animam propriam odio habeant *Matt. 16.* vult, vt se sequentes abnegent semetipsos. Quamuis verò hæc abnegatio, vt est necessitatis in hoc consistat; quòd homo nihil admittat, quod charitati sit contrarium. tamen, vt est perfectionis requirit, inquit D. Th. *vt homo propter intentionem amoris Dei ea abijciat, quibus licitè vti possit, vt per hoc liberiùs Deo vacet.* Et inter ista propriæ voluntatis dominium liberaque potestas, quam tam intensè diligimus, vt dixit Dorotheus doctrina prima Deo donat, qui vult perfectus esse, vt sic nihil sit sui, & totus Dei Quis ergo ille est, qui perfectissimè se ipsum exuerit, vt totus omnino Dei sit, & nihil sui, & qui nihil perfectionis acquirendæ habeat? Sed esto aliqui, immò multi sint, sicuti sunt qui quantùm præsens vita patitur sint perfecti in via Dei, quis nesciat res eisdem causis conseruari, quibus gignuntur? Status ergo Religionis, qui vt plurimum est schola imperfectorum, & ob hoc indiget obedientia, vt medio ad acquirendam perfectionem vtilissimo, in ijs, qui perfecti sint, indiget eodem vt in perfectione conseruentur, vt dicitur in respons. ad secundum, quia vt dicebat Nazianz. supra citatus orat. 9. *Obedientia lex est, quæ tam terrena, quàm cælestia tuetur, atque conseruat.* Et adiungitur, quòd quo aliquis

est

est perfectior tantò ampliùs debet imitari Christum, qui quidem nedum factus est obediens Patri vsque ad mortem; & Io:6. dixit *Descendi de cælo non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me*. Sed & Matri, & Iosepho obediebat, vt dicitur Luc.2. *& erat subditus illis*. Vnde bene dixit S. Ephrem.lib.de virt.& vit. Verè igitur, *qui obedientia fruitur possessione beatus est, quia enim Domini sit imitator, etiam cohæres illius efficitur*.

7 Ex istis igitur deducitur textus conclusio, quia scilicet obedire alicui in illis, quæ pertinent ad religiosam vitam, pertinet ad religionis perfectionem; Nam nec multitudo sine ordine, nec disciplina sine magisterio recta est, & decora, & vtilis. Et vt homo soli Deo viuat, & sibi mortuus sit maximè indiget obedientia, quæ iuxta Io: Climacum gradu primo est sepulchrum propriæ voluntatis. Et ille per imitationem Christo viuit, qui per viam obedientiæ vsque ad mortem incedit.

8 Non desunt tamen hæretici, qui etiam hanc veritatem negent. Nam olim Lampetiani, quorum meminit *Damascen.in Cathal.hæres.*ad finem, votum obedientiæ contempserunt. Et cum antiquiores fuerint Damasceno errauit, *Prateolus libr.*10. existimans eos vixisse circa annum 1135. tempora Innocentij, Sixti, & Caroli quarti. Horum errorem verò postea secuti sunt Vualdentes, Begardi, & Beginæ, vt refert. *Castro v.obedientia*. Et postea Lutherus, & Caluinus, & alij hæretici nostrorum temporum, vt habet *Bellarmin. l.2.de monach.cap.*8. duo pertinaciter asserunt. Primum scilicet, quòd promittere obedientiam ei cui aliàs non debetur in cultum Dei sit superstitiosum & sacrilegum. Secundum, quòd hoc facere ob aliam finem extra Dei cultum est stultum, & ideo semper malum. Eorum verò motiua, non sunt in substantia alia ab illis, quæ in articulo obijciuntur.

9 Sed econtra obedientiam Monachalem, & Religiosam summè commendarunt. *S. Ephrem lib.de virt.& vitijs cap.de obedien.S. Basilius in Constit.Monasticis cap.*20.*&* 23.*S.Greg.Nazianz.orat.*9. *Dorotheus doctrina prima.Io.Climacus gradu* 4.*Antiochus hom.*39. Io.*Damas.hist.de Barlaam, & Iosaphat. Ambros.ser.*65. *Hier.epist.*4. *ad Rusticum Monachum. August.de morib.Eccles. cap.*31. *ser.*1. *&* 2. *de vita Cleric. epist.*109. *Eucherius hom.*3. *ad Monachos. S. Benedictus in Regula cap.* 5. & alij Sancti Religionum institutores. *Smaragdus Abbas ad Regulam S.Bened.in prologo, & cap.*5.*Damianus in vita S.Romualdi, & tract.Ord Eremitarum. Anselmus epist.*6. *Bernard.serm.de virt.obed.& serm.*3. *de Circumcis.& tract.de precepto, & dispensat. cap.*12. *&* 13. *S.Bonau.*2.*d.*44.*q.*2. & reliqui DD.Catholici.

SVMMARIVM.

1 *Ex vi voti obedientiæ tenetur obedire superiori præcipienti etiam ea, qua alias sunt necessaria. num.* 10.

10 EX respons. ad primum colligit Caiet. quòd religiosus ex vi voti tenetur obedire regulæ, & superioribus etiam præcipientibus ea, quæ aliàs sunt de præcepto, & de necessitate virtutis, & quòd ex vi voti castitatis tenetur religiosus abstinere nedum à matrimonio, sed ab omni eo, quòd est contra pudicitiam, & similiter ex vi voti paupertatis tenetur nedum relinquere propria, sed non rapere sibi aliena. Quia, vt habet D. Thom. obedientia religiosa ad obedientiam necessitatis, per quam tenemur seruare leges & præcepta virtutum, se habet, vt vniversale ad particulare.

SVMMARIVM.

1 *Etiam perfectis conuenit obedientia. nu.* 11.

11 AD secundum ostenditur, qualiter dirigi per superiorum obedientiam conueniat illis, qui iam sunt perfecti, & ex vsu, & habitu bene operantur. In istis enim obedientia valet ad hoc vt conseruentur in perfectione. Ideo bene monet *Caiet.* hic distingui debere inter statum religionis, & personas religiosas. Nam status enim sit schola, & disciplina perfectionis requirit obedientiam; sed hæc non omnibus personis eodem modo conuenit. Nam viri perfecti iam non indigent dirigi, & instrui; sed tamen indigent foueri, & conseruari, & hoc illis præstat obedientia, vt supra explicatum est.

SVMMARIVM.

1 *Papa est omnium Religiosorum Prælatus.num.*12.
2 *Episcopus Regularis tenetur obedire Papæ. numer.*12.
3 *Non tamen tenentur Regulares ex vi voti obedire Collegio Cardinalium Sede vacante.num.*12.

12 AD tertium habetur ex hac responsione, verum esse de mente D. Thom. quòd supra *quæst.*185.*art.*8. dictum fuit, & approbant DD. ibi citati nimirum, quòd religiosi tenentur ex vi voti obedientiæ obedire Domino Papæ vt proprio Prælato, & omnium Religionum generalissimo. Quod explicat Caiet. & bene, quia religiosi suo generali promittentes obedientiam simul promittunt illam Papæ, cui Generalis subordinatur, quia promittens obedientiam capiti subordinato censetur illam promittere capiti principali. Ideo Papa creando religiosum Episcopum, & eximendo illum ab obedientia sui generalis, non dispensat cum illo in voto obedientiæ, nec in hoc vtitur potestate dispensatiua, sed absoluta, per quam aufert ab inferiori potestatem super illo, eo remanente ligato voto obedientiæ ad obediendum sibi cui principaliter promissa fuit obedientia. Ex hoc tamen non sequitur, quòd Religiosi tempore sedis vacantis teneantur ex vi voti obedientiæ obedire sacro Colleg. Cardin. quia vt adnotatum est supra *q.*185.*a.*8. *à num.*100. (quidquid in contrarium dixerit *Donatus tom.*3. *tr.*17. *q.*29.) Cardinales non succedunt in iurisdictione Papæ, sed illam vsurpare est illis interdictum *cap. Vbi periculum de elect. in* 6. *Clem. Ne Romani, eod.tit.* & Constit. Pij quarti. *In eligendis, &c.*

SVMMARIVM.

1 *Actiones quæ subsunt obedientiæ. num.* 13.

Ad

13 AD quattum. Insinuatur in hac responsione distinctio quadrimembris, nam actionum aliæ sunt bonæ ex generæ, aliæ ex genere malæ; aliæ ex generere indifferentes, vt sunt bonæ, vel malæ, sed tamen de se valde vtiles ad perfectionem acquirendam, vel conseruandam, aliæ omnino etiam ex suo genere ad hoc indifferentes, actiones primi & tertij generis cadunt sub obediētia. Actiones verò secundi generis obedientiæ repugnant, & ab ea prohibentur. Sed actiones quarti generis quales sunt confricatio varbæ, vel eleuatio festucæ per se non cadunt sub obedientia, nisi vt aduertit *Caiet.* per accidens, & quatenus in indiciduo, & ex circumstantijs vtiles sint huic, vel illi religioso ad perfectionem, seu ad aliquid eorum, quæ spectant ad religionem.

SVMMARIVM.

1 *Difficultas ex parte operis auget meritum non vero, quæ est ex parte operantis. num. 14.*

14 EX respons. ad quintum, aduertit bene *Caiet.* difficultatem, quæ est ex genere operis augere meritum, quia etiam maior est charitas, quæ ad opus difficilius extenditur, sed displicentia, quæ pronenit ex parte operantis, non auget, sed diminuit meritum; nihilominùs inquit D. Thom ea, quæ agit religiosus cum difficultate esse magis Deo accepta, quia comparat religiosum operantem ex voto obedientiæ ad hominem liberum, non verò comparat agentem ex obedientia, sed cum difficultate, & displicentia ex parte sui, ad illum, qui idem opus promptè, & faciliter habet. Hic enim magis laudabiliter, & meritoriè operatur. Sed tamen considerandum, quòd difficultas potest redundare in opus secundùm se, vt cum aliquis ex inclinatione propriæ conditionis habet difficultatem ad opus, hæc difficultas in opus redundat, sed D. Thom. hic nec loquitur de difficultate, sed de displicentia. Immò nec loquitur de displicentia, quæ tunc fit, cum homo obedit, sed quæ esset si obedientia, non adesset, loquitur enim de illis, quæ secundùm se non placent, & sic loquitur de displicentia ex parte operis, & ex genere actus, quæ auget meritum, quia reddit actum ex genere suo difficiliorem, Et cum qua stat, quòd operans cum magna complacentia operetur id, quòd aliàs secundùm se non placet, nec ageret, si obedientia, non præciperet. Qualis verò debeat esse obedientia, & præcipuè quòd debeat esse prōpta, & facilis, ostendunt *S. Basil in regula cap.* 13. & 24. 25. 64. 71. 84. *S. Benedictus in Regul. cap.* 8. *S. Aug. in Reg. seu ser. 2. de vita Cleric.* Regula PP. cap. 4. §. 2. S. *Columbanus in Regula cap.* 1. §. 3. & cap. 9. §. 5. *S. Ferreolus in Regul. cap.* 1. §. 6. & 7. *S. Fructuosus in Reg. cap.* 5. §. 10. *S. Francisc. in Reg.* cap. 10. Et cæteri Religionum institutores.



ARTICVLVS VI.

Vtrum requiratur ad perfectionem Religionis, quod paupertas, continentia, & obedientia cadant sub voto?

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod non requiratur ad perfectionem religionis, quod prædicta tria, scilicet paupertas, continentia, & obedientia, cadant sub voto. 1.2 q. 108. art. 4. cor. & 3. con. cap. 130. & op. 18. c. 11. & 21. & op. 19. c. 5. *Disciplina enim perfectionis assumendæ ex traditione Domini est accepta. Sed Dominus dans formam perfectionis, Matth. 19. dicit, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: nulla mentione facta de voto. Ergo videtur, quod votum non requiratur ad disciplinam religionis.*

2. Præterea, Votum consistit in quadam promissione Deo facta. Vnde Ecclesiastes 5. cum dixisset Sapiens, Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: statim subdit, Displicet enim ei infidelis & stulta promissio. Sed vbi est exhibitio rei, non requiritur promissio. Ergo sufficit ad perfectionem religionis, quod aliquis seruet paupertatem, continentiam, & obedientiam, absque voto. ca. cum ad monasterium de statu Re.

3. Præterea, Aug. † dicit ad Pollentium de adulterinis coniugijs, Ea sunt in nostris officijs gratiora, quæ cum liceret nobis etiam non impendere, tamen causa dilectionis impendimus. Sed ea quæ fiunt sine voto, licet non impendere: quod non licet de his quæ fiunt cum voto. Ergo videtur gratius esse Deo, si quis paupertatem, continentiam, & obedientiam, absque voto seruaret. Non ergo votum requiritur ad perfectionem religionis. l. 1. c. 14 in princ. to. 6.

Sed contra est, quod in veteri lege Nazaræi cum voto sanctificabantur: secundum illud Num. 6. Vir siue mulier cum fecerint votum vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, &c. Per eos autem significantur illi qui ad perfectionis summam pertingunt: vt dicit gloss. Gregor. †

ibi-

Gl. ord. ibi ex Gregor. l. 2. Mor. c. 39. c. 8. q. 1. ibi. a. 5.

ibidem. Ergo votum requiritur ad statum perfectionis.

Respondeo dicendum, quod ad religiosos pertinet, quod sint in statu perfectionis: sicut ex supradictis patet. Ad statum autem perfectionis requiritur obligatio ad ea quæ sunt perfectionis: quæ quidem Deo fit per votum. Manifestum est autem ex † præmissis, quod ad perfectionem Christianæ vitæ pertinet paupertas, continentia, & obedientia. Et ideo religionis status requirit, ut ad hæc tria aliquis voto obligetur. Vnde Greg. † dicit super Ezechiel. Cum quis omne quod habet, omne quod viuit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est. Quod quidem pertinere postea dicit ad eos, qui præsens seculum deserunt.

† a. 3. 4. & 5.

† Ho. 20. inter me. & fin.

Ad primum ergo dicendum, quod ad perfectionem vitæ Dominus pertinere dixit, quod aliquis eum sequatur, non qualitercumque, sed ut ulterius retro non abiret. Vnde & ipse dicit Lucæ 9. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Et quamuis quidam de discipulis eius retrorsum abierint, tamen Petrus loco aliorum Domino interroganti, Nunquid & vos vultis abire? respondit, Domine, ad quem ibimus? Vnde & August. dicit in libro † de Consensu Euangelistarum, quod sicut Matthæus, & Marcus narrant, Petrus & Andreas, non subductis ad terram nauibus, tanquam causa redeundi, secuti sunt eum, sed tanquam iubentem ut sequerentur: hæc autem immobilitas sequelæ Christi firmatur per votum. Et ideo votum requiritur ad perfectionem religionis.

l. 2, c. 17. in fi. t. 4.

Ad secundum dicendum, quod perfectio religionis requirit, sicut Greg. † dicit, ut aliquis omne quod viuit, Deo exhibeat. Sed homo non potest totam vitam suam Deo actu exhibere: quia non est tota simul, sed successiue agitur. Vnde non aliter homo potest totam vitam suam Deo exhibere, nisi per voti obligationem.

Ho. 20. in Ezech. inter me. & fin.

Ad tertium dicendum, quod inter alia quæ licet nobis non impendere, est etiam propria libertas, quam homo cæteris rebus chariorem habet. Vnde cum aliquis propria sponte voto sibi adimit libertatem abstinendi ab his, quæ ad Dei seruitium pertinent, hoc fit Deo acceptissimum. Vnde Aug. dicit in epist. ad Armentarium, & Paulinam, Non te vouisse pœniteat, immo gaude iam tibi non licere quod cum tuo detrimento licuisset. Felix necessitas, quæ in meliora compellit.

Epist. 45. non multum a. motea fi. a.

SVMMARIVM

1 *Resolutio articuli. num. 1.*
2 *Aliqua præmittuntur. num. 2.*
3 Ratio difficultatis. num. 3.
4 *Obligatio necessaria ad votum perfectionis non habetur nisi per votum. num. 4.*
5 *Ad statum non sufficit propositum bene viuendi. num. 5.*
6 *Firmitas status perfectionis non potest haberi ex præcepto humano. num. 6.*
7 *Solum ex promissione facta Deo habetur immobilitas status perfectionis. num. 7.*
8 *Si promissio eorum, quæ sunt perfectionis fieret homini esset status perfectionis secundum quid. numer. 7. & 8.*
9 *Inter consilia conducentia ad perfectionem unum est operari ex voto. num. 9.*
10 *Ad statum perfectionis necesse est, ut paupertas, castitas, & obedientia sint consecrata per votum. num. 10.*

1 RESolutio huius articuli est, quod ad statum perfectionis requiritur votum, quia aliunde non potest haberi obligatio, quæ est de ratione status, & ex consequenti cum paupertas, continentia, & obedientia pertineant ad statum Religiosum, necesse est, vt ista cadant sub voto.

2 Duo autem ex præcedentibus probata à D. Th. præmittuntur, scilicet Religionem esse statu perfectionis, & ad statum perfectionis requiri obligationem. Quibus suppositis subditur, quòd hæc obligatio fit per votum, vnde sequitur quòd de ratione status Religiosi sit votum. Videtur quòd hæc assertio habeat difficultatem, vnde quæritur.

An obligatio sufficiens ad statum perfectionis Religiosæ possit aliunde haberi, quàm per votũ?

3 VIdetur enim eam posse aliunde accipi. Primò ex sentẽtia *Henrici quodl. 11. q. 19. ad 4. & 5.* vbi existimat ad statum perfectionis Religiosæ sufficere propositum viuendi religiose. Nam firmum propositum habet vim firmandi, & stabiliendi hominem in vita religiosa; igitur sufficit ad rationem status perfectionis religiosæ, ille enim moraliter stare dicitur, qui immobilis permanet, & stabiliter durat in modo viuendi. Secundò, quia dato quòd non sufficeret propositũ, aliud potest sufficere, scilicet superioris præceptum, ex quo potest homo obligari perpetuò ad vitam Religiosam; non ergo requiritur votum.

Ter-

Tertio. Nam dato quòd hæc obligatio non possit sufficienter constitui per præceptum, sed sit necessaria aliqua libera promissio ex parte Religiosi, sufficiet si sit promissio humana, per quam aliquis obliget se homini, vel superiori viuendi secundùm aliquam regulam; & habere illum, vt directorem in illis, quæ pertinent ad perfectionem.

4 Nihilominùs his non obstantibus solùm per votum haberi obligationem, quæ sufficiat ad statum religiosæ perfectionis cum D. Th. hic docent *Caiet. Palud. 4.d.38. q.1.* & ibi alij DD. communiter, *Soto lib.3.de Iust.q.3.a.2. & seqq. Alu. Pelag. lib.2.de planctu Eccles.cap.56. Capreolus in 4.d.33. q.1.ad arg. Petri Deza, ibid.a.3.notab.4. Io. de Cruce de stat. Relig.cap.1.concl.4. Ledesma de stat.cap.5.conclus.1. Donatus tom.3.tract.1.q.7. Sanchez lib.5.mor. c.1.num.18. Suarez tom.3. de relig.l.2.cap 3. num.5.* & est communis sententia Thologorum, & Canonistarum ad *cap.cum ad Monasterium de statu monach.* Et supponitur in toto titul. de Regular. præcipuè verò *cap.viduam, cap.significantius, & cap.porrectum*. Nam ex quo iura de facto decernunt statum Religiosum non assumi nisi à vouente paupertatem, continentiam, & obedientiam, satis indicant hoc esse de natura Religiosi status.

5 Respondetur igitur, & dicitur primò. Ad statum religiosum non sufficere propositum religiosè viuendi: Quod probatur, quia propositum cum sit mutabile, & voluntas valde inconstans, propositum non sufficit nec etiam ad constituendum statum perfectionis absolutè, vt supra probatum est, vnde multò minùs sufficiet ad statum perfectionis religiosæ, qui est valde perfectus in genere status perfectionis. Tum ampliùs, quia cum vita regularis sit valde difficilis, si status eius non firmaretur nisi proposito, fluctuaret vndique, & quamplurimi essent, qui retrocederent. Tum tertiò, quia obedientia, quæ maximè necessaria est ad statum perfectionis, vt patet ex art.8. huius quæst, non potest haberi per simplex propositum. Implicat enim aliquem obligari ad obediendum per simplex propositum, quia non est in vno obligatio obediendi alij, nisi in alio sit, vel iurisdictio, vel aliquod ius saltem dirigendi illum. In his verò ad quæ homo, non tenetur obedire alteri ex lege, alter non potest habere ius præcipiendi, & ordinandi, nisi per aliquam promissionem, & pactum voluntarium per quod ille, qui est liber se obliget ad illi obediendum, & det illi ius mandandi, aut dirigendi. Impossibile est igitur, quòd per propositum habeatur illa obligatio, quæ constituit statum religiosæ perfectionis, cum hæc sit obligatio viuendi secundùm directionem & ordinationem superioris regularis.

6 Dicitur secundò obligationem status religiosi, non posse esse merè extrinsecum & prouenientem ex alicuius humani præcepti virtute. Ratio est manifesta. Quia cum religiosa vita consistat in voluntaria paupertate, & castitate, & obedientia in ijs, ad quæ homo non tenetur; Non est per se loquendo in aliquo homine talis ac tanta authoritas, per quam superior possit præcipere alicui, vt renunciet proprijs bonis, vel vt abstineat à matrimonio, vel vt obediat in ijs, in quibus non tenetur obedire. Ad huiusmodi igitur consilia, quæ in plena hominis libertate sunt ex iure naturæ, non potest homo obligari, nisi ipse voluntariè ad illa se obliget per promissionem aliquam, & pactum voluntarium.

7 Dicitur tertiò obligationem religiosi status per se ex natura rei, non posse oriri nisi ex promissione religiosa facta Deo, quæ est votum. In puncto autem huius asserti *Suarez tom.3. lib.2.c.3. nu.6.* existimat posse dari statum perfectionis secundùm quid talem, qui constituatur per promissionem factam homini, quæ ex consequenti, non sit votum. Nam bene potest aliquis promittere alicui obediētiam etiam in ordine ad castitatem, & paupertatem seruandam, ex qua promissione tenebitur promittens obedire, & perpetuam paupertatem, & castitatem seruare; & sic iste erit in statu alicuius seruitutis suo modo vtili ad honestè viuendum cum perfectionis augmento per consiliorum obseruantiam, vnde erit in aliquo statu perfectionis. Quanuis verò spectata absoluta potestate voluntatis posset promitti religiosa paupertas, castitas, & obedientia, etiam, vt sunt actus religionis, & ita vt promissio esset religiosa, & tamen hæc promissio fieret homini, & Deus esset is cuius obsequium promitteretur, sed homo esset cui fieret promissio. Nihilominùs vt *Suarez* docet, moraliter non contingit promissionem diuini obsequij fieri hoc modo, quia cum per huiusmodi promissionem intendatur perfectio charitatis, & vnionis cum Deo, natura ipsa rei promissæ, & finis promissionis exigunt, vt potiùs homo sit is cuius promittitur obedientia, sed Deus in cuius gratiam fit promissio sit is cui huiusmodi obedientia promittatur

8 Accedit etiam si promissio religiosi obsequij fieret homini, & non Deo, hæc promissio non sufficeret ad statū perfectionis simpliciter duplici ratione. Primo ex parte perpetuitatis, & obligationis, quia nulla humana promissio cōtinet immobilitatē sufficiētē ad statū perfectionis. Nā humana obligatio, nec sufficiat ad statū constituēdū, & si sufficeret ad hoc non sufficit ad statū perfectionis, quia perfectio vitæ christianæ ex se perpetuitatē requirit, quia vt Christus docet Lucæ 9. Nemo mittens manū ad aratrū, & respiciens retro aptus est regno Dei; ideo perfectionis status per se requirit obligationē perpetuā, & præbentē perpetuā firmitatē, quā non fert promissio humana, quia humana obligatio ex cōsēsu partiū est dissolubilis, & humanæ libertati subiecta. Et voti obligatio perpetua est. Et licet in ea Papa possit dispensare, hoc non potest facere ex libito suæ voluntatis, sed ex iusta causa, qua extante non recedit homo, à studio perfectionis, & à tendentia in illam, quia immò perfectionis est, vbi iusta causa id exigat opera perfectionis mutare, & vno consiliorum licet perfectius sit ex genere, relicto, ad aliud studium applicare ex superioris directione. Et sic voti obligatio, non dissoluitur ex hominis libertate, sed solùm ex ipsius Dei authoritate iusta causa existente.

9 Secundò ex parte rei promissæ, quia promittitur perfecta obseruantia consiliorum, vt habetur ex doctrina *D.Thom.op.18.cap.13.* vbi docet perfectionis esse, non solùm perfectum opus habere, sed perfectum opus vouere. Ex hac enim doctrina habetur, quòd ad statum perfectionis spectat respicere opus perfectum pro fine, & ex consequenti pro obiecto formali suæ obligationis. vnde est nedum, quod obligatio status perfectionis debet respicere opus, vt religiosum, quia Religionis

est ordinare actus omnium virtutum in Dei obsequium, & cultum. Vnde, vt docet *D. Thom. sup. q. 81. a. 8.* sanctitas est eadem cum religione, quia religio ipsa sanctitas est, ex quo omnium virtutum actus in Deum ordinat. Sed tota hæc promissio debet fieri per votum. Quia inter alia consilia conducentia ad perfectionem vtilissimum est votum, igitur perfectum opus ducens ad perfectionem, non est vita pauper, & casta sub obedientia superioris, nisi vt habet adiunctum votum; vt hoc modo etiam consilium voti adhibeatur, & sic assumatur medium completum, & perfectum, ad consequendam perfectionem accomodatum.

10 Ex iis igitur D. Thom. deducit conclusionem responsiuam quæsito; quia scilicet ad statum perfectionis est necessarium, quód paupertas, castitas, & obedientia promittantur per votum. Nam primo obligatio status religiosi debet esse ex voto. Huic verò principio si additur, quòd ad statum religionis pertinent paupertas, continentia, & obedientia; sequitur, quod hæc debeant esse ex voto firmata. Et ita hanc Conclusionem docent communiter DD, & sacri Canones de facto ita fieri debere decernunt, vt patet ex titul. de regularibus, *& cap. cum ad monast. de statu monach.*

SVMMARIVM.

1 *Hæc necessitas est ex connaturalitate perfectionis. num. 11.*

11. IN respons. ad primum aduertit *Caiet.* quód quia non constat, explicitè fuisse à Christo institutum statum perfectionis religiosæ per votorum obligationem, D. Thomas ideo ex immobilitate necessaria ad sequelam Christi infert necessitatem voti. Sed tamen si attente textum D. Th. & eius rationem consideremus, apparet, quód hæc non est necessitas ad bene esse, vel ad melius, & quæ sit necessitas institutionis faciendæ, & superaddendæ, sed necessitas connaturalis statui profitenti sequelam Christi. Et si absolutè ad aliquam Christi sequelam sufficiat propositum formā Christum sequendi, hoc tamen, non sufficit ad statum perfectionis, sed ad illum requiritur, quód propositi immobilitas, & firmitas ex nostræ libertatis imperfectione mutabilis firmetur per obligationem immutabilis pacti, & ideo per promissionem voti Deo factam.

SVMMARIVM.

1.2 *Homo non potest se ipsum Deo donare nisi per votum. num. 12.*

12 AD secundum subtiliter ex Greg. authoritate voti necessitas colligitur. Nam status religiosus in hoc consistit, quód aliquis totam vitam suam Deo immobiliter exhibeat; Hoc autem non potest fieri simul, & statim nisi per votum, per quod homo totum cursum vitæ suæ Deo dedicet. Ex sic ex re promissa per Religiosum statum colligitur, quód sit necessarium votum, quia totus vitæ cursus, non traditur simul in Dei obsequium nisi per actum voluntatis, per quem homo hunc cursum offerat, non sufficit verò ad rationem status, quód hoc fiat per propositum; est igitur necesse, vt fiat per promissionem, & votum. Hinc tamen potest haberi difficultas ex eo, quód sacrificium, & holocaustum, non sit de futuro, sed traditio de præsenti, quæ quidem repugnat promissioni & voto. Quæritur propterea.

SVMMARIVM.

1 *Ratio difficultatis 13. & aliquorum opiniones. n. 13*
2 *In vita Cænobitica professione duplex promissio reperitur. num. 14.*
3 *In professione homo se Deo offert, & donat. n. 15*
5 *Votum professionis non est contractus onerosus, nec donatio, nec pactum, sed sacrificium, nu. 16.*
6 *Non sine iniuria Dei, & voti asserunt, quod votum sit contractus onerosus. num. 17.*
7 *Votum Religionis non est proprie donatio. n. 18.*
8 *Homo vouendo bonum recipit. num. 18.*
9 *Votum professionis non est actus iustitiæ, aut restitutio, aut actus liberalitatis, sed holocaustum religiosum. num. 19.*
1.o *Promissio in Religione facta Religioni non est contractus onerosus. num. 20.*
1.1 *Oppositum asserere est admittere simoniam. nu. 20.*
1.2 *Simonia est commutare spirituale cum spirituali ex pacto. num. 21. 28.*
1.3 *Religioso nedum bona temporalia, sed spiritualia Religionis dantur, sed si darentur ex pacto esset simonia. num. 22.*
14 *Non conuenit ei, qui relinquit mundum, vt deducat in pactum alimentum. num. 23.*
15 *Religio tenetur tradere Religioso spiritualia & alimentum, sed non tenetur ex pacto. n. 24. 31.*
16 *Obiectio. nu. 25.*
17 *Contractus onerosus est ex fine operis intendere aliquid recipere pro opere. n. 25. 28.*
18 *Responsio insufficiens. num. 26.*
19 *Replica. num. 27.*
20 *Obiectio si probat, probat professionem esse simoniam. num. 28.*
21 *Finis voti professionis, non est aliquid recipere, sed dare. num. 29.*
22 *Quando dare, non habetur nisi qui det simul recipiat, non est simonia recipere, dum tamen finis recipientis sit dare gratis, quod dat. nu. 29.*
23 *Communiter dicitur, quod donatio, quo Religiosus se donat Religioni fundat iustitiam commutatiuam. num. 30.*
24 *Nō est certū, quod Religio donet se Religioso n. 31.*
25 *Epilogus dictorum. num 32.*
26 *Religiosus proprie nec se donat in seruum, nec in filium, sed in subditum Deo, & Religioni per votum consecratum. num. 33.*
27 *Donatio, quæ in professione reperitur, non est distincta à promissione. nu. 34. 35.*
28 *Promissio omnis est aliqua donatio de præsenti. n. 34*
29 *Licet in professione de facto inchoetur vita Religioso, tamen professio simpliciter est promissio, non vero donatio de præsenti. nu. 35.*
30 *Promissio, & donatio in professione sunt duo actus, & non sunt. num. 36.*
31 *Per votū soli Deo promittitur vita Religiosa. n. 37*
32 *Religiosus vitam Religiosam promittit tam Deo, quam Religioni, sed distinctis promissionibus. n. 38.*
33 *Per votum, non transfertur aliquod speciale dominium in Deum, quia Deus ex se ipso est infinite dominus. num 39.*
34 *Deus nō est capax dominij priuati, & Ciuilis. n. 40.*
35 *Deus ex vi voti nouum dominium non acquirit, sed dominium extendit posita conditione ex parte creatura necessaria. num. 41.*

Quo-

36 *Quomodo sit necesse, quod Religio votum profitentis acceptet: num.42.46.*
37 *Sufficeret ad statum perfectionis votum sine promissione facta homini, sed votum, non haberet omnem effectum, si homo cui obedientia promitteretur, non consentiret.num.43.*
38 *Differentia inter donationem immediate factam Deo, & Ecclesia.nu.44.*

An votum religiosæ professionis sit simul promissio, & donatio, vel potiùs ad statum perfectionis præter promissionem requiratur etiam donatio, seu traditio?

13 Est enim indubitatum, quòd votum, sit promissio,vnde dubitari non potest esse, quia votum professionis, sit promissio; quia tamen aliàs Religiosus per professionem offert se Deo in holocaustum, vt ex *S.Greg.hom.20.in Ezech.* probat *D.Th.sup.art.1.* videtur, quòd huiusmodi votum, non sit nuda promissio, sed simul donatio, per quam Religiosus Deo, & Religioni se donat, & ita id docet *Suarez tom.3.de Relig.lib.2.cap.4.n 5. & sequent.* vbi vult quòd per vota Religiosa homo Deo se donet, & loquitur de donatione, quæ sit contractus, & talis vt per eam in Deum transferat speciali modo dominium respectu religiosi vouentis, & super huiusmodi donationis, & contractus natura fundat necessitatem acceptationis putans ex hoc necessarium esse, quòd huiusmodi donatio acceptetur a Deo, & ab Ecclesia nomine Dei. Et in hac parte *Suar.sequitur Antonius Cotonius Controuers.lib.4.contr.1.cap.1.num.9.*sentiens sine donatione statum Religiosum, non posse consistere. Sed econtra *Vasquez p.2.disp.165.cap.4. nu.16.* sentiens nullum ex vi voti posse in aliquem transferre sui dominium, vel iurisdictionem in se ipsum,quia dominium,& iurisdictio à Christo tributa est Pontifici, & aliàs dominium sine iurisdictione, non inuenitur, nec etiam in Abbatissis, consequenter sentit, quòd ex vi voti professionis Religionis non donet se Religioni in subditum.

14 In hac parte distingui debet votum à materia voti, & ex consequenti inspiciendum est, quòd aliud est, quòd votum sit essentialiter donatio, & aliud est an per votum donatio aliqua promittatur, aut consecretur. Dico igitur primò, quòd in statu Religioso Cœnobitico, qualis est, qui nunc est in Ecclesia, duplex datur promissio. Vna scilicet per quam Religiosus promittit, & immò tradit se Religioni, & altera per quam promittit, & tradit se Deo, & illa est materia istius, quæ per istam Deo immolatur,& consecratur. Habetur hoc ex *D.Th. sup.q.88.a.5.ad 3.ibi. Dicendum, quòd votum soli Deo fit, sed promissio etiam potest fieri homini: & ipsa promissio boni, quæ fit homini potest cadere sub voto, in quantum est quoddam opus virtuosum. Et per hunc modum intelligendum est votum, quo quis vouet aliquid sanctis, vel Prælatis, vt ipsa promissio facta sanctis, vel Prælatis cadat sub voto materialiter, in quãtum scilicet homo vouet Deo se impleturum, quod sanctis, vel Prælatis promisit.* Quamuis enim absolutè loquendo posset esse, vt quis soli Deo voueret paupertatem, & continentiam, & obedientiam, & tunc solus Deus esset is, cui promitterentur illa tria, sed tamen homo esset cui obedientia Deo promissa reddi deberet. Tamen in vita Cœnobitica, prout nunc habetur, per prius est quòd Religiosus tractet cum Religione, quam vult amplecti, illique se tradat, & ab ea in consortium recipiatur. Quo facto totũ hoc per votum Deo consecratur. Deo enim promittitur obseruantia illius promissionis,per quam homo promisit Religioni se victurum in ea secundùm eius leges. Nec obstat, quòd in aliquibus formis promittendi dicatur promitto obedientiam Deo, & tibi, vnde prior videtur promissio facta Deo. Quia prius ponitur promissio facta Deo, quia est prior in intentione, & principalior, sed tamen in genere causæ materialis prior est promissio facta Religioni, & ita quòd materia voti, non est obedientia secundùm se pura, sed obedientia Religioni iam promissa, quæ est obedientia secundum regulam.

15 Loquendo igitur, non iam de materia voti, sed de voto ipso, dico secundo indubitatum esse, quòd ex vi voti professionis Religiosus totaliter se mancipat Deo,vt dixit *D.Thom. sup.ar.p.1.* quia iuxta sententiam S. Greg. hom.20.in Ezech. *Sensum, linguam, vitam, atque substantiam, quam perceperit omnipotenti Deo immolat,*& ita se ipsum Deo offert in holocaustum. Nam vt idem S.Greg. habet, *Cum aliquis omne, quod habet, omne, quod viuit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vouit, holocaustum est.* Et de Religioso optimè dixit Chrys. Epis.ad Theod.monach. *Nunc autem nihil iu se potitus sui iuris est, quippe qui tanto imperatori militare cœpisti.* Et Cassi.lib.4.de institut. renunc. cap.3. dixit, *Religiosum ne sui quidem ipsius dominium, vel potestatem habere.* Et in eo verificari deberet illud Apost.Gal.2. *Viuo ego iam, non ego, viuit verò in me Christus*, quia vt dixit S.Greg.Nazianz. in definitionibus Iambicis. *Quid est monachus? Est qui viuit legi & Deo.* Ideo negari quoque non potest, quin in huius voti emissione aliquid donationis, & pacti erga Deum intercedat, vt dixit Basil. *ser.1.de instit.monach. Vbi quis sponte sua ipse professus, hic Deo custodire se ipsum debet, veluti eorum aliquid, quæ donata sunt Deo.* Et ad monachum lapsum Epis.prima. *Vide, ne forte dum vis, quæ quibusdam pactus es, custodire, transgrediare pacta à te inita cum Deo, quæ professus es coram multis fratribus.*

16 Dico nihilominus tertiò, quod per votum non habetur contractus aliquis onerosus, & nihil propriè donatur Deo, nec aliquod pactum propriè dictum interuenit, sed votum professionis Religiosæ nec iustitiæ, nec liberalitatis est actus, sed religionis, & non est donatio, sed sacrificium, & holocaustum per quod homo se immolat, & consecrat Deo.

17 Oppositum huius conclusionis tenet *Antonius Cotonius controu.lib.4.contro.1. cap.2. num.29.* Cum enim in antecedentibus dixisset inter Religiosum & Prælatum intercedere contractum ex vtraque parte obligatorium, in *num.29. sub dubitabis, ait. An etiam cum Deo contractum vltro, citroque obligatorium, ineat Religiosus? Et quale? Respondetur, inquit, affirmatiuè. Plenius autem lib.1.cap.4.* Sub dubio differens, an votum professionis sit aut

donatio, aut venditio, aut commutatio, respondet, quòd potiùs sibi videtur esse restitutio, quia Deo redditur, quod suum est. In conclusione autem dicitur primò, quod votum professionis non est cõtractus onerosus ex vtraq; parte obligatorius, quia hoc sine iniuria Dei, & voti, non potest affirmari. Nedum enim secundùm *D.Thom. 2.2. p.p. q.21.* & communem sententiam Deus nulli potest esse debitor, sed votum ipsum professionis ex sui natura petit vt non sit mercenarium, sed ex liberalissimo animo fiat. Naturæ enim charitatis, vt dixit *S.Bernard.lib.de dilig.* Deo repugnat, vt mercenaria sit, est enim amicitia, vt dixit *D.Thom.supra quæst.23.a.1.* Amicitia verò non quærit quæ sua sunt, nec proprium interesse, nec paciscitur cum amico, sed liberalissimo affectu in illum tendit, & per illum bonum amici non vt bonum amantis, sed vt est amici bonum desideratur, & procuratur. Et ex hoc charitas est prima omnium virtutum, quia vt habet *D.Thom. dicta q.23. art.5. attingit ipsum Deum, vt in ipso sistat, non vt ex eo aliquid nobis proueniat.* Et sic charitas materialiter emptio est, vel venditio, vel commutatio, quia habet abundantissimam remunerationem, sed formaliter liberalissimus est affectus, qui sine aliqua commutatione & pacto acquirit sibi regnum cœlorum, iuxta illud Isaiæ 55. *Emite absque argumento, & absq; vlla commutatione vinum & lac.* Cum autem votum professionis ex proprio fine intendat perfectionem charitatis, cuius natura est vt attingat Deum non vt ex eo aliquid amanti proueniat, sed vt in Deo sistat, non sine eiusdem voti iniuria dicitur, quod sit actus amoris vt mercenarij, & quòd sit vel emptio; vel venditio, vel commutatio, vel quicumq; contractus onerosus exprimendus *per do, vt des.* Sed ex natura sua petit esse liberalissimus, & ex puro amicitiæ amore proueniens, tanquam medium assumptum vt perfectio liberalissimę charitatis acquiratur. Nec obstat, quod *S.Basilius constit.monast.cap.22.* dicat, quod Religiosus init pactũ cum Spiritu sancto, quia etiam promissio liberalis, & donatio est pactum *Sylu.v.pactũ.n.3.* Accedit, quod Deus non est capax iustitiæ commutatiuæ, vt docet *D.Thom. p.p. q.21.* Et non sine Dei iniuria & hominis præsumptione & superbia fieri potest, vt homo ex æqualitate iustitiæ agere velit cum Deo.

18 Sed neque donatio propriè est votum professionis, quia Dei summum beneficium est, quod homo à Deo recipit. Nominaliter quidem Deus ab homine recipere dicitur obedientiam, honorem, reuerentiam; sed nomina huiusmodi in Deo non sunt nisi denominationes extrinsecæ prouenientes ex actu humano obediendi, & honorandi, & in se non sunt nisi gratiæ, & dona Dei, & diuini amoris beneficia, quæ homo recipit. Nec homo de suo potest Deo dare, quod sit illi acceptũ. *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? Rom. 11.* Etenim homo de suo non habet nisi imperfectionem: suum proprium est peccatum. Sed bonum suum est, quia illud habet, & boni actus sui sunt, quia liberè & ex dominio libertatis illos elicit, sed nõ sui sunt, quia illos ex proprijs, seu tanquam causa propria bonitatis illos habeat, quia propria causa entitatis, & bonitatis Deus est, & homo ex Deo illos recipit, cuius dona sunt, & beneficia. Et Deus qui in se est infinitè bonus nullo extra se indigens, & cuius immensa perfectio nec augeri potest, nec minui nihil ab aliquo recipit, finisque eius in cunctis operibus suis est sola sua bonitas vt alijs communicãda, & ideo in illis ipsis denominationibus in quibus dicitur aliquid recipere, ipse est qui donat, & dicitur recipere in quantum iustum est, vt aquæ vnde exeunt reuertantur, & quod gratiarum, & beneficiorum circularis sit motus, qui in suum principium redeat, nõ ex indigentia principij, nec quia Deus in se ipso aliquid recipiat, sed quia hæc est beneficiorum natura, & hoc ad perfectionem creaturæ à Deo recipientis gratias pertinet, & Dei donum est, vt creatura suum principium recognoscat. Simpliciter igitur loquendo votum Religiosæ professionis Dei donum est, quod homo vouens recipit, non est igitur propriè donum hominis factum Deo, nec est ex virtute liberalitatis. Et licet dicatur gratuitò emissum, quia liberè emittitur nedum libertate naturali, sed libertate præcepti. Non tamen hæc libertas sufficit, vt propriè sit donum; quia ad donationem requiritur nedum quòd id, quod datur liberè detur, sed quòd id quod datur sit ex proprijs, & non sit donum eius, cui datur, at verò votum professionis Dei donum est, & ita quod homo vouendo recipit à Deo, non ergo donat, sed Dei donum recipit. Et dicitur secundùm quid, & impropriè donare, pro quanto liberè agit etiam libertate præcepti, quia ex præcepto non tenetur vouere.

19 Hinc bene sequitur, quòd votum Religiosæ professionis nec liberalitatis, nec iustitiæ est actus. Non iustitiæ quia liberè emittitur, & ex nulla lege debetur, sed est actus liber etiam à necessitate præcepti. Et ideò nec propriè est restitutio, quia licet quod datur sit Dei, non tamen datur lex, quæ præcipiat vt detur, & sic quis non datur ex iustitia, sed liberaliter, non est restitutio, sed ex hac parte potius est liberalis donatio. Sed tamen nec est actus liberalitatis, quia nihil boni habet homo de suo comparatiuè ad Deum, quod Deo donare possit, cum Dei donum sit, quidquid boni homo est, & facit. Quid ergo est votum? *Est actus religionis* vt expressè docet *D.Thom. supra art.1.* & probant adducta ex *S.Gregor.hom.20. in Ezech.* & est communis Theologorum sententia, quoniam & dicitur votum Religionis, & per illud cõstituitur Religionis status antonomasticè dictus, quia est excellentissimus quidam Religionis actus, cum non sit sacrificium, sed holocaustum.

20 Dico quarto, quod neque promissio, quæ in professione fit Religioni, aut Prælato eius est contractus vltro citroque obligatorius, sed & ille est actus virtutis Religionis, & quædam donatio liberalis per quam Religiosus se Religioni donat. Oppositum huius nihilominus sentit *Caronius vbi supra num.24. & sequen. post Nauar. conf.26. de regul. Rodriq.tom.2.qu.13. art.12. §. Circa eandem Peyr.in Prel.q.3.cap.1.num.160. Sanchez lib.5.cap.4. nu.62.* vbi quod est contractus onerosus, *& lib.9. matrim. disp.25.num.12. Vecbius, & Portell.* quos refert, & sequitur *Bardon.resol.57.n.4. Tamburin.tom.1.disp.6. in fin.* quẽ refert, & sequitur *Rota in Vlixiponen.nullitatis professionis,§.professio siquid! apud Dianã in fin. part.9. Bossius lib.4. de matrim.c.11.nu.14.* Hæc tamen sententia in sensu, quem facit prima facie falsa est, & sustineri non potest, nisi interpretetur, quia facit pro-

professionem Simoniacam, Vbi enim spirituale datur ex pacto simonia est; si igitur qui profitetur dat se ipsum Religioni ex pacto, & Religio ex pacto se repromittit profitenti directionem in agendis, communionem bonorum religionis, & alimenta seu sustentamẽtum, tam religiosus, quam Religio simoniam committit.

21 Responderi vero potest primo commutari spirituale cum spirituali, quia Religiosus se obligat ad spiritualem & religiosam vitam in communitate habendam, & religio illi spirituale gubernium promittit. Sed hoc non vitat difficultatem; Nedum quia datur etiam temporale sustentamẽtum, & dantur labores corporales servientium, & hoc ex pacto dari dicitur. Sed quia simonia est ex pacto cõmutare spirituale cum spirituali, *cap. final. de pactis, cap. quæsitum de rerum permut. D. Anton. 2. par. tit. 5. Ricchar. 4. d. 25. art. 3. q. 1. Sylu. v. simon. num. 16. Tab. num. 44. Armill. num. 42. Lopez p. p. instruct. cap. 299. Petr. Nauar. lib. 2. de restit. cap. 2. num. 589. Pasqualig. decis. 224.* Et hoc idem docent, qui volunt Simoniacum esse commutare electionem ad officium spirituale pro simili electione; quod in specie docent, *Peyr. tom. 1. de subd. q. 1. cap. 3. §. 9. Pasqual. dec. 223. Diana par. 3. tract. 2. resol. 175. & par. 4. tr. 4. resol. 150. Samuel de elect. tr. 5. disp. 5. contr. 3. Donat. p. 3 tract. 1. q. 22. Suarez de simon. cap. 39. num. 13. Nauar. cap. 23. num. 100. Azor. p. 3. lib. 15. cap. 2. q. 3. Sigism. de elect. cap. 54. num. 6. Bassæus v. simonia 5. num. 4. &* plures alij quos isti referunt. Non enim conuenit gratiæ spirituali & dono Dei, vt detur ex pacto, siue vt ematur, & vendatur; & ideò iura citata merito hoc prohibent.

22 Secundò respondent posse quem dando spirituale prætendere, & deducere in pactum necessarium sustentamentum; & sic Religiosum posse profiteri deducendo in pactum, quod sustentetur in Religione. Sed responsio non satisfacit. Nam primo responsio recedit ab assertione posita, & ex ea solum habetur, quod potest deduci in pactum necessarium sustentamentum, non vero saluat, quod in pactum deduci possit conuictus spiritualis, & spiritualis directio, & spiritualium bonorum communio, quæ sunt illud principale, quod intendit, qui profitetur, & quod intendi, & dari ex pacto tradit præfata opinio. Secundò, quia licet sustentamentum possit esse conditio, sine qua, non daretur spirituale, vt si quis, non esset celebraturus missam, nisi haberet stipendium, & sustentamentum solitum dari, & propterea ex hac parte possit deducere in pactum idem stipendium; non tamen potest dari spirituale pro sustentamento, quia semper hoc est simoniacum, & sic non potest, quis vouendo Religionem pacisci, vt pro eo quòd dat se ipsum in filium, vel in seruum debeatur sibi aliquod temporale, & sic suam professionem vendere.

23 Tertio, quia adhuc indecens est, & minime conueniens, vt qui relinquit sua propter Deum, & ita, quod nedum relinquat bona ex quibus sustentatur abunde, sed & parentes, & honores, & mundum, & se ipsum, velit postea esse in sua professione mercenarius, & deducere in pactum pauperrimum sustentamentum, non fidens diuinæ prouidentiæ, & non attendens verbis Christi solicitudinem sustentamenti ijs, qui illum sequuntur, prohibentis, & dicentis Matt. 6. *Ideo dico vobis ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neq; corpori vestro, quid induamini,* & concludentis *quærite ergo primum Regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adycientur vobis.* Non conuenit igitur profitenti Religionem, vt quocumque modo se vendat, sed bene, vt se donet. Neque enim victimæ Deo venduntur, & contra naturam sacrificij est, vt quod Deo datur, detur ex pacto, sed victima holocausti Deo offertur, & tota immolatur in Dei cultum, & honorem. Non igitur conuenit, vt qui profitendo Religionem se immolat Deo, & offert in holocaustum, id faciat ex pacto aliquo oneroso, & se vendat, sed bene, vt ex liberali charitate, & generosa Religione Deo, & per eum Religioni totum se donet. Et ideo, quod promissio ista facta Religioni, non sit contractus onerosus dixit *Pontius l. 7. de matrim. c. 6. num. 3.*

24 Verissimum igitur est, quod dixit Christus, Matt. 6. scilicet, *quærite primum Regnum Dei, & hæc omnia adycientur vobis;* quia consecutiue ad professionem Religiosi a Religione acceptatam, oritur in Religione ex Religionis ipsius iustitia debitum religiosum communionis bonorum tam spiritualium, quam corporalium respectu Religiosi professi. Nam per Religionem debet edoceri, qui se donat in discipulum, & debet dirigi paterne qui se donat in filium, & debet regi, qui se donat in seruum, & debet ali secundum regulam, qui in obsequium Religionis, & altaris se consecrat libere. Sed hæc obligatio, non est ex pacto, nec quia Religiosus prætendat ista, vt prætium suæ oblationis, sed quia virtus Religionis ipsa, & natura Religiosi status hoc postulat, & exigit. Cæterum, qui profitetur, se Religioni & Deo donat, & ex fine operis hoc intendit, vt donatio sua sit sibi medium oportunum perfectionis acquirendæ, hic enim est proprius finis assumentis statum perfectionis, & Religionis.

25 Sed dices, quod promissio obedientiæ secundum Regulam, non potest, non esse contractus onerosus, & vtrinque ex pacto obligatorius, sicut & promissio Religionis Cœnobiticæ, scilicet viuendi vitam communem in Cœnobio. Quoniam contractus onerosus est, quando datur aliquid ex fine operis principaliter pro obtinendo aliquo à recipiente. Non enim est gratuita donatio, quando datur pro aliquo habendo ab eo, cui res datur. Modo, qui promittit obedientiam, ex hoc à superiore petit, intendit, & expectat directionem illius, & qui promittit vitam cœnobiticam ex hoc intendit esse in monasterio, & ex bonis eius ali, & reliquis Religiosis conuiuere, & de bonis monasterij secundum regulæ moderamen communicare, nam propter hoc v. g. non vitam solitariam, sed cœnobiticam eligit, & non in hoc, vel illo monasterio, sed in hoc alio. Et superior recipiens professionem ex hoc obligat se, & religionem ad dirigendum professum in via perfectionis, & eum alendum, igitur professio est contractus vtraque ex parte obligatorius.

26 Sed forsan respondebitur, quod hic distinguidebet res electa, & finis electionis, & id, quod electioni est connexum, licet ab eligente, non sit principaliter intentum, & deductum in pactum. Nam finis profitentis proprius est vitæ suæ perfe-

ctio,

ctio, & ob hoc obedientiam promittit, & vitam cœnobiticam eligit & se Religioni, & Deo liberime donat, ideo non se vendit, sed conditioni rei electæ connexa est, & superioris directio, & conuictus Religiosus, & communis vitæ professus; sed hæc sunt res electæ, non vero sunt finis electionis & sunt connexa electioni, sed non sunt ratio eligendi. Et qui profitetur illa vult, sed non propter illa se donat, sed illa eligit, vt ijs mediantibus perfectionem vitæ acquirat. Ideo non paciscitur ipse, sed Religioni iuxta hanc, vel illam formam sua dirigenti,& alenti se donat,nõ vt alatur,& dirigatur, sed vt perfectionem vitæ valeat assequi. Et sic in ista propositione, Religiosus profitetur in hoc monasterio, vt secundum regulas eius dirigatur, & sustenetur, ly vt specificat id, quod eligitur, sed non reduplicat rationem formalem electionis suæ, & suæ professionis.Et sic tam suę donationis,quam vitæ regularis electionis finis est vitæ perfectio.

27 Sed replicatur, quod vitæ perfectio sit finis vltimus, sed finis proximus sit vita Regularis cœnobitica in hoc,vel illo monasterio. Nam is finis proximus, & formalis profiteotis, qui est finis status Religiosi; Religiosi vero status finis est consiliorum obseruatio, & quidquid est medium ad perfectionem conducens iuxta cuiusque status Regulam;hoe igitur tanquam finem proprium etiam intendit Religiosus, & principaliter ex fine operis pro hoc se donat; ergo paciscitur, & ex pacto agit, dum se tradit, vt hoc consequatur, nec se donat, sed se vendit, licet hoc faciat intuitu acquirendæ perfectionis.

28 Sed ad ista respondetur primo, quod si quid probaot, probant, quod professio sit simonia. Quia si quæ adducuntur vera sunt,vnum de duobus videtur dicendum, vel scilicet, quod dare aliquid principaliter ex fine proximo operis pro aliquo recipiendo ab eo,cui illud datur, non sit dare ex pacto, sed possit esse donatio; quod certe est contra *D. Thom.quod.8. a.11. Caiet.in sum. v. simonia. §. Circa tertium, Panorm. & alios in cap. suam de simonia*, & quamplures alios, & euidenter implicat contradictionem; quia implicat, quod sit donatio, & non traditio ex pacto ille actus, qui principaliter ex fine operis datur, vt aliquid recipiatur. Vel secundo sequitur, quód dare spirituale ex pacto recipiendi spirituale, non sit simonia, quod nec potest admitti ex supra adductis. Et explicatur vlterius difficultas exemplo. Nam qui dat aurifici pecuniam pro habendo calice, quo viator ad celebrandam missam, pro fine operantis habet sacrificium sacrosanctum, sed tamen emit calicem, quia finis dandi pecuniam proximus, & ex parte operis est habere calicem, & licet dans pecuniam expresse, non paciscatur, tamen non nisi ex pacto dat, dum non dat nisi pro calice habendo. Ita licet finis profitentis, sit vitæ perfectio, si tamen dat seipsum Religioni,vt in ea habeat media perfectionis acquirendæ, hæc sui traditio cur non erit ex pacto? Et si fit ex pacto, vnde, non est simonia? cum simonia, sit ex pacto commutari etiam spiritualia?

29 Respondetur igitur secundo, quod in argumento falsum supponitur, scilicet quod finis principalis proximus traditionis religiosæ, sit aliquid à Religione recipere. Nam primo promissio obedientiæ, & traditio sui in filium, aut seruum obedientem, non habet pro fine, quod superior præcipiat, sed quod si præcipiat illi obedientiam præstet. Et si dicatur, quod non obediet nisi ille præcipiat, id verum est, sed tamen finis promittentis obedientiam, non est, qood ille præcipiat, sed finis est obedire dum præceperit, vel si præceperit,quod libertati superioris remittitur. Et vlterius promittere obedientiam legibus Religionis, non est aliquid recipere, sed aliquid dare, & hoc dare est finis proximus professionis.Sic se obligare ad ministranda sacramenta, habet pro fine dare, licet ea, non dabit, si non detur qui recipiat, vel etiam si non admittatur in loco vbi sacramenta sint administrãda, vel nisi non impediatur, vel nisi non sustentetur. Quando igitur dare aliquod spirituale dependet ab aliquo recipere siue illud, quę recipitur sit spirituale, siue etiam sit pecunia, non est simoniacum, nec est venditio rei spiritualis si qui dat illud spirituale ex parte sui gratis & illud donat, nec dat, vt recipiat, licet nisi recipiat dare non valeat; quia talis, nec dat, vt recipiat, nec dat pro pretio, sed donat, licet qui recipit aliunde forsan ad aliquam retributionem, vel ex gratitudine, vel ex alia virtute obligetur. Sic qui Religionem profitetur ex fine proprio intendit dare, & dare promittit, & profitetur vt det. Quia ipse intendit obedire, & iuxta obedientiam viuere in paupertate, & castitate, & alias Regulas cœnobiticę vitæ obseruare, sed hoc non præstabit nisi recipiatur ad consortium, & nisi alimenta habeat, & in bonis communicet, hoc verum est, sed hæc est conditio necessaria, vt & Religiosus præstare obsequium possit, & Religio illud recipere, neque id est finis Religiosi, quia eius finis, non est nisi dare, & obedire, ideo nihil ille recipit ex pacto, quod ipse ineat, vel ex contractu ex parte sui oneroso, sed sincere Religioni,& Deo se donat.

30 Sed hic aliud remanet inquirendum an scilicet donatio quam de se ipso facit Religiosus Religioni, sit contractus iustitiæ seu iustitiam fundans, ita quod contra iustitiam commotatiuam, sic si Religiosus, non stet donationi, sed ab ea retrocedat? Non esse actum liberalitatis pro certo habeo, quia non est ex motiuo illius, & est actus essentialiter Religiosus per quem homo se tradit Religioni in Dei cultum, & obsequium licet enim Deus, non sit is, cui Religiosus promittit per hanc promissionem, sed Religio sit, cui sit promissio, tamen quod promittitur illi est res religiosa, & intuitu Religionis promittitur, vnde promissio ipsa seu donatio à virtute Religionis elicitur. An vero talis donatio fundet iustitiam commutatiuam?quia quód donatur alicui, si donatio sit acceptata sit, & res tradita illius, & sub eius remanet dominio; igitur sine iniuria, & iniustitia ab eo, non auferri, & tanquam indubitatum; ita esse affirmatur.

31 Sed nunquid licet redonatio, non debeat dari ex pacto ioiio à Religioso se donante, tamen Religio de facto donat se ipsam profitenti? Affirmant DD. volentes contractum esse ex vtraque parte obligatorium. Sed certe hoc, non est certum, quia in nulla forma promissionis, hæc redonatio continetur. Nec decet matrem, vel Dominam se ex pacto obligare filijs, vel seruis. Et neque hæc promissio, aut donatio est necessaria, quia aliunde

de Religio ex natura status Religiosi, & ex virtute Religionis manet obligata ad dirigendum eum, qui vt totus sit Dei, & in Dei obsequium promisit illi obedientiam, & tenetur eum habere, vt filium, & seruum eum ad communionem omnium bonorum secundum regulam admittere, quod ex vi acceptationis illius in filium aut seruum est illi debitum etiam si hæc acceptatio, non habeat vim donationis; & non obliget ex iustitia, sed quia obligat ex Religionis virtute, & Deo Religio hoc obsequium debet, vt habeat, vt filium, & vt seruum illum, qui totum se in obsequium Dei immolauit.

32 Traditio igitur qua Religiosus se tradit religioni est pura, & sincera donatio, nec est onerosus contractus, & ex vtraque parte obligatorius, nisi consecutiue, seu concomitanter, quia habet adiunctam reciprocam obligationem, siue hæc sit libera, & reciproca Religionis donatio, siue sit obligatio ortum habens ex iustitia virtutis Religionis, & natura Religiosi status. Quod conuenientius dicitur, vt totum hoc sacrosanctum holocaustum sacrum sit, & Religiosum, & ex virtute religionis regulandum, & consecrandum. Et sicut Religiosus intuitu Dei se donat religioni, sic & religio intuitu Dei teneatur ad reciproca beneficia ipsi Religioso præstanda. Et in hoc sensu admitti potest, quod professio sit contractus vltro citroque obligatorius; quia scilicet, licet non sit onerosus, nec sit venditio aut emptio, sed donatio, tamen aliunde ex lege diuina Religio professionem acceptans tenetur, vel se redonare, vel altiori iustitia, quam sit illa, quæ est ex pacto, aut donatione, tenetur curam gerere in spiritualibus, & temporalibus eius, qui Deo, & Religioni se totum obtulit.

33 Qualis vero sit hæc donatio *Pontius d. lib. 7. p. 1.* putat esse contractum veluti serui cum Domino. *Suarez verò tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 2. num. 19. & sequent.* quem sequitur *Cotonius vbi sup. num. 28.* putat esse contractum partim serui cum Domino, partim filij cum Patre, aut matre. Sed licet status Religiosus, sit status cuiusdam seruitutis ratione obligationis obediendi quam assumit. Proprie tamen Religiosus, nec est seruus, nec est filius. Non seruus, quia superior, & religio, non habet potestatem in Religiosum in propriam sui commoditatem, sed in vtilitatem Religiosi, nec potest religio subditum Religiosum aut vendere, aut etiam manumittere, euidens vero est, non esse filium religionis aut naturalem, aut adoptiuum licet quandam rationem spiritualis filiationis habeat. Respectu vero Dei est filius adoptiuus per gratiam; sed hoc conuenit omni iusto; quamuis, hæc ratio filiationis perfectiori quodam modo, sit in religioso. Vnde magis proprie loquendo, iuxta antedicta dicitur, quod est contractus liberæ oblationis religiosæ, & religiosi holocausti comprehendens aliquid filiationis, & seruitutis, vnde religiosus est subditus Deo, & religioni per votum consecratus.

34 Dico quintò, quòd huiusmodi votum, seu etiam promissio facta Religionis inquantum est donatio, non est donatio distincta à promissione, seu extrahente votum à ratione promissionis, nec importat aliquid amplius per quod, vel realiter, vel formaliter distincta formalitate speciei distinguatur à promissione. Vnde secundùm quid est donatio, sed simpliciter est promissio. Ratio est quia libera promissio non totum respicit vt futurum, quod promittit, sed essentialiter est aliqualis donatio, quia respectu sui, & respectu obligationis ipsi promissioni connaturalis, & ab ea inseparabilis modum habet donationis de præsenti. Et ideo qui aliquid verè, & sincerè promittit, licet actionem externam promissam respiciat, vt in futuro habendam, voluntatem tamen dandi, in qua promissio consistit, dat de præsenti, & donat, & tradit in effectu, vnde & de præsenti dat obligationē, quam suscipit, quia hoc quod est liberè suscipere obligationem dandi aliquid, est actu aliquid alteri dare, cum alius ex hoc habeat de facto ius aliquod habendi id, ad quod dandum alius se obligat. Et propterea libera promissio sic respicit actionem externam, vt dandam, quod est de præsenti donatio voluntatis dandi, & susceptio obligationis ad dandum illud, quod promittitur.

35 Sed vlteriùs considerandum est, quod id, quod consistit in motu successiuo non potest donari nisi successiuè, aut secundum quid, sed simpliciter promittitur, Quod aduertit, in hac respons. ad secundum D. Thom. dicens. *Sed homo non potest totam vitam suam Deo actu exhibere; quia non est tota simul; sed successiuè agitur. Vnde non aliter homo potest totam vitam suam Deo exhibere, nisi per voti obligationem.* Itaque esto Religiosus in sua professione de facto tradat se Religioni, & Deo inchoando vitam religiosam, & habitando iam in monasterio, conuiuendo alijs, & deferendo religiosum habitum, tamen quia hoc non est illud principale, quod est exhibendum, qui hoc est vitæ religiosæ perseuerans continuatio vsque ad mortem, quod est quid successiuum, obligatio ad hoc totum, non potest esse simpliciter nisi obligatio promissionis per votum successiuè adimplenda. Quod votum secundùm quid est donatio de præsenti, sed simpliciter est promissio de futuro. Itaque donatio si sumatur specificè, vt contradistinguitur promissioni, professionis votum, non est donatio, sed est promissio. Sed si sumatur donatio communiter, vt est quid commune participabile immò necessariò participatum etiam a promissione libera, sic votum professionis secundùm quid est donatio. Sed hæc donatio iam, nec realiter, nec formaliter, vt species contractus distinguitur à promissione, sed est ratio partialis, & inadæquatus promissionis conceptus. Idem verò prorsus, est dicendum de donatione, quam religiosus se donat religioni. Hæc enim secundùm, quid est donatio pro quanto vita promissa inchoatur, sed simpliciter est promissio respiciens futuram. Immò per se loquendo posset promitti vita religiosa, vt in futurum ad certum tempus inchoanda.

36 Ex his patet, non subsistere, quæ habet *Suarez.* cui consentit *Cotonius num. 31.* distinguens formaliter votum à traditione, vel donatione, & rationem quam *Pontius l. 7. de matrim. cap. 6.* adducit ad probandum, quòd donatio, & votum realiter distinguantur. Quia si loquitur de traditione seu contractu per quē Religiosus se tradit religioni, hic nedū formaliter, sed etiā specificè, & realiter distinguitur a voto, nā est illius materia, & est res per actū promissa, & cōsecrata. Sed hæc realis differentia oritur, quia votū, & illa habēt diuersa obiecta; Nam

per

per contractum initum cum religione religionis seu eius superiori promittitur vita Religiosa in obseruantia paupertatis, castitatis, & obedientiæ principaliter; sed per votum promittitur immediatè firmitas, & perpetua obseruantia huius promissionis factæ religioni. Vnde non mirum si isti actus sunt distincti etiam realiter, vel specifice, & tanta distinctione, quæ potest esse realis, vt vnus etiam tempore præcedere possit alium. Sed hæc distinctio, non probatur ex ea ratione, quam adhibuit *Suarez*, & qua vtitur *Pontius*, quia scilicet promissio voti respicit futurum, & donatio obligat in præsenti. Quia cum vita religiosa, quæ promittitur, sit motus successiuus, qui totus simul, non est, non potest dari eius obligatio nisi per votum, vt dicit D. Thom. in hac respons. ad secundum, quod votum ex sui natura semper pro præsenti aliquid dat, & non est inconueniens, quòd per votum detur de præsenti inchoatio motus, & vitæ successiuæ duraturæ. Et ideo etiam contractus factus cum Ecclesia licet, non sit votum, quia votum, non fit homini, est tamen promissio de futuro, & solùm inchoatiuè de præsenti. Et neque hoc sufficit ad hoc vt dicatur, quòd in huiusmodi voto ratio traditionis de præsenti; & promissio de futuro sint duæ formalitates, sed solùm, quod sint duæ inadequatę rationes eiusdē actus formalis, habentis vim secundùm aliquid traditionis de præsenti; & promissionis de futuro simpliciter, & totaliter.

37 Ex his quoque secundo deducitur, quis sit cui sit donatio, vel traditio, per quam homo ex vi voti religiosæ professionis se mancipat Deo. *Pontius enim lib. 7. de matrim. cap. 6. num. 1.* dixit votum fieri Deo, donationem verò religioni. Vnde sicut Deus, non est capax aduentitij dominij, ita neque homo voti. Neque enim donatio Deo fieri potest, nec se in Dei dominium, & ius transferre, cum semper sit sub dominio Dei. Sed econtra *Antonius Colonius d. lib. 4. contr. p. cap. p. num.* 11. existimat tam donationem, quàm votum principaliter Deo fieri, ministerialiter Prælato & religioni. Sed iuxta datam distinctionem dicendum est promissionem, & donationem humanam fieri homini. Religiosus enim etiam homini promittit obedientiam, vt ex formula professionis patet. Et oō potest simul se & totam suam vitam donare religioni de præsenti, sed solùm potest illam promittere. Vnde professio etiā respectu religionis simpliciter est promissio, non donatio. Sed hæc promissio, non est votum, sed est voti obiectum, & materia. Sed per votum nihil, nec principaliter, nec ministerialiter promittitur homini, licet humana obedientia, & humanus Religiosus conuictus, & commensalitas, & communis vita promittatur, quoniam hoc totum immediatè soli Deo promittitur. Et sic terminus promissionis est solus Deus, licet homo, sit id cui res promissa nomine Dei traditur. Et hoc est, quod Patres affirmant, vt quòd Religiosus se in præsenti dat Deo diuinis se seruitijs mancipando. *D. Th. 4. d. 48. q. a. 2. quæst. 3.* Quod dicimus Deo *Posside nos. Aug. in Psalm.* 131. quòd religiosus se deuouet Deo. *Greg. lib. 1. Regis. ep. 33.* & alia similia, quæ habentur apud Patres & DD. & videri possunt *Deza Hispal. 4. d. 33. a. 3. u t. 4. Caiet. tom. 1. opusc. tract. 7. Platus lib. p. de bono status Relig cap. 4.*

38 Pariter ex ijs apparet tertiò non subsistere quòd dixit *Caramuel disp. 44. in regulam S. Augustini, num. 558.* quòd in ordine S. Benedicti tria vota promittuntur Deo, sed perpetuitas promittitur Prælato. Omnia enim & Deo, & Prælato promittuntur, sed diuersis promissionibus, & contractibus, & ita diuersis, quòd promissio prout sit religioni, vel Prælato est contractus religiosus quidem, sed cum homine initus, & talis; qualis esset, si Religiosus, non voueret, sed solùm cum communitate Religiosa conueniret; vt fit in laicorum confraternitatibus. Sed prout fit Deo est verum votum, cui homo contractus initi cum religione perpetuam promittit obseruantiam, & reddit illum contractum religiosum, etiam quia Deo per votum consecratum. Colligitur quartò an dicendum sit, quòd ex vi voti professionis transfundatur in Deum, vel in Prælatos aliquod dominium; quidquid enim in contrarium dixerit *Vasquez* loco supra citato, ex vi promissionis obedientiæ resultat in Prælato dominium aliquod, vel paternum, vel magistrale; & œconomicum; quia ex quo aliquis promittit alicui obedientiam sicut tenetur illi obedire, sic consurgit in eo ius aliquod, vt obediatur, quod est habere ius directiuum illius. Sed tamen hoc ius consurgit ex vi promissionis humanæ per quam religiosus in professione promittit Prælato obedientiam. Sed hoc ius, non venit immediatè ex vi voti facti Deo, quia ex quo votum fit Deo per se, & ex hoc, non confertur ius homini proprium. Illud tamen ius, quod in professione Prælato confertur per votum formatur, & sanctificatur, & ita, vt ex vi voti tenetur Religiosus obedire Prælato, & ius Prælati reuereri.

39 Ex ijs quartò resoluitur an ex vi voti Religiosus transferat in Deum speciale dominium, & ius, negat Pontius, ex eo quòd Deus, non sit capax aduentitij dominij. Affirmat verò *Suarez d. cap. 4. num. 5.* cui consentit *Colonius d. contr. 1. cap. 1. num* 15. vbi quòd Deus, fit capax dominij bassi ex titulo spontaneæ donationis eius, qui est sui iuris, & habet dominium priuatum suarum rerum. Quod certè admitti non potest, quia in Dei iniuriam cedit. Et debet hic distingui relatio domini, ad subditum, à fundamento eius ex parte Domini, quod est potestas realis dominatiua. Potest quidem esse, quòd denominatione relatiua Deus dicatur in tempore relatiuè dominus ex eo, quòd creatura illi subiecta sit, nam & iuxta doctrinam *D. Thom. p. p. quæst. 14. a. 7.* huiusmodi nomina relatiua dicuntur de Deo ex tempore, & Deus non dicebatur Dominus antequam creatura ei subijceretur; quia non existente correlatiuo deficit denominatio relatiua, nec dici potest Dominus cuius nullus est seruus. Et ita in hoc sensu Deus dicitur de nouo speciali modo Dominus Religiosi, ex quo ille speciali modo se subdidit Deo per votum. Sed non per hoc dici potest quòd Religiosus, vel transferat dominium in Deum, vel quòd hoc, sit dominium bassum formaliter & propriè. Primum dici non potest, quia transferre est ferre alteri, quod non habet. Quòd verò Deus, non dicatur dominus, non est ex defectu dominij, seu potestatis, seu iuris, aut iurisdictionis, sed quia non adsunt subditi, quibus præcipiat. Et ex modo loquendi, hæc propositio, scilicet, Religiosus ex vi voti transfert

spe-

speciale dominium, vel ius in Deum longè plus significat, quàm quòd Deus dici possit relatiuè speciali modo dominus, quia importat quòd Deus, non habens ius speciale dominij illud acquirat, quod certè est falsum, cum Deus per naturam dominium infinitum, & immensum, & omne ius dominandi habeat, & quòd actu non dicatur Dominus, non est ex defectu iuris dominandi infinitis modis, sed quia non omni modo illi de facto creatura subiecta est, & hanc subiectionem, quæ est maxima creaturæ perfectio, & Dei donum præstantissimum Deus pro parte concedit, & diuidit; Nam & diuisiones gratiarum sunt, & Deus subiecit sibi omnia, quæ inter se inæqualia sunt, & distincta, vt sit Deus omnia, si non in singulis, in omnibus saltem.

40 Sed neque secundum dici potest, quia dominium Dei immensum in sua immensitate omne ius dominandi comprehendens est incapax, vt formaliter sit dominus dominio basso, & priuato, quoniam per suum dominium altissimum eminentissimè continet omne priuatum dominiũ. Et multò magis est incapax, vt aliquod ius dominij accipiat à creatura. Et dum dicitur, quòd homo dominus suæ libertatis, potest se subijciẽdo transferre in aliud dominium priuatum, quod habet: supponitur falsum, scilicet quòd homo respectu Dei aliquod sui dominium habeat, quod transferre valeat. Est quidem in vouendo liber libertate præcepti, & libertate naturali, sed hæc libertas respectu Dei est libertas recipiendi, non dandi, est enim libertas recipiendi ab eo donum specialis subiectionis, cum Deus creat eam, non sibi subijciat, nisi vt perficiat. Et bene idem *Coronius num. 30. ex S. Aug. in Ps. 34.* dixit. Possideat te Deus, vt possideas illum. Eris prædium ipsius, eris domus eius. Possidet vt prosit, possidetur, vt prosit. Nunquid vt aliquid ei tu prosis. Nam dixit Domino: Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges.

41 Et si iterum dicatur, quòd Deus ei, qui votum Religiosum, non emisit, non possit præcipere opera consilij, quæ sub voto cadunt, dicitur quòd primò hoc est falsum. Deus enim habet supremam potestatem præcipiendi homini quæcumque, sibi bene visa fuerint. Dicitur secundò, quòd quatenus diceretur Deum, non posse obligare hominem ad consilia religiosa vt ad ea teneatur, ex voto, nisi voueris, hoc non esset ex defectu potestatis in Deo, sed ex eo quòd deficeret correlatiuũ talis potestatis, quod est votum, & quia Deus non subiecisset sibi talem hominem per voti obligationem, quod Deus cum facit beneficium homini præstat, & dominium, quod habet extendit, vt se plenius homini communicet, non verò aliquod dominium ab homine recipit. Sic superior, non ex eo, non habet dominium, quia non præcipit, sed habet dominium, vt præcipiat etiam quando non præcipit, Ita & Deus habet ius, vt ab homine consilia exigat, & ad consilia obliget donando gratiam homini, vt se obliget, & se Deo subijciat etiã si actu hanc gratiam non concedat. Et si iterum dicas, quòd ius exigendi opera consilij, vt debita consurgit ex voto hominis, quo non existente, non possent exigi, vt debita ex vi voti. Respondetur, quòd assumptum est falsum, si ly ex vi voti dicat dominium, authoritatem, & concessionem, hoc enim respectu Dei locum, non habet, respectu cuius creaturæ est recipere, non verò dare, & se subijcere, non verò authoritatem præbere. Sed verum est, si dicat conditionem se tenentem ex parte correlatiui, & termini, esse necessariam ad hoc, vt Dei dominium de facto, & exercitè se extendat speciali modo ad hominem, quia ad hoc, vt illud dominium eminentissimum, quod in Deo est infinitum, hanc extensionem, & exercitam efficaciam habeat, requirit in creatura votum, per quod (vt sic dicam) ius illud Dei exercitam extensionem habeat. Sic ergo Deus, nec noui iuris dominandi est capax, neque hoc potest à creatura recipere licet relatiuè, non dicatur Dominus, vel absolutè, vel hoc aut alio modo, nisi detur creatura ei subiecta. Posset tamen admitti, quòd ex voto Religiosi consurgat in Deo denominatio relatiua specialis dominij, non per noui iuris acquisitionem, sed per existentiam correlatiui nimirum per existentiam creaturæ, vel voti, per quod creatura speciali titulo Deo subijcitur. Sed nunquam tamen, hoc est dominium priuatum, vel bassum; sed est dominium altissimum omne ius dominij comprehendens.

42 Hinc etiam deducitur quintò qualiter necessarium sit, vt promissio seu donatio clausa in voto professionis acceptetur. Requiri enim docent *Suarez d. cap. 4. num. 5. & 6.* vbi quòd est acceptanda à Deo per Ecclesiam. Requiri quoque ex parte religionis, & Dei dixit *Antonius Colontius d. cap. 1. num. 23.* Dicitur verò quòd in religione cœnobitica tali, qualis est nunc in Ecclesia, promissio & traditio humana, quæ à Religioso fit religioni sine dubio à religione acceptari debet, eo quod promissio, & donatio, non sit valida nisi acceptetur, ex lege *acc ambigi. C. de donat.* Et ita, hoc habetur *ex cap. porrectum & cap. ad Apostolicam de Regularib.* Et immò ad voti solemnis substantiam hoc pertinet, vt emittatur in religione a Sede Apostolica approbata, *cap. vnico de voto in 6.* Sed loquendo de voto, non est necesse ad substantiam voti in quantum est donatio, vt acceptetur ab Ecclesia per se, & propriè loquendo, quia sufficit quòd acceptetur à Deo cui fit votum; à Deo verò ex natura rei est acceptum votum, cum sit Dei donum, & ad vouendum homo à Deo excitetur, & præmoueatur. Nec valet, quòd habet *Suarez d. num. 6.* scilicet quòd Deus, non acceptat immediatè aliquam huiusmodi donationem, licet immediatè acceptet promissionem; quia hoc verum, non est. Nec ratio ab eo adducta, dum dicit, quòd Deus secundùm ordinariam prouidentiam, non suscipit curam particularem gubernandi aliquem, & alias ipse, non indiget immediatè vti his temporalibus, & sensibilibus, & sic donatio, sic facta Deo esset, vel vana, vel tentans Deum. Quia pro nunc dicitur, quòd obiectio, non distinguit inter valorem donationis, & vim obligandi, quam habet ex vna parte, & inter exercitam efficacciam illius, vel rei donatæ possessionem ex altera. Ad hoc; vt donatio facta Deo, sit in se valida, & habeat vim obligandi sufficit acceptatio Dei cui fit promissio & donatio, licet verò ex quo res donata est possidenda per hominem, consensus hominis sit necessarius ad hoc, vt detur possessio humana rei donatæ, & voti promissio, & donatio executionem sortiatur, non tamen requiretur ad donationis valorem.

Qqq Nec

Nec obstat, quòd erit vana donatio, si homo etiam illam, non acceptet. Quia primò vana non erit in ordine ad Deum, qui animum donantis inspicit, & gratum habet. Nec vana erit quantùm ad vim obligandi, quia bene obligat donantem, & licet de præsenti eius efficacia impediatur, non tollitur, sed suspenditur, & homine postea rem acceptante donatio vim suæ efficaciæ exercet; Sed in præsenti, quia donatio, non fit solùm Deo, sed immediatè etiam fit religioni; immò Deo promittitur, & donatur obseruantia donationis, quæ fit Ecclesiæ, semper distingui debet, quia vt donatio facta religioni sit valida, est necesse, quòd ab ea acceptetur. Sed ad hoc, vt sit validum votum, quod est promissio, & aliqua donatio facta Deo, necessaria est acceptatio religionis antecedenter, & præsuppositiuè scilicet acceptatio promissionis, & donationis factæ Ecclesiæ. Sed formaliter, & propriè, non est necessaria acceptatio voti, ad hoc, vt votum valeat, & obliget, sed ad hoc, vt Religio possideat actu id, quod ad eius fauorem Deo donatum est, & quòd si ipse voluerit, vt possideatur, bene faciet, vt Ecclesia donatam rem recipiat. Cæterum, non est negandum Deum acceptare donationem, sibi factam etiam si non sit habitura affectum, cum Ipse sit, qui ad sibi donandum mouet, & mouendo gratum habet, & vult quòd actus, quem donat ex parte sui valeat.

43 Tandem si dubitetur, an promissio Religiosi facta Ecclesiæ, eiusque traditio sit de essentia status perfectionis, & religionis, vel potiùs sufficiat promissio voti, & traditio per quam homo Deo se offert, & donat. Respondeo cum *Suarez d. lib. 2. cap. 4. num. 14.* sufficere votum. Illæ enim duæ promissiones sunt ad inuicem separabiles. Nec obstat, quòd de substantia status perfectionis, sit promissio obedientiæ reddendæ alicui homini: Quia non per hoc est necesse quòd hæc promissio homini fiat. Nam bene potest esse, quòd vni promittatur vtilitas tertij absque eo, quòd illi tertio promittatur. Sic possum promittere confessori eleemosynam dandam pauperi. Et sic in hac promissione terminus cui fit promissio est Confessor, pauper verò cui nihil promittitur est is, cui promissa eleemosyna tribuitur. Sic igitur potest, quis si velit soli Deo promittere obedientiam nomine Dei reddendam, vel Prælato, vel Confessori, vel cuicumque alteri determinato, vel ad libitum assumendo, & etiam mutando. Quod si hoc modo paupertas continentia, & obedientia Deo promittatur, hoc sufficiet ad statum perfectionis & religionis. Tunc verò ad valorem voti etiam in ratione donationis interior promissio voluntaria, sufficeret, sed tamen promissio, & traditio non haberet effectum, nisi notificato voto illi cui obediendum esset ille consentiret, & acceptaret. Sed hic consensus nō esset necessarius ad valorem voti, sed ad eius obseruantiam exercitam. Nam etiam si votum fuisset de obediendo Titio, qui hodie nollet acceptare officium dirigendi eum, qui vouit, votum non per hoc esset nullum, nec traditio facta Deo esset nulla; sed votum ex impossibilitate mutabili eius materiæ suspenderetur. Et si postea Titius officium directoris vellet assumere, teneretur, qui vouit illi obedire, nisi vouisset sub conditione expressa, vel tacita, vt si semel is, cui est obediendum, nollet vouentem dirigere, tunc votum cessaret. Sed hac conditione posita, tale votum, non habens absolutam perpetuitatem, non sufficeret ad statum perfectionis, qui petit obedientiam vsque ad mortem præstandam superiori. Nā & in huiusmodi voto soli Deo emisso, esto si is cuius obedientia est promissa nollet officium dirigendi suscipere, interim tamen vouens castè teneretur viuere, & sine proprio, & paratus esse obedire quotiescumque, sibi aliquid præciperetur ab eo cuius obedientia, est Deo promissa.

44 Et ad horum maiorem claritatem considerandum est, quòd vbi donatio immediatè facta, fit Ecclesiæ, etiam si sit facta propter Dei amorem, vel intuitu religionis, si Ecclesia donationem, non acceptat, donatio non valet, quia non est acceptata, & potest à donante reuocari. Et nihilominùs sola repudiatio Prælati sic valet, quòd tamen Ecclesiæ datur restitutio in integrum, vt dixi supra *quæst. 185. a. 7. num. 559.* Quod est signum, quòd donatio ipsa ex non acceptatione Prælati, non redditur semper inualida, sed quòd si vel qui donauit mortuus est, aut aliunde, non potest mutare voluntatem, aut de facto eam, non mutauit, adhuc remanet Ecclesiæ suum ius satis validum. Nam alias, vbi contractus est nullus, locum non habet restitutio in integrum, vt ex *cap. ad nostram de reb. Eccl. non alienand. Rota, & Couar.* dixi ad eundem *art. num. 617.* Sed si donatio fit immediatè Deo, licet rei donatæ vsus, sit creatus, & soli competens homini, solique homini res ad vsum, sit tradenda, ex hoc quòd homo hanc donationem repudiet, non remanet inualida donatio, quam Deus ipse, cui res fuit donata acceptat; & in cuius potestate est vti, vel non vti re illa per creaturam suam. Nec spectat iam ad donantem attendere an homo, ad quem illa res pertinet ea vti velit, sed sibi sufficere debet, si sit paratus reddere ex parte sua, quod obtulit.

SVMMARIVM.

1 *Deo offerenda libertas nostra per votum. num. 45.*
2 *Ad statum perfectionis non sufficit votum in præparatione animi. num. 46.*
3 *Sufficit tamen obedientia in præparatione animi. num. 46.*

45 IN responsione ad tertium habetur efficax ratio ad probandum qualiter conueniat statui perfectionis, vt consiliorum opera Deo reddantur per votum. Quia si conuenit ad statum perfectionis paupertas spiritus, & abdicatio omnium eorum, quæ nobis cariora sunt, vt expediti ab omnibus soli Deo vacare possimus; bene conuenit, vt & priuemus nos libertate nostra, & per votum nos ad consilia obligemur felici necessitate, quæ in meliora compellat, vt dixit August.

46 Pro complemento autem huius commentarij occurrit quærendum, an ad statum perfectionis sufficiat votum in præparatione animi. Nam P. Antonius de Spiritu sancto in *Direct. Reg. par. 2. disp. 1. sect. 2. num. 13.* vt saluet Eliam fuisse in perfecto statu Religionis, & verè Religiosum, stante quòd ipse non habebat cui promitteret obedientiam ex eo, quòd haberet potestatem extraordinariam summi Pontificis, & quia nullus fuit, qui eius vota reciperet, tenet, quòd ad statum religionis suffi-

sufficiat votum obedientiæ in preparatione animi, quod consistit in hoc, quód Deo promittitur obedientia, vt exhibenda illi, qui loco Dei sit Ecclesiæ superior. Aliás veró seclusa ordinatione juris canonici ad statum Religiosum non est necessaria acceptatio ex parte Prælati. Hoc veró supradictis conformia sunt. Licet enim nunc in quo solemne perfectionis votum non est validum nisi fiat in Religione approbata. *cap. vnico de voto in 6.* necesse sit quód vouens promittat obedientiam Prælato Religionis, vno ex illis legitima facultate prædito professionem acceptante. Tamen per se absolutè, quia de substantia status Religiosi non est, quód sit cœnobitiens, sed potest esse solitarius, sufficit quód consiliorum substantialium obseruantia soli Deo promittatur per votum, Deo votum acceptante? Et quantùm ad obedientiam, in quo consistit difficultas huius puncti, non est necesse quód promittatur Deo obedientia Petri, vel Pauli, vel cuiuscumque determinatæ personæ, sed sufficit quód promittatur obedientia superioris, qui fuerit, & quando fuerit, obligando voluntatem suam ad directionem illius in iis, quæ ad obseruantiam aliorum consiliorum spectant. Puto tamen hoc votum non dici debere votum in præparatione animi, sed formale, quia promissio, & obligatio formaliter adest, sed actualis obedientia est, quæ deficere potest, si desit superior, qui præcipiat. Et sic non sufficit ad statum Religiosum votum eminentialiter tale, vel in præparatione animi, sed requiritur votum formale licèt ad formale obedientiæ votum non sit necessaria actualis obedientia, sed sufficiat obedientia in præparatione animi. Quia executio voti non est de substantia voti, nisi in præparatione animi.

ARTICVLVS VII.

Vtrum conuenienter dicatur, in his tribus votis consistere religionis perfectionem?

inf. q. 188. a. 1. ad 1 & a 2. ad 2. lit vos. q. 2. a 11 ad 3. lit op. 18 cap. 15. & opusc. 19. c. 1.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod inconuenienter dicatur, in his tribus votis consistere religionis perfectionē. Perfectio enim vitæ magis consistit in interioribus, quam in exterioribus actibus: secundum illud ad Rom. 14. Non est regnum Dei esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Sed per votum religionis aliqui obligantur ad ea quæ sunt perfectionis. Ergo magis deberent ad religionem pertinere vota interiorum actuum, puta contemplationis, dilectionis Dei, & proximi, & aliorum huiusmodi, quam votum paupertatis, continentiæ, & obedientiæ, quæ pertinent ad exteriores actus.

2. Præterea, Prædicta tria cadunt sub voto religionis, in quantum pertinent ad quoddam exercitium tendendi in perfectionem. Sed multa alia sunt, in quibus religiosi exercitantur: sicut abstinentia, vigiliæ, & alia huiusmodi. Ergo videtur, quod inconuenienter ista tria vota dicantur essentialiter ad statum perfectionis pertinere.

3 Præterea, Per votum obedientiæ aliquis obligatur ad omnia implenda, secundum præceptum superioris, quæ ad exercitium perfectionis pertinent. Ergo sufficit votum obedientiæ absque aliis duobus votis.

4 Præterea, Ad exteriora bona pertinent non solum diuitiæ, sed etiam honores. Si ergo per votum paupertatis religiosi terrenas diuitias abdicant, oportet esse etiam aliud votum, per quod honores mundanos contemnant.

Sed contra est, quod dicitur extra, de statu monachorum, quod custodia castitatis, & abdicatio proprietatis sūt annexa regulæ monachali. In decr. lib. 3. tit 35. ca. cum ad monasterium, in fin.

Respondeo dicendum, quod religionis status potest considerari tripliciter. Vno modo, secundum quod est quoddam exercitium tendendi in perfectionem charitatis. Alio modo, secundum quod quietat animum humanum ab exterioribus solicitudinibus: secundum illud 1. ad Cor. 7. Volo vos sine solicitudine esse. Tertio modo, secundum quod est quoddam holocaustum, per quod aliquis totaliter se & sua offert Deo. Et secundum hoc, ex his tribus votis integratur religionis status. Primo enim quantum ad exercitium perfectionis requiritur, quod aliquis à se remoueat illa, per quæ posset impediri ne totaliter eius affectus tendat in Deum: in quo consistit perfectio charitatis. Huiusmodi autem sunt tria. Primum quidem cupiditas exteriorum bonorum, quæ tollitur per votum paupertatis. Secundum autem, est concupiscentia sensibilium delectationum, inter quas præcellunt delectationes venereæ, quæ excluduntur per votum continentiæ. Tertium autem est inordinatio voluntatis humanæ, quæ excluditur per votum obedientiæ. Similiter autem

solicitudinis secularis inquietudo præcipue ingeritur homini circa tria. Primo quidem, circa dispensationem exteriorum rerum: & hæc solicitudo per votum paupertatis homini aufertur. Secunda, circa gubernationem vxoris, & filiorum, quæ amputatur per votum continentiæ. Tertio circa dispositionem propriorum actuum, quæ amputatur per votum obedientiæ, quo aliquis se alterius dispositioni committit. Similiter etiam holocaustum est, cum aliquis totum quod habet, offert Deo: vt

Ho 20. in Ezech. Gregor. dicit super Ezechiel. Habet autem homo triplex bonum, secundum

† c. 8 & lib. 7. c. 13. Philos. in 1. Ethic. †. Primo quidem, exteriorum rerum: quas quidem totaliter aliquis Deo offert per votum voluntariæ paupertatis. Secundo autem bonum proprij corporis, quod aliquis præcipue offert Deo per votum continentiæ, quo abrenuntiat maximis delectationibus corporis. Tertium autem bonum est animæ, quod aliquis totaliter Deo offert per obedientiam, qua aliquis offert Deo propriam voluntatem, per quam homo vtitur omnibus potentijs, & habitibus animæ. Et ideo conuenienter ex tribus votis status religionis integratur.

Ad primum ergo dicendum, quod

ar. 2. huius q. sicut supra dictum est, status religionis ordinatur, sicut in finem, ad perfectionem charitatis: ad quam pertinent omnes interiores actus virtutum, quarum mater est charitas: secundum illud 1. ad Corinth. 13. Charitas patiens est, benigna est, &c. Et ideo interiores actus virtutum, puta humilitatis, patientiæ, & huiusmodi, non cadunt sub voto religionis: quod ordinatur ad ipsos sicut ad finem.

Ad secundum dicendum, quod omnes aliæ religionum obseruantiæ ordinantur ad prædicta tria principalia vota. Nam si quæ sunt instituta in religionibus ad procurandum victum, (puta, labor, mendicitas, vel alia huiusmodi) referuntur ad paupertatem, ad cuius conseruationem religiosi per hos modos victum suum procurant. Alia vero, quibus corpus maceratur, sicut vigiliæ, ieiunia, & si quæ sunt huiusmodi, directe ordinantur ad votum continentiæ obseruandum. Si quæ vero in religionibus instituta sunt pertinentia ad humanos actus, quibus aliquis ordinatur ad religionis finem, scilicet ad dilectionem Dei, & proximi (puta, lectio, oratio, visitatio infirmorum, vel si aliquid aliud est huiusmodi,) comprehenduntur sub voto obedientiæ: quod pertinet ad voluntatem, quæ secundum dispositionem alterius, suos actus ordinat ad finem. Determinatio autem habitus pertinet ad omnia tria vota, tamquam signum obligationis. Vnde habitus regularis simul datur, vel benedicitur cum professione.

Ad tertium dicendum, quod per obedientiam aliquis offert Deo suam voluntatem: cui etsi subijciuntur omnia humana, quædam tamen sunt, quæ specialiter sibi tantum subduntur, scilicet actiones humanæ. Nam passiones pertinent etiam ad appetitum sensitiuum. Et ideo ad cohibendum passiones carnalium delectationum, & exteriorum appetibilium, impedientes perfectionem vitæ, necessarium fuit votum continentiæ, & paupertatis. Sed ad disponendum actiones proprias, secundum quod requirit perfectionis status, requiritur votum obedientiæ.

Ad quartum dicendum, quod sicut Philosoph. dicit in 4. Ethic. honor proprie, & secundum veritatem non debetur nisi virtuti. Sed quia exteriora bona instrumentaliter deseruiunt ad quosdam actus virtutum, ex consequenti etiam eorum excellentiæ honor aliquis exhibetur, & præcipue à vulgo, quod solam excellentiam exteriorem recognoscit. Honori ergo, qui Deo & sanctis omnibus exhibetur propter virtutem, (vt dicitur in Psal. 138. Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus) non competit religiosis abrenuntiare, qui ad perfectionem virtutis tendunt. Honori autem, qui exhibetur exteriori excellentiæ, abrenuntiant ex hoc ipso, quod secularem vitam derelinquant. Vnde ad hoc non requiritur speciale votum. c. 3. in 4.

SVMMARIVM.

1 Votum Religionis consistere in tribus votis probat D. Th. ex triplici capite, num. 1.
2 Conclusio articuli potest habere difficultatem. numer. 2.
3 Solum votum obedientiæ non sufficit, quia per illud cohibentur actus non vero appetitus. numer. 3.

4 In

4 *In Ord. Prædicatorum continentia, & paupertas vouentur implicitè. num. 4.*

5 *Virgines, quæ antiquitus velum continentiæ recipiebant, vel non erant Religiosæ propriè, vel tria vota emittebant. num. 5.*

6 *Tertiariæ non sunt Religiosæ nisi secundum quid. num. 6.*

7 *Anachoretæ erant veri Religiosi, quia tria vota emittebant. num. 7.*

1 TRiplici ex capite probat D. Th. statum religiosum consistere in tribus votis. Primò per respectum termini *ad quem* status religiosi, qui est perfectio charitatis, cuius impedimenta remouet. Tria enim sunt impedimenta charitatis, scilicet cupiditas exteriorum bonorum, quæ tollitur per votum paupertatis, concupiscentia delectationum sensus, quæ tollitur per votum castitatis, & inordinatio propriæ voluntatis seu proprius amor, qui tollitur per votum obedientiæ. Secundò per respectum ad terminum *à quo*, qui est tumultus vitæ sæcularis, vnde & religio est portus quietis; Nam tria sunt in sæculo, quæ quietem turbant, scilicet sollicitudo rerum temporalium, quam aufert paupertas, secundò gubernatio vxoris, & filiorum, quam aufert castitas, & tertiò propriorum actuum cura, quam obedientia dirigit, & assecurat. Tertiò autem consideratur assumptio status religiosi quatenus in se ipso est actus virtutis religionis perfectissimus, vnde est holocaustum Deo oblatum, & quia tria sunt bona nobis chara, quæ Deo offerre possumus, scilicet bona temporalia, quæ offert paupertas, & bona proprij corporis, quæ offert castitas, & bonum animæ, & libertatis; quod offert ideo in his tribus votis consistit status religionis.

2 Est ergo conclusio articuli, affirmans statum religionis integrari ex tribus votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ, vt determinatur *c. cum ad monasterium de stat. Cleric. & Clem. exiui, de verb. signif. & Conc. Trid. sess. 25. cap. primo.* Cum verò, hæc conclusio duas habeat exponentes, quia nimirum primò tria hæc vota sunt necessaria ad integritatem status perfectionis, & Religionis, & secundò quòd eadem sufficiunt, nec aliud est necessarium. Prima exponens iam ex prædictis constat, ex quibus probatum manet paupertatem, castitatem, & obedientiam, earumque votum ad statum perfectionis requiri. Posset nihilominùs obijci, quia primò ex vna parte videtur, quòd sufficiat votum obedientiæ, sub quo omnia cadunt, & ex quo possunt religiosi obligari ad castitatem, & paupertatem. Immò in religione Prædicatorum professi, non promittunt nisi obedientiam. Secundò autem econtra videtur, quòd sufficiat votum castitatis, aut votum paupertatis. Nam antiquitus virgines dabantur, quæ in domibus parentum manebant, vnde solo voto castitatis obligabantur, & tamen religiosæ erant, vt refertur de *S. Domitilla apud Surium tom. 3. 12. Maij, & Baron. tom. 1. an. 98. num. 6.* quòd velamen virginitatis receperit de manu S. Clementis; velamen verò hoc erat signum religiosi status. Sed & nunc tertiariæ vouent solum castitatem, & in proprijs domibus habitant, & tamen censentur religiosæ, & priuilegijs religiosorum gaudent. Item tertiò Eremitæ, seu Anachoretæ religiosi sunt, & nihilominùs soli viuunt, quos D. Basilius instituit in suis monast. Constitut. à princip. vsque ad cap. 18. Immò hoc verbum *monachus* idem significat quod *solus*, vt patet ex *Hier. epist. 13. & ex cap. placuit.* Illi igitur solitarij veri monachi, & religiosi fuerunt, licet non haberent superiorem cui obedirent.

3 Sed dicitur, quòd votum obedientiæ non sufficit ad constituendum statum perfectionis connaturali modo, & per se, & directè, quia directè sub eo non cadunt nisi actiones externæ imperatæ, scilicet, agere, & non agere, quod est speciali modo in libertate, & potestate nostræ voluntatis; sed vt dicitur in respons. ad tertium cohibere passiones appetitus sensitiui, est quid speciale, quod non cadit per se & directè sub voto obedientiæ, quia non est agere, vel non agere, sed est non concupiscere, seu impedire passiones ne côcupiscant agere vel non agere; ideo necesse est per votum speciale promittere Deo paupertatê per quam renunciamus etiâ iuri & cupiditati habendi, & castitatê per quâ frænamus etiam concupiscentiam licitæ delectationis, & copulæ coniugalis; Ideo bene aduertit *Caiet.* quòd opera spectantia ad paupertatem, & castitatem iam duplici titulo cadunt sub voto; nimirum sub voto obedientiæ, quatenus opera sunt, & sub voto paupertatis, aut castitatis, quatenus sunt repressiones cupiditatis, & concupiscentiæ contrariæ paupertati, & castitati.

4 Ad id verò quòd dicebatur de ordine Prædicatorum respondetur ex *Caietan. & Suarez lib. 6. cap. 2. num. 13.* religiosum ordinis Prædicatorum implicitè vouere paupertatem, & castitatem, vouendo viuere secundùm regulam sancti Augustini, quæ paupertatem, & castitatem exigit, vt substantialia religioni. Et quamuis *Card. in Clem. eos, de vsuris quæst. 2.* hoc in dubium vertat; tamen ex vsu talis ordinis hoc est certissimum, & traditur in *constit. d. ordinis cap. 15. in Gloss. lit. C. & à D. Thom. quodl. 3. q. 9. a. 20.* Nam & ad statum Religiosum sufficit, vt paupertas, & continentia implicitè voueantur, sicut etiam fit in religionibus S. Benedicti & Carthusiæ, & docent communiter Canonistæ, cum Innocentio in *cap. consulti*, de regularibus.

5 Ad primum autem eorum, quæ adducta sunt pro sufficientia voti castitatis, aut paupertatis dicitur, non esse certum an illæ virgines, quæ antiquitus in domibus parentum manentes accipiebant velamen castitatis, essent perfectè religiosæ, habentur tamen indicia, & coniecturæ non leues, quòd tales virgines emitterent etiam cætera vota, vt colligi potest ex *Athanas. lib. de virgin. & Clem. Alex. lib. 3. Stromatum*, quos refert *Suarez. l. 6. c. 2. num. 13.* Et ita dicitur eas, vel non fuisse perfectè in statu religiosæ perfectionis, vel tria vota emisisse.

6 De tertiarijs autem viuentibus nunc in domibus proprijs longa concertatio est inter DD. an sint religiosæ. Has enim, non teneri ad vota paupertatis, & obedientiæ certum est ex Constit. Concil. Lateran. sess. 12. sub Leone X. & ex decreto Congr. Concil. Trid. sub Paulo 5. 20. Decembris 1616. dicitur igitur quòd aliud est quærere, an huiusmodi tertiariæ si habeant conditiones requisitas a Leone X. & Congreg. Concilij gaudeant priuilegijs côcessi

cessi religinnis sub qua militant, & aliud est quærere an istæ sint religiosæ. Hnc secundum, non babet dubium, & certum est eas, non esse religiosas nisi secundùm qnid, & imperfectè ratinne simplicis voti castitatis; quidquid sint an ex priuilegio gaudeant immunitatibus concessis religiosis illius ordinis sub quo tales tertiariæ militant. De his vide *Carolum de Grassis. aff. primo. nu.92.* Rodriquez *Re. fol. 136. Ricc. p.2. des.88. Danat. tom.2. p.4. tract.17. quæst.7. & trac.18. quæst.3. Nauar. Comp. de Regular. num.8. Miranda tom.1. quæst.36. a.3.* Sanchez *l.5. c.4. num.74. Portell. par.1. casu 16. num.8. Rodriq. tom.3, quæst.72. nu.2. Casarub. in v. Tertiary Lezanam p.2. cap.14.*

7 Anachoretæ autem perfectè religiosi relinquentes mundum, & paupertatem, & cnntinentiam in solitudine exercentes sub directione tamen Episcoporum tria vota emittabant, & ideo perfectè religioni erant; Quòd si deficiebant ab emissione votorum non erant, nisi religiosi ex parte, & secundùm quid. Quod etiam Equites promittentes solam castitatem coniugalem, non sint perfectè religiosi dictum est artic.4. est tamen discrimen, quia huiusmodi equites, qui in religinne a Sede Apostolica approbata tria vnta emittunt, licet non voueant nisi castitatem cnniugalem, magis accedunt ad proprietatem Religiosorum, quàm illi, qui vota simplicia extra approbatam religionem emittunt.

SVMMARIVM.

1 *Actus virtutis interni non cadunt sub voto Religionis, quia sunt finis illorum. num.8.*
2 *Actus interni, vt sunt actus virtutis sunt necessary, vt tales vero, cum non sint visibiles, non cadunt sub votis Religionis, vt materia voti, sed vt finis. num.9.*

8 QVantùm autem ad aliam exponentem, scilicet qnòd non sit necessarium aliud votum, conclusio probatur magis ex responsionibus ad argumenta, & ex responsione ad primum habetur, quòd non est necessarium votum actuũ interiorũ, quia illi nnn cadunt sub voto Religioso, sed sunt finis illius voti ex qun ad charitatis perfectinnem pertinent. Sed dices, vel D. Th. loquitnr de actibus aliarum virtutum, vt sunt de præcepto, vel vt sunt de consilio. Si primo modo, nnn est distinctio inter actus internos, & externos, quia vtrique ad substantiam perfectionis pertinent, quæ in obseruantia præceptorum charitatis pertinet. Si verò loquitur de illis actibus, vt sunt ex consilio, sic non videntur esse de substantia perfectionis. Respondetur quòd D. Thnm. loqnitur de actibus virtutum internis absolutè; isti enim nnn possunt spectare ad statum religinsum, vt est Ecclesiasticus & visibilis, nisi per modum finis, & huiusmodi actus, siue sint de essentia perfectionis, quod illis conuenit, ve sunt de præcepto, quia vt sic cadunt etiam sub præcepto chariratis, siue sint accidentia eius tanquàm charitatis fructus, & ornamenta decnris eius, quia nihilominùs interni sunt, nnn sunt materia voti Ecclesiastici, & visibilis, sed finis.

9 Aliud etiam hic est considerandum, quòd actus virtutis, vt actus virtutis formaliter, cum sint de præcepto, quia charitas nos obligat dum non sumus impediti ad semper virtuosè operandũ in Dei gloriam, ideo actus virtutum interni, vt sunt actus virtutis sunt de essẽtia perfectionis prout est finis religinnis, solùm verò illi accidere possnnt, vt sunt tales, vel tales actus. In quo est distinctio inter internns, & externos. quòd illi pertinent ad perfectionem, vt est finis, religionis, iden nnn sunt materia voti religionis, sed finis eius, externi verò spectant ad religionem quatenus sunt visibilia instrumenta perfectionis impedimenta remouentia, & ideo sub votis religionis cadunt, vt materia promissa.

SVMMARIVM.

1 *Alia externa actiones non cadunt sub votis Religionis, quia subordinantur paupertati, & castitati, & obedientia, & nimis graue esset se ex voto ad illas obligare. num.10.*

10 IN respons. ad secundum datnr ratio, cur aliæ externæ actiones, quæ conducunt ad perfectinnẽ, non cadant sub voto Religioso. Nã huiusmodi actiones subordinãtur paopertati castitati, & obedientiæ, vnde non fuit necesse illas vouere, sed sufficit eas per regulæ leges ordinare; nam aliàs vt aduertit. *D. Thom. quod.1. a.20.* Si quidem religiosns profitendo voueret se regulam seruatnrum, videretur se obligare vnto ad singula, quæ continentur in regula, & sic contra quodlibet eorum agendo peccaret mortaliter. Et ex hoc sequeretur, quòd religionis status esset religiosis in laqueum peccati mortalis, quod vix, aut nunqnam posset declinare. Et ex hoc deducitur etiam quòd multitudo præceptorum obligantinm sub mortali, non multùm conuenit quieti, & tranquillitati status religiosi.

SVMMARIVM.

1 *Honor duplex. num.11.*
2 *Hanori debito virtuti, vel excellentia in spiritualibus Raligiosas non debet renunciare. num.11.*
3 *An honor & fama possint esse materia voti. numer.12.*
4 *Difficultas quæstionis. num.13.*
5 *Appetitus honoris, & fama occasio ambitionis. num.13.*
6 *Plures differentia inter appetitum diuitiarum, & honoris. num.14.*
7 *Abdicatio honoris non spectat ad paupertatem. num.14.*
8 *Hanor triplici ex causa male appetitur. num.15.*
9 *Negatio illiciti appetitus honoris potest esse materia voti. Sed votum non est consulendum, numer.15.*
10 *Nau appetere honorem licite non potest esse materia voti, quia non est melius bonum. num.16.*
11 *Non appetere honorem licite est maior occasio mali, quam appetere. num.16.*
12 *Non est virtutis humilitatis omnino honorem contemnere. num.17.*
13 *Non appetere famam non est materia voti, & fieri patest bene, & male, sed potius est bonum. num.18.*

14 Reli-

14 *Religiosis præcipue conuenit honorem non illicite amare, & magnifacere. num. 19.*

15 *Qualiter animus se habere debeat erga honorem. num 19.*

16 *Iacturam honoris, & famæ ad virtutem potest pertinere. num. 20.*

17 *Religiosis maxime competit patienter sufferre iacturam famæ. num. 20.*

18 *Titulus honoris multiplex, & illum non appetere potest esse bonum, & malum. num. 21.*

19 *Occultare virtutes non est semper bonum, & de se non est materia voti. num. 22.*

20 *In casu particulari fuga honoris, & famæ potest esse materia voti. num. 23.*

11 AD quartum. Ex hac responsione & *Caiet.* expositione notandum, honorem esse duplicem scilicet debitum virtuti, qui est honor simpliciter, & debitum excellentiæ etiam in bonis externis, qui est honor secundùm æstimationem. Honor verò virtuti debitus simpliciter, non est virtuosè renunciabilis; quia nec fieri potest quòd virtus, non sit digna honore, nec impediri homines, quòd virtutem, non reuereantur, & honorent, maximè quòd honor est in honorante. Sed honor, qui debetur excellentiæ in aliquibus bonis, & hic subdistinguitur; Nam alius est, qui debetur excellentiæ in bonis temporalibus, & huic bonum est renunciare, & Religiosi renunciant renunciando mundo, est enim hic honor mundanus; & alius est, qui debetur excellentiæ in aliquo bono animæ, sicut est honor, qui debetur gradui spirituali, vt gradui ordinis sacri, & dignitatis, seu Prælaturæ spiritualis. Et hic honor Ecclesiasticus dicitur, & est honor sanctus; cui religiosus licitè, non renunciat. Nam & sacerdos debet honorari præ alijs, & Prælatus licet peccare possit, si ambiat Prælaturam ob finem honoris, dum tamen Prælatus est, iustè exigit honorem Prælaturæ debitum. Ex hoc verò colligit *Caiet.* quòd religiosi, qui ex instituto ordinantur ad docendum & prædicandum, & quorum Patres sancti, & primarij institutores ordinauerunt gradum magisterij in Theologia, malè faciunt renunciando huiusmodi gradui, & illum a suis abdicando. Sed quia, hæc aliquam pati possunt difficultatem; ideo quæritur.

An honor, & fama possint esse materia voti.

12 VIdetur enim, quod homo virtuose possit a se abdicare honorem, & famam, quia hoc potest esse actus virtutis, quia potest esse actus humilitatis, est enim humilitas virtus refrænans animum circa hominis concupiscentiam. Ideo *Suarez tom. 3. l. 8. cap. 4. num. 6.* docet, honorem & famam posse esse materiam voti, & nihilominùs votum, hoc in communi, non esse consulendum, quia honoris appetitus materia lubrica est, & difficillima, vnde tale votum obseruaretur rariùs, & animus mille scrupulis angeretur, esset enim difficile distinguere, an aliquis contra votum ageret. Sed votum determinatum, vt est votum non procurandi dignitates, & loca, vel titulos honoris posse fieri conuenienter, & laudabiliter.

13 Difficultas huius quæstionis in hoc consistit, quòd honor, & fama sunt hominis bona extrinseca, & quidem talia quòd possunt esse bona impedientia non parùm profectum vitæ spiritualis, & fomentum ambitionis, & inanis gloriæ, cum sint bona excellentiora diuitijs, vnde, vt aduertit *D. Th. sup. q. 73. num. 3.* dicitur Prou. 22. *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ.* Et ita quòd in pretio ab hominibus vitæ ferè æquiparantur. *l. iusta causa, ff. de manumiss. vind.* vnde est, quòd huiusmodi bona vim non paruam habent, vt affectum sibi concilient, & à Dei amore abstrahant. Nec valet dicere cum *Caiet sup. q. 73. a. 2.* quòd homo non sit dominus suæ famæ, ideo non potest illam contemnere, quia immò eius esse dominum tradunt *Soto l. 2. de iust. q. 2. a. 3. Serra sup. q. 64. a. 5. ad tertium, & qu. 43. a. 4. ad primum. Villalob. & Nauar.* quos sequitur *Martinez de Prado cap. 25. qu. 2. nu. 24.* Cur igitur sicut licet se priuare diuitijs propter Deum, & vouere paupertatem est bonum, & ad statum perfectionis necessarium, sic non erit, hoc licitum, immò & necessarium, immò ad votum paupertatis non spectans, vt homo abdicet à se honorem, & famam?

14 Sed respondetur, quòd nimis latum discrimen est inter honorem, & famam, & inter diuitias. Tum primo, quia verus honor, & fama virtutem supponunt, quod non faciunt diuitiæ. Honor enim importat quandam reuerentiam debitam excellentiæ virtutis, & bonitatis, vel propriæ, vel alterius sicut honorantur Principes, & Prælati etiã si sint mali, inquantum gerunt personam Dei, & communitatis cui præficiuntur, vt dicit *D. Thom. supra q. 63. a. 3. c. & q. 103. a. 1. & q. 131. a. 1. c.* Fama verò, quæ secundùm S. Thomã est clara notitia cum laude, supponit virtutem, quæ sola digna laude est. Inde differunt secundò quòd diuitiæ, non debentur alicui ex honesto titulo, sed & bonis, & malis competunt, immò, vt plurimùm eis magis abundant mali. Sed honor & fama debentur hominibus, quia virtute prædici sunt. Tertio nam diuitiæ per se ipsæ possidentur, nec per se sunt bonum proueniens diuiti, non nisi ea actu alterius, sed independenter ab actu cuiuscumque realiter habentur. Sed honor & fama realiter consistunt in actu alterius, scilicet in actu honorantis, & habentis claram opinionem virtutis alicuius, & de ea bene loquentis vnde honorari, & habere bonam famam, non est nisi extrinseca denominatio ex actu alterius proueniens homini honorato, & habenti bonam famam. Quartò sequitur ex his, quòd cum homo sit plenè dominus diuitiarum, non habet tantum ac tale dominium honoris, & famæ, quæ non sunt tam bona ipsius, quàm bona Dei volentis honorari in donis suis, & laudari in sua bonitate. Nam & quintò differunt, quòd speciali ratione honor, & fama à Deo dantur homini, non in sui proprium bonum, sed in bonum aliorum, vt tradit *D. Th. sup. q. 131. a. 1.* & contra Martinum explicat, & tuetur ibid. *Caiet.* Vnde non est in potestate hominis cum Dei, & aliorum præiudicio honorem suum, & famam contemnere. Vnde etiam est, quòd abdicatio honoris, & famæ, non spectat ad paupertatem, quæ negat proprium respectu temporalium, & corporalium bonorum, quæ tanquam

omni-

omnino propria poſſidentur. Honor verò, & fama ex magna parte ſpiritualia ſunt, cum virtutem ſupponant, & virtuti reddantur.

15 Hoc ſuppoſito diſtinguitur punctum quæſtionis; quia vel loquimur de honore, & fama ſecundùm ſe, vel de cauſa, & radice eius, quæ eſt virtus. Si loquimur de honore, & fama ſecundùm ſe, vix eſt dabilis eorum appetitus, qui de ſe nec ſit malus, nec ſit actus virtutis, ſed bonum indifferens, cuius negatio poſſit eſſe materia voti. Triplici enim ex cauſa appetitum honoris eſſe malum dixit *D. Th. ſupra q. 131. a. p.* Primò ſi ſit improportionatus, quia in appetente, non eſt meritum honoris, vel comparatiuè, vt ibi explicat *Caiet.* quia non eſt in eo tantum meritum, quantus eſt honor, ſicut ſi quis, non ſit dignior, honor Prælaturæ eſt improportionatus illi, quia Prælatura debetur digniori. Secundò ſi quis honorem appetat, non referendo in Deum. Tertiò ſi appetitus in honore quieſcat, & homo non referat illum in vtilitatem aliorum. Aduertit verò *Caiet.* ibidem, circa ſecundum, & tertium modum, quòd adhoc, vt appetitus honoris, ſit malus, non ſufficit ſola negatio relationis actualis in Deum, vel in proximum; ſed neceſſe eſt quòd hoc, vel contrariè, vel priuatiuè intelligatur, quia vel poſitiuè excluditur relatio in Deum, & in proximum, vel deeſt actualis huiuſmodi relatio tunc, cũ debetur ex aliqua circumſtantia. Et ita habens excellentiam honorabilem ſi appetit honorem infra proprios terminos, ſcilicet præciſè, vt habens excellentiam, & ideo deſiderat ſibi hoc bonum, quod eſt excellentiæ debitum, non peccat. Ergo ſi quis appetat honorem aliquo ex tribus modis illicitis malè agit, & ſic non appetere illicitè honorem poteſt eſſe materia voti. Et tamen vt dixit *Suarez*, hoc votum, non eſſet conſulendum. Vnde valde difficile eſt, vt in indiuiduo poſſit dari caſus in quo negatio talis appetitus licet de ſe bona, ſit quid melius, & ideo ſit materia voti. & non potiùs, ſit exponere ſe periculo, vel multiplicis inobſeruantiæ, vel anxietatis, & impedimenti ad perfectionem obtinendam. Sed appetitus honoris ſi reſpiciat honorem, vel vt debitum Deo cuius donum eſt excellentia, vel vt vtile proximo, ſic eſt bonus, vnde negatio huius appetitus tanquam mala, & contraria amori virtuoſo eſt mala, nec poteſt eſſe materia voti.

16 Solùm igitur eſſe poteſt difficultas, an non appetere honorem ſibi proportionatum in quantum eſt bonum proprium, & ſuæ excellentiæ proportionatum poſſit eſſe materia voti. Et dico, quòd non poteſt eſſe, quia licet negatio talis appetitus per ſe & ex genere ſub illa præciſione, ſit res indifferens, nec bona nec mala, tamen non habet, vt ſit inſtrumentum melius conducens ad perfectionem, quàm ſit appetitus honoris. Hoc primò explicatur, ſi non appetitus ſumatur contrariè, vt non appetere, ſic contemnere honorem ſibi proportionatum, & ab alio ſibi oblatum. Quoniam nequit habere rationem melioris medij ad perfectionẽ charitatis id; cui per ſe coniungitur negatio honoris debiti Dei donis, & negatio vtilitatis proximi, & quod eſt impedimentum ne proximis Deo, & excellentiæ debitam reddat reuerentiam. At verò honoris oblati contemptus impedit ne Deus in ſuis donis honoretur, ne proximis aduenire poſſit vtilitas maxima, quæ ex virtutis excellentia honorata prouenit, & ne homines, quod debent erga virtutem operentur. Quod dicitur verò de contemptu honoris oblati & proportionati, dicitur etiam de ſimplici negatione appetitus talis honoris, quia rationem melioris medij ad perfectionem charitatis habere, non poteſt per ſe, & ex genere, non appetere id, quod non eſt melius contemni, quin immò id quod eſt tale, quod ex genere, & per ſe habet annexum Dei honorem, proximi vtilitatem, & ab homine Deo & proximi vtilitati debetur, habet etiam quòd ſit medium ſuo oppoſito vtilius ad charitatis perfectionem, & quòd illud appeti eſt eadem modo vtilius, & eius oppoſitum, non eſt voti materia. Et licet appetere honorem poſſit eſſe aliqua occaſio mali, maior mali occaſio eſſe poteſt negatio talis appetitus, ex quo facillimè oritur ignauia, & pigritia, & negligentia operandi ea, quæ honore digna ſunt. Cum aliàs ex quo concupiſcentia vtilis eſt diſpoſitio ad honeſtatem virtutis, & verus honor, non niſi per honeſtatem conſequi poteſt, honoris concupiſcentia poteſt eſſe diſpoſitio maxima ad hoc, vt quis fortiter agat, & feruenter pro virtute. Quàmuis & ex quo appetitus honoris poſſet eſſe aliqua occaſio accepta, non data alicuius mali, non ob hoc negatio talis appetitus eſſet medium ad perfectionem vtilius, cum illa per ſe, & ex genere impediat Dei honorem, & proximi vtilitatem, & virtutem. Vnde eſt, quòd per ſe, & ex genere comparando iſta duo, ſcilicet appetere honorem proportionatum, & illum non appetere, vel etiam contemnere. Licet vtrumque fieri poſſit ſine peccato; tamen primum hoc habet per ſe; & licet per ſe, non ſit tantum bonum, quod ex circumſtantia, non poſſit fieri malum, tamen per ſe eſt conſecutiuè bonum, quia habet honeſtatem virtutis aliunde adiunctum, quia per ſe habet adiunctum Dei honorem, & proximi vtilitatem, & virtutem. Sed ſecundum, non excludit malitiam niſi, vel ſit conditionatum, & per modum velleitatis; per quam homo quantùm, ſit ex ſe vellet honorari, & eo bono libenter ſe priuaret propter Deum, vel ex aliqua circumſtantia bonum ſit non honorari, ſeu honorem, non appetere. Vnde eſt quòd nolle honorem per actum efficacem & abſolutum potiùs de ſe eſt malum, quia non niſi ex aliqua circumſtantia poteſt eſſe bonum. Et ſic primum quantum ſit ex ſe ex adiuncta bonitate eſt bonum, & ſolùm ex circumſtantia poteſt fieri, vel malum, vel amplius bonum. Sed ſecundum per ſe, non eſt bonum, ſed ſolùm ex adiuncta circumſtantia ſit tale. Nam licet non appetere honorem ex eo præciſè quòd; non eſt appetitus honoris indifferentiam habeat, ex eo tamen quòd conſequenter negat honorem Dei, & vtilitatem proximi quandam mali rationem habet; quæ non tollitur niſi ex aliqua meliori circumſtantia.

17 His quoque addendum eſt, quòd non eſt virtutis humilitatis omnino honorem recuſare; vt D. Th. ibidem docet *art. 1. ad 3.* Ideo vt dicitur in artic. 2. laudatur aliquando, qui amat honorem, & aliquando, qui honorem contemnit, quia vtrumque moderatè fieri poteſt.

18 Idem cum proportione eſt dicendum de fama; Ideo bene idem D. Th. quodl. 10. num. 13. dixit *Quod vtrumque, ſcilicet & contemptus famæ, & ap-*

petitus

petitus potest esse laudabile, & vitiosum. Fama enim non est necessaria homini propter seipsum, sed propter proximum ædificandum. Appetere ergo famam propter proximum, charitatis est, appetere verò propter te ipsum, ad inanem gloriam pertinet. E conuerso contemptus famæ ratione sui ipsius, humilitatis est; ratione verò proximi ignauia & crudelitas. Illi ergo quibus incumbit ex officio, vel ex statu perfectionis aliorum saluti prouidere, peccant nisi infamiam propriam iuxta posse repellant. Alij vero quibus magis custodia suæ propriæ salutis imminet, possunt suæ humilitati prouidentes famam, vel infamiam contemnere. Et idē *D.Th. opusc.19.c.13.* ex professo probat, quòd Religiosis competat detractoribus suis resistere. Nam & Apostolus Paulus his, qui de se mala disseminabant restitit Rom.3. ibi *Quid adhoc, & ego tanquam peccator iudicor? Et non sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere &c.* Et aliquando maledicentibus esse renitendum dixit ibid. *Glos.& in 3.canon.Iō. & Greg.ho.9. in Ezech.* Et præcipuè ad hoc pulchra sunt verba *S.Aug. li.2. de Trinitate,* relata à DD. ibid. & sunt ista. *Gratanter suscipit osculum columbinum pulcherrima, & modestissima charitas, dentem autem caninum, vel euitat castissima cautissimaque humilitas, vel retundit solidissima veritas.* Vnde est quòd Sancti Gregor. Nazianz. Hieron. Bernardus, & alij Apologeticos descripserunt, vt se à maledicentibus defenderent. Supposito igitur titulo cui honor debetur, virtutis est non magni facere honorem, vel famam, & virtutis est illum, & illam moderatè contemnere, & impedire, quia honor non debetur nisi donis Dei, & Deus ipse est, qui in virtuoso principaliter honoratur, cuius honorem impedire non est laudabile. Vitetur igitur honor cuius titulus, & meritum, non habetur, quia hunc admittere superbiæ est. Non admittatur honor, vel laus, vt debitus vel debita sibi ex suo; quia cuique ex suo, non conuenit, nisi defectus, qui non est dignus honore aut laude. Non magnifiat honor, etiam eius merito supposito; sed nec contemnatur contra virtutem magnanimitatis, vel alterius virtutis innominatæ, quę est circa mediocres honores, vt ibi D. Thom. docet.

19 Sciantque Religiosi, quòd illos summopere dedecet, vel illicite honorem, & famam diligere, vel ea magnifacere. Religiosis maximè, qui viam humilitatis sectantur interdictum est honorem per se quærere, & gloriam intendere. Quod docuit S.Basil.in reg. breuioribus interr.36. dicens. *Reddere quidem honorem, cui debetur honor, iussimus, quærere autem honorem vetiti, cum Dominus dixerit: quomodo vos potestis credere, qui gloriam abinuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non accipitis? Ex quibus verbis intelligitur, quòd gloriam ab hominibus quærere, manifestissimum est argumentum infidelitatis, & animi alieni à cultu Dei: cum Apostolus dixerit: si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Quòd si qui delatam, sibi ab hominibus gloriam acceperint, sic condemnati sunt, sine controuersia, qui vltrò, non delatam sibi inquirunt, grauissimo supra quam dici possit, iudicio plectentur.* Et in Constit.monast. cap.25. addit *Monachus, qui in hac vita laboribus ac rectè factis suis esse præmium vult, misera profectò illius mercedis conditio est; qui pro æternarum rerum iactura, caducas paciscatur. Si autem secum decreuerit velle, se in hac vita agones laborum perferre, & eorum mercedem in cælo recipere, non modò honores ipse consectari non debet: sed nec oblatos quidem admittere: potiùsque recusare, atque reijcere, ne consequentis vitæ gloriam præsentis honor imminuat.* Et quod ordinatus famæ appetitus, sit laudabilis explicat: *Caiet. supra quæst.131.a.p.* Et de eodem puncto videri possunt. *D. Thom. supra quæst.29.a.1.cum 3.& quæst.131.a.p. Nauar.cap.inter verba post.5. conclus. Basilius Pontius par. p. varior. quæst.7. Martinez de Prado q. 25. q. 1. & 2.* Et immò cum mala fama supponat defectum virtutis, & de se potiùs scandalū generet, vnde incumbit homini necessitas lucrandi bonam famam, & dicitur Eccles. 41. *Curam habe de bono nomine.* Ideo non appetere famam de se potiùs est vituperabile, & non nisi per accidens, & in indiuiduo ex aliqua circumstantia potest esse honestum.

20 Sed aliud etiam hic est aduertendum, quòd aliud est contemptum patienter sufferre, seu iacturam honoris patienter tolerare, & aliud est honorem virtuti debitum contemnere. Primum laudabile esse potest, & pertinere ad virtutem patientiæ, tolerantis aduersa iniustè illata. Et hoc certum est, quòd vbi fieri potest sine scandalo ad virtutem patientiæ spectare potest, quòd quis detractionem, & contumelias sibi illatas patienter ferat. Quod maximè decet Religiosos, vt dixit S. Io: Damascenus lib.6.ep.30. *Inter omnia, inquit, quæ diuina nobis sunt lege mandata, nihil est monacho propensius enitendum, quàm vt patientiam in omnibus habeat, qua videlicet alienæ prauitatis iniuriam æquanimiter ferat. Hæc planè virtus ad perfectionis culmen monachum prouehit, & terribilem in Dei hostibus animam dimicantem facit &c.* Et bene *Caiet. in sum.in v. fama* aduertit, quòd quandoque melius prouidetur proximus tolerando hilari patientia infamias, quàm obsistendo. Vnde nisi charitas proximi impellat melius toleratur infamia, quàm pro fama laboretur. Et hoc modo sancti sæpius de suo contemptu gaudebant, sicuti & gaudebant de damnis iniustè illatis in bonis corporis, aut diuitijs; sed omnino, & in totum renunciare honori debito virtuti, illumque impedire, & famam contemnere, non habuerunt sancti pro actu laudabili, & virtutis, quamuis honorem non magnifecerint, nec quæsierint tanquam magnum, sed tanquam fructum virtutis admiserint. Vnde est, quòd nec Religiosi in sua professioni honori renunciant, vt bene probat *Martinez de Prado cap.19.q.5. num.16.* & tradit *D. Th. in hac resp.ad 4.*

21 Si verò loquamur de titulo honoris, hic quia est multiplex; Nam est titulus honoris fallacis, qui datur excellentiæ in bonis temporalibus, & diuitijs, & huic titulo renunciare laudabile est, & per votum paupertatis, hic honoris titulus contemnitur. Est autem alius titulus honoris, qui in gradu aliquo, vel superioritatis, vel doctoratus consistit, & huiusmodi titulum fugere potest esse laudabile. Nam supra dictum est, votum non procurandi, vel admittendi dignitates esse laudabile, si fiat salua semper obedientia, & reuerentia debita superiori. Sed proprius titulus honoris, & bonæ famæ est virtus, cui renunciare est vitium. Circa doctoratum tamen Theologiæ est specialis difficultas Religiosis enim posse cōpetere magisterium

ſeu Doctoratum in Theologia, & iure Canonico *ex cap. Doctos, & cap. moderamine, & cap. ſunt nonnulli 16. quaeſt. 1.* deducunt Hoſt. *Io: Andr. & Panorm. ad cap. quia nonnullis*, de Magiſtris, *Tabien. v. mag. num. 2. Armilla num. 4. Sanchez l. 6. c. 14. nu. 44. Tambur. tom. 3. diſp. 3. q. 6. num. 38. Barboſa de iure Eccleſ. l. 1. c. 43. num. 62.*

22 An verò quis titulum honoris, & famæ poſſit negatiuè fugere, & cõtemnere famam occultando virtutes, & animi, & naturæ dotes ex quibus fama conſurgit. Reſpondetur, quòd in hoc, non poteſt dari certa regula. Nam ſi Dominus Matt. 6. inquit, *attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*, iam priùs idem Dominus dixerat, *ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Colligitur enim ex his, quòd Dominus, non mandat abſolutè occultari opera bona, ſed prohibet intentionem vanæ gloriæ, vetans fieri opera, vt videantur ab hominibus. Econtra autem vult opera bona videri, vt inde videntes materiam ſumant Deum laudandi. Et abſolutè loquendo homo ex præcepto tenetur operari bene manifeſtè; quia dum eſt in hominum conſpectu tenetur, non operari malum, ſed bonum, & virtuosè ſe in omnibus gerere; ſolùm ergo poteſt eſſe laudabile occultare aliqua opera virtutis, ſic tamen, vt nec ſpeciem mali habeat id, quod eſt manifeſtum; laudabile etiam eſſe poteſt aliquando occultare aliquas gratias gratis datas, vt eſt gratia ſanitatum, & miraculorum. Quas tamen etiam aliquando manifeſtare nedum erit laudabile, ſed neceſſarium, vt cum quis in fidei teſtimonium miraculum operatur ex Dei inſtinctu. Sed nihilominùs dicitur, quòd vouere in generali huiuſmodi occultationem, non eſt bonum, neque laudabile. Tum quia opera virtutis debent eſſe manifeſta. Tum quia, nec ſemper eſt, vel bonum, vel melius occultare, quæ poſſent occultari. Tum quia iuſtus debet habere pro fine Dei gloriam, quæ potiùs ex operum bonorum apparentia, quàm ex occultatione oritur.

23 In caſu autem particulari poterit iuſtus agere, quod ſibi melius, & Deo charius videbitur etiã ſe ex voto obligando ad occultandũ aliquod opus bonum, vel etiam ad tolerandum iacturam famæ, & honoris in particulari caſu, vel pariter in caſu particulariter circumſtantionatò ad honorem, non appetendum, & non deſiderandum. Hoc verò ſuppoſito dubium eſt.

SVMMARIVM.

1 *Doctoratus, ſeu Magiſterium Theologia poteſt conuenire Religioſis. num. 24.*
2 *An ſit bonum abdicare à ſubditis magiſterium in Religione ordinata ad docendum. num. 24.*
3 *Abdicare à ſubditis magiſterium Theologia eſt res indifferens. num. 25.*
4 *Laudabile inſtitutum Religionum, qua magiſterium admittunt. num. 26.*
5 *Caietanus defenſus. num. 27.*
6 *In Ordine Prædicatorum per ſe non eſt laudabile abdicare à ſubditis Magiſterium Theologia, numer. 28.*

Verum in religione cuius inſtitutum eſt docere, & prædicare ſit laudabile abdicare à ſubditis gradũ Magiſterij in Theologia?

24 NAm *Suarez. tom. 3. l. 8. c. 4. num. 13.* conſiderans, quòd huiuſmodi, quæ ſecundùm ſe ſunt indifferentia, & poſſunt bene, & malè fieri, poſſunt laudabiliter, & amplecti, & contemni, cenſet quòd etiam in religione inſtituta ad docendum & prædicandum poſſit laudabiliter inſtitui, vt non admittatur gradus magiſterij, ſeu doctoratus in theologia, quem contempſiſſe Sanctos Bonau: & Antonium compertum eſt. Ideo putat *Caiet.* excedere eo quòd hic dixerit reprehenſibile eſſe in religione inſtituta ad prædicandum, abdicare huiuſmodi doctoratum.

25 Reſpondetur verò, per ſe & abſolutè loquendo hanc eſſe rem indifferentem, & poſſe iuxta diuerſa inſtituta, & diuerſos fines inſtitui etiam in religione ordinata ad prædicandum, vt non admittatur in ea gradus doctoratus, ſeu magiſterij, dum tamen ſeruetur aliqua inæqualitas, & non priuentur religioſi excellentes in doctrina, & labore, & virtute honore virtuti, & eius excellentiæ debito. Quia doctoratus, non eſt neceſſitatis ad perfectionẽ obtinendam, & poteſt etiam præbere aliquid impedimenti ad illam, ratione cuius poteſt eſſe laudabile illum non admittere.

26 Et quia tamen per ſe potiùs iuuat ad perfectionem, & ad hoc, vt Religioſi libentiùs labores ſuſtineant in addiſcendo, & docendo, & acriùs reſiſtant otio, & fiant habiliores ad ſalutem animarum procurandam; ideo etiam laudabile eſt inſtitutum earum religionum, quæ gradum magiſterij admittunt. Et *D. Thom. quodl. 3. a. 9.* docet, non eſſe contra perfectionẽ appetere, & petere officiũ docẽdi in Theologia per ſe loquẽdo.

27 Neque oppoſitum docet *Caiet.* quem laudat, & ſequitur *Donatus tom. 3. tr. 15. num. 7.* qui loquitur in caſu magis particulari, & reſpectu religionis inſtitutæ ad prædicandum, in qua conſtat ſanctos Patres huiuſmodi honore donatos, vnde loquitur de religione in qua iam admittitur ex cõſtitutionibus gradus magiſterij, qualis eſt religio Prædicatorum. Et ita in terminis iſtis loquendo dicitur laudabile non eſſe per ſe loquendo, & præſcindẽdo à circumſtantijs particularibus abdicare a ſubditis, & religioſis titulum doctoratus. Et quidem licet poſſit eſſe laudabile in ſubdito religioſo Ord. Præd. nedum non quærere, ſed & oblatum magiſterium humiliter, & ſalua obedientia recuſare, ſicut feciſſe B. Henricum Suſonem legitur in eius vita; tamen nõ eſt per ſe laudabile inſtituere pro aliqua huius ordinis, vel Prouincia, vel Congregatione, vt religioſi digni, non admittantur ad gradum magiſterij, & ad priuilegia loci, & vocis, & alia de iure, & laudabili conſuetudine, ſine præiudicio obſeruantiæ Doctoribus in Theologia conuenientibus.

28 Ratio eſt, quia in Religionibus per ſe inſtitutis ad docendum, & prædicandum ſpeciali prærogа-

rogatiua honoris digni sunt, qui præ alijs doctrina excellunt. Nedum quia excellentiæ doctrinæ per se absolutè debetur honor particularis, quoniam honor debetur alicui ratione excellentiæ, vt habet *D.Th.supra q.81. a.4.c.*& honor diuersus iuxta excellentiæ diuersitatem, vt ibid. tradit D.Thom. precipuè verò honor excellentiæ virtutis est debitus, vt dicitur supra *quæst.63.a.3.& q.130. a.1.* Et in hac responsione ad quartum. Doctrina verò sacra virtus intellectiua est, vnde dignum esse, vt qui est scientia præditus, reddatur honore teuetendus dixit *Cassiod.l.4.Epist.* Sed etiam, quia in Religione ordinata ad docendum, si omnes docti, & indocti æquales essent in participatione præeminentiarum Religionis, valde pauci inuenirentur ad vigilias insomnes, ad labores infracti, ad onera grauissima studiorum fortes, & contra Religionis finem, ex consequenti pauci docti viri in ea inuenirentur. Et aliàs amplissima pararetur via ambitioni, quia iam indocti æquè ac docti officia, & Prælaturas occupare pretenderent. Et aliud pessimum malum timendum esset, quia nimirum ignorantia inimica virtutis, arrogans quidem, sed simul virtutis timida, si semel Prælationes occuparet, doctos oppnimeret, & persequeretur viribus totis, sibi timens, ne eorum lux tenebras dissiparet. Quamobrem, hoc summè necessarium est, maximè in Religione, quæ ordinatur ad docendum, vt tollatur æqualitas, & quòd docti præferantur, & attendatur, quòd si spiritus sit promptus, caro est infirma, & ex eius infirmitate oritur, vt præter honestatem virtutis aliquid retributionis designetur laboribus, vt sicue Dauid sentiebat se inclinatum ad faciendas Dei iustificationes propter retributionem, sic viris Religiosis concupiscentia alicuius boni sit veluti dispositio inclinans eorum voluntates ad opera honore digna contemptis vigilijs, & laboribus. Si ergo iustum est & laudabile, vt in huiusmodi Religionibus inęqualitas in honore respondeat inæqualitati doctrinæ, & doctiores specialí honore habeantur, in quo meliùs consistet, hæc inæqualitas sine murmure, & periculo scandali, vel relaxationis Religionis, quàm in decorando excellentes doctrina laurea Magistratus, prout ab initio huius ordinis institutum fuit, & experientia, & vsus per tot secula id eidem ordini proficuum ostendit? Dum immò in eo ordine Sanctus Thomas, Beatus Albertus Magnus, Sancti Antoninus, Vincentius, Raimundus, & tot ac tanti alij viri, qui Ecclesiam illuminarunt gloriosis meritis & exéplis doctorali laurea fuerint decorati? Id quo ordo iste per tot secula auctus fuit, non debet censeri præiudiciale perfectioni. In hoc ordine illæ Prouinciæ, & Conuentus præ alijs antiquum splendorem sanctitatis & obseruantiæ firmiùs conseruarût, in quibus magis floruit doctrina, & habuerunt, & habent doctos viros, & quidem laurea magistrali condecoratos, qui steterunt, & stant pro muro contra iuuenum affectus vehementes, & Prælatorum (si qui mali aliquando fint) arrogantiam aut ignauiá. In hoc ergo Ordine abdicare à Religiosis lauream magisterij, nô est per se landabile. Sed tamen, nec laudabile esset, sed maxima [dignum reprehensione, vel laureare indoctos, vel supra numerum multiplicare magistros, vel da facili dispensare super requisitis ad magisterium, vel in hoc iustitiam distributiuam violare, vel ferre, quò magistri fruantur exemptionib. sibi de iure, non competentibus in præiudicium Regularis obseruátiæ, vel alium similem abusum tolerare. Sic enim abusus quidem huiusmodi approbari non possent. sed antiquus à tot sanctis, & pijs, & doctis viris seruatus mos laureandi doctiores, non est tollendus.

CAP. PRIMVM.

De Voto Paupertatis.

SVMMARIVM.

1 *Introductio ad tractatum. num.29.*

29 CVm igitur in hoc artic.7.quæst.186.determinauerit D.Th. Religiosum statum consistere substantialiter in tribus votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ de hoc verò vltimo tractet in particulari in sequentib. artic. 8. & 9. & nihilominùs plura Religiosis occurrant scienda præcipuè circa votum paupertatis, antequam ad vlteriora procedamus, plura inspectione digna consideranda sunt, quæ ad religiosæ paupertatis votum pertinent. De hoc igitur voto, quod est fundamentum Religiosæ, perfectionis prius sermonem habentes. Cum votum paupertatis consistat in priuatione, & abdicatione diuitiarum, seu dominij illarum; ideo materia illius illa est qua hominem priuat. Hæc verò duplex est, scilicet remota, & proxima. Remota sunt diuitiæ; proxima verò est habitudo illa dominij, quæ habetur à diuitibus diuitias possidentibus. Primò ergo inspiciendum est.

SVMMARIVM.

1 *Solæ diuitiæ sunt materia voti paupertatis. num.30.*
2 *Vita, & bona naturalia non sunt materia paupertatis.num.30.*
3 *Nec bona spiritualia. num.31.*
4 *Nec honor sanctus: bene tamen honor vulgaris. num.32.*
5 *Ad diuitias spectat, quidquid est pecunia æstimabile.num.33.*
6 *Ad eas non spectat vxor. num.33.*
7 *Reliquia non sunt materia paupertatis.num.34.*
8 *Officia spiritualia ratione annexarum diuitiarum sunt materia paupertatis.num.35.*
9 *Ius moderandi cathedram non est materia paupertatis. num.36.*
10 *Vendere doctrinam, an sit simonia.num.36.*
11 *Non emere quod venditur pertinet ad diuitias ad quas tamen pertinet omne pratium. num.37.*



Quænam contineantur sub materia remota voti paupertatis.

INSPECTIO PRIMA.

30 Breui discursu hoc punctum expeditur dicendo, solas diuitias esse materiam remotam voti paupertatis, non verò omne id, cuius homo habet qualecumque dominium. Sic enim, nec vita, nec pars aliqua corporis est materia paupertatis, quia ex lege naturæ homo prohibetur, vel vitam sine iusta causa prodigere, vel membrum grauì periculo exponere, nec homo potest expoliare se absolutè iure ac libertate vtendi vita, & membris suis ad actus vitales, & animales, quia, hoc est contra ius, & potestatem principalis Domini, qui est Deus, & est destructio personæ viuentis, & licet se ipsum vendere possit in seruum, & obligare se ad operandum ex voluntate alterius; tamen hoc ius, vel se liberum conseruandi, vel vendendi in seruum ad bona temporalia intrinseca pertinet, nō verò ad diuitias, ideo non potest ad paupertatem pertinere.

31 Multò minùs ad paupertatis materiam spectant bona spiritualia, quæ etiam, non licet prodigere, vel renunciare, immò quò maiora sunt, tantò chariora esse debent, cum intrinsecè ad perfectionem humanam pertineant, & paupertas ipsa eò sit laudabilis, quò est vtilis ad huiusmodi bona spiritualia augenda, vel obtinenda. Et quorum vsus, & dispositio ex charitate, & ex consequenti etiam ex misericordia, & obedientia alijsque virtutibus regulari debet, *D. Th. in hac artic. 7. ad 4.* & alij DD. communiter.

32 Inter extrinseca bona autem honor, & fama, meliora sunt diuitijs, vt probat *D. Thom. su. p. q. 73. a. 3.* & habetur ex *Prou. cap. 22. Melius esse nomen bonum, quam diuitiæ multæ*, vnde quatenus possint esse materia voti, non pertinent ad paupertatem, sed vel ad humilitatem, vel ad obedientiam. Distinguendum tamen est, nam & cum duplex sit honor, alius scilicet sanctus, qui virtutem consequitur, & alius vulgaris, qui consequitur excellentiam bonorum exteriorum, etiam diuitiarum. Primus est cui, non potest, nec licet ex vi paupertatis renunciare, cum ad bona interna, & virtutem pertineat. Secundò radicaliter renunciatur renunciatis diuitijs, & tamen formaliter, & in se sumptus, non est materia paupertatis secundùm *Suarez l. 3. l. 8. c. 4. nu. 3.* Quod tamen habet instantiam, quia accessorium sequitur naturam principalis, & paupertati etiam opponitur, si pauper velit apparere, & honorari, vt diues, vnde talis nedum sit ambitiosus, sed aliqualis paupertatis contemptor. Nec obstat, quòd honor dicatur esse in honorante; quia honor si actiuè est actus honorantis, passiuè est aliquod bonum honorati, etiam pretio æstimabile, si loquamur de honore consequente diuitias. Nam & fama diuitiarum, & haberi aliquem, vt diuitem multùm valet ad vsum diuitiarum, & ad contractus habendos, & ideo tam fama, quàm honor diuitiarum ad diuitias spectat. Et ideo ad præsens punctum, non bene applicatur doctrina illa *D. Th. opus. 19. c. 2.* quòd honor est in honorante, vt deducatur, quòd non potest renunciari in se ipso, quia honor in honorato est aliquid morale, quòd vbi fundatur in diuitijs est aliquod temporale pretio æstimabile.

33 Solæ ergo diuitiæ sunt materia paupertatis. Paupertas enim in proprietate sumpta ad solas refertur diuitias. Vnde in hoc sensu Christus dixit. Luc. 6. *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.* Et huic beatitudini, opponit illud. *Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram.* Sic enim & Iacob. cap. 2. diuiti opponitur pauper, Vbi inter alia habet. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo? &c.* Et. *Nonne diuites opprimunt vos? &c.* Nam est euidens tam in Latino, Græco, quam in vulgari cuiusque regionis sermone, quòd pauper diuiti opponitur, & quòd idem est esse pauperem, quod non esse diuitem. Diuitiæ verò sunt pecunia, & quidquid pecunia est æstimabile, pecunia enim dicitur totum quod possident homines, & cuius domini sunt vt habetur ex *Aug. cap. 6. de discipl. Chris.* & refertur *1. q. 3. cap. totum.* Cuius inquam domini sunt, non dominio naturali, & innato, quo homo est dominus suarum actionum, & bonorum etiam spiritualium, sed dominio ciuili ex rerum diuisione per homines introducto. Totum enim hoc, cuius homines domini sunt, hoc dominio, quia pecunia æstimabile est, & potest in pecuniam conuerti, pecunia dicitur, vt docet iurisconsultus *L. 223. ff. de verbor. signific.* Totum igitur sub nomine diuitiarum venit, & totum est materia remota paupertatis. Sub nomine tamen diuitiarum minimè venit vxor, quia hæc secundùm communem vsum loquendi, non venit sub nomine bonorum externorum, nec ius matrimonij est propriè pecunia æstimabile: Et vir & vxor tanquam vna caro æstimantur, vnde ius & dominium viri in vxorem, & vxoris in virum potiùs est quasi intrinsecum, & simile iure vtendi proprio corpore. Et ideo castitas non spectat ad paupertatem. *Suarez. vbi sup. nu. 9.*

34 Ideo sub voto paupertatis, non cadunt reliquiæ per se, & ratione ipsarum, quia non sunt pretio æstimabiles, & materialiter sunt, quid corporeum; sed ad genus spiritualium reducuntur ex relatione, quam habent ad sanctitatem eius, cuius corporis aut vestimentorum sunt partes, aut quocumque modo ad alicuius sanctitatem referuntur. Ideo nec vendi possunt, nec emi *cap. 2. de reliq. & venerat. sanct. & ibi Gloss. v. venalis. Sylu. v. reliquiæ q. 1. Armill. num. 5. Nauar. cap. 17. nu. 69.* & Reliquiæ sub nullius sunt censu, vt declarauit S. Rituum Congr. 23. Ian. 1610. Et ideo sub diuitijs non comprehenduntur, nec sunt materia voti paupertatis. *Lezana 2. p. cap. 6. nu. 4. Donatus tom. 3. tract. 5. q. 44.* & apud eum *Bartolomeus à S. Fausto q. 105. & nouiss. Anton. à Spiritu Sancto in direct. p. 2. tract. 3. disp. 3. sec. 2. num. 152.* Verùm in contrarium est, quòd ablatio reliquiarum inuito domino dicitur furtum sacrilegum; *Sanchez l. 9. cap. 48. num. 23. Azor. p. p. lib. 9. cap. 8. q. 9. Bonac. ad p. Decal. precep. disp. 3. q. 1. p. 4. num. 9.* & vt retuli supra *quæst. 186. a. 7. num. 416.* quamplures voluerunt reliquias non posse alienari sine solemnitatibus Paulinæ, & non potest negari, quòd Reliquiæ, non pertineant ad dominium eius, qui illas legitimè possidet, & quod non fiat illi iniuria, si ab eo inuito auferantur. Verùm his non obstantibus dicendum est, Reliquias non esse mate-

materiam voti paupertatis, nullaque modo comprehendi sub diuitijs, quia nec sunt pecunia æstimabiles, sed sunt supra omne pretium, nec sine simonia alienari possunt ex pacto oneroso; illarúq; subreptio ad altiorem spectat iniustitiam quam sit iniustitia furti, quod respicit res temporales iuxta tradita supra à *D.Th.q.66.* nisi pro quanto simul cum ablatione reliquiarum sit vel ablatio rei temporalis, vel aliquod damnum temporale. Et propterea *Sylu.v.reliquia q.2.& Tabiena nu.2.* non dixerunt furtiuam subreptionem reliquiarum esse furtum sed sacrilegium.

35 Quoniam verò bonorũ quædam sunt mixta, & sunt spiritualia habentia annexa temporalia & redditus ad diuitias pertinentes, vt sunt beneficia Ecclesiastica, officia habentia iurisdictionẽ spiritualem, vt officium docendi Theologiam, & alia similia habentia ius spirituale ad bona temporalia. De istis ex doctrina *D.Thom. in hoc art. ad quartum & Caiet.* ibidem dicunt *Nauar. Comment. 3. de regular. num. 2. Rodriquez tom. 3. q. 19. a. 4. Suarez tom. 3. de relig. l. 8. c. 4. nu. 14. Sanchez l. 7. moral. c. 18. num. 25.* & reliqui DD. communiter huiusmodi spiritualia præcisè sumpta & ratione ipsorum non esse materiam voti paupertatis; sunt enim altiora bona, quæ paupertati non repugnant. Cui tamen repugnare possunt ratione annexorum redditŭum, & honorum temporalium, & ideo ratione horum sunt materia remota voti paupertatis. Neque hic valet regula, quia scilicet annexum sequitur naturam principalis, huiusmodi verò bona sunt annexa bonis spiritualibus, quia in ordine ad paupertatem, non se habent, vt accessoria, si habeantur, vt propria, & modo paupertati repugnanti, sed se habent vt principalia, & retinent naturam suam, & sunt veræ diuitiæ habentes omne id, vnde sunt impedimentum perfectionis, quæ acquiritur per paupertatem. Quidquid igitur ad diuitias spectat & est, vel formaliter, vel æquiualenter pecunia, est materia remota paupertatis.

36 Non tamen approbo, quod habet *Lezana d. num. 4.* vbi inter diuitias numerat ius moderandi cathedram doctoralem, quia ipsa sit pretio æstimabile. Nam hoc ius est spirituale, & de se pertinens ad interiora animæ bona, nec ratione sui est pretio æstimabilis, sed est supra omne pretium. Quamuis habere possit annexum ius ad pecuniam habendã pro sustentatione docentis. Nec pendet hæc quæstio ab illa, an vendere doctrinam, sit simonia; quia etiam si concedatur, quod non sit simoniaca, quia doctrina sic absolutè non est spiritualis spiritualitate gratiæ supernaturalis, qua saluamur, & quæ est speciale donum Spiritus Sancti gratis omnino communicandum, tamen quia doctrina ad bona animæ spectat excedit omne pretium, & vt dicitur Iob. 28. de sapientia: *Nescit homo pretium eius &c. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione illius.*

37 Et hæc regula generalis hic est seruanda, quod non omne quod venditur, seu pretio æstimatur, pertinet ad diuitias, quia simoniacè venduntur etiam iura spiritualia Prælaturæ, & sacramenta, sed cum id, quod de se superat pretium, pro pretio datur, tunc illud æstimatur pro pretio, & non illud, sed pretium illius, quod est pecunia, pertinet ad diuitias, & est materia voti paupertatis.

SVMMARIVM.

1 *Materia proxima voti paupertatis. num. 38.*
2 *Votum paupertatis absolutè prolatum intelligitur de paupertate Religiosa. num. 39.*
3 *Quid sit dominium? num. 40.*
4 *Administratio iuris. num. 41.*
5 *Vsufructus. num. 42.*
6 *Vsus iuris. num. 42.*
7 *Possessio. num 43. & 44.*
8 *Ius in possidente duplex. num. 44.*
9 *Vsusfructus non est dominium, sed licentia vtendi re aliena. num. 45.*
10 *Possessio facti, & administratio. num. 45.*
11 *Votum paupertatis excludit dominium. num. 46.*
12 *Et vsumfructum, vsum iuris, & iuris possessionem. num. 47.*
13 *An Religiosus possit dicere hoc est meum. num. 48.*
14 *Votum paupertatis non priuat vsu facti, vel facti possessione, vel administratione. num. 49.*
15 *Quod administratio immobilium cum facultate vtendi fructibus ad vsus honestos sit contra paupertatem, & sit vsusfructus affirmant aliqui. num. 50.*
16 *Id negatur, & probatur. num. 51.*
17 *Administratio nisi detur irreuocabiliter non repugnat paupertati. num. 52.*

Quæ sit materia proxima voti Paupertatis.

INSPECTIO SECVNDA.

38 Materia proxima huius voti est qua homo ex voto proximè se priuat. Nam pauperem esse, est non esse diuitem. Pluribus verò modis cum pecunia, & diuitiæ habeantur, de quibus latè tractant Doctores in materia de iustitia, & præcipuè *Nauar. Com. 2. de regular. n. 12. Suarez tom. 3. l. 8. c. 5. a. num. 4.* videndum est quinam ex his modis sint materia paupertatis. Hi enim sunt dominium, vsus fructus, vsus iuris, possessio iuris, vsus facti, possessio facti, & facti administratio.

39 Et quia votum liberum est, ideo nulli dubium est, quòd per se loquendo, & quantum est ex substantia voti, posset quis huiusmodi diuidere, & vnum ex illis, vt putà dominium à se abdicare, non vsumfructum. Sed si quis non limitando absolutè promittat paupertatem, hoc votum de absoluta paupertate intelligi debet; scilicet de tali qualem Religiosi promittunt. *Nauar. Comm. 2. de regul. num. 20. Suarez dict. l. 8. cap. 5. num. 2. Sanchez l. 7. mor. cap. 18. num. 3.* Quia hæc integra paupertas est illa, quæ communiter vouetur, & in dubio videtur quis agere, quæ frequentius aguntur, *reg. in obscuris, de reg. iuris in 6.* ideo vouens absolutè paupertatem, dum non constat de peculiari intentione, & limitatione censetur vouere paupertatem religiosam. Nam & iudicandus est vouere paupertatem, quantum sanctè, & honestè vouere potest.

40 Dominium verò diffinitur, quòd sit *ius principa-*

cipale & propriam disponendi de re aliqua in quemcumque vsum non lege prohibitam. Quamuis apud iurisconsultos hoc ius respectu rerum incorporalium, non dicatur dominium, sed quasi dominium, quæ differentia in proposito nostro, non est attendenda, quia non diuersificat in ordine ad votum paupertatis, cum & in quasi dominio dominus habeat ius principale, seu vt nomine proprio disponat de re in quemcumque vsum à lege non prohibitum. Consistit igitur essentia dominij in proprietate iuris, per quod dominus potest salua iustitia commutatiua quantum sit ex parte sui disponere de re sua in quemcumque vsum. Et quod ex lege prohibeatur disponere de re hoc, vel illo modo, non facit quòd si contra legem disponat, sit iniustus, nisi habeat dominium ligatum aliquo modo, vt in maioratu, & emphyteusi, vbi dominus, non habet dominium plenum, sed Dominus vt dominus potest salua iustitia commutatiua, & sine iniustitia disponere de re sua ad libitum suæ voluntatis, & sic nisi dominium a lege, vel infirmetur, vel tollatur, sed relinquatur dominus inquantum dominus, potest etiam de re sua contra legem disponere absque iniustitia, licet non absque culpa.

41 Quod verò *Nauar. in com. 2. de Reg. ex Aretino* addiderit ad diffinitionem dominij, hanc particulam, scilicet *saluo iure alterius*, id fecit ad distinguendum dominium directum, & vtile. Nam emphyteuta habens dominium vtile, non potest vti re nisi saluo domini directi iure, sed nec tale dominium est omnino plenum, & vt habet *Suarez num. 4.* in illa particula, *non lege prohibitum*, continetur etiam, hæc alia *saluo iure alterius*, quia lex prohibet alterius ius violari. Aduertendum tamen est illud nomen principale seu proprium. Nam per illud Dominium distinguitur ab administratione habente plenissimam facultatem vtendi re cuius administratio est illi concessa; neque enim per hoc est dominus, quia nō potest vti re nisi, vt instrumentum, & re vtitur, vt aliena, non vt propria. *Accursius in Rubr. C. de admin. Reip.* & hoc probat iuramentum, quod administratores præbent de fide seruāda domino. Et nihilominùs tamē stat, quòd administratio sit iūcta dominio; Nā stat v.g. quòd quis sit administrator respectu rei immobilis, & dominus fructuum, sicut est vsufructuarius, vel vsuarius. Et hæc potest dici administratio iuris, quæ dupliciter potest habere adiunctum dominium. Primò respectu sui, quia scilicet ipsa detur in titulum, cuiusdam dominij; vnde is cui datur est dominus administrandi. Sicuti sunt beneficiati, qui dicuntur domini beneficiorum, quia habent ius percipiendi fructus Ecclesiarum. Est enim beneficium ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, vt habet *Garz. de benef. p. 1. cap. 2. num. 2.* Et sic beneficiati habent ius administrandi Ecclesiastica bona, & ita quodammodo domini sunt administrationis bonorum immobilium suarum Ecclesiarum, & ita quòd huiusmodi administratione priuari non possunt sine iusta causa, sicut nec priuari possunt beneficio sine iusta causa, vt docet *Panorm. cap. Cum percussio, num. 3. de Cleric. ægrot.* Sed administratio etiam potest habere adiunctum dominium fructuū rei administratæ, & hoc modo beneficiatos esse dominos fructuum suorum beneficiorum, & facere fructus suos probatum est supra *q. 185. a. 7.* Et sicvbi administratio datur in titulum perpetuum sicut datur Episcopis, Parochis, & alijs beneficiatis, hæc administratio dicitur administratio iuris duplici de causa; quia nimirum beneficiati isti habent quasi dominium administrationis bonorum immobilium Ecclesiæ, secundó quia beneficiati sunt domini fructuum. Et horum duorum alterum sufficeret ad iuris administrationem, quæ ideo sic dicitur, quia habet adiunctum aliquod dominium, licet administrare formaliter non sit actus dominij, sed ministri.

42 Vsusfructus autem est *ius vtendi, & fruendi alienis salua eorum substantia. Instit. & ff. de vsufruct.* Et hoc ius simul habet annexum verum, & absolutum dominium fructuum illius rei, cuius est vsusfructuarius, vnde tanquam eorum dominus potest de illis ad libitum disponere. Vnde est etiam quòd propriè loquendo, non habet locum nisi respectu rerum frugiferarum, quæ vsu non consumuntur, licet minùs propriè dici possit, etiam de illis, quæ consumuntur vsu, vt constat ex *Instit. & ff. de vsufructu.* Vsus est ius *vtendi aliqua re.* Distinguitur verò ab vsu fructu, quia vsusfructus habet annexum dominium absolutum fructuum rei cuius est vsusfructuarius, vnde potest illos vendere, distrahere, consumere, donare ad libitum. Sed vsuarius habet dominium fructuum limitatum ad sui vsum, non vt in aliorum vsum possit illos distrahere, vnde nec illos potest aut vendere, aut donare. Importat tamen verum dominium fructuum in ordine ad proprium vsum, qui non potest salua iustitia ab eo tolli.

43 Possessio iuris importat duo scilicet apprehensionem rei, vt habendæ sub proprio dominio, & ius illam sic apprehendendi, quod si sit verum ius est iusta possessio, si sit falsum, sed habitum, vt verum est possessio bonæ fidei, si sit falsum, & cognitum est possessio malæ fidei. Ideo essentia possessionis absolutè sumptæ, vt est communis etiam ad possessionem malæ fidei est apprehensio rei, vt habendæ nomine proprio quatenus habitualiter durat; & est ius quoddam insistendi rei, seu vt non tollatur apprehensio semel accepta, per quam res fuit ab aliquo apprehensa, vt habenda sub proprio dominio. Ideo *Nauar.* illā definit, quod sit *ius insistendi rei non prohibita possideri.*

44 Hic tamen propriè duplex ius distingui debet, Nam aliud est ius possessionem antecedens, quòd est causa illius, & dici potest ius possessionis apprehendendæ, & apprehensæ retinendæ. Et hoc ius non video, vnde distingui debeat à dominio rei; Nam dominus, vt dominus, est habens potestatem habendi, possidendi, detinendi, vtendi, & alteri donandi, vel vendendi rem salua Rerum directione. Et in hoc sensu supra *q. 186. a. 7. num. 138.* dixi difficilem esse distinctionem illam Innoc. & Panorm. qua distinguebatur ius in ius proprietatis, & possessionis, & addidi quòd possessio est complementum dominij, & nullum tradens ius, sed illud supponens, vel verum, vel præsumptum, vel vsurpatum, aut fictum. Sed aliud est quoddam ius, quòd possessionem ipsam consequitur, quod est, quid consurgens ex possessione, & potest dici ius insistendi rei, iam per possessionem apprehensæ, per quod possidens habet vt ex eo, quòd possidet non debeat iniustè exturbari, aut possessione

priua-

priuari, quòd ius proximè non habet, qui non possidet, Sed hoc est, quia ex quo non possidet, non est completè dominus in exercitio, quia dominium per possessionem completur, & possessioni intantùm adiunctum est ius, vt non exturbetur, inquantùm possessio est dominij complementum, & dominium supponens, & ideo illud ius non ponit in numerum cum iure proprietatis, & dominij; Vnde vbi constet, quòd possessor non sit dominus, à possessione deijcitur. Possessio igitur iuris supponens dominium, vel verum, vel fictum, seu vsurpatum, est ius quoddam habitualiter existens in possidente, per quod habet, vt à detentione exercita, & rei exercito vsu, quam & quem habet tanquam rei propriæ non exturbetur. Vnde est quòd traditio possessionis licet non sit formaliter alienatio, quia tamen est complementum alienationis, vnde secum fert non nihil iuris, quod non competit ei, qui licet sit dominus non possidet, communissimè dici posset alienatio, sed minus propriè & formaliter; quia propriè & formaliter est complementum alienationis, vt loco supra citato explicatum est, & sufficit, vt non possit tradi possessio rei Ecclesiasticæ, sine solemnitate. Nam & traditio possessionis vi sua tradit per prius dominium, si is cui traditur possessio antea dominium rei non habebat.

45 Vsus facti est facultas vtendi re aliena. Est autem magna lis inter DD. an hic vsus facti dari possit sine dominio respectu eorum, quæ vsu consumuntur. Nam respectu aliorum facile intelligitur, non enim est dominium fructuum, sed simplex licentia vtendi re frugifera seu fructibus alienæ rei, vnde vsuarius semper in hoc dependet a concedente, nec habet strictum ius, vnde sine iniustitia Dominus potest licentiam quam concessit auferre. Sed respectu eorum, quæ vsu consumuntur, non videtur quòd possit habere locum, vsus facti; quia in istis vti re est illam consumere, vel ergo vtens vtitur iustè, igitur habet ius ita faciendi, & sic habet ius consumendi rem, quod est verum dominium, & ideo *Caramuel.* in Theologia Regulari *disp.* 872. putat, quòd in res vnico actu consumptibiles Religiosus acquirat dominium. Sequens in hoc *Syluest. v. dominium num.* 3. *&* S. *Anton. p.* 4. *tr.* 12. c. 4. §. 10. Quæ tamen sententia vim non habet ex *Io.* 22. *extr. ad conditorem de verb. significat.* cum ibi disputatiuè loquatur, vt est manifestum, & nihil decernat. *Molina disp.* 6. *Sanch. d. cap.* 18. *fin.* Sed tollendo æquiuocationem vocis tollitur controuersia, quam inter alios latè tractat. *Sanchez l.* 7. *mor. d.* c. 18. Nam aliud est ius proprium aliud est licentia aliquid faciendi. Ius importat facultatem, & libertatem agendi nomine proprio, quæ facultas salua iustitia, non possit tolli, aut impediri; sed simplex licentia est facultas agendi veluti nomine alieno, & dependenter a voluntate alterius, vt proprij domini, & reuocabiliter ad nutum domini proprij. Vsus iuris dicit verum & proprium ius vtendi, sed vsus facti dicit solam facultatem vtendi dependenter a voluntate proprij domini. Et sic vsus facti, non importat ius, sed facultatem, & licentiam agendi nomine alterius. Præterea verò bene aduertit *Suarez loc. cit. num.* 12. quòd ius dicitur, vel propriè pro morali potestate aliquid faciendi, vel non faciendi, vel communiter pro lege, & prout distinguitur in ius diuinum, vel humanum, & importat facultatem ex lege aliquid faciendi, vel non prohibitionem legis. Hoc enim modo etiam simplex licentia aliquid faciendi dicitur ius, & sic vnusquisque habet ius ad id, quod est secundùm legem, & hoc modo, qui habet licentiam vtendi & vtendo consumendi aliquid habet ius ad hoc faciendum, sed hoc non est ius iustitiæ commutatiuæ, & propriè dictum, quale est de necessitate dominij, sed est ius communiter dictum. Et ideo quòd etiam in vsu facti separetur simpliciter dominium ab vsu dixerunt *Nicolaus* 3. *cap. exijt de verb. signif. in* 6. *& Clem.* 5. *in Clem. unica eod. tit.* & tradunt communius DD. sed & illi, qui asserunt vsum facti non esse sine aliquo dominio in rebus vsu consumptibilibus, non id tenent in sensu Caramuelis, quasi vsuarius facti sit dominus, & possit rem alienare, & sic religiosus pictantiam suam possit dare pauperi, quia illius est dominus, hoc enim est falsissimum: Nam vsuarius habet facultatem vtendi ad suum commodum, non verò dandi alijs, & falsissimum est quod ante actualem vsum res, vel à religioso, non possit auferri, vel quod religiosus eam in aliorum vsum possit conuertere sine superioris licentia. Non potest tamen negari, quin adsit aliquid de proprio iure, quia licet sic vtens re aliena possit à vero domino salua iustitia impediri ab vsu rei, non tamen potest impediri ab alio salua iustitia, & sic licentia illa vtendi concessa Titio transit in quandam proprietatem, & dominium Titij, quæ ab eo non potest tolli, vel impediri salua iustitia ab illis, qui non sunt domini rei. Et si dicitur, quòd iniustitia fit domino, qui licentiam concessit, non verò fit Titio; hoc, non dicitur validè. Quia sic verè fit iniuria domino dum impeditur vsus dominij, quo dominus medio Titio vtitur re sua, sed etiam fit iniuria Titio, qui cum possit vti re aliena in hoc impeditur. Dici tamen potest, quòd hoc est dominium quoddam secundùm quid, & intrinsecum licentiæ vtendi re aliena, vnde simpliciter, non est dominium ciuile, quia dominium rei, cuius est vsus semper remanet simpliciter apud dominum, sed vbi quis de licentia Domini vtitur re aliqua intrat ius naturale, & ratio quædam dominij naturalis, vt in hoc vtens re aliena à non domino rei, non impediatur. Vsus ergo facti est licentia vtendi re aliena dependenter à voluntate domini ipsius rei, & hoc modo possessio facti est apprehensio rei alienæ, & illius tentio nomine Domini, & de eius licentia, & dependenter ab eius voluntate, & administratio facti, est administratio rei alienæ nomine domini, & dependenter ab eius voluntate.

46 Dicitur igitur materiam voti paupertatis primariam esse dominium, per quòd res habetur, vt propria, Ideo *D. Thom. sup. a.* 3. explicat paupertatem per hoc, quòd est sine proprio viuere. Et Christus Dominus dans consilium paupertatis dixit Matt. 19. *Vade vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Vendere enim, & dare alienationem importans, & priuationem dominij, vt S. August. in regula & habetur cap. *non dicatis* 12. q. 1. paupertatem præcipit his verbis. *Non dicatis aliquid proprium.* Et actorum 4. dicitur de fidelibus illius temporis. *Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat.* Quia verè, hæc est paupertatis essen-

essentia, vt nihil tanquam proprium habeatur, vt traditur *cap. monachus, cap. super, cap. cum ad monasterium. de statu monach. & cap. ex parte de accusat.* & apud *Concil. Trid. sess. 25. cap. 2.* Et ratio est, quia cum paupertas excludat temporalia, quæ maximè habentur per dominium, ideo integra paupertas de qua loquimur primariò dominium reijcit, & prohibet haberi aliquid tanquam proprium.

47 Dicitur propterea, quòd huius integræ paupertatis materia est, vel vsus fructus, vel vsus iuris, vel iuris possessio, vel iuris administratio, vel quicumque alius titulus consistens in aliquo dominio. Omnia enim, hæc continent proprium dominium independens ex propria ratione a voluntate alterius, & ad diuitias pertinent, & suo modo diuites faciunt, & suam solicitudinem terrenam annexam habent, ideo omnia ista paupertati repugnant, cui repugnat habere aliquid, vt proprium. *Nauar. com. 2. de Regal. num. 10. Sanchez l. 7. in Decal. cap. 18. num. 25. Azor. p. 1. l. 12. c. 13. Faustus lib. 8. q. 1. Lezana p. 1. c. 6. num. 3. Antonius à Spiritu sancto p. 2. trac. 3. disp. 4. sec. 1. num. 3.* & apud eum *Vidal tit. de paupert. nu. 11. Donatus tom. 3. tract. 15. q. 1. Mirand. tom. 1. q. 28. a. 1. Bussaus v. paupertas. num. 1.*

48 Sed nunquid pauper potest saltem dicere, hoc est meum? Negant enim aliqui, quia hoc prohibentur in *cap. non dicatis aliquid proprium 12. q. 1.* Vnde fideles primæ Ecclesiæ nihil suum dicebant. Sed bene aduertit *Suarez nu. 13.* hoc nomen *meum, tuum, suum*, non semper sumi, vt importat proprietatem dominij, sed ex vsu importat etiam vsum, vel possessionem facti, ideo nedum, non est per se malum si religiosus dicat, hoc est meum, sed imò potest esse aliquando, hoc conueniens, & necessarium propter occurrentes circumstantias, vel consuetudinem. Et supposito quòd Apostoli vouerint paupertatem prout voluit S. Aug. l. 7. de Ciu. Dei cap. 10. & tradit *D. Th. sup. q. 88. a. 4. ad 3.* confirmatur hoc ex illis verbis Angeli ad Petrum, Act. 12. *Præcingere, & calcea te caligas tuas &c. Gloss. in d. cap. non dicatis v. possidere. Nauar. com. 2. num. 1. de Regul. Donatus d. trac. 15. q. 1.* Lezana *d. cap. 6. n. 11. Moron conf. 46. num. 18.*

49 Dicitur tandem, nec vsum facti, nec facti possessionem, aut administrationem repugnare paupertati, quia hæc non important dominium. Sed alia ex parte vsus facti est simpliciter necessarius ad vitam conseruandam, non enim homo potest honestè viuere sine cibo, & vestibus, quibus vtatur. Nec per se dedecet, vt ista etiam aliquo modo possideat, & teneat dependenter à voluntate superioris etiam dum illis actu non vtitur, vt habeat illa parata tempore necessitatis. Nec pauperē dedecet aliena administrare nomine domini, sed & hoc necessarium est, quod alicui tribuatur in communitate bene instituta, vt vnicuique ordinatè necessaria dispensentur.

50 Sed hic valde ponderanda oritur difficultas, quia videtur, quòd administratio saltem rei immobilis coincidat cum vsufructu si non perpetuò saltem ad beneplacitum. Nam videtur quòd simplex monachus habens rei immobilis administrationem cum facultate conuertendi fructus in vsus licitos verè, & in effectu dici possit vsufructuarius bonorum; nam cū possit de fructibus disponere, dicitur habere ius vtendi, & fruendi, & sic vsufructum; *l. 1. ff. de vsufructu l. 1. C. de eod.* & vtrobiq; *Gloss. 1. Instit. eod. tit. in princ.* Nec obstat, quod non possit de illis disponere nisi in vsus pios. Nam nec beneficiati possunt consumere fructus beneficiorum nisi in vsus pios, & tamen in vita dicuntur vsufructuarij *Gloss. in cap. præsenti, in v. reseruari, de off. ordin. in 6.* Vel saltem Monachus administrator, vt supra dici potest vsufructuarius qualificatus ad instar beneficiati secularis secundùm Præpositum *in sum. c. 44. dist. num 4.* Et similiter non refert, quòd administratio possit eidem auferri ad nutum Abbatis, quia hoc non tollit, quin tempore administrationis habeat ius vtendi, & fruendi. Vnde propriè dici potest vsufructuarius ad beneplacitum, *gloss. 1. in l. 4. & gloss. 1. in l. via, ff. de seruit. & gloss. 1. & 2. in l. Cum vsufructus. ff. de vsufructu legato.* Quapropter titulus administrationis non est aliud, quā palliamentum quoddam ad cohonestandum proprium, vere enim vsufructuarius est dominus fructuum, *l. Arborib. ff. de vsufructu.*

51 Sed huius obiectionis vltimum dictum eandem soluit, & veritatem explicat. Vsufructuarius enim sic est bonorum stabilium administrator, quòd fructuum est dominus. Præsupposita igitur differentia supra num. 36. posita inter dominum, & administratorem, quòd ille habet ius principale vtendi re nomine proprio, sed ius administratoris est instrumentale, & est facultas vtendi re, vt aliena. Et præsupposita differentia suprapositā num. 40. inter proprium ius agendi, & agendi licentiam; quia illud est, quid principale, & intrinsecum, per quòd quis habet potestatem, & facultatem agendi, & vtendi re ad beneplacitum absque iniustitia; sed licentia est concessio ab extrinseco importans facultatem instrumentalem vtendi re nomine alieno, & vt aliena, quæ salua iustitia vltra terminos concessionis extendi non potest. Dicitur, quòd Monachus constitutus à Prælato administrator rei stabilis, cum simplici licentia vtendi fructibus ad vsus honestos, nec est, nec dici potest vsufructuarius, sed simplex, vel administrator, vel vsuarius vsu facti. Quoniam non fit dominus fructuum, quod est de ratione vsufructuarij, & facultas quam habet conuertendi fructus in vsus honestos, non est dominium, sed licentia. Et ex allatis ab eadem obiectione hoc magis confirmatur; Nam beneficiati seculares dicuntur vsufructuarij, quia sunt domini fructuum beneficiorum. Ideo *Nauar. q. 1. de red. Eccles. monito. 40. num. 12.* quia non concedit beneficiatus esse fructuum dominus, non admittit eos esse simpliciter vsufructuarios. Sed Monachus præfatus non fit fructuum dominus, sed administrator, sed simplex vsuarius ex licentia superioris. Nam & ex hoc magis hoc explicatur. Quia si licentia vtēdi re aliena importaret ius proprium, seu ius dominij; Nullus daretur, neque dari posset Religiosus, qui non esset dominus, quia nullus dari potest, qui aliqua re non vtatur. Et cum in *quæst. sup. a. 8.* probatum sit in Episcopo Regulari manere votum paupertatis illibatum, cum alias sit manifestum eos habere amplissimam administrationem bonorum immobilium suorum Episcopatuum, simul fatendum est dari administratorem rei stabilis habentem facultatem etiam amplissimam disponendi de fructibus in vsus honestos, qui tamen non sit fructuum dominus, sed administrator,

ſtrator, aut ſimplex vſuarius, & non ſit vſuſructuarius; aliter id fieri non poſſet in Epiſcopis Regularibus, quod eſt contra ſententiam communem DD. niſi habita diſpenſatione in voto paupertatis. Hinc alia eſt differentia inter beneficiatos ſeculares, & monachum adminiſtratorem, quia illi ex quo ſunt domini fructuum, ſi illis vtantur in vſus illicitos licet peccent, non ſunt tamen iniuſti, nec tenentur ad reſtitutionem. Sed monachus habens licentiam vtendi fructibus ſolum ad vſus honeſtos, & pios, ſi vtatur ad illicitos poteſt eſſe iniuſtus, vt infra ſuo loco magis explicatur. Patet ergo quòd monachus habens adminiſtrationem boni ſtabilis, cum facultate ideſt licentia vtendi fructibus, non eſt, nec dici poteſt vſufructuarius ſimpliciter, nec vſufructuarius qualificatus, nec vſufructuarius ad beneplacitum: quia cum nullum habeat dominium fructuum, nullo modo eſt vſufructuarius.

50 Immò patet quòd adminiſtratio per ſe, & de ſe non repugnat paupertati, quia adminiſtratio non importat dominium, & ius adminiſtrandi (quod etiam, habent Prælati, & officiales Regulares) eſt ius inſtrumentale, & ius vtendi re nomine Domini. Solùm paupertati repugnat, quod adminiſtratio detur cum aliqua dominij admixtione aut emolumento. *Suarez d.l.8. c.5. num. 31.* Et ſi dicatur, quòd Prælati Regulares, & officiales videantur habere verum ius adminiſtrandi bona conuentuum, quia hoc ſine iniuſtitia non poteſt ab illis auferri, niſi ex cauſa, ſicuti nec beneficiatis poſſunt auferri beneficia. Reſpondetur, & dicitur primò, quòd immò tam ex *cap. monaſterij, de ſtatu monach.* quam ex *Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 2.* adminiſtratores bonorum monaſteriorum ſunt amouibiles ad nutum ſuperioris. Prælati verò quorum adminiſtratio principaliter eſt ſpiritualis, licet etiam adminiſtrent temporalia, & eorum officium duret etiam in aliquibus ad vitam, vt in Generali Ord. Præd. & Societatis patet, nihilominùs iſti non ſunt domini officiorum dominio ciuili, nec duratio in officio, quæ niſi ex iuxta cauſa poteſt tolli, hoc habet, quia officia ſint illorum, ſed quia lex ita ad bonum commune diſpoſuit, & communitas, quæ bonorum eſt domina intuitu boni communis ſic voluit. Vnde Prælati non habent aliud genus dominij reſpectu officiorum, quàm habeat quilibet Religioſus reſpectu veſtis, qua ex diſpoſitione ſupremi ſuperioris vtitur, & quam nullus, ſine iniuſtitia, nec etiam ſi ſit ſuperior inferior poteſt illam ab eo auferre, licet ipſe illius veſtis nudum vſum facti habeat. Ex eo igitur, quòd officium ſine iuxta cauſa non poſſit auferri, non ſequitur, quòd Prælati Regularium ſint propriè domini officiorum, quia id non eſt, quia officia ſint illorum, ſed quia intuitu boni communis Religio domina ſic diſpoſuit. Et dicitur vlteriùs ſecundò, quòd etſi Prælati Religionum eſſent propriè domini ſuorum officiorum, hoc eſſet contra paupertatem in communi, non verò contra paupertatem in particulari. Quia paupertas in particulari priuat dominio vt priuato, quo quis habeat ius vtendi re primo ad ſui vtilitatem priuatam, & eiuſdem vtilitatis intuitu poſſit de re ad ſui beneplacitum diſponere ſine iniuſtitia. Sed habere ius adminiſtrandi bona communia intuitu boni communis non eſt bonum priuatum, nec eſt habere aliquid, vt ſuum proprium, ſed eſt eſſe miniſtrum communitatis, quod eſt nihil habere, vt ſuum proprium, & ad proprium commodum, & intuitu ſui, eſſe verò miniſtrum communitatis, & ab ea participare de communi dominio, illudque repreſentare, & illius loco eſſe in bonorum communium adminiſtratione. Res enim illi data, ſcilicet facultas adminiſtrandi eſt res communis, quæ intuitu boni communis eſt illi tributa, vt miniſtro duraturo iuxta legum communitatis præſcriptum.

SVMMARIVM.

1 *An votum paupertatis reddat incapacem dominij. num. 53.*

2 *Aliqui negant. num. 54. & 55.*

3 *Votum paupertatis fieri poteſt, vt de præſenti ſit donatio aliqua. num. 56.*

4 *Votum paupertatis de præſenti priuat vouentem dominio. num. 57.*

5 *Deus immediate acceptat donationes temporalium factas ab homine. num. 58.*

6 *Abdicationi dominij accidit, quod res alicui tradatur, vel remaneat nullius. num. 59.*

7 *Prudens non vouet paupertatem niſi determinet ad quem tranſeat dominium, quo ſe priuat. numer. 60.*

8 *Votum paupertatis abſolutum non pendet ab acceptatione eius, ad quem transferri debet dominium. num. 60.*

9 *In caſu quod tertius nollet acceptare dominium, eſſet in poteſtate vouentis alium determinare. numer. 61.*

10 *Vouens abſolute ex vi voti remanet priuatus dominio. num. 62.*

11 *Bona eius niſi aliter diſponat tranſeunt ad hæredes ab inteſtato. num. 57.*

12 *Pauper ex voto cui acquirat ex nouo titulo? vari ſententia. num. 63.*

13 *Vera ſententia. num. 64.*

14 *Pauper ex voto contractu oneroſo nulli acquirit. num. 64.*

15 *Pauperi ex voto, quæ in eo caſu donantur remanent quantum ad dominium apud donantem. numer. 65. & 66.*

16 *Pauper ex voto liber eſt, vt vtatur re, quæ eſt nullius. num. 67.*

17 *Pauper ex voto reſpectu eorum, quæ ſunt ad eius vſum habet aliquid dominij, vt non poſſit à non domino impediri in vſu rei. num. 68.*

18 *Aquiſita à paupere ex voto ad ſui vſum quomodo ab alio poſſint occupari. num. 69.*

19 *Vouens abſolute paupertatem ex vi voti ſit incapax dominij. num. 70.*

20 *Vouens abſolute paupertatem donat capacitatem dominij magis quam ſeruus. num. 71.*

21 *Diſcrimen inter votum caſtitatis, & paupertatis quod hoc directè priuat iure habendi. num. 72.*

22 *Aliquod votum paupertatis in Societate priuat libero vſu non dominio. num. 73.*

23 *Votum ſolemne paupertatis priuat capacitate dominij. num. 74.*

24 *A primordio Eccleſiæ votum paupertatis priuauit dominij capacitate. num. 75.*

omnino propria possidentur. Honor verò, & fama ex magna parte spiritualia sunt, cum virtutem supponant, & virtuti reddantur.

15 Hoc supposito distinguitur punctum quaestionis; quia vel loquimur de honore, & fama secundùm se, vel de causa, & radice eius, quae est virtus. Si loquimur de honore, & fama secundùm se, vix est dabilis eorum appetitus, qui de se nec sit malus, nec sit actus virtutis, sed bonum indifferens, cuius negatio possit esse materia voti. Triplici enim ex causa appetitum honoris esse malum dixit *D.Th.supra q.131.a.p.* Primò si sit improportionatus, quia in appetente, non est meritum honoris, vel comparatiuè, vt ibi explicat *Caiet.* quia non est in eo tantum meritum, quantus est honor, sicut si quis, non sit dignior, honor Praelaturae est improportionatus illi, quia Praelatura debetur digniori. Secundò si quis honorem appetat, non referendo in Deum. Tertiò si appetiens in honore quiescat, & homo non referat illum in vtilitatem aliorum. Aduertit verò *Caiet.* ibidem, circa secundum, & tertium modum, quòd adhoc, vt appetitus honoris, sit malus, non sufficit sola negatio relationis actualis in Deum, vel in proximum, sed necesse est quòd hoc, vel contrariè, vel priuatiuè intelligatur, quia vel positiuè excluditur relatio in Deum, & in proximum, vel deest actualis huiusmodi relatio tunc, cùm debetur ex aliqua circumstantia. Et ita habens excellentiam honorabilem si appetit honorem infra proprios terminos, scilicet praecisè, vt habens excellentiam, & ideo desiderat sibi hoc bonum, quod est excellentiae debitum, non peccat. Ergo si quis appetat honorem aliquo ex tribus modis illicitis malè agit, & sic non appetere illicitè honorem potest esse materia voti. Et tamen vt dixit *Suarez*, hoc votum, non esset consulendum. Vnde valde difficile est, vt in indiuiduo possit dari casus in quo negatio talis appetitus licet de se bona, sit quid melius, & ideo sit materia voti, & non potiùs, sit exponere se periculo, vel multiplicis inobseruantiae, vel anxietatis, & impedimenti ad perfectionem obtinendam. Sed appetitus honoris si respiciat honorem, vel vt debitum Deo cuius donum est excellentia, vel vt vtile proximo, sic est bonus, vnde negatio huius appetitus tanquam mala, & contraria amori virtuoso est mala, nec potest esse materia voti.

16 Solùm igitur esse potest difficultas, an non appetere honorem sibi proportionatum in quantum est bonum proprium, & suae excellentiae proportionatum possit esse materia voti. Et dico, quòd non potest esse, quia licet negatio talis appetitus per se & ex genere sub illa praecisione, sit res indifferens, nec bona nec mala, tamen non habet, vt sit instrumentum melius conducens ad perfectionem, quàm sit appetitus honoris. Hoc primò explicatur, si non appetitus sumatur contrariè, vt non appetere, sic contemnere honorem sibi proportionatum, & ab alio sibi oblatum. Quoniam nequit habere rationem melioris medij ad perfectioné charitatis id; cui per se coniungitur negatio honoris debiti Dei donis, & negatio vtilitatis proximi, & quod est impedimentum ne proximis Deo, & excellentiae debitam reddat reuerentiam. At verò honoris oblati contemptus impedit ne Deus in suis donis honoretur, ne proximis aduenire possit vtilitas maxima, quae ex virtutis excellentia honorata prouenit, & ne homines, quod debent erga virtutem operentur. Quod dicitur verò de contemptu honoris oblati & proportionati, dicitur etiam de simplici negatione appetitus talis honoris, quia rationem melioris medij ad perfectionem charitatis habere, non potest per se, & ex genere, non appetere id, quod non est melius contemni, quin immò id quod est tale, quod ex genere, & per se habet annexum Dei honorem, proximi vtilitatem, & ab homine Deo & proximi vtilitati debetur, habet etiam quòd sit medium suo opposito vtilius ad charitatis perfectionem, & quòd illud appeti est eodem modo vtilius, & eius oppositum, non est voti materia. Et licet appetere honorem possit esse aliqua occasio mali, maior mali occasio esse potest negatio talis appetitus, ex quo facillimè oritur ignauia, & pigritia, & negligentia operandi ea, quae honore digna sunt. Dum aliàs ex quo concupiscentia vtilis est dispositio ad honestatem virtutis, & verus honor, non nisi per honestatem consequi potest, honoris concupiscentia potest esse dispositio maxima ad hoc, vt quis fortiter agat, & feruenter pro virtute. Quàmuis & ex quo appetitus honoris posset esse aliqua occasio accepta, non data alicuius mali, non ob hoc negatio talis appetitus esset medium ad perfectionem vtilius, cum illa per se, & ex genere impediat Dei honorem, & proximi vtilitatem, & virtutem. Vnde est, quòd per se, & ex genere comparandò ista duo, scilicet appetere honorem proportionatum, & illum non appetere, vel etiam contemnere. Licet vtrumque fieri possit sine peccato; tamen primum hoc habet per se; & licet per se, non sit tantum bonum, quod ex circumstantia, non possit fieri malum, tamen per se est consecutiuè bonum, quia habet honestatem virtutis aliunde adiunctam, quia per se habet adiunctum Dei honorem, & proximi vtilitatem, & virtutem. Sed secundum, non excludit malitiam nisi, vel sit conditionatum, & per modum velleitatis; per quam homo quantùm, sit ex se vellet honorari, & eo bono libenter se priuaret propter Deum, vel ex aliqua circumstantia bonum sit non honorari, seu honorem, non appetere. Vnde est quòd nolle honorem per actum efficacem & absolutum potiùs de se est malum, quia non nisi ex aliqua circumstantia potest esse bonum. Et sic primum quantum sit ex se ex adiuncta bonitate est bonum, & solùm ex circumstantia potest fieri, vel malum, vel minus bonum. Sed secundum per se, non est bonum, sed solùm ex adiuncta circumstantia sit tale. Nam licet non appetere honorem ex eo praecisè quòd, non est appetitus honoris indifferentiam habeat, ex eo tamen quòd consequenter negat honorem Dei, & vtilitatem proximi quandam mali rationem habet; quae non tollitur nisi ex aliqua meliori circumstantia.

17 His quoque addendum est, quòd non est virtutis humilitatis omnino honorem recusare; vt D.Th. ibidem docet *art.a. ad 3.* Ideo vt dicitur in artic. 3. laudatur aliquando, qui amat honorem, & aliquando, qui honorem contemnit, quia vtrumque moderatè fieri potest.

18 Idem cum proportione est dicendum de fama; Ideo bene idem D.Th. quodl.10. num.13. dixit *Quod vtrumque, scilicet & contemptus famae, & ap-*

petitus

petitus potest esse laudabile, & vitiosum. Fama enim non est necessaria homini propter seipsum, sed propter proximum ædificandum. Appetere ergo famam propter proximum, charitatis est, appetere vero propter te ipsum, ad inanem gloriam pertinet: E converso contemptus famæ ratione sui ipsius, humilitatis est; ratione verò proximi ignavia & crudelitas. Illi ergo quibus incumbit ex officio, vel ex statu perfectionis aliorum saluti providere, peccant nisi infamium proprium iuxta posse repellant. Alij vero quibus magis custodia sua propria salutis imminet, possunt sua humilitati providentes famam, vel infamiam contemnere. Et idē *D. Th. opusc.19.c.13.* ex professo probat, quòd Religiosis competat detractoribus suis resistere. Nam & Apostolus Paulus his, qui de se mala disseminabant restitit Rom. 3. ibi *Quid adhuc, & ego tanquam peccator iudicor? Et non sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere &c.* Et aliquando maledicentibus esse renitendum dixit ibid. *Glos. & in 3. canon. 16. & Greg. ho. 9. in Ezech.* Et præcipuè ad hoc pulchra sunt verba *S. Aug. li. 2. de Trinitate,* relata à DD. Ibid. & sunt ista. *Gratanter suscipit osculum columbinum pulcherrima, & modestissima charitas, dentem autem caninum, vel vitat castissima cautissimaque humilitas, vel retundit solidissima veritas.* Vnde est quòd Sancti Gregor. Nazianz. Hieron. Bernardus, & alij Apologeticos descripserunt, vt se à maledicentibus defenderent. Supposito igitur titulo cui honor debetur, virtutis est non magni facere honorem, vel famam, & virtutis est illum, & illam moderatè contemnere, & impeditè, quia honor non debetur nisi donis Dei, & Deus ipse est, qui in virtuoso principaliter honoratur, cuius honorem impedire non est laudabile. Vitetur igitur honor cuius titulus, & meritum, non habetur, quia hunc admittere superbiæ est. Non admittatur honor, vel laus, vt debitus vel debita sibi ex suo; quia cuique ex suo, non convenit, nisi defectus, qui non est dignus honore aut laude. Non magnifiat honor, etiam eius merito supposito; sed nec contemnatur contra virtutem magnanimitatis, vel alterius virtutis innominatæ, quę est circa mediocres honores, vt ibi D. Thom. docet.

19 Sciantque Religiosi, quòd illos summopere dedecet, vel illicitè honorem, & famam diligere, vel ea magnifacere. Religiosis maximè, qui viam humilitatis sectantur interdictum est honorem per se quærere, & gloriam intendere. Quod docuit S. Basil. in reg. brevioribus interr. 36. dicens. *Reddere quidem honorem, cui debetur honor, tutissimus, quærere autem honorem vetiti, cum Dominus dixerit: quomodo vos potestis credere, qui gloriam abinvicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non accipitis? Ex quibus verbis intelligitur, quòd gloriam ab hominibus quærere, manifestissimum est argumentum infidelitatis, & animi alieni à cultu Dei: cum Apostolus dixerit: si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Quòd si qui delatam, sibi ab hominibus gloriam acceperint, sic condemnati sunt, sine controversia, qui vltrò, non delatam sibi inquirunt, gravissimo supra quam dici possit, iudicio plectentur.* Et in Constit. monast. cap. 25. addit *Monachus, qui in hac vita laboribus ac rectè factis suis esse præmium vult, misera profectò illius mercedis conditio est; qui pro æternarum rerum iactura, caducas paciscitur. Si autem secum decreverit velle, se in hac vita agones laborum perferre, & eorum mercedem in cælo recipere, non modò honores ipse consectari non debet; sed nec oblatos quidem admittere: potiùsque recusare, atque reycere, ne consequentis vitæ gloriam præsentis honor imminuat.* Et quod ordinatus famæ appetitus, sit laudabilis explicat: *Caiet. supra quæst. 131. a. 1.* Et de eodem puncto videri possunt. *D. Thom. supra quæst. 29. a. 1. cum 3. & quæst. 131. a. 1. Navarr. cap. inter verba post. 5. conclus. Basilius Pontius por. p. variar. quæst. 7. Martinez de Prada q. 25. q. 1. & 2.* Et immò cum mala fama supponat defectum virtutis, & de se potiùs scandalū generet, vnde incumbit homini necessitas lucrandi bonam famam, & dicitur Eccles. 41. *Curam habe de bono nomine.* Ideo non appetere famam de se potiùs est vituperabile, & non nisi per accidens, & in individuo ex aliqua circumstantia potest esse honestum.

20 Sed aliud etiam hic est advertendum, quòd aliud est contemptum patienter sufferre, seu iacturam honoris patienter tolerare, & aliud est honorem virtuti debitum contemnere. Primum laudabile esse potest, & pertinere ad virtutem patientiæ, tolerantis adversa iniustè illata. Et hoc certum est, quòd vbi fieri potest sine scandalo ad virtutem patientiæ spectare potest, quòd quis detractionem, & contumelias sibi illatas patienter ferat. Quod maximè decet Religiosos, vt dixit S. Io: Damascenus lib. 6, ep. 30. *Inter omnia,* inquit, *quæ divinitus nobis sunt lege mandata, nihil est monacho propensius enitendum, quàm vt patientiam in omnibus habeat, quâ videlicet alienæ pravitatis iniuriam æquanimiter ferat. Hac planè virtus ad perfectionis culmen monachum provehit, & terribilem in Dei hostibus animam dimicantem facit &c.* Et bene *Caiet. in sum. in v. fama* advertit, quòd quandoque melius providetur proximus tolerando hilari patientia infamias, quàm obsistendo. Vnde nisi charitas proximi impellat melius toleratur infamia, quàm pro fama laboretur. Et hoc modo sancti sæpius de suo contemptu gaudebant, sicuti & gaudebant de damnis iniustè illatis in bonis corporis, aut divitijs; sed omnino, & in totum renunciare honori debito virtuti, illumque impedire, & famam contemnere, non habuerunt sancti pro actu laudabili, & virtutis, quamvis honorem non magnifecerint, nec quæsierint tanquam magnum, sed tanquam fructum virtutis admiserint. Vnde est, quòd nec Religiosi in sua professioni honori renunciant, vt bene probat *Martinez de Prado cap. 19. q. 5. num. 16.* & tradit *D. Th. in hac resp. ad 4.*

21 Si verò loquamur de titulo honoris, hic quia est multiplex; Nam est titulus honoris fallacis, qui datur excellentiæ in bonis temporalibus, & divitijs, & huic titulo renunciare laudabile est, & per votum paupertatis, hic honoris titulus contemnitur. Est autem alius titulus honoris, qui in gradu aliquo, vel superioritatis, vel doctoratus consistit, & huiusmodi titulum fugere potest esse laudabile. Nam supra dictum est, votum non procurandi, vel admittendi dignitates esse laudabile, si fiat salva semper obedientia, & reverentia debita superiori. Sed proprius titulus honoris, & bonæ famæ est virtus, cui renunciare est vitium. Circa doctoratum tamen Theologiæ est specialis difficultas Religiosis enim posse cōpetere magisterium

ſeu Doctoratum in Theologia, & iure Canonico ex *cap. Doctos, & cap. moderamine, & cap. ſunt nonnulli 16. quæſt. 1.* deducunt *Hoſt. Io: Andr. & Panorm. ad cap. quia nonnullis*, de Magiſtris, *Tabien. v. mag. num. 2. Armilla num. 4. Sanchez l. 6. c. 14. nu. 44. Tambur. tom. 3. diſp. 3. q. 6. num. 38. Barboſa de iure Eccleſ. l. 1. c. 43. num. 62.*

22 An verò quis titulum honoris, & famæ poſſit negatiue fugere, & cõtemnere famam occultando virtutes, & animi, & naturæ dotes ex quibus fama conſurgit. Reſpondetur, quòd in hoc, non poteſt dari certa regula, Nam ſi Dominus Matt. 6. inquit, *attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*, iam priùs idem Dominus dixerat, *ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt*. Colligitur enim ex his, quòd Dominus, non mandat abſolutè occultari opera bona, ſed prohibet intentionem vanæ gloriæ, vetans fieri opera, vt videantur ab hominibus. Econtra autem vult opera bona videri, vt inde videntes materiam ſumant Deum laudandi. Et abſolutè loquendo homo ex præcepto tenetur operari bene manifeſtè; quia dum eſt in hominum conſpectu tenetur, non operari malum, ſed bonum, & virtuoſè ſe in omnibus gerere; ſolùm ergo poteſt eſſe laudabile occultare aliqua opera virtutis, ſic tamen, vt nec ſpeciem mali habeat id, quod eſt manifeſtum; laudabile etiam eſſe poteſt aliquando occultare aliquas gratias gratis datas, vt eſt gratia ſanitatum, & miraculorum. Quas tamen etiam aliquando manifeſtare nedum erit laudabile, ſed neceſſarium, vt cum quis in fidei teſtimonium miraculum operatur ex Dei inſtinctu. Sed nihilominùs dicitur, quòd vouere in generali huiuſmodi occultationem, non eſt bonum, neque laudabile, Tum quia opera virtutis debent eſſe manifeſta, Tum quia, nec ſemper eſt, vel bonum, vel melius occultare, quæ poſſent occultari. Tum quia iuſtus debet habere pro fine Dei gloriam, quæ potiùs ex operum bonorum apparentia, quàm ex occultatione oritur.

23 In caſu autem particulari poterit iuſtus agere, quod ſibi melius, & Deo charius videbitur etiã ſe ex voto obligando ad occultandũ aliquod opus bonum, vel etiam ad tolerandum iacturam famæ, & honoris in particulari caſu, vel pariter in caſu particulariter circumſtantionato ad honorem, non appetendum, & non deſiderandum. Hoc verò ſuppoſito dubium eſt,

SVMMARIVM.

1 *Doctoratus, ſeu Magiſterium Theologiæ poteſt conuenire Religioſis. num. 24.*
2 *An ſit bonum abdicare à ſubditis magiſterium in Religione ordinata ad docendum. num. 24.*
3 *Abdicare à ſubditis magiſterium Theologiæ eſt res indifferens. num. 25.*
4 *Laudabile inſtitutum Religionum, quæ magiſterium admittunt. num. 26.*
5 *Caietanus defenſus. num. 27.*
6 *In Ordine Prædicatorum per ſe non eſt laudabile abdicare à ſubditis Magiſterium Theologiæ, numer. 28.*

Vtrum in religione cuius inſtitutum eſt docere, & prædicare ſit laudabile abdicare à ſubditis gradũ Magiſterij in Theologia?

24 NAm *Suarez tom. 3. l. 8. c. 4. num. 13.* conſiderans, quòd huiuſmodi, quæ ſecundùm ſe ſunt indifferentia, & poſſunt bene, & malè fieri, poſſunt laudabiliter, & amplecti, & contemni, cenſet quòd etiam in religione inſtituta ad docendum & prædicandum poſſit laudabiliter inſtitui, vt non admittatur gradus magiſterij, ſeu doctoratus in theologia, quem contempſiſſe Sanctos Bonau. & Antonium compertum eſt. Ideo putat *Caiet.* excedere eo quòd hic dixerit reprehenſibile eſſe in religione inſtituta ad prædicandum, abdicare huiuſmodi doctoratum.

25 Reſpondetur verò, per ſe & abſolutè loquendo hanc eſſe rem indifferentem, & poſſe iuxta diuerſa inſtituta, & diuerſos fines inſtitui etiam in religione ordinata ad prædicandum, vt non admittatur in ea gradus doctoratus, ſeu magiſterij, dum tamen ſeruetur aliqua inæqualitas, & non priuentur religioſi excellentes in doctrina, & labore, & virtute honore virtuti, & eius excellentiæ debito. Quia doctoratus, non eſt neceſſitatis ad perfectionẽ obtinendam, & poteſt etiam præbere aliquid impedimenti ad illam, ratione cuius poteſt eſſe laudabile illum non admittere.

26 Et quia tamen per ſe potiùs iuuat ad perfectionem, & ad hoc, vt Religioſi libentiùs labores ſuſtineant in addiſcendo, & docendo, & acriùs reſiſtant otio, & fiant habiliores ad ſalutem animarum procurandam; ideo etiam laudabile eſt inſtitutum earum religionum, quæ gradum magiſterij admittunt, Et *D. Thom. quodl. 3. a. 9.* docet, non eſſe contra perfectionẽ appetere, & petere officiũ docẽdi in Theologia per ſe loquẽdo.

27 Neque oppoſitum docet *Caiet.* quem laudat, & ſequitur *Donatus tom. 3. tr. 15. num. 7.* qui loquitur in caſu magis particulari, & reſpectu religionis inſtitutæ ad prædicandum, in qua conſtat ſanctos Patres huiuſmodi honore donatos, vnde loquitur de religione in qua iam admittitur ex cõſtitutionibus gradus magiſterij, qualis eſt religio Prædicatorum. Et ita in terminis iſtis loquendo dicitur laudabile non eſſe per ſe loquendo, & præſcindẽdo à circumſtantijs particularibus abdicare à ſubditis, & religioſis titulum doctoratus. Et quidem licet poſſit eſſe laudabile in ſubdito religioſo Ord. Præd. nedum non quærere, ſed & oblatum magiſterium humiliter, & ſalua obedientia recuſare, ſicut feciſſe B. Henricum Suſonem legitur in eius vita; tamen nõ eſt per ſe laudabile inſtituere pro aliqua huius ordinis, vel Prouincia, vel Congregatione, vt religioſi digni, non admittantur ad gradum magiſterij, & ad priuilegia loci, & vocis, & alia de iure, & laudabili conſuetudine, ſine præiudicio obſeruantiæ Doctoribus in Theologia conuenientibus.

28 Ratio eſt, quia in Religionibus per ſe inſtitutis ad docendum, & prædicandum ſpeciali præ-

roga-

rogatiua honoris digni sunt, qui præ alijs doctrina excellunt. Nedum quia excellentiæ doctrinæ per se absolutè debetur honor particularis, quoniam honor debetur alicui ratione excellentiæ, vt habet *D.Th.supra q.*81. *a.*4.*c.*& honor diuersus iuxta excellentiæ diuersitatem, vt ibid. tradit D.Thom. præcipuè verò honor excellentiæ virtutis est debitus, vt dicitur supra *quæst.*63.*a.*3.*&* *q.*130. *a.* 2. Et in hac responsione ad quartum. Doctrina verò sacra virtus intellectiua est, vnde dignum esse, vt qui est scientia præditus, reddatur honore reuerendus dixit *Cassiod.l.*4.*Epist.* Sed etiam, quia in Religione ordinata ad docendum, si omnes docti, & indocti æquales essent in participatione præeminentiarum Religionis, valde pauci inuenirentur ad vigilias insomnes, ad labores infracti, ad onera grauissima studiorum fortes, & contra Religionis finem, ex consequenti pauci docti viri in ea inuenirentur. Et aliàs amplissima pararetur via ambitioni, quia iam indocti æquè ac docti officia, & Prælaturas occupare prætenderent. Et aliud pessimum malum timendum esset, quia nimirum ignorantia inimica virtutis, arrogans quidem, sed simul virtutis timida, si semel Prælationes occuparet, doctos opprimeret, & persequeretur viribus totis, sibi timens, ne eorum lux tenebras dissiparet. Quamobrem, hoc summè necessarium est, maximè in Religione, quæ ordinatur ad docendum, vt tollatur æqualitas, & quòd docti præferantur, & attendatur, quòd si spiritus sit promptus, caro est infirma, & ex eius infirmitate oritur, vt præter honestatem virtutis aliquid retributionis desigetur laboribus, vt sicut Dauid sentiebat se inclinatum ad faciendas Dei iustificationes propter retributionem, sic viris Religiosis concupiscentia alicuius boni sit veluti dispositio inclinans eorum voluntates ad opera honore digna contemptis vigilijs, & laboribus. Si ergo iustum est & laudabile, vt in huiusmodi Religionibus inæqualitas in honore respondeat inæqualitati doctrinæ, & doctiores speciali honore habeantur, in quo meliùs consistet, hæc inæqualitas sine murmure, & periculo scandali, vel relaxationis Religionis, quàm in decorando excellentes doctrina laurea Magistratus, prout ab initio huius ordinis institutum fuit, & experientia, & vsus per tot secula id eidem ordini proficuum ostendit? Dum immò in eo ordine Sanctus Thomas, Beatus Albertus Magnus, Sancti Antoninus, Vincentius, Raimundus, & tot ac tanti alij viri, qui Ecclesiam illuminarunt gloriosis meritis & exemplis doctorali laurea fuerint decorati? Id quo ordo iste per tot secula auctus fuit, non debet censeri præiudiciale perfectioni. In hoc ordine illæ Prouinciæ, & Conuentus præ alijs antiquum splendorem sanctitatis & obseruantiæ firmiùs conseruarũt, in quibus magis floruit doctrina, & habuerunt, & habent doctos viros; & quidem laurea magistrali condecoratos, qui steterunt, & stant pro muro contra inuenum affectus vehementes, & Prælatorum (si qui mali aliquando sint) arrogantiam ac ignauiã. In hoc ergo Ordine abdicare à Religiosis lauream magisterij, nõ est per se laudabile. Sed tamen, nec laudabile esset, sed maxima dignum reprehensione, vel laureare indoctos, vel supra numerum multiplicare magistros, vel de facili dispensare super requisitis ad magisterium, vel in hoc iustitiam distributiuam violare, vel ferre, quò magistri fruantur exemptionib. sibi de iure, non competentibus in præiudicium Regularis obseruãtiæ, vel alium similem abusum tolerare. Sic enim abusus quidem huiusmodi approbari non possent, sed antiquus à tot sanctis, & pijs, & doctis viris seruatus mos laureandi doctiores, non est tollendus.

CAP. PRIMVM.

De Voto Paupertatis.

SVMMARIVM.

1 *Introductio ad tractatum. num.*29.

29 Cvm igitur in hoc artic.7.quæst.186.determinauerit D.Th. Religiosum statum consistere substantialiter in tribus votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ de hoc verò vltimo tractet in particulari in sequentib. artic. 8. & 9. & nihilominus plura Religiosis occurrant scienda præcipuè circa votum paupertatis, antequam ad vlteriora procedamus, plura inspectione digna consideranda sunt, quæ ad religiosæ paupertatis votum pertinent. De hoc igitur voto, quod est fundamentum Religiosæ, perfectionis prius sermonem habentes. Cum votum paupertatis consistat in priuatione, & abdicatione diuitiarum, seu dominij illarum; ideo materia illius illa est qua hominem priuat: Hæc verò duplex est, scilicet remota, & proxima. Remota sunt diuitiæ; proxima verò est habitudo illa dominij, quæ habetur à diuitibus diuitias possidentibus. Primò ergo inspiciendum est.

SVMMARIVM.

1 *Sola diuitia sunt materia voti paupertatis. numer.*30.
2 *Vita, & bona naturalia non sunt materia paupertatis.num.*30.
3 *Nec bona spiritualia. num.*31.
4 *Nec honor sanctus: bene tamen honor vulgaris. num.*32.
5 *Ad diuitias spectat, quidquid est pecunia æstimabile.num.*33.
6 *Ad eas non spectat uxor. num.*33.
7 *Reliquia non sunt materia paupertatis. num.*34.
8 *Officia spiritualia ratione annexarum diuitiarum sunt materia paupertatis.num.*35.
9 *Ius moderandi cathedram non est materia paupertatis. num.*36.
10 *Vendere doctrinam, an sit simonia.num.*36.
11 *Non emere quod venditur pertinet ad diuitias ad quas tamen pertinet omne pretium. num.*37.



Quænam contineantur sub materia remota voti paupertatis.

INSPECTIO PRIMA.

30 BReui discursu hoc punctum expeditur dicendo, solas diuitias esse materiam remotam voti paupertatis, non verò omne id, cuius homo habet qualecumque dominium. Sic enim, nec vita, nec pars aliqua corporis est materia paupertatis, quia ex lege naturæ homo prohibetur, vel vitam sine iusta causa prodigere, vel membrum graui periculo exponere, nec homo potest expoliare se absolutè iure ac libertate vtendi vita, & membris suis ad actus vitales, & animales, quia, hoc est contra ius, & potestatem principalis Domini, qui est Deus, & est destructio personæ viuentis, & licet se ipsum vendere possit in seruum, & obligare se ad operandum ex voluntate alterius; tamen hoc ius, vel se liberum conseruandi, vel vendendi in seruum ad bona temporalia intrinseca pertinet, nō verò ad diuitias, ideo non potest ad paupertatem pertinere.

31 Multò minùs ad paupertatis materiam spectant bona spiritualia, quæ etiam, non licet prodigere, vel renunciare, immò quò maiora sunt, tantò chariora esse debent, cum intrinsecè ad perfectionem humanam pertineant, & paupertas ipsa eò sit laudabilis, quò est vtilis ad huiusmodi bona spiritualia augenda, vel obtinenda. Et quorum vsus, & dispositio ex charitate, & ex consequenti etiam ex misericordia, & obedientia alijsque virtutibus regulari debet, *D. Th. in hoc artic. 7. ad 4.* & alij DD. communiter.

32 Inter extrinseca bona autem honor, & fama, meliora sunt diuitijs, vt probat *D. Thom. su. p. q. 73. a. 3.* & habetur ex *Prou. cap. 22. Melius esse nomen bonum, quam diuitiæ multæ*, vnde quatenus possint esse materia voti, non pertinent ad paupertatem, sed vel ad humilitatem, vel ad obedientiam. Distinguendum tamen est, nam & cum duplex sit honor, alius scilicet sanctus, qui virtutem consequitur, & alius vulgaris, qui consequitur excellentiam bonorum exteriorum, etiam diuitiarum, Primus est cui, non potest, nec licet ex vi paupertatis renunciare, cum ad bona interna, & virtutem pertineat. Secundò radicaliter renunciatur renunciatis diuitijs, & tamen formaliter, & in se sumptus, non est materia paupertatis secundùm *Suarez t. 3. l. 8. c. 4. nu. 3.* Quod tamen habet instantiam, quia accessorium sequitur naturam principalis, & paupertati etiam opponitur, si pauper velit apparere, & honorari, vt diues, vnde talis nedum sit ambitiosus, sed aliqualis paupertatis contemptor. Nec obstat, quòd honor dicatur esse in honorante; quia honor si actiuè est actus honorantis, passiuè est aliquod bonum honorati, etiam pretio æstimabile, si loquamur de honore consequente diuitias. Nam & fama diuitiarum, & haberi aliquem, vt diuitem multùm valet ad vsum diuitiarum, & ad contractus habendos, & ideo tam fama, quàm honor diuitiarum ad diuitias spectat. Et ideo ad præsens punctum, non bene applicatur doctrina illa *D. Th. opus. 19. c. 2.* quòd honor est in honorante, vt deducatur, quòd non potest renunciari in se ipso, quia honor in honorato est aliquid morale, quòd vbi fundatur in diuitijs est aliquod temporale pretio æstimabile.

33 Solæ ergo diuitiæ sunt materia paupertatis. Paupertas enim in proprietate sumpta ad solas refertur diuitias. Vnde in hoc sensu Christus dixit, Luc. 6. *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.* Et huic beatitudini, opponit illud. *Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram.* Sic enim & Iacob. cap. 2. diuiti opponitur pauper, Vbi inter alia habet. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo? &c.* Et. *Nonne diuites opprimunt vos? &c.* Nam est euidens tam in Latino, Græco, quàm in vulgari cuiusque regionis sermone, quòd pauper diuiti opponitur, & quòd idem est esse pauperem, quod non esse diuitem. Diuitiæ verò sunt pecunia, & quidquid pecunia est æstimabile, pecunia enim dicitur totum quod possident homines, & cuius domini sunt vt habetur ex *Aug. cap. 6. de discipl. Chris.* & refertur *1. q. 3. cap. totum.* Cuius inquam domini sunt, non dominio naturali, & innato, quo homo est dominus suarum actionum, & bonorum etiam spiritualium, sed dominio ciuili ex rerum diuisione per homines introducto, Totum enim hoc, cuius homines domini sunt, hoc dominio, quia pecunia æstimabile est, & potest in pecuniam conuerti, pecunia dicitur, vt docet iurisconsultus *L. 223. ff. de verbor. signific.* Totum igitur sub nomine diuitiarum venit, & totum est materia remota paupertatis. Sub nomine tamen diuitiarum minimè venit vxor, quia hæc secundùm communem vsum loquendi, non venit sub nomine bonorum externorum, nec ius matrimonij est propriè pecunia æstimabile: Et vir & vxor tanquam vna caro æstimantur, vnde ius & dominium viri in vxorem, & vxoris in virum potiùs est quasi intrinsecum, & simile iure vtendi proprio corpore. Et ideo castitas non spectat ad paupertatem, *Suarez. vbi sup. nu. 9.*

34 Ideo sub voto paupertatis, non cadunt reliquiæ per se, & ratione ipsarum, quia non sunt pretio æstimabiles, & materialiter sunt, quid corporeum; sed ad genus spiritualium reducuntur ex relatione, quam habent ad sanctitatem eius, cuius corporis aut vestimentorum sunt partes, aut quocumque modo ad alicuius sanctitatem referuntur. Ideo nec vendi possunt, nec emi *cap. 2. de reliq. & venerat. sanct. & ibi Gloss. v. venalis, Sylu. v. reliquiæ q. 1. Armill. num. 5. Nauar. cap. 17. nu. 69* & Reliquiæ sub nullius sunt censu, vt declarauit S. Rituum Congr. 23. Ian. 1610. Et ideo sub diuitijs non comprehenduntur, nec sunt materia voti paupertatis *Lezana p. p. cap. 6. nu. 4. Donatus tom. 3. tract. 4. q. 44.* & apud eum *Bartolomeus à S. Fausto q. 105. & nouiss. Anton. à Spiritu Sancto in direc. p. 2. trac. 3. disp. 3. sec. 2. num. 152.* Verùm in contrarium est, quod ablatio reliquiarum inuito domino dicitur furtum sacrilegum; *Sanchez l. 9. cap. 42. num. 23. Azor. p. p. lib. 9. cap. 8. q. 9. Bonac. ad p. Decal. præcep. disp. 3. q. 1. p. 4. num. 9.* & vt retuli supra *quæst. 186. a. 7. num. 416.* quamplures voluerunt reliquias non posse alienari sine solemnitatibus Paulinæ, & non potest negari, quòd Reliquiæ, non pertineant ad dominium eius, qui illas legitimè possidet, & quòd non fiat illi iniuria, si ab eo inuito auferantur. Verùm his, non obstantibus dicendum est, Reliquias non esse mate-

materiam voti paupertatis; nulloque modo comprehendi sub diuitijs, quia nec sunt pecunia æstimabiles, sed sunt supra omne pretium, nec sine simonia alienari possunt ex pacto oneroso; illarúq; subreptio ad altiorem spectat iniustitiam quam sit iniustitia furti, quod respicit res temporales iuxta tradita supra à *D.Th.q.66.* nisi pro quanto simul cum ablatione reliquiarum sit vel ablatio rei temporalis, vel aliquod damnum temporale. Et propterea *Sylu.v.reliquia q.*[illegible] *Tabiena nu.2.* non dixerunt furtiuam subreptionem reliquiarum esse furtum sed sacrilegium.

35 Quoniam verò bonorũ quędam sunt mixta, & sunt spiritualia habentia annexa temporalia & redditus ad diuitias pertinentes, vt sunt beneficia Ecclesiastica, officia habentia iurisdictionẽ spiritualem, vt officium docendi Theologiam, & alia similia habentia ius spirituale ad bona temporalia. De istis ex doctrina *D. Thom. in hoc art. ad quartum & Caiet.* ibidem dicunt *Nauar. Comment. 3. de regular. num. 2. Rodriquez tom. 3. q. 19. a. 4. Suarez tom. 3. de relig. l. 8. c. 4. nu. 14. Sanchez l. 7. moral. c. 18. num. 15.* & reliqui DD. communiter huiusmodi spiritualia præcisè sumpta & ratione ipsorum non esse materiam voti paupertatis; sunt enim altiora bona, quæ paupertati non repugnant. Cui tamen repugnare possunt ratione annexorum redditum, & honorum temporalium; & ideo ratione horum sunt materia remota voti paupertatis. Neque hic valet regula, quia scilicet annexum sequitur naturam principalis, huiusmodi verò bona sunt annexa bonis spiritualibus, quia in ordine ad paupertatem, non se habent, vt accessoria; si habeantur, vt propria, & modo paupertati repugnanti, sed se habent vt principalia, & retinent naturam suam, & sunt veræ diuitiæ habentes omne id, vnde sunt impedimentum perfectionis, cui occurritur per paupertatem. Quidquid igitur ad diuitias spectat & est, vel formaliter, vel æquiualenter pecunia, est materia remota paupertatis.

36 Non tamen approbo, quod habet *Lezana d. num. 4.* vbi inter diuitias numerat ius moderandi cathedram doctoralem, quia ipsa sit pretio æstimabile. Nam hoc ius est spirituale, & de se pertinens ad interiora animæ bona, nec ratione sui est pretio æstimabilis, sed est supra omne pretium. Quamuis habere possit annexum ius ad pecuniam habendã pro sustentatione docentis. Nec pendet hæc quæstio ab illa, an vendere doctrinam, sit simoniacum; quia etiam si concedatur quod non sit simoniacum, quia doctrina sic absolutè non est spiritualis spiritualitate gratiæ supernaturalis, qua saluamur, & quæ est speciale donum Spiritus Sancti gratis omnino communicandum, tamen quia doctrina ad bona animæ spectat excedit omne pretium, & vt dicitur *Iob. 28.* de sapientia: *Nescit homo pretium eius &c. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione illius.*

37 Et hæc regula generalis hic est seruanda, quòd non omne quod venditur, seu pretio æstimatur, pertinet ad diuitias, quia simoniacè venduntur etiam iura spiritualia Prælaturæ, & sacramenta, sed cum id, quod de se superat pretium, pro pretio datur, tunc illud æstimatur pro pretio, & non illud, sed pretium illius, quod est pecunia, pertinet ad diuitias, & est materia voti paupertatis.

SVMMARIVM.

1 *Materia proxima voti paupertatis. num. 38.*
2 *Votum paupertatis absolutè prolatum intelligitur de paupertate Religiosa. num. 39.*
3 *Quid sit dominium? num. 40.*
4 *Administratio iuris. num. 41.*
5 *Vsufructus. num. 42.*
6 *Vsus iuris. num. 42.*
7 *Possessio. num. 43. & 44.*
8 *Ius in possidente duplex. num. 44.*
9 *Vsusfructus non est dominium, sed licentia vtendi re aliena. num. 45.*
10 *Possessio facti, & administratio. num. 45.*
11 *Votum paupertatis excludit dominium. num. 46.*
12 *Et vsumfructum, vsum iuris, & iuris possessionem. num. 47.*
13 *An Religiosus possit dicere hoc est meum. num. 48.*
14 *Votum paupertatis non priuat vsu facti, vel facti possessione, vel administratione. num. 49.*
15 *Quod administratio immobilium cum facultate vtendi fructibus ad vsus honestos sit contra paupertatem, & sit vsusfructus affirmant aliqui. num. 50.*
16 *Id negatur, & probatur. num. 51.*
17 *Administratio nisi detur irreuocabiliter non repugnat paupertati. num. 52.*

Quæ sit materia proxima voti Paupertatis.

INSPECTIO SECVNDA.

38 **M**Ateria proxima huius voti est qua homo ex voto proximè se priuat. Nam pauperem esse, est non esse diuitem. Pluribus verò modis cum pecunia, & diuitiæ habeantur, de quibus latè tractant Doctores in materia de iustitia, & præcipuè *Nauar. Com. 2. de regular. a. nu. 13. Suarez tom. 3. l. 8. c. 5. a. num. 4.* videndum est quinam ex his modis sint materia paupertatis. Hi enim sunt dominium, vsus fructus, vsus iuris, possessio iuris, vsus facti, possessio facti, & facti administratio.

39 Et quia votum liberum est, ideo nulli dubium est, quòd per se loquendo, & quantum sit ex substantia voti, posset quis huiusmodi diuidere, & vnum ex illis, vt putà dominium à se abdicare, non vsumfructum. Sed si quis non limitando absolutè promittat paupertatem, hoc votum de absoluta paupertate intelligi debet; scilicet de tali qualem Religiosi promittunt. *Nauar. Com. 2. de regul. num. 20. Suarez d. l. 8. cap. 5. num. 2. Sanchez l. 7. mor. cap. 18. num. 3.* Quia hæc integra paupertas est illa, quæ communiter vouetur, & in dubio videtur quis agere, quæ frequentius aguntur, *reg. in obscuris de reg. iuris in 6.* ideo vouens absolutè paupertatem, dum non constat de peculiari intentione, & limitatione censetur vouere paupertatem religiosam. Nam & iudicandus est vouere paupertatem, quam tum sanctè, & honestè vouere potest.

40 Dominium verò diffinitur, quòd sit *ius prin-*

cipa-

cipale & proprium disponendi de re aliqua in quemcumque vsum non lege prohibitam. Quamuis apud iurisconsultos hoc ius respectu rerum incorporalium, non dicatur dominium, sed quasi dominium, quæ differentia in proposito nostro, non est attendenda, quia non diuersificat in ordine ad votum paupertatis, cum & in quasi dominio dominus habeat ius principale, seu vt nomine proprio disponat de re in quemcumque vsum à lege non prohibitum. Consistit igitur essentia dominij in proprietate iuris, per quod dominus potest salua iustitia commutatiua quantum sit ex parte sui disponere de re sua in quemcumque vsum. Et quod ex lege prohibeatur disponere de re hoc, vel illo modo, non facit quòd si contra legem disponat, sit iniustus, nisi habeat dominium ligatum aliquo modo, vt in maioratu, & emphyteusi, vbi dominus, non habet dominium plenum, sed Dominus vt dominus potest salua iustitia commutatiua, & sine iniustitia disponere de re sua ad libitum suæ voluntatis, & sic nisi dominium a lege, vel infirmetur, vel tollatur, sed relinquatur dominus inquantum dominus, potest etiam de re sua contra legem disponere absque iniustitia, licet non absque culpa.

41 Quod verò *Nauar. in com. 1. de Reg. ex Aretino* addiderit ad diffinitionem dominij, hanc particulam, scilicet *saluo iure alterius*, id fecit ad distinguendum dominium directum, & vtile. Nam emphyteuta habens dominium vtile, non potest vti re nisi saluo domini directi iure, sed nec tale dominium est omnino plenum, & vt habet *Suarez num. 4.* in illa particula, *non lege prohibitum*, continetur etiam, hæc alia *saluo iure alterius*, quia lex prohibet alterius ius violari. Aduertendum tamen est illud nomen principale seu proprium. Nam per illud Dominium distinguitur ab administratore habente plenissimam facultatem vtendi re cuius administratio est illi concessa; neque enim per hoc est dominus, quia nõ potest vti re nisi, vt instrumentum, & re vtitur, vt aliena, non vt propria. *Acursius in Rubr. C. de admin. Reip.* & hoc probat iuramentum quod administratores præbent de fide seruãda domino. Et nihilominùs tamẽ stat, quòd administratio sit iũcta dominio; Nã stat v.g. quòd quis sit administrator respectu rei immobilis, & dominus fructuum, sicut est vsufructuarius, vel vsuarius. Et hæc potest dici administratio iuris, quæ dupliciter potest habere adiunctum dominium. Primò respectu sui, quia scilicet ipsa detur in titulum, cuiusdam dominij, vnde is cui datur est dominus administrandi. Sicuti sunt beneficiati, qui dicuntur domini beneficiorum, quia habent ius percipiendi fructus Ecclesiarum. Est enim beneficium ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, vt habet *Garz. de benef. p. 1. cap. 1 num. 2.* Et sic beneficiati habent ius administrandi Ecclesiastica bona, & ita quodammodo domini sunt administrationis bonorum immobilium suarum Ecclesiarum, & ita quòd huiusmodi administratione priuari non possunt sine iusta causa, sicut nec priuari possunt beneficio sine iusta causa, vt docet *Panorm. cap. Cum percussio, num. 3. de Cleric. ægrot.* Sed administratio etiam potest habere adiunctum dominium fructuũ rei administratæ, & hoc modo beneficiatos esse dominus fructuum suorum beneficiorum, & facere fructus suos probatum est supra *q. 185. a. 7.* Et sicvbi administratio datur in titulum perpetuum sicut datur Episcopis, Parochis, & alijs beneficiatis, hæc administratio dicitur administratio iuris duplici de causa; quia nimirum beneficiati isti habent quasi dominium administrationis bonorum immobilium Ecclesiæ, secundò quia beneficiati sunt domini fructuum. Et horum duorum alterum sufficeret ad iuris administrationem, quæ ideo sic dicitur, quia habet adiunctum aliquod dominium, licet administrare formaliter non sit actus dominij, sed ministri.

42 Vsusfructus autem est *ius vtendi, & fruendi alienis salua eorum substantia. Instit. & ff. de vsufruct.* Et hoc ius simul habet annexum verum, & absolutum dominium fructuum illius rei, cuius est vsusfructuarius, vnde tanquam eorum dominus potest de illis ad libitum disponere. Vnde est etiam quòd propriè loquendo, non habet locum nisi respectu rerum frugiferarum, quæ vsu non consumuntur, licet minùs propriè dici possit, etiam de illis, quæ consumuntur vsu, vt constat ex *Instit. & ff. de vsufructu.* Vsus est *ius vtendi aliqua re*. Distinguitur verò ab vsu fructu, quia vsusfructus habet annexum dominium absolutum fructuum rei cuius est vsusfructuarius, vnde potest illos vendere, distrahere, consumere, donare ad libitum. Sed vsuarius habet dominium fructuum limitatum ad sui vsum, non vt in aliorum vsum possit illos distrahere, vnde nec illos potest aut vendere, aut donare. Importat tamen verum dominium fructuum in ordine ad proprium vsum, qui non potest salua iustitia ab eo tolli.

43 Possessio iuris importat duo scilicet apprehensionem rei, vt habendæ sub proprio dominio, & ius illam sic apprehendendi, quod si sit verum ius est iusta possessio, si sit falsum, sed habitum vt verum est possessio bonæ fidei, si sit falsum, & cognitum est possessio malæ fidei. Ideo essentia possessionis absolutè sumptæ, vt est communis etiam ad possessionem malæ fidei est apprehensio rei, vt habendæ nomine proprio quatenus habitualiter durat; & est ius quoddam insistendi rei, seu vt non tollatur apprehensio semel accepta, per quam res fuit ab aliquo apprehensa, vt habenda sub proprio dominio. Ideo *Nauar.* illã definit, quod *sit vis insistendi rei non prohibita possideri*.

44 Hic tamen propriè duplex ius distingui debet. Nam aliud est ius possessionem antecedens, quòd est causa illius, & dici potest ius possessionis apprehendendæ, & apprehensæ retinendæ. Et hoc ius non video, vnde distingui debeat à dominio rei; Nam dominus, vt dominus, est habens potestatem habendi, possidendi, detinendi, vtendi, & alteri donandi, vel vendendi rem salua Rerum directione. Et in hoc sensu supra *q. 186. a. 7. num. 138.* dixi difficilem esse distinctionem illam Innoc. & Panorm. qua distinguebatur ius in ius proprietatis, & possessionis, & addidi quòd possessio est complementum dominij, & nullum tradens ius, sed illud supponens, vel verum, vel præsumptum, vel vsurpatum, aut fictum. Sed aliud est quoddam ius, quòd possessionem ipsam consequitur, quod est, quid consurgens ex possessione, & potest dici ius insistendi rei, iam per possessionem apprehensæ, per quod possidens habet vt ex eo, quòd possidet non debeat iniustè exturbari, aut possessione

priua-

priuari, quòd ius proximè non habet, qui non possidet, Sed hoc est, quia ex quo non possidet, non est completè dominus in exercitio, quia dominium per possessionem completur, & possessioni intantùm adiunctum est ius, vt non exturbetur, inquantùm possessio est dominij complementum, & dominium supponens, & ideo illud ius non ponit in numerum eum iure proprietatis, & dominij; Vnde vbi constet, quòd possessor non sit dominus, à possessione deijcitur. Possessio igitur iuris supponens dominium, vel verum, vel fictum, seu vsurpatum, est ius quoddam habitualiter existens in possidente, per quod habet, vt à detentione exercita, & rei exercito vsu, quam & quem habet tanquam rei propriæ non exturbetur. Vnde est quòd traditio possessionis licet non sit formaliter alienatio, quia tamen est complementum alienationis, vnde secum fert non nihil iuris, quod non competit ei, qui licet sit dominus non possidet, communissimè dici posset alienatio, sed minùs propriè & formaliter; quia propriè & formaliter est complementum alienationis, vt loco supra citato explicatum est, & sufficit, vt non possit tradi possessio rei Ecclesiasticæ, sine solemnitate. Nam & traditio possessionis vi sua tradit per prius dominium, si is cui traditur possessio antea dominium rei non habebat.

45 Vsus facti est facultas vtendi re aliena. Est autem magna lis inter DD. an hic vsus facti dari possit sine dominio respectu eorum, quæ vsu consumuntur. Nam respectu aliorum facilè intelligitur, non enim est dominium fructuum, sed simplex licentia vtendi re frugifera seu fructibus alienæ rei, vnde vsuarius semper in hoc dependet à concedente, nec habet strictum ius, vnde sine iniustitia Dominus potest licentiam quam concessit auferre. Sed respectu eorum, quæ vsu consumuntur, non videtur quòd possit habere locum vsus facti; quia in istis vti re est illam consumere, vel ergo vtens vtitur iustè, igitur habet ius ita faciendi, & sic habet ius consumendi rem, quod est verum dominium, & ideo *Caramuel.* in Theologia Regulari *disp.* 87x. putat, quòd in res vnico actu consumptibiles Religiosus acquirat dominium. Sequens in hoc *Syluest. v. dominium num.* 3. *&* S. *Anton. p.* 4. *tr.* 12. *c.* 4. §. 10. Quæ tamen sententia vim, non habet ex *Io.* 22. *extr. ad conditorem de verb. significat.* cum ibi disputatiuè loquatur, vt est manifestum, & nihil decernat, *Molina disp.* 6. *Sanch. d. cap.* 18. *fin.* Sed tollendo æquiuocationem vocis tollitur controuersia, quam inter alios latè tractat. *Sanchez l.* 7. *mor. d. c.* 18. Nam aliud est ius proprium aliud est licentia aliquid faciendi. Ius importat facultatem, & libertatem agendi nomine proprio, quæ facultas salua iustitia, non possit tolli, aut impediri; sed simplex licentia est facultas agendi veluti nomine alieno, & dependenter a voluntate alterius, vt proprij domini, & reuocabiliter ad nutum domini proprij. Vsus iuris dicit verum & proprium ius vtendi, sed vsus facti dicit solam facultatem vtendi dependenter à voluntate proprij domini. Et sic vsus facti, non importat ius, sed facultatem, & licentiam agendi nomine alterius. Præterea verò benè aduertit *Suarez loc. cit. num.* 1x. quòd ius dicitur, vel propriè pro morali potestate aliquid faciendi, vel non faciendi, vel communiter pro lege, & prout distinguitur in ius diuinum, vel humanum, & importat facultatem ex lege aliquid faciendi, vel non prohibitionem legis. Hoc enim modo etiam simplex licentia aliquid faciendi dicitur ius, & sic vnusquisque habet ius ad id, quod est secundùm legem, & hoc modo, qui habet licentiam vtendi & vtendo consumendi aliquid habet ius ad hoc faciendum, sed hoc non est ius iustitiæ commutatiuæ, & propriè dictum, quale est de necessitate dominij, sed est ius communiter dictum. Et ideo quòd etiam in vsu facti separetur simpliciter dominium ab vsu dixerunt *Nicolaus* 3. *cap. exijt de verb. signif. in* 6. *& Clem.* 5. *in Clem. vnica eod. tit.* & tradunt communiùs DD. sed & illi, qui asserunt vsum facti non esse sine aliquo dominio in rebus vsu consumptibilibus, non id tenent in sensu Caramuelis, quasi vsuarius facti sit dominus, & possit rem alienare, & sic religiosus pictantiam suam possit dare pauperi, quia illius est dominus; hoc enim est falsissimum; Nam vsuarius habet facultatem vtendi ad suum commodum, non verò dandi alijs, & falsissimum est quod ante actualem vsum res, vel à religioso, non possit auferri, vel quod religiosus rem in aliorum vsum possit conuertere sine superioris licentia. Non potest tamen negari, quin addat aliquid de proprio iure, quia licet sic vtens re aliena possit à vero domino salua iustitia impediri ab vsu rei, non tamen potest impediri ab alio salua iustitia, & sic licentia illa vtendi concessa Titio transit in quandam proprietatem, & dominium Titij, quæ ab eo non potest tolli, vel impediri salua iustitia ab illis, qui non sunt domini rei. Et si dicitur, quòd iniustitia fit domino, qui licentiam concessit, non verò fit Titio; hoc, non dicitur validè. Quia sic verè fit iniuria domino dum impeditur vsus dominij, quo dominus medio Titio vtitur re sua, sed etiam fit iniuria Titio, qui cum possit vti re aliena in hoc impeditur. Dici tamen potest, quòd hoc est dominium quoddam secundùm quid, & intrinsecum licentiæ vtendi re aliena, vnde simpliciter, non est dominium ciuile, quia dominium rei, cuius est vsus semper remanet simpliciter apud dominum, sed vbi quis de licentia Domini vtitur re aliqua intrat ius naturale, & ratio quædam dominij naturalis, vt in hoc vtens re aliena à non domino rei, non impediatur. Vsus ergo facti est licentia vtendi re aliena dependenter à voluntate domini ipsius rei, & hoc modo possessio facti est apprehensio rei alienæ, & illius tentio nomine Domini, & de eius licentia, & dependenter ab eius voluntate, & administratio facti, est administratio rei alienæ nomine domini, & dependenter ab eius voluntate.

46 Dicitur igitur materiam voti paupertatis primariam esse dominium, per quòd res habetur, vt propria, Ideo *D. Thom. sup. a.* 3. explicat paupertatem per hoc, quòd est sine proprio viuere. Et Christus Dominus dans consilium paupertatis dixit Matt. 19. *Vade vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Vendere enim, & dare alienationem important, & priuationem dominij, vt S. Augus. in regula & habetur *cap. non dicatis* 12. *q.* 1. paupertatem præcipit his verbis. *Non dicatis aliquid proprium.* Et actorum 4. dicitur de fidelibus illius temporis. *Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat.* Quia verè, hæc est paupertatis

effecu-

essentia, vt nihil tanquam proprium habeatur, vt traditur *cap. monachus, cap. super, cap. cum ad monasterium. de statu monach. & cap. ex parte de accusat.* & apud *Concil. Trid. sess. 25. cap. 2.* Et ratio est, quia cum paupertas excludat temporalia, quæ maximè habentur per dominium, ideo integra paupertas de qua loquimur primariò dominium reijcit, & prohibet haberi aliquid tanquam proprium.

47 Dicitur propterea, quòd huius integræ paupertatis materia est, vel vsus fructus, vel vsus iuris, vel iuris possessio, vel iuris administratio, vel quicumque alius titulus consistens in aliquo dominio. Omnia enim, hæc continent proprium dominium independens ex propria ratione a voluntate alterius, & ad diuitias pertinent, & suo modo diuites faciunt, & suam solicitudinem terrenam annexam habent, ideo omnia ista paupertati repugnant, cui repugnat habere aliquid, vt proprium. *Nauar. com. 2. de Regal. num. 10. Sanchez l. 7. in Decal. cap. 18. num. 25. Azor. p. 1. l. 12. c. 13. Faustus lib. 8. q. 1. Lezana p. 1. c. 6. num. 3. Antonius à Spiritu sancto p. 1. trac. 3. disp. 4. sec. 1. num. 3.* & apud eum *Vidal tit. de paupert. n. 11. Donatus tom. 3. tract. 15. q. 1. Mirand. tom. 1. q. 58. a. 1. Bassaeus v. paupertas. num. 1.*

48 Sed nunquid pauper potest saltem dicere, hoc est meum? Negant enim aliqui, quia hoc prohibentur in *cap. non dicatis aliquid proprium 12. q. 1.* Vnde fideles primæ Ecclesiæ nihil suum dicebant. Sed bene aduertit *Suarez nu. 13.* hoc nomen *meum, tuum, suum*, non semper sumi, vt importat proprietatem dominij, sed ex vsu importat etiam vsum, vel possessionem facti, ideo nedum, non est per se malum si religiosus dicat, hoc est meum, sed immò potest esse aliquando, hoc conueniens, & necessarium propter occurrentes circumstantias, vel consuetudinem. Et supposito quòd Apostoli vouerint paupertatem prout voluit S. Aug. l. 7. de Ciu. Dei cap. 10. & tradit *D. Th. sup. q. 88. a. 4. ad 3.* confirmatur hoc ex illis verbis Angeli ad Petrum, Act. 12. *Pracingere, & calcea te caligas tuas &c. Glos. in d. cap. non dicatis v. possidere. Nauar. com. 1. num. 1. de Regul. Donatus d. trac. 15. q. 5. Lezana d. cap. 6. n. 11. Moron cons. 46. num. 18.*

49 Dicitur tandem, nec vsum facti, nec facti possessionem, aut administrationem repugnare paupertati, quia hæc non important dominium. Sed alia ex parte vsus facti est simpliciter necessarius ad vitam conseruandam, non enim homo potest honestè viuere sine cibo, & vestibus, quibus vtatur: Nec per se dedecet, vt ista etiam aliquo modo possideat, & teneat dependenter à voluntate superioris etiam dum illis actu non vtitur, vt habeat illa parata tempore necessitatis. Nec pauperē dedecet aliena administrare nomine domini, sed & hoc necessarium est, quod alicui tribuatur in communitate bene instituta, vt vnicuique ordinatē necessaria dispensentur.

50 Sed hic valde ponderanda oritur difficultas, quia videtur, quòd administratio saltem rei immobilis coincidat cum vsufructu si non perpetuò saltem ad beneplacitum. Nam videtur quòd simplex monachus habens rei immobilis administrationem cum facultate conuertendi fructus in vsus licitos verè, & in effectu dici possit vsufructuarius bonorum; nam cū possit de fructibus disponere, dicitur habere ius vtendi, & fruendi, & sic vsufructum; *l. 1. ff. de vsufructu l. 1. C. de eod.* & vtrobiq; *Glos. 1. Instit. eod. tit. in princ.* Nec obstat, quod non possit de illis disponere nisi in vsus pios. Nam nec beneficiati possunt consumere fructus beneficiorum nisi in vsus pios, & tamen in vita dicuntur vsufructuarij *Glos. in cap. præsenti, in v. reseruari, de off. ordin. in 6.* Vel saltem Monachus administrator, vt supra dici potest vsufructuarius qualificatus ad instar beneficiati secularis secundùm Præpositum *in sum. 144. dist. num. 4.* Et similiter non refert, quòd administratio possit eidem auferri ad nutum Abbatis, quia hoc non tollit, quin tempore administrationis habeat ius vtendi, & fruendi. Vnde propriè dici potest vsufructuarius ad beneplacitum, *glos. 1. in l. 4. & glos. 1. in l. via, ff. de seruit. & glos. 1. & 5. in l. Cum vsufructus. ff. de vsufructu legato.* Quapropter titulus administrationis non est aliud, quā palliamentum quoddam ad cohonestandum proprium, vere enim vsufructuarius est dominus fructuum, *l. Arborib. ff. de vsufructu.*

51 Sed huius obiectionis vltimum dictum eandem soluit, & veritatem explicat. Vsufructuarius enim sic est bonorum stabilium administrator, quòd fructuum est dominus. Præsupposita igitur differentia supra num. 36. posita inter dominum, & administratorem, quod ille habet ius principale vtendi re nomine proprio, sed ius administratoris est instrumentale, & est facultas vtendi re, vt aliena. Et præsupposita differentia supraposita num. 40. inter proprium ius agendi, & agendi licentiam; quia illud est, quid principale, & intrinsecum, per quòd quis habet potestatem, & facultatem agendi, & vtendi re ad beneplacitum absque iniustitia; sed licentia est concessio ab extrinseco importans facultatem instrumentalem vtendi re nomine alieno, & vt aliena, quæ salua iustitia vltra terminos concessionis extendi non potest. Dicitur, quòd Monachus constitutus à Prælato administrator rei stabilis, cum simplici licentia vtendi fructibus ad vsus honestos, nec est, nec dici potest vsufructuarius, sed simplex, vel administrator, vel vsuarius vsu facti. Quoniam non fit dominus fructuum, quod est de ratione vsufructuarij, & facultas quam habet conuertendi fructus in vsus honestos, non est dominium, sed licentia. Et ex allatis ab eadem obiectione hoc magis confirmatur; Nam beneficiati seculares dicuntur vsufructuarij, quia sunt domini fructuum beneficiorum. Ideo *Nauar. q. 1. de red. Eccles. monito. 40. num. 12.* quia non concedit beneficiatos esse fructuum dominos, non admittit eos esse simpliciter vsufructuarios. Sed Monachus præfatus non fit fructuum dominus, sed administrator, sed simplex vsuarius ex licentia superioris. Nam & ex hoc magis hoc explicatur. Quia si licentia vtēdi re aliena importaret ius proprium, seu ius dominij; Nullus daretur, neque dari posset Religiosus, qui non esset dominus, quia nullus dari potest, qui aliqua re non vtatur. Et cum in *quæst. sup. a. 8.* probatum sit in Episcopo Regulari manere votum paupertatis illibatum, cum alias sit manifestum eos habere amplissimam administrationem bonorum immobilium suorum Episcopatuum, simul fatendum est dari administratorem rei stabilis habentem facultatem etiam amplissimam disponendi de fructibus in vsus honestos, qui tamen non fit fructuum dominus, sed administrator,

ſtrator, aut ſimplex vſuarius, & non ſit vſufructuarius; aliter id fieri non poſſet in Epiſcopis Regularibus, quod eſt contra ſententiam communem DD. niſi habita diſpenſatione in voto paupertatis. Hinc alia eſt differentia inter beneficiatos ſeculares, & monachum adminiſtratorem, quia illi ex quo ſunt domini fructuum, ſi illis vtantur in vſus illicitos licet peccent, non ſunt tamen iniuſti, nec tenentur ad reſtitutionem. Sed monachus habens licentiam vtendi fructibus ſolum ad vſus honeſtus, & pios, ſi vtatur ad illicitos poteſt eſſe iniuſtus, vt infra ſuo loco magis explicatur. Patet ergo quòd monachus habens adminiſtrationem boni ſtabilis, cum facultate ideſt licentia vtendi fructibus, non eſt, nec dici poteſt vſufructuarius ſimpliciter, nec vſufructuarius qualificatus, nec vſufructuarius ad beneplacitum: quia cum nullum habeat dominium fructuum, nullo modo eſt vſufructuarius.

50 Immò patet quòd adminiſtratio per ſe, & de ſe non repugat paupertati. quia adminiſtratio non importat dominium, & ius adminiſtrandi (quod etiam, habent Prælati, & officiales Regulares) eſt ius inſtrumentale, & ius vtendi re nomine Domini. Solùm paupertati repugnat, quod adminiſtratio detur cum aliqua dominij admixtione aut emulumento. *Suarez d.l.8. c.5, num.* 31. Et ſi dicatur, quòd Prælati Regulares, & officiales videantur habere verum ius adminiſtrandi bona conuentuum, quia hoc ſine iniuſtitia non poteſt ab illis auferri, niſi ex cauſa, ſicuti nec beneficiatis poſſunt auferri beneficia. Reſpondetur, & dicitur primò, quòd immò tam ex *cap. monaſterii, de ſtatu monach.* quam ex *Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 2.* adminiſtratores bonorum monaſteriorum ſunt amouibiles ad nutum ſuperioris. Prælati verò quorum adminiſtratio principaliter eſt ſpiritualis, licet etiam adminiſtrent temporalia, & eorum officium duret etiam in aliquibus ad vitam, vt in Generali Ord. Præd. & Societatis patet, nihilominus iſti non ſunt domini officiorum dominio ciuili, nec duratio in officio, quæ niſi ex iuxta cauſa poteſt tolli, hoc habet, quia officia ſint illorum, ſed quia lex ita ad bonum commune diſpoſuit, & communitas, quæ bonorum eſt domina intuitu boni communis ſic voluit. Vnde Prælati non habent aliud genus dominij reſpectu officiorum, quàm habeat quilibet Religioſus reſpectu veſtis, qua ex diſpoſitione ſupremi ſuperioris vtitur, & quam nullus, ſine iniuſtitia, nec etiam ſi ſit ſuperior inferior poteſt illam ab eo auferre, licet ipſe illius veſtis nudum vſum facti habeat. Ex eo igitur, quòd officium ſine iuxta cauſa non poſſit auferri, non ſequitur, quòd Prælati Regularium ſint propriè domini officiorum, quia id non eſt, quia officia ſint illorum, ſed quia intuitu boni communis Religio domina ſic diſpoſuit. Et dicitur vlteriùs ſecundò, quòd etſi Prælati Religionum eſſent propriè domini ſuorum officiorum, hoc eſſet contra paupertatem in communi, non verò contra paupertatem in particulari. Quia paupertas in particulari priuat dominio vt priuato, quo quia habeat ius vtendi re primo ad ſui vtilitatem priuatam, & eiuſdem vtilitatis intuitu poſſit de re ad ſui beneplacitum diſponere ſine iniuſtitia. Sed habere ius adminiſtrandi bona communia intuitu boni communis non eſt bonum priuatum, nec eſt habere aliquid, vt ſuum proprium, ſed eſt eſſe miniſtrum communitatis, quod eſt nihil habere, vt ſuum proprium, & ad proprium commodum, & intuitu ſui, eſſe verò miniſtrum communitatis, & ab ea participare de communi dominio, illudque repræſentare, & illius loco eſſe in bonorum communium adminiſtratione. Res enim illi data, ſcilicet facultas adminiſtrandi eſt res communis, quæ intuitu boni communis eſt illi tributa, vt miniſtro duraturo iuxta legum communitatis præſcriptum.

SVMMARIVM.

1 *An votum paupertatis reddat incapacem dominij. num.53.*
2 *Aliqui negant. num.54. & 55.*
3 *Votum paupertatis fieri poteſt, vt de præſenti ſit donatio aliqua. num.56.*
4 *Votum paupertatis de præſenti priuat voventem dominio. num.57.*
5 *Deus immediate acceptat donationes temporalium factas ab homine. num.58.*
6 *Abdicationi dominij accidit, quod res alicui tradatur, vel remaneat nullius. num.59.*
7 *Prudens non vouat paupertatem niſi determinet ad quem tranſeat dominium, quo ſe priuat. numer.60.*
8 *Votum paupertatis abſolutum non pendet ab acceptatione eius, ad quem transferri debet dominium. num.60.*
9 *In caſu quod tertius nollet acceptare dominium, eſſet in poteſtate vouentis alium determinare. numer.61.*
10 *Vouens abſolute ex vi voti remanet priuatus dominio. num.62.*
11 *Bona eius niſi aliter diſponat tranſeunt ad hæredes ab inteſtato. num.57.*
12 *Pauper ex voto cui acquirat ex nouo titulo? vari ſententia. num.63.*
13 *Vera ſententia. num.64.*
14 *Pauper ex voto contractu oneroſo nulli acquirit. num.64.*
15 *Pauperi ex voto, quæ in eo caſu donantur remanent quantum ad dominium apud donantem. numer.65. & 66.*
16 *Pauper ex voto liber eſt, vt vtatur re, quæ eſt nullius. num.67.*
17 *Pauper ex voto reſpectu eorum, quæ ſunt ad eius vſum habet aliquid dominij, vt non poſſit à non domino impediri in vſu rei. num.68.*
18 *Aquiſita à paupere ex voto ad ſui vſum quomodo ab alio poſſint occupari. num.69.*
19 *Vouens abſolute paupertatem ex vi voti ſit incapax dominij. num.70.*
20 *Vouens abſolute paupertatem donat capacitatem dominij magis quam ſeruus. num.71.*
21 *Diſcrimen inter votum caſtitatis, & paupertatis quod hoc directe priuat iure habendi. num.72.*
22 *Aliquod votum paupertatis in Societate priuat libero vſu non dominio. num.73.*
23 *Votum ſolemne paupertatis priuat capacitate dominij. num.74.*
24 *A primordio Eccleſiæ votum paupertatis priuauit dominij capacitate. num.75.*

An votum paupertatis reddat vouentem dominij incapacem.

INSPECTIO TERTIA.

53 CVm igitur iam certum sit, votum paupertatis priuare vouentem dominio rerum temporalium, hoc insuper est quærendum, an idem votum ita priuet dominio, vt reddat vouentem incapacem etiam acquirendi dominium. Nam de facto votum paupertatis solemne priuare capacitate noui dominij acquirendi est certum *cap. statuimus. 18. q. 1. cap. Ioannes de Regul. c. cum ad monaster. de stat. monach.* Sed dubium est, an hæc incapacitas sit ex natura voti, vel potiùs ex iure positiuo.

54 *Suarez tom. 3 l. 8. c. 1. nu. 14. Nauar. comm. 1 de regul. num. 19. & lib. consil. de voto consil. 9. Azor tom. 1. l. 12. c. 12. q. 8. Lennard. l. 2. de iust. c. 4. d. 5. nu. 21. Sanchez l. 7. mor. c. 18. & 31. num. 23.* Respondent votum paupertatis simplex non reddere hominem incapacem dominij, nec vi sua excludere actuale dominium, sed bene obligare ad hoc, vt qui vouet & dominium quod habet relinquat, & nouum non acquirat. Et ratio est, quia aliud est promissio, & aliud est executio promissionis, & aliud est promittere, & aliud dare, & aliud est vouere, & aliud exequi votum. Nam promissio vt promissio vi sua non transfert dominium, quia promittere non est dare, sed est se obligare ad dandum. Voti autem substantia per promissionem perficitur. Ideo votum obligat quidem ad hoc, vt qui vouit abdicet dominium, non tamen illud de facto abdicat, nisi noua actio superueniat, quæ per se etiam independenter à voto sit abdicatiua dominij nimirum contractus aliquis donationis, & alienationis per quem homo se priuat dominio. Addit *Card. de Lugo disp. 3. de iust. num. 75.* quòd qui vouet paupertatem non habet incapacitatem dominij ex vi suæ voluntatis, quia illa est mutabilis. Et qui noluit acquirere potest iterum id velle. Etiamsi sua tradiderit alicui alteri. Tum quia nec per votum paupertatis per se alicui traditur propriæ rei dominium. Tum quia tunc ex consensu saltem eius, cui res tradita fuisset, posset dominium recuperare. Secundò quia ad summum vouens paupertatem esset incapax dominij sicut seruus, qui tamen validè sibi acquirit in casu, quod quis sibi donet cum pacto, vt res non acquiratur domino, sed seruo.

55 Quando verò, qui vouit paupertatem, teneatur se priuare dominio rerum suarum? Respondet *Suarez num. 16.* vota etiam affirmatiua obligare ad statim exequendum illa. Ideo si quis diues voueat paupertatem simul quidem remanet pauper ex voto, & diues, & dominus de facto, vnde si quis furaretur de eius bonis teneretur illa eidem restituere, sed tamen ipse tenetur, quam citiùs moraliter potest de rebus suis disponere, & illarum dominium à se abdicare. *Sanchez autem loco citato num. 32.* censet hunc bona ante votum acquisita non posse pro libito dispensare, sed ea permanere ad hæredes, qui illi ex intestato succederent, quia per votum ipse non amisit horum bonorum dominium, nec in alium transtulit, & ideò non priuabitur hæres ab intestato iure succedendi. Sed quòd iste in hoc casu possit ad libitum disponere, tenet *Suarez*. Et ratio eius est, quia si remanet dominus, ergo potest ad libitum de suis bonis disponere; neque enim dominium amisit, & dominium est ius disponendi de re sua ad libitum, & ad quemcumque vsum lege non prohibitum. Vbi igitur bona non sint subdita fidei commisso, vel qui sic vouit non habeat descendentes, quos ex lege instituere debeat hæredes, vel ex alia consimili lege non sit ligatus, potest liberè de suis bonis disponere tali, ac tanta libertate quali ac quanta potuisset, si votum paupertatis non emisisset. Votum enim nec priuauit, nec infirmauit eius dominium, sed solùm obligat illum ad hoc, vt ipse se illo priuet. Ideo si ipse etiam in malos vsus distraheret bona sua peccaret quidem, sed non ageret iniustè & inualidè, dum modò lex aliqua non obstaret, quæ validitatem actus infringeret, & tunc nullo existente contractu dominium apud ipsum remaneret, nisi lex illum priuaret, & teneretur per alium validum contractum se proprio dominio expoliare.

56 Hæc tamē sententia sic posita, quia hoc falsum assumit, quòd scilicet votum paupertatis essentialiter sit nuda promissio abdicandi à se dominium, non verò sit actualis, & exercita donatio, & abdicatio dominij, amplecti non debet. Dicitur igitur primò, quod votum paupertatis duplici modo emitti potest. Primò vt sit nuda promissio de futuro. Secundò per modum donationis de præsenti, & ita vt ex parte sit donatio similis donationi inter viuos, & ex natura sua irreuocabilis. Primam partem supponunt DD. citati, & probatur. Quia enim votum liberè fit, posset homo vouendo per se promittere Deo abdicationem dominij, vt de futuro habendam, sicuti Deo promitti potest, vt habenda peregrinatio aliqua, vel oratio, vel vt eroganda aliqua eleemosyna.

57 Ratio autem secundæ partis est, quia non inconuenit, motum successiuum de præsenti, vel alienari inter homines, vel Deo donari, & immolari, ita quòd simul cum consensu voluntatis (quæ causalitate solùm præcedat) sit motus inchoatio, & vsus membrorum ad motum. Cumque motus, non possit esse in mundo nisi per aliquid sui, ideo donatio ista simul essentialiter est promissio, quæ Deo non fit nisi per votum, vt dixit *D. Th. a. 6. ad 2.* & sic tale votum est donatio de præsenti, quia ex vi eius de præsenti Deo immolatur motus, & inchoatur, sed simpliciter est votum, quia quod remanet prosecutionis motus promittitur, non traditur de præsenti. Vbi verò res, quæ datur aut promittitur est abdicatio, & priuatio multò faciliùs potest esse, quòd promissio sit simul cum donatione, & quòd votum non sit nuda promissio, sed simul sit donatio; quia priuatio in instanti fieri potest, & sic potest immediatè donari, & solùm in futurum potest pendere non violatio donationis factæ per assumptionem eius, quo quis se priuauit. Paupertas verò, non est nisi priuatio dominij, & promittere paupertatem est promittere dominij priuationem. Et sic bene fieri potest, vt quis actu donet Deo omne ius dominij quod habet, & habere potest, actu exercitè se priuando omni dominio.

Et

Et hæc donatio, non erit pura, sed erit votum, quia cum viuere sine proprio sit quid successiuum, totum hoc nequit simul Deo offerri nisi per votum, vt dixit *D. Th. supra a.6. ad 2.* Et sic, hoc votum si integrè sumatur habet aliquid de donatione de præsenti, & aliquid de promissione de futuro. Non quòd sint duo actus adæquati, seu contractus, quia res, quæ sub contractu cadit vna est, scilicet vita sine proprio, quæ ex vi voluntatis, per quam huiusmodi pactum initur, inchoatur, vt duratura in futurum.

58 Sed difficultas esse potest ea doctrina illa *Suarez tom.3. lib.2. cap.7. num.12.* quia scilicet Deus immediatè donationes rerum temporalium non acceptat, cum ipse non vtatur illis rebus immediatè, sed solùm medijs creaturis. Sed difficultas cessat, tum quia potest bene contingere quòd præsens adsit aliquis ad cuius fauorem fiat huiusmodi donatio, & quòd ipse illam acceptet. Tum quia, vt supra etiam probatum fuit, non est verum, quòd Deus huiusmodi donationes immediatè non acceptet, immò ad eum solum spectat huiusmodi donationes acceptare, cui fiunt, & præcipuè, vbi res donata est spiritualis, quale est ius habendi, & possidendi: Nam ius ad temporalia licet terminatiuè, sit quid corporeum, cum tamē in se substantialiter sit in ratione hominis, seu in homine secùdùm partem rationalem, quid spirituale est, quod Deus donatum sibi acceptat, suique iuris iam est etiam ea speciali titulo donationis sibi factæ, vt eo vtatur quomodo voluerit.

59 Tum tertiò, quia hic distingui debent priuatio dominij, & rerum quarum dominium amittitur traditione facta huic, vel illi. Hęc enim duo separabilia adeo sunt, vt ster quem dominio priuari, & res illius nulli tradi, sed remanere nullius, vt *Suarez* infra citandus dixit. Quamuis verò quando quis vouet paupertatem, traditio rerum quorum vouens erat dominus possit pendere in futurum, & possit donatio pendere quantum ad suum effectum à consensu alterius hominis, abdicatio tamen dominij, non conditionata, sed absoluta, non pendet in sui valore, & substantia ab illa traditione, sed illi accidit, quòd res quarum dominium homo Deo immolat, tradantur, vel huic, vel illi, vel pluribus, vel nulli. Et sic ad valorem abdicationis dominij, nec est necesse quòd res alicui tradatur, vel quòd homo illi consentiat, sed cum priuatio dominij Deo donetur illam Deus acceptat, & hoc sufficit.

60 Dicitur secundò quòd moraliter, non contingat quòd vouens paupertatem, non determinet personam in quam transferri debeat dominium, quo se ex voto abdicat, si aliàs ex lege, vel praxi id non sit constitutum. Ea autem determinata ad illum statim ea vi voti deuoluitur ius, ad quem vouens determinat illud deuolui. An verò ad valorem voti, sit necessarium, vt ille consentiat ad cuius fauorem debet transferri dominium, distingui debet, quia si votum sit conditionatum sub conditione consensus illius, eo consensu deficiente votum non erit efficax, & validum. Sed si vouens absolutè se abdicauit dominio, & illud Deo consecrauit, licet voluerit sui voti vtilitatem prouenire illi tertio, non est necesse, quod ille tertius consentiat ad hoc, vt votum sit substantialiter validum, sed solùm, vt ex parte illius tertij habeat effectum. Nam cum abdicatio dominij absoluta fuerit, & absolutè Deo consecrata, votum valet, & vouens manet priuatus dominio, quòd verò dominium transeat ad hanc, vel illam personam, vel etiam ad nullam est quid extraneum tali voto, & ad illud accidentaliter se habet.

61 In hoc tamen casu dicendum esset, quòd maneret in facultate vouentis, non iam se priuare, vel non priuare dominio, quia hoc se priuauit per votum absolutè emissum, sed determinare aliam personam ad quam dominium transeat, Quia non est verisimile, quòd vouendo, hoc sibi implicitè, non reseruauerit, vt si is ad cuius fauorem vouit, noluerit dominium suarum rerum recipere, possit alium loco suo substituere. Et hoc non est exercere actum dominij post illius abdicationem, sed est præbere abdicationi conueniens complementum.

62 Ideo dicitur tertiò, quòd si vouens absolutè paupertatem nullo modo determinet personam, ad quam transeat dominium, quo se priuat; ille ex vi voti statim remanet priuatus illorum bonorum dominio, & bona sua transeunt ad eius hæredes ab intestato, vt dixit *Sanchez d. num.35.* Ratio primæ partis est, quia vt ex dictis iam est manifestum, votum paupertatis absolutum respectu dominij, nō est promissio, sed traditio, & abdicatio irreuocabilis de præsenti. Ratio autem secundæ partis est; quia votum paupertatis mors quædam ciuilis est, quia in hoc mundo moritur, qui omne dominium rerum mundi à se abdicat. Et ideo statim ius transit ad eius hæredes, ex vi amissionis huius dominij, quod Deus statim acceptat, & gratum habet; vel si vouens simul se cum suis alicui tradat, & sui ipsius dominio se priuet, & alij se subijciat, sicut fit in professione religiosa, iam ea vi huius traditionis bona sua Religioni, cui se tradit, adueniunt, si illa succedendi est capax, vel si vouens priùs aliter de suis bonis disponat, tunc ad illum pertinent, ad cuius fauorem illa vouens disposuit.

63 Quarta igitur conclusio principalis sit, quòd loquendo de bonis post votum paupertatis emissum acquirendis, vouens acquirit ijs pro quibus vouendo se acquisiturum determinauit, vel hoc deficiente partim acquirit nulli, partim suis hęredibus ab intestato, In hac conclusione etiam DD. non conueniunt. *Nauar. Com.2. de regul.* ait talem acquirere Deo. Quod non placet *Suarez num.34.* quia Deus est incapax accipiendi nouum dominiū rerum ex creatura, vt per ipsum immediatè exercendum, Tum secundo, quia nec ex intentione dantis, nec ex intentione recipientis, colligi potest hæc ratio noui dominij, nec ea vi voti paupertatis, quia huic sufficit dominium abdicari, Tum tertiò, quia aliter sequeretur quòd, talia pauper teneretur expendere superflua in vsus sacros, quia res illæ essent specialiter Deo consecratæ. Alijs igitur videtur quòd horum dominium sit apud dantem; sed neque hoc absolutè admittitur, quia esto posset habere locum in rebus donatis, hoc non potest verificari in acquisitis ex contractu, nam si pauper locauit vni operas, tenetur ille soluere pretium, vnde illius dominium, non remanet apud illum. Non igitur potest dici per se quòd dominium illarum rerum, quæ dantur pauperi ea voto rema

neat apud dantem. Propterea ipse *Suarez* dicit remanere apud nullum, quia nullum est inconueniens dari in mundo bona, quæ nullius sint. Quod probat primò. Quia si pauper à nullo acquirat, sed v. g. piscetur in flumine, vbi pisces nullius sunt, ex eo quòd pauper ex voto illos piscatur, sui non sunt, quia nullius rei potest licitè dominium habere, & pauper non acquirit illos vt suos, vti supponitur; remanent igitur nullius determinatè sicut antea erant. Secundò quia bene potest dari contractus in quo ex vna parte, qui dat priuetur dominio, quod tamen non acquirat, qui recipit datum, vt patet in simonia; igitur quod ibi fit ea lege, potest hic fieri ex contrahentium voluntate, quia qui dat, quantùm sit ex se, datum alienat, & priuatur dominio rei datæ, & pauper recipiens intendit recipere, & intendit priuationem dominij in dante, vt possit vti liberè re data absque dependentia à voluntate dantis, & absque eo quòd vtatur re illius; & tamen non intendit accipere dominium, quia id sibi non licet, intendit tamen donationem, vel acquisitionem esse validam quantùm fieri potest honestè: fieri verò potest honestè, vt dominium non remaneat apud dantem, & apud recipientem adsit libera vtilitas, & dominium apud nullum; igitur dicendum est, quòd etiam sic fiat, cum & dans intendat alienare, & recipiens recipere modo sibi possibili & honesto. Sed *Sanchez num. 32.* existimat dominium horum bonorum esse apud Episcopum, quia etsi hic pauper ex voto de quo loquimur, non subdatur Episcopo ex voto obedientiæ, supponimus enim in hoc paupere solum votum paupertatis, est tamen illi subditus, vt legitimo superiori in spiritualibus, & ideo cum vouens non valeat designare personam, cuius sint ista bona, nec alij hoc incumbat, pertinebit ad Episcopum, hoc determinare, cuius est in huiusmodi gubernare.

64 Sed ad quæstionem respondetur, quòd vouens si sit prudens determinabit vouendo cui acquirere debeat. Et eius erunt, cui acquirer per contractus, qui aliàs transferrent in illum dominium, si ille validè, vel licitè esset illius capax; sed hac vouentis determinatione præcisa, vel si loquimur de acquisitis ex antiquo iure, quod competebat vouenti ante votum, hæc prouenient illis, vel quibus vouendo bona sua reliquit, si omnia sua illis attribuit, vel in istis bonis succedent hæredes eius ab intestato, vel qui aliàs ex quacumque lege eius hæredes sunt. Sed loquendo de acquisitis ex nouo iure, si hæc acquirantur ex contractu onerofo, vera est sententia *Suarez*, quòd acceptum sub nullius remanet dominio. Nam non remanet sub dominio dantis, quia ille non potest illud iustè retinere, cum valorem illius accipiat, vnde non potest pretium sub suo dominio retinere, quia fieret ditior ex alieno, nisi in eo casu dans sciens id, quod dat remanere sub nullius dominio, & esse prioris occupantis quantùm ad dominium, hoc ius primò occupare intenderet. Per se igitur, quod datur pauperi ex voto in vim contractus onerosi alienatur à dante, & remanet extra dantis dominium. Sed neque id acquiritur, vel Ecclesiæ, vel Episcopo. Quia pauper ex voto, nec ratione voti, nec ratione paupertatis habet, vt nomine Ecclesiæ acquirat. Non quidem ratione paupertatis, quia paupertas, non tollit dominium. Et pauperes sibi acquirunt, & habent plenum ius disponendi de suis, vt patet. Sed nec ratione voti, quia votum simplex paupertatis soli Deo fit, & ex vi illius nihil aliud promittitur, nisi negatio proprij, scilicet, non habere aliquid, vt proprium, cum quo optimè stat quòd pauper ex voto possit viuere ex alieno de licentia proprij domini, absque eo quòd viuat ex eo, quod est Episcopi, vel Ecclesiæ. Et præterea, si pauper ex voto acquireret Ecclesię, aut Episcopo, in vsu illius, quod acquirit, dependeret à licentia Episcopi, quod licet sit affirmatum à Sanchez, nimis est durum, & sine fundamento assertum. Non enim ex vi voti paupertatis vouetur obedientia Episcopo, & licet ad Episcopum pertineat procurare, vt vota facta Deo adimpleantur, tamen pauper implet votum suum perfectissimè ex hoc quòd non acquirit aliquid, vt proprium. hoc enim solum promisit ex voto paupertatis, non verò promisit se nihil acquisiturum, seu nullo acquisito vsurum nisi de licentia Episcopi. Pauper igitur ex voto dummodò, non acquirat aliquid, vt proprium licitè acquirit ad vsum, & acquisitis vtitur ad sui sustentationem independenter ab Episcopi licentia, non igitur Ecclesiæ, aut Episcopo acquirit. Et ideo nulli acquirit. Nisi per accidens, vbi esset lex specialis, quòd quæ nullius sunt determinatè sint Reipublicæ, vel Principis, vel Ecclesiæ, quia in eo casu pauper ex voto acquireret illi, cuius sunt, quæ nullius particularis sunt. Quamuis propriè loquendo dicendum semper sit, quòd pauper ex voto, quæ acquirit ex contractu onerofo nulli acquirit, licet per accidens, ex quo ab eo acquisita nullius sunt, transeunt in dominium illius, cuius sunt, quæ sunt nullius determinatè.

65 Aliud genus bonorum est illorum, quę pauper ex voto acquirit ex liberalitate donantis, de quibus loquendo dicitur quod probabilior est secunda opinio, quòd eorum dominium maneat apud donantem, quia liberali concessione censeri debet annexa conditio, vt non transferatur dominium in donatarium, si ille impeditus nolit dominium suscipere, sed solum vsum rei accipere. Et ideo quòd in hoc casu donatio transeat in concessionem ad vsum, retento apud concedente rei dominio. Hoc primò explicatur, vbi res data, non sit ex illis, quæ vsu consumuntur. Non enim est verisimile, quòd concedens pauperi, vel equum, vel prædium intendat disponere de re sua ita, vt nullius sit, & nec sit sua, nec pauperis cui illam tribuit, sed possit esse primi occupantis, quia hoc esset prodigere rem sine sui vtilitate tam corporali, quàm spirituali, Hoc enim neque est vtile pauperi, qui non potest recipere dominium, & cui satis est, si de licentia dantis possit vti re concessa. Non est vtile danti, qui se priuat re sua, & quidem modo inutili, qui de se nec est actus virtutis, nec per se habet, vt in virtutem ordinetur, quia rem propriam fieri nullius, est poni in statu, vt sit primi occupantis, licet de se honestatem habere possit ex eo quòd homo ex virtute se priuet dominio rei suæ, vt illius dominium in alium transferat, quòd tamen se priuet dominio rei suæ, vt illa nullius sit, nisi primi occupantis, hic non est de se finis honestus, ideo nec huiusmodi voluntas, quæ de se non est honesta, sed vana, & inutilis præsumi debet in illo, qui rem suam immobilem, & in sua specie permanentem

dat

dat ex virtute liberalitatis, & misericordiæ, sed semper subintelligi debet, hæc conditio tacita, quòd dans pauperi, non intendit transferre dominium, si pauper impeditus, non vult recipere dominium, sed solum vsum rei donatæ. Et dato, quòd ex lege, quæ nullius sunt, essent vniuersitatis, aut Principis, nec est verisimile, quòd quis velit in his casibus occasione paupertatis alicuius, & ex eis, quæ dat intuitu pietatis alicui pauperi ditare Principem, aut Ciuitatem.

66 Sed quod dicitur de re, quæ vsu non consumitur, dicitur absolutè de omni re etiam ex vsu consumptibili. Quia donans ex misericordia, & liberalitate intendit vtilitatem pauperis cui donat; quòd si ei vtile non est dominium, dans intendens per se vtilitatem recipientis & suam dat id cuius recipiens est capax, & vult recipere, non verò id quod nihil vtilitatis confert pauperi & sibi est inutile & damnosum. Ita verò est, quod translatio dominij rei datæ inutilis est pauperi, qui iam dominium, nec pro se, nec pro alio legitime, potest recipere, & ideo illud, non recipit & est inutile & damnosum danti, qui sine necessitate inaniter, & vanè se priuat dominio rei.

67 Sed contra primam partem huius resolutionis duplex difficultas oriri potest. Prima est, quia vbi res sub dominio alicuius non sit, iam non erit apta vsui pauperis ex voto; quia pauper ex voto non potest vti re nisi de licentia domini, si verò res, non habeat dominum de nullius licentia vtetur re illa, & ita peccabit. Sed respondetur ex *Suarez loc. cit. num. 38.* quòd ex lege naturæ vnusquisque tam diues, quàm pauper habet licentiam vtendi rebus, quæ sub nullius dominio sunt, sed sunt primi occupantis, quòd si huiusmodi possunt occupari etiam quantùm ad dominium, multò magis quantùm ad simplicem vsum pro vita sustentanda. Quod ergo dicitur pauperem vti rebus de licentia domini, intelligitur si dominum habeat, nam si non habeat dominum, vtitur illis ex licentia naturæ & Dei, qui temporalia ad vsum humanæ vitæ destinauit.

68 Secundo difficultas est, quia saltem sequitur, quòd vnusquisque possit etiam paupere inuito ab eo auferre, quæ ex titulo oneroso acquisiuit; quia cum nullius sint, iam sunt primi occupantis, vnde vnusquisque potest sibi occupare, quæ iste pauper acquisiuit. Respondet *Suarez ibid.* negando sequelam ex duplici capite, tum quia vnusquisque habet ius naturale defendendi se, & quæ apud se possidet, quod ius, non licet alicui violare. Tum secundò, quia vnusquisque habet ius naturale tuendi suum corpus, & vitam, & ex consequenti ea, quæ ad vitæ sustentationem ex bonis communibus, sine alterius præiudicio sibi acquisiuit. Ex quo colligitur verum esse, quòd supra dictum est, scilicet quòd vsus facti, non est sine aliquali dominio, & iure proprio. Est enim sine dominio propriè dicto, & per humanum institutionem ex rerum diuisione introducto, sed non est sine aliquo dominio naturali; quia habet annexam illam naturalem facultatem, quæ ad vitæ sustentationem est necessaria, qua possit vti, vel alienis de dominorum licentia, vel communibus & quæ nullius sunt, & quòd vbi ipse, vel de licentia domini aliquid possideat, vel sibi acquirat aliquid ex communibus, non possit impediri extrinsecus a non dominis in vsu illius rei; hoc enim etiam lex naturæ requirit, aliter omnia rapinæ essent obnoxia.

69 Ex hoc soluitur alia quæstio, an scilicet ex quo pauper ex voto, vbi acquirit ex titulo oneroso nulli acquirit, acquisita per illum possint a quocumque primo apprehendente occupari quoad dominium illorum. Nam hoc potest aliquo modo fieri, sed non per acquisitionem dominij omnino absoluti. Nam talia bona sunt pauperis ex iure & dominio naturali, quo vnusquisque habet ius, vt non impediatur in his, quæ ille ad sui sustentationem legitimè acquisiuit, ideo pauper ex voto, non potest impediri in vsu acquisitorū ab extraneo occupante, nec illa possunt ab illo auferri, vnde nullus potest acquirere illorum dominium absolutum. Posset tamen aliquis illa apprehendere, & occupare, & facere sua, acquirendo ius proprium de illis disponendi citra præiudicium iuris naturalis pauperis, qui talia bona acquisiuit legitimè in sui sustentationem, & in hoc sensu, qui dat pauperi ex voto ex titulo oneroso, posset dare, & dando iterum acquirere dominium eiusdem rei tanquam primus occupans bonum illud, quod sub nullius est dominio.

70 Quinta conclusio est, quod qui per modum donationis vouet absolutè paupertatem, ex vi donationis est incapax dominij. Nam vouens paupertatem per modum donationis nedū tradit Deo ius dominij quod habet, sed etiam capacitatem habendi dominium, quia totum, hoc est intrinsecum vitæ habendæ perfectæ, sine proprio. Capacitas enim dominij quoddam ius est, quod homini conuenit, & per quod sibi homo potest acquirere, vel ex contractu oneroso, vel ex alterius liberalitate. Et hoc ius, non est quid purè naturale, sed est aliquid ciuile ex iure gentium, & diuisione rerum promanans, quod est ab homine separabile, vnde de facto certum est quòd Religiosi sunt incapaces acquirendi dominium. At verò licet paupertati non repugnet capacitas dominij, quia non repugnat pauperem desinere esse pauperem, & fieri diuitem, statui tamen paupertatis, non conuenit illa capacitas, quia illa, non est immobilis paupertas, quæ per subsequentes diuitias potest expelli, & sic de ratione & perfectione paupertatis, vt perpetua est, quòd ita homo, sit sine proprio, vt nec possit per nouam dominij acquisitionem fieri diues. Et quamuis ex quo votum est voluntarium possit quis vouere paupertatem promittendo in futurum se nihil acquisiturum tanquam proprium, retenta tamen capacitate valdè acquirendi, quia hæc duo separabilia sunt. Tamen non est dicendum quòd sic fiat, per votum paupertatis absolutè, & simpliciter emissum. Nam & capacitas habendi proprium est aliquod ius dominij, & aliquid proprietatis, qua se abdicare debet is, qui omnino proprietatem excludit, & vitam perfectæ paupertatis eligit vt nihil sui sibi retineat. Et ad quid retinere sibi hoc ius, quod non potest exire in actum nisi sacrilegè violando actum. Qui igitur promittit Deo viuere simpliciter, sine proprio ex hoc Deo donans omne ius proprietatis, quod habet, simul dat ius quod habet acquirendi aliquid tanquam proprium.

71 Et sic ad motiua in oppositum dicitur, quod

quòd hæc incapacitas habetur ex voluntate non vt promittente non admittere dominium, sed vt irreuocabiliter donante ius, seu capacitatem illud acquirendi. Et ad secundùm dicitur, quod vouens simpliciter paupertatem est magis incapax dominij, quàm seruus hominis, est enim Dei seruus, qui se incapacem possidendi temporalia facit, vt Deum plenè possideat.

72 Et exemplum de matrimonio, quo vtitur Card. de Lugo dicens, quòd vouens voto simplici castitatem non est incapax matrimonij, si bene expendatur fauet assertioni positæ, & habetur quòd non valet consequentia, quam deducit *Sanchez numer. 23. ex cap. vnico de voto in 6.* Nam distinguuntur valde votum paupertatis, & votum castitatis. Nam votum castitatis directè respicit actum, non verò ius & dominium agendi, & priuat hominem exercitio actualis incontinentiæ, hoc enim est esse castum, quòd est se continere ab omni vsu luxuriæ. Sed esse pauperem non est se continere ab vsu diuitiarum, quia neque hoc vsu licitè se potest homo priuare, cum sine tali vsu viuere non possit, & ex lege naturali teneatur vitam conseruare. Sed pauperem esse ex voto consistit in priuatione iuris, & dominij ad liberè vtendum diuitijs. Et quia incapacitas importat priuationem iuris, & dominij, simplex votum castitatis non reddit incapacem ad matrimonium, quia per tale votum homo non se priuat habituali iure, & dominio, sed actuali exercitio incontinentiæ. Sed votum paupertatis directè priuat dominio, & iure habendi, ideo potest etiam priuare capacitate habendi per modum domini, quia & hæc capacitas est quoddam ius habendi. Ergo sicut qui vouet castitatem plenam ex hoc excludit omnem omnino actum incontinentiæ etiam aliàs licitè, & per matrimonium habendæ, ita qui vouet plenam paupertatem excludit à vouente quodcumque ius habendi, & ex consequenti capacitatem habendi proprium excludit; quia & hoc ius est quoddam ius dominij.

73 Pariter non obstat, quòd in Societate Scholares, qui sola vota biennij emiserunt sunt verè Religiosi, & tamen retinent dominium sui patrimonij, de quo latè disputat *Card. de Lugo dicta disp. 3.* quia huiusmodi voti paupertatis materia non est dominium rerum, sed earum vsus liber; ideo ex vi talis voti Religiosi illi solum tenentur non vti patrimonio suo sine licentia superioris, & per aliquod tempus retinent patrimonij dominium. Sed votum paupertatis de quo loquimur habet pro materia dominium, & est dominij abdicatio, & ideo ratione dicta reddit incapacem dominij acquirendi, nisi sit votum partiale, quod perfectam paupertatem non promittat.

74 Dicitur propterea vltimò, quòd per votum Religiosæ paupertatis Religiosus ex vi voti fit incapax dominij. Hoc enim certius est. Nam materia huius voti est donatio, & traditio à legitimo superiore nomine Religionis acceptata, per quam Religiosus sub vita sine proprio tradit se in seruum Religiosum omni prorsus iure habendi se abdicando, quod ius respectu dominij eorum, quæ actu habet si non ad alios, in ipsam Religionem transit si sit capax possidendi, sicut & in Religionem, si sit capax transit ius acquirendi de nouo, ita tamen, vt in omni Religione hoc sit substantiale, quod vouens omni iure dominij se expoliet, vnde & se priuat omni iure acquirendi, saluo solo iure naturali vtendi rebus ad sui sustentationem de licentia Domini, & Religionis. Hanc verò traditionem factam Religioni, & Deo propter Deum, Religiosus solemni consecrat voto, & confirmat; Non igitur potest in posterùm ad se validè reuocare dominium, vel dominandi ius, aut capacitatem, qua se per donationem irreuocabilem priuauit.

75 Concluditur verò ex his, votum paupertatis cum hac solemnitate reddendi vouentem incapacem fuisse etiam in primitiua Ecclesia vsitatum, quamuis oppositum dixerit *Suarez l. 8. cap. 7. n. 23.* Et dum dicit Christum habuisse perfectissimum statum paupertatis, nec tamen fuisse incapacem dominij; respondetur nil mirum esse, quòd in eo in quo diuitiæ deitatis vnitæ fuerunt cum mendicitate humanitatis, simul sine imperfectione iunctæ fuerint capacitas dominij, & paupertas. Sed dum de Apostolis subiungit multa ad probandum quòd non fuerint dominij incapaces; ipsimet illa soluit. Nam & domus dicta fuit esse Simonis. Lucæ 4. quia vel priùs illius erat, vel in ea solitus erat habitare, non quia tunc cum discipulus erat Christi ipse fuerit dominus illius. De Io: autem dictum fuit quod recepit Dominam nostram non in sua prædia, sed vt exponit D. Th. in cap. Io: 19. in sua officia. Et quòd Apostoli per mundum dispersi acquirerent etiam laborantes manibus proprijs, vt de Sancto Paulo dicitur 1. Cor. 4. verum est, sed nō sibi, sed Ecclesiæ, & Christo acquirebant, acquisitis postea vtentes nedum eo iure quo ex altari viuere debebant, sed quo ipsi bonorum Ecclesiæ administratores erant. Nec opus est nobis probare, quòd illi fuerint dominij incapaces, sed sufficit si ex aduerso non ostendatur, quòd fuerint capaces dominij, vt non infirmetur ratio probans votum paupertatis ex sua natura si sit absolutum reddere vouentem dominij incapacem. Quòd si aliqui ex antiquis dominij capaces dicantur in statu paupertatis fuisse, cum eodem Suarez dicitur tales non emisisse perfectum, & absolutum paupertatis votū, nec fuisse in perfecto statu perfectionis. Quod verò vniuersaliter temporibus Iustiniani Imperat. statutum fuerit, vt Monachi essent dominij incapaces, *l. ingressi, & l. si qua mulier C. de sacros. Eccles. & l. nunc autem C. de Epis. & Cler.* non probat quòd antea id etiam non obseruaretur, immò & *l. ingressi,* habetur oppositum, sic enim dicitur, *Ingressi monasteria ipso ingressu se suaque dedicant Deo, nec ergo de his testantur, vt pote nec domini rerum.* Non enim per hanc legem dominio priuantur, sed per consequentiam, id deducitur ex eo, quòd se & sua Deo dedicant. Hæc verò consequentia uim habet ex natura voti, & viguit, cum viguit votum.

SVMMARIVM.

1 *Ratio difficultatis. num. 76.*
2 *Opiniones. num. 77. & 78.*
3 *Ex iustitia tenetur Religiosus non vti rebus monasterij sine licentia. num. 79.*
4 *Substantiale status Religiosi est, quod Religiosus non vtatur re temporali sine licentia superioris. num. 80. & 81.*
5 *Proprium quid sit. num. 82.*

6 *Noua*

6 *Noua difficultates. num.83.*
7 *Non posse Religiosum vti re temporali sine licentia superioris est materia voti Religiosi. num.84.*
8 *Vti re temporali, vt sua est proprietarium. numer.83.*
9 *Dependentia in vsu temporalium à licentia superioris formaliter videtur materia voti obedientia. num.84.& 85.*
10 *Vti re temporali sine licentia superioris est proprietas multiplici de causa, licet per se formaliter esset inobedientia. num.86.*
11 *Vti rebus temporalibus sine licentia, est proprietas. num.87.*
12 *Vti rebus sine licentia quomodo sit æquiualenter dominium. num.87.*
13 *Contra paupertatem quomodo peccatur directè. num.88.*
14 *Per voluntatem efficacem peccatur directè contra votum paupertatis supposita ignorantia, vel errore. num.88.*
15 *Tripliciter peccatur contra votum paupertatis num.89.*
16 *Desiderare pecunias sub conditione quòd non obstaret votum, an sit peccatum. num.89.*
17 *Desiderare pecunias solum sub conditione quod possint haberi, qualiter sit peccatum. num.90.*
18 *Directè violatur votum per vsurpationem dominij de facto. num.91.*
19 *Displicentia voti emissi est peccatum. num.92.*
20 *Delectatio morosa de dominio non est peccatum ex se. num.93.*

An votum Religiosæ paupertatis priuet Religiosum nedum rerũ dominio, & iuris vsu, sed etiam libero vsu facti, ita quod Religiosus sit voti paupertatis violator, si sine licentia superioris aliqua re vtatur etiam alias de licẽtia domini illius.

INSPECTIO QVARTA.

76 RAtio difficultatis est, quia per se loquendo votum paupertatis non habet annexũ votum obedientiæ, sed bene posset secularis vouere paupertatem & omnium rerum dominium à se abdicare, absque eo quòd obligaret se ad obtinendam licentiam alicuius ad vtendum rebus sibi ad vitam necessarijs. Nec obstat, quòd si vellet vti rebus, quæ essent sub dominio alterius necessaria esset licentia illius; quia hæc necessitas non esset ex ui voti directè, & per se, sed ex vi iustitiæ, quam violaret vsurpando sibi alienum etiam quantùm ad vsum. Tum quia cum multa sint, quæ nullius sunt, sed sunt primi occupantis, vt de auibus, & piscibus patet, pauper ex voto sine alicuius licentia his vti posset, nec illis sic vtendo votum violaret. Econtra verò Religiosus de facto non potest sine licentia superioris uti aliqua re, etiam si illa alias esset nullius, vel etiam si aliàs habeat ad id licentiam domini ipsius rei. Vnde ergo est hæc libertatis restrictio? Est ne ex ui voti paupertatis, & ita quòd in Religioso vti aliquo temporali sine licentia superioris sit sacrilegium contra votum paupertatis, vel potiùs sit sola inobedientia, seu contra votum obedientiæ. Hoc enim secundum videtur dicendum, quia paupertas non priuat libero vsu facti, sed solùm dominio. At econtra tam iura communia, quàm particularia iura Religionum tanquam proprietarium habent, & puniunt illum, qui absque licentia superioris nedum consumit, sed uel quid donatum recipit, ut infra latiùs est explicandum, & habetur tanquam certum.

77 *Suarez tom.3.de Relig.lib.8.cap.10.numer.9.* asserens uotum paupertatis uiolari posse directè, & indirectè, tradit uiolari directè solum per uoluntariam usurpationẽ dominij, indirectè uerò per usurpationem usus facti sine licentia, quia hæc usurpatio æquiualenter est dominium; quoniam ut dominus se habet, qui vult uti re sine superioris licẽtia. Quæ tamen assertio difficultatem habet etiam in eius sententia; quia & ipse *d.l.8.cap.5.num.28.* bene admittit, quòd in seculari, si uoueret paupertatem usus bonorum sine alicuius superioris licentia non esset aliqua proprietas, nec per talem usum etiam indirectè uiolaretur uotum paupertatis. Idem igitur dicendum erit etiam in Religioso, si aliàs in eo uotum paupertatis non est extensius, seu non se extendit ad hoc, ut etiam priuet Religiosum libertate usus facti. Quo admisso iam Religiosus utens aliquo sine licentia superioris non solùm indirectè, sed directè esset sacrilegus uoti paupertatis uiolator.

78 Econtra autem *Peliz. trac.4. cap.2. ex Lessio lib.2.cap.4.num.27.* arbitrantur, quòd uotum Religionis essentialiter consistat non in priuatione dominij, aut dominij incapacitate, sed in priuatione potestatis utendi, & disponendi de rebus sine superioris consensu. Sed cum hoc uerum sit, de quodam uoto simplici, quod in Societate emittunt post biennium Religiosi illius Ordinis, hoc est falsum prorsus de solemni uoto paupertatis, quod quidem secundùm iura omnia priuat dominio, ut est indubitatum.

79 Respondetur igitur & dicitur hoc primò certum esse, quòd cum superior, sit administrator rerum monasterij, & in hoc vicem gerat domini, ex vi iustitiæ tenetur Religiosus, non vti aliqua re cuius dominium est apud monasterium, sine eius, vel superioris licentia; quia salua iustitia nullus potest vti re aliena inuito domino. Sed hoc, non est ex vi voti paupertatis aut obedientiæ per se & directè; sed ex vi legis naturalis & iustitiæ prohibentis aliquem vti re alienius eo inuito.

80 Dicitur secundò quòd, etiam præscindendo à necessitate iustitiæ per quam Religiosus rebus monasterij vti non potest inuito superiore rerum monasterij administratore, Religiosus nulla re externa pretio æstimabili potest vti sine superioris scitu, & consensu, & hoc tanquam quid substantiale statui Religioso habetur, & habendum est, & oppositum facere censetur proprietarium, & respectiuè pro qualitate delicti omni iure pœnis proprietati impositis punitur. Probatur primò ex *cap. super.4.de stat.monach.ibi. Qui in erticulo mortis agens, licet à priore suo commonitus proprium, quòd contra regu-*

regulam latenter habuerit, noluit resignare. Hic enim ad proprietatis vitium adscribitur latenter aliquid retinere, & quòd hoc fit contra regulam affirmatur. Habere autem aliquid latenter ad vsum pertinet, & est quoddam vti re latenter retenta, sine superioris licentia. Item *cap. cum ad monasterium 6. eod. tit.* præcipitur, *ne quis monachorum proprium aliquod possideat, sed si quis aliquid habeat proprij, totum incontinenti resignet.* Et infra. *Vnde si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, vel Cellario assignetur.*

81 In regula autem S. Benedicti cap. 33. statuitur & dicitur. *Præcipuè, hoc vitium radicitus amputandum est de monasterio, ne quis præsumat aliquid dare aut accipere, sine iussione Abbatis: neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas neque graphium, sed nihil omnino: quippe quibus, nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate: omnia verò necessaria à Patre sperare monasterij. Nec quidquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit &c.* Sic & in regula S. Pachomij cap. 106. *Nemo ab altero accipiat quippiam, nisi præpositus iusserit.* Et in regula S. Basilij. cap. 187. *Siue nudus, siue malus, idest, siue necessitatem patiatur, siue fallit, vel si quid aliud est, semel dictum est: quia dare, vel accipere non est omnium, sed solius cui commissum est istud officium &c.* Et in regula S. Augustini. *Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Et infra. *Quicumque autem intantum progressus fuerit malum, vt occulte ab aliquo litteras, vel quodlibet munus accipiat, si hoc vltro confitetur, parcatur illi, & oretur pro illo, si autem deprehenditur, atque conuincitur, secundùm arbitrium Presbyteri, aut Præpositi grauiùs emendetur.* Eadem verò habentur in regulis Sanctorum Pauli & Stephani *cap. 23. S. Isidori cap. 6. §. 1. & 10. S. Fructuosi cap. 6. §. 13. & cap. 8. §. 14.* Et alijs plurimis, quæ videri possunt simul collectæ in Cōcordia Regularum sub nomine S. Bernardi Aniānæ Abbatis apud Hugonem Menardum. cap. 42. in regula etiam S. Francisci cap. 6. habetur. *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tanquam peregrini & aduenæ in hoc seculo, in paupertate, & humilitate Domino famulant vadant pro eleemosyna confidenter.*

82 Ideo proprium definitur in *Gloss. Const. Ord. Præd. dist. p. cap. 14. §. 2. l. D.* hoc modo, videlicet. *Proprium autem dicitur quidquid celatur Prælato suo, vel tenetur contra eius voluntatem. Et ideo Religiosus aliquid recipiens mobile, vel immobile, sine consensu sui superioris, aut illud, quod ex licentia Prælati recepit, non est paratus totum ponere in manibus eius ad placitum, & requisitionem ipsius Prælati, aut aliquid abscondit ne videatur, aut accipiatur à Prælato proprietarius est, & peccat mortaliter; nisi tanta, sit paruitas materiæ, vt meritò à mortali valeat excusari.* Et ita in hunc sensum proprium explicarunt *Turrecremata, cap. non dicatis. 0.4. 12. q. 1. & ex Io: Andrea Panorm. cap. cum ad monasterium num. 8. de stat. monach. D. Anton. p. 3. tr. 16. c. 1. §. 11. not. 1. magistr. Raphael à Primatio in opus. de proprio non habendo cap. 1. Moron. consil. 86. num. 66.* & alij plures DD. ad vitium proprietatis reducentes si Religiosus pecunia, vel re pecunia æstimabili vtatur sine superioris licentia.

83 Et nihilominùs, his suppositis, non per hoc difficultas principalis soluta manet, quia dici poterit supradicta vera esse ex vi legis positiuæ, & Regulæ monasticæ, non verò ex vi voti paupertatis; & quòd proprium, vt est materia voti paupertatis, non est nisi dominium. Nam & semper manet vis difficultatis suprapositæ, quòd scilicet ex vi voti paupertatis non est, quòd pauper indigeat alicuius licentia, sed rebus, quæ sunt nullius, potest ad sui placitum vti simplici vsu facti salua paupertate. Rebus verò, quæ sunt alicuius, non potest vti eo inuito, sed hoc est ex vi iustitiæ, non formaliter ex vi paupertatis. Et hoc magis confirmatur, quia dum dicitur quòd pauperem esse est sine proprio viuere. *D. Th. supra a. 3.* quid sit, hoc sine proprio viuere explicat ex illo Christi Matt. 19. *Si vis perfectus esse vade vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Hoc verò, non importat nisi priuationem dominij, & abdicationem diuitiarum, non verò, quòd postea, qui omnia uendidit, non possit uiuere de ijs, quæ ex eleemosynis, uel aliunde modo licito acquisierit, sine alterius superioris licentia. Et certè esse pauperem, non est nisi, non esse diuitem, & hoc nihil est nisi nullum habere dominium, & sic non diues, sed pauper est, qui nullius rei est dominus, & hic si uiuit, sine proprio uiuit, quia nihil proprij habet, qui nullius rei dominium habet, & ideo tam *D. Th. sup. a. 3. & 6. & in hoc art. & op. 18. c. 7.* semper paupertatem explicat per abdicationem dominij rerum, nulla facta mentione alicuius dependentiæ in uiuendo ab aliquo superiore. Et si dicatur, quòd necessitas istius dependentiæ a licentia superioris in usu temporalium indicata fuit à Christo per illa uerba *& veni sequere me*, per quæ ostendit, non sufficere abdicationem diuitiarum, nisi ulterius homo se subdat directioni alicuius, qui illum uice Christi regat: Ex hoc magis augetur difficultas. Quoniam per illa uerba, *& ueni sequere me* Christus uotum obedientiæ significauit, ut habetur ex *D. Th sup. a. 5. in arg. sed contra*, & est communis Catholicorum intelligentia. Quo habito, sic arguitur, & Christi authoritate, & ratione; Non enim uota sunt confundenda, & directio actionum externarum in sequela Christi spectat ad uotum obedientiæ, ut habetur etiam ex S. Thom. in hoc artic. obedientiæ enim est dirigere hominē in suis actionibus, & vsu potentiarum & habituum, & libertatem eius in agendo moderari. Cum ergo vti rebus ad sustentationem, sit quid pertinens ad actionem hominis, ideo est materia voti obedientiæ, non verò voti paupertatis.

84 In hac difficultate, hoc mihi primò certum est, quòd dependentia a licentia superioris in vsu temporalium est vnum de substantialibus vitæ regularis, quæ iuxta determinationem Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 7. de Regular.* sunt omnino immutabilia, & indispensabilia, & contra quæ nulla potest præualere consuetudo. Hoc enim, & praxis, & communis sensus omnium Religionum sentit. Et secundò certum est, quòd eadem dependentia est alicuius voti religiosi materia. Cum enim vita regularis sit materia voti professionis, & Regulari vitæ Cęnobiticæ tanquam quid substantiale conueniat, quod Religiosus in vsu temporalium sit subordinatus superiori, sequitur quòd vouens vitam Regularem voueat quoque se, non vsurum

tempo-

temporalibus oisi de licentia superioris: Tertiò mihi certum est, quod vti re temporali oedum absq; licentia superioris, sed tanquam re sua, iuxta paulò infra explicanda est proprietas contra votum paupertatis, quia talis vsus est ex dominio, quod non obstante paupertatis voto, & contra illud, vtens re temporali intendit habere illius reliqua vtitur; vtitur enim illa vt sua, & intendens illam esse suam.

85 His verò pro certis habitis, ex motiuis supra positis videri posset prima facie dicendum, quòd dependẽtia pura in vsu temporalium à licentia superioris, sit materia voti obedientiæ, & quòd vti temporalibus sine licentia superioris, sit formaliter inobedientia, quando io vtente non est aliqua dominij vsurpatio, sed vtens vtitur re, vt non sua quoad dominium; licet ea vtatur, vel de licentia domini, vel illa, sit nullius, & sic quod ea vtatur sine licentia superioris est inobedientia. Notandum verò, quòd etiam *Caramuel in Reg. S. Bened. disp. 55. num. 883.* sentit, quòd vsus potiùs ad obedientiam reducitur, quàm ad paupertatem: Sed diligenter est attendendum, quòd secundùm assertionem hanc, vsus diuitiarum dependenter à licentia superioris asseritur esse materia promissa actu, & determinatè per votum obedientiæ independenter à quocumque alio præcepto aut regulæ, aut superioris, non verò solùm dicitur promissus in communi, & indeterminatè, seu sub conditione quòd regula, vel superior id præcipiat in virtute obedientiæ. Quamobrem parùm interesse videtur, quòd dicatur præfatum vsum esse materiam promissam per votum paupertatis, aut obedientiæ, quia semper ex natura Religiosæ professioois homo ad talem vsum est determinatè obligatus, & hanc obligationem violare est sacrilegium.

86 Sed quomodo igitur iuxta hanc sententiã à iuribuscitatis vsus talis diceretur proprietas? Primò sic diceretur, quia talis est, si vtens sine licentia, simul vtitur re, vt sua. Tunc enim talis vsus est, & proprietas, & inobedieotia. Secundò diceretur proprietas, quia est talis præsumptiuè, & ideo lex positiua habet illum, vt proprietatem, & vt talem punit. Religiosus enim ex quo abscondit se superiori, & independenter ab eius consensu vult vti re temporali, censetur exteriùs velle vti re vt sua, & vt propria. Et cum interior hominis mens Ecclesiæ non sit manifesta, meritò Ecclesia præsumens in rali vtente mentem proprietariam, eum vt proprietariom habet, & puoit. Si tameo talis coram Deo, oon haberet mentẽ proprietariã, & oon vteretur re, vt sua, talis coram Deo esset quidem sacrilegè inobediens, vel etiã iniustus si vteretur re aliena inuito domino, sed non esset directè proprietarius. Tertiò talis vsus dici posset proprietas. Tum primò, quia valde conforme paupertati est, vt Religiosus, nec habeat liberum vsum facti, & sit etiam pauper spiritu priuatus dominio vtendi rebus ad sui sustentationem, sine dependentia à superioribus. Tum secundò, quia talis priuatio libertatis & dependentia est maximè in Religioso necessaria ad custodiã paopertatis, & oe apud se detinendo diuitias, vel eis liberè vtendo afficiatur ad illas, & deceptus dominium, quo se abdicauit, vsurpare conetur. Tum tertiò, quia minùs vtilis ad perfectionem est paupertas, quæ de facto diuitias habet, siue sint habentis, siue non sint, si sit in habentis potestate illis vti ad libitum.

87 Verum his consideratis, & quia negari non potest, quod dependentia à superiore in vsu temporalium oon sit quædam paupertas spiritus, & quidam modus paupertatis. Quia diminuitur, & restringitur libertas dominij oaturalis, quod habemus, vt possimus vti rebus temporalibus, ideo dicitur, quod huiusmodi depeodentia est materia voti paupertatis per tale votum promissa, licet enim votum paupertatis respiciat dominium ciuile, quo priuat: quia tamen dominium ciuile continet & fundatur io dominio naturali, quo licet in totum, noo possit priuare votum, potest tamen illud moderari, & restringere; ideo per votum paupertatis limitatur dominium naturale, quod habemus, vt possimus vti temporalibus, & licet directio in agendo sit per se materia voti obedientiæ, tamen dirigere etiam circa materiam aliorum votorũ ad illa spectat. Nam & per votum castitatis dirigitur homo in vsu venereorum. Et postea, vt habet *D. Th. infra art. 8.* votum obedientiæ se extendit etiam ad materiam aliorum votorum vnde bene stat, quod dependentia à superiore in vsu temporalium, sit etiam materia voti obedientiæ. Itaque votum paupertatis priuat etiam libertate vtendi temporalibus, sine liceotia superiorum, & vti eisdem, sine licentia est proprietas. Quamuis votum simplex paupertatis necessario ad hunc vsum, non se extendat. Hinc est quòd nedum verum est, quod in Religioso vsus temporalium sine licentia, nedum est dominij vsurpatio æquiualenter, quia moraliter est præsumpta vsurpatio dominij, sed est vere & proprie vsurpatio illius pleni dominij naturalis ad vtẽdum etiam re aliena de conseosu domini, quo uotum paupertatis priuat.

88 Quod uero idem *Suarez* tradit duplici modo violari votum paupertatis, directe, scilicet, & indirecte, & quod indirecte fit per usum diuitiarum, sine licentia, non credo uerum, quia, ot iam patet, hic usus est directe contra uotum paupertatis, loquendo uero de modo uiolandi uotum solemne paupertatis per directam uoluntatem dominij bene respoodet *Suarez*, non posse, hoc uotum uiolari per uoluntatem efficacem, nisi supposita ignorantia, uel errore. Nam cum voluntas absoluta & efficax, non sit impossibilium, uotum uero solemne paupertatis, & priuet dominio, & reddat incapacem dominij, nisi aliquis hanc impossibilitatem, uel ignoret, uel ex errore oeget, non potest absoluta uoluntate uelle iterum illud dominium, cuius incapacem se reddidit per uotum.

89 Tripliciter nihilominùs posset intelligi, quòd religiosus solemniter professus peccet per directam uoluntatem dominij; uel scilicet per desiderium cooditionatum recuperandi domioium, uel per displicentiam uoti facti, uel per internam morosam delectationem de dominij usu. Quantùm autem ad primum uoluntas dominij potest esse conditionata per conditionem uoti, oel solùm per conditionem possibilis. Primo enim modo uotum excluditur, tunc enim desiderium respicit dominium sub conditione, quòd non adesset uotum, siue si esset possibile salua iustitia, & sanctitate uoti. Et huiusmodi desiderium oon est contra uotum, nec pertinet ad uitium proprietatis. Aliunde tamen esse

potest malum, & *Suarez* absolutè asserit esse peccaminosum ad minùs, quia inutile. Quod tamen habet instantiam in oppositum, quia cum dominium rerum possit esse utile ad opera bona, & præstantissima, quorum desiderium non dedecet religiosum, potest non esse inutile desiderare dominium ad talia opera conducens; ut si quis audiens victorias Turcarum, uel hæreticorum uellet habere dominium, ut contra illos pugnaret, uel principibus Christianis subministraret unde fidei inimicos debellarent. Et certè Religiosus, non est priuatus merito magnarum eleemosynarum, quia in casu occurrenti habet illas in præparatione animi, & uellet illas præstare & habere unde præstare posset, si uotum paupertatis non impediret. Velleitas igitur dominij sub conditione quòd votum non impediret, non est per se peccaminosa, sed potest esse bona, licet possit esse frequenter mala, & præcipuè inutilis.

90 Sed si uelleitas non habet pro conditione honestatem uoti, sed solam possibilitatem dominij, quidquid fuerit de uoti obligatione, certè hoc desiderium est malum & est peccatum mortale contra uotum, cujus uinculum jam in affectu contemnitur, & contemneretur in effectu, si dominium obtineri posset uiolando uotum. Nisi ergo, uel expressè, uel uirtualiter aut implicitè desiderium sit conditionatum conditione saluante honestatem uoti, sed hac exclusa conditione sola possibilitas attendatur, neglecta, uel formaliter, uel uirtualiter, seu implicitè obseruantia uoti, desiderium dominij est sacrilegum in religioso, qui uouit paupertatem.

91 Hinc est, quòd Religiosus potest directè uiolare uotum paupertatis per uoluntatem efficacem de facto, & per vsurpationem rerum efficacem ex affectu dominij quantùm sit ex parte vsurpantis efficacissimo; quia siue validè de iure, siue non validè vult esse de facto dominum, & vti rebus vt proprijs cum omni libertate independenter à quocumque alio. Quod enim hæc dominij vsurpatio in iure non sit valida, hoc non minuit malitiam vsurpantis, nec variat speciem malitiæ in vsurpatione; quia vsurpans quantum sit ex se dominium sibi vsurpat. Et si hoc modo sibi adscribit, quod est alienum, & est iniustus, quia inuito domino alienum rapit, & est directè proprietarius, quia quantum sit in eius affectu dominium sibi reuocat, quo se per votum paupertatis abdicarat.

92. De displicentia autem voti emissi per quam religiosus tristatur, & nollet emisisse votum si esset possibile, communis sententia est eam per se loquendo, non esse peccatum mortale, nisi per accidens ex hac displicentia religiosus se exponat periculo violandi votum. Ratio primæ partis est; quia qui vouit paupertatem, non vouit perseuerantiam in hac voluntate vouendi, vt sibi non liceat talem voluntatem mutare, & sibi displicere; quòd vouerit, firma tamen manente voluntate non violandi votum. Ratio autem secundæ partis est; quia hæc displicentia est dispositio ad voti inobseruantiam, vnde contingere potest, quòd sit talis & talibus vestita circumstantijs, vt constituat in proximo periculo violandi votum, & sic peccatum mortale. An verò, hæc displicentia ex se sit saltem peccatum veniale, dicitur hanc displicentiam nisi aliunde sit ex motiuo rationabili de se continere aliquid non conforme rectæ rationi, neque enim rectæ rationi conforme est tristari de bene factis.

93 Loquendo autem de delectatione morosa, *Suarez d. cap. 10. num. 9. ex doctrina Vasquez p. 2. d. 3. c. 3. & Sanchez lib. 9. mor. c. 2. n. 10.* tenentium locum non habere peccatum morosæ delectationis respectu actuum, qui non sunt ab intrinseco mali, sed sunt mali, quia prohibiti; quia licet in executione, non possit præscindi substantia actus à prohibitione, potest tamen præscindi à cogitatione, quæ propterea potest ferri in actum secundùm quod non est malus, & delectari de eo cognito sub ea ratione secundùm quam non est malus, tenet quòd delectatio morosa habita de dominio, secundùm se & ex obiecto non sit peccatum mortale in Religioso. Et verè sic est, quòd quantùm ad delectationem malitia in his actibus est separabilis. Sic enim delectatio morosa de vsu carnium habita in die veneris cum proposito firmo, non comedendi carnes, non est peccatum mortale. Ita; supposita firma voluntate, non violandi votum, delectatio de dominio diuitiarum cogitato seu imaginato; non est mortale peccatum contra votum paupertatis, quia rerum dominium, non est res mala ab intrinseco, sed solum est res mala ei, qui se dominio expoliauit per votum. Et hoc magis explicatur, nam voluntas conditionata dominij, vt supra dictum est, non est mala, si non excludat votum a conditione. Nam non peccat, qui vellet dominium si votum non obstaret, modo delectatio morosa de dominio præcisè & secundum se sumpto, supponit solam voluntatem explicitè, vel implicitè conditionatam, hac conditione si votum non obstaret; Nam supponitur quòd in eo, qui delectatur, sit firma voluntas seruandi votum. Immò nec est necesse, vt hæc voluntas sit positiua, sed sufficit negatiua, quia scilicet nec actu, nec virtute vult violare votum; Nam aliàs dominium non est de se malum, vnde delectari de dominio secundùm se considerato, non est malum, nec est contra votum paupertatis, quia talis cogitatio & delectatio a malitia proprietatis præscindit, & amor dominij, vt secundùm se præcisè cogniti est amor conditionatus conditione quantùm sit ex ratione dominij secundùm se, & præscindens ab extrinseco, ex quo dominium sit malum.

S V M M A R I V M.

1 *Ordo quæstionis. num. 94.*
2 *In lege prohibente vsum facti sine superioris licentia non habet locum Epykia. num. 95.*
3 *Religiosus vtendo diuitijs sine licentia superioris peccat, non quia sit exercere dominium, sed quia id est contra votum professionis. num. 96.*
4 *Licentia multiplex. num. 97.*
5 *An liceat recipere, vel dare sub conditione licentia petenda. num. 98.*
6 *Conueniens est non agere ex licentia præsumpta. num. 99.*
7 *In casu necessitatis non admittentis moram licet vti licentia præsumpta. num. 100. & 101.*
8 *Contingit vt necessitas sit respectu vnius actionis non alterius. num. 101.*
9 *In casu necessitatis sufficit licentia præsumpta etiam si ades-*

si adesset praceptum in contrarium.nu.103.
10 *Necessitas, & impossibilitas qualis.num.104.*
11 *Qualiter Religiosus teneatur admonere superiorem de eo quod accepit ex licentia prasumpta. num.105.*
12 *Per se sufficit licentia tacita, & prasumpta licet posset haberi expressa.num.106.*
13 *Hoc probatur de licentia tacita.num.107. & 108.*
14 *Consuetudo continet licentiam tacitam. nu.109.*
15 *Non valet consuetudo, vt Religiosi inuito superiore vtantur pecunijs. num.110.*
16 *Qua consuetudo rationabiliter introduci possit vtendi rebus sine expressa licentia.nu.111.*
17 *Tempus prascribenda consuetudinis arbitrarium. num.112.*
18 *Non sufficit quod consuetudo sit permissa. nu. 113. & 117.*
19 *De consuetudine ad quemcumque vsum remissiue, num.114.*
20 *Ad subditos non spectat videre, an consuetudo sit, vel non sit abusus. num.115.*
21 *In dubio an consuetudo reprobata à lege reuixerit habenda est pro reprobata.num.115.*
22 *Superiores peccant abusus non tollendo. nu.116.*
23 *An liceat concessis ad vsum priuatum, vti pro communibus necessitatibus. num.116.*
24 *Subditi peccant vtentes abusu.num.117.*
25 *Taciturnitas continet licentiam tacitam.num.118. 119. & 120.*
26 *Taciturnitas duplex.num.118.*
27 *Qua taciturnitas sit permissio.num.119. & 120.*
28 *Vbi non constat taciturnitatem esse approbationem non adest licentia tacita.nu.120. & 121.*
29 *Licentiam prasumptam sufficere alij negant, alij affirmant.num.122. & 123.*
30 *Prafertur sententia affirmans. num.123.*
31 *Licentia prasumpta reducitur ad tacitam. numer. 124.*
32 *Votum qualiter conditionatum conditione prasumpta licentia.num.125.*
33 *Tres difficultates. num.126.*
34 *Non est licentia prasumpta, vbi est probabilis timor, quod superior sit inuitus quantum ad substantiam actionis. num.127.*
35 *Non licet vti prasumpta licentia quando lex id prohibet.num.127.*
36 *In vsu licentia prasumpta fere semper est peccatum veniale.num.127.*
37 *Ad prasumptam licentiam necesse est, vt prasumatur ratihabitio superioris.nu.128.*
38 *Quomodo sufficiat quod prasumatur superiorem non esse inuitum.num.129.*
39 *Voluntarium negatiuum, & positiuum quando coincidant in idem. num.129.*
40 *Sufficit probabilis prasumptio.num.130.*
41 *Vsus huius probabiliter prasumpta licentia non admittendus à superioribus. num.131.*

An & quæ licētia requiratur & præcipuè si tacita, vel præsumpta sit sufficiens, ad hoc vt in Religioso vsus facti non sit proprietarius.

INSPECTIO QVINTA.

94 CVm itaque ostensum sit Religiosum peccare directè contra votum paupertatis vsurpando sibi dominium, quo se abdicauit: Et tamen Religiosus censeatur, & sit proprietarius etiam si sibi dominium non vsurpet, sed assumat vsum diuitiarum sine licentia superioris: Ad hunc autem vsum facti tria pertineant scilicet accipere, possidere, & vti diuitijs, vel consumendo, vel asseruando sine licentia: Idcirco priùs absolutè inspiciendum est, quænam licentia sit necessaria, & per se sufficiat in Religioso ad licitum vsum rerum temporalium. Et postea de illis particularibus modis vtendi diuitijs disserendum erit.

95 Quæri autem primò hic posset, an scilicet vsus rerum temporalium in Religioso excusari possit à culpa contra votum paupertatis per Epijciam cessare enim obligationem voti per Epijciam dixit Antonius à Spiritu Sancto in *Direct. p.2.tr.3. d.4.num. 367.* sed statim *num. 368.* rem explicat recurrendo ad licentiam tacitam, vel præsumptam. Verùm dicitur, quòd hic nullus est locus Epijciæ si propriè loqui volumus. Quia Epijcia, vt constat ex *D. Thom. supra quæst.* 120.*art.* 1. est interpretatio per quam explicatur, legislatorem in aliquo casu particulari noluisse obligare, vel etiam non potuisse attentis circumstantijs actionis in singulari. Modò in materia voti paupertatis hæc interpretatio omnino repugnat. Nam nullus est casus dabilis in quo liceat Religioso, vti temporalibus sine aliqua licentia. Et nullus est casus dabilis in quo ex voto Religiosus à dicto vsu prohibeatur, si habet legitimam licentiam. Non ergo hic recurrendum ad Epijciam, quia lex voti vniuersalissima est, nec prohibet vsum facti, sed prohibet vsum facti sine licentia. Et numquam omninò licet Religioso sine licentia superioris, vti temporalibus. Quærendum igitur est in casibus occurrentibus nō an lex obliget, vel non obliget, sed an adsit, vel non adsit licentia superioris, quæ si non adest, semper lex obligat, & si adest, nunquam vsus est materia à lege prohibita. Specialis tamen in hoc posset esse difficultas in casu in quo superior iniustè negaret licentiam vsus temporalium: de quo infra erit specialis quæstio.

96 Est ergo regula certa nunquam licere Religioso professo vti diuitijs sine licentia superioris, eas vel accipiendo, vel tenendo, vel consumendo, vel eis ad proprium vsum vtendo, vel dispensando, vel alienando; Non quidem quia, vt habet *Suarez tom.3.l.8.cap.11.num.2.* huiusmodi actiones exercere inuito Prælato de se sit vti illis proprio nomine, & sit exercere rei dominium, quia tales actiones important de se nudum vsum facti separabilem ab omni proprio iure, & dominio, & *Suarez dict. l.8.cap.5.* Ipse fatetur respectu voti simplicis pau-

pertatis extra Religionem, sed quia, vt supra dictum est per votum professionis homo nedum abdicat à se dominium, sed etiam facultatem vtendi diuitijs sine licentia superioris. Et ne contingat æquiuocatio considerandum est, quòd vtens re temporali sine licentia superioris vtitur dominio libertatis, quod est dominium naturale, quo non priuat in totum paupertas, & quod moderatur votum paupertatis, vt dictum est in spec. super. Sed nullo vtitur dominio ciuili per se loquendo, vt patet si vtatur re cuius dominium sit apud secularem, de licentia secularis domini. Et quatenus etiam Religiosus vsurpet res conuentus inuito superiore, vt sic est iniustus, est verò sacrilegus ex quo vtitur diuitijs sine licentia, quia hoc est contra votum suæ professionis.

97 Inquirendo autem quænam licentia sufficiat, considerandum est hanc distingui in expressam, siue generalem, siue specialem, & tacitam, & præsumptam, & rursus in iustam, & iniustam, & rursus in indebitam, & debitam. Est autem expressa licentia, quæ conceditur à superiore, vel in scriptis, vel per verba expresse illam concedentia, quæ duplex esse potest, vel scilicet generalis, quæ omnibus datur, vel specialis, quæ datur vni, vel alteri. Tacita verò & præsumpta aliquando confunduntur, & pro eodem accipiuntur. Sed tamen distingui debent; nam tacita licentia est illa, quæ de præsenti est, sed præsumpta est illa, quæ futura creditur sub conditione, quòd peteretur. In iure enim tacitum dicitur, quod actu vel virtute, seu implicitè continetur in aliquo expresso; sicut in rescripto fauorabili emanato à Pontifice, qui rationabiliter, & iustè rescribit, continetur implicitè hæc conditio, si preces veritate nitantur, *cap. 2. de rescriptis*, & ita hæc conditio dicitur tacita, quia licet non expressa, secundùm rectam rationem tamen subintelligitur, quia recta ratio dictat falsas petitiones non esse dignas exaudiri. Ita igitur illa licentia dicitur tacita, quæ in aliquo actu superioris expresso continetur, & data censetur de facto licet non expressè, sed quia in actu superioris expresso moraliter continetur. Vt si superior mittat aliquem Religiosum suum ex mendicitate viuentem de loco ad locum; licet expressè non det illi licentiam accipiendi, quæ sunt necessaria, vt viuat in itinere, dat illam implicitè, quia cùm non habet pecuniam, vnde emat sibi cibos in itinere, cogitur oblatos vel porritos recipere ne pereat. Hæc ergo licentia actu est, & moraliter censetur, vt actu data licet tacitè, & non expressè, quia si non est expressè data, est data tanquam contenta in licentia peregrinandi. Sed licentia præsumpta non est actu data, sed præsumitur danda sub conditione. Et hæc se habet, vt futurum habens esse determinatum in dispositione causæ sub aliqua conditione. Sic enim licentia præsumpta supponit in superiore dispositionem talem, quòd si licentia peteretur illam daret. Vnde hæc licentia non est data actu, vel expressè, vel tacitè, sed præsumitur danda si peteretur, & ex hoc censetur, ac si data esset.

98 Hac verò distinctione supposita primò dicunt aliqui licitum esse Religioso accipere aliquid vel dare sub conditione licentiæ habendæ à superiore. Ita *Card. de Lugo d. 3. de Iust. num. 161.* Quia in hoc casu nihil Religiosus accipit, vel dat absolutè, quia conditio nihil ponit in esse, qua conditione purificata, iam Religiosus operatur de superiori licentia. Verùm si ante licentiam habitam tradatur rei possessio, hæc doctrina erit fallax, si vel interim Religiosus recipiat, aut retineat, aut vtatur re donec licentia expectetur, vel res tradita seculari non erit de facili recuperabilis, vnde vel tenebitur superior ad dandam licentiam, vel ad sustinendam iacturam rei, aut aliud graue incommodum. Iam etiam supra *quæst. 186. art. 7. nu. 153.* dicitur etiam alienantem res Ecclesiæ sub conditione beneplaciti Apostolici, si ante obtentam licentiam tradat possessionem rei, incidere in pœnas Paulinæ. Et ex ibi dictis cum proportione explicandum est, quando possit Religiosus accipere, vel dare sub conditione licentiæ superioris, & nisi adsit licentia rationabiliter præsumpta, non licet actu accipere, vel dare sub conditione consensus superioris antequam superior consentiat.

99 Absolutè autem loquendo primò distingui potest id quod decet religiosum ab eo, quod est simpliciter sufficiens ad hoc, vt vitet peccatum proprietatis. Nam si commodè potest petere licentiam à superiore conueniens est, vt rebus temporalibus non vtatur sine expressa licentia superioris. *Suarez tom. 3. l. 8. c. 11.* Hoc enim modo religiosus securè incedit, & iuxta ordinis regulam operatur candidè & sincerè, & superiores zelum obseruantiæ habentes meritò tristantur, si religiosus sine necessitate præsumat licentiam huiusmodi. Et alias negari non potest, quin obligatio expectandi expressam licentiam accipiendi, & tenendi res temporales, non sit magna paupertatis custodia.

100 Si verò casus accidat alicuius moralis necessitatis in quo religiosus non possit petere & expectare licentiam expressam superioris, simul ex communi sententia certum est sufficere præsũptam. Quoniam & hoc ratio recta dictat, vt moraliter superior censeatur licentiam illam concedere, quam religiosus non potest petere dum sibi competit necessitas aliqua agendi, & quam superior concessisset, si petita fuisset.

101 Aduertendum verò, non esse casum necessitatis ex sola necessitate agendi, puta ex necessitate aliquid recipiendi, vel retinendi, vel expendendi, sed amplius requiritur necessitas non differendi huiusmodi actiones vsque dum licentia obtineri possit, vnde necessitas debet esse grauis & talis, quæ sit necessitas agendi, non expectata licentia in futurum obtinenda, & quæ hic & nunc, non potest peti, & media petitione obtineri, & tamen præsumitur, quòd obtineretur, si peteretur.

102 Est etiam considerandum, quòd contingere potest, & sæpe continget, vt necessitas, sit solum respectu vnius actionis, non verò respectu alterius. Nam bene contingere potest casus necessitatis aliquid accipiendi, qui non erit casus necessitatis retinendi, aut alienandi. Sed religiosus, qui non habet commoditatem superioris, vt petat licentiam accipiendi, tenebitur petere licentiam retinendi rem acceptam si hanc commodè petere potest.

103 Cæterùm supposita morali necessitate alicuius vsus rei temporalis, & impossibilitate adeundi superiorem & petendi licentiam, sufficit licentia præsumpta, quod ampliatur ex *Lopez p. p. cap. 156. & l. 2.*

& l.2.de contract.cap.40. Rodriquez 2. tom.sum. c.31. Sanchez l.7. mor.c.19.num.4. etiam si in religione esset præceptum in virtute S.Obedientiæ prohibens quemcumque vsum temporalium, sine expressa licentia superioris. Quia præcepta rationabilia esse debent, esset verò irrationabile velle quòd vbi sit impossibile petere licentiam à superiore, & vrgeat grauis necessitas aliquid agendi, non sufficiat ad illud agendum licentia superioris præsumpta.

104 Et adhuc duo consideranda sunt, primò quòd non est necesse, quòd huiusmodi necessitas agendi in religioso sit stricta necessitas, sed sufficit quòd sit magna commoditas, sic enim loquitur *Suarez dicto cap.11.num.4.* hæc enim est cuiusdam necessitatis species, amissio magnæ commoditatis. Similiter impossibilitas adeundi superiorem, non est necesse quòd sit physica, vel quia superior distet à Conuentu. Sed sufficit si sit moralis, vt si superior est occupatus, vt ibidem habet *Suarez*, & sic ei est impossibile petere licentiam, qui vel non habet, qui introducat illum ad superiorem, vel inuenit eum occupatum. Quamuis & aduertendum sit, quòd maior ceteris paribus debebit esse necessitas, vt res possit sine expressa licentia alienari, quàm quòd possit recipi.

105 Regulam datam etiam ita explicant, vt cum religiosus commodè poterit, adeat superiorem & eum certiorem faciat de eo, quod ex eius tacita, vel præsumpta licentia actum fuit. In quo *Sanchez num.8.* quem sequitur *Anton.à Spir.S. vbi sup.n.370.* distinguendo ait, quòd si non petendi licentiam fuit difficultas illam petendi, tenetur postea religiosus tunc licentiam petere, cum commodè potest, si res accepta ea licentia tacita, non est alienata, vel consumpta; sed si ratio non petendi licentiam expressam non fuit difficultas illam petendi non tenetur illam iterum petere. Verùm si, ut infra probatur, religiosus cum sola licentia tacita, uel præsumpta potest accipere aliquid & retinere, etiam si commodè possit licentiam expressam obtinere, apparet quòd nec postquàm religiosus accepit ex licentia tacita tenetur per se ex ui uoti expressam licentiam obtinere. Et ideo absolutè loquendo meliùs loquitur *Suarez*, asserens hoc esse de perfectione paupertatis non de necessitate, ut religiosus, qui aliquid pertinens ad paupertatem agit ex licentia tacita aut præsumpta, moneat postea superiorem de eo quod agit. Quod etiam limitat, ut res accepta si sit consumpta, per se nec ex ui perfectionis paupertatis sit necesse conscium facere superiorem de eo, quod acceptum, uel actum fuit. Licet hoc conuenire possit ex alijs causis, & ut superior possit iudicare, an aliquid culpę fuerit commissum à subdito, uel ut subditus meliùs in futurum de uoluntate superioris præsumere possit. Et addit *Card. de Lugo disp.3.sec.7.num.128.* quòd ubi res sit consumpta, etiam si mala fide fuit recepta, & consumpta, non est necesse aliquid de hoc dicere superiori, nisi inquantùm id sit necessarium pro obtinenda absolutione à peccato, uel ut superior condonet obligationem restituendi. Vbi tamen res non sit consumpta, sed alienata; quia adhuc est Religionis, debet peti licentia adhoc, ut à possessore ualidè possit retineri. Sic & Religiosus, qui recepit ea licentia præsumpta, debet petere licentiam, ut rem retineat, nisi & in hoc licentiam præsumere ualeat.

106 Verùm dubium esse potest, an sufficiat licentia tacita, uel præsumpta etiam si possit commodè peti & obtineri expressa. Nam Lessius apud *Sanchez* sentit licentiam præsumptam tunc solùm adesse, cum periculum est in mora, vnde non potest peti licentia expressa, quod *Sanchez explicat num.5.* hoc esse necessarium ad vitandam culpam mortalem, nam aliàs aliquando licet ex probabiliter præsumpta licentia aliquid agere ad paupertatem spectans, etiam si commodè possit expressa licentia obtineri. Sed absolutè loquendo sufficere licentiam tacitam, vel præsumptam etiamsi possit commodè haberi expressa, docet communis sententia. Vnde dicitur quod vbi nulla lege requiritur ad aliquem vsum licentia expressa, in rigore præcepti sufficit licentia tacita, vel præsumpta probabiliter ad hoc, vt religiosus vtatur rebus temporalibus, etiam si possit obtineri expressa, si religiosus ob aliquem humanum respectum, v. g. ob pudorem, vel aliquam difficultatem adeundi superiorem renuit expressam licentiam quærere. Hoc enim habetur ex *D.Th.sup.q.32. a. 8. ad 9.* asserente religiosum ex licentia præsumpta posse facere eleemosynam, & cum hoc sit bona religionis alienare si religiosus hoc potest, multò magis poterit huiusmodi bona accipere, vel retinere. Et ita assertum nostrum tenet *S.Anton.3.p.t.6.c.1. §.12. Lopez p. p. c.156.concl.3. Turrecrem.cap.non dicatis 4.8. num.12. q.1. Syluest. v.eleemos. num.7.q.5. Tabien.q.8.num.9. Armil.nu.5. Bannes 22.q.32.a.8. & ibid. Ledes.2.tom. sum.tr.4.c.3.concl.31. Aragon. Nauar. Com.3. de regul. num.10. Molin.tom.1. de iust.disp.276. Valent.22. disp.10.q.4.p.3. Less.l.1.c.41.dub.9.num.80. Azor.tom.1. instit.l.12.cap.11.q.2.3. & 4. Suarez tom.3.de relig.l.8. cap.11. num.4. Anton.à Spiritu Sancto in direct. p.2. tom.3. disp.4. num.137. Angel. v.eleem. num.6. Cordub. sum.q.109. Toletan sum cap.de pet.mort. num.28. Rodriquez tom.1.sum.c.3.num.4. & qq.Reg. q.57.a.2.* & plures alij apud *Sanchez l.7.c.19.nu.4. Pulaut tr.16. disp.3.p.23.num.1. & 7.*

107 Quamuis verò *Suarez num.5.* dicat huius communis assertionis non posse de facili reddi rationem solidam, vnde ipse ibidem disputando plura adducit contra illam regulam iuris, quòd tacitum æquiparatur expresso; nihilominùs solida ratio inuenietur ad probandam hanc communem veritatem, si distinxerimus primò inter tacitum, & præsumptum, vt supra fecimus. Nam loquendo de licentia tacita, quæ est licentia actu data, vt supra est explicatum certa est hæc veritas, vt idem *Suarez fatetur num.6.* ex regula illa iuris, quia tacitum æquiualet expresso, & quòd quando tacitum continetur in expresso idem operatur ac si esset expressum. Vnde descendendo magis ad particularia, & videndo quibus modis adest licentia tacita, hoc euidentiùs apparet.

108 Nam superior committens alicui aliquod officium, quod non potest exerceri sine vsu diuitiarum licet non det expressam licentiam ad hunc vsum, dat illam æquiualenter dando tacitam, quia in commissione officij exigentis vsum rerum temporalium dat illi tacitè licentiam ad talem vsum quantùm est necesse ad talis officij perfectam executionem. Et in hoc casu sine aliquo fundamento diceretur, reli-

religiosum peccare etiam venialiter vtendn rebus temporalibus ad munus sibi commissum perficiendum. Similiter si superior subdito nulla data pecunia seu viatico iniungat longum iter, licet non det illi expressè licentiam accipiendi, & vtendi necessarijs ad vitam sustentandam, & iter habendum, dat illam tacitè & æquivalenter *Suarez l.8. cap.11. num.6.& 7. Card. de Lugo disp. de iust. num.123. Castro Palao tract.16. p.23. numer.7. Coton. lib.4. controu.6. cap.2. num.99.* & irrationabiliter attribueretur culpæ etiam veniali huic religioso, si modestè accipiat, & religiosè consumat accepta prout necesse habet, vt religiosè se sustentet, vel si iuxta sui ordinis ritum emat necessaria ad iter honestè habendum. Quotiescumque igitur superior subdito committit, vel dat expressam licentiam agendi aliquid, quod non potest perfici sine vsu temporalium, dat implicitè licentiam ad consimilem vsum modestum religiosum, & non superfluum, & subditus potest etiam sine culpa veniali tali vsu gaudere. Immò si v. g. superior det licentiam alicui eundi Romam, vel Lauretum ad visitanda sacra loca, censetur dare licentiam ad emendum imagines, numismata, coraria & alia similia amicis in reditu distribuenda. Dummodò hoc modestè fiat.

109 Modus licentiæ tacitæ consistit in consuetudine præscripta aliquid accipiendi, vel retinendi, aut etiam expendendi, aut donandi sine licentia expressa superioris. Consuetudinem enim hanc continere licentiam tacitam tenent *Suarez d. l.8. c.11. num.7. Sanchez l.7. c.19. num.7. Palaus trac.16. disp.3. p.23. num.7. Ant. à Sp. S. in direct. p.2. tr.3. d.4. num.68. & 363. & 260. Bass. v. paupertas num.2. Layman. l.4. trac.5. c.7. num.4. Lezana p.p. cap.6. num.56. Coton. l.4. contr.6. cap.2. num.94 Donatus tom.3. trac. 15. q.12.* & communiter DD. est autem considerandum dupliciter consuetudinem accipi, vel scilicet vt est consuetudo facti, vel vt est consuetudo iuris. Primò modo non est aliud, quàm frequens vsus aliquid agendi, & de hac consuetudine loquitur *cap. p de constitut. in 6.* Secundo modo est ius quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex, vt docuit *Isid.* & habetur *cap. consuetudo, d.1.* & de hac consuetudine loquitur *cap. vlt. de consuetud.* In præsenti accipitur consuetudo in priori sensu, vnde nihil aliud importat nisi vsum præscriptum accipiendi, vel retinendi aut aliquo modo disponendi de bonis temporalibus, sine expressa licentia superioris.

110. Verùm vlteriùs considerandum, dupliciter posse introduci consuetudinem in materia paupertatis, scilicet primò, vt sit consuetudo accipiendi, vel disponendi de bonis temporalibus superiore inuito. Et hoc modo consuetudo neque legitimè introduci potest, neque excusat, vt multi DD. aduertunt. quos refert, & in hunc sensum explicat *Sanchez l.7. mor. cap.19. num.7.* ex directo enim repugnat paupertati religiosæ, quòd religiosus possit inuito superiore temporalia administrare. Secundo igitur modo consuetudo introduci potest, nō quidem vt contra voluntatem superioris, sed tamen sine superioris expressa licentia religiosi vtantur tēporalibus ad aliquem actum. Et hæc est illa consuetudo, quæ dicitur continere tacitam licentiam, ad talem temporalium vsum. Quia superiores hunc vsum administrationis alienius circa temporalia sine eorum expressa licentia videntes, & illum tolerant & actiones religiosorum ratas habent.

111 Tertiò etiam considerandum, quòd licet, vt bene aduertit *Suarez dicta l.8. c.11. num.7.* huiusmodi consuetudines in rebus magnæ quantitatis sint viæ ducentes ad maximam relaxationem religionum, nihilominùs etiam in religionibus in quibus maximè viget obseruantia huiusmodi consuetudines extare in rebus minoris momenti, & crebrò occurrentibus, vt considerauit *Lessius l.2. de iust. c.41. n.79.* Nam & superiori molestū nimis esset, & subditis nimis graue in minimis, quæ crebrò eueniunt superiores vexare pro licētijs huiusmodi obtinendis. Vnde non est dubium quòd in istis potest consuetudo legitimè introduci, & præscribi accipiendi, vel disponendi de temporalibus sine licentia expressa, & religiosos virtute huius consuetudinis & ex tacita licentia posse sine culpa aliqua tali consuetudine vti. Quod verum esse etiam respectu alicuius maioris quantitatis maximè respectu materiæ necessariæ ad vitæ sustentationem, & præcipuè ad actum aliquem nimirum ad actum recipiendi, vt in religionibus in quibus, vel non promititur tam stricta paupertas, vel non tam viget regularis obseruantia, negari non potest, & *Suarez* loco citato solùm aduertit non posse hanc consuetudinem extendi ad quamcumque quantitatem, quia aliter cederet in maximam relaxationem religionis. Hac igitur consuetudine legitimè præscripta respectu determinatæ materiæ, vel actionis, non est dubium, quòd continet licentiam tacitam sufficientem ad hoc, vt Religiosus sine aliqua culpa iuxta eam vtatur temporalibus. *Sanchez l.7. mor. cap.19. num.7. Fagund. l.7. in Decal. cap.5. numer.12. Bonac. de largit. man. p.6. num.15. Anton. à Spir. Sancto p.2. tr.3. num.365.*

112 Quantùm verò temporis requiratur ad inducendam huiusmodi consuetudinem. Respondetur DD. in hoc puncto non conuenire, alijs volentibus ad consuetudinem inducendam necessarium esse, & sufficere decennium, *vt Suarez l.7. de legibus. cap.4. num.9. Sà v. consuetudo num.3. Mascard. de probat. concl.424 a. num.24. Bonac. dispu.1. de legib. q.1. p. vlt. §.8. num. 31.* quia decennium est longum tempus. *l. vlt. C. de præscript. long. temp. §.1. Instit. de vsucap.* Alijs verò dicentibus non requiri tempus determinatum, sed hoc arbitrio prudentis esse determinandum. *Castro Palaus tom.3. d.11. p.2. §.2, num.3.* & apud eum *Menoch. Vasquez. Medi, Sotus, Less. Anton. à Spir. Sancto vbi sup. num. 365.* & alij: Sed in proposito nostro considerandum est, quòd vbi in monasterio superiores non sunt perpetui, sed durant ad tempus duorum, vel trium annorū, non statim, ac vnus superior relaxare incipit disciplinā, vel permittit induci aliquē vsum potest dici introducta consuetudo, simpliciter nisi, & sequentes superiores vsum approbent. Sed tamen non aliud est ex hac parte expectandum, nisi quòd vsus introductus sit superiori voluntarius, quia voluntas huius vsus, & eius approbatio facit, quòd subditus de licentia, & voluntate superioris faciat, quòd facit in vim talis vsus, in quo est voluntas superioris. Ideo & tempus, & frequentia actuum sufficiens ad hanc consuetudinem siue abusum iudicio prudentum committitur.

113 . Circa tamen hanc consuetudinem, si non

sit

sit legitima, sed sit abusus; considerandum est, an sit a superiore solùm permissa, an verò etiam sit approbata. Nam permissio vti non continet voluntarium simpliciter, Deus enim permittit peccatum, quod nullo modo vult. Ideo consuetudo etiam legitima si à superiore sit solùm permissa non continet voluntatem tacitam, quæ sufficiat in subdito ad hoc, vt vtatur rebus temporalibus sine licentia, *Suarez eo cap. 11. num. 7. & Sanchez eo cap. 19. num. 7.* Erit verò consuetudo permissa, & non approbata, si superior ad illam tollendam nitatur, & eam quantum sit ex se ipso reuocet. Nam in hac parte omnem consuetudinem etiam legitimam, & per quodcumque tempus præscriptam esse amouibilē ad solum nutum superioris certum esse debet, cum licentia vtendi rebus temporalibus non possit irreuocabiliter concedi, *Donatus tom. 3. tract. 15. qu. 12.* Sed si consuetudo est iam introducta, & superior sciens hoc tacet, & nec reuocat, nec saltem verbis declarat suæ intentionis esse, vt consuetudo non valeat, censebitur approbare, vt habet Donatus citatus, nisi aliunde constet eum, nec loqui posse, vimque sibi aliquam fieri, vt taceat. Cæterùm vbi consuetudo sit etiam abusus, si sit à superiore approbatus, licet superior peccet tolerando abusum, quòd excuset subditum à culpa contra votum paupertatis docet *Suarez citatus ex Nauar. comm. 3. de regul. num. 28. ad 3.* Et ratio est, quia subdito satis constat de voluntate superioris, dum viuit, & operatur iuxta consuetudinem ab eo approbatam.

114 Quæri tamen posset an hic abusus extendi possit, vt valeat respectu cuiuscumque materiæ, & præcipuè in ordine ad vsus illicitos, & turpes. Dicitur verò huius quæstionis resolutionem petendam esse ex infra dicendis de licentia superioris expressa ad vsus turpes, & superfluos. Nam quantùm ad præsentem materiam spectat, tantùm valet abusus à superiore approbatus, quantùm valeret eius licentia expressa, quia in tali abusu tacitè continetur expressa licentia. Nec valet dicere, Prælatum non posse huiusmodi abusus, & corruptelas tolerare, quia certè non potest id facere licitè, sed tamen si facit validè facit quantùm ad hoc, vt subditus ex tali licentia, seu approbatione excusetur à peccato proprietatis, quia Religiosus non vtitur rebus temporalibus ex suo arbitrio, dum hoc facit superiore approbante.

115 Aduertit etiam *Suarez*, non spectare ad subditum, videre an consuetudo præscripta sit abusus, vel non, siue an sit irrationabilis, vel non: sed vbi consuetudo non sit abusus manifestus, qui vel sit de re turpi, vel manifestè cedat in graue detrimentum, & relaxationem Religionis, potest ipse tali consuetudine vti. Si etiam ea vtantur omnes, & ipsi quoque Religiosi magis docti, & pij videntibus superioribus, & non repugnantibus, consuetudo præsumi potest rationabilis. Nam quod ab omnibus fit rectè fieri præsumitur, vt ait *Basil. de Leon in l. quibus, ff. de leg.* Quando etiam per antenatos fuit consuetudo introducta, non oportet posteros (inquit *Caiet. 1. 2. q. 97. num. 3.*) sollicitos esse, an licitè, vel illicitè introducta sit, quia sine dubio quā licitè inueniunt, obseruant. Quando tamen per legem talis consuetudo fuisset prohibita, tunc si consuetudo reuixisset, sed non esset certum, an legitimè, & rationabiliter, sed hoc esset dubium, præsumendum esset pro valore legis, quia consuetudinis certa reprobatio facta à lege vinci non potest ab honestate dubia, vt habet *Castro Palaus tr. 3. d. 3. p. 2. §. 1. num. 5. ex Sanchez, Suarez, & Salas.* Cæterum si consuetudo hæc non sit à lege reprobata, etiam si dubium sit, an sit honesta, vel non, cum ad subditos hoc cognoscere non pertineat, sed spectet ad superiorem, possunt subditi tuta conscientia illa vti, si de approbatione superioris constat. Nam honestas consuetudinis introductæ, & à superiore approbatæ, iusta præsumi potest. Consuetudo autem immemorabilis honesta est censenda.

116 Vbi tamen consuetudo sit abusus manifestus peccant, & superior approbans abusum, & Religiosi vtentes consuetudine. De superioribus res est certa, nedum si consuetudo sit turpis, & nedum si manifestè cedat in relaxationē Ordinis, sed etiā si hoc non est manifestum, sed dubium. Tenentur enim Ordinis obseruantiam promouere, & abusus tollere, vt habetur ex *Mirand. Manual. p. 1. quæst. 36. a. 10. & Rodriq. tom. 2. q. 72. a. 3. Donatus d. tr. 15. q. 12.* Quod verò ex *Petro Nau. l. 3. de restit. cap. 1. n. 180.* refertur, scilicet dum non inducitur reformatio expedire, vt superior stante monasterij necessitate ex peculio, quòd Religiosi habent in deposito, emat necessaria ad communem vsum, & resistentes subditos damnet, vt proprietarios simpliciter, non admittitur. Nam superiores ad id non teneri, quando id sine maximis perturbationibus, ac discordijs non potest practicari docet *Alphons. de Leon de offic. Confess. recoll. 11. num. 306.* Sed & in aliquibus religionibus superiores prohibiti sunt hoc facere, & *Suarez l. 8. cap. 14. num. 14. in fine* monet, non debere superiores applicare peculia Religiosis concessa ad alios fines, nisi prius prouideant sufficienter Religiosorū necessitatibus. Alias vero Prælati abusus toto conatu euertere debent, & prauas consuetudines abolere. Et nihilominùs superior Deum imitando debet prudenter attendere, quòd aliquando est melius pro loco, & tempore malum vsum permittere, vt maius euitetur.

117 Subditi verò peccant vtentes consuetudine, quæ est manifestus abusus, vt bene docet *Suarez dict. l. 8. cap. 11. num. 7. in fine.* Tum quia cooperantur graui detrimento Ordinis. Tum quia ex hoc inferunt vim quandam superiori, vt non possit, vel audeat abusum tollere. Hoc tamen non est per se coniunctum tali vsui, quia bene potest esse, quòd subditus praui abusu paratus sit non vti, si superior prohibeat, & hoc etiam posse esse manifestum superiori. Benè verum est, quòd ait *Suarez* ibi, quòd scilicet si vsus abusus in subdito vim faciat superiori, tunc consuetudinem permitti à superiore, non approbari, & ex consequenti consuetudinem non excusare à proprietate. Quod est maximè considerandum. Cæterùm vbi subditi vim non faciunt pro conseruandis abusibus, sed ex se parati sunt abusus dimittere, esto non peccent directè contra votum professionis, quia non agunt sine licentia, & voluntate superiorum, tamen interim consuetudo, quæ est manifestus abusus non liberat eos à peccato inobedientiæ contra legem, quia contra eas irrationabilis abusus non valet. Ideo non peccant solùm, quia fauent relaxationi, vel quia vim faciunt contra reformationem, si vel expressè, vel virtualiter, implicitè, & æquiualen-

rer vim illam inferunt, sed quia violant leges contra quas nihil valent abusus, & irrationabiles consuetudines; & si verè consuetudo non est à superioribus approbata, sed solùm permissa, illa nec habet vim licentiæ implicitè, & peccant directè contra votum professionis sine legitima licentia diuitijs vtentes.

118 Tertius modus licentiæ tacitæ consistit in taciturnitate superioris videntis subditum, vel accipere, vel retinere, vel alio modo, vti aliquo, & illum non prohibente. Circa quem modum primò distinguitur taciturnitas. *ex Nauar. Com. 3. de regul. num. 22. Suarez loc. cit. num. 8. Sanchez item dict. cap. 19. num. 12. Bassaeus v. paupertas num. 2. Donatus tom. 3. tr. 15. q. 22. num. 3. Peyr. de subd. q. 2. cap. 2. §. 3.* in taciturnitatem permissiuam, & approbatiuam. Nam pro certo habetur, taciturnitatem purè permissiuam non continere licentiam tacitam, sed illam excludere quantum fit ex parte sui, id enim quod permittitur est inuoluntarium ex parte permittentis, & solùm veluti coactè toleratur ob bonum publicum; Nam & Deus peccatum permittens illud non approbat. Vnde permissio non est concessio. Et ita hanc partem etiam docent *Mendoza in quodl. quæst. 8. concl. 7. Manuel q. reg. tom. 3. q. 29. a. 11. Nauar. d. num. 22. Sanchez d. num. 12. Suarez d. num. 8. Palaus tr. 16. disp. 3. p. 23. num. 7. Bass. Donatus, & Peyr. citati. Lezana p. p. c. 6. num. 56. Conton l. 4. controu. 6. cap. 3. num. 93.*

119 Quæ verò taciturnitas sit permissio & non approbatio, ex circumstantijs esse colligendum docet *Suarez. Sanchez* verò id deducit ex taciturnitate in materia furti, tunc enim videns aliquem furari, aliquid dicitur permittere, quando ex timore aut verecundia tacet, & impediret, si commodè posset, vt tradunt *Syluest. v. furtum q. 1. num. 2. Tabien. ibid. in princ. Armilla num. 3. Lopez p. p. c. 93. ad finem Rosella v. furtum, Angelus ibid. num. 8. Sayrus in claui regia*, vbi etiam aduertit ad hoc sufficere metum leuem, quod probat idem *Sanchez lib. 4. de mat. disp. 9. num. 4.* Ideo tunc etiam superior videns & tacens in materia paupertatis dicitur permittere, quando ex metu etiam leui, & verecundia tacet, vel ex alia consimili causa, vt quia superior vir pacificus est, ideo timet subditum virum austerum, inquietum, agrestem, rixosum, melancolicum.

120 Sed si taciturnitas sit approbatiua, continet licentiam implicitam, seu tacitam, & subditus contra votum paupertatis non agit ex tali licentia tacita operando, vt tradunt *Suarez num. 8. & Sanchez num. 12. Mendoza in quodl. q. 8. concl. 7. Manuel. qq. regul. t. 3. q. 29. a. 11. Lezana Bassaeus Donat. & Peyr. citat.* Quod verò *Nauar. Suarez, & Donat. Com. 2. de regul. num. 22.* distinguunt inter taciturnitatem iustam, vel iniustam dicentes taciturnitatem excusare, si sit ex causa iusta, non multùm iuuat ad rem hanc explicandam, in qua hoc debet attendi, an taciturnitas sit plenè voluntaria. Nam & taciturnitas, quæ sit ex causa iusta potest esse permissio inuoluntaria; sic enim & Deus ex causa iusta permittit peccatum. Aliàs verò quamplures existimant quòd licentia iniustè data sit valida, & excuset à proprietate, vt infra videbitur. Interim hoc tanquam verum est asserendum taciturnitatem hanc in superiore sæpius posse esse peccatum & ex inutili timore, vel inordinato amore sui, aut aliorum procedere, & non mirum si *Turrec. in dicta cap. non dicens a. 5.* asserat superiorem sic tacentem peccare mortaliter, & subditum esse proprietarium, quia licet hoc per se non sit verum, & taciturnitas ista possit honestis circumstantijs vestiri aliquando, tamen de se speciem mali habet, & præ se fert in subdito irreuerentiam, & in superiore spiritus debilitatem, & potest esse, quòd superior ex hoc peccet mortaliter, quod ex circumstantijs est iudicandum, vt *Suarez* docet. Subditus verò non statim ex taciturnitate colligere potest licentiam tacitam, quia taciturnitas potest esse sola permissio, non verò concessio. Et propterea cum ex DD. alij negent taciturnitatem continere licentiam tacitam, alij affirment, quos refert *Sanchez* loco citato, conciliantur duæ sententiæ istæ ex data distinctione, quia taciturnitas, si sit permissio, non continet tacitam licentiam, quam continet, si sit approbatio.

121 Sed quid dicendum si non constet, an superior tacens det, vel non det licentiam tacitam, sed neutrum ex circumstantijs possit colligi? Dicitur tunc non adesse licentiam tacitam, nec posse religiosum in eo casu accipere aliquod temporale, vel eo vti. Et ratio est quia in dubio possessio stat pro voto. Tum quia superior in dubio præsumitur inuitus. *l. qui vas. 49. ff. de furtis.* Constat igitur dari plures modos generales quibus licet vti licentia tacita sine necessitate petendi licentiam expressam, etiam quòd posset peti, & obtineri.

122 Sed difficultas est de licentia præsumpta, quam non sufficere vbi possit peti licentia expressa ad vitandam culpam multis posset probari, & præcipuè, quia futura voluntas non dat facultatem de præsenti, vnde futurus consensus Episcopi non dat de præsenti facultatem confitendi alieno sacerdoti; modò licentia præsumpta est futura voluntas, quæ nec est futura absolutè, sed præsumitur futura sub conditione. Item vbi requiritur dispensatio superioris, vel licentia de præsenti, inaniter consideratur quòd superior dispensaret, cum in præsenti non dispenset, & licentiam non concedat. Propterea aliqui putant hanc licentiam præsumptam non valere nisi reducatur ad tacitam, scilicet nisi præsumatur actu esse in superiore, vel formaliter, vel virtualiter. Sic enim *Sanchez dicto l. 7. mor. c. 10. n. 25.* putat requiri, probabiliter credi superiorem actu velle dare licentiam, quod & tradit *Lessius l. 2. de Iust. c. 41. num. 79.*

123 At econtra sufficere licentiam præsumptã docuerunt communiter DD. & quidem primò hoc tenent, qui dicunt religiosum aliquid donando esse proprietariũ nisi ponat spem in rathihabitione superioris. Et hi sunt *D. Th. 4. d. 15. q. 2. a. 5. q. 4. c. Rosella v. eleemosyna num. 1. Taled in summa vbi de peccat. mort. c. 28. in fine.* Idem tenent, qui asserunt non esse furti reum, qui accipit alienum si prudenter credit dominum petita licentia concessurum: Et hi sunt *D. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 15. Siluest. v. furtum q. 1. num. 1. Tabien. num. 1. Caiet. notab. 2. Armil. nu. 2. Rosella in princ. Angelus num. 7. Emanuel Sà. nu. 3. Sayro l. 9. c. 12. num. 2. Nauar. sum. cap. 17. num. 5. Les. l. 2. c. 12. dub. 8. num. 46. Mendoza quodl. 8. post 7. concl. Petrus de Ledesma 2. tom. trac. 8. c. 21. diffic. 7.* Et in proprijs terminis religiosorum hanc licentiam præsumptam sufficere docent *D. Thomas supra q. 32. a. 8. ad p. Suarez dicto l. 8. c. 11. num. 10. Nauar. Com. 2.*

de re-

de regul. num.20. Mendoza quod.8. post concl.7. & concl.8. Rebellus tract. de iust. p.1. l.3. q.5. sect.3. nu.22. Lessius l.1. c.41. dub.9. num.80. Rodriq. qq. regul. tom.3. q.29. a.10. concl. Palaus tr.16. disp.3. p.23. num.8. Donatus d. tr.15. q.14. Antonius à Spiritu Sanc. in Direc. p.2. tr.3. disp.4. num.342. Lezana p.p. cap.6. num.55. & 56. Coton. l.4. cont.6. cap.3. n.95. Reuerendiss. Fagnanus cap. monachi num.32. de statu monach. explicans locum *D. Th. supra q.32. a.8. ad p.* ait, quòd simplex monachus potest de rebus monasterij aliquid accipere, & dare in eleemosynam de licentia Abbatis, vel expressa, vel probabiliter præsumpta. Et ideo hæc sententia practicè secura est, quia habet rationem etiam solidam, & in iure fundatam.

124 Et quidem posset primò probari, quia hæc licentia præsumpta ad tacitam reducatur, vt voluit *Sanchez* supra citatus, & cum eo etiam Lessius, quia v.g. ex quo superior consueuit similem licentiam indifferenter concedere, concessio particularis facta vni habet ex paritate rationis, vt sit virtualiter vniuersalis. Sed *Suarez num.9.* existimat, quod hæc ratio nimis scrupulosa sit & incerta, & sæpe via excedet coniecturam de futuro. Sed nihilominùs hæc ratio potest adiuuari, quia & licentia præsumpta dici potest tacitè, & virtualiter contineri in dispositione aliqua superioris de præsenti saltem habitualiter existente, in qua positis circumstantijs facti licentia præsumpta continetur, & habet esse determinatum taliter, quòd dici possit illam moraliter actu esse cum religiosus ea vtitur. Et ita opinio negantium sufficere licentiam præsumptam, in re concidit cum opposita opinione affirmante talem licentiam sufficere. Secundò probari posset ex eo, quòd votum sit conditionatum hac conditione, & feratur super vsu facti sine licentia, ita tamen, vt sufficiat præsumpta; Nam hæc intentio colligi potest ex consuetudine, vnusquisque enim vouet paupertatem prout esse potest in vsu iuxta probatam doctrinam. Sed hæc ratio, inquit *Suarez* supponit consuetudinem & veritatem doctrinæ, cuius causam quærimus.

125 Et nihilominùs non est spernenda, sed bene explicata concludit; Nam sic fert natura voti paupertatis, vt licentia probabiliter præsumpta sufficiat ad excludendum vitium proprietatis. Religiosus enim etiam supposita abdicatione dominij adhuc habet ex natura ius ad vsum facti, vt patet in eo, qui per votum simplex vouet paupertatem in seculo extra communitatem, sed religiosus non se priuat hoc iure, quia eo se priuare non potest cum vsus facti sit simpliciter necessarius ad conseruationem vitæ, ad quam ex lege naturali tenetur, solùm religiosus ex voto subordinat illud voluntati superioris. Ex hoc verò ius vsus facti est simpliciter subordinatum voluntati superioris, quòd religiosus non potest vti aliquo nisi dependenter à beneplacito eiusdem superioris, & sub eius directione, quod præstat religiosus non vtens aliquo nisi de licentia superioris habita, vel præsumpta. Nam & voluntati illius, quis subditur, sine eius saltem præsumpta voluntate agere non potest. Ideo in religioso licentia superioris non est necessaria vt det ius ad vsum facti, quia hoc religiosus habet à natura, sed vt vsus non dicatur sacrilegus, seu proprietarius, & ex solo proprio iudicio & voluntate seu libertate religiosi vtentis proueniens, ad hoc autem sufficit, quòd religiosus ad vsum non deueniat nisi ex voluntate superioris præsumpta.

126 Sed tres insurgunt difficultates, vna est quia superiores ægrè ferunt subditos ea sola præsumpta licentia accipere aliquid, vel retinere; quod est signum, eos non consentire, ad hoc quòd religiosus ex ea operetur. Secūdò quia est contra regulam hac præsumpta licentia vti; vnde hoc fieri non potest sine culpa. Tertia difficultas est, quia si ad licentiam præsumptam sufficiat licentia conditionaliter præsumpta ex eo, quòd si licentia peteretur, eam Prælatus concederet, iam obseruantia voti paupertatis esset de solo titulo, & nunquam esset necessarium petere licentiam saltem ad vitandum peccatum mortale. Nam qui petit, vel credit se obtenturum licentiam, vel non credit; si credit, iam ergo absque eo quòd licentiam petat, potest vti re temporali. Stultè autem petit & imprudenter, quod non credit se obtenturum. Item vel quod petitur est rationabile, vel non; si est rationabile, iam ergo sperari potest, quòd vel immediatus superior, vel aliquis mediatus petitum concedet, si petitum fuerit; sed si non est rationabile, verè potest præsumi, quòd superior non sit id concessurus.

127 Ad primam verò respondent, *Suarez, Sanchez, Rodriquez, Mendoza, Nauar. Less. Rebellus Palaus* locis citatis, si religiosus probabiliter timeat quòd superiori displiceat eum agere & vti aliquo quantum ad substantiam vsus & actionis, quod in hoc casu non potest eo vti; quia verè neque in hoc casu est præsumpta licentia, cum superior non consentiat in actionem. Sed si religiosus solùm timeat actionem suam non placituram superiori ratione modi clandestini, solùm venialiter peccat vtendo aliquo temporali ex præsumpta licentia. Sic enim & de furto docent *Caiet. Armil. Nauar. Mendoza, Emanuel Sa, Les. & Ledesma sup. citati.* Ideo *Palaus vbi sup. num.9.* bene docet, quòd in vsu huius licentiæ præsumptæ ferè semper committitur peccatum veniale, quia superiores talem vsum ægrè ferunt. Ad secundam respondet *Suarez dicto nu.10.* se non excusare religiosum in hoc casu ab inobedientia, & si in regula adsit præceptum obedientiæ vetans religiosum in materia paupertatis agere ex præsumpta licentia, talem non excusari a culpa graui. Sed an in hoc casu peccet contra votum paupertatis? affirmat *Sanchez dicto cap.19. num.4.* in fine, & apud eum *Lopez 1.p.c.156. & l.2. de contract. c.40. & Rodriq. in sum. c.31. Donatus d.q.14. num.2. Lezana d. num.56. &* quia vbi sit præceptum graue prohibens agere ex præsumpta licentia, non potest præsumi superiorem approbare talem actionem. Sed respondet *Suarez* cui consentit *Ant. à Spir. Sancto in Direc. p.2. tr.3. disp.4. num.342.* talem peccare peccato inobedientiæ non verò contra votum paupertatis; quia ex præcepto colligitur quidem, quòd in superiore non sit voluntas, sed potiùs sit displicentia respectu modi clandestini, non verò respectu substantiæ actionis, quæ aliàs potest esse licita & valde iusta, ideo etiam stāte præcepto potest præsumi voluntas superioris circa substantiam actionis, quod sufficit ab excusandum religiosum à culpa graui contra votum paupertatis, licet non sufficiat ad excusandum à culpa graui inobedientiæ, si in regula adsit præceptum obligans sub mortali ad non agendum in materia paupertatis ea licentia

præſumpta. Sed quia non in omni religione adeſt expreſſum ſtatutum prohibens hunc vſum alicuius temporalis ex præſumpta licentia, ideo ſequitur, quòd in talibus religionibus, & abſolutè præſcindendo à lege aut præcepto prohibente conſimilem vſum, nulla ſit culpa nec mortalis nec venialis vti aliquo, cum rationabiliter præſumitur, quòd factum non diſplicet Prælato nec quantùm ad ſubſtantiam, nec quantùm ad modum, erit verò peccatum veniale ſi præſumitur quòd factum non diſplicebit quantùm ad ſubſtantiam, licet non placeat quantùm ad modum. Sed harum opinionum vtraque aliqualiter verum continet, quamuis ſecunda melius ſentiat, quia vel vſus rei temporalis in Religioſo eſt cum vſurpatione dominij, quantum ſit ex parte vtentis, quia intendit vti re vt ſua. Et hoc eſt directè contra votum paupertatis, & ad hoc nihil iuuat licentia quælibet, quia contra votum indiſpenſabiliter eſt, quòd Religioſus adminiſtret vt dominus, & vtatur re vt ſua, Vel Religioſus nullo ex parte ſui vſurpato dominio ſolùm ſibi vſurpat vſum facti ſine licentia ſuperioris, & in hoc caſu, cum hic actus ex ſuo genere ſit inobedientia, ſimul & proprietas, ſi eſt contra votum obedientiæ ſimul eſt contra votum paupertatis eo modo quo tali vſui competit, vt ſit proprietas, nec eſt contra vnum, quin ſit contra aliud votum; & in hoc prior opinio bene loquitur. Nam & talis vſus ſine licentia eſt directè contra votum paupertatis, vt ſupra probatum eſt numer. 87. Et tamen cum ſecunda opinione hoc aſſirmandum eſt, quòd poteſt dari caſus, in quo præſumi poſſit, quòd ſuperior, qui in lege præfata poteſt diſpenſare ſit contentus, quòd Religioſus agat ex præſumpta licentia, in quo caſu Religioſus non peccabit ſaltem mortaliter ſi rationabiliter præſumat ſuperiorem non eſſe inuitum quantùm ad ſubſtantiam actionis. Quamuis difficile ſit quòd extra caſum neceſſitatis poſſit dari hæc rationabilis præſumptio, vbi lex ſub præcepto expreſsè prohibet vſum licentiæ præſumptæ. Sed tamen data rationabili præſumptione præfata, factum ex tali licentia nec erit inobedientia, nec proprietas, vel ſaltem non erit graue peccatum. Nullum enim erit peccatum, ſi ſuperior nullo modo præſumatur inuitus. Erit peccatum veniale ſi ſit inuitus quantùm ad modum. Sed ſi fingamus, quòd ſuperior non poſſit in dicta lege diſpenſare, & nihilominùs quòd religioſus poſſit præſumere, quòd idem ſuperior non erit inuitus, quantùm ad ſubſtantiam vſus rei temporalis, etiam ſi ſubditus ſit peccaturus contra legem, talis caſus eſt valde metaphyſicus; eo tamen dato, tunc vſus ille non eſſet, & eſſet contra votum obedientiæ. Non eſſet contra votum vt directè ex eo & independenter à lege ſuperaddita eſt neceſſitas non vtendi re temporali inuito ſuperiore, ſed eſſet contra votum prout neceſſitat ad legem ſuperioris ſeruandam, quæ obligat ſub præcepto. Et ſic ſemper talis vſus eſſet vno, vel altero modo proprietarius, & in facie Eccleſiæ reſpectiuè vni vel alteri pœnæ ſubiectus.

128 Ad tertiam difficultatem reſpondetur ex doctrina *D. Th. in 4. d. 15. q. 2. a. 5. q. 4.* quòd conditio neceſſaria ad licentiam præſumptam non eſt conceſſio licentiæ, ſi peteretur, ſed eſt ratihabitio actionis habitæ ſine licentia, nimirùm quia ſuperior nedum licentiam illius vſus rei temporalis conceſſiſſet, ſi fuiſſet petita, ſed quòd vlterius ratum haberet illum vſum, ſine licentia habitum, ſi illum ſciret. Ideò debet in ſuperiore de præſenti præſumi talis ad voluntas, & diſpoſitio quòd nedum concederet licentiam ſi peteretur, ſed quod ſaltem quantùm ad ſubſtantiam non ſit inuitus, quòd Religioſus ex præſumpta licentia operatur. Dupliciter enim Prælato diſplicere poteſt vſus præſumptæ licentiæ, vel ſcilicet præcisè, quia ſibi diſpliceat modus agendi, ſed ratum habeat quantùm ad ſubſtantiam, quod fuit factum; vel quia ſic ſibi talis modus agendi diſpliceat, quòd ſuum ius ſibi retinere velit ſuper facti ſubſtantia & illam non habere ratam, & validam. Ad hoc vt Religioſus ſine proprietate poſſit vti temporalibus nō ſufficit præſumptio conditionalis licentiæ, ſed requiritur præſumptio ſaltem conditionata ratihabitionis facti, & quòd de præſenti ſuperior non ſit inuitus quantùm ad ſubſtantiam facti, ita quod ſi ſciret factum Religioſi, licet ſibi diſpliceret modus, non tamen ſibi diſpliceret ſubſtantia facti, ſed factū ratum haberet, vt tradunt *Card. de Lugo diſp. 3. de iuſt. ſect. 7. num. 125. & Antonius Colonius lib. 4. contr. 6. cap. 5. num. 95.*

129 Putat verò idem *Col. ibid. num. 97.* non ſufficere in hoc caſu, quòd ſuperior ſe habeat negatiuè non reprobando factum, ſed neceſſe eſſe vt per voluntatem poſitiuam illud approbet. Quia licentia requiritur tanquam forma ad legitimandum actum aliter non factibilem; ergo non ſufficit Prælatum non eſſe inuitum, ſed requiritur eius poſitiua voluntas per quam actus approbetur. Sed *Card. de Lugo num. 117.* vult ſufficere, quòd *Prælatus* non ſit inuitus, quia ad ſaluandum quòd Religioſus non ſit proprietarius, ſufficit hæc dependentia à voluntate ſuperioris, vt nihil fiat eo inuito. Et quidem per ſe loquendo hoc ſufficit, quoniam Religioſus, vt dicebatur non indiget voluntate Prælati vt habeat ius ad vſum facti, quia hoc habet à natura inamiſſibiliter. Ex voto verò reſtrictum eſt hoc ius, vt non habeatur niſi dependenter a voluntate ſuperioris, quod fit, dum ſuperior non eſt inuitus. Verùm conſiderandum eſt, quòd ad hoc vt Religioſus non ſit proprietarius non ſufficit in ſuperiore voluntarium permiſſiuum, quia hoc eſt ſimpliciter inuoluntarium reſpectu rei permiſſæ. Non igitur ſufficit, quòd in ſuperiore præſumi poſſit voluntas permiſſiua actus ex licentia præſumpta habiti. Voluntarium verò negatiuum in præſenti potiùs videtur eſſe permiſſiuum, quàm approbatiuum, & ideo non videtur ſufficere. Sed dicitur quod non reprobare actum abſolutè ſpectata eius ſubſtantia moraliter eſt illud approbare. Hic enim attendi debet actus ſpecificatio ſecundùm quam non reprobare actum eſt illum non habere pro malo; & quia in indiuiduo non datur actus indifferens, qui nec ſit bonus, nec malus, ideo vbi eſt ſermo de actu in indiuiduo, illum ſpecificatiuè non reprobare, eſt illum moraliter approbare, quia eſt habere actum pro non malo, igitur eſt habere actum pro bono, quia in indiuiduo actus non eſt non malus, niſi quia ſit bonus. Et ita in idem coincidunt in præſenti voluntarium negatiuum, & poſitiuum, & voluntarium negatiuum eſt virtualiter, vel æquiualenter poſitiuū, quod ſufficit etiam de mente *Colon.*

130 Re-

130 Remanet modo videndum qualis debeat esse hæc præsumptio, an scilicet certa; an verò solùm probabilis sufficiat. Nam *Petrus de Ledesma 2. tom. tr. 8. c. 21. diffic. 7. & Mol. tom. 2. de iust. disp. 176.* paulò ante finem *& Coton. lib. 4. contr. 6. cap. 2. n. 100.* existimant necessariam esse certitudinem moralem, & idem sentire videtur *Rodriq. tom. 3. qq. reg. q. 29. a. 10. concl. 7.* At econtra sufficere probabilem præsumptionem existimant *Nauar. Comm. 2. de regul. num. 20. D. Anton. 2. p. tit. 1. c. 15. Siluester v. furtum num. 1. Rosella ibid. in init. Angelus num. 7. Lopez p. p. cap. 93.* versus finem, *Mendoza quod. 8. concl. 8. Aragon. 2 2 quæst. 66. a. 5. Sayrus l. 9. c. 12. nu. 2. Rodriquez tom. 2. sum c. 147. num. 3. Less. l. 3. c. 41. dub. 9. num. 80. & cap. 12. dub. 8. num. 49. Illustriss. Fagnanus loc. sup. citat. Sanchez l. 7. mor. c. 19. nu. 13. Suarez dicto cap. 11. Castro Palaus tract. 16. d 3. p. 13. nu. 56. Anton. à Spir. Santo vbi sup. num. 345. Lezana p. p. cap. 6. num. 55. & 56.* Et ratio est quia in moralibus, probabilis cognitio habetur pro certa, nec ad maiorem obligamur. Hæc igitur præsumptio non debet esse improbabilis, temeraria, aut dubia; sed sufficit quòd sit probabilis. Itaque si in materiâ iustitiæ, quæ est magis rigorosa sufficit ad furti culpam vitandam, si accipiens alienum id faciat ex probabiliter præsumpto consensu domini, vt clarè colligitur ex lege, *inter omnes, 47. §. rectè, ff. de furtis* ibi. *Rectè dictum est, qui putauit se domini voluntatē rem attingere, non esse furem. Quid enim dolo fecit, qui putat dominum consensurum fuisse? Siue falsò id, siue verò putes &c.* Et ibi glossa plura iura ad rem pertinentia citat. Multò magis hæc probabilis præsumpta superioris licentia valebit in materia religionis minùs rigorosa, & in qua religiosus se ex propria voluntate subdidit superiori, non vt domino; sed vt magistro, & directori? Sufficit igitur ad culpam proprietatis vitandam, quòd religiosus præsumat superiorem concessurum fuisse licentiam, si illam petijsset, & non ægrè laturum quòd ex hac præsumpta licentia agat, quamuis stante displicentia de solo modo clandestino agendi religiosus non mortaliter sed venialiter peccaret, vt dictum est.

131 Hanc tamen probabilem præsumptionem non sufficere pro distrahendis grauibus & notabilis valoris rebus communibus monasterij, & præcipuè spectantibus ad Dei cultum dixit *Donat. d. q. 14. n. 2.* Sed hoc verū esse potest, quia rationabiliter non potest in dictis casibus præsumi licentia superioris, nō quia licentia præsumpta non sufficiat. Hunc tamen modum agendi ex præsumpta licētia nōn excusare in foro externo addit *Donatus*, ne isti præsumptiuè proprietarij remaneant impuniti. Et quidem verissimum est, quòd, Prælati vt adnotauit *Caramuel. num. 896. & 897.* non debent esse sic subtiles, in admittendis excusationibus istis metaphysicis, sed debent subditos ex præsumpta licentia vtentes diuitijs seuerissimè punire: Quia factum externum est malum, & interna intentio non videtur, & si huiusmodi excusatio admitteretur, nullus esset in mundo damnandus vt fur. Nam & ampliùs nequit negari, quòd tolerantia vsus huiusmodi licentiæ præsumptæ non sit causa efficacissima relaxationis Religionum.

SVMMARIVM.

1 *Licentia iniusta multipliciter. num. 135.*
2 *Licentia vi, vel fraude obtenta est nulla. nu. 133.*
3 *Licentia obtenta precibus importunis nulla. numer. 134.*
4 *Hæc non sunt vera, vbi metus est dispositio ad concedendum. num. 135.*
5 *Licentia vnde præsumatur coacta. num. 136.*
6 *Licentia subreptitia nulla. nu. 137.*
7 *Occultatio qualiter causet subreptionem. numer. 137.*
8 *Subreptio habet locum etiam circa licentiam tacitam. num. 138.*
9 *Occultatio facta ad faciliùs impetrandum, an sit semper peccatum. num. 139.*
10 *Non semper taciturnitas eius, quo cognito licentia non daretur, reddit licentiam nullam. nu. 140.*
11 *Taciturnitas quantitatis, aut licentiæ ab vno superiore negatæ quando vitiet licentiam. numer. 141.*
12 *Taciturnitas eius, quod ex lege debet exprimi parit subreptionem. num. 141.*
13 *Taciturnitas eius quo exposito non adest causa iusta dandi licentiam parit subreptionem. numer. 141.*
14 *An licentia iniusta excuset à vitio proprietatis, variæ opiniones. num. 142. & 143.*
15 *Religiosi ex voto non se obligant ad qualitatem licentiæ. num. 144. & 145.*
16 *Superior dans licentiam ad illicitos vsus multipliciter peccat. num. 146.*
17 *Subditus vtens licentia ad illicita multipliciter peccat. num. 147.*
18 *Licentia inferioris non liberat à culpa contra legem Canonicam, vel Regulam in qua non potest dispensare. num. 148.*
19 *Qualiter ex iniusta licentia, vtentes bonis subdantur pœnis. num. 149.*
20 *Nec in omni vsu monasterium est inuitum, & vbi sit inuitum vsus est iniustus, quia est vsus rei inuito domino, sed non proprietarius. num. 150.*
21 *Ex quo superior sit prohibitus dare licentiam sequitur, quod vsus licentia sit malus, non verò quod sit proprietarius. num. 151.*
22 *Vbi inferior illicitam dat licentiam superior Prælatus respectu eius vsus non est nec voluntarius, nec inuitus. num. num. 152.*
23 *Subditus non tenetur attendere, an licentiam habitam ab immediato superiore ratam habeat superior. num. 152.*
24 *Dare licentiam vtendi rebus temporalibus non est dispensare. num. 153.*
25 *Licentia data ad id, quod est contra legem, non valet ad vitandam transgressionem legis, sed bene ad vitandam proprietatem. num. 154.*
26 *Lex prohibens non irritat, nisi id exprimat. numer. 155.*
27 *Licentia data ad vsum alteri damnosum non excusat ab iniustitia, sed à proprietate. num. 156.*
28 *Licentia data ad vsum contrarium virtuti non excusat à peccato contra virtutem, sed à proprietate. num. 157.*
29 *In hoc non est differentia inter recipere, & alienare. num. 157.*

30 *Licentia ad superflua excludit proprietatem. numer.158.*

31 *Superfluum directè, & per se non opponitur paupertati. num. 158.*

32 *Habere superfluum per se est illicitum. nu.159.*

33 *Habere superfluum est consecutiuè contra votum professionis. num.159.*

34 *Ex Concil.Trid. non habetur quòd vsus superfluus sit directè proprietas. nu.159.*

35 *Ex Concil.Trid. licentia data à Prælato ad superfluum vsum non est irrita. num.160.*

36 *Religiosus tenens superfluum peccat contra legem Conc.Trid. num.160.*

37 *Nec licentia eum excusat ab hoc peccato. nu.160.*

38 *Hoc peccatum quomodo est proprietas. nu.160.*

39 *An liceat dare licentiam generalem, quæ se extendat ad illicita. num.161.*

40 *Licitè potest dari licentia ad aliquod generale, licet subditus possit ea abuti ex malitia vtendo ad vsus illicitos. num.162.*

41 *Pluribus exemplis, & ratione hoc probatur. numer. num.162.*

42 *Per se ex obiecto non est illicitum concedere Religiosis licentias generales, & ex iusta causa concedi possunt. num.163, 164. & 165.*

43 *An licentia generalis se extendat ad vsus illicitos. num.166. & 167.*

44 *Non se extendi probatur. num.168.*

45 *Vbi vsus extrinsecè accidentaliter est illicitus, sed secundùm substantiam est honestus ad eum se extendit licentia generalis. 169.*

46 *Veniale peccatum est, si habens licentiam generalem ad vsum secundum substantiam conuenientem, & solum venialiter malum, ea vtitur. num.170.*

47 *Licentia data ad vsum contra legem non obligantem ad mortale, quomodo non sit mortaliter iniqua declaratur. num.171.*

An sufficiat iniusta licentia.

INSPECTIO SEXTA.

132 SVperioris licentia in materia paupertatis tripliciter dici potest iniusta, scilicet ex parte petentis, quia vi, vel fraude, aut dolo extorta, ex parte materiæ, quia sit illicita, & mala, & ex parte causæ illam concedendi, quia non sit rationabilis, & iusta.

133 Si ergo loquamur de licentia iniusta ex parte petentis, quia ex vi, aut fraude, & dolo extorta, cum non sit voluntaria certum est eam non sufficere. Et hanc licentiam debere esse voluntariam, absque vllo metu, coactione, dolo, vel fraude extorta dixit *Palaus tr.16. disp.3. p.23. num.1. Card. de Lugo disp.3. sect.7. numer.129.* Et quidem loquendo de ea, quæ vi obtinetur, ad inualiditatem huius licentiæ sufficere metum leuem, tradit *Sanchez moral. lib.7. citato cap.19. num.17.* Ideo illa censetur licentia coacta, quam superior concedit, quia timet subditū, qui vbi sibi negetur quod petit, murmurat, & magnas fundit querelas tanquam à superiore iniuria afficiatur, vt tradunt *Carolus lib.1. de profess. monast. a.11. Corduba in sum. q.64. Nauar. l.3. de restit. c.1. dub.1. num.104. Rodriquez tom.3. qq. regul. q.28. a.10. Coroll.2. Less. l.2. de iust. c.4. d.5. n.25. Sanchez loco citato numero 18. Bonac. de larg. man. p.6. num.25. Donatus tom.3. tract.15. q.13. Lezana p.p.6. 6 num.56. Bassaus v. paupertas.*

134 An verò sit licentia coacta, quæ impetratur precibus importunis affirmat *Lezana d. num.56. Bassaus v. paupertas num.2. Coron. lib.4. contr. cap.3. nu.92.* Sed distinguendum est; nam vel preces importunæ efficiunt mixtum inuoluntarium, quia superior vt importunitatem repellat concedit licentiam aliàs non concessurus, & hoc modo licentia concessa est coacta, nec sufficit, quia non est licentia, sed violentia. Vel superior importunè rogatus libentissimè concedit licentiam, & tum licentia non est coacta. Ita *Sanchez loco citato num.16. & l.4. de matrim. disp.10. num.4.*

135 Crederem autem in his casibus distingui posse, & debere, quia preces importunæ, & timor in superiore dupliciter se habere possunt, vel scilicet, vt sint dispositiones ad mouendam voluntatem, vel vt sint vera causa mouens; quia Prælatus ideo licentiam concedit, vt se eximat, vel ab importunitate, vel à grauibus quærelis, & murmurationibus subditi, vel etiam à maiori damno. Nam vbi timor sit propria, & adæquata causa concedendi licentiam, illa licentia est coacta, & inualida. Sed vbi timor sit sola dispositio reddens voluntatem superioris magis flexibilem ad concedendam licentiam, licentia concessa non est coacta, quia timor non fuit causa illam concedendi, sed solùm adiuuit, & facilitauit, vt superior liberè, & voluntariè illam concederet, & de facto superior illam liberè concedit, sic enim & in ordine ad Deum contingit, quòd ex timore, vt ex dispositione oritur sancta, & perfecta, & libertima Dei charitas.

136 Quomodo verò cognoscatur, an superior verè sit coactus, & ex timore, vel molestia coactè concedat, id ex circumstantijs est colligendum, & nisi subditus saltem probabiliter putet superiorem non coactè, sed liberè concedere licentiam; non potest ea vti, & vbi metus sit leuis, vel leuis importunitas, aut molestia, facilius præsumi potest, quòd licentia non sit coacta. Aliàs verò vbi superior pluries licentiam negauit, vel licentiam similem non est solitus concedere in simili casu, vel quod magis est eam concedere non conuenit, aliàs verò subditus illam impetrat, vel precibus importunis, vel ex mala sui conditione, quia est inquietus, audax, vindictæ appetens, & contra superiores obloquens, vnde est timendus, licentia potiùs debet præsumi coacta, quàm voluntaria, nisi aliud ex circumstantijs appareat. Et debet vlteriùs considerari, quòd in vsu rerum monasterij superior non debet esse inuitus, nec vt superior, nec vt administrator bonorum Conuentus.

137 Licentia etiam nedum fraude, aut dolo, sed subrepticiè obtenta, quia vel expositum falsum, vel aliquid occultatum, quo manifestato superior licentiam non concessisset, non sufficere dicitur in materia paupertatis. Cum autem inter DD. quæstio sit an subreptio locum habeat nedum quando tacetur aliquid, quo expresso superior nullo modo concederet licentiam, sed etiam in casu quo illam difficiliùs concederet; in materia paupertatis solum priori modo intrat subreptio,

scili-

scilicet si vel assignatur falsa causa, vel tacetur aliquid quo vel non assignato, vel quo expresso superior nullo modo petitam licentiam concessisset. Non verò est subreptio si vel falsum admisceatur quo faciliùs concedat, vel verùm taceatur quo expresso difficiliùs concessisset, vt tradunt *Suarez loc. cit. num. 14. Palaus d. p. 23. num. 13. Anton. à Spir. Sancto Direct. p. 2. tract. 3. disp. 4. num. 346.* Et ratio est, quia hoc non pertinet ad substantiam concessionis sed ad modum, & sic concessio est simpliciter voluntaria, licet quantum ad modum sit inuoluntaria secundùm quid. Sed circa huiusmodi obreptionem, & subreptionem distinguendum est. Quia vbi falsum narratur, hoc habet quendam fraudulentiæ modum, & quidem si falsitas narrata est, quæ iustificat licentiam, quæ veritate cognita iustè concedi non posset, sine dubio licentia censenda est inuoluntaria, nisi aliunde constet, quòd superior sit adeo malus, quod etiam sine iusta causa licentiam concessisset. Sed si vero narrato adhuc licentia iustè concedi potuisset, si nihilominus falsitas adiuncta fuit vera, & sola causa motiua ad concedendam licentiam, quam superior non concessisset, si veritas sibi innotuisset, tunc etiam licentia est nulla, & circumuenitur superior, nec licentia ex falsa causa proueniens voluntaria est iudicanda. Sed in taciturnitate alia est ratio. Et quidem primò aduertit *Card. de Lugo disp. 3. sec. 7. num. 129. & Henriquez l. 2. de matrim. c. 3. §. 7.* quòd taciturnitas non causat subreptionem, nisi simul saltem implicitè significetur oppositum eius esse, quod occultatur, & sic nisi taciturnitas sit falsitas. Sed meliùs dicitur, quòd est considerandum omnino, an veritate plenè manifestata licentia iustè dari posset, vel non posset. Nam si dari non posset, id quod tacetur est omnino substantiale, & ex lege est manifestandum, & ideo hæc taciturnitas per se inducit subreptionem, quia immò circumuenitur superior, & per se non potest præsumi, quòd voluntariè concesserit id, quod iustè & sine peccato non poterat concedere. Ideo hoc maximè est attendendum, vt nihil taceatur, quod ad iustitiam licentiæ est exprimendum, & quod tale est, vt eo scito, licentia non possit rationabiliter, & iustè concedi. Sed vbi quod tacetur non facit ad iustitiam licentiæ, quæ eo etiam manifestato iustè concederetur à superiore, & sine peccato; tunc seruanda est regula supra tradita *q. 185. a. 7. num. 610.* vt exprimatur id quod ex lege, vel consuetudine debet exprimi. Quo expresso, non est vnde petens consideret an superior re manifestata concessurus esset, licentiam, vel negaturus, sed præsumere potest quod si superior ampliùs scire voluisset, quàm sibi fuit expositum, id petijsset. Nam aliàs si valeret regula, quòd taciturnitas tunc redderet gratiam subreptitiam, cum veritate exposita concedens non concessisset, innumerabiles eleemosynæ essent subreptitiæ, & quàm plures Prælati, aut beneficiati, essent intrusi. Ideo regula illa fallax est, & id quod maximè attendi debet est, vt narretur totum id, quod facit ad iustitiam gratiæ, quia hoc totum est substantiale, & pariter quod narretur totum id, quod ex lege, & praxi est narrandum, sed quæ extrinseca sunt, non est necesse, vt exprimantur. Ideo nec regula data supra à Card. de Lugo est vniuersaliter vera, quia vbi quòd tacetur ex lege est manifestandam; etiam si petens gratiam ex parte sua nullo modo significet oppositum eius esse, quod tacetur, gratia est subreptitia, quia tacitum fuit quod erat de substantia, vt manifestaretur. Sed econtra etiam si dicatur falsum, si hoc non facit ad iustitiam gratiæ, & non sit causa adequatè motiua ad concessionem gratiæ, gratiam non vitiat.

138. Bene tamen monet idem *Suarez*, quòd circa licentiam tacitam aut præsumptam potest habere locum subreptio reddens nullam licentiam. Quia v. g. si superior localis videns subditum non petita licentia aliquid accipere, & tacet, quia putat illum habere licentiam a Prouinciali, talis taciturnitas non continet licentiam tacitam, & subditus huius habens notitiam, non est securus ex illa taciturnitate, etenim ex ea non habet validam licentiam.

139. Sed nunquid subditus peccat saltem venialiter, vtendo aliqua occultatione ad faciliùs impetrandum licẽtiam? Certè si mentitur peccat peccato mendacij, sed si solùm verum occultat, vt non reddat sibi difficiliorem licentiam rationabilem, quam desiderat, non video ea qua causa adsit culpa etiam venialis. Non enim tenemur omne verum dicere, nec reddere difficiliores gratias a superiore obtinendas, nec fit iniuria superiori si alias verum exponitur, quantum sufficit ad hoc, vt licentia ab eo iustè obtineatur.

140. Vnum aliud circa hanc licentiam subreptitie obtentam considerari debet, quod aliqui ex doctrina *Melisa tom. 2. d. 209.* asserunt quòd subreptio etiam quando superior non concederet licẽtiam, si sciret causam narratam non subsistere, non semper reddit gratiam nullam. Nam si superior concedens gratiam sit in tali dispositione, quòd si sciret causam non subsistere nedum non concessisset gratiam, sed voluisset, & vellet esse nullam, tunc subreptio gratiam nullam reddit. Sed si superior sit in dispositione, quòd si sciret causam non subsistere gratiam non concederet, sed tamen non per hoc vellet collationem esse nullam, & in hoc casu non semper subreptio reddit gratiam nullam. Ideo si consideratis circumstantijs subditus probabiliter præsumit superiorem si sciret causam petitæ gratiæ, licet non concessisset, tamen contentum esse, vt gratia concessa valeat, in tali casu gratia, seu licentia concessa est valida saltem ad vitandum mortale peccatum. In dubio tamen pro voto paupertatis est præsumendum, & licentia habenda, vt non valida.

141. Sed numquid erit subreptitia licentia, si subditus à diuersis superioribus petat, & obtineat licentiam accipiendi, vel retinendi summam grandem pecuniæ, & longe maiorem ea, quam ex singulorum licentia accepturus esset? Non esse subreptionem, sed valere dixit *Anton. à Spir. Sancto, vbi sup. num. 348.* Quia subditus vtitur iure suo postulando licentiam ab eo, qui eam potest concedere. Et *num. 349.* addit subditum cui à superiore immediatò negata est aliqua licentia, posse eandem petere, & impetrare à superiore mediato nulla facta mentione, quòd sibi fuerit negata; quia hic non est dolus in substantia. Etiam si aliàs esset lex, vt non peteretur licentia in hoc casu, nam facta mentione eam semel negatæ licentiæ, quia tunc licet esset inobediens, tamen licentia obtineretur validè.

dè. Sed primò hoc vltimum absolutè non potest admitti, quia vbi ad hoc vt licentia validè obtineatur ex lege vel praxi, necesse est aliquid exprimere, illius taciturnitas inducit subreptionem, vt fert communis sententia. Deinde si habere tantam summam pecuniæ, vel rei esset lege aliqua prohibitum, subreptitia esset obtenta licentia tacita illa summa, quia superior dando licentiam simplicem non intendit dispensare in lege, etiam si id facere posset. Nec censetur dispensare in lege, nisi id exprimet, vel scienter concedat id, quòd sine dispensatione fieri non potest. Deinde cum licentia petit iustam causam ad hoc, vt concedatur, bene potest contingere fraus in dictis casibus, nisi aliàs taliter exponatur factum, quòd superior ex iusta causa licentiam dare possit. Nam bene potest contingere, vt malum sit subdito tantam summam concedi; & ideo non expressa summa licentia erit inuoluntaria, & nulla; ideo non bene dicitur quòd taciturnitas, vel quantitatis rei cuius vsus quæritur, vel casus negatæ licentiæ non sit de ijs, quæ sunt de substantia, vt significentur superiori, quia vbi huiusmodi habent adiunctam aliquam indecentiam, qua significata Prælatus non posset legitimè licentiam concedere, quia vel lex obstat, vel non adest iusta causa id concedendi, sed bene ex iusta causa id esset negandum, & Prælatus id negaret huiusmodi taciturnitas est de substantia, & inducit subreptionem. Apud Cistercienses autem extare legem, vt negatum ab inferiori non petatur à superiori, nisi negatione inferioris expressa tradit *Caramuel in Theol. Regul. disp. 54. num. 963.*

142 Loquendo autem de licentia iniusta, vel ex parte materiæ, vel ex parte causæ, *Nauar. Comment. 2. de regular. num. 21. Molina tom. 2. disp. 276. Ledesma de stat. pag. 52. Sanchez l. 7. mor. c. 19. nu. 21. Palaus tr. 16. disp. 3. p. 23. num. 4. Bassaus v. paupertas. num. 11. Layman. l. 4. tr. 5. cap. 7. num. 14. Donat. t. 3. tr. 15. q. 16.* censent non valere in materia voti paupertatis, & religiosum tali licētia vtentem esse proprietarium. *Nauar. tamen Sanchez. Bassaus* & alij arbitrantur hunc non subijci pœnis in proprietarios latis per leges Pontificias, & præcipuè pœna sepulturæ asini in eos statuta *cap. super. & c. cum ad monasterium de stat. monach.* quia ex quo Religiosus non vtitur bonis temporalibus nisi de licentia, iam non se habet vt dominus, & mitiùs peccat, quàm qui occultè res detinet aut alienat; ideo pœnæ ordinariæ latæ contra proprietarios tales non afficiūt. Multa verò *Nauar.* hanc sententiam suam probare conatur, quæ vel assumunt & petunt principium, vel verbaliter multiplicantur; substantia verò tam eorum, quæ ille affert, quàm quæ addunt alij est, quia licentia iniusta siue ex parte materiæ siue ex parte causæ est nulla; igitur non excusat à vitio proprietatis, seu sacrilegij contra votum paupertatis. Antecedens probatur, tum primò, quia superior rerum monasterij non est dominus, sed administrator, non potest igitur validè dare licentiam, vt in vsus illicitos, vel ex causa vana consumantur bona Religionis; in hoc enim Religio domina est inuita. Tum secundò, quia prohibitus dare licentiam ad aliquid agendum non dat illam validè; superiores verò prohibiti sunt Religioso dare licentiam ad turpia, aut vana, vt patet *cap. cum ad monasterium, de stat. monach. & in Concil. Trid. sess. 25. cap. 2. de Regular.* Tum tertiò, quia licentia agendi data ab inferiore nullius valoris est Superiore inuito: At verò semper supremus Religiosorum Pastor & Prælatus est inuitus respectu vsus temporalium ad turpia. Tum quartò, quia dare licentiam expendendi ad vsus vanos aut turpes est dispensare in voto paupertatis, quod non licet, & saltem semper dispensatio data absque iusta causa est nulla. Quintò ex iure nouo *Concil. Trid.* hoc probatur, quia *sess. 25. cap. 2. de Regular.* prohibet Religiosos habere superflua, quia id non conuenit statui paupertatis. Et Clem. VIII. in Constit. edita pro reformatione Regular. quæ est in Bullario 60. §. 7. decernit, licentiam aut dispensationem superiorum non excusare à culpa, & pœnis impositis per decretum Concilij. Quod & declarauit Sacr. Congreg. Concilij, vt videre est apud *Quarantam v. casus reseruati. Lezanam p. p. cap. 6. n. 14. Donatum tom. 3. tract. 15. q. 16. & nouiss. apud Illustriss. Fagnanū ad c. monachi n. 51. & 69.*

143 Hic nihilominùs non obstantibus oppositum multò plures docuerunt, nimirum primò omnes illi, qui proprietatis vitium constituunt in hoc, quòd est vti re propria authoritate, & sic, vel occultando rem superiori, vel sine eius licentia illam habendo, vel si Religiosus non sit paratus ad requisitionem superioris illam reddere, qui sunt. *Tabien. ibid. quæst. 44. numer. 45.* & apud eum *Scotus Io: Andr. cap. cum ad monast. num. 12. de statu monach. & ibi Abbas num. 8. Hostien. num. 7. Cardin. §. prohibemus num. 2. q. 3. Felinus num. 26. Passarellus in compend. priuil. frat. minorum post. cap. 43. Azor. tom. 1. inst. l. 12. c. 12. q. 5.* In terminis verò expressis eandem sententiam tenuerunt Vmbertus Generalis Mag. Ord. Præd. in reg. S. Aug. cap. 18. quem refert & sequitur *Turrecrem. cap. non dicatis n. 2. num. 4. & 5. 12. q. 1. D. Anton. 3. p. tit. 16. cap. 1. §. 11. Syluest. v. Religio 6. q. 7. Suarez tom. 3. de inst. l. 8. c. 12. nu. 15. Card. de Lugo disp. 3. de iust. num. 130. & seqq. Antonius à Spir. Sancto in Direct. p. 2. tract. 3. disp. 4. num. 347.* & apud eum *Vidal Tambur. tom. 2. disp. 22. q. 8. num. 7. in fine, Miranda p. p. q. 28. a. 15. concl. p. Card. Alex. apud Nauar. loc. citat. Less. lib. 2. c. 41. d. 9. n. 79. Grassius p. p. decis. l. 3. c. 19. num. 30. & c. p. l. 5. c. 5. num. 45. & 61. Card. de Lugo disp. 3. de inst. num. 131. Antonius de Spir. Sancto in Direct. tract. 3. disp. 4. num. 347.*

144 Ad hanc quæstionem respondetur & dicitur, quòd licentia superioris data suo subdito ad vsus illicitos, aut vanos est valida ad excludendam culpam sacrilegij directè contra diuinam legem, & voti generalem obligationem, seu ad excludendam proprietatem, vt est diuini iuris; non tamen est valida ad excludendam, vel iniustitiam, vel culpam contra alia præcepta virtutum contra quae est ille vsus; immò nec est valida ad excludendam proprietatem prout est iuris positiui, seu ad excludendam culpam cōtra legem positiuam sub culpa prohibentem tales vsus. Probantur hæc omnia distinctè. Et quidem probatur primum, quia obligatio voti non se extendit vltra vouentium intentionem, at verò intentio vouentis, vel paupertatem, vel obedientiam non est nisi ad non vtendum temporalibus sine licentia superioris substantialiter sumpta. Recolendum est enim, quòd vsus facti per se non repugnat paupertati, & quòd dominium naturale, & libertas utendi rebus ad sui sustentationem non est materia, qua homo se possit priuare in to-

tum

tum per uotum paupertatis cum sit quid naturale necessarium homini ad sui sustentationem; & ex ui uoti paupertatis propterea homo noo se priuat, hoc dominio. Et ideo nec per se & directè ex ui uoti paupertatis absolutè est, quòd homo indigeat cuiuscumque licentia ad usum temporalium; quamuis ex ui uoti paupertatis Religiosæ seu solemnis non possit Religiosus uti diuitijs sine licentia. Hæc ergo licentia necessaria quidem est ad uitandam iniustitiam, si quis uelit uti re aliena, sed si res sit nullius, aut si sit alterius, si adest licentia domini, est quidem adhuc necessaria licentia superioris ex ui uoti paupertatis, & ex iure Canonico, & ex Regula. Sed nihilominus est considerandum, quod Religiosus ex ui uoti se obligat ad hanc licentiam, secundùm substantiam non uerò ad qualitatem illius, nimirum ad licentiam, ut iostam, uel ex causa iusta datam. Se enim obligat ad necessitatem huius licentiæ quantùm requirit subiectio suæ uoluntatis, & libertatis ad uoluntatem alterius, & quantum est necesse, ut tollatur exterior præsumptio, quòd in usu rerum Religiosus sibi usurpet dominium, & quantum est necesse, ut in Religioso affectus dominij non prænaleat, sed firmiter in amore paupertatis consistat: Ad hos uerò effectus sufficit subiectio Religiosi ad uoluntatē superioris absolutè, & necessitas licentiæ secundùm substantiam. Et hoc confirmatur; quia aliter Religiosus status esset iugum grauissimum, & insopportabile, & pelagus periculosissimum in quo uix posset euitari naufragium. Quoniam si Religiosus ex uoto se obligasset ad necessitatem iustæ licentiæ etiam in usu rerum ueniaaliter illicito, peccaret mortaliter contra uotum, quia licentia ad usum ueniaaliter illicitum est mala & illicita; unde nae superioribus, & nae subditis si & in usu ueniaaliter modo uiolaretur grauiter uotum. Et cum sæpius contingat, quòd in usu ueniaaliter malo expendatur notabilis quantitas pecuniæ, in omnibus illis casibus tam superiores, quàm subditi mortaliter peccarent contra uotum, & sic Religiosi liberè ex uoto se obligassent ad grauissimam onus superans longè uires humanæ infirmitatis, & ex quo contingeret, quòd multiplicarentur sacrilegia & peccata. Nullus igitur Religiosorum est, qui in professione se obliget ad necessitatem iustæ licentiæ in usu rerum temporalium, sed bene se obligat ad non utendum eisdem rebus siue licentia absolutè. Et ideo quælibet licentia superioris etiam illicita est ualida ad excludendum in subdito culpam sacrilegij & proprietatis contra uotum.

146 Secunda pars assertionis euidens est, quia licentia superioris non potest excusare subditum à transgressione contra leges uirtutum, quæ ex iure naturali, aut diuino obligant. Ideo superior dando licentiam ad illicita & uana, primò peccat contra officij fidelitatem *Suarez tom. 3. l. 8. c. 11. nu. 17.* Secundò speciali ratione peccat contra Religionem, & Christi iustitiam permittendo, ut Deo consecrata, quæ sunt Christi patrimonium non nisi in honestos, & pios usus conuertendum distrahantur nedum in prophanos, sed & in uanos, aut turpes visus. Tertiò peccat peccato scandali, cooperando subdito ad malum. Quod quidem uerum est, si superior negando licentiam impediret malum subditi, non uerò si subditus etiam non impetrata licentia malum perpetrasset. Quartò peccat peccato inobedientiæ, si adsit lex specialis prohibens ne superior huiusmodi licentiam donet, & sic v. g. superior concedens Religioso licentiam ad visus superfluos, aduersatur *Concil. Trid. sess. 25. cap. 2. de Regular.* & Decreto Clem VIII. supra relato. Quintò peccare potest contra iustitiam commutatiuam aut etiam distributiuam dispensando iniustè res monasterij. Et ex circumstantijs multis alijs modis peccare potest.

147 Subditus verò non obstante licentia peccat contra illam virtutem contra quam agit; vt v. g. contra virtutem temperantiæ, & votum castitatis, si fornicetur secundò peccat contra religionem & Christi iustitiam, bona Deo consecrata conuertendo ad turpes vsus. Tertiò peccat peccato scandali inducendo superiorem ad illicitè sibi concedendam licentiam. Quartò potest peccare contra iustitiam consumēdo bona religionis ea inuita. Quintò peccat contra legem positiuam canonicam & regulam tales vsus prohibentes. Potest sextò peccare peccato scandali, malo exemplo inducendo alios ad malum. Et septimò potest peccare peccato auaritiæ, vel ambitionis, vel alio simili iuxta motiuum ex quo ad malum vsum diuitiarum mouetur. *Card. Alex. Turrecrem. & D. Anton.* loquentes de eo, qui superflua recipit, dicunt eum peccare peccato auaritiæ, sed neque hoc est necessarium. Tum quia seclusa iniustitia auaritia non est mortale peccatum, vt habet *D. Th. supra q. 118. a. 4.* Tum quia potest esse quòd Religiosus superflua detineat non ex nimio amore temporalium, sed ex ambitione, vel alio malo motiuo. Et ex alijs causis alio modo etiam peccare potest.

148 Tertia etiam pars assertionis est euidens. Et in hac materia sēper distingui debet id, ad quod Religiosus obligatur ex lege diuina independenter à lege positiua, aut ex speciali præcepto regulæ & id ad quod obligatur ex lege Canonica, aut speciali præcepto regulæ. Ex vi enim voti absolutè, aut ex communi lege regulæ Religiosus, vt dictum est non tenetur nisi ad habendam superioris licentiam. Sed vbi præter hanc legem voti generalem adest lex Canonica aliquid prohibens Religioso v. g. lex Concil. Trid. prohibens Religioso superflua, licentia superioris ad superflua non excusat subditum à transgressione legis Concil. Trid. quia inferior non habet potestatem concedendi, vt subditus superiorum leges transgrediatur. Similiter si adest speciale Regulæ præceptum, vt v. g. Religiosus non vtatur hoc, vel illo genere vestium, vel vt non ludat hoc, vel illo ludo, & superior non potest super hac lege dispensare, si det licentiam ad similes vsus, vel etiam si dispenset absque iusta causa, non valet licentia aut dispensatio ad vitandam culpam contra talem legem s Verum quidem est, quòd in his casibus culpa talis est qualis est transgressio legis. Ideo si transgressio sit contra legem positiuam canonicam culpa est sacrilegium contra virtutem Religionis & est proprietas Canonica ex ea ratione, quia, vt habet *Caiet. supra q. 88. a. 5.* legislator, qui præcipit intuitu alicuius virtutis constituit actum præceptum in specie illius virtutis. Ideo licet lex Canonica non obliget ex vi voti, ex quo tamen intuitu Religionis & voti paupertatis aliquid præcipit, præceptum ad virtutem Religionis pertinet,

net, & præcepti violatio est sacrilegium. Et si ex it talis, quæ non obliget ad culpam mortalem, nec eius transgressio est mortalis culpa. Si verò transgressio est contra speciale præceptum regulæ, si hoc præceptum obligat ad culpam mortalem transgressio est etiam sacrilegium contra votum obedientiæ, non ex generali vi talis voti, sed ex ratione speciali, scilicet ex speciali præcepto obedientiæ. Sed si lex regulæ ad nullam obliget culpam, sed ad pœnam, nec transgressio talis legis est culpa.

149 Hinc colligitur qualiter Religiosi ex iniusta licentia vtentes rebus externis subdantur pœnis latis in proprietarios. Nam quòd *Nauar. Sanchez*, & alij asserentes huiusmodi licentiam esse nullam, & tamen excusantes vtentes ea ab incursu pœnarum non loquantur consequenter aduertit *Card. de Lugo disp. 3. de iust. num.* 131. Quia si licentia talis est nulla, tales sine licentia vtuntur diuitijs, & iam per bonam consequentiam verè sunt proprietarij in eorum sententia, vnde pœnia proprietariorum subijci debent. Dicitur igitur, quod tales directè non sunt proprietarij, nec ex eo inobedientes, quòd vtantur rebus sine licentia superioris. Ceterum non obstante licentia subduntur omnibus pœnis latis contra talia agentes, qualia agunt, & ideo subduntur etiam pœnis latis à lege positiua contra suos transgressores, sed est consideranda semper actio pro qua fertur pœna. Nam v. g. sepulturæ sine lata in *cap. monachi, & locum ad monasteriū de stat. Monach.* respicit non omnem proprietatem, sed illam per quam quis occultè detinet res; ideo hæc pœna non potest habere locum in eo, qui palam de licentia superioris res habet. Vnde in hoc bene dixerunt *Nauar.* & alij hunc ab illa pœna eximentes. Sicut regulariter, & aliæ huiusmodi pœnæ non afficiunt nisi vtentes his rebus sine licentia; quia vbi adest licentia cessat præsumptio proprietatis. Sed tamen vbi pro aliquo vsu speciali sit imposita pœna, licentia illicita ab ea non excusat. Vt non excusat à pœna lata à Concil Trid. contra vsum superfluum rerum temporalium.

150 Ad argumenta in oppositum respondetur. Primum enim multipliciter deficit. Tum primò, quia Religiosus potest vti re, quæ non sit monasterij, sed alterius domini, & de licentia eiusdem domini; vnde ad hunc vsum nihil interest, quòd superior sit, vel non sit dominus rei cuius est vsus. Tum secundò, quia bene potest contingere, quod Religiosus ex turpi causa ab extraneo recipiat, & quòd monasterium non propterea sit inuitum. Tùm tertiò, quia etiam respectu rerum monasterij argumentum non probat, nisi quòd vsus non excusetur ab iniustitia, ex eo quòd Religiosus vtatur re monasterij eo inuito; quod quidem verum est, quando monasterium verè sit inuitum: de quo puncto dicendum est infra, vbi erit sermo de obligatione restituendi. Et quia quàm plures ex DD. primæ sententiæ relatæ num. 142. fundantur super hoc argumento constat, quòd non distinxerunt inter iniustitiam, & proprietatem. Ex quo enim superior non sit dominus, sed administrator bonorum Religionis, cum non possit dare licentiam eas conuertendi in malos vsus, sequitur quod tam ipse dans licentiam illas distrahendi, quàm Religiosus licentia illa vtens sint iniusti, nō vero quod Religiosus sit proprietarius.

151 Ad secundum dicitur, quòd probat, quòd tam subditus, quàm superior peccent contra legem similem vsum, aut similem licentiam prohibentem. Sed arguens non aduertit, quòd licentia illa non est prohibita ex vi voti, vel paupertatis, vel obedientiæ per se directè, generaliter, ex vi enim talium votorum obligatur Religiosus, vel ad non habendum proprium, vel ad non vtendum rebus sine licentia superioris, non verò obligatur, vel vt sit castus, vel vt non sit iniustus, vel vt obseruet leges Canonicas, vel ut aliunde non illicitè agat. Ex vi voti obedientiæ uerò obligatur ad obediendum Regulæ, si regula præcipiat in virtute obedientiæ, & ideo si detur speciale præceptum non vtendi simili licentia quod obliget sub culpa mortali, & in virtute obedientiæ, in eo casu, vsus tali licentiæ est violatio voti obedientiæ; nunquam tamen talis licentiæ vsus per se si sit purus vsus facti, directè est contra votum paupertatis.

152 Tertium supponit, quòd non probat, scilicet quòd supremus Prælatus sit inuitus, quia ille qui facti non est conscius, eius nec est voluntarius, nec inuitus. Sed semper est considerandum, quòd loquimur de necessitate, quàm sibi facit liberè vouens, qui quidem non se obligauit nisi ad habendum consensum alicuius ex suis superioribus independenter etiam à necessitate alios consulendi. Neque enim Religiosus se obligat ad inquirendum an Prælati superiores, & præcipuè an Papa ratum habeat, vel non habeat licentiam sibi datam à legitimo superiore. Neque enim hæc obligatio esset opportuna regimini Regulari, & esset contra Religiosam quietem, esset enim uinculum ligans, & detinens subditum inter compedes scrupulorum, & perturbationum. Quatenus verò Prælatus superior sit inuitus, vt legislator, iam contra leges eius peccat tam subditus, quàm superior. Sed Prælatus supremus, vt director institutus ex vi voti, in his casibus, nec est uoluntarius, nec inuitus, quia nec casum scit, nec ad eum pertinet tunc consentire, uel dissentire, sed ad illum hoc spectat, ad quem subditus recurrit, vt licentiam obtineat.

153 Ad quartum dicitur falsum omnino esse, quòd dare licentiam vtendi rebus temporalibus sit dispensare in aliquo voto, sed est ponere conditionem sub qua uotum non obligat, quam conditionem sufficienter ponit, qui dat licentiam, & qua data votum non obligat. Aliàs verò vbi immediatus superior debeat in aliqua lege dispensare, non valet dispensatio data sine iusta causa.

554 Ad quintum respondebitur paulò infra.

155 Colligitur primo licentiam superioris immediati datam ad ea, quæ sunt contra regulam, esse validam ad vitandam culpam proprietates simpliciter, & contra votum, vt generaliter obligans ad non utendum rebus temporalibus sine licentia, licet non sit valida ad vitandam inobedientiam præfatæ legis, nisi superior possit in statuto regulæ dispensare. In casu enim in quo superior potest dispensare in statuto regulæ, consentiunt DD. communiter superiorem posse dispensando ex iusta causa in statuto regulæ dare licentiam ad vsum, qui sit contra regulam, quia non fit contra regulam, quod fit sub legitima, & iusta dispensatione, & ita loquendo de Prælato secum dispensante, ex-

te expressè *Sanchez l.7.mor.cap.19. numer.27.* Nec potest in hoc esse difficultas. Sed supposito quod superior, vel non possit in statuto regulæ dispensare, vel non habeat legitimam causam dispensandi, adhuc simpliciter sacrilega vitatur proprietas, quia non viuit ex proprio, qui non agit nisi consentiente superiore. *Turrecrem. d. cap. cum dicatis, a.2. Vmbert. D. Anton. Io. Andr. Panorm.* & alij supra *num.138 citati.* Sed licentia data contra statutum regulæ dupliciter potest contingere, vel quia lex prohibeat id, ad quod datur, vel quia prohibeat immediatè & directè, vel vsum pecuniæ ad talem finem, vel licentiam concedendam ad talem vsum. Quomodocumque licentia data sit contra statutum, si statutum non irritat licentiam, illa licet non sit licita, si superior, vel non potest, vel non habet causam legitimam dispensandi, est tamen valida ad effectum vitandi simpliciter proprietatem. Quæ enim fiunt contra prohibitionem legis non sunt ipso facto, & iure nulla, nisi in casibus in iure expressis. vel nisi lex irritet actum. *Glos. in Clem. 1. de praeben. Menoch. casu 276. num.17. Card. de Lugo disp.3 de iust. num.138.*

156 Colligitur secundo, quod vbi materia sit propriè iniusta, vt v g. est furtum, vel vsum, vel inferens graue damnum tertio, seu etiam monasterio, licentia superioris ad talem actionem, nimirum, vel ad accipiendum, vel ad retinendum aliquid, aut consumendum cum damno tertij est valida ad vitandam culpam proprietatis simpliciter, non verò ad vitandam culpam iniustitiæ. Hoc secundum euidens est, quia vbi dominus rei fit inuitus, vsus rei est iniustus, nec potest fieri iustus nisi ex domini consensu. Primum etiam patet, quia vt habet *Suarez tom.3. l.8. cap.11. num.15.* Religiosus ex vi voti paupertatis non promittit iustitiam, sed viuere sine proprio, semper verò simpliciter loquendo viuit sine proprio, cum viuit ex subordinatione ad voluntatem sui superioris. Immò & *Sanchez l.7. mor. cap.13. num. 55.* fatetur quòd Religiosus, qui de licentia superioris furatur ad vsus monasterij, non peccat contra votum paupertatis, & quòd tota malitia est, quia furtum est contra Domini voluntatem. Aduertit verò, & bene *Card. de Lugo disp.3. de iust. numer.130.* fine fundamento *Sanchez* hoc limitare ad furtum factum intentione acquirendi monasterio; quia dum Religiosus sibi acquirit non sibi, sed monasterio acquirit, ideo furtum factum de licentia Prælati non est contra paupertatem simpliciter.

157 Colligitur tertio, quod vbi materia sit contra aliquam virtutem, licentia superioris data ad vsum pecuniæ in ordine ad talem actionem, licet sit illicita, & mala, non tamen est inualida in materia voti paupertatis simpliciter. Vnde licentia data ad accipiendum pro turpi causa, & intuitu cuiuscumque illicitæ actionis, vel ad retinendum ad aliquem malum finem, vel ad expendendum in vsus turpes, est quidem illicita, & mala, sed tamen est valida ad hoc, vt Religiosus non sit simpliciter proprietarius, & dicatur simpliciter proprietarius. Quia fatemur, quòd transgressor legis alicuius Canonicæ, vel legis specialis, aut præcepti inrutitu paupertatis prohibentis aliquem vsum est indirectè, & secundùm quid, vel etiam præsumptiuè proprietarius. Sed proprietarius simpliciter non est, nisi qui, vel sibi vsurpat dominium, vel sine licentia superioris vtitur diuitijs, vtrumque enim horum est directè, & determinatè contra votum professionis. Hoc verum est, quòd *Suarez d.cap.11. num.16. & cap.15. num. 4.* differentiam facit inter hoc, quod est recipere, & retinere ad turpia, & inter hoc quod est alienare; & limitat conclusionem, vt non intelligatur de licentia alienandi ex causa turpi, vel ex non rationabili causa. Quia superior non potest dare hanc licentiam alienandi, hoc modo, cum non sit dominus bonorum monasterij, sed administrator cui interdictum est consumere bona monasterij in huiusmodi vsus. Sed *Suarez* in hoc non loquitur consequenter, quia si vt ipse fatetur *cap.15. num.15.* licentia data à superiori ad furandum extraneo, licet non excuset à peccato iniustitiæ, excusat tamen à peccato proprietatis, cur licentia data ad furandum monasterio non erit sufficiens ad vitandam eandem culpam proprietatis, licet non sufficiat ad vitandum peccatum furti? Verum igitur est esse differentiam respectu acceptionis, & retentionis, & respectu alienationis quantùm ad peccatum iniustitiæ, quia acceptio, & retentio boni temporalis non est damnosa monasterio, sed vtilis temporaliter, alienatio verò potest esse causa damni notabilis monasterio, vnde licentia ad alienandum ob turpem causam potest esse; & est iniusta si non sit talis, in qua facultas superioris ad alienandum res monasterij se extendat. Sed in ordine ad vitium proprietatis differentia nulla est, quia etsi Religiosus furetur monasterio, si hoc faciat ex licentia superioris non viuit ex proprio, & ex arbitrio, ideo neque est simpliciter proprietarius.

158 Colligitur quarto, licentiam datam à superiore ad vsus non necessarios, sed superfluos esse validam ad effectum vitandi culpam contra votum paupertatis simpliciter. Hoc autem eò amplius est verum, quo habere superflua non est directè contra votum paupertatis per se loquendo, & directè Fuit quidem aliquorum opinio, quòd habere superflua sit contra votum paupertatis; quia hoc votum obligat ad non habendum nisi necessaria secundùm decentiam status. Ita *Lezana p. p. cap.6. num.13. & Card. de Lugo disp.3. de iust. numer.131.* hoc idem asserit de Religionibus, in quibus viget rigorosa paupertas, excipiens Regulares milites. Alij etiam vt *Donatus tom.3. tract. 15. q.19.* tenent quòd habere superflua sit contra votum paupertatis. Sed hoc non fine distinctione admittendum Quia materia voti paupertatis est dominium & paupertimus est, qui nullius rei est dominus, vt communiter antiqui omnes Theologi, & Canonistæ dixerunt, & probatum est supra inspect. secunda. Ideo Religiosus per votum paupertatis non promittit non habere superfluum, sed non habere proprium. Vnde habere superfluum de licentia superioris non est peccatum directè, & per se contra votum paupertatis, aut professionis, vt docuerunt *Turrecremata cap. non dicatis a.2. c 2. q.1. D. Anton. 3. p. tit.16. cap.5. §.11. Sylvest. v. Religio. 6. q. dict.4. Ledesma de stat. cap.4. concl.3. diff.11. pag.61. Suarez tom. 3. l.8. cap.12. num.13. Anton. à Spir. Sancto p.2. tr.3. nu.96?* Et modo est certum ex *Clem. exiui, de verbor. signif.* cum enim ex Minoribus aliqui existimarent ipsos ex vi voti paupertatis teneri ad paupertem, &

valde arctum vsum rerum, sicut & obligantur ad arctissimam paupertatem, alij vero hoc negarent; Pontifex declarauit, quod ipsi. *Ex professione sua regulæ specialiter obligantur ad arctos vsus, seu pauperes, qui in ipsorum regula continentur, & eo obligationis modo sub quo continet, seu ponit regula dictos vsus.* Vnde euidenter deducitur, quod Minores, si excedant in vsus superfluos, non faciunt directè, & immediate contra votum paupertatis, sed contra regulam, nec magis peccant, quam sit peccatum contra regulam, quod ex genere suo non est mortale, nisi vbi regula præcipit, ut habetur infra artic. 9. Ex vi igitur voti paupertatis non prohibentur directè, & immediate Religiosi habere superflua. Habens enim superfluum, si nullum ius proprium, & dominium illius habeat, immò in illius vsu dependeat nedum à domino rei, sed à superioris arbitrio est magna possidens, & nihil habens iuxta dictum Apost. *Nihil habentes, & omnia possidentes*, & nequit dici diues, qui nihil habet, & nec vsum facti habet, si superior nolit. Et quod dicunt *Sanchez*, & aliqui alij contra paupertatem peccari non per solum peccatum proprietatis, sed etiam per peccatum superfluitatis, hoc probandum esset; Nam aliàs certum est, quòd paupertatis uotum habet pro materia dominium, & proprietatem, & hoc est quod per tale uotum promittitur, scilicet sine proprio uiuere, ut habetur ex *D. Th. a. 3.* huius *q. 186.* non uerò promittitur non habere superfluum ad simplicem usum facti cum subordinatione ad superioris uoluntatem.

159 Sed nunquid habere superfluum non est per se prohibitum Religioso, nisi ex vi legis positiuæ? Minimè quidem. Nam superfluum est per se omnibus ex naturali lege prohibitum, & speciali ratione ex vi religiosi status, seu ex fine status religiosi est magis illicitum, non tamen directè & per se ex vi alicuius voti, licet etiam sit prohibitum ex regula, & quatenus est sic prohibitum sit suo modo contra obedientiæ votum. Declaro singula. Primò autem distingui debet inter habere maximam quātitatem diuitiarum, & inter habere superfluum. Nam primum non repugnat directè voto paupertatis, immò nec statui Religioso dum nihil habeatur, vt proprium & inuito superiore, quia stat, quòd quāmmaxima quantitas diuitiarum aliàs non sit superflua Religioso, vt patet in Religioso Episcopo, aut summo Pontifice. Sed loquendo de superfluo propriè, primò assero, quòd superfluum est prohibitum ex lege naturæ. Nam quid est superfluum in diuitijs, nisi quod ad quemcumque finem honestè amabilem non est necessarium, ita quòd præter illud habetur quidquid est nedum simpliciter necessarium, sed necessarium ad melius acquirendum quemcumque finem, quem persona possit honestè desiderare, siue hic finis sit alimentum familiæ, siue splendor honestus, siue condecentia dignitatis, siue prouidentia contra contingentes casus, & possibiliter futuros casus necessitatis, siue promotio filiorum, siue status augmentum, siue quicumque alius finis honestè amabilis. Modò quis neget non esse contra rationem tenere id, quod de iure naturæ est commune omnibus, & quo cæteri summè indigent, & nihil omino iuuat, sed omni suo honesto desiderio superfluit? Superfluum ergo, quod verè est superfluum, non nisi contra rectam rationem possidetur. Quod verò speciali iure hoc sit illicitum Religioso, habetur ex eo, quòd status Religiosus diuitiarum abdicationem, & contemptum importat, igitur ex vi talis status speciali iure est prohibitum habere diuitias superfluas. Hoc tamen directè non est ex vi voti paupertatis, quia vt dictum est, huic voto satisfit, si nihil habeatur vt proprium. Sed neque est per se primò, & directè ex vi voti obedientiæ, nullo supposito Regulæ præcepto. Quia illi voto satisfit, si nihil ad vsum facti habeatur inuito superiore. Vnde est, quòd accipiēdo paupertatem magis latè, vt importat nedum priuationem dominij sed priuationem liberæ facultatis vtendi diuitijs independenter ad obedientiam superioris, non est directè contra paupertatem habere superfluum, si non habeatur inuito superiore. Prohibitio igitur superflui antecedit statum Religiosum tanquam ex præcepto naturali; augetur verò ex vi status Religiosi, quia possessio superflui, etiam si sit nudè facti non est conueniens, sed repugnat aliquomodo speciali fini status Religiosi, qui est perfectio, ex hoc requirens abdicationem diuitiarum, quòd illarum possessio abducat animum ab illis, quæ sunt perfectionis, vt ex D. Th. & PP. probatum est supra a. 3. vnde est quòd contra rationem rectam multò magis est, vt velit possidere superfluum ille, qui assumit statum in quo vix admittuntur necessaria, & quantùm fieri potest abdicatur possessio diuitiarum, taliter vt nedum nihil possit haberi proprium, sed vt ex necessarijs nihil liceat vsurpare, nisi de superioris licentia. Et hoc magis explicatur, quia ex quo per statum religiosum abdicantur diuitiæ, fit vt quàm plurima sint Religiosis superflua, quæ non sunt superflua secularibus; si enim fit vt alias non superflua de se & necessaria prohibita sint Religiosis, multò magis illis prohibitum erit, quod illis omnino superfluit. Inde est, quòd habere superfluum consecutiuè & secundariò est contra votum paupertatis. Tum quia moderatus vsus diuitiarum est necessarius ad custodiam paupertatis. Tum quia immoderatus vsus diuitiarum non est proportionatus secundùm rectam rationem statui eius, qui à se abdicauit omnium rerum dominium. Et semper distingui debet inter habere multa, & plurima, & inter habere superfluum, quia primum non disconuenit paupertati, si adsit iusta causa habendi, & non habentur vt propria, & de superioris licentia. Sed secundum omnino est illicitum, & magis illicitum ei, qui ex professione dominium omnium abdicauit, adeo vt etiam se priuauerit libertate vsus facti, nisi cum dependentia à voluntate superioris & secundùm exigentiam regulæ religiosæ. Principaliter igitur & primò hæc prohibitio est ex substantia religiosi status, quæ requirens abdicationem iusti dominij & liberi vsus diuitiarum per prius requirit abdicationem vsus superflui. Vnde hæc prohibitio, vt est legis naturæ antecedit votum, vt verò est legis diuinæ consequitur libertam assumptionem religiosi status, quæ fit per votum professionis, & sic hæc prohibitio consequitur tam votum paupertatis quam obedientiæ respectu vsus diuitiarum. Sed econtra iustitiam distributiuam est, vt bona communia superfluè, & sine causa dispensentur, vnde superfluum in Religiosis est simul iniustum. Merito propterea in regulis status Religiosi superfluum est prohibitum;

tum; quo supposito habere superfluum est etiam ex hoc suo modo contra votum obedientiæ, cum sit contra Regulam. Non fuit verò necesse vt directè per se specialiter abstinentia à superfluo promitteretur per votum, quia sufficit ad hoc votum de non vtendo diuitijs nisi ad directionem superioris, cuius est legis naturalis, & diuinæ obseruantiam promouere. Hinc tamen sequitur, quod Religiosi multò faciliùs grauiter peccant, si superfluum admittant, quàm seculares, nedum quia Religiosis plura numeranda sunt inter superflua, sed quia in Religiosis minor excessus in superfluo est ex genere suo grauior & inhonestior. Superfluum verò considerandum est, nedum respectu quantitatis, sed etiam qualitatis; quia superfluum est, quod Religiosi vtantur pretiosis, & quæ cariùs valent, cum illis sufficere debeant, quæ statui paupertatis abdicantis diuitias magis conueniunt. Minimè propterea admittendum est, quòd habet *Anton. à Spiritu Sancto d. tr. 3. a. num. 9.* scilicet, quòd habere superfluum non sit contra substantiam voti taliter, quòd Prælatus non possit in hoc dispensare, & quòd consuetudine non possit introduci, vt superfluum Religiosi habeant. Nam esto contra Regulæ aliquam positiuam legem posset introduci, vt aliquod non sit censendum superfluum; nunquam tamen introduci potest, vt Religiosus superfluum habeat, cum hoc sit contra ius naturale, & diuinum, & substantiam religiosi status, ut probatum est.

160 Sed in contrarium vrget, quod adductum est supra ex *Concil. Trid. sess. 25. de regul. cap. 2.* ubi habet *Mobilium verò vsum ita superiores permittant, vt eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt conueniat, nihilque superfluum in ea sit.* Et in *Clem. 1. de statu Monach.* idem prius ordinatum fuerat, vt Religiosi non haberent vestes pretiosas, & superfluas; igitur habere superfluum est directè cōtra votum paupertatis. Dicitur enim consequentiā hanc infirmam esse, & ex textu illo Conc. Trid. colligitur oppositum. Aliud enim est quòd habere superflua ad vsū non conueniat statui paupertatis, aliud est, quòd sit materia prohibita per paupertatis votum. Primum enim admittitur; Nam licet vsus facti non disconueniat paupertati, superabundare tamen in vsu facti est quid minus proportionatum statui paupertatis, cum pauperis sit deficere etiam in necessarijs, non verò superabundare in superfluis. Ideo Concilium meritò prohibet superfluitatem in supellectili Religiosorum. Quoniam tamen pro ratione sui decreti non affert, quia superfluitas sit directè contraria paupertati, sed quia non conuenit statui paupertatis; ex Concilio deducitur, quòd superfluitas non est materia voti paupertatis, nec continet peccatum, quod directè, & primo sit contra votum, sed solùm, quod tanquam quid non consonum statui promissæ paupertatis, & est illicitum, & vt tale iustum fuit prohiberi, sicut fuit prohibitum prius per Clementem Quintum, & postea per idem Concilium Tridentinum.

161 Neque obstat si dicatur, hinc sequi ex consequenti, quòd modò habere superflua sit contra votum paupertatis, quia hoc est interdictum per Concilium nedum subditis, sed ipsis Prælatis est interdictum id permittere, vnde nec licentia data ad habenda superflua est valida contra legem Concilij Tridentini, & ex consequenti, qui tenent superfluum illud tenent sine licentia, quod est contra votum paupertatis. Iam enim patet ex dictis supra hoc non sequi, quia vt aduertit Card. de Lugo nihil est in eo textu Concilij ex quo colligi possit mentem illius fuisse irritare simpliciter licentiam superiorum si illam dederint. Nam & quis dicet, quòd si contingat Religiosum de licentia superioris recipere superflua à seculari titulo donationis, quòd receptio illa sit nulla; & quòd donata debeant restitui? Stante igitur decreto Concilij licentia non est valida ad excludendam culpam, & pœnam latam à Concilio Tridentino, vt habetur ex decreto Clem. VIII. de reformat. ibi. *Nulla quorumcumque superiorum dispensatio, nulla licentia, quantùm ad bona immobilia, vel mobilia fratres excusare possit, quominùs culpæ, ac pœnæ ab eiusdem Concilij decretis imposita, & ipso facto incurrenda obnoxij sint, &c.* Sed tamen licentia est valida, vel ad vitandum peccatum iniustitiæ, si habere superflua non sit in præiudicium Conuentus, vel ad vitādum peccatum proprietatis simpliciter; quia non est proprietarius simpliciter, qui de licentia superioris tenet, quod tenet. Est vero hoc contrarium tam legi naturali, quàm positiuæ. Sed respectu legis naturalis superfluum ampliorem habet latitudinem; ita vt nihil superfluum sit, quod ad aliquem Religiosum finem obtinendum de licentia superioris sit quocumque modò necessarium. Et hoc quoque est superfluum principaliter prohibitum concedi Religioso à Cōcilio Tridentino, quod scilicet non est præfato modo necessarium. Sed superfluum contra legem positiuam huius, vel illius Religionis potest esse strictiùs, & minoris latitudinis. Tenere vero superfluum potest dici proprietas secundùm quid, & indirectè, quatenus ex vi voti paupertatis, & obedientiæ consecutiuè sequitur, quòd superfluum magis ac magis dedeceat Religiosum, qui abdicationem rerum temporalium profitetur. Et quia modo supra explicato cum hoc sit contra legem positiuam ad votum paupertatis recipientem est proprietas Canonica.

162 His sic stantibus altera se se offert grauis difficultas; Quid scilicet sit dicendum vbi superior non dat licentiam expressam ad vsum illicitum, sed dat licentiam indefinitam ad beneplacitum vtentis, nihil exprimendo de vsu licito, vel illicito. Et duplex hic insurgit difficultas. Prima est an huiusmodi licentia licitè dari possit. Secunda est an si detur extendat se; & excuset à culpa proprietatis, si Religiosus expendat in vsus illicitos. Pro primæ difficultatis solutione dico primò, quòd non repugnat posse valide etiam sine peccato dantis concedi licentia ad aliquod generale, quæ licentia possit extendi ad vsus illicitos ex malitia eius, cui est concessa. Probatur hoc à *Card. de Lugo num. 133.* multis exemplis, primò, nam dispensatio Pontificis cum consanguineis ad matrimonium se extendit etiam ad hoc, vt copula ab ipsis habita extra matrimonium non sit incestus, licet aliàs sit mala contra virtutem temperantiæ. Et dispensatio talis suum effectum habet, qui est auferre ab actu malitiam consurgentem ex prohibitione Ecclesiæ, a qua haberet speciem incestus, vt ex *Caiet. v. incestus, Armilla ibi in princ. Vega tom. 2. c. 5. casu p. in princip.* probat *Sanchez de matrim. l. 7. disp. 67. num. 9.* Item

dispensatus super ieiunio, vel vt possit comedere carnes dispensatur generaliter; & licet aliunde comestio carnium sit turpis, vt quia sit contra iustitiam, vel contra temperantiam, vel etiam contra castitatem, non tamen est contra præceptum Ecclesiæ prohibentis vsum carnium. Dispensans igitur super vsu carnium sic absolutè, licet sciat, posse fieri, vt dispensatus abutatur dispensatione, non per hoc peccat, quia ipse nihil mali concedit, sed solùm ex iusta causa aufert Ecclesiæ prohibitionem, remanente interim dispensato ligato alijs legibus ad hoc, vt dispensatione non abutatur. Sic quoque superior dans licentiam ad exeundum à domo, non per hoc peccat, si subditus eat ad meretricem. Sic enim Deus non est malus, nec malè fecit dando homini dominium rerum, & suorum actuum, licet sciret illum abusurum fuisse hoc dominio. Sic de iure gentium Deo sic volente introductum est dominium rerum, concessa dominis facultate vtendi eisdem rebus, quæ facultas valida est, & tamen de facto ad turpissima se extendit, non quod lex approbet turpia, sed quia aufert prohibitionem vtendi, quæ ex iustitia prouenire posset, vnde licet peccet, qui vtitur diuitijs ad turpia, non est tamen propriè iniustus, & vsus est validus etiam si aliàs malus. Sic Magistratus dat licentiam tenendi arma licet eis tam sæpe homines abutantur, quia per hoc non approbat, nec concedit iniustas occisiones, sed ex causa iusta aufert prohibitionem deferendi arma, & quòd quis eis abutatur, ex malitia est subditorum. Quòd si quis habens licentiam deferendi arma occidat aliquem, punitur quidem tanquam homicida, minimè tamen punitur, quia contra legum præscriptum arma detulerit. Sic quàm plurimæ aliæ concessiones generales, & dispensationes, & licentiæ afferri possent, quæ quidem ad vsus illicitos se extendunt, non illos approbando, sed faciendo vt non sint tam illiciti quam essent, quia auferunt aliquam legis prohibitionem, quæ ex iusta causa auferri potest, manentibus in rigore alijs legibus prohibentibus iniustitiam seu malitiam actuum. Ratio huius à priori est, quia vbi actus sit ex multiplici lege prohibitus, vel si sit ex se indifferens, sic malus solùm, quia prohibitus, non est contra rectam rationem, vel quòd ex legibus illis, illa quæ est positiua ab habente facultatem, vel in totum ex iusta causa abrogetur, vel super ea cum aliquo dispensetur, quia abrogatio legum positiuarum, vel earum dispensatio ex causa iusta est legitima, & nec ex quo actus ex lege positiua non sit prohibitus, non per hoc superior non prohibens ex iusta causa est occasio malè agendi subditis, sed ex malitia eorum est, quòd malè agant: igitur bene possunt superiores & validè & licitè concedere licentias generales ex iusta causa dispensando super legibus, super quibus possunt dispensare, & huiusmodi licentiæ extendentur ad actus ex alijs legibus illicitos, quia non est illicitum ex iusta causa, vel tollere in totum, vel dispensare super prohibitione legis alicuius, etiam si aliàs actus sit alia lege prohibitus, quia per hoc non approbatur talis actus, sed tollitur vinculum vnius legis, quod ex iusta causa nedum validè fit, sed licitè.

163 Dicitur secundò quòd superiorem Regularem dare licentiam vsus temporalium generalem, vel absolutam, & indifferentem non est ex obiecto malum per se, sed pensatis circumstantijs & ex iusta causa potest esse licitum. Non enim hic disputamus de eo quod ex lege positiua, vel communi, vel Concil. Trid. aut Decretorum Clem. VIII. sit, vel non sit prohibitum, sed de eo, quod per se ex vi voti, & status Religiosi liceat, vel non liceat. Et licere sentiunt *Ledesma de statib. c. 4. concl. 3. diffic. 4. pag. 51. Card. de Lugo disp. 3. de iust. num. 133. & 139. Anton. à Spiritu Sancto in Direc. p. 2. trac. 3. disp. 4. num 347. Coton. lib. 4. controu. 6. num. 91. Diana p. 7. tract. 11. resol. 22.* & supponunt DD. quærentes an huiusmodi licentia extendatur ad vsus illicitos. Prima autem pars probatur; quia vsus facti Religioso non est prohibitus, igitur ex obiecto & per se non est illicitum, quòd superior absolutè hunc vsum concedat, quod absolutè, & per se non disconuenit Religioso ex vi voti paupertatis. Et hoc confirmatur; Nam aliàs nec liceret Episcopis Regularibus concedere plenam administrationem redditnum Ecclesiarum Regularium, nec Religiosis extra Ordinem commorantibus, aut peregrinantibus concedere licentiam vtendi ad eorum commodum bonis temporalibus.

164 Quòd si dicat, hoc quidam licere, sed cum expressione, vt non vtantur dictis bonis, nisi ad vsus pios, & Religiosos. Dicitur contra, quod non sit necesse apponere hanc exceptionem, & quòd ex obiecto non sit per se malum huiusmodi licentiam generalem concedere ea exceptione non apposita, ex eo constat, quòd nec Episcopis, nec morantibus extra Religionem, aut peregrinantibus solet dicta exceptio apponi, nec in similibus generalibus licentijs apponitur, vt patet v. g. de facultate comedendi lacticinia aut carnes in Quadragesima, celebrandi tempore interdicti, aut tunc celebrandi nuptias, deferendi arma, & alijs similibus. Et ratio est, quia cum concedere licentiam vsus temporalium per se, & ex se non sit malum, non est necessitas alterius expressionis. Quia concedere id, quod ex se est indifferens, seu auferre aliquam legem, vt ex vi illius non sit prohibitio abstinendi ab actu aliquo per se non est malum, sed ex causa iusta potest esse bonum. Non est igitur per se malum, quòd absolutè & sine alia expressione concedatur Religioso vsus facti; cum hoc per se sit quid indifferens, & ex huiusmodi licentia solum fiat, vt vsus non sit contra votum paupertatis: Nec per hoc superior cooperatur peccato subditi, si aliàs ex sua libertate velit malè agere.

165 Totum quod hic considerari debet est, an adsit iusta causa sic faciendi, maximè dando licentiam valde generalem, tam quantum ad materiam & bona, quorum vsus conceditur, quàm quantùm ad tempus, & personas. Negari enim non potest, quòd huiusmodi licentiæ sint instrumentum aptissimum ad eneruandam disciplinam Regularem, & quòd sapiunt valde naturam vsus turis, seu iuris administrationis, aut vsus fructus, vnde facillimum est, quòd sint palliationes alicuius intentionis dominij ex directo repugnantis voto paupertatis. Præterquã quòd fortitudo viri sũt diuitiæ eius, & occasio furti facit. Vnde de facili in religioso ad inducẽdũ ad malũ habẽt vim pecuniæ, & infirmitas carnis roboratur cõtra virtutem, & arrogãtia sensualitatis armatur cõtra obedientiã, vt per

vias

vias inlquas legum obseruantiæ, & præceptis superiorum resistat, vnde indicibile est quantum damni Religionibus inferat hic diuitiarum vsus; & ideo non iam facile est vt detur causa iusta dandi huiusmodi licentias generales *Ledesma* viris granibus concedi posse asserunt; sed nec illis concedi debere. Quamuis in hoc status Religionum considerandus sit, & faciliùs in Religione non reformata iustificari possint huiusmodi licentiæ, quàm vbi viget stricta paupertas. Soluenda ergo remanet secunda quæstio, an scilicet licentia indefinitè data validè se extendat ad vsus illicitos; ita quòd ex vi talis licentiæ subditus excusetur à proprietate, si vtatur pecunia ad vsus illicitos? Aduerto tamen quòd hìc proponitur hæc quæstio de licentia generali absolutè, non verò de licentia tenendi peculium. Quia de hac habenda est specialis quæstio infra. Vbi etiam videbitur, quid circa hoc senserit, & præceperit Concil. Trid.

166 Nam non extendi sentiunt multi. Tum primò, quia sub generali concessione non veniunt illa, quæ si peterentur expresſè denegarentur, iuxta regulam, *in generali* 81. *de reg. iuris in* 6. Secundò quia cum superior licentiam ad vsus illicitos non possit dare, saltem sine graui culpa, non est credendum seu in dubio præsumendum, quòd velit generalem licentiam concedêdo comprehendere vsus illicitos. Tertiò quia monachus qui ex licêtia Abbatis, vel Pontificis aliquid habeat, non censetur habere, vt omnino ad libitum, sed solùm vt decet iustum administratorem, vt docet *Surdus de alimentis tit. 8. priuil. 79. num. 2.* Quartò quia in hoc superior est inuitus quantum ad substantiam, vt si superior det pecuniam dispensandam inter pauperes, inuitus est si detur diuiti, sic inuitus est superior si peculium & licentiam quam concessit ad vsus honestos, consumat in vsus turpes. Et ita hanc sententiam tenet *Sanchez l. 7. mor. c. 19. num. 30. ex S. Antonino, Syluestro, Rodriquez, Molina, Nauarra, & Sayro.* Idem quoque docent *Bassaus v. paupertas num. 12. & apud eum Miranda & Faustus.*

167 Nihilominùs econtra quòd licentia generalis data subdito disponendi de aliqua re aut pecunia ad libitum extendatur etiam ad vsus illicitos tenent *Bannes supra q. 62. a. 5. dub. 5. vers. aduertendum est. Lopez lib. 2. de contract. cap. 40. ver. an autem Relig. Salas tract. de Ludo d. 21. num. 4. ex Alcozer, Angles, Lopez, Medina, Rebello, ac Lessio.* Quam sententiam non esse improbabilem censet *Card. de Lugo disp. 3. de iust. num. 142. ex Sayro lib. 11. cap. 12. num. 15. & Diana tom. 2. tra. 2. resol. 98.* idem tenent *Coton num. 29.* Et ratio est, quia religiosi habentur vt filij, in quibus huiusmodi licentiæ ad illicita extenduntur, & valent. Tum secundò quia in alijs materijs licentia generaliter concessa non limitatur ad vsus licitos, sed se extendit ad omnes quantùm ad malitiam, quam possunt habere ex defectu licentiæ remanente malitia & turpitudine ex alijs capitibus. Tum quia superior dando licentiam extendibilem etiam ad casus illicitos non cooperatur peccato subditi, quia dat illi solùm aliquod indifferens, nam & Deus non peccat, quia concurrit cum peccatore ad malum, quia dat concursum indifferentem, qui ex sola malitia hominis determinatur ad malum.

168 Non esse tamen recedendum à priori opinione existimo. Quia prima eius ratio conuincit, non enim in generali concessione venit, quod negaretur, si peteretur expresſè. Nec quod adducitur de dato filijs aut seruis ad disponendum est ad rem, quia nec filius, nec seruus habent votum paupertatis, per quòd prohibeantur vti diuitijs, etiam si aliàs essent illarum domini, sicut habent religiosi. Et secunda opinio solùm respicit hanc licentiam quantùm ad vitandam obligationem restitutionis in eo, qui recipit à religioso, ex qua parte bene potest contingere, quòd licentia superioris se extendat, supposito quòd religiosus aliquid iam inhonestum acceperit, vel egerit, quia hoc supposito non est inhonestum semper quòd stet contractui, & pro malè accepto soluat, vt dicam tractando de restitutione religiosorum. Sed hìc non debet solùm considerari obligatio restituendi, & peccatum iniustitiæ, sed peccatum sacrilegij, quod superior ex officio tenetur impedire, quantùm potest, & ideo non potest præsumi, quòd det licentiam, quæ se possit extendere ad id, quod nec a subdito potest fieri sine culpa, nec ipse potest sine culpa graui concedere. Nec est eadem ratio de concessione generali in alijs materijs. Nam & ex hoc superior constituitur director religiosi in vsu temporalium, vt non possint de facili religiosi vti diuitijs ad actus malos & suæ professioni contrarios, & superior ex officio tenetur custodire & impedire religiosum ab omni malo vsu pecuniæ seu diuitiarum, igitur non potest præsumi, quòd in concessione generali intentio sua sit auferre à subdito omnem obligationem petendi licentiam, seu impedimentum, quod ad malos vsus potest præstare votum paupertatis, sed solùm quòd det licentiam ad vsus honestos. Et quod adducitur de Deo concurrente cum peccatore longè est diuersum, quia Deus non tenetur impedire peccatorem à malo, sed immò ex munere sui officij, nimirum ex munere primæ causæ tenetur malũ permittere. Ideo de se quia dat id, quod est bonum, & quod de se causat actum bonum, nullo modo est causa mali, si permittit quòd creatura bonum impediat, & malè agat. Sed licentia indifferens ad malum non conuenit superiori, cui ex officio incumbit malum prohibere, & impedire; ad hoc enim tenetur superior ex iustitia legali, & debito sui officij. Præcipuè verò hæc assertio veritatem habet in ordine ad iustitiam. Quia cum superior, etiam si velit, non possit concedere licentiam ad dilapidanda bona Religionis, hinc sequitur, quòd licentia indefinita nullo modo excusat Religiosum à peccato iniustitiæ & obligatione restitutionis in omnibus illis casibus, in quibus ex damno, quod infertur Religioni, nec excusaret licentia expressa.

169 Limitatur autem primò principalis assertio, vt non habeat locum vbi malitia ipsi vsui est accidentaria, quia vt habet *Suarez d. cap. 11. num. 15. & 16.* malitia accidentaria non sufficit ad proprietatem. Sic habens licentiam vsus pecuniæ indefinitam, si emat vestem aliàs non superfluam, nec statui religioso indecentem, non erit proprietarius, licet id faciat ob pessimum aliquem finem, vel eam emat in die festo. Quia vsus pecuniæ ad vestem emendam est honestus, & fit malus ab extrinseco ex circumstantia accidentali, quæ valet quidem ad inducendam malitiam alterius speciei, non tamen ad inducendam proprietatem. Si verò quis det ali-

quid alicui ob turpem causam, attendi debet an finis operis sit malus, quia finis operia proximus non est circumstantia extrinseca, sed ad substantiam operis voluntarij spectat, sic in emptione rei turpis seu cum quis ex pacto dat meretrici vt ea abutatur, hic finis malus est intrinsecus traditioni, & vsus talis pecuniæ secundùm substantiam est iniquus. Sed si finis malus non est finia operis, sed operantis, ita quòd Religiosus donans aliquid alicui ex ratione honesta donat, & ex motiuo proximo nou vitiante actionem, licet postea ex hoc intendat parare sibi viam ad aliquod iniquum, donatio illa non est proprietaria, quia illa mala circumstantia finis elt extrinseca, & accidentaria, & substantia donationis est honesta. Alias si ex circumstantia finis extrinseca induceretur inobedientia, vel proprietas, nunquam ex malo fine operaretur Religiosua, quin esset inobediens voti, & proprietarius, & sic siue exiret à domo, siue comederet, siue dormiret, immò siue psalleret in choro, siue celebraret, sine faceret quæ tenetur esset inobediens, aut proprietarius, quando hæc in aliquem malum finem ordinaret, quod certè non est asserendum. Itaque propterea hic datur regula, quòd circumstantia mala accidentaria quæ nec redderet licentiam iniquam ad aliquid agendum, si illam superior dedisset, nec vsum talis licentiæ proprietarium, non reddit etiam proprietarium vsum licentiæ indefinitæ, sed ad talem vsum licentia indefinita se extendit, & à proprietate excusat. Sic enim sicut si Prælatus expresse concessisset subdito licentiam donandi Titio ex causa satis honesta, non vitiatur licentia, & donatio non est proprietaria si subditus id faciat in odium Pauli, eadem ratione ex licentia indefinita haberi potest sine proprietate eadem donatio, licet ex malo fine odij per accidens a donante habeatur.

170. Secundò limitatur, vt ex paruitate materiæ vsus saltem à culpa mortali excusetur, vt si indigens veste pro qua habenda expendi debet notabilis summa pecuniæ, Religiosus eadem summa pecuniæ, vel aliquantisper maiori qua honestam vestem emeret, emat aliam, quæ, licet leuiter, minùs tamen conuenit Religioso, & est aliquantisper vana, licet leuiter. Substantia enim huius emptionis bona est, ex eo verò quòd sit venialiter mala non vitiatur simpliciter totus vsus, vt ex quo est vsus notabilis quantitatis ad id, quod est malum venialiter sit in totum proprietas; aliter væ superioribus & subditis Religiosis, si in vsu ordinario rerum, quæ ad eorum sustentationem spectant ex culpa veniali essent mortaliter proprietatij, & si nimis manducent, vel bibant, si emant cibum aliqualiter nouium, vel ex aliquo affectu gulæ, vel alio simili modo in recipiendo, retinendo, dando venialiter solùm peccent contra Dei legem, & regulam. Quando ergo vsus rei secundùm substantiam est conueniens religioso, si contingat substantiam indiuidualiter vitiari leuiter, & venialiter, non per hoc in eo, qui ad vsus suos habet licentiam indefinitam vsus, fit grauiter proprietarius, etiam si fit vsus rei in quantitate notabili.

171 Immò nec licentia expressa data ad vsum venialiter malum est culpa mortalis in superiore, vt si superior sine causa rationabili det licentiam subdito vt lautè cænet in die ieiunij, quod non est de præcepto, vnde non ieiuniare non est culpa mortalis. Ratio est quia vsus facti non est contra votum paupertatis, & obligatio qua subditus se in professione obligat ad non vtendum rebus sine licentia superioris, est obligatio regulanda secundùm leges, quæ si vsum non prohibeant sub mortali, non est vnde talis vsus debeat dici mortaliter proprietarius. Et eò magis, quòd hæc obligatio est obligatio obedientiæ, & Religiosus obedientiam promittit secundùm leges. Et semper in vsu diuitiarum distingui debet ratio iniustitiæ a ratione sacrilegij. Quia bene poterit esse, quòd si superior in concedendo vsu venialiter malo alicui violet Iustitiam conuentus & bona illius notabiliter dissipet, vel violet iustitiam distributiuam notabiliter, peccet grauiter peccato iniustiæ, quod eueniet, si sæpius suis amicis monasterij bona dispenset contra regulam, & præcipuè alijs relictis & famem, vel nuditatem patientibus. Sed spectato sacrilegio contra paupertatem, dum vsus continetur intra culpam leuem licentia ad talem vsum non est mortaliter iniqua, quia lex talem vsum non prohibet sub mortali, & obligatio obedientiæ ad vsum de licentia non est nisi ad vsum iuxta legem. Verum quidem est, quòd & in hac parte ex frequentia similium concessionum ex quibus notabiliter relaxatur disciplina Regularis, culpa mortalis erit in superiore notabiliter relaxante obseruantiam regulæ, & hæc culpa est nedum ex quo superior dat expressam licentiam ad huiusmodi relaxationes, sed etiam si illas permittat cum illas impedire debeat. Subditi quoque licet ex eo quòd non vtuntur rebus nisi de licentia non sint proprietarij, tamen peccant, si relaxationi disciplinæ factis, & verbis cooperantur.

SVMMARIVM.

1 *Quod sufficiat licentia debita licet negata aliqui dicunt. num. 172.*
2 *Licentia debita & contrariè irrationabiliter negata sufficit. num. 173.*
3 *Vbi ex præcepto virtutis est necessarius vsus temporalium, non est necesse petere licentiam, licet hoc deceat. num. 174.*
4 *Epikia non habet locum in materia paupertatis. num. 174. & 176.*
5 *Licentia solum priuatiuè irrationabiliter negata non sufficit. num. 175.*
6 *Quid in casu necessitatis, si superior neget licentiam num. 176.*
7 *Prioris sententiæ obiecta soluuntur. num. 177.*

An sufficiat licentia debita, & sine ratione negata.

INSPECTIO SEPTIMA.

172 Alphonsus Mendoza in quodl. q. 8. circa fin. sentiens Religiosum, cui superior negauit licentiam expendendi duos argenteos, posse id facere, nisi superior oppositum præcipiat in virtute sanctæ obedientiæ, quia non fundat dictum suum in paruitate materiæ, sed quia licentia est irrationabili-

nabiliter negata, videtur sentire, quòd licentia debita licet irrationabiliter negata sufficiat. Posset verò hoc probari. Tum quia Religiosus non est seruus, sed filius, at vero esset cõditionis plusquam seruilis, si nec posset vti aliquo tunc cum superior irrationabiliter negat licentiam. Secundo, quia vxor potest etiam marito inuito facere eleemosynas suo statui conuenientes. Tertio, quia ad hunc casum non se extendit votum paupertatis, quod nõ se extendit ad paupertatem irrationabilem. Oppositum autem defendit *Suarez dict. cap. 11. numer. 19. & seqq.*

173 Licentia negata dupliciter dici potest negata irrationabiliter, nimirum, vel contrariè, vel priuatiuè. Est enim irrationabilis contrariè, si negetur subdito id, quod subditus ex alicuius virtutis præcepto tenetur agere. Et de hac loquendo, dicitur Religiosum posse operari, & vti rebus temporalibus, prout tenetur ex virtutis alicuius præcepto, etiam si superior sibi neget licentiam id faciendi, & si Religiosus probabiliter præsumat superiorem licentiam non concessurum, potest etiam non petita licentia obligationi suæ satisfacere. Et huius ratio manifesta est, quia vsus facti, ad quem Religiosus obligatur, non potest esse materia paupertatis, quia non facere, quod quis debet ex virtute est res illicita, quæ sub voto non cadit, & in hoc verum est, quòd votum non respicit paupertatem irrationabilem, quia non respicit paupertatem virtuti contrariam.

174 Immò in rigore Religiosus in hoc casu non tenetur aliquam licentiam petere, & hoc dicitur nedum quia potest præsumere licentiam, quia iniustum est præsumere superiorem nõ se opportuum virtuti, sed quia ad hoc non se extendit votum professionis, quod respicit bonum supererogationis, seu vsum homini liberum, quo homo potest honestè se priuare, non vero vsum debitum, quem virtus præcipit. Verum tamen est, quod conueniens est Religiosum in omnibus voluntatem superioris habere pro regula. Neque hic locum habet Epijcia, quia non hic agitur de obligatione legis ab extrinseco ponentis & explicandæ per Epijciam, sed de obligatione voti, quam est euidens non extendi ad materiam illicitam, & virtuti contrariam.

175 Sed si licentia negata sit solùm irrationabilis priuatiuè, & debita non ex parte subditi, sed ex parte Prælati, tunc non vsus rei temporalis est religioso honestus, & ideo cadens sub materia voti paupertatis, vnde sine licentia superioris non potest religiosus re temporali vti. Tum quia sine ratione eximitur hic casus ab amplitudine voti paupertatis, cum religiosus honestè ab hoc vsu abstinere possit, & aliàs ex voto ad honestam paupertatem se obligauerit. Tum quia sicut ex voto paupertatis non impeditur, quin religiosus possit vti licentia superioris etiam irrationabiliter concessa, quia in hoc vsu non se habet vt diues, sed vt pauper. Ita per votum paupertatis obligatur ad abstinendum ab vsu, etiam si hic irrationabiliter negetur, dum modò non vti sit honestum, quia tunc vti sine licentia esset vti nomine proprio, & independenter à voluntate superioris, quod est contra votum paupertatis. Tertiò quia religiosi sæpius prætendunt licentias sibi irrationabiliter negari, vnde si hoc sufficeret ad hoc vt sine licentia possent vti temporalibus, paupertas religiosa periret.

176 Sed quid dicendum, si religioso ex negata licentia immineat graue damnum, & vrgeat necessitas, nec sit tempus petendi & expectandi licentiam a superiore mediato? Quidam in hoc casu censent habere locum Epijciam, & ideo posse religiosum vti licentia iniustè negata ac si esset concessa. Ita *Suarez tom. 3. de relig. l. 6. c. 9. num. 28.* Nam perinde est habere Prælatum abutentem sua potestate, & illum non habere, vnde sicut subditus absente Prælato, posset sibi assumere necessaria, sic & potest illo iniustè ea negante. Et *Castro Palaus tr. 16. d. 3. p. 23. num. 9.* distinguit asserens licentiam debitam tam ex parte Prælati, quàm ex parte subditi valere negatam, ac si concessa fuisset, non verò si sit debita solùm ex parte Prælati. Sed non est recedendum à data distinctione. Neque propriè loquendo hic est necessitas Epijciæ. Nam si actus ad quem petitur licentia ex aliqua lege superiori est debitus, quam non potest superior impedire, manifestum est non habere locum obligationem voti; quia iniqua promissio Deo non placet, neque votum obligat ad non obediendum legi. Si verò actio, ad quam superior non vult dare licentiam, est talis, ad quam subditus habeat ius; Nam vt infra dicetur potest religiosus in aliquo casu superiore inuito accipere sibi necessaria ex bonis monasterij; iam & in hoc casu locum non habet Epijcia, quia habetur præsumpta licentia superioris mediati, immò ipsius legis. Inde est, quòd religiosus habens præsumptam licentiam superioris mediati, etiam supposita negatione licentiæ superioris immediati, potest vti temporalibus, quia eis non vtitur sine licentia. Sed si casus sit, in quo nec adsit, nec præsumi possit licentia legis, aut superioris mediati, & aliàs cessare ab actione, cuius licentiam superior immediatus negat, non est inhonestum, non potest subditus vti licentia debita & sine ratione negata. Et sic in casu in quo licentia est debita etiam ex parte subditi, quia nimirum subditus habet ius ad accipienda sibi bona monasterij inuito superiore, religiosus non ideo caret vitio proprietatis, quia licentia debita & iniustè negata valeat. Sed quia habet aliunde legitimam licentiam agendi, quod immediatus superior prohibet iniustè.

177 Ideo ad primum in oppositum dicitur, & Religiosum esse seruum voluntarium, nec tractari, vt seruum coactum, cum ei negatur aliquid, cum huius seruituti ipse se voluntariè submiserit. Ad secundum dicitur, quòd quidquid sit de veritate assumpti in argumento, non est eadem ratio, quia vxor est domina suorum bonorum licèt eorum administratio maneat apud maritum; ideo maritus non potest priuare vxorem vsu suorum bonorum, qui illi competit secundùm statum suum, sed Religiosus nullius est dominus, & immò res, quibus vti debet, sunt monasterij, vel alterius, ideo si vsus negatus sit honestè, debet esse contentus. Ad tertium dicitur interpretationem voti paupertatis, quam argumentum assumit esse legitimam, si licentia negetur irrationabiliter contrariè, non vero si negetur irrationabiliter priuatiuè, quia omnis illa paupertas est rationabilis, quæ est honesta, ideo si vsus negatus sit honestus materia voti paupertatis etiam si irrationabiliter

nege-

negetur. Ideo Mendoza nec consequenter loquitur, quia si superior irrationabiliter contrariè neget licentiam suo subdito vtendi bonis temporalibus, etiam si præcipiat subdito, vt abstineat, non tenetur subditus obedire, quia & præceptum erit irrationabile. Sed si præceptum non est irrationabile, iam honestum est obedire, & ita etiam absq; præcepto honestum est subditum à tali vsu abstinere, igitur ad id tenetur ex voto, quia id agere est esse honestum, & rationabilem pauperem.

SVMMARIVM.

An quem pertineat concedere licentiam Religioso vtendi rebus temporalibus.

INSPECTIO OCTAVA.

178 MVltùm pendet huius quæst. solutio a particulari consideratione actionum, quæ spectant ad paupertatem. Nam aliud est accipere, & aliud alienare res, & stat eum, qui potest dare licentiam ad accipiendum, non posse dare ad alienandum. Abstrahendo propterea a particularibus, quæ infra examinanda sunt, dicitur Prælatum proprium immediatum religiosorum posse hanc licentiam concedere in omnibus, quæ illi non sunt prohibita, vel ex regula, vel ex mandato Prælati superioris. Itaque Generalis independenter potest hanc licentiam concedere, & Prouincialis in sua Prouincia, & Prælatus immediatus in suo Conuentu ac domo possunt licentiam hanc concedere in omnibus in quibus non sunt prohibiti, vel a regula, vel à superiori. *Palaus tr.16.disp.3 p.23.n.11. Layman l.4.tr.5.cap.7.nu.14. Anton.à Spir.S.in direc. p.2.disp.4.num.253.*

179 Neque admittitur illa limitatio *Graffii 2.p. decis. l.3. cap.19. num.53.* vt scilicet excipiatur religiosus, qui professus fuerit in manibus Generalis; quia ex hoc religiosus non eximitur à iurisdictione Prælati immediati, si in eius Conuentu ac domo constituatur, quin teneatur ei obedire, & ex consequenti ab eo licentiam petere in materia paupertatis sicut alij religiosi. Verum est, quòd dantur aliqui religiosi de facto nulli subiecti, nisi Generali, vt ministri eius ad eius curiam pertinentes. Nisi enim adsit specialis regula in contrarium, isti nulli Prouinciæ aut Conuentui sunt addicti, sed immediatè sub Generali viuunt, & ideo a solo Generali licentiam vtendi bonis temporalibus accipiunt. Sed & aliqui à iure hanc licentiam habere possunt. Sicut Procurator Generalis in Ordine Prædicatorum, qui viuit ex contributionibus sibi à Religione assignatis à iure Constitutionum & Ordinationum Capitulorum generalium est administrator suarum contributionum, quibus ad sui honestam sustentationem, & suorum ministrorum vtitur, & similiter pecunijs, quas apud se habet, & habere per necessarium est, vtitur pro expensis litium, donec postea expensæ sibi reficiantur à Conuentibus, pro quibus expensas facit. Sed & superiores Prouinciales, & Priores aut Guardiani à iure licentiam habent vtendi rebus temporalibus iuxta cuiuscumque Ordinis regulam, nec indigent eam petere, quia non sunt subditi sed Prælati, quorum est licentiam concedere non petere. Eum etiam, qui possidet annuos redditus de licentia Papæ non teneri ad petendam licentiam à superiore Religionis dixit *Graff.p.p. lib.2.c.5. num.42.* Verùm debere attendi tenorem concessionis ex *Lez.p.p.c.6. nu.26.* dixit *Donatus t.3. trac.15. q.13.* quia censendum sit Papam velle seruari iura Ordinis. Sed cum iura Ordinis non violentur, si Religiosus de licentia Papæ vtatur aliqua re. Nec Papa concedat aliquid Religioso nisi, vt eo vtatur; ideo nisi Papa expressè declaret, quòd Religiosus petat etiam licentiam superioris, non tenetur eam petere.

180 Posset verò quæri, a quo Prælato hospites recipere debeant licentiam hanc, & *Lopez. p. p. instruc. cap.156.* censet munus huius licentiæ concedendæ pertinere ad Prælatum proprium, qui est Prælatus eius Conuentus, ad quem pertinent, non verò eius, in quo sunt hospites, quia sic seruari debeat in Ordine Prædicatorum. *Sanchez autem l.7. mor.c.19.num.41.* indicat ita esse dicendum de religiosis, qui non habent statutum particulare, quale habent religiosi societatis, in qua vt aduertit etiam *Layman.lib.4.tract.5.cap.7. num.14.* hospites subduntur Prælato Conuentus, in quo sũt hospites, dum ibi manent, qua cessante constitutione putat Prælatos Conuentuum in quibus religiosi sunt hospites, non posse hanc licentiam concedere, sicut nec posse Episcopos dispensare cum aduenis, nisi accipiant in diœcesi domicilium cum animo manẽdi ibi pro maiori parte anni, & ita dicendum esse de hoc religioso hospite manente per maiorem partem anni, vel habente animum manendi. Eandem sententiam tenent *Bonac.de larg.muner.n.6. Alphon. de Leon.de off.Confes.resol.11.num.206.Card. de Lugo disp.3.*

disp.3.de Inst.num.529. vbi addit, quòd in religionibus vbi ex statuto hospites subijciuntur Prælato monasterij, in quo sunt hospites, habent cumulatiuè duos superiores à quibus licentiam obtinere possunt, scilicet superiorem hospitis, & superiorem monasterij, ad quod sunt reuersuri. Verùm alia difficultas hîc oriri potest; quia aliqui hospites sunt, qui immediatum Prælatum habere non videntur, à quo licentiam petant, illi scilicet, qui de vno ad alium Conuentum transferuntur. Hi enim non videntur subditi Prælato Conuentus à quo recedunt, quia ad illũ Conuentum nõ pertinent. Nec Prælato Conuentus ad quem accedunt, quia ad illum nondum aduenerunt. A quo ergo petent licentiam? Sed respondent DD. citati, pertinere ad superiorem Conuentus ad quem religiosus mittitur hanc licentiam concedere.

181. Respondetur igitur ex cuiuscumque religiosi regula punctum hoc iudicandum esse. Cæterùm in communi loquendo, hoc primò certum videtur in multis tales religiosos non indigere licentia speciali, quia habent illam saltem tacitam à Prælato ex cuius obedientia iter habent, quantùm ad ea quæ ad honestam sustentationem eorum, & ad honestè itinerandum iuxta cuiuscumque statum pertinent, vnde in huiusmodi à nullo licentiam petere tenentur, quia illam habent, immò Prælati immediati Conuentuum iuxta regulam Ordinis tenentur huiusmodi religiosis subministrare necessaria ad iter habendum, cum religiosi ex obedientia præcipiente iter habent.

182. Quantum vero ad alia; quæ ad vitæ sustentationem & honestum iter non pertinent, vel religiosi hospites abstinere deberent, vel dicendum est, quòd in hoc sunt subditi Prælatis Conuentuum in quibus reperiuntur. Nam circa ista non habent licentiam tacitam à superiore à quo mittuntur, & bene potest accidere, quòd nec habeant præsumptam, & quatenus haberent conuenientius est in hac materia non agere ex præsumpta licentia, sed licentiam expressam petere. Ideo crederem talem religiosum debere, vel abstinere à tali vsu ad quem non habet licentiam tacitam ex vi suæ assignationis, vel licentiæ ad iter habendum, vel saltem præsumptam à superiore Conuentus ad quem pertinet, vel petere licentiam à Prælato illius Conuentus in quo reperitur. Ratio est quia ordo petit, vt non sit in subdito debitum agendi dependenter à licensia superioris, & non sit superior, qui illam concedere valeat. Non est dicendum verò, quòd religiosus hospes possit sine licentia vti temporalibus, quia non est dispensatus à paupertate. Non verò potest petere licentiam à Prælato absente, & aliàs eam non habet saltem tacitam, vel præsumptã ab aliquo igitur petere tenetur, igitur & debet dari superior, qui illam concedere possit. Et sic Prælatus illius Conuentus, in quo hospes religiosus manet de iure est in his superior legitimus. Quod confirmatur, quia sic superior iste tenetur alere religiosum hospitem & illum charitatiuè tractare iuxta regulam, dum manserit in suo Conuentu, vnde ex hoc tenetur tribuere vsum temporalium ad eius vitæ sustentationem spectantium, honestum est & rationabile, & dignum quòd intelligatur vt connaturale communitati ordinaræ, & ex pluribus conuentibus ac domibus, constitutæ, vt religiosus hospes etiam in alijs quorum vsum non habet licentiam Prælati superioris subdatur Prælato Conuentus in quo degit.

183. Similitudo autem quæ adducitur de Episcopo non valente dispensare in impedimentis matrimonij cum aduena, nisi accipiat domicilium in diœcesi cum animo manendi ibi per maiorem partem anni, non currit, sed magna dissimilitudo est, quia religiosus ex se non potest in aliquo Conuentu aut domo accipere domicilium, & se subdere iurisdictioni Prælati in cuius Conuentu est hospes, vt possit ex hoc habere superiorem de cuius licentia agat, sicut potest secularis se subdere iurisdictioni Episcopi, quia religiosus non habet velle, aut nolle, sed à superiore maiori assignatur, seu collocatur in Conuentibus, aut domibus, & subditur iurisdictioni huius immediati Prælati, vel illius: ideo vel dicendum est quòd religiosus hospes nec habeat, nec habere possit superiorem ad quem in præsentaneis suis religiosis commoditatibus recurrat, quod non est admittendum, vel quòd ex ordinata institutione sui status maneat subditus Prælato in cuius Conuentu habitat. Quod eò magis est verum, si per multum temporis in eo viuere debeat. In quo casu magis apparet discrimen inter secularem & religiosum, quia religiosus ex animo manendi in aliquo Conuentu non tribuit nec tribuere potest iurisdictionem Prælato illius Conuentus, quia religiosus ei soli subditur, cui subditur ex dispositione superioris, & licet religiosus hospes habeat animum manendi in aliquo Conuentu, non potest habere animum manendi, vt pertinens ad Conuentũ, sed vt hospes, quia nõ potest se incorporare Conuentui nisi superior hoc faciat. Sed secularis ad libitum acquirit domicilium in diœcesi & se subdit iurisdictioni Episcopi.

184. Et certè orque est verum, quòd in Ordine Prædicatorum Prælatus Conuentus, in quo hospes degit, non sit proprius in ordine ad dandam licentiam in materia paupertatis: quia immò in tali Ordine statutum est, vt hospites sint sub iurisdictione Priorum Conuentuum in quibus manent, & ab eis possunt dirigi & puniri etiam pro delictis alibi perpetratis. *Gloss. const. dist. 2. cap. 13. §. 1. lit. D.* Et ab eisdem Prioribus absolui possunt à casibus reseruatis & censuris. *Gloss. in prolog. §. 3. l. F. & dist. 1. cap. 14. §. 1. lit. C.* Et in particulari quantum ad vsum pecuniarum hospites tenentur ad legem depositi, vt scilicet pecuniam ad eorum vsum concessam reponere debeant in communi deposito, si vltra sex dies in Conuentu maneant. Sic enim statutum fuit Valen. 1596. confir. 5. & Romæ 1601. confir. 3. vbi declaratum fuit hoc statutum intelligendum de hospitibus eiusdem Prouinciæ.

185. Quare absolutè dicendum videtur, religiosum hospitem cumulatiuè habere duos superiores de quorum licentia potest vti diuitijs, scilicet superiorem hospitij, & superiorem Conuentus, à quo recessit, si ab eo non est remotus, vel superiorem Conuentus ad quem accedit, & in quo à superiore collocatur. Quod quantùm ad superiorem hospitij limitandum est, vt non valeat ad vitandam iniustitiam, licentia eius in præiudicium Conuentus ad quem hospes pertinet. Non enim superior hospitij potest dare licentiam hospiti v. g. alienandi res ad suum vsum necessarias, & quæ de bonis ad cô-

net, & præcepti violatio est sacrilegium. Et si ex sit talis, quæ non obliget ad culpam mortalem, nec eius transgressio est mortalis culpa. Si verò transgtessio est contra speciale præceptum regulæ, si hoc præceptam obligat ad culpam mortalem, transgressio est etiam sacrilegium contra votum obedientiæ, non ex generali vi talis voti, sed ex ratione speciali, scilicet ex speciali præcepto obedientiæ. Sed si lex regulæ ad nullam obliget culpam, sed ad pœnam, nec transgressio talis legis est culpa.

149 Hinc colligitur qualiter Religiosi ex iniusta licentia vtentes rebus externis subdantur pœnis latis in proprietarios. Nam quòd *Nauar. Sanchez*, & alij asserentes huiusmodi licentiam esse nullam, & tamen excusantes vtentes ea ab incursu pœnarum non loquantur consequenter aduertit *Card. de Lugo disp.3. de iust. num.*131. Quia si licentia talis est nulla, tales sine licentia vtuntur diuitijs, & iam per bonam consequentiam verè sunt proprietarij in eorum sententia, vnde pœnis proprietariorum subijci debent. Dicitur igitur, quod tales directè non sunt proprietarij, nec ex eo inobedientes, quòd vtantur rebus sine licentia superioris. Ceterum non obstante licentia subduntur omnibus pœnis latis contra talia agentes, qualia agunt, & ideo subduntur etiam pœnis latis à lege positiua contra suos transgressores, sed est consideranda semper actio pro qua fertur pœna. Nam v.g. sepultura... lata in *cap. monachi, & locum ad monasteriū de stat. Monach.* respicit non omnem proprietatem, sed illam per quam quis occultè detinet res; ideo hæc pœna non potest habere locum in eo, qui palam de licentia superioris res habet. Vnde in hoc bene dixerunt *Nauar.* & alij hunc ab illa pœna eximentes. Sicut regulariter, & aliæ huiusmodi pœnæ non afficiunt nisi vtentes his rebus sine licentia; quia vbi adest licentia cessat præsumptio proprietatis. Sed tamen vbi pro aliquo vsu speciali sit imposita pœna, licentia illicita ab ea non excusat. Vt non excusat à pœna lata à Concil Trid. contra vsum superfluum rerum temporalium.

150 Ad argumenta in oppositum respondetur. Primum enim multipliciter deficit. Tum primò, quia Religiosus potest vti re, quæ non sit monasterij, sed alterius domini, & de licentia eiusdem domini; vnde ad hunc vsum nihil interest, quòd superior sit, vel non sit dominus rei cuius est vsus. Tum secundò, quia bene potest contingere, quod Religiosus ex turpi causa ab extraneo recipiat, & quòd monasterium non propterea sit inuitum. Tùm tertiò, quia etiam respectu rerum monasterij argumentum non probat, nisi quòd vsus non excusetur ab iniustitia, ex eo quòd Religiosus vtatur re monasterij eo inuito; quod quidem verum est, quando monasterium verè sit inuitum: de quo puncto dicendum est infra, vbi erit sermo de obligatione restituendi. Et quia quàm plures ex DD. primæ sententiæ relatæ num. 142. fundantur super hoc argumento constat, quòd non distinxerunt inter iniustitiam, & proprietatem. Ex quo enim superior non sit dominus, sed administrator bonorum Religionis, cum non possit dare licentiam eas conuertendi in malos vsus, sequitur quod tam ipse dans licentiam illas distrahendi, quàm Religiosus licentia illa vtens sint iniusti, nō vero quod Religiosus sit proprietarius.

151 Ad secundum dicitur, quòd probat, quòd tam subditus, quàm superior peccent contra legem similem vsum, aut similem licentiem prohibentem. Sed arguens non aduertit, quòd licentia illa non est prohibita ex vi voti, vel paupertatis, vel obedientiæ per se directè, generaliter, ex vi enim talium votorum obligatur Religiosus, vel ad non habendum proprium, vel ad non vtendum rebus sine licentia superioris, non verò obligatur, vel vt sit castus, vel vt non sit iniustus, vel vt obseruet leges Canonicas, vel ut aliunde non illicitè agat. Ex vi voti obedientiæ uerò obligatur ad obediendum Regulæ, si regula præcipiat in virtute obedientiæ, & ideo si detur speciale præceptum non vtendi simili licentia quod obliget sub culpa mortali, & in virtute obedientiæ, in eo casu, vsus tali licentiæ est violatio voti obedientiæ; nunquam tamen talis licentiæ vsus per se si sit purus vsus facti, directè est contra votum paupertatis.

152 Tertium supponit, quòd non probat, scilicet quòd supremus Prælatus sit Inuitus, quia ille qui facti non est conscius, eius nec est voluntarius, nec inuitus. Sed semper est considerandum, quòd loquimur de necessitate, quàm sibi facit liberè vouens, qui quidem non se obligauit nisi ad habendum consensum alicuius ex suis superioribus independenter etiam à necessitate alios consulendi. Neque enim Religiosus se obligat ad inquirendum an Prælati superiores, & præcipuè an Papa ratum habeat, vel non habeat licentiam sibi datum à legitimo superiore. Neque enim hæc obligatio esset opportuna regimini Regulari, & esset contra Religiosam quietem, esset enim uinculum ligans, & detinens subditum inter compedes scrupulorum, & perturbationum. Quatenus verò Prælatus superior sit inuitus, vt legislator, iam contra leges eius peccat tam subditus, quàm superior. Sed Prælatus supremus, vt director institutus ex vi voti, in his casibus, nec est uoluntarius, nec inuitus, quia nec casum scit, nec ad eum pertinet tunc consentire, uel dissentire, sed ad illum hoc spectat, ad quem subditus recurrit, vt licentiam obtineat.

153 Ad quartum dicitur falsum omnino esse, quòd dare licentiam vtendi rebus temporalibus sit dispensare in aliquo voto, sed est ponere conditionem sub qua uotum non obligat, quam conditionem sufficienter ponit, qui dat licentiam, & qua data votum non obligat. Aliàs verò vbi immediatus superior debeat in aliqua lege dispensare, non valet dispensatio data sine iusta causa.

154 Ad quintum respondebitur paulò infra.

155 Colligitur primo licentiam superioris immediati datam ad ea, quæ sunt contra regulam, esse validum ad vitandam culpam proprietates simpliciter, & contra votum, vt generaliter obligatus ad non utendum rebus temporalibus sine licentia, licet non sit valida ad vitandam inobedientiam præfatæ legis, nisi superior possit in statuto regulæ dispensare. In casu enim in quo superior potest dispensare in statuto regulæ, consentiunt DD. communiter superiorem posse dispensando ex iusta causa in statuto regulæ dare licentiam ad vsum, qui sit contra regulam, quia non sit contra regulam, quod fit sub legitima, & iusta dispensatione, & ita loquendo de Prælato secum dispensare, ex-

te expressè *Sanchez l.7.mor.cap.19. numer.27.* Nec potest in hoc esse difficultas. Sed supposito quod superior, vel non possit in statuto regulæ dispensare, vel non habeat legitimam causam dispensandi, adhuc simpliciter sacrilega vitatur proprietas, quia non viuit ex proprio, qui non agit nisi consentiente superiore. *Turrecrem. d. cap. cum dicatis, n.2. Vmbert. D. Anton. 10. Andr. Panorm.* & alij supra *num.138 citati.* Sed licentia data contra statutum regulæ dupliciter potest contingere, vel quia lex prohibeat id, ad quod datur, vel quia prohibeat immediatè & directè, vel vsum pecuniæ ad talem finem, vel licentiam concedendam ad talem vsum. Quomodocumque licentia data sit contra statutum, si statutum non irritat licentiam, illa licet non sit licita, si superior, vel non potest, vel non habet causam legitimam dispensandi, est tamen valida ad effectum vitandi simpliciter proprietatem. Quæ enim fiunt contra prohibitionem legis non sunt ipso facto, & iure nulla, nisi in casibus in iure expressis, vel nisi lex irritet actum. *Glossa Clem. 1.de praben. Menoch.casu 276.num.17. Card.de Lugo disp.3 de iust.num.138.*

156 Colligitur secundo, quod vbi materia sit propriè iniusta, vt v g. est furtum, vel vsum, vel inferens graue damnum tertio, ita etiam monasterio, licentia superioris ad talem actionem, nimirum, vel ad accipiendum, vel ad retinendum aliquid, aut consumendum cum damno tertij est valida ad vitandam culpam proprietatis simpliciter, non verò ad vitandam culpam iniustitiæ. Hoc secundum euidens est, quia vbi dominus rei fit inuitus, vsus rei est iniustus, nec potest fieri iustus nisi ex domini consensu. Primum etiam patet, quia vt habet *Suarez tom.3.l.8.cap.11.num.15.* Religiosus ex vi voti paupertatis non promittit iustitiam, sed viuere sine proprio, semper verò simpliciter loquendo viuit sine proprio, cum viuit ex subordinatione ad voluntatem sui superioris. Immò & *Sanchez l.7.mor.cap.13.num.55.* fatetur quòd Religiosus, qui de licentia superioris furatur ad vsus monasterij, non peccat contra votum paupertatis, & quòd tota malitia est, quia furtum est contra Domini voluntatem. Aduertit verò, & bene *Card. de Lugo disp.3. de iust. numer.130.* sine fundamento *Sanchez* hoc limitare ad furtum factum intentione acquirendi monasterio; quia dum Religiosus sibi acquirit non sibi, sed monasterio acquirit, ideo furtum factum de licentia Prælati non est contra paupertatem simpliciter.

157 Colligitur tertio, quod vbi materia sit contra aliquam virtutem, licentia superioris data ad vsum pecuniæ in ordine ad talem actionem, licet sit illicita, & mala, non tamen est inualida in materia voti paupertatis simpliciter. Vnde licentia data ad accipiendum pro turpi causa, & intuitu cuiuscumque illicitæ actionis, vel ad retinendum ad aliquem malum finem, vel ad expendendum in vsus turpes, est quidem illicita, & mala, sed tamen est valida ad hoc, vt Religiosus non sit simpliciter proprietarius, & dicatur simpliciter proprietarius. Quia fatemur, quòd transgressor legis alicuius Canonicæ, vel legis specialis, aut præcepti intuitu paupertatis prohibentis aliquem vsum est indirectè, & secundum quid, vel etiam præsumptiuè proprietarius. Sed proprietarius simpliciter non est, nisi qui, vel sibi vsurpat dominium, vel sine licentia superioris vtitur diuitijs, vtrumque enim horum est directè, & determinatè contra votum professionis. Hoc verum est, quòd *Suarez d.cap.11. num.16. & cap.15. num. 4.* differentiam facit inter hoc, quod est recipere, & retinere ad turpia, & inter hoc quod est alienare; & limitat conclusionem, vt non intelligatur de licentia alienandi ex causa turpi, vel ex non rationabili causa. Quia superior non potest dare hanc licentiam alienandi, hoc modo, cum non sit dominus bonorum monasterij, sed administrator cui interdictum est consumere bona monasterij in huiusmodi vsus. Sed *Suarez* in hoc non loquitur consequenter, quia si vt ipse fatetur *cap.15.num.15.* licentia data à superiori ad furandum extraneo, licet non excuset à peccato iniustitiæ, excusat tamen à peccato proprietatis, cur licentia data ad furandum monasterio non erit sufficiens ad vitandam eandem culpam proprietatis, licet non sufficiat ad vitandum peccatum furti? Verum igitur est esse differentiam respectu acceptionis, & retentionis, & respectu alienationis quantùm ad peccatum iniustitiæ, quia acceptio, & retentio boni temporalis non est damnosa monasterio, sed vtilis temporaliter, alienatio verò potest esse causa damni notabilis monasterio, vnde licentia ad alienandum ob turpem causam potest esse, & est iniusta, si non sit talis, in qua facultas superioris ad alienandum res monasterij se extendat. Sed in ordine ad vitium proprietatis differentia nulla est, quia etsi Religiosus furetur monasterio, si hoc faciat ex licentia superioris non viuit ex proprio, & ex arbitrio, ideo neque est simpliciter proprietarius.

158 Colligitur quarto, licentiam datam à superiore ad vsus non necessarios, sed superfluos esse validam ad effectum vitandi culpam contra votum paupertatis simpliciter. Hoc autem eò amplius est verum, quo habere superflua non est directè contra votum paupertatis per se loquendo, & directè. Fuit quidem aliquorum opinio, quòd habere superflua sit contra votum paupertatis; quia hoc votum obligat ad non habendum nisi necessaria secundum decentiam status. Ita *Lezana p. 1. cap.6. num.13. & Card. de Lugo disp.3. de iust. numer.131.* hoc idem asserit de Religionibus, in quibus viget rigorosa paupertas, excipiens Regulares milites. Alij etiam vt *Donatus tom.3. tract. 15. q.19.* tenent quòd habere superflua sit contra votum paupertatis. Sed hoc non sine distinctione admittendum Quia materia voti paupertatis est dominium & pauperrimus est, qui nullius rei est dominus, vt communiter antiqui omnes Theologi, & Canonistæ dixerunt, & probatum est supra inspect. secunda. Ideo Religiosus per votum paupertatis non promittit non habere superfluum, sed non habere proprium. Vnde habere superfluum de licentia superioris non est peccatum directè, & per se contra votum paupertatis, aut professionis, vt docuerunt *Turrecremata cap. non dicatis a.2.12.q.1. D. Anton.3.p. tit.16. cap.1.§.11. Sylvest. v. Religio. 6. q. dict.4. Ledesma de stat. cap.4. concl.3. diff.11. pag.61. Suarez tom. 3. l.8. cap.12. num.13. Anton. à Spir. Sancto p.2.tr.3. nu.98.* Et modo est certum ex *Clem. exiui, de verbor. signif. fiat.* cum enim ex Minoribus aliqui existimarent ipsos ex vi voti paupertatis teneri ad paupertatem, &

Xxx valde

valde arctum vsum rerum, sicut & obligantur ad arctissimam paupertatem, alij vero hoc negarent; Pontifex declarauit, quod ipsi. *Ex professione sua regula specialiter obligantur ad arctos vsus, seu pauperes, qui in ipsorum regula continentur, & eo obligationis modo sub quo continet, seu ponit regula dictos vsus.* Vnde euidenter deducitur, quod Minores, si exceedant in vsus superfluos, non faciunt directe, & immediate contra votum paupertatis, sed contra regulam, nec magis peccant, quam sit peccatum contra regulam, quod ex genere suo non est mortale, nisi vbi regula praecipit, ut habetur infra artic. 9. Ex vi igitur voti paupertatis non prohibentur directè, & immediate Religiosi habere superflua. Habens enim superfluum, si nullum ius proprium, & dominium illius habeat, immò in illius vsu dependeat nedum à domino rei, sed à superioris arbitrio est magna possidens, & nihil habens iuxta dictum Apost. *Nihil habentes, & omnia possidentes*, & nequit dici diues, qui nihil habet, & nec vsum facti habet, si superior nolit. *Et* quod dicunt *Sanchez*, & aliqui alij contra paupertatem peccari non per solum peccatum proprietatis, sed etiam per peccatum superfluitatis, hoc probandum esset; Nam aliàs certum est, quòd paupertatis uotum habet pro materia dominium, & proprietatem, & hoc est quod per tale uotum promittitur, scilicet sine proprio uiuere, ut habetur ex *D.Th.a.3.* huius *q.*186. non uerò promittitur non habere superfluum ad simplicem usum facti cum subordinatione ad superioris uoluntatem.

159 Sed nunquid habere superfluum non est per se prohibitum Religioso, nisi ex vi legis positiuæ? Minimè quidem. Nam superfluum est per se omnibus ex naturali lege prohibitum, & speciali ratione ex vi religiosi status, seu ex fine status religiosi est magis illicitum, non tamen directè & per se ex vi alicuius voti, licet etiam sit prohibitum ex regula, & quatenus est sic prohibitum sit suo modo contra obedientiæ votum. Declaro singula. Primò autem distingui debet inter habere maximam quātitatem diuitiarum & inter habere superfluum. Nam primum non repugnat directè voto paupertatis, immò nec statui Religioso dum nihil habeatur, vt proprium & inuito superiore, quia stat, quòd quàmmaxima quantitas diuitiarum aliàs non sit superflua Religioso, vt patet in Religioso Episcopo, aut summo Pontifice. Sed loquendo de superfluo propriè, primò assero, quòd superfluum est prohibitum ex lege naturæ. Nam quid est superfluum in diuitijs, nisi quod ad quemcumque finem honestè amabilem non est necessarium, ita quòd præter illud habetur quidquid est nedum simpliciter necessarium, sed necessarium ad meliùs acquirendum quemcumque finem, quem persona possit honestè desiderare, siue hic finis sit alimentum familiæ, siue splendor honestus, siue condecentia dignitatis, siue prouidentia contra contingentes casus, & possibiliter futuros casus necessitatis, siue promotio filiorum, siue status augmentum, siue quicumque alius finis honestè amabilis. Modò quis neget non esse cōtra rationem tenere id, quod de iure naturæ est commune omnibus, & quo cæteri summè indigent, & nihil omino iuuat, sed omni suo honesto desiderio superfluit? Superfluum ergo, quod verè est superfluum, non nisi contra rectam rationem possidetur. Quod verò speciali iure hoc sit illicitum Religioso, habetur ex eo, quòd status Religiosus diuitiarum abdicationem, & contemptum importat, igitur ex vi talis status speciali iure est prohibitum habere diuitias superfluas. Hoc tamen directè non est ex vi voti paupertatis, quia vt dictum est, huic voto satisfit, si nihil habeatur vt proprium. Sed neque est per se primò, & directè ex vi voti obedientiæ, nullo supposito Regulæ præcepto. Quia illi voto satisfit, si nihil ad vsum facti habeatur inuito superiore. Vnde est, quòd accipiēdo paupertatem magis latè, vt importat nedum priuationem dominij sed priuationem liberæ facultatis vtendi diuitijs independenter ad obedientia superioris, non est directè contra paupertatem habere superfluum, si non habeatur inuito superiore. Prohibitio igitur superflui antecedit statum Religiosum tanquam ex præcepto naturali; augetur verò ex vi status Religiosi, quia possessio superflui, etiam si sit nudi facti non est conueniens, sed repugnat aliquomodo speciali fini status Religiosi, qui est perfectio, ex hoc requirens abdicationem diuitiarum, quòd illarum possessio abducat animum ab illis, quæ sunt perfectionis, vt ex D.Th. & PP. probatum est supra a.3. vnde est quòd contra rationem rectam multò magis est, vt velit possidere superfluum ille, qui assumit statum in quo vix admittuntur necessaria, & quantùm fieri potest abdicatur possessio diuitiarum, taliter vt nedum nihil possit haberi proprium, sed vt ex necessarijs nihil liceat vsurpare, nisi de superioris licentia. Et hoc magis explicatur, quia ex quo per statum religiosum abdicantur diuitiæ, fit vt quàm plurima sint Religiosis superflua, quæ non sunt superflua secularibus; si enim fit vt alias non superflua de se & necessaria prohibita sint Religiosis, multò magis illis prohibitum erit, quod illis omnino superfluit. Inde est, quòd habere superfluum consecutiuè & secundariò est contra votum paupertatis. Tum quia moderatus vsus diuitiarum est necessarius ad custodiam paupertatis. Tum quia immoderatus vsus diuitiarum non est proportionatus secundùm rectam rationem statui eius, qui à se abdicauit omnium rerum dominium. Et semper distingui debet inter habere multa, & plurima, & inter habere superfluum, quia primum non disconuenit paupertati, si adsit iusta causa habendi, & non habentur vt propria, & de superioris licentia. Sed secundum omnino est illicitum, & magis illicitum ei, qui ex professione dominium omnium abdicauit, adeo vt etiam se priuauerit libertate vsus facti, nisi cum dependentia à voluntate superioris & secundùm exigentiam regulæ religiosæ. Principaliter igitur & primò hæc prohibitio est ex substantia religiosi status, quæ requirens abdicationem iusti dominij & liberi vsus diuitiarum per prius requirit abdicationem vsus superflui. Vnde hæc prohibitio, vt est legis naturæ antecedit votum, vt verò est legis diuinæ consequitur liberam assumptionem religiosi status, quæ fit per votum professionis, & sic hæc prohibitio consequitur tam votum paupertatis quam obedientiæ respectu vsus diuitiarum. Sed econtra iustitiam distributiuam est, vt bona communia superfluè, & sine causa dispensentur, vnde superfluum in Religiosis est simul iniustum. Meritò propterea in regulis status Religiosi superfluum est prohibitum;

tum;

tum; quo supposito habere superfluum est etiam ex hoc suo modo contra votum obedientiæ, cum sit contra Regulam. Non fuit verò necesse vt directè per se specialiter abstinentia à superfluo promitteretur per votum, quia sufficit ad hoc votum de non vtendo diuitijs nisi ad directionem superioris, cuius est legis naturalis, & diuinæ obseruantiam promouere. Hinc tamen sequitur, quod Religiosi multò faciliùs grauiter peccant, si superfluum admittant, quàm seculares, nedum quia Religiosis plura numeranda sunt inter superflua, sed quia in Religiosis minor excessus in superfluo est ex genere suo grauior & inhonestior. Superfluum verò considerandum est, nedum respectu quantitatis, sed etiam qualitatis; quia superfluum est, quòd Religiosi vtantur pretiosis, & quæ cariùs valent, cum illis sufficere debeant, quæ statui paupertatis abdicantis diuitias magis conueniunt. Minimè propterea admittendum est, quòd habet *Anton. à Spiritu Sancto d. tr. 3. a. num. 9.* scilicet, quòd habere superfluum non sit contra substantiam voti taliter, quòd Prælatus non possit in hoc dispensare, & quòd consuetudine non possit introduci, vt superfluum Religiosi habeant. Nam esto contra Regulæ aliquam positiuam legem posset introduci, vt aliquod non sit censendum superfluum; nunquam tamen introduci potest, vt Religiosus superfluum habeat, cum hoc sit contra ius naturale, & diuinum, & substantiam religiosi status, ut probatum est.

160 Sed in contrarium vrget, quod adductum est supra ex *Concil. Trid. sess. 25. de regul. cap. 2.* ubi habet *Mobilium verò vsum ita superiores permittant, vt eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt conueniat, nihilque superfluum in ea sit.* Et in *Clem. 1. de statu Monach.* idem priùs ordinatum fuerat, vt Religiosi non haberent vestes pretiosas, & superfluas; igitur habere superfluum est directè cõtra votum paupertatis. Dicitur enim consequentiã hanc infirmam esse, & ex textu illo Conc. Trid. colligitur oppositum. Aliud enim est quòd habere superflua ad vsũ non conueniat statui paupertatis, aliud est, quòd sit materia prohibita per paupertatis votum. Primum enim admittitur; Nam licet vsus facti non disconueniat paupertati, superabundare tamen in vsu facti est quid minùs proportionatum statui paupertatis, cum pauperis sit deficere etiam in necessarijs, non verò superabundare in superfluis. Ideo Concilium meritò prohibet superfluitatem in supellectili Religiosorum. Quoniam tamen pro ratione sui decreti non affert, quia superfluitas sit directè contraria paupertati, sed quia non conuenit statui paupertatis: ex Concilio deducitur, quòd superfluitas non est materia voti paupertatis, nec continet peccatum, quod directè, & primo sit contra votum, sed solùm, quod tanquam quid non consonum statui promissæ paupertatis, & est illicitum, & vt tale iustum fuit prohiberi, sicut fuit prohibitum priùs per Clementem Quintum, & postea per idem Concilium Tridentinum.

161 Neque obstat si dicatur, hinc sequi ex consequenti, quòd modò habere superflua sit contra votum paupertatis, quia hoc est interdictum per Concilium nedum subditis, sed ipsis Prælatis est interdictum id permittere, vnde nec licentia data ad habenda superflua est valida contra legem Concilij Tridentini, & ex consequenti, qui tenent superfluum illud tenent sine licentia, quod est contra votum paupertatis. Iam enim patet ex dictis supra hoc non sequi, quia vt aduertit Card. de Lugo nihil est in eo textu Concilij ex quo colligi possit mentem illius fuisse irritare simpliciter licentiam superiorum si illam dederint. Nam & quis dicet, quòd si contingat Religiosum de licentia superioris recipere superflua à seculari titulo donationis, quòd receptio illa sit nulla; & quòd donata debeant restitui? Stante igitur decreto Concilij licentia non est valida ad excludendam culpam, & pœnam latam à Concilio Tridentino, vt habetur ex decreto Clem. VIII. de reformat. ibi. *Nulla quorumcumque superiorum dispensatio, nulla licentia, quantùm ad bona immobilia, vel mobilia fratres excusare possit, quominùs culpæ, ac pœnæ ab eiusdem Concilij decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ obnoxij sint, &c.* Sed tamen licentia est valida, vel ad vitandum peccatum iniustitiæ, si habere superflua non sit in præiudicium Conuentus, vel ad vitãdum peccatum proprietatis simpliciter; quia non est proprietarius simpliciter, qui de licentia superioris tenet, quod tenet. Est vero hoc contrarium, tam legi naturali, quàm positiuæ. Sed respectu legis naturalis superfluum ampliorem habet latitudinem, ita vt nihil superfluum sit, quod ad aliquem Religiosum finem obtinendum de licentia superioris sit quocumque modo necessarium. Et hoc quoque est superfluum principaliter prohibitum concedi Religioso à Cõcilio Tridentino, quod scilicet non est præfato modo necessarium. Sed superfluum contra legem positiuam huius, vel illius Religionis potest esse strictiùs, & minoris latitudinis. Tenere vero superfluum potest dici proprietas secundùm quid, & indirectè, quatenus ex vi voti paupertatis, & obedientiæ consecutiuè sequitur, quòd superfluum magis ac magis dedeceat Religiosum, qui abdicationem rerum temporalium profitetur. Et quia modo supra explicato cum hoc sit contra legem positiuam ad votum paupertatis recipientem est proprietas Canonica.

162 His sic stantibus altera se se offert grauis difficultas; Quid scilicèt sit dicendum vbi superior non dat licentiam expressam ad vsum illicitum, sed dat licentiam indefinitam ad beneplacitum vtentis, nihil exprimendo de vsu licito, vel illicito. Et duplex hic insurgit difficultas. Prima est an huiusmodi licentia licitè dari possit. Secunda est an si detur extendat se, & excuset à culpa proprietatis, si Religiosus expendat in vsus illicitos. Pro primæ difficultatis solutione dico primò, quòd non repugnat posse valide etiam sine peccato dantis concedi licentiam ad aliquod generale, quæ licentia possit extendi ad vsus illicitos ex malitia eius, cui est concessa. Probatur hoc à *Card. de Lugo num. 133.* multis exemplis, primò, nam dispensatio Pontificis cum consanguineis ad matrimonium se extendit etiam ad hoc, vt copula ab ipsis habita extra matrimonium non sit incestus, licèt aliàs sit mala contra virtutem temperantiæ. Et dispensatio talis suum effectum habet, qui est auferre ab actu malitiam consurgentem ex prohibitione Ecclesiæ, a qua haberet speciem incestus, vt ex *Caiet. v. incestus, Armilla ibi in princ. Vega tom. 2. c. 5. casu p. in princip.* probat *Sanchez de matrim. l. 7. disp. 67. num. 9.* Item

dispensatus super ieiunio, vel vt possit comedere carnes dispensatur generaliter; & licet aliunde comestio carnium sit turpis, vt quia sit contra iustitiam, vel contra temperantiam, vel etiam contra castitatem, non tamen est contra præceptum Ecclesiæ prohibentis vsum carnium. Dispensans igitur super vsu carnium sic absolutè, licet sciat posse fieri, vt dispensatus abutatur dispensatione, non per hoc peccat, quia ipse nihil mali concedit, sed solùm ex iusta causa aufert Ecclesiæ prohibitionem, remanente interim dispensato ligato alijs legibus ad hoc, vt dispensatione non abutatur. Sic quoque superior dans licentiam ad exeundum à domo, non per hoc peccat, si subditus eat ad meretricem. Sic enim Deus non est malus, nec malè fecit dando homini dominium rerum, & suorum actuum, licet sciret illum abusurum fuisse hoc dominio. Sic de iure gentium Deo sic volente introductum est dominium rerum, concessa dominis facultate vtendi eisdem rebus, quæ facultas valida est, & tamen de facto ad turpissima se extendit, non quod lex approbet turpia, sed quia aufert prohibitionem vtendi, quæ ex iniustitia prouenire posset, vnde licet peccet, qui vtitur diuitijs ad turpia, non est tamen propriè iniustus, & vsus est validus etiam si aliàs malus. Sic Magistratus dat licentiam tenendi arma licet eis tam sæpe homines abutantur, quia per hoc non approbat, nec concedit iniustas occisiones, sed ex causa iusta aufert prohibitionem deferendi arma, & quod quis eis abutatur, ex malitia est subditorum. Quòd si quis habens licentiam deferendi arma occidat aliquem, punitur quidem tanquam homicida, minimè tamen punitur, quia contra legum præscriptum arma detulerit. Sic quàm plurimæ aliæ concessiones generales, & dispensationes, & licentiæ afferri possent, quæ quidem ad vsus illicitos se extendunt, non illos approbando, sed faciendo vt non sint tam illiciti quàm essent, quia auferunt aliquam legis prohibitionem, quæ ex iusta causa auferri potest, manentibus in rigore alijs legibus prohibentibus iniustitiam seu malitiam actuum. Ratio huius à priori est, quia vbi actus sit ex multiplici lege prohibitus, vel si sit ex se indifferens, sit malus solùm, quia prohibitus, non est contra rectam rationem, vel quòd ex legibus illis, illa quæ est positiua ab habente facultatem, vel in totum ex iusta causa abrogetur, vel super ea cum aliquo dispensetur, quia abrogatio legum positiuarum, vel earum dispensatio ex causa iusta est legitima, nec ex quo actus ex lege positiua non sit prohibitus, non per hoc superior non prohibens ex iusta causa est occasio malè agendi subditis, sed ex malitia eorum est, quòd malè agant: igitur bene possunt superiores & validè & licitè concedere licentias generales ex iusta causa dispensando super legibus, super quibus possunt dispensare, & huiusmodi licentiæ extendentur ad actus ex alijs legibus illicitos, quia non est illicitum ex iusta causa, vel tollere in totum, vel dispensare super prohibitione legis alicuius, etiam si aliàs actus sit alia lege prohibitus, quia per hoc non approbatur talis actus, sed tollitur vinculum vnius legis, quod ex iusta causa nedum validè fit, sed licitè.

163 Dicitur secundò quòd superiorem Regularem dare licentiam vsus temporalium generalem, vel absolutam, & indifferentem non est ex obiecto malum per se, sed pensatis circumstantijs & ex iusta causa potest esse licitum. Non enim hic disputamus de eo quod ex lege positiua, vel communi, vel Concil. Trid. aut Decretorum Clem. VIII. sit, vel non sit prohibitum, sed de eo, quod per se ex vi voti, & statu Religiosi liceat, vel non liceat. Et licere sentiunt *Ledesma de statib. c.4. concl.3. diffic.4. pag.51. Card. de Lugo disp.3. de iust. num.133. & 139. Anton. à Spiritu Sancto in Direc. p.2. trac.3. disp.4. num 347. Coten. lib.4. controu.6. num.91. Diana p.7. tract.11. resol.22.* & supponunt DD. quærentes an huiusmodi licentia extendatur ad vsus illicitos. Prima autem pars probatur; quia vsus facti Religioso non est prohibitus, igitur ex obiecto & per se non est illicitum, quòd superior absolutè hunc vsum concedat, quod absolutè, & per se non disconuenit Religioso ex vi voti paupertatis. Et hoc confirmatur; Nam aliàs nec liceret Episcopis Regularibus concedere plenam administrationem redditurum Ecclesiarum Regularium, nec Religiosis extra Ordinem commorantibus, aut peregrinantibus concedere licentiam vtendi ad eorum commodum bonis temporalibus.

164 Quòd si dicat, hoc quidem licere, sed cum expressione, vt non vtantur dictis bonis, nisi ad vsus pios, & Religiosos. Dicitur contra, quod non sit necesse apponere hanc exceptionem, & quòd ex obiecto non sit per se malum huiusmodi licentiam generalem concedere ea exceptione non apposita, ex eo constat, quòd nec Episcopis, nec morantibus extra Religionem, aut peregrinantibus solet dicta exceptio apponi, nec in similibus generalibus licentijs apponitur, vt patet v. g. de facultate comedendi lacticinia aut carnes in Quadragesima, celebrandi tempore interdicti, aut tunc celebrandi nuptias, deferendi arma, & alijs similibus. Et ratio est, quia cum concedere licentiam vsus temporalium per se, & ex se non sit malum, non est necessitas alterius expressionis. Quia concedere id, quod ex se est indifferens, seu auferre aliquam legem, vt ex vi illius non sit prohibitio abstinendi ab actu aliquo per se non est malum, sed ex causa iusta potest esse bonum. Non est igitur per se malum, quòd absolutè & sine alia expressione concedatur Religioso vsus facti; cum hoc per se sit quid indifferens, & ex huiusmodi licentia solùm fiat, vt vsus non sit contra votum paupertatis. Nec per hoc superior cooperatur peccato subditi, si aliàs ex sua libertate velit malè agere.

165 Totum quod hic considerari debet est, an adsit iusta causa sic faciendi, maximè dando licentiam valde generalem, tam quantum ad materiam & bona, quorum vsus conceditur, quàm quantùm ad tempus, & personas. Negari enim non potest, quòd huiusmodi licentiæ sint instrumentum aptissimum ad eneruandam disciplinam Regularem, & quòd sapiunt valde naturam vsus iuris, seu veris administrationis, aut vsus fructus, vnde facillimum est, quòd sint palliationes alicuius intentionis dominij ex directo repugnantis voto paupertatis. Præterquã quòd fortitudo viri eũt diuitiæ eius, & occasio furti facit. Vnde de facili in religioso ad inducẽdũ ad malũ habẽt vim pecuniæ, & infirmitas carnis roboratur cõtra virtutes, & arrogãtia sensualitatis armatur cõtra obedientiã, vt per

vias

vias inlquàs legom obferuantiæ, & præceptis fuperiorum relitlat, vnde iodicibile eft quantum damni Religionibus inferat hic diuitiarum vfus; & ideo non tam facile eft vt detur cauta iufta dandi huiufmodi licentias generales *Ledefma* viris gra uibus concedi poffe afferuit; fed nec illis concedi debere. Quamuisio hoc ftatus Religionum confiderandus fit, & faciliùs in Religione non reformata iuftificari poffint huiufmodi licentiæ, quàm vbi viget ftricta paupertas. Solueoda ergo remanet fecuoda quæftio, an fcilicet licentia indefinitè data validè fe extendat ad vfus illicitos; ita quòd ex vi talis licentiæ fubditus excufetur à proprietate, fi vtatur pecunia ad vfus illicitos? Aduerto tamen quòd hìc proponitor hæc qoæftio de licentia generali abfolutè, non verò de licentia tenendi peculium. Quia de hac habenda eft fpecialia quæftio infra. Vbi etiam videbitur, quid circa hoc fcoferit, & præceperit Concil. Trid.

166 Nam non extendi fentiunt multi. Tum primò, quia fub generali conceffione non veniunt illa, quæ fi petereorur exprefsè denegarentur, iuxta regulam; *in generali* 81. *de reg. iuris in* 6. Secundò quia cum fuperior licentiam ad vfus illicitos non poffit dare, faltem fine graui culpa, non eft credendum feo in dubio præfumendum, quòd velit generalem licentiam concedêdo comprehendere vfus illicitos. Tertiò quia monachus qui ex licêtia Abbatis, vel Pontificis aliquid habeat, noo cenfetur habere, vt omoino ad libitum, fed folùm vt decet iuftum adminiftratorem, vt docet *Surdus de alimentis tit. 8. priuil. 79. num. 2.* Quartò quia in hoc fuperior eft inuitus quantùm ad fubftantiam, vt fi fuperior det pecuniam difpenfandam inter pauperes, inuitus eft fi detur diuiti, fic inuitus eft fuperior fi peculium & licentiam quam conceffit ad vfus honeftos, confumat in vfus turpes. Et ita hanc fententiam tenet *Sanchez l. 7. mor. c. 19. num. 30. ex S. Antonino, Syluestro, Rodriquez, Molina, Nauarra, & Sayro.* Idem quoqot docent *Baffaus v. paupertas num. 11.* & apud eum *Miranda & Fauftus.*

167 Nihilominùs econtra quòd licentia generalis data fubdito difponendi de aliqua re aut pecuoia ad libitum exteodatur etiam ad vfus illicitos tenent *Bannes fupra q. 62. a. 5. dub. 5. verf. aduertendum eft. Lopez lib. 2. de contract. cap. 40. ver. an autem Relig. Salas tract. de Ludo d. 21. num. 4. ex Alcozer, Angles, Lopez, Medina, Rebello, ex Leffio.* Quam fententiam non effe improbabilem cênfet *Card. de Lugo difp. 3. de iuft. num. 142. ex Sayro lib. 11. cap. 12. num. 15. & Diana tom. 2. tra. 2. refol. 98.* idem tenent *Coton num. 29.* Ec ratio eft, quia religiofi habentur vt filij, in quibus huiufmodi licentiæ ad illicita extenduntur, & valent. Tum fecundò quia in alijs materijs licentia generaliter conceffa non limitatur ad vfus licitos, fed fe extendit ad omnes quantùm ad malitiam, quam poffunt habere ex defectu licentiæ remanente malitia & turpitudine ex alijs capitibus. Tum quia fuperior dando licentiam extendibilem etiam ad cafus illicitos non cooperatur peccato fubditi, quia dat illi folùm aliquod indifferens, nam & Deus noo peccat, quia concurrit cum peccatore ad malum, quia dat concurfum indifferentem, qui ex fola malitia hominis determinatur ad malum.

168 Noo effe tamen recedendum a priori opinione exiftimo. Quia prima eius ratio coouincit, non enim in generali conceffione venit, quod negaretur, fi peteretur exprefsè. Nec quod adducitur de dato filijs aut feruis ad difpooendum eft ad rem, quia nec filius, nec feruus habent votum paupertatis, per quòd prohibeantur vti diuitijs, etiam fi aliàs effent illarum domini, ficut habent religiofi. Et fecunda opinio folùm refpicit hanc licentiam quantùm ad vitandam obligationem reftitutionis in eo, qui recipit à religiofo, ex qua parte bene poteft contingere, quòd licentia fuperioris fe extendat, fuppofito quòd religiofus aliquid iam inhoneftum acceperit, vel egerit, quia hoc fuppofito non eft inhoneftum femper quòd ftet contractui, & pro malè accepto foluat, vt dicam tractando de reftitutione religioforum. Sed hìc non debet folùm confiderari obligatio reftituendi, & peccatum iniuftitiæ, fed peccatum facrilegij, quod fuperior ex officio tenetur impedire, quantùm poteft, & ideo non poteft præfumi, quòd det licentiam, quæ fe poffit extendere ad id, quod nec a fubdito poteft fieri fine culpa, nec ipfe poteft fine culpa graui concedere. Nec eft eadem ratio de conceffione generali in alijs materijs. Nam & ex hoc fuperior conftituitur director religiofi in vfu temporalium, vt non poffint de facili religiofi vti diuitijs ad actus malos & fuæ profeffioni contrarios, & fuperior ex offitio tenetur cuftodire & impedire religiofum ab omni malo vfu pecuniæ feu diuitiarum, igitur non poteft præfumi, quòd in conceffione generali intentio fua fit auferre à fubdito omnem obligationem petendi licentiam, feu impedimentum, quod ad malos vfus poteft præftare votum paupertatis, fed folùm quòd det licentiam ad vfus honeftos. Et quod adducitur de Deo concurrente cum peccatore longè eft diuerfum, quia Deus non tenetur impedire peccatorem à malo, fed immò ex munere fui officij, oi mirum ex munere primæ caufæ tenetur malũ permittere. Ideo de fe quia dat id, quod eft bonum, & quod de fe caufat actum bonum, nullo modo eft caufa mali, fi permittit quòd creatura bonum impediat, & malè agat. Sed licentia indifferens ad malum non conuenit fuperiori, cui ex officio incumbit malum prohibere, & impedire; ad hoc enim tenetur fuperior ex iuftitia legali, & debito fui officij. Præcipuè verò hæc affertio veritatem habet in ordine ad iuftitiam. Quia cum fuperior, etiam fi velit, non poffit concedere licentiam ad dilapidanda bona Religionis, hinc fequitur, quòd licentia indefinita nullo modo excufat Religiofum à peccato iniuftitiæ & obligatione reftitutionis in omnibus illis cafibus, in quibus ex damno, quod infertur Religioni, nec excufaret licentia expreffa.

169 Limitatur autem primò principalis affertio, vt non habeat locum vbi malitia ipfi vfui eft accidentaria, quia vt habet *Suarez d. cap. 11. num. 15. & 16.* malitia accidentaria non fufficit ad proprietatem. Sic habens licentiam vfus pecuniæ indefinitam, fi emat veftem aliàs non fuperfluam, nec ftatui religiofo indecentem, non erit proprietarius, licet id faciat ob peffimum aliquem finem, vel eam emat in die fefto. Quia vfus pecuniæ ad veftem emendam eft honeftus, & fit malus ab extrinfeco ex circumftantia accidentali, quæ valet quidem ad inducendam malitiam alterius fpeciei, non tamen ad inducendam proprietatem. Si verò quis det aliquid

quid alicui ob turpem causam, attendi debet an finis operis sit malus, quia finis operis proximus non est circumstantia extrinseca, sed ad substantiam operis voluntarij spectat, sic in emptione rei turpis seu cum quis ex pacto dat meretrici vt ea abutatur, hic finis malus est intrinsecus traditioni, & vsus talis pecuniæ secundùm substantiam est iniquus. Sed si finis malus non est finis operis, sed operantis, ita quòd Religiosus donans aliquid alicui ex ratione honesta donat, & ex motiuo proximo non vitiante actionem, licet postea ex hoc intendat parare sibi viam ad aliquod iniquum, donatio illa non est proprietaria, quia illa mala circumstantia finis est extrinseca, & accidentaria, & substantia donationis est honesta. Aliàs si ex circumstantia finis extrinseca induceretur inobedientia, vel proprietas, nunquam ex malo fine operaretur Religiosus, quin esset inobediens voti, & proprietarius, & sic siue exiret à domo, siue comederet, siue dormiret, immò siue psalleret in choro, siue celebraret, siue faceret quæ tenetur esset inobediens, aut proprietarius, quando hæc in aliquem malum finem ordinaret, quod certè non est asserendum. Itaque propterea hic datur regula, quòd circumstantia mala accidentaria quæ nec redderet licentiam iniquam ad aliquid agendum, si illam superior dedisset, nec vsum talis licentiæ proprietarium, non reddit etiam proprietarium vsum licentiæ indefinitæ, sed ad talem vsum licentia indefinita se extendit, & à proprietate excusat. Sic enim sicut si Prælatus expressè concessisset subdito licentiam donandi Titio ex causa satis honesta, non vitiatur licentia, & donatio non est proprietaria si subditus id faciat in odium Pauli, eadem ratione ex licentia indefinita haberi potest sine proprietate eadem donatio, licet ex malo fine odij per accidens à donante habeatur.

170. Secundò limitatur, vt ex paruitate materiæ vsus saltem à culpa mortali excusetur, vt si indigens veste pro qua habenda expendi debet notabilis summa pecuniæ, Religiosus eadem summa pecuniæ, vel aliquantisper maiori qua honestam vestem emeret, emat aliam, quæ, licet leuiter, minùs tamen conuenit Religioso, & est aliquantisper vana, licet leuiter. Substantia enim huius emptionis bona est; ex eo verò quòd sit venialiter mala non vitiatur simpliciter totus vsus, vt ex quo est vsus notabilis quantitatis ad id, quod est malum venialiter sit in totum proprietas; aliter væ superioribus & subditis Religiosis, si in vsu ordinario rerum, quæ ad eorum sustentationem spectant ex culpa veniali essent mortaliter proprietarij, & si nimis manducent, vel bibant, si emant cibum aliqualiter notabilium, vel ex aliquo affectu gulæ, vel alio simili modo in recipiendo, retinendo, dando venialiter solùm peccent contra Dei legem, & regulam. Quando ergo vsus rei secundùm substantiam est conueniens religioso, si contingat substantiam indiuidualiter vitiari leuiter, & venialiter, non per hoc in eo, qui ad vsus suos habet licentiam indefinitam vsus fit grauiter proprietarius, etiam si sit vsus rei in quantitate notabili.

171 Immò nec licentia expressa data ad vsum venialiter malum est culpa mortalis in superiore, vt si superior sine causa rationabili det licentiam subdito vt lautè cœnet in die ieiunij, quod non est de præcepto, vnde non ieiuniare non est culpa mortalis. Ratio est quia vsus facti non est contra votum paupertatis, & obligatio qua subditus se in professione obligat ad non vtendum rebus sine licentia superioris, est obligatio regulanda secundùm leges, quæ si vsum non prohibeant sub mortali, non est vnde talis vsus debeat dici mortaliter proprietarius. Et eò magis, quòd hæc obligatio est obligatio obedientiæ, & Religiosus obedientiam promittit secundùm leges. Et semper in vsu diuitiarum distingui debet ratio iniustitiæ a ratione sacrilegij. Quia bene poterit esse, quòd si superior in concedendo vsu venialiter malo alicui violet iustitiam conuentus & bona illius notabiliter dissipet, vel violet iustitiam distributiuam notabiliter, peccet grauiter peccato iniustiæ, quod eueniet, si sæpius suis amicis monasterij bona dispenset contra regulam, & præcipuè alijs relictis & famem, vel nuditatem patientibus. Sed spectato sacrilegio contra paupertatem, dum vsus continetur intra culpam leuem licentia ad talem vsum non est mortaliter iniqua, quia lex talem vsum non prohibet sub mortali, & obligatio obedientiæ ad vsum de licentia non est nisi ad vsum iuxta legem. Verum quidem est, quòd & in hac parte ex frequentia similium concessionum ex quibus notabiliter relaxatur disciplina Regularis, culpa mortalis erit in superiore notabiliter relaxante obseruantiam regulæ, & hæc culpa est nedum ex quo superior dat expressam licentiam ad huiusmodi relaxationes, sed etiam si illas permittat cum illas impedire debeat. Subditi quoque licet ex eo quòd non vtuntur rebus nisi de licentia non sint proprietarij, tamen peccant, si relaxationi disciplinæ factis, & verbis cooperantur.

SVMMARIVM.

1 *Quod sufficiat licentia debita licet negata aliqui dicunt. num.172.*
2 *Licentia debita & contrariè irrationabiliter negata sufficit. num.173.*
3 *Vbi ex præcepto virtutis est necessarius vsus temporalium, non est necesse petere licentiam, licet hoc deceat, num.174.*
4 *Epyckia non habet locum in materia paupertatis. num.174. & 176.*
5 *Licentia solum priuatiuè irrationabiliter negata non sufficit. num.175.*
6 *Quid in casu necessitatis, si superior neget licentiam num.176.*
7 *Prioris sententiæ obiecta soluuntur. num.177.*

An sufficiat licentia debita, & sine ratione negata;

INSPECTIO SEPTIMA.

172 Alphonsus Mendoza *in quodl. q.8. circa fin.* sentiens Religiosum, cui superior negauit licentiam expendendi duos argenteos, posse id facere, nisi superior oppositum præcipiat in virtute sanctæ obedientiæ, quia non fundat dictum suum in paruitate materiæ, sed quia licentia est irrationabili-

nabiliter negata, videtur sentire, quòd licentia debita licet irrationabiliter negata sufficiat. Posset verò hoc probari. Tum quia Religiosus non est seruus, sed filius, at vero esset cōditionis plusquam seruilis, si nec posset vti aliquo tunc cum superior irrationabiliter negat licentiam. Secundo, quia vxor potest etiam marito inuito facere eleemosynas suo statui conuenientes. Tertio, quia ad hunc casum non se extendit votum paupertatis, quod nō se extendit ad paupertatem irrationabilem. Oppositum autem defendit *Suarez dict. cap. 11. numer. 19. & seqq.*

173 Licentia negata dupliciter dici potest negata irrationabiliter, nimirum, vel contrariè, vel priuatiuè. Est enim irrationabilis contrariè, si negetur subdito id, quod subditus ex alicuius virtutis præcepto tenetur agere. Et de hac loquendo, dicitur Religiosum posse operari, & vti rebus temporalibus, prout tenetur ex virtutis alicuius præcepto, etiam si superior sibi neget licentiam id faciendi, & si Religiosus probabiliter præsumat superiorem licentiam non concessurum, potest etiam non petita licentia obligationi suæ satisfacere. Et huius ratio manifesta est, quia vsus facti, ad quem Religiosus obligatur, non potest esse materia paupertatis, quia non facere, quod quis debet ex virtute est res illicita, quæ sub voto non cadit, & in hoc verum est, quòd votum non respicit paupertatem irrationabilem, quia non respicit paupertatem virtuti contrariam.

174 Immò in rigore Religiosus in hoc casu non tenetur aliquam licentiam petere, & hoc dicitur nedum quia potest præsumere licentiam, quia iniustum est præsumere superiorem nō se opponturum virtuti, sed quia ad hoc non se extendit votum professionis, quod respicit bonum supererogationis, seu vsum homini liberum, quo homo potest honestè se priuare, non vero vsum debitum, quem virtus præcipit. Verum tamen est, quod conueniens est Religiosum in omnibus voluntatem superioris habere pro regula. Neque hic locum habet Epijcia, quia non hic agitur de obligatione legis ab extrinseco prouenientis & explicandæ per Epijciam, sed de obligatione voti, quam est euidens non extendi ad materiam illicitam, & virtuti contrariam.

175 Sed si licentia negata sit solùm irrationabilis priuatiuè, & debita non ex parte subditi, sed ex parte Prælati, tunc non vsus rei temporalis est religioso honestus, & ideo cadens sub materia voti paupertatis, vnde sine licentia superioris non potest religiosus re temporali vti. Tum quia sine ratione eximitur hic casus ab amplitudine voti paupertatis, cum religiosus honestè ab hoc vsu abstinere possit, & aliàs ex voto ad honestam paupertatem se obligauerit. Tum quia sicut ex voto paupertatis non impeditur, quin religiosus possit vti licentia superioris etiam irrationabiliter concessa, quia in hoc vsu non se habet vt diues, sed vt pauper. Ita per votum paupertatis obligatur ad abstinendum ab vsu, etiam si hic irrationabiliter negetur, dum modò non vti sit honestum, quia tunc vti sine licentia esset vti nomine proprio, & independenter à voluntate superioris, quod est contra votum paupertatis. Tertiò quia religiosi sæpius prætendunt licentias sibi irrationabiliter negari, vnde si hoc sufficeret ad hoc vt sine licentia possent vti temporalibus, paupertas religiosa periret.

176 Sed quid dicendum, si religioso ex negata licentia immineat graue damnum, & vrgeat necessitas, nec sit tempus petendi & expectandi licentiam a superiore mediato? Quidam in hoc casu censent habere locum Epijciam, & ideo posse religiosum vti licentia iniustè negata ac si esset concessa. Ita *Suarez tom. 3. de relig. l. 6. c. 9. num.* 28. Nam perinde est habere Prælatum abutentem sua potestate, & illum non habere, vnde sicut subditus absente Prælato, posset sibi assumere necessaria, sic & potest illo iniustè ea negante. Et *Castro Palaus tr. 16. d. 3. p. 23. num. 9.* distinguit asserens licentiam debitam tam ex parte Prælati, quàm ex parte subditi valere negatam, ac si concessa fuisset, non verò si sit debita solùm ex parte Prælati. Sed non est recedendum à data distinctione. Neque propriè loquendo hic est necessitas Epijciæ. Nam si actus ad quem petitur licentia ex aliqua lege superiori est debitus, quam non potest superior impedire, manifestum est non habere locum obligationem voti; quia iniqua promissio Deo non placet, neque votum obligat ad non obediendum legi. Si verò actio, ad quam superior non vult dare licentiam, est talis, ad quam subditus habeat ius; Nam vt infra dicetur potest religiosus in aliquo casu superiore inuito accipere sibi necessaria ex bonis monasterij; iam & in hoc casu locum non habet Epijcia, quia habetur præsumpta licentia superioris mediati, immò ipsius legis. Inde est, quòd religiosus habens præsumptam licentiam superioris mediati, etiam supposita negatione licentiæ superioris immediati, potest vti temporalibus, quia eis non vtitur sine licentia. Sed si casus sit, in quo nec adsit, nec præsumi possit licentia legis, aut superioris mediati, & aliàs cessare ab actione, cuius licentiam superior immediatus negat, non est inhonestum, non potest subditus vti licentia debita & sine ratione negata. Et sic in casu in quo licentia est debita etiam ex parte subditi, quia nimirum subditus habet ius ad accipienda sibi bona monasterij inuito superiore, religiosus non ideo caret vitio proprietatis, quia licentia debita & iniustè negata valeat. Sed quia habet aliunde legitimam licentiam agendi, quod immediatus superior prohibet iniustè.

177 Ideo ad primum in oppositum dicitur, & Religiosum esse seruum voluntarium, nec tractari, vt seruum coactum, cum ei negatur aliquid, cum huius seruituti ipse se voluntariè submiserit. Ad secundum dicitur, quòd quidquid sit de veritate assumpti in argumento, non est eadem ratio, quia vxor est domina suorum bonorum licèt eorum administratio maneat apud maritum; ideo maritus non potest priuare vxorem vsu suorum bonorum, qui illi competit secundùm statum suum, sed Religiosus nullius est dominus, & immò res, quibus vti debet, sunt monasterij, vel alterius, ideo si vsus negatus sit honestè, debet esse contentus. Ad tertium dicitur interpretationem voti paupertatis, quam argumentum assumit esse legitimam, si licentia negetur irrationabiliter contrariè, non vero si negetur irrationabiliter priuatiuè, quia omnis illa paupertas est rationabilis, quæ est honesta, ideo si vsus negatus sit honestus materia voti paupertatis etiam si irrationabiliter nege-

negetur. Ideo Mendoza nec consequenter loquitur, quia si superior irrationabiliter contrariè neget licentiam suo subdito vtendi bonis temporalibus, etiam si præcipiat subdito, vt abstineat, non tenetur subditus obedire, quia & præceptum erit irrationabile. Sed si præceptum non est irrationabile, iam honestum est obedire, & ita etiam absq; præcepto honestum est subditum à tali vsu abstinere, igitur ad id tenetur ex voto, quia id agere est esse honestum, & rationabilem pauperem.

SVMMARIVM.

1 *Quilibet superior potest dare licentiam Religioso ad vsum facti. num.178.*
2 *Hoc verum sine limitatione. n.179.*
3 *Aliqui à iure licentiam habent. n.179.*
4 Quid *de hospitibus aliqui sentiant. n.180.*
5 *Hospites in ijs, quæ ad honestum iter spectant habent à Prælato. n.181.*
6 *A Prælato in cuius Conuentu sunt possunt habere licentiam. n.182.*
7 *Non est eadem ratio de seculari, & Religioso hospite. num.183.*
8 *Hospites in Ord. Præd. sunt subiecti Prælato Conuentus. n.184.*
9 *Hospites habent cumulatine duos superiores à quibus petant licentiam. n.185.*
10 *Superior hospitij non potest dare licentiam in præiudicium Conuentus assignationis. n.185.*
11 *An in præsentia immediati superioris sufficiat licentia præsumpta superioris mediati. n.186.*
12 *An, vbi mutatur superior, sit necessaria noua licentia. n.187. 188.*
13 *Religiosus transiens ad aliud monasterium indiget noua licentia. n.189.*
14 *Etiam si de licentia superioris prioris monasterij contractus sit incboatus. nn.190. 191.*
15 *Licentia emendi aliquid non se extendit ad plura emenda. n.191.*
16 *Abbatissa monialium licentiam hanc potest concedere. nn.192.*

An quem pertineat concedere licentiam Religioso vtendi rebus temporalibus.

INSPECTIO OCTAVA.

178 MVltùm pendet huius quæst. solutio a particulari consideratione actionum, quæ spectant ad paupertatem. Nam aliud est accipere, & aliud alienare res, & stat eum, qui potest dare licentiam ad accipiendum, non posse dare ad alienandum. Abstrahendo propterea a particularibus, quæ infra examinanda sunt, dicitur Prælatum proprium immediatum religiosorum posse hanc licentiam concedere in omnibus, quæ illi non sunt prohibita, vel ex regula, vel ex mandato Prælati superioris. Itaque Generalis independenter potest hanc licentiam concedere, & Prouincialis in sua Prouincia, & Prælatus immediatus in suo Conuentu ac domo possunt licentiam hanc concedere in omnibus in quibus non sunt prohibiti, vel a regula, vel à superiori. *Palaus tr.16.disp.3 p.23.n.11. Layman l.4.tr.5.cap.7.nu.14. Anton. à Spir. S. in direc. p.2.disp.4.num.253.*

179 Neque admittitur illa limitatio *Graffij 2.p. decis. l.3. cap.19. num.53.* vt scilicet excipiatur religiosus, qui professus fuerit in manibus Generalis; quia ex hoc religiosus non eximitur à iurisdictione Prælati immediati, si in eius Conuentu ac domo constituatur, quin teneatur ei obedire, & ex consequenti ab eo licentiam petere in materia paupertatis sicut alij religiosi. Verum est, quòd dantur aliqui religiosi de facto nulli subiecti, nisi Generali, vt ministri eius ad eius curiam pertinentes. Nisi enim adsit specialis regula in contrarium, isti nulli Prouinciæ aut Conuentui sunt addicti, sed immediatè sub Generali viuunt, & ideo a solo Generali licentiam vtendi bonis temporalibus accipiunt. Sed & aliqui à iure hanc licentiam habere possunt. Sicut Procurator Generalis in Ordine Prædicatorum, qui viuit ex contributionibus sibi à Religione assignatis à iure Constitutionum & Ordinationum Capitulorum generalium est administrator suarum contributionum, quibus ad sui honestam sustentationem, & suorum ministrorum vtitur, & similiter pecunijs, quas apud se habet, & habere per necessarium est, vtitur pro expensis litium, donec postea expensæ sibi reficiantur à Conuentibus, pro quibus expensas facit. Sed & superiores Prouinciales, & Priores aut Guardiani à iure licentiam habent vtendi rebus temporalibus iuxta cuiuscumque Ordinis regulam, nec indigent eam petere, quia non sunt subditi sed Prælati, quorum est licentiam concedere non petere. Eum etiam, qui possidet annuos redditus de licentia Papæ non teneri ad petendam licentiam à superiore Religionis dixit *Graff. p.p. lib.2.c.5. num.42.* Verùm debere attendi tenorem concessionis ex *Lez. p.p.c.6. nu.26.* *dixit Donatus t.3. trac.15. q.13.* quia censendum sit Papam velle seruari iura Ordinis. Sed cum iura Ordinis non violentur, si Religiosus de licentia Papæ vtatur aliqua re. Nec Papa concedat aliquid Religioso nisi, vt eo vtatur; ideo nisi Papa expreisè declaret, quod Religiosus petat etiam licentiam superioris, non tenetur eam petere.

180 Posset verò quæri, a quo Prælato hospites recipere debeant licentiam hanc, & *Lopez. p. p. instruc. cap.156.* censet munus huius licentiæ concedendæ pertinere ad Prælatum proprium, qui est Prælatus eius Conuentus, ad quem pertinent, non verò eius, in quo sunt hospites, quia sic seruari debeat in Ordine Prædicatorum. *Sanchez autem l.7. mor.c.19.num.41.* iudicat ita esse dicendum de religiosis, qui non habent statutum particulare, quale babent religiosi societatis, in qua vt aduertit etiam *Layman.lib.4.tract.5.cap.7. num.14.* hospites subduntur Prælato Conuentus, in quo sũt hospites, dum ibi manent, qua cessante constitutione putat Prælatos Conuentuum in quibus religiosi sunt hospites, non posse hanc licentiam concedere, sicut nec posse Episcopos dispensare cum aduenis, nisi accipiant in diæcesi domicilium cum animo manẽdi ibi pro maiori parte anni, & ita dicendum esse de hoc religioso hospite manente per maiorem partem anni, vel habente animum manendi. Eandem sententiam tenent *Bonac. de larg. muner. n.6. Alphon. de Leon. de off. Confes. resol.11. num.206. Card. de Lugo disp.3.*

disp.3.de inst.num.129. vbi addit, quòd in religionibus vbi ex statuto hospites subijciuntur Prælato monasterij, in quo sunt hospites, habent cumulatiuè duos superiores à quibus licentiam obtinere possunt, scilicet superiorem hospitis, & superiorem monasterij, ad quod sunt reuersuri. Verùm alia difficultas hic oriri potest; quia aliqui hospites sunt, qui immediatum Prælatum habere non videntur, à quo licentiam petant, illi scilicet, qui de vno ad alium Conuentum transferuntur. Hi enim non videntur subditi Prælato Conuentus a quo recedunt, quia ad illũ Conuentum nõ pertinent. Nec Prælato Conuentus ad quem accedunt, quia ad illum nondum aduenerunt. A quo ergo petent licentiam? Sed respondent DD. citati, pertinere ad superiorem Conuentus ad quem religiosus mittitur hanc licentiam concedere.

181 Respondetur igitur ex cuiuscumque religiosi regula punctum hoc iudicandum esse. Cæterùm in communi loquendo, hoc primò certum videtur in multis tales religiosos non indigere licentia speciali, quia habent illam saltem tacitam à Prælato ex cuius obedientia iter habent, quantùm ad ea quæ ad honestam sustentationem eorum, & ad honestè itinerandum iuxta cuiuscumque statum pertinent, vnde in huiusmodi à nullo licentiam petere tenentur, quia illam habent, immò Prælati immediati Conuentuum iuxta regulam Ordinis tenentur huiusmodi religiosis subministrare necessaria, ad iter habendum, cum religiosi ex obedientia percipiente iter habent.

182 Quantum vero ad alia, quæ ad vitæ sustentationem & honestum iter non pertinent, vel religiosi hospites abstinere deberent, vel dicendum est, quòd in hoc sint subditi Prælatis Conuentuum in quibus reperiuntur. Nam circa ista non habent licentiam tacitam à superiore à quo mittuntur, & bene potest accidere, quòd nec habeant præsumptam, & quatenus haberent conuenientius est in hac materia non agere ex præsumpta licentia, sed licentiam expressam petere. Ideo crederem talem religiosum debere, vel abstinere à tali vsu ad quem non habet licentiam tacitam ex vi suæ assignationis, vel licentiæ ad iter habendum, vel saltem præsumptam a superiore Conuentus ad quem pertinet, vel petere licentiam à Prælato illius Conuentus in quo reperitur. Ratio est quia ordo petit, vt non sit in subdito debitum agendi dependenter à licentia superioris, & non sit superior, qui illam concedere valeat. Non est dicendum verò, quòd religiosus hospes possit sine licentia vti temporalibus, quia non est dispensatus à paupertate. Non verò potest petere licentiam à Prælato absente, & aliàs eam non habet saltem tacitam, vel præsumptã ab aliquo igitur petere tenetur, igitur & debet dari superior, qui illam concedere possit. Et sic Prælatus illius Conuentus, in quo hospes religiosus manet de iure est in his superior legitimus. Quod confirmatur, quia si superior iste tenetur alere religiosum hospitem & illum charitatiuè tractare iuxta regulam, dum manserit in suo Conuentu, vnde ex hoc tenetur tribuere vsum temporalium ad eius vitæ sustentationem spectantium, honestum est & rationabile, & dignum quòd intelligatur vt connaturale communitati ordinatæ, & ex pluribus conuentibus ac domibus, constitutæ, vt religiosus hospes etiam in alijs quorum vsum non habet licentiam Prælati superioris subdatur Prælato Conuentus in quo degit.

183 Similitudo autem quæ adducitur de Episcopo non valente dispensare in impedimentis matrimonij cum aduena, nisi accipiat domicilium in diœcesi cum animo manendi ibi per maiorem partem anni, non currit, sed magna dissimilitudo est, quia religiosus ex se non potest in aliquo Conuentu aut domo accipere domicilium, & se subdere iurisdictioni Prælati in cuius Conuentu est hospes, vt possit ex hoc habere superiorem de cuius licentia agat, sicut potest secularis se subdere iurisdictioni Episcopi, quia religiosus non habet velle, aut nolle, sed à superiore maiori assignatur, seu collocatur in Conuentibus, aut domibus, & subditur iurisdictioni huius immediati Prælati, vel illius: ideo vel dicendum est quòd religiosus hospes nec habeat, nec habere possit superiorem ad quem in præsentaneis suis religiosis commoditatibus recurrat, quod non est admittendum, vel quòd ex ordinata institutione sui status maneat subditus Prælato in cuius Conuentu habitat. Quod eò magis est verum, si per multum temporis in eo viuere debeat. In quo casu magis apparet discrimen inter secularem & religiosum, quia religiosus ex animo manendi in aliquo Conuentu non tribuit nec tribuere potest iurisdictionem Prælato illius Conuentus, quia religiosus ei soli subditur, cui subditur ex dispositione superioris, & licet religiosus hospes habeat animum manendi in aliquo Conuentu, non potest habere animum manendi, vt pertinens ad Conuentũ, sed vt hospes, quia nõn potest se incorporare Conuentui nisi superior hoc faciat. Sed secularis ad libitum acquirit domicilium in diœcesi & se subdit iurisdictioni Episcopi.

184 Et certè neque est verum, quòd in Ordine Prædicatorum Prælatus Conuentus, in quo hospes degit, non sit proprius in ordine ad dandam licentiam in materia paupertatis: quia immò in tali Ordine statutum est, vt hospites sint sub iurisdictione Priorum Conuentuum in quibus manent, & ab eis possunt dirigi & puniri etiam pro delictis alibi perpetratis. *Gloss. const. dist. 2. cap. 13. §. 2. lit. D.* Et ab eisdem Prioribus absolui possunt à casibus reseruatis & censuris. *Gloss. in prolog. §. 3. l. F. & dist. 1. cap. 14. §. 1. lit. C.* Et in particulari quantum ad vsum pecuniarum hospites tenentur ad legem depositi, vt scilicet pecuniam ad eorum vsum concessam reponere debeant in communi deposito, si vltra sex dies in Conuentu manserint. Sic enim statutum fuit Valen. 1596. confir. 5. & Romæ 1601. confir. 3. vbi declaratum fuit hoc statutum intelligendum de hospitibus eiusdem Prouinciæ.

185 Quartò absolutè dicendum videtur, religiosum hospitem cumulatiuè habere duos superiores de quorum licentia potest vti diuitijs, scilicet superiorem hospitij, & superiorem Conuentus, à quo recessit, si ab eo non est remotus, vel superiorem Conuentus ad quem accedit, & in quo à superiore collocatur. Quod quantùm ad superiorem hospitij limitandum est, vt non valeat ad vitandam iniustitiam, licentia eius in præiudicium Conuentus ad quem hospes pertinet. Non enim superior hospitij potest dare licentiam hospiti v. g. alienandi res ad suum vsum necessarias, & quæ de bonis ad cõmunem

munem vsum deputatis dantur religiosis, ita quòd postea cum hospes ad suum Conuentum venerit teneatur Conuentus de illis rebus alienatis prouidere; quia hoc est in dicti Conuentus præiudicium. Quod est verum etiam vbi ex regula hospites subduntur Prælato hospitij; non enim ob hoc ille potest salua iustitia alteri Conuentui præiudicium ferre, & magis quòd non sit administrator bonorum dicti Conuentus.

186 Quæri verò potest, an in præsuntia superioris immediati possit religiosus vti præsumpta licentia superioris mediati, cum vel ex verecundia, vel quia superior non est illi bene affectus, vel timet quòd superior ille non concedet licentiam, quia est rigidus, & seuerus. Dicitur enim hoc licitè fieri; quia vnius superioris legitimi licentia sufficit, & non est necessaria expressa sed sufficit præsumpta. Et ita colligitur ex *Sanchez l.7. mor. cap.19. num.51. Reginal. l.18. num.400. Alphon. de Leon. de offic. Confes. recoll.11. num.207. Card. de* Luga *d.3. de inst. num.151.* Hoc tamen debet intelligi remota fraude & subreptione, & ad hanc licentiam vt sufficiat duo necessaria sunt. Primum quòd si in his circumstātijs siue subreptione narrato superiori quidquid est necessarium pro iusta licentia obtinenda nimirum quidquid facit ad iustitiam licentiæ seu quidquid aliud est de substantia, vt manifestetur ad hoc, vt vitetur subreptio iuxta supradicta. *a nu.37.* peteretur à superiore mediato licentia, illam concederet. Secundùm quòd si sciret subditum in his circumstantijs vti licentia sic præsumpta, id ratum haberet, prout in spect. quinta num.128. est explicatum. Aliàs verò mediati superiores non nisi cum magna difficultate huiusmodi licentiarum vsum ratum habere debent, sed procurare vt immediati superiores in veneratione habeantur, vt aduertauit etiam *Caramuel. disp.54. nu.963.*

187 Vlteriùs quæri potest, an vbi mutatur superior sit necessaria noua licentia concedenda à nouo superiore. Et hoc maximè habet locum in redditibus annuis, quæ singulo anno recipi debent. *Sanchez l.7. mor. c.22. num.25. ex Rodriq. qq. reg. tom.2. q.125. a.5. fin.* distinguit, quia vbi legatum est quasi vnum, sufficit licentia prioris superioris concedentis licentiam ad totam vitam. Sed si legata sint quasi plura, quia per singulos annos recipiuntur, est necessarium a superioribus successoribus petere confirmationem prioris licentiæ, quam putat posse concedere illum superiorem, qui est superior in principio illius anni in quo legatum est soluendum etiam si statim cesset eius officium, quia legatum cedit & acquiritur initio cuiuslibet anni. *l. in singulos. 8 ff. de annuis legatis.* Econtra verò aliqui censent, quòd si licentia sit generalis pro tota vita, quòd duret & valeat ad recipienda legata seu redditus annuos nisi ab æquali potestate reuocetur *Lezan. d.c.6. num 17.* quem sequitur *Donatus. d. tr.15. q.18. & Anton. à Spiritu Sancto d. tom.3. numer.360.* Vnde sequitur quòd licentia Prouincialis data ad expendendum 25. aureos sibi à Patre legatos, quòd hæc licentia duret quandiu religiosus viuit vel donec reuocetur, etiam religioso existente hospite extra Prouinciam in qua licentia fuit concessa. Et hoc quidem verum est, si superior validè potest hanc generalem licentiam concedere, ad totam vitam & illam dare non est prohibitus. Licentiæ enim huiusmodi durant nisi ab æquali potestate reuocentur. Et si non durarent, nec illas ad totam vitam posset superior concedere. Sed & eum, qui pro vno die est superior, posse sibi concedere omnem illam licentiam, quam potest alijs concedere, etiam pro futuro tempore affirmat *Anton. à Spir. S. in Direct. p.2. disp.4. num.356.* Est etiam considerandum, quòd aliud est recipere, & aliud expendere annuos fructus, & bene contingere potest, quòd superior dederit licentiā generalem pro tota vita ad recipiendum annuum legatum vel redditum, sed tamen non ad retinendum illud apud se, neque ad expendendum nisi de licentia toties quòties à superiore pro tempore accipienda. In quo casu semper specialis licentia superioris pro tempore est necessaria.

188 De superiore etiam locali loquendo idem tenent aliqui, ita vt licentia data à prædecessore valeat eo amoto & successore adueniente, etiam si habens licentiam credat quòd superior, qui successit reuocaret licentiam, si sciret religiosum illam habere. Et ratio eorum est, quia gratia facta non expirat mortuo, vel amoto concedente. Illa verò dispositio interna Prælati intus retenta nihil operatur. Ideo licentia data à priori superiore durat donec reuocetur. *Peliz. tract. de monial. cap.4. nu.49.* Ego autem iudico, quòd Prælati successores debeant omnes similes licentias reuocare, & paupertati consulere, abusus impedire, & subditos intra terminos continere.

189 Sed quid si religiosus transeat ad aliud monasterium? Poterit ne religiosus in alio monasterio collocatus vti ea licentia, quam habuit à Prælato locali illius monasterij, in quo priùs manebat? Quæstio proponitur de superiore locali, nam non est dubium, quòd licentia Prouincialis valet pro tota Prouincia, & Generalis pro toto Ordine. Ideo qui à Generali habet licentiam accipiendi, & dandi potest illa vti in toto Ordine, & qui eam habet à Prouinciali potest ea vti in sua Prouincia. Sed licentia concessa à Prouinciali suo subdito valet ne illi si transeat ad aliam Prouinciam? Et licentia accipiendi & dandi data à superiore locali alicui valet ne illi, si in alio Conuentu collocetur? Dicitur non valere, quia quæcunque habet religiosus & apud se retinet, sunt sub administratione superioris illius monasterij, in quo religiosus est assignatus, seu collocatus, non verò sunt sub administratione superioris alterius monasterij, ideo non potest religiosus de illis bonis disponere, nisi de licentia Prælati eius monasterij in quo est assignatus, & collocatus, seu ad quod pertinet, & cuius est conuentualis. Neque hic valet illud principium, quòd gratia durat donec reuocetur, quia hoc est verum de gratia inquantùm potuit concedi validè ab ipso concedente; Modò superior localis non potuit concedere suo subdito vt in alieno Conuentu disponeret de bonis ad suum vsum concessis, quia talia bona ad alterius Conuentus dispositionem & administrationem pertinent. Ideo est discrimen, quòd licentia data religioso manente in eodem monasterio valet etiam tempore Prælati successoris, nisi reuocetur, quia fuit gratia a Conuentu ad quem pertinent res illa, data medio administratore bonorum suorum, & ex consequenti non manente re sub eodem dominio manet licentia nisi reuocetur. Sed statim ac religiosus ad aliud mona-

monasterium pertinet, iam bona sibi concessa extrahuntur extra facultatem administratoris prioris monasterij, vnde ad superiorem illius pertinet dare licentiam illis vtendi. Quod adeo verum est, vt si idem superior prioris monasterij, qui dedit religioso licentiam dandi, & accipiendi, fiat superior illius alterius monasterij, illa prior licentia non valeat, quia identitas personæ materialiter hic se habet, & formalitas est, quòd licentia dari debet ab administratore bonorũ illius monasterij, in quo religiosus est conuentualis, quæ licentia semel data durat pro eodem Conuentu, sed pro alieno numquam dari potuit. Si tamen religiosus in alieno Conuentu sit hospes, quia manet Conuentualis prioris monasterij, licentia durat donec renocetur, vt etiam supra dictum est.

190 Verùm hinc nouum dubium oriri potest. Si enim v.g. Religiosus existens in monasterio Mediolani de licentia sui superioris mittat Romam aliquam summam pecuniæ pro emendo aliquo, & interim idem Religiosus collocetur Cremonæ, poterit ne rem emptam recipere, illamque retinere? Aliqui enim quos sequitur *Anton. à Spir. Sancto d. tract. 3. numer. 361.* dicunt posse, quia in hoc casu gratia facta non expirat; & alioqui res non est integra. Tum quia *Diana p. 4. tract. 4. resol. 108. ex Nouario, & Megala censet*, quòd qui habet licentiam celebrandi in oratorio propriæ domus in ciuitate Panormi, possit ea vti in ciuitate Messanæ si ibi ponat domicilium, quia hæc est licẽtia personalis. Sed isti non loquuntur consequenter ad dicta circa resolut. præced. quæst. Quia statim, ac Religiosus translatus fuit Cremonam pecunia illa, seu res empta per illam manet sub superiore administratore bonorum monasterij Cremonensis, non verò sub administratore bonorum Conuentus Mediolani; ideo sine licentia superioris monasterij Cremonensis non potest Religiosus rem illam recipere. Et non bene dicitur, quòd res non sit integra, quia hic non est vna res, sed plures omnino separatæ, & quæ requirunt distinctas licentias, scilicet emere, rem emptam recipere, rem receptam retinere, & illa vti, nec licentia data ad vnum ex istis per se valet ad aliud. Licet ergo res sit empta, non est recepta, & res ista non recepta iam pertinet ad monasterium Cremonense, & inter bona illius numeratur; solùm igitur de licentia superioris illius monasterij potest recipi. Nec doctrina allata (de cuius veritate nunc non disputo) est similis; quia licentia data ad celebrandum in oratorio proprij domicilij, si sit data à Pontifice non facit ad rem nostram, quia Pontifex est superior tam Ciuitatis Panormi, quàm Messanæ, & vbique concedit licentiam proprij oratorij. Sed superior monasterij Mediolanensis nihil potest erga bona monasterij Cremonensis, ideo licentia ab eo data respectu bonorum tunc spectantium ad monasterium Mediolanense, nihil valet respectu bonorum spectantiam postea ad Monast. Cremon. Esset verò exemplum simile, si licentia proprij oratorij fuisset concessa pro domicilio Panormi ab ordinario Panormi, sed tunc nihil valeret hæc licentia Messanæ, vbi ordinarius Panormi non habet iurisdictionem. Ex his autem manifestius est multò magis requiri licentiam superioris Conuentus Cremon. si antequam pecunia mittatur Romam Religiosus factus fuit Conuentualis, conuentus Cremonensis.

191 Sed si pecunia ante translationem Religiosi de monast. Mediolan. ad monaster. Cremon. erat iam transmissa Romam, sed Romam non peruenerat, vnde emptio non erat perfecta, potest ne Religiosus emptionem perficere, & pecuniam suo tempore expendere? Iidem respondent posse, quia res non est integra, & sicut DD. dicunt, quòd sacerdos, qui tempore Iubilæi cœpit audire confessionem pœnitentis potest transacto tempore Iubilæi illum absoluere à reseruatis, si obtinuit iubilæum; sic quia hæc pecunia est iam in via, & emptio est inchoata, potest Religiosus illam perficere. Sed neque hoc consequenter asseritur. Et quidem si non est tempus reuocandi commissionem datam, emptio legitimè fit, quia ex legitima licentia fuit commissa, nec potest reuocari commissio. Sed si commissio reuocari potest, tenetur Religiosus licentiam à superiore Cremon. petere perficiendi emptionem, & ad eius arbitrium de missa pecunia disponere; quia licentia superioris Mediolan. numquã se potuit extendere ad vsum pecuniæ pertinentis ad monast. Cremonense. Et licentia vtendi re aliqua data à domino rei tantùm durat, quantùm durat dominium illius, quòd si res ad alium transeat, licentia prioris domini expirat, & moritur mortuo dominio à qua vigorem habebat. In præsenti autem manet pecunia, sed respectu superioris Mediolan. idem est, ac si nunquam fuisset, quoniam transiuit ad bona Conuentus Cremon. vnde ad illum spectat medio suo superiore disponere de illis. Nec facultas absoluendi à reseruatis tempore iubilæi est similis, quia & Confessarius, & pœnitens, & peccata manent sub dominio, aut iurisdictione Pontificis, & ante, & post transactum tempus iubilæi, sed in casu nostro, pecunia quæ prius erat inter bona monast. Mediolan. transit ad bona monast. Cremon. Et gratia facta à Domino rei non potest durare pereunte dominio. Neque enim qui habet vsum domus de licentia domini potest vi huius licentiæ continuare in domus habitatione, si domus transeat ad dominium alterius. Inde quoque colligitur, quod licentia data ad aliquid in particulari finitur in primo actu, vt si superior dederit licentiam ad emendum hoc reliquiarium, eo empto cessat licentia. Sed si licentia sit data in generali ad habendum reliquiarium in vi huius licentiæ potest emi secundum. Nam lex generaliter est intelligenda. Ita *Anton. à Spir. Sancto, vbi sup. num. 362.* Hoc tamen instantiam patitur, tum quia aliud est habere, & aliud sit emere, & licentia ad habendum non est licentia ad emendum. Tum quia etiam si detur alicui licentia ad emendum reliquiarium, licet videatur generalis, non est talis, quia reliquiarium numeri singularis est, & non terminat emptionem, nisi vt singulare quoddam, & aliud est reliquiarium, & aliud reliquiaria, & multò maius est emere reliquiaria, quam reliquiarium, & licentia emendi reliquiaria est extensior, quàm licentia emendi reliquiarium; ideo empto vno reliquiario licentia iam expirat, quia aliter esset licentia emendi reliquiaria non reliquiarium.

192 Tandem quæ hic dicta sunt de superioribus Religiosorum, intelligi debere etiam de Abbatissa, seu Priorissa monialium, ita vt & ipsa possit

suis monialibus concedere licentiam necessariam ad vsum temporalium, probat abundè *Sanchez l.7. mor.c.19.num.44. ex Abbate, Cardinali, Nauarro, Bucco*, Rota Romana, *Corduba, Nauarra, Lopez, Bartholomeo de Ledesma, Rodriquez*, & alijs *Palaus d.num.11.Layman.l.4.tr.5.cap.7.num.14.*

SVMMARIVM.

1 *Accipere sine licentia superioris est proprietas. num.193.*

2 *An accipere pracise sumptum sit proprietas. numer. 193.*

3 *Quorundam opinio. num.194.*

4 *Accipere ad proprium vsum sine licentia est proprietas. num.195.*

5 *Accipere pecuniam, vt alteri dandam non est proprietas.196.*

6 *Accipere per modum depositi non est proprietas. num.197.*

7 *Accipere pecuniam distribuendam pauperibus non est proprietas,num.198.*

8 *Accipere pecuniam ad vsum proprium, pro interim tamen,solum modo depositi,secundum aliquos non est proprietas. num.199.*

9 *Furans pro vtilitate conuentus non est proprietarius.num.200.*

10 *Materialis acceptio ad vtilitatem alterius non est proprietas.num.201.*

11 *Accipiens aliquid vt statim tradendum conuentui non est proprietas.num.202.*

12 *Ordo doctrina ad alia. num.203.*

13 *An accipere literas sine licentia sit proprietas: varia opiniones.num.194.*

14 *Audire nuncium sine licentia non est proprietas. num.206.*

15 *Excluduntur aliqua huius explicationes. numer. 207.*

16 *Recipere gratis literas à tabellione est, & non est proprietas.num.208.*

17 *Obsequium animo liberali prastitum non est pretio astimabile.num.208.*

18 *Proprietarius est Religiosus, si quodcumque accipiat sine licentia ad vsum proprium. nu.209.*

19 *Etiam si hoc apud alium detineatur. etiam si solus vsus recipiatur. num.209.*

20 *Accipere legatum pro Conuentu non est proprietas num.209.*

21 *Accipere mutuum sine licentia est proprietas. numer 210.*

22 *Potius minor quantitas sufficit in mutuo ad culpam grauem, quam in donatione. num.210.*

23 *Per se accipere mutuum, etiam ad breue tempus, est proprietas.num.211.*

24 *Religiosus sine licentia superioris non potest recipere commodatum.num.212.*

25 *Non est malum recipere commodatum sub conditione, quod nullus alius, eo vtatur. num. 213.*

26 *Nullus est dabilis casus, in quo non sit aliquot peccatum accipere sine licentia. num.214.*

27 *Accipere rem donatam ex ijs, qua sunt de communi vsu. quomodo excusetur à graui, vel à nulla culpa.num. 215.*

28 *Accipere rem absque vsu pro paruo tempore, donec obtineatur licentia,non est peccatum grande. num.216.*

29 *Vbi dominium non acceptatur vti re aliena de licentia non est proprietas.num.217.*

30 *Etiam si res maneat depositata apud Religiosum, sed hoc explicatur. num.218.*

31 *Religiosus sibi petere non potest legatum sine licentia num.219.*

32 *Peccat Religiosus,si sibi accipiat singrapham campsoriam.num.220.*

33 *Accipere sine licentia munus dispensandi eleemosynas etiam sibi est proprietas. num. 221.*

34 *Reseruans in professione ius nominandi pauperes, non potest sine licentia nominare se, & transit hoc ius in Conuentum. num.222.*

35 *Religiosus eleemosynam pro alio petitam sibi attribuens est proprietarius, si id faciat. sine licentia superioris, & iniustus, si sine licentia domini. num.223.& 230.*

36 *An eleemosyna pro vno petita, & accepta possit alteri tradi. num.223.*

37 *Quatuor casus distinguuntur. num. 224.225.226. & 227.*

38 *Absolute eleemosyna pro vno accepta non potest alteri tradi.num. 228.& 229.*

39 *Accipere comestibilia sine licentia per se est proprietarium.num.231.*

40 *Quando sit grane peccatum accipere comestibilia. num.232.*

41 *Religiosum posse in necessitate accipere. nu.233.*

42 *Decretum S.Congregationis falsè relatum à DD. num.233.*

43 *Quando superior ex malitia negat, potest subditus sua necessitati succurrere sine licentia talis superioris. num.234.*

44 *Quanam sit hac necessitas. num.234.*

45 *Quando monasterium non habet sufficientes redditus solum pro pracisa necessitate ad sustentationem indiuidui potest subditus sibi succurrere sine licentia.num.235.*

46 *In his casibus Religiosus prius debet petere quod indiget à Pralato.236.*

47 *Quid veniat sub nomine pracisa necessitatis. numer.237.*

48 *Vbi ex acquisitis à Religioso potest eius peculiari necessitati succurri, id debet fieri. num. 237.*

49 *Quid vbi aliquid sit datum monasterio, vt non expendatur nisi in alicuius vtilitatem? num.237.*

50 *Vbi ex bonis communibus succurrendum est necessitati, potest subditus pro pracisa necessitate sui sine licentia prouidere, si superior id neget. numer.238.*

51 *Acceptio clandestina pecunia ad emendum librum vel aliud, quo Religiosus habet licentiam vtendi, non est sine culpa.num.239.*

52 *Accipere clandestino rem ad breuem vsum non est sine culpa. num.240.*

53 *Ad hoc vt clandestina acceptio sit proprietas duas conditiones requirit.num.241.*

54 *Petere non est contra paupertatem. num.241.*

55 *Religiosus sine licentia acquirens, cui acquirat, num.242.*

56 *Contractus Religiosi initus sine licentia, nullus. num.242.*

57 *Religiosus absolute donata acquirit monasterio. num.243.*

58 *Donatio acceptata à Religioso potest à superiore reuocari.num.243.*

59 *Dona-*

59 *Donata sub conditione, ea non impleta sunt donantis.num.244.*
60 *Potest dari vsus rei sub conditione, vt solus Religiosus talis, re vtatur. Sed hæ donationes non deberent admitti. num.245.*
61 *Superior potest acceptare donationem factam Religioso.num.246.*
62 *Repudiare oblatum non est contra paupertatem. num.247.*
63 *Nec per se in Religiosa est contra charitatem. num.247.*
64 *Religiosus solus valide non repudiat donationes, quas inuito subdito potest acceptare monasterium, si tamen manet in donante donandi voluntas.numer.248.*
65 *Subditus potest cogi acceptare donationes.nu.249.*
66 *Subditus potest rogare donantem, vt alteri donet, quod sibi donare vult num.250.*

Quomodo accipere aliquid pretio æstimabile sit in Religioso contra votum paupertatis.

INSPECTIO NONA.

193 Regula est communis, quòd in Religioso accipere aliquod pretio æstimabile cum licentia superioris expressa, vel tacita, vel præsumpta non sit per se peccatum cõtra votum paupertatis, vt latia ex supra probatis apparet, secus verò si Religiosus aliquid accipiat saltem sine licentia præsumpta est proprietas *cap. Monachi, cap. Cum ad monasterium de stat. monach. Concil. Tridentinum sess. 25. capit. 2. de regul. Clement. VIII. in decr. de reformat.* Nihilominus hoc dubitabile videtur, quia pura & nuda acceptio etiam maximæ quantitatis sine licentia superioris, vel non videtur peccatum, vel saltem veniale. Acceptio enim potest considerari, vt est coniuncta alijs modis vtẽdi diuitijs, qui sunt eas tenere, seu possidere, eis vti, eas consumere, vel alienare, quia scilicet eo fine, quis aliquid accipit, vt illud teneat ad sui vsum, & illo vtatur: & potest acceptio considerari præcisè, vt est acceptio rei, sicut cum quis accipit rem & acquirit monasterio aliquid, vt tradendum statim superiori, vel illis ad quos spectat, vt applicandum ad vsum monasterij, vel Religiosorum ad beneplacitum superioris. Et hic loquimur de accipere hoc modo, & videtur quòd nullum sit peccatum, quia quodnam peccatum esse potest acquirere monasterio? vel mendicantem ex professione accipere eleemosynam? Sed si sit peccatum, videtur saltem, quòd sit leue etiam respectu quantitatis magnæ. Nam in materia iustitiæ, & paupertatis quantitas peccati non desumitur ex quantitate materiæ remotæ, sed ex qualitate materiæ proximæ. Nam furtim mutuò accipere decem scuta pro breui tempore, sine maiori periculo domini non censetur materia grauis, neque peccatum mortale; multò minùs igitur erit peccatum mortale accipere magnam quantitatem illamque acquirere religioni ad statim tradendam illam ministris habentibus curam boni publici.

194 *Suarez tom.3.l.8.cap.11.num.27.* refert quorundam sententiam asserentium, Religiosum peccare mortaliter, si sine licentia accipiat ad vsum proprium materiam sufficiẽtem ad peccatum mortale, sed nullo modo peccare contra votum paupertatis, si Religiosus quod accipit, accipit vt sine mora illud tradat communi vsui, sed si sit in mora tunc incidere in proprietatem ex eo, quòd rem occultè detineat. Idem verò *Suarez* vtrumque dictum impugnat. Primum vt nimis rigorosum, quia si res accepta sit ex illis, quæ pertinent ad vsũ communem Religiosorum, si religiosus illam accipiat ad sui vsum loco alterius, quæ sibi traderetur, non peccat mortaliter; quia Religiosus habet in communi expressam, vel tacitam licentiam vtendi, vel pileo, vel calceis, vel libro talis authoris; igitur quòd Religiosus propria authoritate applicet illud indiuiduum materiale ad sui vsum, vel non est proprietas, quia semper seruatur respectus ad aliquam voluntatem superioris, & ad communem vsum, vel est materia leuis, & insufficiens ad peccatum mortale. Secundum autem impugnat. Nam acceptio facta sine licentia est acceptio habita nomine proprio, ergo est actus proprietatis, & contra votum paupertatis. Et confirmatur, quia vbi accipere aliquid sine licentia non esset contra votum, numquam hoc esset peccatum mortale, nisi esset prohibitum per præceptum obedientiæ, quæ est nimia licentia. Ideo ipse censet acceptionem sine licentia præcisè sumptam, & independenter à retentione, & vsu esse contra votum paupertatis; ideoque esse mortale peccatum supposita quantitate ad id sufficienti; & in hoc illi consentiunt *Card. de Lugo d.3. de iust. num.152. Castro Palaus tr.8.d.3.p.21.nu.5.* Quamuis dicat regulariter in hoc casu Religiosum excusari à peccato mortali; quia adest tacita, vel præsumpta licentia accipiendi bona temporalia ex intentione statim tradendi illa ad vsum publicum. Econtra verò, si Religiosus accipiat aliquid intuitu vsus proprij, & ad vsum proprium applicet loco alterius similis ex bonis cõmunibus sibi dandis, asserit non peccare mortaliter, nisi quod accipit sit pretiosius, quam illa quæ communiter dantur, vel in maiori abundantia, quàm soleat à Religione dari, etiam vbi commodè potest, & prouidet, vel illud sit superfluum, & non necessarium.

195 Dicendum nihilominùs est acceptionem cuiuscumque quãtitatis independenter ab vsu proprio non esse materiam voti professionis, ideoque nullo modo peccare contra votum, qui, nisi ex lege speciali id sit prohibitum, sine licentia accipit aliquod etiam in magna quantitate statim tradendum ad vsum communem. Hoc autem probatur ex *cap. cum ad monasterium 6. de statu monach. ibi. Vnde si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, vel Cellario assignetur.* Hic enim apparet, quòd intentio Pontificis est, quòd Religiosus nihil sibi accipiat, licet sibi sit destinatum, sed quòd totum superiori assignetur. Ratio autem est, quia hic nihil omnino sibi accipit, sed solùm materialiter contractat id, quod donatur, & præter hoc, quod est acquirere religioni, vel ei cui acquirunt religiosi sui Ordinis, nihil ferè magis facit, quàm faciat iumentum, quod res acceptas defert ad Conuentum,

tum. Est igitur considerandum, quòd votum professionis directè & per se excludit dominium, & sine licentia superioris vsum proprium rerum temporalium; Religiosus enim per se nec vouet absolutè paupertatem in communi, vel paupertatem alienam, sed paupertatem propriam; & sic vouet etiam hoc quod est non habere vsum propriũ sine licentia. Dicitur verò vsus proprius non præcisè quia sit ex propria voluntate, sed quia sit ad propriam vtilitatem, nam vti re temporali ad vtilitatem alterius non est vsus proprius, etiam si fiat sine licentia superioris, nec est contra votum professionis simpliciter, & absolutè. Modò hic, qui accipit rem tradendam statim communitati ad vsum communem, & non vt ipse ea vtatur, nihil sibi accipit, sed accipit conuentui, at verò accipere & acquirere conuentui sine licentia superioris non est contra votum paupertatis, quia non est vti diuitijs ad sui vtilitatem, nec est esse diuitem, nec est possidere, vel vti diuitijs nomine proprio. Ideo non est materia prohibita per votum paupertatis.

196 Hoc verò probatur manifestè ex doctrina eiusdem *Saarez* eodem capite, & simul alij casus ad præsentem materiam spectantes resoluuntur. Nam *ibid. num.* 45. quærit an religiosus possit accipere ab aliquo pecuniam, vt alteri dandam, & respondet quòd si donatio fiat immediatè religioso illamque ipse acceptet, quàmuis animo donandi illam tertio religiosus est proprietarius, sed non peccat contra votum paupertatis, si donatio fiat tertio immediatè etiam ex intentione ipsius dantis, ipse verò religiosus sit minister & medius deferens pecuniam & tertio tradens. Poterit enim in hoc casu religiosus peccare specialiter contra obedientiam, si hoc faciat sine licentia, vel permissione regulæ, non tamen contra votum paupertatis vt tradit etiam *Sanchez lib. 6. de Matr. disp.* 4. *S.* 6. Et hoc quidem verum est, sed quare? Quia religiosus non accipit sibi, sed tertio, nec vtitur pecunia ad sui commodum, nec vt ipse pecunia potiatur, sed vt illam alteri tradat. Non ergo quilibet vsus pecuniæ est prohibitus per votum paupertatis, sed vsus proprius, qui est ad commodum & vtilitatem religiosi pecuniam accipientis.

197 Item ibidem *Saarez* decernit & benè, quòd religiosus accipiens pecuniam alterius in custodia, & per modum depositi reddẽdam domino ad eius beneplacitum, licet hoc faciat occultè & sine licentia aut scientia superioris, potest quidem peccare contra obedientiam aut decentiam status religiosi, non tamen peccat contra paupertatem, si sincerè ita fiat, & non palliatè, & per fraudem. Plus verò est retinere, quàm recipere, & tamen retinere pecuniam alterius, vt depositam non est proprietas, quia talis nec sibi accipit, nec sibi retinet, sed accipit, & retinet alteri. Vsus ergo rei consistens in accipere, vel retinere ad vtilitatem alterius non est contra paupertatem etiam, si fiat sine licentia, quia non est vsus proprius. Igitur & accipere ad vtilitatem Conuentus, & non ad priuatam vtilitatem propriam, non est contra votum paupertatis.

198 Item non esse contra votum paupertatis si religiosus accipiat alterius pecunias distribuendas pauperibus etiam ad arbitrium religiosi eligendis docent *Sanchez l. 7. mor. cap.* 30. *Saarez l. 8. c.* 11. *n.* 16. *Laymah lib. 4. tr. 5. cap. 7. num.* 13. Vbi dicit quòd hoc repugnat legibus societatis. Et licet in hoc dissentiat *Lezana d. cap. 6. num.* 39. quantùm ad illam partem, scilicet si religioso tribuatur facultas nominandi pauperes, & eos eligendi, tamen communis sententia est non esse contra paupertatem accipere pecunias alterius distribuendas pauperibus nominaris ab ipso pecuniarum domino. Quamuis sententia *Sanchez & Suarez* absolutè verior sit, quia eligere pauperes, quibus aliena pecunia distribuatur, non est aliquid proprium habere, nisi ex hoc aliqua commoditas pretio æstimabilis religioso adueniat, seu acquirat ius nominandi se ipsum inter pauperes. Cæterùm habere pecunias, ad meram aliorum vtilitatem non est contra paupertatem, licet possit esse contra speciale præceptum obedientiæ.

199 Item *Sanchez l. 7. mor. c. 9. nu.* 51. iuxta hanc doctrinam *Saarez* docet, quòd si religiosus accipiat pecuniam etiam ad sui vtilitatem propriam, sed accipiat illam vt habendam tanquã in deposito, manente illius dominio apud dantem donec religiosus à superiore, vel futuro, vel absente accipiat licentiam ea vtendi non est proprietarius (quod ego modo non omnino approbo, sed de eo dicam infra) quia tunc religiosus non habet illius rei nec dominium, nec vsum, nec administrationem ad sui commodum; res enim est dantis, & religiosus ea non vult vti nisi de licentia.

200 Sed dices. Nunquid qui recipit aliquid licet, vt statim tradendum superiori, non recipit illud ad sui vtilitatem, si recipiat sperans & intendens illud sibi concedi à superiore? Respondetur quòd finis operantis non est ille, qui dat speciem actui, sed finis operis. In hoc verò recipiente bona fide finis operis est recipere nomine Conuentus & intentione non retinendi acceptum, sed statim illud tradendi superiori, & ideo non accipit ad vsũ propriũm. Quod verò etiam ex fine extrinseco intendat sui vtilitatem honestam habendam ex gratia superioris non vitiat actionem Religiosum ergo non esse proprietarium simpliciter si aliquid accipiat, vt statim tradendum superiori dixerunt. *Nauar. consil. 40. de stat. monach. Sanchez l. 7. mor. c. 19. num. 55. Donatus tom. 3. tr. 15. q.* 33. Nam & religiosum furantem ab extraneo in vtilitatem Conuentus non esse proprietarium tradiderunt *Faustus l. 8. q.* 183. *Donat. d. q. 37. num.* 14. *Lezana p. p. cap. 6. nu.* 33.

201 Materialis ergo acceptio, & retentio pecuniæ paupertati non obstat, sed intentio accipientis illa est, quæ qualificat acceptionem, vt sit contra votum paupertatis. Et accipere ad vtilitatem alterius non est vti pecunia vt propria, & vsu proprio, vnde neque est proprietas voto paupertatis contraria. Modò religiosus accipiens aliquid sine licentia vt illam statim tradat Conuentui ad vsum communem, non sibi accipit, sed conuentui. Nec obstat si dicatur intentionem dantis esse, dare illam rem religioso, quia proprietas non consurgit ex intentione dantis, sed ex intentione recipientis, & vtentis. Minùs obstat, si dicatur, religiosum sibi accipere dum accipit Conuentui, quia euidens est Conuentum alium esse à singulis, & vbi ordo religiosus non vouit paupertatem in communi, non prohibetur religiosus ex vi voti requirere bona pro Conuentu.

Regu-

202 Regula igitur communis in hoc sensu intelligitur, quòd accipere aliquid pecunia æstimabile ad vsum priuatum, & proprium sine licentia sit peccatum.

203 Vnde modò examinanda esset altera pars sententiæ supra a *Suarez relatæ* & ab ipso limitatæ, vt appareat etiam an accipere sine licentia sit peccatum mortale per se, ex obiecto. Sed congruus ordo petit, vt videamus priùs quid sit illud, quod religiosus potest, vel non potest accipere salua paupertate, vt postea videamus qualiter accipere id, quod prohibitum est recipi, sit vel non sit culpa absolutè, aut sit, vel non sit culpa mortalis, sed venialis. Et quidem ex dictis supra præsuppositur materiam remotam voti paupertatis esse diuitias, nimirum pecuniam, & quidquid pecunia æstimatur, & etiam beneficia Ecclesiastica, & doctoratus officia, & iura etiam spiritualia ratione diuitiarum annexarum, non verò bona animæ, vel honores, & fama, vel iura spiritualia præcisè & per se sumpta, Quo stante remanet nihilominùs dubium.

204 An religiosus sine licentia possit recipere literas sibi scriptas, vel etiam ad alium scribere. Videntur enim hoc affirmare *Io: Andr. in cap. cum ad monast. num. 4. de statu monachor. & Cardin. ibid. §. prohibemus nu. 1. notab. 4.* & manifestè id affirmant. *Nauar. com. 2. num. 3. de regul. & Graffius t. p. decis. l. 3. cap. 5. notab. 64.* quos sequitur *Donatus tom. 3. tr. 15. q. 43.* distinguunt autem inter literas, quæ sunt contra salutem spiritualem, vel corporalem singulorum Regularium, vel continent inutilia, vel impertinentia, & inter literas, quæ continent vtilitatem, & honestatem monasterij, & illas vel scribere, vel recipere dicunt esse contra votum paupertatis, non autem istas. Sed *Sanchez lib. 7. cap. 19. n. 47.* eadem vsus distinctione admittit, quòd scribere literas primi generis sine licentia sit proprietas, non verò recipere. Sed idem *Nauar. l. 3. consil. l. 3. consil. in p. edit. de regul. consil. 75. num. 49. & in 2. de statu monac. c. 3. num. 45.* Sentit quòd hoc sit peccatum solùm quando charta vtrinque data & accepta sit notabilis valoris, vel propter se ipsam, vel propter picturam, & hanc sententiam sequuntur etiam *Card. de Lugo d. disp. 3. num. 147. & Anton. de Spir. S. vbi sup. num. 247.* Recipere verò nuncium ait non esse materiam paupertatis. Ratio primi desumitur tum ex *cap. non dicatis 12. q. 1. & ex S. Bonau. p. p. speciali ad Nouit. c. 4.* Tum quia charta est quid pretio æstimabile, econtra autem audire nuncium non est quid pretio æstimabile, sed est frui aliena actione. Propterea idem Card. de Lugo existimat, quòd recipere literas à Tabellione gratis, & sine pretio, non sit proprietas, sicut nec gratis sine licentia admittere operam Medici, aut Chirurgi medentis alicui morbo, quia aliud est dare pretium, & aliud est pretium non exigere, sed frui obsequio alterius gratis, hoc enim non est proprietas.

205 Sed dicitur primò quòd audire nuncium sine superioris licentia est quidem inobedientia, si superior, vel regula id prohibent, sed non est proprietas. Ratio huius veritatis est, quia huiusmodi actiones considerari possunt, vel secundùm se ipsas vt sunt actiones naturales, seu etiam artificiales ordinatæ ad mouendum sensum, & medio sensu etiam ad animi eruditionem, & delectationem. Et sic sunt actiones naturales excedentes omne pretium, nec spectant ad bona externa, & diuitias, sed sunt bona naturalia etiam pauperibus communia, ad quæ homo habet naturale ius, quo nec potest se priuare; vnde tales actiones habere, vel admittere bonum naturale est, & bonum animi, quo per votum paupertatis homo non priuatur. Secundò possunt considerari, vt vestitæ aliqua obligatione, vel iure. Et sic obligatio ad canendum, ex pretio, seu ius vt alius canter, vel doceat, vel loquatur, prout est aliquod pretio æstimatum spectat ad diuitias, & religiosus esset proprietarius, si pretio obligaret aliquem ad canendum, sed liberè cantantem audire est res naturalis ex natura sua inuendibilis, quia superans omne pretium.

206 Dicitur secundò, quod tam scribere, quàm recipere literas sine licentia est contra votum paupertatis, & excusabile à culpa graui solum ex paruitate materiæ. Ratio est, quia licet scire, quæ scribens intendit manifestare, non sit vsus pretio æstimabilis, charta tamen est res pretio æstimabilis, nec eius vsus extrahitur extra vsum pretio æstimabilem, ex eo quòd ordinetur ad actum animæ, scilicet ad hoc, vt legens sciat animum scribentis, quia hoc dato tenere sine licentia libros immensos non esset contra votum paupertatis; quia librorum vsus finalis est scire, quod est actus animæ. Sed hæc sunt contra votum paupertatis, si fiant sine licentia, quia charta quæ in scribendo, vel consumitur, vel tenetur, & possidetur, & vsus eius ad huiusmodi est res pretio æstimabilis. Per se igitur vti charta ad scribendum, vel ad sciendum scripta est vsus pretio æstimabilis igitur si hic vsus sit sine licentia per se est contra votum paupertatis, & à culpa graui potest excusari si charta sit parui valoris, vel etiam à nulla culpa si charta tam parui valoris sit, vt pro nihilo reputari possit. Verum quidem est, quòd in his potest prælumi, quòd superior non sit inuitus, quantùm ad vsum chartæ, sed quantùm ad actionem scribendi, & recipiendi scripturam vt scripturam; & ita recipere literas non esset contra votum paupertatis, sed contra votum obedientiæ, si verè nullo modo superior sit inuitus respectu vsus chartæ, vt est pertinens ad diuitias, seu vt est vsus pretio æstimabilis. Cæterùm negari non potest, quòd vsus chartæ ad scribendum, & sciendum quæ scripta sunt non sit vsus pretio æstimabilis, & ex consequenti non sit prohibitus ex voto paupertatis haberi sine licentia per se loquendo.

207 Distinctio autem illa de literis continentibus turpia, aut honesta non est ad rem. Quia & honestissimam literam dare sine licentia, aut recipere si aliàs charta sit magni valoris, est in Religioso vitium proprietatis, non minus quam dare aut recipere breuiarium; aut vti papyro ad breuiarium scribendum. Sicut econtra nulla est proprietas, etiam si scriptura sit turpissima, si aliàs materia scripturæ nullius sit valoris. Sed nec distinctio Sanchez ad rem facit. Quia ex hac parte, vel in nullo est, vel in vtroque est peccatum. Nam & vsus papyri ad sciendum scripta est vsus pretio æstimabilis, aliter recipere librum sine licentia non esset proprietas. Vel igitur ex hac parte neuter peccat, si licentia superioris valet ad hoc, vt religiosus vtàs temporalibus ad vana non peccet, vel vterque peccat si hæc licentia non suffragatur.

208 Dici-

208 Dicitur tertiò quòd dare, vel recipere obsequium in Religioso potest esse proprietas, si fiat sine licentia. Considerandum ese enim, quòd agere potest esse liberale, & mercenarium. Quando verò agere est mercenatium, sicuti est, quando quis agit in obsequium temporale alicuius ex mercenario officio. seu ex pacto oneroso, tunc condonare pretium officij idē est, quod illud pretium donate, & recipere condonationem pretij est idem, quod quantitatem illam pretij recipere, quia illa quantitas est debita, moraliter verò pretio æstimatur, & tanti valet remissio debitæ quantitatis, quanti valet eiusdem quantitatis receptio. Ideo sicut si Religiosus tabellio ex mercenario officio deferens literas, si ille alicui condonaret pretium delationis literarum sine licentia esset proprietarius, quia sine licentia daret quantitatem illam debitam sic si Religiosus sine licentia recipiat à tabellione literas Tabellione condonante mercedem, quia pretium debitum recipit, est proprietarius. Verum quidem est, quod vbi non est necesse recipere obsequium quod mercenariè præstatur, si quis ex eo nolit soluere pretium, quia nolit recipere obsequium, nisi vt omnino liberaliter datum, tunc si ex obsequio nihil temporale resultat, cuius vsus sit pretio æstimabile, receptio obsequij non est materia proprietatis. Quia non est talis ratione rei receptæ, quia res recepta non est pretio æstimabilis. Sed neque ratione pretij non soluti pro obsequio, quia obsequio liberali nullum respondet pretium, nec pretium debetur, vnde nec aliquod debitum condonatur: sic ergo si medicus agat vt mercenatius conductus, & ex intentione pretij consentiente infirmo, si medicus postea condonet medicinæ pretium, donat pretium, & Religiosus esset proprietarius, si sine licentia pretium condonatum recipetet. Sed si medicus non ex pacto oneroso, sed liberaliter medeatur, Religiosus recipiens sine licentia obsequium medici non est proprietarius, quia nihil recipit cuius vsus sit vsus diuitiarum. Quia sanitas superat omne pretium; Operis verò pretium non sibi condonatur, quia pretium non debetur operi liberali. Et opus ipsum liberaliter donatum, vt est rale superat omne pretium. Et quia deferre literas non est opus mercenatium, quod non possit liberaliter fieri, & solùm materialiter deferr materiam cuius vsus sit pretio æstimabilis; si aliàs literæ quas tabelio defert non sint materia proprietatis, ex eo quòd litera gratis reddatur, si verè condonatur merces debita; materia proprietatis est illam recipere; sed si opus ipsum fuit donatum, & ex animo liberali habitum, illud recepisse non est materia proprietatis. Nec obstat, quòd obsequium illud deferendi literas sit pretio æstimabile, & vendibile, & quòd illi debeatur merces. Quia illi non debetur merces, nisi vt fit ex pacto oneroso, non verò vt fit animo liberali. Ideo videndum est an opus liberaliter factum sit donatio alicuius alterius rei pretio æstimabilis, seu si opus materialiter secum vtilitatem terat, quæ spectet ad diuitias. Si enim hoc adest, iam præstare liberè illud obsequium est aliquid diuitiarum donare. Sed si nihil diuitiarum fert, cum illi vt liberaliter præstito nullum debeatur pretium, qui obsequium illud recipit, nihil diuitiarum recipit. Et ideo qui gratis defert literas, si literæ non sunt aliquid diuitiarum pretio æstimabile, nihil donat, quòd recipere sit materia proprietatis.

209 Regula igitur data non limitatur ex hac parte, sed est vera vniuersalissimè respectu cuiuscumque materiæ pretio æstimabilis, & respectu cuiuscumque vsus pretio æstimabilis, quatenus est pretio æstimabilis, ideo regula vera est, vt notat *Sanchez num. 46.* vt proprietarius sit religiosus accipiens ad vsum proprium aliquid sine licentia, etiam si illud accipiat à quocumque, etiam ab alio religioso. Immò, vt idem docet num. 49. si manente dominio rei acceptæ apud dantem, religiosus sine licētia superioris nudum vsum facti recipiat. Immò vt idem habet num. 48. si religiosus rem non apud se recipiat, sed apud alium deponendam curet; qua tamen sine licentia ad libitum vti possit. In his enim & similibus casibus in quibus religiosus sibi accipit aliquod pretio æstimabile semper intrat proprietas contra votum paupertatis, si desit licentia superioris. Et hæc est doctrina communis in qua conueniunt reliqui DD. vt videre est apud *Rodriq. t. 3. q. 29 a. 10. Mirand. t. 1. q. 28. a. 16. Ledesma de stat. cap. 4. concl. 3. diff. 1. Sanchez l. 7. c. 19. num. 45. Suarez d. lib. 8. cap. Peyr. in subd. Rel. q. c. 8. 2. Anton. de Spir. S. in Direc. p. 2. tract. 3. disp. 3. nu. 134.* Recipere autem nudum vsum facti ad breue tempus censetur materia leuis, sed quòd breue tempus sit 6. vel 7. annorum vt vult *Anton. à Spir. Sancto nu. 141.* nemo prudens admittet. Si etiam Religiosus recipiat, quæ expresse superior prohibet per ipsum recipi, vt si recipiat eleemosynam pro missis; quam solùm per sacristam recipi vult superior, etiam si ille Religiosus illas missas dixerit proprietarius est. *Lezana d. c. 6. numer. 36.* quod verò subdit num. 37. scilicet, quòd Religiosus sit proprietarius, si sine licentia acceptet Legatum, etiam si nomine Conuentus accipiat, licet acceptatio sit valida, quia religiosus in hoc sibi vsurpat authoritatem monasterij, non est ammittendum, nedum quia in hoc semper præsumitur voluntas Conuentus, sed quia accipere pro alio non est actus dominij, & quatenus in hoc daretur prætensa vsurpatio, hæc esset iniustitia, non proprietas, quia Religiosus nihil ad sui commodum vsurpat.

210 Duo tamen hic quæri possunt. Primum, an liceat Religioso accipere pecuniam ad mutuum. Secundum est, an liceat recipere aliquid commodatum. Ad primum autem respondetur non licere Religioso sine licentia superioris accipere mutuum. *Suarez l. 8. c. 11. num. 44.* Et ratio est manifesta. Quia cum in mutuo transferatur dominium, seu recipiens mutuum maneat obligatus reddere tantumdem, Religiosus accipiens mutuum, sine licentia aliquid accipit ad proprium vsum inuito superiore. Et quod magis est, se obligat ad reddendum tantumdem, quod moraliter est impossibile quodammodo, quia nec Religiosus habet, vnde reddat, cum nihil habeat, nec Conuentus tenetur ad restituendum mutuum acceptum à Religioso sine licentia. Quantum tamen ad grauitatem culpæ. *Suarez* putat requiri maiorem quantitatem ad hoc vt peccatum sit graue recipiendo mutuum, quàm recipiendo donatum, quia minus est, quod accipitur mutuò, quam quod donatur, Sed quamuis hoc sit verum, tamen in ordine ad vtilitatem Conuentus, & ad voluntatem superioris magis opponitur

ponitur recipere mutuum sine licentia manente obligatione restituendi, quàm recipere donatum, quod manet simpliciter sub dominio monasterij; vnde non est dubium superiores meritò esse faciliores in danda licentia ad recipiendas eleemosynas, quàm ad accipiendum mutuum; ideo si in hoc inæqualitas rei acceptæ pensanda esset, potiùs quælibet parua quantitas sufficeret, ad hoc vt receptio mutui diceretur grauis. Bene tamen idem *Suarez ex Turrecrem. cap. Non dicatis, art. 7. 12. q. 1.* aduertit, quòd in casu necessitatis, & in vsus necessarios in quibus religio solet, & debet prouidere, & superior sit absens potest mutuò accipere, cum tunc adsit licentia tacita.

211 Sed si Religiosus extra casum necessitatis sine aliqua superioris licentia accipiat mutuum ad breue tempus cum securitate morali illud reddendi infra tempus illud, peccat ne mortaliter? Respondent aliqui, & pro hac eadem sententia referũt *Suarez l. 8. cap. 11. num. 25.* quòd accipere mutuò ad breue tempus cum securitate reddendi mutuum sit quid leue in materia iustitiæ. Verùm *Suarez* ibi, non agit de Religioso mutuante, sed solùm, vt probet quòd in materia iustitię ad constituendum peccatum graue non sufficit quantitas materiæ remotæ, sed debet attendi quantitas actionis, quæ est materia proxima, adducit exemplum eius, qui furatur decem aureos cum animo, & securitate illos restituendi intra breue tempus, quod est mutuò accipere illos, cum recipiantur cum animo restituendi, & ait hoc furtum non esse materiam peccati mortalis, Nihil verò dicit de hoc furto, vel mutuo habito à Religioso. Nam in proposito considerandum est, quòd in receptione mutui non debet attendi sola acceptio; Non enim recipitur mutuum, vt sola pecunia recipiatur, sed vt retineatur, & expendatur; ideo esto hoc quod est accipere præcisè, vt distinctum est à retinere, & expendere non sit peccatum mortale; & dato etiam quòd retinere pecuniam mutuatam pro breui tempore non esset mortale peccatum, poterit tamen esse, & erit, si pecunia expendatur sine licentia. Præterquàm quòd obligatio ad restituendum mutuum non est res leuis in Religioso, qui nihil habet proprij, quod restituat, & ideo dicendum est, quòd accipere, vel dare mutuum de se ex obiecto non importat vsum, qui sit materia leuis in ratione vsus pecuniæ, sed quæ est de se valde grauis, vnde de se est peccatum mortale, si fiat sine licentia; verum quidem est quòd vbi adsit licentia consumendi pecuniam mutuatam, & Religiosus ad vsum suum habeat, vel habere possit pecuniam ex qua possit, restituere mutuum, poterit attentis circumstantijs præsumi licentia. An verò hæc adsit, affirmat absolutè *Antonini à Spiritu Sancto. 2. p. direct. tractat. 3. numer. 279.* Quia vbi adsit securitas non adest damnum monasterij; vnde non est vnde superior censeatur inuitus. Sed hoc omnino reijciendum est. Tum quia in vsu diuitiarum in Religioso non debet attendi solum præiudicium Conuentus, sed paupertati status, cui non conuenit vsus diuitiarum sine licentia, & est perniciosus vsus frequens ex licentia præsumpta. Tum quia ex circumstantijs possunt adesse infinitæ causæ iustæ denegandi licentiam, vel ad dandum, vel ad recipiendum mutuum, & maximè quod causam mutuum recipiendi posset esse illegitima, & superioris est de ea iudicare. Et maximè quod causa iustissima non admittendi huiusmodi mutua est, ne approbetur vsus temporalium ex licentia præsumpta.

212 Ad secundam verò quæstionem *Peliz. in Manuali tract. 4. cap. 2. num. 284.* censet non esse peccatum mortale religiosum sine licentia superioris accipere aliquid commodatum etiam magni valoris, si tamen ex hoc monasterium nullum passurus sit damnum. Ratio est, quia in commodato dominium remanet apud commodantem, vnde religiosus solùm acquirit vsum rei, at verò vsus rei etiam pretiosæ non censetur materia grauis. Hoc tamen est improbabile, & contradicit sibi hic doctor, qui bene nu. 269. contra *Caramuelem* idem sentientem in Reg. S. Bened. *disp. 55. num. 863.* probat nudum vsum facti repugnare voto paupertatis, & præcipuè ex hac causa, quia religiosus numquam peccaret contra votum paupertatis recipiendo ab extraneo, quia numquam potest recipere dominium, cuius non est capax. Licet verò hæc ratio non multùm vrgeat, quia licet Religiosus sit incapax dominij, tamen Religiosus potest peccare directè contra paupertatem vsurpando sibi dominiũ, vel ex ignorantia, vel etiam ex malitia & quantùm sit ex affectu eius per voluntatem conditionatam, sed quantum sit ex parte vsurpantis efficacem ad agendum de facto ac si esset dominus, & nomine proprio. Nihilominùs sententia illa certa est, & oppositum est improbabile, quidquid enim sit an vsus facti directè pertineat potiùs ad obedientiam, quàm ad paupertatem, hoc certum est quòd dependentia à voluntate superiorum in vsu diuitiarum est de substantialibus status Religiosi vt ex *Suarez tom. 3. l. 8. cap. 7.* probat etiam *Card. de Lugo de iust. disp. 2. num. 54.* & diffusiùs probatum est superiùs nu. 80. vnde non potest Religiosus accipere commodatum independenter à licentia superioris, quia nulla re ad diuitias spectante potest vti sine superioris licentia. Potest ergo Religiosus accipere commodatum de licentia superioris, vt habet *Card. de Lugo disp. 3. de iust. num. 48.* Inter Religiosos etiam potest esse de facili quòd commodatum accipiatur sine culpa. Non certè ea ratione, qua vtitur *Anton. à Spir. Sancto loc. sæpe citat. num. 280.* quia scilicet vsus temporalis alicuius rei sit res leuis, & respectu eius superior sit irrationabiliter inuitus. Tum quia licentia irrationabiliter negata non sufficit ad hoc, vt Religiosus sine licentia vtatur rebus, vt probatum est supra num. 170. Tum quia etiam respectu leuium superiores possunt esse rationabiliter inuiti. Ratio igitur est, quia de facili potest haberi licentia tacita, vel præsumpta in breui & temporali vsu commodati inter Religiosos. Cæterùm vbi non adsit licentia aliqua peccat Religiosus accipiendo commodatum, & hoc idem docet *Sanchez l. 7. cap. 19. num. 51. & Diana p. p. trac. 6. de pauper. relig. res. 42.* malè pro sua sententia citati à *Caramuele*.

213 Si autem quæratur, an tunc speciali ratione peccet religiosus recipiendo commodatum sine licentia, quia recipit illud sub hac conditione, quòd nullus alius religiosus re commodata vtatur. Dicitur peccatum esse, quia commodatum accipitur sine licentia, non verò quia accipitur sub illa conditione, quia in potestate commodantis est commoda-

modare sub quacunique honesta conditione, & ex quo commodat vni religioso non tenet commodare omnibus, neque ex hoc oritur in superiore aliqua facultas vtendi re commodata in alium finem & vsum, quàm sit ille ad quem illam concessit.

214 Quibus positis modò locus est examinandi aliam partem sententiæ supra ex *Suarez num.* 194. relatæ, & à *Suarez* explicatæ, & videndum est an dari possint casus aliqui in quibus religiosus sine licentia accipiens aliquid ad vsum proprium, vel non peccet, vel non peccet mortaliter, etiam si res recepta sit notabilis quantitatis. Immò an accipere sine licentia ex obiecto sit peccatum mortale. Et quidem quantùm ad exclusionem culpæ absolutè nullus est dabilis casus, aliquid accipiendi ad vsum proprium sine culpa, nisi interet licentia superioris saltem tacita, vel præsumpta; quia ex voto professionis religiosus se priuat omni vsu rerum temporalium sine licentia superioris, seu subordinat se ipsum in quocumque vsu diuitiarum ad voluntatem superioris, accipere verò aliquid temporale ad vsum proprium est aliquis vsus diuitiarum pretio æstimabilis, & ideo nisi supponatur aliqua licentia semper est proprietas aliqua accipere ad sui proprium commodum, & solum remanere potest dubium an sit culpam esse leuem, licet accipiatur res notabilis quantitatis.

215 In quo primò probabilis est opinio *Suarez* supra posita, vt scilicet recipere sine licentia superioris rem aliquam ex illis, quæ religio solet, & tenetur dare religiosis loco alterius, quam monasterium tradere deberet, vt accipere pileum, calceamenta, librum alicuius authoris necessarium, aut valde vtile, non sit peccatum mortale in religioso, nisi res accepta sit notabiliter pretiosior, quam illa quæ solet dari in Conuentibus aut domibus commodioribus, & ditioribus, vel accipiatur res in maiori quantitate, quàm consueuit dari, vt si recipiatur duplicata, aut triplicata vestis, aut libri non necessarij. Nam cum in Religioso jam sit & ius & licentia vtēdi his rebus in communi, cum huiusmodi sint res, quæ iuxta statuta Religionis à monasterio tribuuntur Religiosis, materialis determinatio ad hoc indiuiduum potiùs quàm ad aliud, videtur materia leuis, & ideo non sufficiens ad constituendum peccatum mortale. Hæc tamen acceptio facile posset excusari ex licentia præsumpta etiam aliquando ab omni culpa. Et hæc licentia præsumpta, vel etiam excusatio à graui culpa faciliùs potest habere locum respectu Religiosi manentis in Conuentu in quo, vel ob domus paupertatem, vel ob superioris tenacitatem non subministrantur necessaria Religiosis, vt infra magis est explicandum.

216 A culpa mortali etiam secundò excusatur Religiosus accipiens ad proprium vsum sine licentia, si non intendit vti re sine licentia superioris, sed tamen, quia timet rem sibi auferri ab immediato superiore, vel ob verecundiam, vel aliam causam non audet ab eo petere licentiam interim ad breue tempus illam occultè detinet, nec ea vtens donec in breui nouus superior adsit, vel possit Religiosus à Prouinciali, vel Generali obtinere licentiam. Ita *Lopez* referens *Victoriam p.p. instruc. cap.* 156. & tenet *Lessius l.* 2. *de iust. cap.* 41. *d.* 9. *num.* 79. & approbat *Sanchez num.* 55. Qui etiam aduertit, posse hoc fieri sine aliqua culpa contra votum paupertatis si dominium rei acceptæ maneat interim apud donātem, in quo casu cum Religiosus rei acceptæ, nec dominium, nec vsum habeat non potest esse proprietarius. *Donatus dict. tract.* 15. *quæst.* 37. *numer.* 4. *Diana p.p. tract.* 6. *resol.* 42. *&* 43. *&* *par.* 3. *tractat.* 2. *resolut.* 65. Et licet in hoc possit facere contra regulam, & peccare per inobedientiam: si regula non obligat ad culpam, nulla culpa est sic rem accipere dominio manente apud dantem, donec Religiosus accipiat licentiam illam accipiendi, & retinendi. Hoc verò videtur esse verum, etiam si dans intendat de præsenti donare, quia donatio non valet nisi acceptetur. Ideo Religioso non acceptante rem absolutè, sed solùm recipiente illam, vt depositam, non intrat prohibitio voti paupertatis, si hoc sincerè fiat, & non fraudulenter & palliatè. Sed si res accipiatur absolutè, & occultè detineatur per breue tempus, hæc acceptio, & detentio non est materia grauis, vnde & *D. Bonauent. in speculo disciplinæ ad nouit. p.* 1. *cap.* 4. solùm ait hanc receptionem non esse tutam, quia non vocat omni culpa. Quanta verò debeat esse huius temporis breuitas, quia DD. citati putant breue tempus esse si statim Religiosus scribat Prouinciali, videtur quòd breue tempus sit illud, quod intercurrit à receptione rei ad receptionem licentiæ superioris mediati, ad quem Religiosus statim scripserit. *Donatus dict. quæst.* 53. determinat tempus duorum dierum, vel trium. In hac tamen sententia inuenio, quid placere, & quid displicere debeat. Ex ea colligo primò, quòd accipere sine licentia superioris, quamcumque quantitatem etiam infinitam, si accipere accipitur, vt distinguitur à retinere, & ab alijs vsibus, & præscindit ab illis, non est ex suo genere peccatum mortale, sed solùm veniale: quia accipere præcisè importat vsum, qui in genere vsus est materia leuissima, & ferè nullius valoris. Quantitas verò peccati proprietatis non potest, nec debet accipi à quantitate materiæ remotæ, sed à quantitate vsus, qui est materia per votum professionis directè prohibita haberi sine licentia superioris. Et si tenere rem ad breue tempus existimatur res leuis, accipere, quod est momentaneum, non potest non esse res leuissima. Sed quod dicitur à citatis DD. de deposito non potest absolutè, & sine explicatione admitti. Nam licet tenere rem alterius titulo depositi præcisè, & formaliter non sit contra paupertatem, nec contra votum professionis, vt prohibet vsum rerum sine licentia, quia tale votum respiciens statum Religiosum, vt requirit in singulis paupertatem priuatam, particularem, & propriam prohibet vsum diuitiarum, vt est proprius vtentis, & ad vtilitatem vtentis ordinatur, vnde non prohibet, vti diuitijs titulo, & nomine alieno, & ad aliorum vtilitatem. Nihilominus depositum conseruatum ad vtilitatem depositarij non est purum depositum. Et semper duo in vsu diuitiarum vitari debent à Religioso. Primum est, vt non habeat dominium. Et hoc vitat depositum, quia quod habetur nomine depositi, habetur non vt proprium, sed vt alienum. Sed hoc non sufficit, Quia est necessarium secundum, scilicet, vt Religiosus, nec alieno vtatur etiam de licentia domini sine licentia sui superioris; qui verò apud se retinet depositum ad vsum proprium, licet non possideat

pro-

proprium, vtitur tamen alieno, & si hoc faciat sine licentia superioris peccat. Igitur peccat, qui recipit alienum sibi donatum titulo depositi, si interim ad vsum proprium illud retinet, donec licentiam recipiendi illud ad sui vsum recipiat. Quia illa detentio pro interim est quidam vsus sine licentia habitus. Et si dicas, quòd in hoc casu intentio proprij vsus potest esse extrinseca, & quòd potest esse, quòd ex fine operis Religiosus accipiat, & retineat rem merè, & purè, vt alienam, & ad vsus alienos, & ad aliorum commoditatem, solùm verò ex intentione operantis intendat commoditatem suam: Respondetur quod hæc præcisio metaphysicalis improportionata est huic casui, in quo dans dat, vt donet datum ad commoditatem recipientis, & recipiens recipit, vt datum ad sui commoditatem; & ad talem finem datum retinet, donec de licentia superioris sic accipiat, vt dominium religioni acquiratur, & cesset simulatio depositi, & donatio compleatur: Quamobrem *Concil. Triden. sess. 25. cap. 2. de regul.* hunc modum retinendi nomine alieno prohibuit, quatenus prohibuit tenere rem nomine Conuentus sine licentia superioris. Non igitur admittitur quòd Religiosum rem sibi donatam interim retinere loco depositi sit line omni culpa proprietatis, licet sit venialis culpa, si retineatur pro breui tempore sine illius dominio, & alio notabili vsu. Quodnam verò sit breue tempus, arbitrio prudentis est mensurandum. Et considerari debet, nedum quòd nuda detentio rei sine alio notabili vsu non videtur de se materia grauissima, & ideo ad hoc, vt sit leuis non requiritur tempus breuissimum, sed etiam ponderari debeat verba legis Canonicæ, quæ moram excludunt, vt patet ex *c. cũ ad monasterium de stat. monach. & Conc. Trid. & Clem. VIII.* præcipiunt enim, vt huiusmodi *statim* superiori tradantur.

217 Hinc deducitur nullam esse culpam contra votum paupertatis si manêre dominio rei apud dantem, Religiosus vsum rei habeat de licentia superioris. Vel si Religiosus petat, vt res vel pecunia maneat depositata apud tertium reseruato penitùs dominio apud dantem, sed tamen Religiosus habeat commoditatem vtendi illa pecunia de licentia superioris, vt tradit *Sanchez n. 49. & 50.* vbi hoc probat *ex S. Bonau. in expos. regul. Minor. c. 4. & in quæst. super eandem reg. q. 25.* & idem docent *Suarez sup. cit. Lezana p. p. cap. 6. num. 32.* Quia liberum est domino rei depositare rem suam apud quemcumque, & in cuiuscumque vtilitatem lege speciali non prohibente; Religiosus verò rei illius nullum habet dominium, nec res illa est Religionis, vel sub administratione superioris, & nedum vsum facti Religiosus non accipit nisi de licentia superioris; nihil ergo fit contra votum paupertatis. Et dato quòd in contrarium esset aliqua regula, si illa non obligat ad culpam, nec erit hic culpa inobedientiæ contra regulam. Religiosus tamen est proprietarius, si rem sine licentia recipiens, & sic nomine Religionis eius dominium acquirens, postea apud alium depositat, vt ea vtatur ad libitum. *Lezana p. p. cap. 6. num. 30.* Et quod DD. dicunt in huiusmodi casibus Religiosum posse peccare contra obedientiam, sed non contra paupertatem debet cum distinctione accipi. Nam directè contra paupertatem non peccatur nisi vsurpando dominium.

Et ampliùs iam ex communi sensu, & sententia censetur esse simpliciter proprietarius, si vsurpetur vsus sine licentia, quatenus verò hic vsus sit etiam contra speciale præceptum regulæ, aut superioris à DD. dicitur inobedientia, & sic est directè; sed tamen semper est proprietas, quia huiusmodi præcepta ad vitandam proprietatem ordinantur. Quòd sæpiùs repeto, vt non contingat mala intelligentia ex modo loquendi non omnino proprio licet communi. Immò ex eodem S. Bonau. aduertit *Sanchez* superiùs dictum esse verum, etiam si depositans pecuniam intendat transferre dominium in religiosum, quis quandiu aliquis non acceptat dominium, nec possessionem, nec ius, nec potestatem aliquam circa pecunias etiam tamdiu non recipit illas, si alius velit dare, sed dominium apud dantem remanet.

218 Et addit *Sanchez*, & consentit *Suarez loc. sup. citat. num. 45.* idem verum esse, si religiosus accipiat apud se pecuniam vt depositatam eodem modo quo apud amicum, nullum ius accipiendo, sed meram custodiam manête dominio apud dantem, quia esse depositarium pecuniæ alterius non est côtra votum paupertatis. In quo consentiunt *Layman. l. 4. t. 5. c. 7. num. 4. Castro Palaus tr. 16. d. 3. p. 21. nu. 6. Anton. a S. Sacram. tr. 3. num. 107.* Nec obstat quòd commoditas vtendi pecunia alterius ex se videatur esse aliquid pecunia æstimabile. Nam hoc est verum inquit *Sanchez* si hæc commoditas habeat annexum ius aliquod proprium vtendi re. Nam aliàs vt supra etiam dictum est, vnusquisque habet ius naturale vtendi quacumque re ad proprium commodum, quo nemo potest se priuare, neque eo Religiosus se priuat ex vi voti paupertatis, solùm illud subordinat voluntati Prælati, quantû ad exercitium actualis vsus, ideo salua remanet paupertas promissa, si Religiosus non accipiat aliquod ius proprium ad vsum rei temporalis, cuius etiam non est capax, licet maneat in eo nedum commoditas vtendi, sed ius naturale ad vtendum, & si Religiosus hoc iure non vtitur nisi de superioris licentia. Sed doctrina ista, vt iam dictum est, venenum latens continet destructiuum paupertatis. Nam nedum contra votum est habere ius, aut dominium, sed habere vsum facti, vel aliquod pretio æstimabili sine licentia superioris; ideo tenere alienum in deposito, licet per se non sit contra votum, tenere tamen illud ad vsum proprium, licet cum intentione non vtendi, nisi de licentia superioris, est quoddam pretio estimabile, & quidam vsus facti, qui nequit haberi sine licentia.

219 Ideo bene aduertit *Card. de Lugo d. 3. de iust. num. 127.* quòd si pater grauet hæredem, vt quotannis filio religioso offerat 50. aureos ad id, quod ipse maluerit, non intendens ex hoc dare filio aliquod ius ad illos exigendos, in dicto casu non peccat filius si de licentia superioris sibi petat ab hærede dictam summam, quod tamen esset contra paupertatem, si fieret sine licentia, quia hoc fit ad commodum religiosi petentis. Hæc verò doctrina neque locum habet in Minoribus de obseruantia & Capucinis, qui huiusmodi obligationes recipere prohibentur.

220 Colligitur etiam ex prædictis, religiosum accipientem syngrapham campsoriam, si eam acceptat absolutè sine licentia, peccare contra votum

paupertatis, etiam si intendat ea non vti nisi de licentia superioris, & iterum peccare si non accepta licentia ea vtendi eam laceret, vel alteri tradat quamuis lacerare singrapham cum sit destruere rem alienam, non sit proprietas, sed iniustitia. Quia ad sui commodum recepit rem pretio æstimabilem, & eam acceptam cum iam esset monasterij consumpsit, vel alienauit. Tamen aliqui dicunt non peccare, si non accipit dominium syngraphæ, sed relicto dominio apud dantem religiosus non vtatur ea nisi de licentia, etiam si non vtatur ea nisi diuisim, & per partes, Quia hic semper rei dominium est apud dantem, & religiosus habet vsum facti de licentia superioris, Ita *Anton. à Spir. Sancto d. trac. 3. num. 120.* Sed hoc non admittitur ex ratione allata num. 211. quia tenere ad proprium vsum est quidam vsus facti, qui non potest haberi sine licentia superioris. Non peccat tamen Religiosus, iuxta supra dicta, si syngrapham recipit non sibi, sed vt eam tradat superiori &c.

221 Colligitur etiam contra sinceritatem] & vim voti paupertatis sentire aliquos qui tenent, religiosum cupidum habendi pecuniam ad suas commoditates paratam posse curare vt amicus, vel consanguineus obliget se vel hæredem suum ad distribuendum singulis annis tantam pecuniam in pios vsus, vel pauperes ab ipso religioso eligendos, etiam si religiosus intendat sibi eam pecuniam applicare, vel in totum, vel in partem petita facultate à superiore accipiendi eam summam & non manifestato ei modo, quo illam sibi procurare vult. Hic enim multiplex est defectus. Primus est, quia hoc est substantialiter contra votum professionis quód religiosus sine licentia accipiat munus distribuendi alterius pecuniam pauperibus se ipsum inter pauperes numerando, vt bene docet *Card. de Lugo d. 2. de iust. num. 54.* Et ratio est manifesta, quia munus dispensandi alienum ad sui commodum, est non parua opulentia, quam non potest accipere religiosus sine licentia, vt docet *Suarez l. 8. c. 11. num. 16.* Nec obstat, quód iste religiosus dicitur nolle accipere pecuniam sibi sine superioris licentia, quia plusquàm multum suscipit, qui suscipit munus accipiendi & dispensandi sibi. Secundò hic est defectus taciturnitatis quia præsupponitur hunc religiosum velle petere licentiam accipiendi pecuniam non manifestato modo acquirendi illam ex munere dispensandi alienam pecuniam in vsus pios, ex intentione habendi hoc modo pecuniam ad sui voluntatem. Quod est motiuum ad iustitiam causæ valde pertinens, & ex quo resultare potest, vt non adsit iusta causa concedendi talem modum acquirendi pecuniam, seu talem rei alienæ administrationem, vnde & talis licentia sic obtenta poterit esse subreptitia. Et huiusmodi doctrina non est nisi inductiua ad inobseruantiam voti paupertatis sub prætextibus palliatis, & occultis.

222 Colligitur quoque, quòd religiosus si ante professionem obliget suum hæredem ad faciendas eleemosynas pauperibus à se nominandis, si in intentione sua intendat posse nominare se ipsum, in actu professionis se priuat hoc iure, & illud transfert in Conuentum. Talem quidem reseruationem non posse fieri à religioso Societatis IESV docet *Card. de Lugo d. 3. de iust. num. 121.* cum ex vi Constitutionum debeat fieri renunciatio sine spe recuperandi. Quamuis aliqui conentur hanc constitutionem explicare. Sed verè absolutè loquendo à quocumque fiat illa reseruatio nominandi pauperis quibus hæres religiosi teneatur aliquid erogare, statim ac religiosus profitetur transfertur totum hoc ius in Conuentum. Etenim est quoddam residuum dominij bonorum; Nam hæc nominatio non fit nomine alterius, & ex alterius dominio, sed in vi illius dominij quod super suis bonis habebat religiosus, & in vi cuius grauauit hæredem ad eleemosynas erogandas seruata sibi nominatione pauperum. Et certè non potest sine licentia superioris nominare se ipsum neque hæredem obligare ad sibi aliquid erogandum.

223 Colligitur tandem Religiosum si in distribuendis eleemosynis, aliquid sibi vsurpet sine licentia superioris, peccare contra votum paupertatis, vel etiam sæpe contra iustitiam. Vel enim ab extraneo data est eleemosyna distribuenda pauperibus, vel religiosus ipse illam petijt, Vtroque autem modo, vel petita aut data est pro pauperibus in genere, & hoc modo sine aliqua iniustitia potest illam sibi religiosus applicare, vel in totum, vel in partem de licentia tamen superioris, *Nauar. l. 3. Consil. tit. de mendicant. consil. vnico Manuel. & in sum. cap. 202. num. 2. Sanchez l. 7. mor. c. 30. num. 6. Fagund. l. 7. in decal. cap. 7. Lez. p. p. c. 6. num. 39.* Quia intentio dantis respicit paupertatem, & ideo sufficit eleemosynam dare pauperi; igitur si religiosus sit pauper potest illam dare sibi. Nisi aliunde sibi constaret de contraria intentione dantis. Quód si religiosus hoc faciat de licentia superioris, nec violat votum paupertatis.

224 Vel eleemosyna est data vel petita pro paupere determinato. Et in hoc casu *Nauar. & Manuel* absolutè tenent, religiosum peccare contra iustitiam sibi, vel alteri eleemosynam receptam dando; sed *Sanchez, & Fagund.* limitant hoc; Nam *Sanchez* quatuor casus distinguit. Primus est, quando de licentia ordinarij pro paupere determinato petitur eleemosyna. Et in hoc casu dicunt committi iniustitiam si eleemosyna hæc alteri detur. Quia cum ex decreto *Concil. Trid. sess. 22. cap. 8. & 9. de refor. & sess. 23. cap. 1. de reform.* ordinario incumbat cura pauperum, ideo ordinarius est persona legitima ad acceptandam quamcumque donationem factam ad causam piam, & dum committit, vel dat alicui licentiam, vt petat eleemosynam pro paupere determinato, simul censetur dare petenti facultatem accipiendi nomine pauperis donationem eleemosynæ, vnde qui illam petit, & recipit acceptat donationem illam nomine pauperis, vnde eleemosyna fit illius, nec potest sine eius iniuria alteri tradi. Quod adeo est verum, vt nec de licentia dantis postea possit alteri tradi, quia iam est acquisita illi pauperi pro quo fuit petita & recepta.

225 Secundus casus est, si religiosus, vel alius ad instantiam pauperis determinati eleemosynam petat, & recipiat. Et in hoc casu idem decernunt. Quia pauper ad cuius instantiam eleemosyna petitur, censetur dare facultatem petenti acceptádi eleemosynam nomine suo. Et sic statim ac recipitur, illi pauperi acquiritur; nec potest salua iustitia alteri tradi, nec etiam de ipsius dantis licentia.

226 Tertius casus quádo nec de licétia ordinarij,

rij, nec ad inſtantiam pauperis, ſed religioſus, vel aliquis ex motiuo proprio petit eleemoſynam pro certa perſona, exprimendo ſpecialem illius conditionem, quæ monere poſſit ad dandam eleemoſynam, vt quod ſit in carcere, vel orphanus, vel in lecto decumbens, vel puella in matrimonium collocanda. Et in hoc caſu quoque idem ſentiunt, alia tamen ratione. Nam licet non ſit acquiſitum ius illi pauperi, cum nec ab ipſo, nec ab alio nomine illius legitimè acceptanti, & ſtipulanti fuerit acceptata donatio, nondum illi acquiſitum eſt ius, tamen intentio dantis reſpicit perſonam determinatam, & illis circumſtantijs indiuiduatam, ideo dare alteri eſt contra dantis intentionem. Quod verum eſt etiam ſi eleemoſyna fuiſſet petita in genere v. g. pro carceratis, vel pro orphanis &c. quia non poſſet dari pauperi alterius generis ex eadem ratione. Nam & eſt certum quòd legatum v. g. factum pro carceratis non poteſt diſtribui alijs pauperibus. Tamen de licentia dantis poſſet in propoſito huius caſus dari eleemoſyna alteri, quia nondum acquiſitum eſt ius pauperi quo fuit data.

227 Quartus caſus eſt ſi religioſus aut alius nõ de licentia Epiſcopi, nec ad inſtantiam determinati pauperis, nec exprimendo ſpeciale genus miſeriæ, & paupertatis petat eleemoſynam ex ſolo generali titulo paupertatis. Et in hoc caſu indicant religioſum, vel alium petentem eleemoſynam poſſe ſine iniuſtitia alteri eam tradere, vel etiam à petente retineri ſi vere ſit pauper. Quia cum ratio dandi fuerit paupertas, ſi eleemoſyna cõferetur pauperi, videtur ſeruari intentio dantis, qui in dando non ita determinatè reſpexit conditionem indiuidualem pauperis pro quo eſt petita eleemoſyna & cenſetur petenti diſtributionem eleemoſynæ committere.

228 Sed veriorem, & tutiorem puto ſententiam Nauarri, & aliorum abſolutè negantium, eleemoſynam petitam pro vno determinato, poſſe ſalua iuſtitia alteri tradi, quia hoc ſit contra intentionem dantis eleemoſynam, qui eam illi pauperi applicauit, pro quo fuit petita & ratio dandi non fuit paupertas abſolutè, ſed paupertas huius determinati pauperis. Eſt enim hic diſtinguenda ratio actionis ſpecificè ſuæ præ., & ratio actionis huius vt hic, & nunc exercitæ. Certè ratio dandi eleemoſynam in quocumque caſu detur eſt miſeria pauperis, & miſericordia dantis, ſeu honeſtas ſubleuandi indigentis miſeriam; ab hac enim ratione ſpecificatur actio eleemoſynæ. Sed ratio dandi eleemoſynam hic & nunc in hac quantitate eſt miſeria illius pauperis pro quo petitur, & miſericordia dantis intendentis ſubleuare pauperem iſtum a miſeria, nec intentio ſubleuandi pauperem in abſtracto poteſt eſſe efficax ratio dandi eleemoſynam hic & nunc. Vnde ratio dandi eleemoſynam nunc cum petitur huic pauperi eſt huius paupertas & miſericordia erga hunc pauperem. Quod verò ſalua miſericordia poſſet eleemoſyna alteri tradi, hoc non facit, quia à dante huic eſt applicata. Et quod dicitur, quòd illa eleemoſyna eſt reuocabilis ad voluntatem dantis, qui cenſetur committere munus illam diſtribuendi & reuocandi petenti, non mihi videtur dictum cum fundamento. Quo enim iure neceſſe eſt, vt aliquis conſtituat adminiſtratorem rei ſuæ eum qui pro paupere determinato petit ſibi eleemoſynam? Itaque non poteſt reuocari eleemoſyna data pro determinato paupere niſi de facultate eius, qui illam dedit, hæc verò non præſumitur ex hoc ſolo, quòd ratio dandi fuit paupertas, quia ratio dandi fuit paupertas huius; & huic ille eam applicauit, nec ex hoc conſtituit petentem adminiſtratorem rei ſuæ. Ideo niſi aliunde ex ſpecialibus circumſtantijs colligatur quòd dans eleemoſynam det petenti facultatem eam diſtribuendi cui voluerit, ſemper per ſe eſt contra iuſtitiam eleemoſynam datam vni alteri tradere. Sed vbi hæc præſumptio locum habeat etiam in tertio caſu, & in quocumque eleemoſyna ſit reuocabilis poterit eleemoſyna pro vno accepta alteri tradi.

229 Ex quo colligitur, multò magis agere contra iuſtitiam eos, qui caſus miſerabiles veſtitos ſpecialibus circumſtantijs fingunt, & cum fraude pro perſonis determinatis ex ſpecialibus motiuis eleemoſynas petunt, quas ſibi attribuunt; quod prorſus eſt iniuſtum, niſi vbi fraus ſit cognita à dantibus, vt accidit in mendicis pro ſe in vijs & plateis infirmitates fingentibus; communiter enim ſcitur huiuſmodi infirmitates fictas eſſe, & nihilominùs pij fideles dant illis eleemoſynas intuitu paupertatis.

230 Quantùm igitur ad propoſitum noſtrum; ſi religioſus eleemoſynam pro alio petitam, & acceptam ſibi applicet ſine licentia ſuperioris, & voluntate dantis, peccat peccato ſacrilegij contra votum, & peccato furti contra iuſtitiam. Si verò non ſibi, ſed alijs tribuat. Non peccat contra votum paupertatis, peccat verò contra iuſtitiam, niſi in caſu in quo eleemoſyna ſit reuocabilis, eam alteri applicet ex licentia domini ſaltem probabiliter præſumpta.

231 Tertiò aliqui excuſare videntur a culpa mortali religioſum accipientem comeſtibilia, vel quæ vnico vſu conſumuntur, & quæ a ſeculari conceduntur hac intentione, vt à religioſo conſumantur, & non acquirantur Conuentui. Et refertur *Lopez l.1. Inſtruc. cap. 156.* ſentire, licitum eſſe religioſo accipere duas gallinas, vel aliquam conſeruam etiam ad communẽ vſum domus deſtinatam. Verum hanc limitationem non admittunt *Nauar. l.3. de reſt. c.1. num. 180. & 181. Sa pro in Claui regia l.9. c.16. num. 50. Leſſius l.2. de iuſt. cap. 41. dub. 9. nu. 79. Sanchez l.7. mor. cap. num. 53. Suarez tom. 3. de relig. l.7. c.21. à num. 39. Donatus q. 57. nu. 6. Lezana d. 6. 6. num. 30.* Nec poteſt dicta limitatio admitti, quia votum profeſſionis religioſæ, ſubordinat religioſum ad voluntatem ſuperioris in vſu diuitiarum, & niſi hoc præſtaret, ſed ſolùm auferret dominium, cum religioſus profeſſus ſolemniter ſit dominij incapax, nec accipiat regulariter res vt illarum ſit dominus, cum hoc conſequi non poſſit, ſed vt illis vtatur ad ſui commodum, numquam peccaret contra votum paupertatis, & impunè abſque incurſu pœnarum in proprietarios latarum poſſet pecuniam accipere, tenere, expendere, & alias res conſumere, & alienare. Ideo in hac parte quòd res, ſit magna, vel parua, vt bene docet *Suarez num. 53.* nihil intereſt niſi ad quantitatem culpæ, vel mortalem, vel venialem inferendam, & ſic etiam quòd materia, ſit comeſtibilium, & eorum, quæ conſumuntur, vel permanentium, vel aliæ huiuſmodi differentiæ multùm valere poſſunt, vel ad diminuen-

tuendam, aut augendam culpam, non verò ad illam tollendam, nisi pro quanto huiusmodi differentiæ conducant ad hoc, vt rationabiliter præsumatur licentia superioris.

232 Ad iudicandum verò, an de facto in accipiendo aliquid notum ad vsum proprium sine licentia superioris, sit peccatum mortale, vtile est considerare quòd aduertit *Suarez num.40.* scilicet duo cauenda esse, primum ne detur occasio relaxationi, secundum ne nimis religiosi aggrauentur. Ideo dicitur, quòd de bonis consumptibilibus vsu & pertinentibus ad potum & cibum accipere aliquid ad vsum actualem, & transitorium regulariter non est mortale peccatum nisi damnificatio esset nimia, & in re magis pretiosa. Sed de hoc puncto, scilicet quando ea quantitate rei acceptæ acceptio debeat dici culpa mortalis, specialis consideratio infra est habenda.

233 Quartò excusatur Religiosus, si sine licentia recipiat necessaria ad sui sustentationem religiosam, & sibi negata. Circa quem casum primò mihi videtur referenda declaratio Congreg. Concilij, quæ per extensum habetur apud *Quarantam in v. casus reseruatus, & Lezanam p.p. cap.6. & Tambur. de iure Abbatiss. disp.8. q.9.* & est sequentis tenoris. *Quintò. An superiore quantùmuis requisito necessaria suis Regularibus negante, vel subtrahente liceat ipsis clam, vel inuito, illa sibi comparare, seu retinere. Sextò. Et quatenus liceat, an itidem liceat, cum necessaria ideo negantur, vel subtrahantur, quia monasterij facultates non suppetunt.* Hæc sunt quæsita, ad quæ Sacr. Congregatio respondit, & dixit. *Ad quintum non licere. Ad sextum licere, si præcisa necessitas sit ad indiuidui sustentationem, cæterùm eamdem communem penuriam ab omnibus percipiendam vsque adeo, vt si quid priuatim alicui delatum, vel ab ipsa partum fuerit, id omne ad superiorem recta deferri oporteat, qui ex eo primùm succurrat eius necessitati, cuius intuitu illud obuenerit, si peculiari aliqua necessitate vltra communem prematur, reliquum Conuentui incorporetur, & in communem cedat vtilitatem.* Primum verò considerandum circa huiusmodi declarationem, meritò eandem Sac. Congr. Sanxisse, vt huiusmodi declarationibus, quæ sub eius nomine circumferuntur, non sit præstanda fides in iudicio nec extra, nisi in forma authentica exhibeantur. Nam aliàs neque ex DD. testimonio earum veritas comprobatur. Quod in præsenti declaratione experimur, quam omnino contrariam contextui omnes præfati DD. referunt. Nam responsionem ad quintum, ita referunt. *Ad quintum non licere.* Hoc verò esse falsum, & responsionem Sacr. Congreg. esse hanc. *Ad quintum licere* colligo nedum ex sexto dubio, & eius responsione. Dicitur enim. *Sextò, & quatenus liceat &c.* Supponitur igitur licere, quod in quinto dubio petebatur, & dubitatur an id liceat in casu in quo monasterium non possit necessaria subministrare, & ad hoc respondetur affirmatiuè, si adsit præcisa necessitas. Nullus verò est, qui non videat, quòd si in casu quinti quæsiti, non poterant Religiosi sibi accipere necessaria etiam inuito superiore, superfluum omnino erat sextum quæsitum, in quo absoluta responsio negatiua est euidentissima, supposita responsione negatiua absoluta data ad quintum prout refertur à dictis DD. Et præterea post absolutam negatiuam responsionem datam ad quintum, nullus est, qui non videat ineptè omnino proponi sextum quæsitum ea suppositione quòd affirmatiuè fuerit responsum ad quintum. Secundò idem colligo. Quia in Codice manuscripto declarationum d. Sacr. Congreg. quem habeo apud me, responsio ad illud quintum dubium est ista, scilicet. *Congregatio censuit licere.* Et initium responsionis ad sextum est istud, *Itidem licere &c.* vbi dictio *itidem* importat similitudinem responsionis. & sicut ad quintum dictum fuit licere, sic dicitur ad sextum, quamuis sub limitationibus, quæ postea subiunctæ fuerunt.

234 Hoc supposito ad quæstionis dilucidationem tres casus distingui possent, quos distinguit *Suarez l.7. cap.19. num.14.* sed iuxta declarationem præfatam meliùs duo solùm distinguuntur. Primus est in quo monasterium potest subministrare necessaria Religiosis, sed Superior ea auaritia, crudelitate, & malitia aliqua ea non subministrat. Et in hoc casu iuxta Sacr. Congreg. declarationem Religiosus, vel ab extraneis, vel etiam ex monasterio ipso potest clam & superiore inuito sibi necessaria comparare. *Valent. hic disp.10. q.4. p.3. Rodriq. tom.2. cap.31. num.6. & tom.3. q.29. a.10. Sanchez d.c.19. num.14. Sayro in Clau. Reg. l.9. c.16. num.20. Lezana p.p. cap.6. num.31. Donatus tom.3. trac.15. q.37. num.7. Anton. à Spir. S. p.2. direc. trac.3. nu.132. & apud eum Vidal. Fragosus, & Peyrinus,* & cæteri communiter. Ratio est; quia in his casibus tenetur superior necessaria subministrare, nec potest cogere Religiosum ad sustinendam necessitatem, ad quam non obligatur. Et in his casibus semper adest præsumpta licentia superioris mediati & legis. Quæ verò sit necessitas de qua in hoc primo casu est sermo, quæri potest. *Lezana p.p. cap.6. num.31. Anton. de Spir. Sancto num.132. & Donatus tom.3. tr.15. q.37. num.7.* non distinguentes huiusmodi casus, per necessitatem intellexerunt necessitatem simpliciter ad vitæ sustentationem: *Sanchez autem d. cap.19. num.20.* dixit tunc necessitatem adesse, cum Religiosus maiorem paupertatem patitur, quàm postulet paupertas Religiosa. In præfata declaratione autem, scilicet in responsione ad quintum, nulla fit distinctio necessitatis, aut limitatio, vnde intelligitur hic primus casus non limitatè de necessitate simpliciter ad vitæ sustentationem, sed de quacumque indigentia quam non tenetur pati Religiosus, seu indigentia alicuius, & cuiuscumque ex illis, quæ secundùm statum Religiosum debentur, & communiter traduntur Religiosis, vel ad eorum vitam, vel ad officia, pro dignitate exercenda. Nam cum simus in casu subueniendi necessitati, ad quam monasterium habet sufficientes facultates, & solùm ex malitia sua superior non vult ferre remedium, cum Religiosus habeat ius habendi ea, quæ ex regula, vel praxi debentur, & communiter dantur, sumus in casu in quo licentia irrationabiliter negata sufficit, quia adest superiorum, & legis præsumpta licentia. Ego nihilominùs puto, quòd consideranda sint in singulis casibus circumstantiæ temporis, & personarum. Nam & potest dari ex multiplici capite causa iusta denegandi subdito aliqua necessaria. Vnde assertio posita locum habet tunc, cum superior ex nulla causa iusta, sed ex malitia necessaria denegat,

Et

Et sæpe necessarium putatur, quod seruit commoditati, non necessitati; Nam semper attendi debet quòd pauperum est non habere etiam omnia necessaria, vnde ex iusta causa sæpe potest contingere, quòd superiores illa denegent, & maximè in pœnam alicuius inobedientiæ, vel ad obedientiæ experimentum, aut alicuius virtutis profectum, vel ad reprimẽdas passiones, & domandam superbiam subditi, vel ex alijs iustis causis, vel etiam, quia verè non possit.

235 Secundus casus est, in quo superior non subministrat necessaria, quia non potest, non quia non vult. Et in hoc casu datur resolutio, quòd scilicet solùm pro necessitate præcisa ad sustentationem indiuidui licet subdito sibi comparare necessaria. Verùm distinguendum est in præsenti, nam huius necessitatis sustentamentum, vel sumendum est ab extraneis, siue consanguineis, siue amicis, vel ex bonis ad communem mensam monasterij spectantibus. In primo casu totum id est à subdito agendum inquantum potest, vt superior non sit inuitus. Nam eo inuito potest recipere ab extraneis non potest vero receptum retinere, sed tenetur receptum tradere superiori, qui tamen primo tenetur subuenire necessitati eiusdem, si est peculiaris, & maior necessitate communi, & reliquum ad communem mensam applicare. Ratio istius resolutionis est, quia Religiosus subditus, non habet ius, vt in communibus necessitatibus inuito superiore de bonis monasterij sibi non seruata iustitia distributiua magis prouideatur quam alijs; si verò maiori vrgetur necessitate sufficere sibi debet, si suæ necessitati fuerit sciente & volente Prælato prouisum, igitur non potest inuito superiore rem apud se retinere, sed eam superiori debet tradere, & ab eo subuentionem suæ necessitatis accipere: Dummodò enim subuentum sit suæ necessitati, quatenus hoc fieri possit, saluo honore superioris & obseruantia voti, votum debet obseruari, & non nisi de superioris licentia Prælati, qui aliàs quantum potest, & debet prouidet subditorum necessitati nõ debet, nec potest temporalibus vti.

236 Sed duæ sunt hic difficultates explicandæ. Prima est, an stante necessitate subditus teneatur petere à superiore id, quod est sibi necessarium, an potiùs illud possit clandestinè, vel ex se ipso accipere, & retinere, eoque vti. Nam eum teneri petere à superiore id, quo indiget affirmant *Nauarra de rest. p. 3. dub. 3. numer. 180. & Sayrus in Clau. Reg. lib. 9. cap. 16. num. 20.* Et id videtur supponere quintum dubium propositum Sacr. Congreg. & supra relatum, ibi. *An superiore quantumuis requisito &c.* Ita namque & in hac suppositione quòd superior, sit requisitus, responsum est Religioso licere sibi necessaria comparare superiore inuito. Sed *Sanchez l. 7 moral. c. 19. nu. 20.* vult, quòd rarò possit contingere culpam mortalem ex eo, quòd Religiosus non requisito superiore, sibi necessaria paret, quia cum superior in hoc casu non possit esse inuitus rationabiliter quantùm ad substantiam vsus, sed solùm quantùm ad modum, nisi in hoc, sit excessus, & detur causa, vnde superior quantùm ad modum, sit notabiliter inuitus, non est locus mortali culpæ. Et verè sic est, quòd aliqua culpa est, non recognoscere superiorem, & non recipere de manu sua necessitatis remedium. Verùm quia, non licet necessaria inuito superiore recipere, nisi vbi & Religiosus habet ius ad petendum, & superior non potest iustè petitionem reijcere, sumus in casu in quo licentia negata valet, ac si esset data, quantùm sit ad rei substantiam, vnde superior non potest esse rationabiliter inuitus nisi quantùm ad modum, quod non sufficit ad culpam mortalem, nisi superior contemnatur taliter, vt meritò notabiliter sit inuitus quantùm admodum, & sit grauiter offensus; sed neque *Sayrus loc. cit.* affirmat quòd, hæc culpa, sit mortalis.

237 Altera difficultas est, quæ sit præcisa necessitas? Nam non desunt, qui dicant præcisam necessitatem esse necessitatem extremam. Sed aliter dicendum videtur. Præcisum enim dicitur, vt ex *Menoch. cons. 134. num. 26. notat Barbos. dict. 275. n. 5.* quòd strictè admodum intelligitur. At verò extrema necessitas est nedum admodum stricta; sed strictissima necessitas, aliàs verò necessitas vera, & grauis, quæ non est verè magna incommoditas, sed est simpliciter necessitas est stricta admodùm necessitas; igitur eadem est præcisa necessitas. Item in necessitate extrema, non est necessitas adeundi superiorem, quis enim adeo strictè, & rigorosè interpretetur votũ professionis, vt intelligat Religiosum se obligasse ad non comedendum, & bibendum sine priùs requisito superiore, etiam in casu extremæ necessitatis? Sicut nequit dici sensum præfatæ declarationis Sacr. Congreg fuisse, vt Religiosus in extrema necessitate cibi carens accepto pane ab amico, deberet priùs recta ire ad superiorem, priùsquam comederet. Sed & Sacr. Congreg. satis declarauit se loqui de necessitate graui, quia ad hoc, vt ex accepto à Religioso teneatur superior priùs illi succurrere, decreuit sufficere si habeat peculiarem necessitatem vltra communem. Nam aliàs extrema necessitas legem, non habet, & vt docet *D. Th. sup. q. 66. a. 7.* in casu extremæ necessitatis vim habet lex naturæ, & ita vt necessitatus ex cuiuscumque bonis tam manifestè quàm occultè possit sibi remedium accipere, non obstante positiuo iure ex quo dominium & proprietas est introducta. Nomine igitur necessitatis intelligitur necessitas talis, quæ non sit incõmoditas licet magna, & quæ possit dici necessitas, sed quæ sit necessitas simpliciter, pro sustentatione tamen indiuidui, vt explicarunt, *Lezana, Donatus, & Antonius à Spiritu Sancto sup. citat.* Immò vbi est sermo de succurrendo necessitati ex acquisitis monasterio ab eo, qui necessitatem patitur, & intuitu illius adueniunt, vt superior teneatur illi succurrere, non est necessaria sola necessitas præcisa pro sustentatione indiuidui, sed sufficit necessitas maior, quàm sit penuria communis; nam & rationabile est, vt qui pro subleuanda penuria laborant præ alijs, etiam subleuentur si necessitate præmantur. Quamobrem in hoc casu, si superior, non quia non posset, sed quia nollet, sine iusta causa recusaret subuenire illi maiori necessitati sui subditi, essemus in terminis primi casus, & subditus sine eius licentia posset sibi prouidere. Si verò aliquid daretur monasterio cum expressa conditione & pacto, vt de eo prouideretur necessitati huius, vel illius, & datum ad alium vsum conuerti non posset. Superior teneretur seruare pactum, quia nec pactum est turpe, nec Conuentus acquirit rei dominium nisi sub illo pacto.

ēto. Sed tamen, non per hoc Religiosus acquireret ius aliquod ciuile, quia huius est incapax, sed haberet illud solum ius naturale, aut diuinum, quod alij habent, nec posset inuito superiore sibi prouidere in omnibus ad sui placitum; quia quòd superior deberet tunc illud acceptum expendere in vtilitatem v. g. Titij, non esset ex debito, quod superior haberet cum Titio, sed ex alieno debito; ex eo verò quòd licentia ex alieno debito iniustè negetur, non per hoc potest subditus, sine licentia vti temporalibus, vt probatum est supra. Quia tamen tunc superior, non negaret subuenire necessitati Titij, quia non posset, sed quia nollet, si nollet sine iusta causa, posset Titius iuxta dicta in primo casu suis necessitatibus inuito superiore ex sic acceptis omni meliori modo sibi prouidere, vel titulo compensationis ex alijs salua æqualitate iustitiæ remedium sumere si superior accepta retineret pro Conuentu. Nec teneretur tunc ad communem penuriam sustinendam, quia monasterium respectu illius haberet vnde illi subueniret abundanter & pro qualibet necessitate, vel vltra communem necessitatem, & quo iustè non posset vti ad communem miseriam adiuuandam, sed teneretur cōsumere in eius vtilitatem, & non posset consumere in alium vsum.

238 Propterea loquendo de bonis, quæ sunt communia, seu de mensa communi monasterij, non potest Religiosus sibi accipere aliquid nisi pro præcisa necessitate ad indiuidui sustentationem. In hac parte *Sanchez d. cap. 19. num. 20.* limitatè loquens in casu in quo monasterium, non valens subuenire necessitatibus Religiosorum taxauit vnicuique religioso partem seruata iustitia distributiua iuxta monasterij facultates, tenet, quòd Religiosus, non possit etiam in casu necessitatis aliqua ex Conuentu vsurpare, vt sibi prouideat inuito superiore, & esse proprietarium, & iniustum si id faciat, quia tunc licentia superioris, non est debita, sed superior iustè potest licentiam negare. Et pro hac dicit facere *Bald. l. vn. §. sed scimus in fine C. de lat. libert. tollen. Beneneum tract. de paupertatis q. 7. a. 2. num. 25. Surdus de alimen. tit. 7 q. 35. fin.* docentes monasterium si careat redditibus sufficientibus, non teneri ad alimenta Religiosorum. Verum meliùs loquitur præfata declaratio. Nam si loquimur de penuria communi, seu eadem, qua laborant omnes, vera est sententia *Sanchez* in casu dato; quia tunc omnes eandem penuriam sustinere debent, & subditi esse debent Prælato, & taxæ factæ seruata iustitia distributiua & iustè Prælatus negaret maiorem subuentionem Religioso eam ex communibus bonis petenti. Immò in graue damnum aliorum non posset Prælatus magis vni, quàm alteri dare in iustitiæ distributiuæ præiudicium, Sed nec semper huiusmodi taxæ sunt factæ salua iustitia distributiua, & hæc iustitia sæpe contemnitur; Vnde contingere potest, quòd etiam respectu communis penuriæ, & necessitatis aliquis Religiosus habeat iustam causam, vt sibi ex communibus bonis prouideat æqualitate iustitiæ non violata. Sed præterea assertio posita principaliter loquitur de necessitate grauiori, & peculiari præter communem necessitatem, pro qua necessitate grauiori, & peculiari non fiunt taxæ, sed si superioris prudentes sint, & velint seruare iustitiam distributiuam, semper debet vltra taxam ordinariam seruari aliqua pars pro extraordinarijs, & maioribus, seu præcipuis necessitatibus. Ideo dicitur, quòd vbi adsit præcisa necessitas spectans ad sustentationem indiuidui Religioso, si habet aliquid extrinsecus, prius debet illi ex eo subueniri, vel si non habet, debet ei adhiberi remedium ex communi, non obstante qualibet taxa, quæ non est iusta, si non respiciat extraordinarias Religiosorum necessitates, quibus aliter subueniri non possit. Immò *Lezana, & Anton. à Spir. Sancto,* extendunt, & bene assertionem, vt nedum à monasterio, sed ab alijs Religiosis possint sibi necessaria simpliciter ad vitæ sustentationem comparare, tam illis, quàm superioribus inuitis, si aliter sibi prouidere non possint. Nam & bona apud alios Religiosos existentia monasterij sunt, si tamen alius Religiosus esset in æquali necessitate, non liceret ab illo auferre, quod illi est simpliciter necessarium, & est à superiore concessum. Sed de eo, quod superest, tanquam de communi bono posset Religiosus existens in necessitate simpliciter pro sustentatione indiuidui sibi prouidere, si aliunde id facere non posset. Semper tamen verum est, quòd non licet etiam pro necessitatibus subleuandis aliquid accipere, & habere, si superior licentiam accipiendi, & habendi potest iustè negare,

239 Quintò excusant aliqui Religiosum, cui ex regula non est interdictum accipere pecunias, vel per se, vel per alium, si eas accipiat ad emendum libros, vel etiam alia quibus vtatur de licentia superioris. Immò si libros, vel alia empta reponat in sua cella inter alia, quæ ibi publicè visibilia continentur, quia Religiosus sic palam exposita possidens ea subijcit voluntati superioris, ac eius potestati. Ita *Azor. tom. 1. Inst. l. 12. cap. 12. q. 3.* Sed contradicit *Sanchez numer. 56.* quia acceptio, clandestina pecuniæ ad proprium vsum, de se est materia prohibita per votum professionis, quæ nec ideo est proprietas, quia sit prohibitum Religioso ex regula pecuniam contrectare & recipere, sed quia per se ex natura sua est contra obedientiam, & paupertatem promissam, nec ex eo excusatur à proprietate, quia Religiosus habeat licentiam emendi libros, vel eis vtendi, quia aliud est emere, & aliud est accipere pecuniam ad emendum, & vtrumque ex se est contra votum, & licentia ad vnum, non est licentia ad aliud. Verumtamen est quòd in his potest accidere de facili, vt possit probabiliter præsumi licentia superioris, in quo casu cessaret, vel in totum culpa, vel saltem culpa mortalis iuxta ea, quæ supra de licentia præsumpta dicta sunt. Quantùm etiam ad secundum contradicit *Sanchez dicta num. 56.* Quia exponere palam in cella librum emptum, non est manifestare, an ille sit emptus cum licentia, vel non emptus, & cū hoc lateat superiorem, non censetur dare licentiam ex eo quòd palam expositus sit. Verùm hoc iam spectat ad vsum, & non ad acceptionem, & ideo infra, vbi de vsu sermo erit, videndum erit, an exponere palam rem acceptam sit sufficiens ad hoc vt religiosus habeat licentiam vtendi illa. Cæterum hoc pro nunc dicitur, bene *Sanchez* aduertere, quòd hæc expositio non iustificat acceptionem, nisi & modus, quo res fuit accepta manifestetur, ita superiori, vt eius taciturnitas possit censeri legitima

gitima licentia iuxta superiùs dicta de taciturnitate. Verùm ex supradictis dicitur, quòd cum accipere præcisè, vt præscindit à tenere, & expendere vel vti, non sit ex suo genere peccatum mortale, qui habet licentiam tenendi, & vtendi non peccat saltem mortaliter si accipiat, immò nec peccabit venialiter, si in licentia tenendi contineatur licentia accipiendi, sed bene etiam contingere potest, quòd licentia tenendi, & vtendi non sit tam ampla, & immò quòd nec sit iustum concedere, nec sit concessum tenere pecuniam vndequaque acceptam. In quo casu accipere, & tenere sine licentia pecuniam acceptam ab hoc, vel illo esset peccatum graue supposita sufficienti quantitate materiæ. Vnde bene inspici debet, ne excedatur licentia Religioso concessa.

240 Septimò excusant aliqui Religiosum à culpa, si accipiat rem Conuentus ad breuem vsum; v. g. si ex communi bibliotheca (vbi hoc non sit prohibitum ex speciali lege) accipiat librum ad breue tempus, non verò ad vsum perpetuum. Ita enim tenet *Azor. loc. citat.* Cui meritò contradicit *Sanchez num.* 57. Quia vsus quilibet, si habeatur sine licentia superioris, aduersatur voto: & vsum esse temporalem, vel perpetuum ad duo seruire potest, vel scilicet vt sit facilior locus ad præsumendam licentiam superioris, vel ad minuendam, vel augendam culpam; nam vsus temporalis rei, quæ vsu non consumitur, si sit ad breue tempus est materia leuis, quæ ad culpam mortalem non sufficit.

241 Colligendo igitur dicta apparet, quòd acceptio prohibita per votum professionis, & quæ si fiat sine licentia aliqua superioris semper est culpa proprietatis, aut venialis, aut mortalis, debet habere duas conditiones. Prima est, quòd sit acceptio propriè, qua accipiens sibi accipiat, & quærat, non verò qua accipit monasterio, aut alteri. Secunda est, quod debet esse talis, quæ ex natura sua transferret dominium in accipientem, si illius esset capax, transferat verò dominium in monasterium, vel in alium, quia est sufficiens ad hoc, vt res desinat esse dantis. Quia si res accepta non desinit esse dantis, acceptio illius, & illius retentio, non est contra votum paupertatis, nisi Religiosus rem accipiat ad vsum proprium, aut re accepta vtatur, sine licentia superioris. Ideo petere rem ab alio non accipiendam nisi cum licentia superioris, quia hoc non est accipere, sed petere, non est contra votum paupertatis, licet possit esse conditio necessariò exprimenda, vt notat *Sanchez nu.* 52. vt obtineatur legitima licentia, si talis casus sit, quòd pertineat ad iustitiam obtinendæ licentiæ, nec se habeat, vt quid extrinsecum, sed vt substantiale exprimendum.

242 Tandem verò, vt meliùs ista explicentur, & sciatur cui res accepta à religioso, sine licentia ab eo tradenda sit, quæritur cui religiosus acquirit id, quod sine licentia accipit. In quo primò distingui debet acceptio onerosa, seu ex contractu ab acceptione rei donatæ. Nam contractus religiosi, sine licentia ipso iure est nullus, & ita in hoc casu res accepta remanet dantis, & res data remanet religionis, vel eius cuius sunt res quibus vtitur religiosus. Quod si dari possit contractus religiosi, sine licentia initus, qui sit validus, quia v. g. superior eum ratum habet, tum res accepta spectat, vel ad monasterium, vel ad eum, cui religiosus acquirit. Sed vbi religiosus acquirit data ex libertate dantia, distingui debet.

243 Nam vel dans absolutè donat, & tunc religiosus accipiens sine licentia, licet validè non accipiat sibi, accipit tamen monasterio, vel ei cui de iure acquirit. Et ita tenent *Abbas cap. cum ad monas. c. 2. Nauar. Com. 2. de regular. num. 32. & 33. & Suarez dicto l. 8. c. 11. num. 35. Card. de Lugo d. 3. de iust. nu. 152.* Quod tamen iuxta dicta in præcedentibus intelligi debet, si religiosus absolutè recipit rem donatam, non verò si accipit ea intentione, vt dominium remaneat apud dantem, quia in hoc casu religiosus nulli acquirit. Neque obstat, quia non adest hic consensus superioris, quia cum hæc acceptio sit in commodum religionis, adest sufficiens consensus. Non enim est consensus, vt religiosus accipiat ad vsum proprium, est tamen consensus, vt accipiat religioni, vel ei cui religiosus acquirit de iure. Bene verò ex *Nauar.* admonet *Suarez* hanc acceptionem, non esse adeo firmam, vt superior propria authoritate, non possit illam reddere nullam, & rem acceptam reddere Domino. Et sic illa acceptio valida est tam ex parte donantis, quàm ex parte religiosi recipientis, sed non est adhuc absolutè simpliciter valida, quin possit a superiore irritari, & si sibi visum fuerit conuenire religioni rem acceptam restituere, quòd hoc non possit facere.

244 Sed si donans, non donat absolutè, sed sub aliqua conditione expressa, vel tacita, ea conditione non purificata res semper remanet dantis. Et sic donans intenderet donare sub conditione quòd vsus rei sit religiosi absque subordinatione & dependentia a voluntate superioris, conditio hæc est turpis, neque deberet neque posset a superiore admitti, & firma remanente hac conditione ex parte dantis, res semper eius esset, cum conditio validè ex parte religionis impleri non posset. An verò huiusmodi conditio si non sit expresse turpis, possit interpretari in bonam partem, vt donatio sit valida, vel verum possit accipi, vt non adiecta & ita donatio valeat, quæstiones sunt alibi examinandæ. Hic sufficit, quòd si donans habet hanc intentionem verè, & solùm donat sub conditione quòd vsus rei donatæ sit religiosi, sine dependentia a voluntate superioris, donatio nulla est, & dominium apud donantem manet, vt docent *Bart. authent. excipitur. n. 9. Surdus de alim. tit. 8. priu. 79. nu. 4. Molina tom. 1. de iust. disp. 140. Suarez loc. cit. num. 34. Sanchez de matrim. l. 5. disp. 1. num. 4.*

245 Sed si intentio donantis sit, vt res sua remaneat, vsus verò sit religiosi de licentia superioris, res manet religioni quousque permittat religiosum vti tali re, quo negato danti restitui debet. Quàmuis & hic modus accipiendi, vt *Suarez* aduertit, à superioribus admitti non deberet, quia videtur superior cogi ad concedendum vsum religiosi, ne religio illo priuato commodo priuetur. Melius verò est eam hoc commodo carere, quàm in religiosæ paupertatis detrimentum, hanc speciem palliatam proprietatem admittere.

246 Sed si superior neget alicui religioso licentiam aliquid acceptandi, potest ne ipse eam inuito subdito acceptare ad communem vsum monaste-

rij? Respond. quòd potest nisi dominus, religiosi subditi repudiationem acceptauit; vel nisi Dominus a voluntate donandi recesserit. Nam velle subditorum est in voluntate superioris; qui potest rem subdito oblatam acceptare si vult, & eam vsui cõmuni applicare nisi aliter constet de voluntate dõnantis. Colligitur hoc ex *Card. de Lugo disp.3. de iust. num.166.*

247 Sicut autem, non est licitum subdito religioso acceptare aliquid inuito superiore, ita videri posset ei non licere repudiare id quod offertur, nolleque illud acceptare. Sed distinguendum est inter licitè repudiare, & repudiare validè. Nam primò hac est communis sententia DD vt videre est apud *Dianam tract. de paup. relig. resol. 8. & Card. de Lugo disp. 3. de iust. num. 95. Anton. à Spir. S. in Direc. p. 2. disp. 4. trac. 3. num. 201.* religiosum numquam peccare contra votum paupertatis, non acceptando rem oblatam. Et in hoc nulla est distinctio inter bona mobilia, vel immobilia, seu hæreditatem, & legata, quia religiosus ex vi voti paupertatis; non promittit se aliquid accepturum; sed bene promittit viuere sine proprio, ita vt nihil ad sui commodum recipiat nisi de licentia superioris. Nihilominùs tamen si non habeat iustam causam repudiandi rem oblatam, dicunt illum peccare contra charitatem. Ita ex *Sanchez, Fagundez, & Vidal docet Ant. à Spir. S. num. 203.* Quod tamen explicatione indiget. Nam; licet non acceptare priuet monasterium aliquo commodo, non priuat eodem ipsum dantem, qui etiam ex charitate diligi debet, vnde non video quomodo actio, quæ est vtilis vni, licet non alteri, sit contra charitatem, quia idem, non potest esse vtile pluribus, & non dare vni, quia datur alteri extra materiam iustitiæ, non potest esse peccatum. Nisi in casu in quo charitas obliget, vt vni potiùs quàm alteri subueniatur. Vnde nisi adsit casus in quo ex charitate obligetur religiosus ad acquirendam rē monasterio, non erit peccatum contra charitatem nolle rem oblatam recipere, seu nolle vt offerens se priuet re sua, vt illam acquirat Conuentus.

248 Sed si loquamur de repudiatione valida, distinguunt aliqui cum *Cardin. de Lugo d. disput. 3. n. 95.* inter bona incerta, & indeterminata, quæ non acquiruntur iure ipso, alia verò sunt bona, quæ statim iure ipso acquiruntur Conuentui, vt sunt legata, & hæreditates relictæ, & dicunt priora bona repudiari validè nisi ante repudiationem factam à religioso, acceptata fuerint à superiore, inscio vel etiam inuito subdito. Sed bona secundi generis, non posse validè repudiari a subdito, quia statim ipso iure acquiruntur Conuentui. Sed nullam in hac parte inuenio differentiam. Et quidem controuersia est inter DD. quam latè tractat *Sanchez l. 7. mor. c. 12. a num. 35.* an hæreditas delata monacho acquiratur immediatè Conuentui, in qua affirmatiua sententia verior est, & communior, quia per professionem iura religiosi transeunt in monasterium, & sic ex quo religiosus, nec habet velle, nec velle, nec ius sibi proprium, ideo omne suum ius in monasterium est translatum. Sed hoc est verum respectu cuiuscumque boni, vnde religiosus independenter à licentia superioris, nec validè recipit, nec validè repudiat, sed statim ac religioso offertur aliquid, & donatur statim omne illud ius quod competit donatario ex donante competit monasterio ad quod pertinet ius, vel faciendi suam rem donatam illam recipiendo, seu donationem acceptando, vel eam relinquendi sub dominio donantis, illā nõ acceptando. Potest tamē esse discrimen, quia certè repudiatio non est valida nisi facta de licentia superioris; ex alia verò parte regulariter in illis, quæ testamento donantur, voluntas permanet, si testamentū non mutatur, ideo etiam si subditus nolit accipere, iam accipit validè Conuentus, quando testamentum ad eius notitiam peruenit, quia tunc adhuc integra manet voluntas donandi in donante. Sed in rebus incertis, & indeterminatis, quæ non donantur per scripturam, quia regulariter, non manet in donante voluntas donandi, sed statim ac subditus cui offeruntur similia ea repudiat, dominus repudiationem acceptat, & voluntatem donandi mutat. Ideo in talibus repudiatio subditi valet per accidens; quia donatio, non est valida nisi acceptetur. Non verò acceptatur à superiore Conuentus, qui donationem ignorat, sed nec à subdito, qui illam repudiat, vbi verò superiori de donatione constiterit, iam in donante, non est ampliùs donandi voluntas, vnde non potest ampliùs acceptari donatio, & ideo per accidens repudiatio subditi fuit valida. Sed hoc idem potest contingere respectu hæreditatis, quam si inscio superiore repudiet subditus, & dominus ex hoc statim mutet voluntatem & casset testamentum, non est vnde superior hæreditatem acceptet. Econtra verò si subditus rem incertam & mobilem repudiet, & hoc innotescat superiori, si in domino donante manet voluntas donandi illam, validè superior acceptat etiam subdito inuito.

249 Quamuis verò subditus non operetur contra votum paupertatis, non acceptando donationes & eleemosynas, eum tamen posse cogi à superiore ad eas acceptandas, & ad adeundas hæreditates docent speculator *tit. de statu monachor. §. vnico nu. 12. q. 8.* & alij plures quos refert & sequitur *Sanchez l. 7. mor. c. 19. num. 41.*

250 Quæri verò potest econtra, an religioso liceat petere ab aliquo volente sibi donare, vt rem non sibi, sed alteri nomine suo donet. Quoniam hoc non est donare, sed intercedere, vt alius donet, id posse facere Religiosum docent *Suarez d. l. 8. c. 11. num. 45, Sanchez l. 7. c. 19. num. 74. Vericell. p. p. mor. trac. 5. q. 6. num. 261. Layman. l. 4. tr. 5. cap. 7. num. 16. Card. de Lugo disp. 3. de iust. num. 95. Anton. à Spir. S. in Direct. p. 2. trac. 3. disp. 1. num. 204.* Vbi tamen addit, quòd hoc facere sine iusta causa est contra charitatem: quod non admittitur ratione supra posita, quamuis si Religiosus id faceret ex odio, vel aliqua alia mala affectione, tunc peccatum esset. Sed ex genere id nullum peccatum est.

SVMMARIVM.

1 *Possessio rei temporalis repugnat voto paupertatis. num. 251.*
2 *Hoc aliqui negant. num. 252.*
3 *Hoc reprobatur. num. 253.*
4 *Qualiter possessio facti contraria paupertati. numer. 253.*
5 *Ratio quare possessio facti sine licentia censeatur proprietas. num. 254.*

6 *Ad vitandum peccatum proprietatis sufficit licentia superioris. num.255.*
7 *Licentia ad recipiendum non sufficit ad retinendū. num.256.*
8 *Occultare rem superiori est proprietas.nu.257.*
9 *Ratio propria huius. num.257.*
10 *Occultatio non est solùm signum proprietatis. num.258.*
11 *Occultatio multiplex. num.259.*
12 *Occultatio tunc mala cum praeceptum manifestandi obligat. num.260.*
13 *Habens licentiam tenendi rem, & illam postea occultans qua ratione peccet.num.261.*
14 *Plures casus in quibus occultatio dicitur excusari. num.262.*
15 *In praefatis casibus non est excusatio ab omni culpa. num.263.*
16 *Occultatio praescindendo à possessione per se est peccatum.num.254.*
17 *Potest tamen ex multiplici causa excusari à culpa. num.264.*
18 *Tenere rem apud secul'arem occultam superiori non licet. num.265.*
19 *Habens licentiam tenendi rem à superiore mediato potest illam occultare inferiori. nu.266.*
20 *Administrator rerum conuentus, si occultet aliquid superiori, vel contra eius voluntatem expendat non est proprietarius, licet possit esse inobediens, & iniustus.num.267.*
21 *Occultans rem officiali est proprietarius.nu.268.*
22 *Quando sit peccatum seruare res sub claue.n.269*
23 *Quid si Religiosus deferens clauem secum discedat.num.270.*
24 *Superfluum habere non licet. num.271.*
25 *Superfluum quid sit arbitrarium. num.271.*
26 *Vsus rei irreuocabilis non potest concedi.nu.272.*
27 *Qualiter in necessitate superior non possit auferre à subdito necessarium.num.273.*
28 *Qualiter non possit superior auferre ab vno, vt det alteri.num.274.*
29 *Religiosus peccat nedum si non dimittat rem, sed etiam si dimittat cum murmure: & licentia extortā, est inualida.num.275.*
30 *Licentia irreuocabilis repugnat voto.nu.276.*
31 *Superior, qui etiam iuramento promittit non reuocaturum licentiam retinendi, valide illam reuocat.num.277.*
32 *Superior, qui promisit non reuocare licentiam retinendi, qualiter peccet si sine iusta causa licentiam reuocet, num.&c.*

Possidere, seu tenere rē pretio aestimabilem, qualiter sit contra votum paupertatis.

INSPECTIO DECIMA.

251 Secunda actio ad dominium spectans est rei acceptae seu acquisitae possessio, seu tentio, quae quidem si sit possessio iuris, non est dubium eam repugnare voto paupertatis, cum importet proprium dominium rem detinendi ad suū vsum. Sed loquendo etiam de possessione facti, quę simplici voto paupertatis non aduersatur, dicitur certum esse hanc quoque possessionem repugnare voto religiosę paupertatis, si habeatur sine licentia superioris.

252 Oppositum huius veritatis tenuit *Petrus de Ledesma de stat.cap.4.concl.3.dub.2.pag.49.* sentiens mali speciem habere, quòd Religiosus teneat apud se pecuniam, & quòd contra votum paupertatis sit, si Religiosus pecuniam, quam apud se habet recepit sine licentia, addit, quòd Religiosus, qui pecuniam de licentia superioris receptam apud se retinet, nec ad commune depositum defert ex quodam ex genere auaritiae paratus tamen & dispositus, non vti illa sine licentia superioris non peccat mortaliter. Quoniam detinere apud se pecuniam, non est vsus alicuius dominij, cum multi pecuniam alienam apud se detineant. Addit verò, quòd etiam vbi adsit praeceptum superioris obligans sub mortali ad non detinendum apud se pecunias, licet hoc facere sine licentia, sit peccatum mortale, non est tamen contra votum paupertatis nisi reductiuè. Quòd si id non sit prohibitum expressè sub praecepto obligante ad mortale, sed sub poenis grauibus, & praecipuè sub poena proprietarijs debita, adhuc sine licentia tenens apud se pecunias, non peccat mortaliter contra votum paupertatis licet poenis impositis subiaceat. Et ampliùs adiungit, quòd habens licentiam tenendi apud se pecuniam, si eam acquirat sine licentia, ex hoc peccat mortaliter, quòd sine licentia acquirit, non verò quòd illam detineat. Posset verò, haec sententia, quam in substantia etiam tenet *Anton.à Spir.S. d.trac.3.n.105.* ex eo quia vbi religiosus, non sibi vsurpat dominium, tenet rem vt alienam, & sic tenet rem vt depositatam; & licet hoc possit esse peccatum iniustitiae, si res habeatur inuito domino; si tamen Dominus, non sit inuitus, habere illam non est iniustitia, quia Dominus consentit. Nec est proprietas, quia vt multi DD. docent, tenere rem alienam in deposito, non est proprietas; & si hoc fiat contra prohibitionem superioris erit peccatum contra obedientiam veniale, vel mortale secundùm quòd praeceptum superioris obligabit; non erit tamen contra paupertatem, qui igitur tenet pecuniam Conuentus eiusdem nomine veluti depositatam, illam tenet, igitur licet teneat eam sine licentia, non erit proprietarius.

253 Sed haec sententia reijcienda est, nam est directè contraria *cap. cum ad monasterium 6. de stat. monachor.* & Regulis sub quibus militant Religiones, vt patet ex relatis supra num.81. & quòd *d.cap. cum ad monasterium* obliget ad mortale colligit ex verbis prohibitionis, & poenis adiectis, ibidem *Reuerendissimus Fagnanus numer. 3.* & ex natura voti paupertatis id habetur. Et ratio eius est nullius valoris, quia ex ea etiam probaretur quòd alienare rem alterius, non sit vsus dominij, & non esset prohibitum Religiosis facere sine licentia, quoniam quamplurimi res aliorum alienant. Verùm sicuti alienare rem alterius sine licentia Domini est per se malum, ita & per se malum est alterius pecuniam detinere eo inuito. Pariter ergo tenere pecuniam, vel aliam rem pretio aestimabilem, vt ea vti possit est quidam vsus pecuniae, & est possessio facti, & facti insistentia prohibita Religiosis habere sine licentia superioris, & eadem ratione contra votum paupertatis peccat detinens apud se res

pretio æstimabiles pecunia, quo peccat, qui illas sine licentia, vel accipit, vel alienat, & ampliùs postea talis peccat contra obedientiã, si præceptum superioris etiam ex hac parte obliget sub mortali.

254 Dicitur igitur quòd detinere aliquid diuitiarum apud se sine licentia superioris expressa, vel tacita, aut præsumpta est per se ex genere peccatum mortale proprietatis vt constat ex *cap. monachi, & cap. cum ad monasterium de statu monach. & cap. non dicatis 12. q. 1. Concil. Trid. sess. 25. cap. 2. & Clem. 8. in decret. de reformat.* Huius verò ratio, non est quam assignat *Suarez tom. 3. l. 8. cap. 12. num. 2.* & alij, quia tenere rem sine licentia superioris, sit illam possidere tanquam propriam, quia ex præcisa vi voti paupertatis non est, vt homo non vtatur diuitijs nisi de licentia, vt patet in voto simplici paupertatis, tum quia bene stat quòd tenens rem intelligat tenere eam nomine Conuentus, & non vt dominus, sed ratio propria est, quia de substantia Religiosi status Cænobitici, est quòd in vsu temporalium Religiosus dependeat à superioris directione, & ideo hoc est materia voti paupertatis seu est materia voti professionis determinatè per tale votum promissa, tanquam quoddam complementum, & perfectio paupertatis, ideo licet nuda facti possessio independenter à cuiuscumque licentia propriè, non sit dominium, nec species dominij, nihilominùs est contra votum professionis religiosæ, quod & circa purum vsum facti subordinat voluntatem religiosi ad voluntatem superioris. Et cum votum non possit priuare religiosum vsu facti, vel iure naturali vtendi de facto ijs, quæ ad vitæ sustentationem sunt necessaria, votum religiosæ professionis ligat hoc ius naturæ, & illud subordinat voluntati superioris, & sic priuat religiosum libera facultate vtendi ex solo arbitrio suo rebus pretio æstimabilibus. Ad id verò, quod supra adducebatur ex *Anton. de Spir. S.* dicitur primò quòd Religiosus sine licentia Prælati retinens rem, licet vt depositatam, peccat contra iustitiam detinens rem Conuentus inuito superiore. Sed & secundo peccat directè contra votum professionis, vt supra num. 218. dictum est, quia tenere rem alterius licet nomine alterius, & vt depositatam, sed ad vsum proprium, & per se vt datinens ea vti possit, est quid proprietarium, & eo modo contra votum professionis, quo est contra illud rem alienare sine licentia, vel sine licentia habere vsum facti. Tertiò peccat contra legem positiuam *cap. cum ad monasterium, de stat. monac.* & clariùs contra *Concil. Trid. sess. 25. cap. 2.* & contra decretum Clem. VIII. de reformat. cum Religiosi prohibeantur tenere apud se res etiam nomine Cõuentus sine licentia superioris.

255 Econtra autem ad vitandum peccatum proprietatis in hac parte sufficit quæcumque licentia sine fraude obtenta, siue sit expressa, siue tacita, siue præsumpta, vt ex supra dictis colligi potest. Et in hac parte ratio certa est, quia Religiosus ex vi voti religiosæ professionis hoc solum promittit, quod est non vti diuitijs etiam per vsum facti ex proprio arbitrio independenter à voluntate superioris, non verò promittit, vel iustitiam, vel quamcumque aliam virtutem, ideo si possessio rei sit, vel contra iustitiam, vel scandalosa, & contra charitatem, poterit quidem esse culpa inobedientiæ & aliqualis proprietas, vel iniustitiæ, vel scandali, vel alterius speciei, non erit tamen simpliciter vitiosa proprietas, si adsit licentia superioris, vt tradit *Suarez ib. num. 3. ex Turrecrem. S. Antonino Vmberto, & alijs sup. num. 143. citatis,* & ibidem explicatum est in numeris sequentibus.

256 Hoc quoque præmitti debet tanquam certum, quòd licentia data ad accipiendum per se non valet ad retinendum, nec ex eadem causa ex qua præsumi potest licentia ad accipiendum, præsumi potest licentia ad retinendum. Ideo religiosus, qui ex quo sibi difficile fuit petere, & obtinere licentiam superioris ad accipiendum vsus fuit præsumpta licentia, non potest acceptum retinere sine noua licentia superioris, teneturque superiori manifestare rem acceptam, & licentiam retinendi petere, & obtinere. *Suarez dicto cap. 11. num. 5. Sanchez dicto cap. 19. num. 8. & 9. Fagund. l. 7. in decal. c. 5. n. 22. Bonac. de larg. mun. p. 6. nu. 28.* Nisi sicut habuit præsumptam licentiam ad accipiendum, habeat etiam ad retinendum; quia scilicet tota ratio agendi ex præsumpta licentia, non fuit difficultas petendi licentiam tunc, sed quia religiosus aliunde potuit licentiam præsumere, vel quia post acceptam rem superuenit aliud motiuum vnde potest præsumere licentiam ad retinendum. Quod præter DD. citatos tenet *Graffius 1. p. decis. l. 3. c. 5. num. 54.*

257 Ex his verò colligunt DD. quòd occultare rem superiori ne rem auferat, sit peccatum proprietatis ex suo genere mortale si adsit sufficiens materia. Ita docent *D. Anton. 3. p. tit. 16. cap. 1. §. 11. notab. 1. & 2. D. Bonau. in specul. discipl. ad nouitios p. 1. cap. 4. Syluester v. religio 6. q. 7. n. 1. Armilla n. 27. Tabien. q. 44. nu. 45.* Et communiter Canonistæ *cap. cum ad monas. de stat. monach.* & alij DD. quos referunt & sequuntur *Sanchez l. 7. mor. c. 19. nu. 59. Suarez loc. cit. num. 4. Cardinal. de Lugo disp. 3. num. 156. Anton. à Spir. S. vbi sup. nu. 124. Lezana d. t. 6. nu. 17. Layman. l. 4. tr. 5 cap. 7. num. 8. Bassæus v. paupertas, num. 2.* Ratio autem propria istius veritatis non est, quia occultãs rem superiori ex hoc vult illam possidere sine superioris licentia, quia occultatio culpabilis locum habere potest etiam si religiosus habeat animum paratum resignandi rem ad beneplacitum superioris. Et si occultatio esset culpabilis ex sola praua voluntate habendi rem contra voluntatem superioris, iam non esset culpabilis occultatio inquantum occultatio, sed inquantum mala possessio, seu detentio rei contra voluntatẽ superioris. Vera igitur ratio est, quia occultatio formaliter repugnat voto professionis, quia repugnat subordinationi voluntatis superioris in possidendo, & vtendo rebus temporalibus. Nam cum huius subordinationis exercitium non sit possibile nisi superior cognoscat id, quod religiosus apud se habet, quia voluntas non potest ferri in incognitum, de ratione subordinationis huius ex parte subditi est, quòd rerum possessio sit in conspectu superioris, vt illam cognoscere possit, quotiescumque voluerit, & ita in potestate eius sit rem possessam auferre, vel permittere. Occultatio igitur quia tollit hanc manifestationem, & ex consequenti, vel impossibilitat, vel reddit irrationabiliter difficilem cognitionem sine qua superior non potest sibi subordinare voluntatem subditi in vtendo diuitijs, ideo per se est contraria voto professionis, & censetur pertinere ad vitium proprietatis.

Colli-

258 Colligitur verò ex his, occultationem per se & ex se non solùm esse indicium, aut signum proprietatis, vt vult *Suarez dict. cap. 12. num. 4.* vnde loquens de eo, qui sine licentia acceptum abscondit, inquit quòd tota ratio culpæ consistit in eo quòd religiosus accepit sine licentia superioris, & acceptum detinet, occultatio verò est signum huius culpæ & pertinaciæ animi talis religiosi in possidendo & retinendo, quod possidet contra voluntatem superioris. Nam licet verum sit, quòd occultatio si sit effectus malæ voluntatis religiosi (quod tamen, non semper accidit) est signum illius, quia effectus indicat causam, tamen falsum est, quòd tota culpæ ratio consistat in acceptione, & possessione sine licentia; sed ipsa occultatio se ipsa est culpa, quia se ipsa, vel impossibilem, vel difficilem reddit obseruantiam eius, ad quod religiosus se obligat ex voto professionis.

259 Colligitur secundò assertam cõclusionem veram esse de omni occultatione propriè sumpta. Distinguit enim *Suarez* & bene num. 5. circa finem occultationem in totalem, & absolutam, per quam res ita occultatur, & non possit venire in cognitionem superioris facta mediocri diligentia, & inquisitione, & in occultationem non totalem & absolutam, vt si res quam religiosus occultare desiderat misceatur cum alijs rebus ad eius vsum concessis, & cum illis confundatur, ne superior in suspicionem illius veniat, & illam quærat. Et sic res non ita occultatur, vt quæsita cum mediocri diligentia non inueniatur, sed extra prospectum reponitur, ne statim videatur, & ne superior in suspicionem illius veniens, illam quærat. Omnis enim hæc occultatio culpa aliqua est maior vel minor. Quòd enim culpa sit probatur, supponendo priùs occultationem formaliter sumptam non importare hoc solum, quod est ponere rem extra statum obiecti proximè & moraliter sensibilis seu cognoscibilis per sensus superioris ad eiusdem superioris voluntatem, sed importat internum animum occultãdi, & intentione, vt à superiore res non cognoscatur. Primum enim absque omni culpa esse potest, & neque est necesse, vt quæ subditus possidet semper sint in prospectu superioris. Sed occultatio importat hoc, quod est remoueri rem ex prospectu superioris, vt à superiore, non cognoscatur. At verò hoc est contra votum professionis, quod obligat religiosos nedum ad non impediendum superiorem ne ex sua voluntate neget nobis vsum temporalium, sed ad manifestandum illam, & ad viendum illis de superioris scientia, & voluntate.

260 Verum tamen est, quòd ad hoc, vt hæc occultatio contineat culpam proprietatis necesse est, vt fiet tunc cum præceptum affirmatiuum voti paupertatis aliqualiter obligat subditum ad res quas possidet manifestandas superiori. Quod contingit quando superior id quærit, ideò reus occultandæ rei non est, qui rem aliquam ita occultat, vt eam superiori, vel cuicumque alteri nomine superioris quærenti eam sit manifestaturus, si alias rem illam de licentia superioris possidet.

261 Hinc patet, quid dicendum in casu, quem proponit *Suarez num. 6.* scilicet in casu Religiosi habentis licentiam etiam expressam tenendi rem aliquam, & postea eam occultantis absolutè, ne possit, vel contingat auferri. Huic enim esse proprietarium affirmant, *Suarez loco citat. Card. de Lugo d. num. 156. Layman. l. 4. tr. 5. cap. 7. num. 8. Lezana d. num. 17. Anton. à Spir. Sancto d. num. 124. Bassæus d. num. 7.* Quia per talem occultationem cessat effectus licentiæ datæ, & iam retinetur res non in vi licentiæ, sed ex propriu arbitrio. Tum quia licentia prior non fuit data ad habendam rem proprietario modo, modus vero proprietarius est habere rem clandestinè, vt superior id scire non possit. Tũ quia quantum sit ex parte subditi licentia data sit irreuocabilis, at verò licentia irreuocabilis in hac materia est iniusta & nulla. Hæc autem ratio deficit, quia ex ea habetur, quòd religiosus peccet, quia rem possidet sine licentia. Quod non sequitur, quia licet licentia prior non fuerit data ad habendam rem proprietariò modo, scilicet rem occultè, fuit data ad rem habendam, nec modus iniquus habendi rem accidentaliter, & extrinsecè superueniens licentiæ, eam tollit, aliter qui habet licentiam accipiendi in suos vsus, peccaret peccato proprietatis cum acciperet ex fine extrinseco, v fornicaretur, quod nec admittit Suarez; licentia enim superioris respicit vsum rei, vt habendum dependenter à voluntate superioris, ideo & in hoc casu, nisi constet superiorem licentiam explicitè, vel implicitè reuocare, & alias religiosus paratus sit priuate se re ipsa, si superior licentiam reuocet, non peccat quia possideat sine licentia cùm iam habuerit licentiam etiam expressam, cuius effectus non cessat, quia etiam vlterius bene contingere potest, vt superior sit inuitus quantùm ad modum occultandi, & non quantum ad substantiam habendi rem. Neque occultatio facit, vt licentia sit irreuocabilis, cum superior eam reuocare possit etiam si rem non inueniat. Propterea dicitur quòd in hoc casu potest contingere etiam peccatum proprietatis possessionis rei sine licentia, sed quòd per se semper est peccatum proprietatis occultandi rem quod est peccatum distinctum à peccato possidendi sine licentia. Hoc quidem peccatum possidendi sine licentia potest accidere in hoc casu, si superior licentiam concessam reuocet expressè, vel tacitè, vel etiam ex animo religiosi, qui nollet priuari re illa etiam id volente superiore. Per se tamen ex eo quòd religiosus occultat rem ad hunc finem ne sibi auferatur, ex hoc non habet animum possidendi sine licentia, sed solùm habet animum fugiendi ablationem licentiæ iam concessæ, & ad hunc finem potest rem occultare, ne sibi auferatur licentia concessa; paratus interim si eam superior auferat rem non possidere, sed reddere, sed nihilominus religiosus iste per se peccat, quia occultat rem, quod per se independenter à possessione sine licentia superioris est contra votum paupertatis. Peccat inquam, si rem occultet, vt etiam in casu in quo lex manifestandi rem vrget, eam occultare prætendat, nam alliàs non est contra legem affirmatiuam, nolle illam seruare quando non obliget.

262 Hinc etiam habetur, quid dicendum de illis modis, quibus aliqui excusant occultantem à peccato, quos refert, & approbat Sanchez *num. 61.* quorum primus ex *Corduba in ref. S. Franc. cap. 7. quæst. 4. & Anton. à Spir. Sancto vbi sup. numer. 124.* est quando religiosus credit probabiliter, quòd superior non spoliabit eum re, sed illam occultat, ne patiatur confusionem vidente superiore ea, quæ

posi-

possidet, vel vt ait Card. de Lugo, ne Prælatus patiatur rubore refriccata memoria eorum, quæ permisit. *Donat.d.tract.15. q.37. num.13.* Secundus ex *Mendoza in quodl.q.8.conclus.4. & Rodriq. qq. regul. tom.3.q.29.num.5.concl.5.Card.de Lugo d. num.156. Anton. de Spir. Sancto d. num.126.* si Religiosus ideo celat, ne reprehendatur, quia rem ex sola præsumpta licentia accepit, vel quia probabiliter credit superiorem non esse inuitum, quantùm ad rem acceptam, vel solùm quantùm ad modum recipiendi. Tertius ex *Corduba,& Anton.de Spir. Sancto nu.126. loco cit.* quando Religiosus occultat rem, ne peccatum, quod committit accipiendo eam sine licentia propaletur, paratus interim, vel rem dimittere, vel licentiam obtinere, quando adfuerit opportunitas non manifestato suo peccato.

263 Primò enim, si hæc intelliguntur, vt in his casibus religiosus sit immunis ab omni culpa, non potest huiusmodi acceptio admitti. Non quidem ex eo quòd iste modus occultandi, sit aliqualiter contra obedientiam, vt vult *Suarez num.4.* loquens in secundo ex supradictis casibus, vbi etiam vult quòd si occultatio, sit diuturna possit in ea esse periculum peccati mortalis. Sed quia occultatio ipsa ex se tollit cognitionem sine qua non potest superior sibi subordinare voluntatem subditi in vsu temporalium. Cui addi potest etiam non nihil iniustitiæ respectu rerum Conuentus, quæ occultantur domino seu administratori earum nomine religionis. Sed si intelliguntur dicti casus, vt in eis non sit culpa mortalis, sed venialis, admitti possunt, aliquid addendo.

264 Sed videndum est, an & ex quo capite occultatio præscindendo à possessione rei sine licentia superioris ex se ipsa sit peccatum mortale: Nam. *S. Bonau,in specul.animæ cap.2. colum.2.* censet tunc solùm occultationem hanc esse culpam mortalem, quando superior mandat rem manifestari in virtute obedientiæ. Quod negat *Sanchez num.60. in fine, ex Manuele 2.tom.sum.cap.31.num.3,* asserentes occultationem esse peccatum mortale etiam si religiosus habeat animum dimittēdi rem ad libitum superioris. Et ita verè dicendum est, quòd supposita materia sufficienti occultare rem superiori illam quærenti est in Religioso ex suo genere peccatum mortale, Sed quia occultatio ipsa potest esse leuis, si sit ad breue tempus, ideo dicitur quòd, occultare rem superiori in aliqua occasione temporali, cum animo, & affectu manifestandi rem post breue tempus; non est culpa mortalis, immò potest esse sine omni culpa. Si enim ex præsenti manifestatione immineat religioso graue damnum, vt quia ex hoc manifestabitur peccatum proprietatis commissum, & occultum, ad cuius cognitionem superior non procedit via iuridica, vel etiam cum sit omnino occultum procedere non potest, vnde non est in religioso obligatio peccatum suum prodendi, in hoc casu cessante in subdito animo proprietario, & adueniente animo manifestandi rem statim, ac poterit id facere non manifestato suo peccato, vt vitetur graue damnum, nullam adesse culpam potest admitti ex Corduba supra citato. Si verò causa non sit ita vrgens, & non omnino rationabilis, tunc erit peccatum veniale occultare rem ad breue tempus, quia nec superior in hoc censendus est absolutè inuitus, cum hoc simpliciter non impediat superiorem ne auferat rem si velit. Inde etiam est quòd hæc breuis occultatio potest excusari etiam ab omni culpa contra votum paupertatis, cū subditus probabiliter præsumat licētiam occultandi, quam de facili poterit præsumere ad solam temporalem, & breuem occultationem. Si verò subditus probabiliter præsumat superiorem non fore simpliciter, & absolutè inuitum respectu substantiæ occultationis, sed solùm respectu modi alicuius occultandi, & secundùm quid, tunc occultatio non erit culpa mortalis, sed venialis. Cæterùm superiore absolutè volente scire etiam hic, & nunc absque dilatione rem, quam subditus habet, quam voluntatem absolutam superior manifestat præcipuè si præcipiat in virtute obedientiæ subdito, vt rem hic & nunc manifestet, tenetur subditus rem manifestare absque dilatione, *Rodriq. tom.3. q.29.n.10.Card.de Lugo d.3. de iust.num.156.* nisi simus in casu in quo subdito imminet graue damnum, v.g. ex manifestatione delicti, quod non tenetur, tunc propalare, & confiteri, nec præceptum superioris tunc est validum, & sufficiens ad extorquendam huius delicti confessionem, vel nisi adhuc existente præcepto ex causis sibi notis subditus probabiliter præsumere possit licentiam non manifestandi rem; Nam & in hoc casu poterit esse circumstantia ratione cuius superior ipse nedum ratam habeat, sed pro beneficio accipiat rem occultatam fuisse, & semper in his aduertendum, quòd potest esse culpa, si non ratione proprietatis, ratione scandali, vel inobedientiæ. Et in casu quo superior præcipiat in virtute S. obedientiæ, subditus rem occultans duplici causa peccat mortaliter, & quia præcepto inobediens, & quia violator voti professionis.

265 Qui etiam rem detinet apud secularem, vel quocumque modo extra Conuentum inscio superiore; peccat contra votum. Et non solùm in casu de quo loquitur *Alphons.de Leon de off.Confess.recoll.11.num.228. & Bussaus v. paupertas nu.7.* scilicet si id faciat, ne superior rem auferat, quia vt dictum est, si Religiosus habet animum proprietarium non deserendi rem, vel eam habendi contra voluntatem Prælati, iam est proprietarius ex eo quòd retinet rem sine licentia. Et nihilominùs potest esse, quod quis occultet rem superiori etiam ne superior rem auferat, & licentiam priùs datam reuocet, & tamen habeat animum paratum dimittendi rem ad minimum nutum superioris. Sed per se multiplex hic ratio peccati esse contingit; primò quia retinere rem sine licentia est proprietas; Et licet Religiosus habeat licentiam retinendi rem, non per hoc habet licentiam retinendi eam apud secularem, vnde proprietas est inuito Prælato retinere rem apud secularem, etiamsi Religiosus haberet licentiam detinendi rem apud se. Secundo si in hoc adsit periculum amissionis rei, est etiam peccatum iniustitiæ, quod semper adest, quotiescumque huiusmodi detentio sit contra voluntatem monasterij, seu superioris, vt administratoris rerum monasterij. Tertiò adest speciale peccatum occultationis, si res tradatur seculari occultanda cum animo non manifestandi illam superiore id requirente. Nam præceptum manifestandi continens legem affirmatiuam ad hoc negatiuum saltem obligat, vt non habeatur animus non manifestan-

festandi tunc cum lex manifestandi obligat. Quartò est etiam peccatum specialis inobedientiæ, & alicuius proprietatis, si detur specialis lex, aut præceptum de non retinenda re ad vsum religiosi concessa apud seculares. Vnde nisi vel leuitas materiæ excuset, vel lex, aut Regula non obliget ad mortale, erit etiam culpa mortalis ex prædictis titulis rem apud seculares tenere sine licentia, occultè, & contra legem.

266 Si autem subditus habeat à superiore maiore, & mediato licentiam tenendi aliquam rem, non peccat contra votum paupertatis, si illam occultet Prælato inferiori, etiamsi timeat, ne Prælatus inferior procuret apud Prælatum superiorem, rem sibi auferri. *Card. de Lugo d.3. de iust. num. 156. Donatus d. tract. 15. q. 37. numer. 13.* quia tunc Prælatus inferior se habet, vt priuata persona, & Religiosus independenter ab eo potest rem retinere. Et timor ne res à legitimo superiore auferatur non inducit animum proprietarium, sed cautelam, ne licentia habita tollatur, quod de se non est malum, & potest esse actus virtutis, & iusta defensio. Addit tamen Card. quod si Prælatus inferior visitaret, & ei occultaretur aliquid de licentia superioris maioris retentum, Religiosus ad vitandum scrupulum deberet hanc occultationem factam superiori inferiori significare superiori maiori, & licentiam sibi ab eo concessam ad memoriam reducere, si tamen non timeret, quod superior licentiam concessam reuocaret. Vbi vero superior præciperet rem sibi manifestari in dubio, an ille superior posset contra concessum à superiore maiore præcipere, subditus teneretur obedire.

267 Sed quid dicendum de officiali Conuentus, qui de bonis Conuentus suæ curæ commissis, aliquid superiori occultat, vt putà summam notabilem pecuniæ, vt eam promptam habeat in necessitatibus monasterij, & ad expendendum in rebus vtilibus monasterio inuito superiore, qui nollet tunc fieri expensas tales, quas non putat necessarias? Respondent aliqui eum peccare, & esse proprietarium, nisi præsumat superiorem esse solùm inuitum quoad modum, quia tunc peccaret solùm venialiter, vel nisi superior sit irrationabiliter inuitus, quia tunc superioris maioris licentiam præsumere potest. Sed hoc admitti non potest, sed dicitur hunc nullo modo peccare contra votum paupertatis, quia nihil sibi retinet, vel pro sui priuato commodo expendit. Et in hoc eadem est ratio huius administratoris rerum Conuentus, ac si administraret res secularis alicuius ad vtilitatem pauperum, vel aliorum, in quo casu Doctores isti, & communiter alij non agnoscunt vitium proprietatis, sed iniustitiæ, vt ex supradictis patet, si administrator contra domini voluntatem res administret. Ideo & hic officialis administrans res Conuentus ad communem vtilitatem, si superiore rationabiliter inuito, vel occultat, vel expendit, peccat peccato iniustitiæ, vel etiam obedientiæ administrans res Conuentus Conuentu inuito, & inuito superiore. Quod si Conuentus non sit inuitus, licet sit inuitus superior, poterit esse peccatum inobedientiæ, non verò iniustitiæ, quia Conuentus, qui est dominus non est inuitus. Vnde si superior sit irrationabiliter inuitus tunc iustè præsumi potest, & voluntas Conuentus, & voluntas superioris maioris. Vnde est, quòd isti officiales sæpius, nedum non peccant, sed bene faciunt occultando bona Conuentus superiori, vel immediato, vel mediato, quia vtiliter administrant bona Conuentus. Quamuis aliquod discrimen sit inter occultare, & expendere; quia illud facilius habet circumstantiam excusantem; Nam seruare aliquid ad hoc, vt superior ipse tempore necessitatis maioris non sit in angustijs, sed habeat vnde prouideat, est administrare res vtiliter etiam ad commodum superioris.

268 Aliter est dicendum si Religiosus priuatus occultet aliquid nedum superiori, sed officiali ad custodiam, & dispensationem illius deputato. Iste enim peccat contra votum paupertatis, *Cardin. de Lugo d.3. de iust. num. 156.* Quia agit ad sui commodum contra votum ex quo tenemur res ad propriũ vsum habitas manifestare superiori, & officialibus ab eo deputatis. In hoc tamen casu non erit tam de facili culpa mortalis, nisi res, vel possideatur sine licentia superioris, vel occultetur absolutè tam officiali, quam superiori; non verò si occultetur ad breue tempus cum animo illam restituendi, multò enim magis supradicta, quæ excusant à culpa graui occultando rem superiori, excusant occultando rem soli officiali.

269 Hinc quoque resoluitur illa quæstio, an custodire rem sub claui sit rem occultare & sit culpa mortalis in subdito religioso: Videntur enim aliqui affirmare, & tribuitur hæc sententia *Aluaro Pelagio l. 2, de planctu Ecclesiæ cap. 67. & Corduba in expos. regulæ c. 6.* citatur etiam *D. Anton. 3. p. tit. 16. c. 2. §. 21.* vbi nihil habet de hac quæst. in particulari. Distinguendum verò est; quia custodire rem sub claui, vel est effectus animi proprietarij, quia id fit ex eo quòd religiosus vult securè possidere rem sine licentia superioris, & ideo etiam habet animum occultandi rem in occasione quòd superior rem quærat. Et hoc modo custodire rem sub claui est esse proprietarium dupliciter, & ratione possessionis rei sine licentia, & ratione occultationis. Sed præscindendo ab vtroque animo, quia & subditus habet rem de licentia, & rem custodit sub claui paratus ad omnem nutum superioris rem manifestare, & sic rem sub claui custodit non à superiore, sed à fure; Adhuc distingui debet. Nam vbi ex permissione regulæ, & legitima consuetudine, vel absolutè ex licentia superioris subditus vtitur claue ad custodienda, quæ ad eius vsum conceduntur nulla culpa contra votum paupertatis est vti claue, vt docet *Suarez num. 8. & 9.* Sed si vti claue, nec sit permissum in regula, nec adsit licentia superioris id concedentis, tunc dicunt aliqui, quod id poterit esse scandalum aliorum & peccatum inobedientiæ etiam mortale, si in hoc regula obliget sub mortali, & poterit esse signum proprietatis, sed non erit proprietas & culpa mortalis si in vtente claue, sit animus non custodiendi rem à superiore, & illam occultandi illi, sed immò sit paratus rem prodere ad quemcumque superioris nutum. Talis enim, nec rem habet sine licentia, nec modus habendi repugnat paupertati. Et ita in substantia etiam tenet *Suarez. loc. cit.* Sed quia si datur huiusmodi præceptum non vtendi claue datur intuitu paupertatis perfectioris conseruandæ, semper est proprietas præcepto non obedire, quia licet directè tale præceptum, sit inobedientia, est tamen inobedien-

dientia in materia paupertatis, & reductiuè est proprietas.

270 Sed quid dicendum si subditus ad multum tempus recedens a monasterio secum deferat clauem sine licentia superioris? Hoc esse signum magnum proprietatis ait *Suarez. dicto num. 9.* Nihilominùs vbi animus non sit proprietarius, & secluso scandalo, & præcepto speciali id prohibente, non est hic culpa grauis; quia non est difficile locum clausum claue aperire sine claui, esset tamen culpa aliqua etiam proprietatis, quia redditur difficile aliqualiter & molestum superiori cognoscere & auferre rem clausam si velit. Et posset esse culpa mortalis, si in graue damnum monasterij cederet aperire locum clausum claue sine claue; Propter quod & absolutè loquendo custodire rem clauem sine licentia est aliqualis culpa proprietatis, etiam supposito animo non celandi rem superiori. Quia nihilominùs superiori non potest non esse molestũ & difficiliũ debere a subdito petere clauem, si rem velit videre, vel auferre, vnde est aliqualiter impeditus in vsu superioritatis in materia paupertatis, quod non est voto proprietatis conforme; hinc aduertendum est, quod nedum sit contra votum tenendo rem superiore inuito, sed etiam tenendo eam eo modo, quo superior non vult teneri. Solum est discrimen, quòd modus iste licet malus, faciliùs potest esse res leuis, & non sufficiens ad culpam mortalem, & sic tenere rem occultè ad breue tempus, vbi aliàs habetur licentia tenendi rem ipsã, vel tenere rem adeo vt si superior illam velit, statim sine difficultate aliqua illam inuenire non possit, vel etiam tenere rem sine periculo amissionis per breue tempus apud secularem, ex leuitate materiæ poterunt excusari à mortali. Verùm nisi leuitas materiæ excuset, culpa grauis est tenere pecuniam alio modo quàm superior concedit. Et immò potest esse, quòd modus in substantiam transeat, & quòd superior intendat nec licentiam tenendi rem valere, nisi tali modo habeatur. Sicuti in Religionibus in quibus viget lex depositi, licentia tenendi pecuniam non datur, vt possit teneri extra depositum, sic enim & potest intelligi licentia tenendi apud se pecuniam, vt licentia non valeat nec etiam in substantia ad tenendam pecuniam apud secularem. Vnde hæc in singularibus casibus sunt consideranda.

271 Quomodo autẽ Religiosus non possit habere superfluum, nec etiam de licentia superiorum, dictum est supra a num. 158. Vnde quòd superiores grauiter peccent huiusmodi superfluitates permittendo docuerunt *Turrecrem. cap. non dicatis a. 2. 12. q. 1. D. Anton. p. 3. tr. 16. c. t. §. 11. Sylu. v. Religio 6. q. 7. dicto 4. Suarez tom. 3. de Relig. l. 8. c. 12. num. 13.* In hoc enim superior infideliter agit officium suum, & operatur, vel contra commune bonum, & legalem iustitiam, vel contra iustitiam distributiuam, vel ratione inobedientiæ ad legem Canonicam, & ad aliquod statutum regulæ obligans sub mortali. Cæterùm per se, & directè contra votum paupertatis non peccat subditus, vel etiam superior possidendo vana, & superflua cum superioris licentia, quia vt bene *Suarez ait num* 13. Religiosus ex vi voti non promittit non habere superflua, sed non habere propria, habere verò superflua de licentia est non habere propria. Ideo per hoc non peccat mortaliter contra votum paupertatis, nisi forsan, quia vi, vel fraude extorserit licentiam, quia tunc illa licentia, non est valida, vel nisi religiosus sit religiosus talis Ordinis, cuius votum sit speciale non habendi superflua, etiam de licentia superioris, seu in quo habere superflua etiam de licentia superioris censeatur materia voti paupertatis. Nihilominùs habere superflua est contra Sacros Canon. *Clem. 5. de stat. monach. Concil. Trid. sess. 25. c. 2. de Regular. Clem. VIII. in decreto de reformat. Regular.* vnde tale peccatum est proprietas Canonica, non tamen subiecta nisi pœnis in dictis legibus statutis. Superfluum verò est res arbitraria iudicanda spectatis conditionibus personæ, loci, officij, temporis &c. & in arbitrio superiorum positum est id decernare, vt declarauit Sacr. Congreg. quam referunt *Quaranta v. casus reseruatos, Lezana p. p. cap. 6. num. 14. & alij.*

272 Colligunt tandem DD. communiter, religiosum possidentem aliquid cum licentia teneri habere animum paratum dimittendi rem, immò illam in effectu dimittere superiore reuocante licentiam illam tenendi. *Suarez l. 8. c. 15. num 1. Layman l. 4. tr. 5. cap. 7. nu. 19. Sanchez c. 19. n. 62.* & plures apud eum. Vnde est quod repugnat paupertati accipere & retinere aliquid per licentiam irreuocabilem, quæ prorsus nulla est. Et quamuis superior possit concedere religioso vsum alicuius rei irreuocabilem à Prælato sibi inferiori, non potest tamen concedere vsum irreuocabilem a se, & à sibi superioribus. Sic Generalis poterit concedere religioso licentiam aliquid possidendi irreuocabiliter a Prouinciali, non tamen a se, vel a Pontifice. Et Pontifex nisi in voto paupertatis dispenset, non potest concedere alicui religioso licẽtiam aliquid habendi & possidendi irreuocabilem a se ipso. Quia hoc est de ratione voti paupertatis religiosæ habere nudum vsum facti, non verò ius ad vtendum, & ideo habere vsum reuocabilem ad nutum superioris.

273 Excipiunt tamen aliqui DD. nonnullos casus in quibus, sit licitum subdito possidenti aliquid cũ licentia nõ dimittere illud ad nutum superioris. Primus est casus necessitatis: sed de isto casu necessitatis videnda sunt dicta superiùs à nu. 233. Numquã enim licet superiori iustè possessionem rerum reuocanti resistere, & in ijs solis casibus poterit subditus res retinere, in quibus habebit superioris alicuius legitimi licentiam saltem præsumptam.

274 Secundus casus est, si superior auferat a subdito bona, vt ea sibi retineat, vel si auferat vni, & non alijs. *Peyr. loc. cit.* Quod tamen aliqui rectè explicant & limitant, nisi in superiore sit iusta causa auferendi vni, & non alijs, quæ potest maximè & facillimè adesse, & in dubio existimo præsumendum ad fauorem superioris, & iustæ causæ, & si alia non fuerit, hæc erit sufficiens, si superiori videatur vtile subdito, experiri eius paupertatem spiritus, vel aliquam mali occasionem tollere. Et si res, sit superflua, non est vnde negetur superiori potestas eam auferendi, & quòd superior extrinsecè malè procedat, quia rem aufert vni, & non facit, quòd ille a quo aufertur superfluũ possit resistere, & illud sibi retinere, nec quia superior malè faciat, non auferendo superfluum ab omnibus, facit vt aliquis eorum habeat ius retinendi superfluum. Et vniuersaliter vbi casus iste, non reducatur ad casum necessita-

ceffitatis, non est admittendus. Et poterit quidem religiosus cooqueri apud maiorem soperiorem, vt puniatur si malè facit, non potest tamen religiosus inoito superiore extra supradictum casũ necessitatis aliquid apud se retinere.

275 Aduertunt verò DD. & bene, religiosum nedum peccare contra votum paopertatis si non dimittat rem quam habet soperiore id volente; sed etiam si dimittat, sed cum murmure, & quærimonija. *Lessius l.2.de iust.c.41.nu.32.Layman l.4.troc.5.c.7.aam.8.Bassaas v. paapertas aum.7.* Quanqoam, vt aliqui beoe explicant, quantùm ad dimittendom cum murmure, & querimonijs, non ita facilè, hæc debeat iodicari culpa mortalis, nisi sit ootabilis & immoderata ad atbitrium viri prudentis, si tamen religiosus in effecto rem dimittat. *Sanchez l.7.moral. cap.19.num.18.& 62.* vbi bene ex *Nauar.Rodriq. & Lessio habet*, quòd licentia retineodi ex toto murmure & quærimonijs est inualida. Quod est verum iuxta explicata supta num.135.

176 Sed quid dicendum, si superiot promiserit se nunqoam teuocaturum licentiam vtendi aliqua re, vel aofetendi aliquam rem ab illo? Voum supponit hæc quæstio, scilicet, vt dictum est non posse dari religioso licentiam irreuocabilem ad vsum diuitiarum, vt tradunt. *Turrect. cap. non dicatis 12.q.1.a.2.num.3.Syluester v.Abbas q.3.num.6. & ibi Angelus num.17.Rosella num.10.Lopez l.1.inst. cap.154.Corduba summa quæst. 54.notab. 2. Nauar. l.3. Concil. titul. de statu monach. cons.15. numer.2. Laymaa. l.4. tractat. 1. cap. 7. Sanchez l.7. moral. cap. 17. numer. 29.* & apud eum *Antonius Cuccus, Grassius, & Tapia.* Immò quòd nec Pontifex possit huiusmodi licentiam irreoocabilem concedere, nisi io voto paupertatis dispenset; docent præfati; *Turrect.Syluester, Angelus, Rosella, Lopez, Corduba, Suarez, Layman, & Sanchez loc.cit.* qoia contra votum est vsus facti irreoocabilis; quia verè iam non esset vsus facti, sed vsus iuris, si à nullo teuocari posset. Et quamuis, vt *Suarez, & Sanchez* aduertunt, superiot possit dare licentiam irreuocabilem à Prælato sibi inferiori; non tamen irreuocabilẽ à se ipso, & à Prælatis se ipso superiotibus: Posse etiã dari liceotiam sub conditione nou reuocandi illam ad certum tempus dixit *Donatus tom.3.tractat.15. quæst.17.* sed mihi displicet illud *sub conditione*, quia sonat in pactum, qood quidem non bene audit, & putò etiam quòd superior, nec ad tempus certum possit concedere hanc licentiam, vt simpliciter irreuocabilem. Hoc verò supposito quæritur, quid iuris sit, si superiot promittat subdico, se nou reuocaturum licentiam, quam dedit.

277 Et quidem certum est reuocationem validam esse etiam si licentia iuramento firmara esset, vt tradunt ex *Io: Andr.Panorm.cap.Cum ad monaster. num.11. de statu monach.* Reuerendiss. *Fagnanus cap. Monachi, num.35. eod.tit. Syluest.v.Abbas, q.4.nu.7. Angelus ibid.num.24.Nauar l.3. Concil.tit.de stat.monach.cons.14.num.12.Sanchez d.cap.17. numer.32.* & apud eum *Io.Andreas, Franchus, & Abbas, Layman* etiam ioco citato. *Moron.cons.86.nu.81.*

278 Sed an superior sit obligatus stare promissis, *Sanchez ibid.nu.33.* censet superiotem manere obligatum ad seruandam fidem datam, citans pro se *Nauar.loc.cit.num.13. & 14.* quia Prælatus obligatur subdito naturaliter ex sua promissione, & ideo si nulla iusta causa ductos reoocet licentiam, poterit subditus coram alio supetiore reclamare, allegans iniustè reuocationem factam. Sed econtra non teneri superiorem in hoc seruare promissum, si non adsit iuramentum, docent *Panorm.vbi sup.Syluest. Archidiac.cap.Cum Pastoralis.2.q.7.nu.5. & ibi Bellam.num.2.& 3. Layman l.4.tract.5. cap.7. num.19.* & alij apud eum. Et verè sic est, quòd subditus contra superiorem est incapax obligatioois respectu vsus temporalium, cum ex voto repugnet Religioso ius quodlibet ad aliquid habẽdum, quod sit iua proprium, & iustitiæ, sed immò quodlibet ius soom statim transit in monasterium, & est sub dominio Prælati. Nihilominùs tamen hìc distinguendum est, qoia licet hic non intret obligatio iustitiæ, intrat tamen obligatio honestatis, & fidelitatis, à qua non absoluitut superiot, vnde si prouisiooem iuramento confirmauit, teoetur ad seruandam illam, oisi iusta causa oppositum petat, quia promissio tuoc est de te iusta. Si verò non adsit iuramentum, quia in proposito non seruare promissionem nullum damnum infert subdito, Tum quia nihil suom illi aufert, tum qoia Prælatus potest reuocare licentiam validè, & sine iniustitia; ideo non est culpa mortalia in Prælato non seruare hanc promissionem per se loquendo, etiam si sine causa iusta illam teuocet. Et ideo est vniuersaliter verum, quod tradit *Surdus de alimentis tit.8. priuil. 79.num.5.* vbi ait, superiorem pro libito posse auferre monacho, qood semel ei promisit. Quod intelligo de posse etiam inuito: Nam aliàs non seruate promissum, sine causa iusta semper habet aliquid inhonestatis. Si tamen superior promisisset non reuocare licentiam etiam data causa iusta obligans ad illam reuocandam promissio esset mala, & sine periurio non posset confitmari ioramento, & promissio ooo obligaret, sed illam seruare in eo casu pessimum esset. *Moron.cons.86.num.85.*

SVMMARIVM.

1 *Peculium quid, & quotaplex sit. num.279.*
2 *Religiosus non potest habere peculiũ quasi castrense, aut aduentitium. num.280.*
3 *Vsus mobilium necessario conceditur* Religioso.*numer.281.*
4 *Differentia inter alimenta, seu vestimenta, & peculium.num.281.*
5 *Multis modis peculium non conuenit* Religiosis. *num.282.*
6 *Habere peculium per modũ profectitij dependenter à superiore non est per se, & directè contra votum paupertatis.num.283.*
7 *Obiectio. num.284.*
8 *Peculium per modum profectitij non importat dominium.num.285.*
9 *Administrator non est dominus.num.286.*
10 *Administrare res ad libitum non est esse dominum num.287.*
11 *Episcopi, & Papa administratores, & non domini.num.287.*
12 *Iura obiecta explicantur. Ex eis ad summum deduceretur vsum peculij esse contra ius positiuum. num.288.*
13 *Peculium de iure communi esse probibitum Regularibus, qui sentiant.num.289.*

14 Opinio opposita. num. 290.
15 Cap. Insinuante, qui Clerici, vel vouentes. numer. 291.
16 Professio facta sub pacto manendi in domo cum bonis valida num. 291.
17 Cap. Cum ad monasterium, de statu monach. numer. 292.
18 Obedientia, & administratio ad nutum potest concedi Religioso ex vi d. cap. num. 292.
19 Omnis administrator rerum Conuentus est Conuentus officialis. num. 292.
20 Cap. Monachi, de stat. monach. num. 293.
21 Exempla non limitant; Dantur de casibus notioribus, num. 293.
22 Administrator non eo est dominus, vel vsufructuarius, quo habeat facultatem administrandi ad sui vtilitatem. num. 294.
23 Facultas administrandi ad propriam vtilitatem nõ est per se occasio mali num. 295.
24 Datur peculium rei mobilis. num. 296.
25 Portio pecuniæ data, vt habenda ad vsus indefinitos est peculium. num. 296.
26 Ius commune Monachis prohibet etiam peculium rei mobilis. num. 296. & 297.
27 Quod Ius commune vitam communem strictissimam indixerit, sentiunt aliqui. nu. 298.
28 Ius commune per peculium intelligit proprium, num. 299.
29 Ius commune prohibuit permitti peculium, quod est contra leges. num. 300.
30 Religiosi Ordinum institutorum post Ius commune suis legibus viuunt. nu. 301.
31 Ius commune non prohibet dari licentiam ad peculium iustum, sed permittere malum. nu. 302.
32 Administratio importat quamlibet licentiam, seu obedientiam ad vtendum pecunia, &c. nu. 303.
33 Abusus circa proprietatem irrepserant in monasteria tempore Alex. III. nu. 304.
34 An peculium secundum regulas monachales concedi possit. nu. 304.
35 Etiam vbi peculium solet concedi potest contingere, vt retineatur, & præsumatur, & appareat proprietas. num. 305.
36 Habere reditus annuos de licentia superioris non est prohibitum per ius commune nu. 306.
37 Decretum Concil. Trid. nu. 307.
38 Decretum Clem. VIII. nu. 308.
39 Decreta S. Congregationis. nu. 309. 310. & 311.
40 Concilij decretum in tres partes diuiditur. nu. 312.
41 Aliquorum opinio circa primæ partis intelligentiã. num. 318.
42 Non est idem tenere rem nomine Conuentus, & tenere rem de licentia. nu. 313. & 314.
43 Concilium in prima parte non continet ius nouum, quia prohibet immobilia, vel mobilia teneri clãdestine, & sine licentia. nu. 313. & 314.
44 Quid sit rem incorporare Conuentui. numer. 315.
45 Secunda pars decreti Concil. Trid. videtur continere ius nouum. nu. 316.
46 Responsiones aliquæ reijciuntur. nu. 316.
47 Dictio deinceps non importat necessario noui iuris editionem. num. 317.
48 Dictio etiam est implicatiua, & ampliatiua, seu expressiua casus magis dubitabilis. numer. 318. & 322.
49 Concilium prohibet proprietatem. num. 318.
50 Et vsufructum, & iuris vsum. nu. 319.
51 Cur Concilium mutet dictionem vel in dictionem aut. nu. 320.
52 Commendatarius habet aliquod dominium fructuum. nu. 321.
53 Dispositio Conc. tota regitur per dictionem etiam. num. 322.
54 Concilium loquitur de administratione in qua administrator facit fructus suos. nu. 322.
55 Administratio pure ministerialis competit Religiosis, non omnibus, sed officialibus. nu. 323.
56 Concilium in hac parte non continet regulam, & exceptionem regulæ, sed partes legis diuersas. numer. 323.
57 Concilium in hac parte legem diuinam continet. num. 323.
58 Contra hanc interpretationem non militant obiecta contra primam sententiam. nu. 324.
59 Concilium nec determinat qualitatem officialium Conuentuum, nec eorum numerum. numer. 324. & 325.
60 Secundum hunc Concilij intellectum, non repugnat Religiosis habere annuos reditus de licentia reuocabili ad nutum. nu. 325.
61 Declarationes S. Congreg. huic intellectui non aduersantur. nu. 326.
62 Quæ dicta sunt non sunt dicta resolutiue. numer. 327.
63 Concilium prohibet administrationem stabilium; vnde non est contra Concilium fructus iam collectos recipere de licentia. nu. 328.
64 In tertia parte prohibetur superfluitas. numer. 329.
65 Habere peculium mobile non est contra Concilium. num. 329.
66 In concedẽdo vsu mobilium attendenda etiam causa extrinseca. nu. 330.
67 Habere pecuniam ad vsum de licentia non est contra Concilium. nu. 331.
68 Duo Concilium prohibet. nu. 332.
69 Decretum Clement. VIII. multa prohibet de nouo. num. 333.
70 Necessitas non de facili excusat ab obseruantia decreti Conc. Trid. nu. 333. 334.
71 Nisi superiores ex parte eorum seruent leges vitæ communis, eius obseruantia est impossibilis subditis. num. 333.
72 Tenentur subditi nullum impedimentum ponere vitæ communi. nu. 333.
73 Vbi non administrantur necessaria subditis, tolerabilis est consuetudo dandi aliquam summam pro vestitu &c. nu. 334.
74 Vsus depositi non est contra decretum Concilij. numer. 335.
75 Nec contra decretum Clement. VIII. in Religionibus in quibus illud est secundum regulam. numer. 335.
76 Decretum Clement. VIII. de reformatione non est declaratio Concil. Tridentini. sed lex noua. num. 336.
77 Decretum Clementis prohibet omne peculium. numer. 337.
78 Difficultas circa illud decretum. nu. 338.
79 Vita communis exactissima non est ex regula omnibus Religiosis communis. num. 338.

80 Qui-

An Religioso liceat habere peculium de licentia superioris.

INSPECTIO VNDECIMA.

279 Peculium dictum fuit quasi pusilla pecunia, vel pusillum patrimonium à Patre familias, aut Domino concessum filio, vel seruo *l. depositi ff. de peculio.* Et definitur propterea, vt sit portio quædam bonorum temporalium, quam Pater, vel Dominus filio, vel seruo seorsum tanquam proprium habere permittit. *l. 4. & l. depositi §. peculium ff. de peculio.* Cum verò pluribus modis accipi possit, quos recenset *Gloss. in rubr. ff. de peculio,* considerandum, quòd aliquando peculium idem est, quod patrimonium etiam hominis liberi. *l. cogi ff. ad Trebell.* Et in hoc sensu accipi in rubrica tit. de peculio Clericorum animaduertit *Panorm. & Barbos. num. 6.* sed magis propriè dictum peculium importat, vt dictum est, portionem pecuniæ seu bonorum quam Pater, vel Dominus filio, vel seruo permittit habere seorsum tanquam propriam. Com verò peculium diuidatur in castrense quod a filio per militiā acquiritur. *l. Castrense. ff. de castrensi peculio;* & quasi castrense, quod ex officio publico filius obtinet. *l. cum antiquis C. de inofficios. test.* & profectitium, quod ex bonis patris aut patris occasione proficiscitur. *l. addictio ff. de acquir. possess. & l. sed si plures §. in arrogato. ff. de vulg. & pupill. substit.* & aduentitium, quòd donatione, legato, hæreditate, vel aliunde non intuitu patris filio aduenit: distinguuntur ista peculia, quòd in Castrensi, aut quasi castrensi & proprietas, & vsusfructus est filij, qui de peculio tanquam absolutus peculij dominus potest facere, quod domini possunt de rebus suis. *l. si C. de inoff. test. l. 1. §. vlt. ff. ad Maced.* In aduentitio verò proprietas est filij, sed vita Patris durante, eius est vsusfructus, ita quòd filius de eo testari, non potest. *cap. licet Pater de sepult. in 6.* in profectitio tam proprietas, quàm vsusfructus est Patris, & filius in eo nihil iuris habere dicitur. *inst. per quas pers. nobis acqu. §. 1.* Ad hoc tamen valet, vt si contingat bona patris publicari illud non publicetur. *l. si finita §. si de vectigalibus ff. de dam. infec.* Cæterùm patet quando voluerit, poterit hoc peculium reuocare, vnde filij solus est vsus durans ad beneplacitum patris. Et nihilominùs filius habet ius vtendi peculio profectitio, sed hoc ius non est absolutum dominium, cum sit reuocabile ad patris voluntatem. De his videndi sunt DD. in *rubr. ff. de peculio.* & extra de peculio Clericorum, *Syluest. & alij summista in v. peculium.*

280 In proposito nostro igitur cum Religiosi se habeant vt filij, aut tanquam serui, peculium est portio quædam pecuniæ aut bonorum temporaliū seorsum tradita Religioso, vt illam habeat tanquam propriam. Cum verò hæc portio, seu peculium haberi possit tanquam proprium, quia filius eius, fit dominus, vel quia solùm illius fit vsuarius. Primò hoc certum est, quòd Religiosus est incapax peculij Castrensis, vel quasi castrensis, aut etiam aduentitij cum sit incapax dominij, filius verò peculij castrensis, & quasi castrensis est dominus, etiam quantum ad vsumfructum, aduentitij verò saltem est proprietarius. Religiosus igitur non potest habere peculium proprium quantum ad dominium, *cap. monachi. & cap. cum ad monasterium §. vlt. de stat. monach. & ibi Panorm. & alij DD. communiter.* Solum igitur potest esse dubium, an Religioso liceat habere peculium per modum peculij profectitij, vt tanquam vsuarius ad nutum superioris possit seorsum habere aliquod bonum temporale.

281 Distinguendo autem inter bona immobilia fructifera, & bona mobilia, hoc etiam certum est, quòd Religiosus potest quantùm ad vsum facti ad nutum superioris reuocabilem habere bona mobilia seorsum sibi concessa, quia necesse est, vt habeat vestes & alimenta. Verùm non omnis concessio mobilium ad vsum est peculium, nam aliàs non daretur filius aut seruus sine peculio, cum non detur filius, aut seruus, qui à Patre aut domino, non habeat victum, & vestitum. Distingui igitur debet inter vestitum & aliments, & inter peculium. Hanc verò distinctionem expressit *Pomponius l. in vestimentum. 25. ff. de peculio* ex tribus conditionibus, scilicet quòd tunc mobile, vt v. g. vestimentum spectet ad peculium, cum datur alieri ad vsum perpetuum, secundò vt habeatur ab vtente tanquam proprium, & eo nomine tradatur, vt eo nullus alius vti possit, tertiò vt illud tradatur vtenti, vt ab eo sui vsus gratia custodiendum etiam, extra illius actualem vsum. Cæterùm quod datur ad certum vsum, & determinato tempore, non pertinet ad peculium, sed ad victum, vel vestitum, aut ad alium similem vsum. *Id vestimentum,* inquit, Pomponius, loc. citat. *peculij esse incipit, quod ita dederit Dominus, vt eo vestitu seruum perpetuo vti vellet: eoque nomine ei traderet, ne quis alius eo vteretur, idque ab eo eius vsus gratia custodiretur. Sed quod vestimentum seruo dominus ita dedit vtendum, vt non semper, sed ad certum vsum certis temporibus eo vteretur, veluti cum sequeretur eum, siue cenanti ministrauit, id vestimentum non esse peculij.* Peculium igitur prout ex mobilibus constat est mobilium portio alicui ad vsum perpetuum, vel absolutum attributa, & ei ad sui vsum custodienda concessa, & soli suo vsui deputata. Si verò peculium ex immobilibus constet, illud erit, quod alicui conceditur absolutè, & cuius administratio datur ad sui vtilitatem. Cum tamen peculium huiusmodi habens modum profectitij sit reuocabile ad nutum superioris, non dicitur concessum ad vsum perpetuum coortariè seu irreuocabiliter à superiore, sed hoc potiùs negatiuè est exponendum, vt illud censeatur perpetuum, quod non est concessum ad determinatum tempus, sed absolutè ad omne tempus, sed reuocabiliter. Sic ergo nomine peculij veniunt fundi fructiferi, Census, annui redditus con-

cessi absolutè, seu ad vitam, vel pro tempore indefinito alicui Religioso, & ab eo ad sui vsum administrandi, seu etiam res mobiles, vt libri, vestimenti, supellex parker ad perpetuum vsum, vt supra concessa, & Religioso ad sui vsum custodienda tradita. Quàmuis quia hoc nomen *peculium* proprietatem quandam importare videtur, melius esset abstinere ab hoc nomine vbi de religiosis est sermo.

282 Est verò etiam certum, quòd huiusmodi peculium non potest concedi Religioso, vt proprium respectu superioris, vt scilicet concedatur, vt irreuocabile, repugnat enim hoc statui religioso, vt a libero consensu superioris Religiosus non dependeat, ideo non potest aliquid Religioso concedi per vsum irreuocabilem, vt probatum est num. 276. vbi num. 278. etiam dictum est, quòd etiam si fuerit Religioso concessus vsus cum promissione, etiam iurata, non reuocandi, adhuc reuocatio est valida. Pariter certum est, quòd non licet superiori concedere ad vsum nimis pretiosa, & vana, & superflua, cum hoc sit prohibitum illi, & moltò minus licet concedere peculium explicitè, vel implicitè ad vsus turpes, & illicitos prout supra satis explicatum fuit a num. 143. & a num. 158. Pariter sine dubio peccat Prælatus, sine iusta causa concedens alicui vsum peculij; quia non potest Prælatus nisi ex causa rationabili res monasterij, & patrimonium Christi dispensare. Sed & aduertendum est id, quod ex *Hostien.* considerauit *S. Anton. p. 3. tr. 16. c. 2. §. 11. notab. 4.* nimirum quòd concedere Religioso res ad vsum est res periculosa, & inuidiæ, & exempli mali causa, & quòd sine magna, & euidenti causa, non est hoc permittendum monacho non habenti administrationem; Nam verè negari non potest, quòd possidere res, licet ad nudu vsum facti, non sit multorum malorum occasio. Quamuis huiusmodi mala potiùs oriantur ea concessione peculij superflui, quàm ea permissione necessarij, & suas etiam vtilitates habeat moderati peculij concessio.

283 Dicitur igitur primò quòd peculium hoc per modũ profectitij, id est habere redditus annuos, vel supellectilem dependenter a libera licentia & nutu superioris, & quantum ad nudum vsum facti, non est per se, & directè contra votum paupertatis, aut professionis Religiosæ, ideoque quantùm, sit ex vi voti præcisè & per se, nec illicitè habetur nec illicitè conceditur ex iusta causa, & nisi ex aliqua mala circumstantia malitia accidat. Hæc assertio fundamentalis est, & summè considerandum, & distinguendum est, quid in hac parte ex lege diuina, & quid ea lege positiua, sit prohibitum, quia prohibitio legis positiuæ & consuetudine legitima vincitur, & iuxta Canonum regulas ampliatur, vel restringitur, seu amplè, vel strictè interpretatur. Probatur autem prima pars assertionis, quia votum paupertatis per se & directè non priuat nisi dominio, non verò priuat vsu facti; solum igitur peculium per modum castrensis, aut quasi castrensis, & aduētitij in quibus confertur dominium repugnat paupertatis voto; non verò repugnat ei peculium per modum profectitij, & talis in quo nullum prorsus tribuatur dominium. Et cum in professione Religiosus se priuet dominio, & etiam libertate vsus facti independenter à licentia superioris; non tamen vsu facti de licentia superioris; solum igitur contra votum professionis erit habere vsum peculij, siue annuorum redditum aut supellectilis inuito superiore, non verò illud habere de eius licentia. Vnde nec per se erit illicitum superiori vsum hunc concedere. Per accidens verò id erit illicitum, si habeatur ad turpia, si sit superfluus, si sine iusta causa concessus, vel ex alijs circumstantijs, ex quibus etiam, non fit, quòd hic vsus sit directè, & per se contra votum paupertatis, & professionis. Nam vel peculio ad turpes vsus nudo vsu facti, & non est per se, & directè contra paupertatem, sicut nec habere peculium superfluum de licentia superioris præcisa lege positiua; hoc intuitu paupertatis prohibentur.

284 Dices, quòd non liceat Regularibus habere peculium seu annuos redditus, vel bonorum stabilium administrationem, quia hæc includunt proprium ratione dominij, quod opponitur essentialiter voto paupertatis, *cap. nolo cap. non dicatis 12. q. 1. cap. quanto de off. ordin. cap. Abbates 18. q. 2. cap. Ioannes; de Regular. cap. monachi & cap. cum ad monasterium de stat. monach.* Vbi habens peculium damnatur ad sepulturam in sterquilinio, quia decessit in peccato mortali, & alia pœna habetur *cap. de lapsis 16. q. 7. & in cap. si quis 16. q. 1.* Et ad idem tendunt tam iura, quæ dicunt monachos testari non posse *cap. Nolo 12. q. 1. cap. quia ingredientibus 19. q. 3. Authent. ingressi. C. de sacros. Eccles.* quàm quæ dicunt quòd quicquid acquirit monachus, acquirit monasterio; quod adeo verum est, vt nec Abbas possit concedere licentiam tenendi peculium, vt habetur *cap. monachi de stat. monach. vbi Panorm. num 4.* habet quòd nec Abbas nec Papa potest dispensare, vt monachus habeat peculium ad libitum. Vnde nec consuetudo potest excusare monachum à proprietate, quæ est contra ius diuinum *cap. magnæ de voto.* Quin immò Sacr. Congreg. decreuit, quòd nec necessitas nisi sit extrema excusat Regularem, qui aliquid celat Prælato, vel accipit eo inuito.

285 Sed hæc non obstant, quia vel rem indubitatam & minimè controuersam continent, vel contra assertionem, non probant. Si enim loquimur de peculio veluti castrensi aut aduenticio, aut quocumque titulo importante dominium, vel vsufructum, vel proprium ius & dominium vtendi, extra controuersiam est, quòd Religiosus est incapax talis peculij, neque hoc indiget probatione alia, cum essentia voti paupertatis religiosæ sit abdicatio dominij. Sed quòd peculium ad modum peculij profectitij includat proprium ratione dominij, non probatur, nam & in secularibus, qui sunt dominij capaces, peculium inuenitur sine dominio; Quia peculij profectitij dominium plenum, & commoditas est apud patrem. *l. t. §. 1. l. peculium est, l. peculium nascitur. ff. de peculio. Rota dec. 387. an. 17. p. 9. recent.* & peculium non egredi de dominio Patris diait *Rota dec. 703. num. 7. p. 1. recent.* & ita quòd peculij profectitij etiam vsusfructus manet apud Patrem. *§. 1. Instit. per quas personas &c. Rota dec. 98. numer. 2. p. 4. recent.* & ideo *Syluest. v. peculium. numer. 3.* diait, quòd in peculio profectitio filius nullum ius habet. Et nihilominùs quidquid facultatis conceditur filio in tali peculio, & peculium ipsum est reuocabile ad nutum patris, non solùm expressè, sed etiam tacitè. *l. peculium ff. de pecul. Rota d. 387. num. 24. p. 9. recen.* Quæ vero conceduntur

Reli-

Religiosis ad vsum & administrationē ex bonis Religionis per modum peculij profetitij cóceduntur: sicut quæ conceduntur filio ex bonis patris, & licet in filio, qui est capax dominij facultas habendi, vel eo vtendi, peculium, quem habet à Patre, non nihil dominij, reuocabilis tamen, contineat, tamen in Religioso hæc facultas est pura, & nuda licentia habendi.

286 Item administratio essentialiter distinguitur à dominio. Ius enim domini est principale independenter, & proprium, ius administratoris est instrumentale, & dependens, & alienum, quia nomine domini, & non nomine proprio rem possidet, & vt domini minister rem gubernat. *Rota dec.533.num.6.p.5.recent.* & ideo Domino acquirit, & possidet, *Rota decis.596.num.11.part.4.tom.3.recent.* Et quia non est dominus, sed minister, ideo ab eo sæpè exigitur iuramentum fidelitatis, & saluæ instiriæ, non potest rem administrare & in aliquem vsum conuertere inuito domino; Vnde est quòd tenetur reddere rationem suæ administrationis. *cap. qualiter quando el 2. de accus. Dec. cons.464. in princ. Ruuin cons.29.num.10. Grat. discep.760. num.1. & 2. Rota decis.243.nu.1. & 2. parte 8. recent. & decis.214. num.17. part.6.*

287 Nec est quòd dicatur, quòd facultas administrandi ad libitum, & præcipuè ad vsum proprium quædam species dominij sit. Tum primò, quia hic, vel ille vsus materialiter se habet ad dominium; nec ideo aliquis est dominus, quia potest vti re, vel ad suum, vel ad alterius commodum; sed quia id potest facere per ius principale, quod habet & independenter, & nomine proprio; Econtra verò, qui non nisi, vt minister alterius & instrumentaliter alieno nomine re vtitur, etiam si vtatur re ad suum, vel suorum vtilitatem, dominus non est. Tum secundò nam secundùm sententiam Nauarri & quàmplurium DD. Episcopi seculares, non sunt domini, nec fundi, nec fructuum suorum beneficiorum, & tamen sunt illorum administratores ad libitum, & vtuntur ad sui commodum rebus sui beneficij. Et Episcopi Regulares habent amplissimam administrationem redditunm suorū Episcopatuum, & tamen secundùm communissimam sententiam, quam nouissimè sustinet etiam *Reuerendiss. Fagnanus cap. qua in Ecclesiarum. n.86. & 89. de constit.* Non sunt absoluti à voto paupertatis. Præterea, quæ nam maior, absolutior, vniuersalior administratio, quam illa quam habet Papa bonorum Ecclesiæ, & tamen eorum non est dominus, vt docent *D. Th. supra q.100. a. primo ad 7. & ibi Caiet. Turrecrem.* & apud eum *Vlericus de Argentina Alberti Magni auditor, item Prapos. in cap. latorem 1. q. 1. Archid. Bellam. & DD. in cap non liceat Papa 12. q. 1. & nouissimè Reuerend. Fagnanus cap. quanto num.70. & 82. de translat. Episcoporum.* Sed & Papam ex Regularibus assumptum simul cum tam ampla administratione esse obstrictū voto paupertatis probatum est *quæst. superiori art.8.* longè igitur differunt ius dominij, & ius & facultas administrandi, & votum paupertatis excludens dominium, non tollit, quin Religiosus possit nomine alieno administrare res ad libitum & etiam ad vsum proprium. Sic quoque valde differunt ius dominij, & sola licentia vtendi re aliena, quia hæc est facultas instrumentalis, & ministerialis, non verò est ius vtendi re nomine proprio. Cum ergo peculium hoc quasi profectitium seu facultas data pro administrandis annuis redditibus, de qua loquimur dicat solam facultatem administrandi nomine Religiónis, & superioris; & quidem facultatem seu licentiam reuocabilem ad superioris nutum, non est vnde dicatur, quòd illud contineat proprium ratione dominij, & sic habere administrationem etiam censuum & redditunm, & bonorum stabilium, de licentia supérioris reuocabili, nec est esse dominum, nec est quid, quod per se ex obiecto repugnet voto paupertatis, aut professionis, & quod ex iure diuino sit prohibitum, immò per se potest fieri licitum, & honestum vt patet in Episcopis Regularibus in quibus cum amplissima administratione Ecclesiasticarum rerum manet votū paupertatis.

288 Iura verò in contrarium adducta non vrgent; quia nullibi dicitur quòd sola administratio ad libitum sit dominium. Pro quanto verò dicunt non licere Regularibus habere proprium, seu dominium rerum, id est indubitatum. Et dum prohibent ne Regulares habeant peculium, quando etiam sensus eorum esset, quod non habeant etiam peculium hoc ad modum profectitij, quod est sine omni dominio, & continet licentiam superiorum, (de quo disputandum erit infra) nihil aliud concluderetur, nisi quod habere peculium sit contra ius positiuum, non verò quod directè, & primo sit contra ius diuinum. Sed de his infra erit sermo. Interim aduerto, quòd *Panorm. citat. ibid. num.3. notab.3.* censet, quod in *d. cap. Monachi*, per peculium intelligatur proprium, seu proprietas: & sic intelligitur peculium ad modum, vel Castrensis, vel aduentitij habentis dominium, & huius peculij sic habentis dominium Religiosus est indispensabiliter incapax, nisi secum super voto solemni dispensetur, quod impossibile esse ibi asserit *Panorm.* & est verum in eo sensu in quo id affirmatur *cap. cum ad monasterium*, de statu Monachorum.

289 Hac ergo stante veritate, quod habere peculium hoc quasi profectitium de licentia superioris reuocabili ad nutum non sit directè, & per se contra votum, & ideo non sit iure diuino prohibitum, sequitur prima difficultas, an habere tale peculium sit prohibitum per ius antiquum, & commune Canonicum. Pro affirmatiua sententia referuntur *Dyon. Carthus. opus. de reformat. Clausur, a.13.14. & 15. Gerson p.p. tractat. contra propriet reg. S. Aug. 2. p. Alphab. 23. lit. G. & H.* (Quamuis illud opus. esse Gersonis sit incertum, vt aduertit *Reuerendiss. Fagnanus cap. Monachi, de stat. monach. in fin*) *Felin. cap. cum M. n.26. de Constit. 6. lo. Monachus, & Tapia*, quos referunt *Suarez tom.3. l.8. cap.14. & Sanchez l.7. in Decal. cap.22. numer.4.* Item eandem sententiam tenet nouissime *Coton. lib.4. controuer.6. num.76.* Potest verò hoc probari, quia in *cap. Monachi, de stat. monach.* expresse Monachi prohibentur habere peculium, ibi, *nec peculium permittantur habere.* Nec obstant verba sequentia. *Qui verò peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum, à communione remoueatur altaris.* Nam in his verbis, *pro iniuncta administratione*, sermo est de administratione concessa officialibus monasterij, & sic de administratione publica, & ad publicam vtilitatem, & vsum, non

verò

verò de administratione priuata, & ad vsum administrantia, & ad quemlibet vsum etna ad libitum. Hunc enim sensum habet Glossa rectè intellecta, & Innoc. & Abbas antiquus, Io. Andr. Anchar. qui exemplificant de administratione officialium: Hostien. dicens non comprehendi, nisi officiales. Butrius dicens non in vtilitatem propriam habentes administrationem, sed monasterij. Idē habet *Card. in §. Qui vero, num. 1.* Et idem Io. de Anania, quidquid dicant alij DD. Et ratio diuersitatis est, quia monachus particularis habens administrationem, & vsum bonorum stabilium cum facultate conuertendi illos in suos vsus honestos, potest dici vsufructuarius, quia cum possit de fructibus disponere, potest dici quòd habeat ius vtendi, saltem ad instat Beneficiati secularis, & poterit dici vsufructuarius ad beneplacitum. *Gloss. 1. in l. 4. & Glass. 1. in l. via ff. de seruit. Gloss. 1. & 2. in l. cum vsusfructus. ff. de vsufructu legato.* Vnde est quòd titulus administrationis non est nisi palliamentum quoddam ad cohonestandum proprium, cum vsufructuarius fit dominus fructuum, Sed non ita est in officiali monasterij, qui non potest de fructibus disponere, sed quidquid acquirit, acquirit monasterio. Et rationem differentiæ implicitè tangunt, *Butrius cap. Cum ad monasterium num. 11. & Panorm. d. cap. monachi, num. 4.* Itaque Concilium Lateranen. constituit regulam negatiuam, ibi, *nec peculium permittantur habere*, peculium, idest patrimonium, vt ibi per *Anchar. & Io. de Anan.* Deinde imponit pœnam contrafacientibus. Tertiò limitat regulam, vt non valeat in officialibus per dictionem *nisi*, quæ exceptionem importat. *Feder. de Senis cons. 80. numer. 2.* Exceptio autem firmat regulam in contrarium in omnibus alijs, qui non sunt officiales. *cap. Nonne de præsumpt. Bald. cons. 131. lib. 1.* Patet igitur hunc intellectum esse magis consonum literæ, & probari a grauioribus Canonistis, ideoque dicendum esse, quod de mente Concil. Lateranen. non liceat monachis non officialibus habere peculium, seu administrationem immobilium, etiam ad vsus honestos. Et hoc ampliùs confirmari potest, quia negari non potest, quòd huiusmodi peculij concessio non sit occasio proxima relaxationis vitæ regularis, & multorum malorum in Religionibus.

290 Sed oppositum sentiunt quamplures, qui existimant de iure communi non esse prohibitum Monachis habere peculium, seu administrationem immobilium ex iusta causa, & ad finem honestos, & de licentia superioris ad nutum reuocabili. Sic enim tenuerunt *ex cap. insinuante*. Qui clerici, vel vouentes, *Innocent.* ibi *Io. Andr. regula non est obligatorium, num. 6. de reg. iuris in 6. Hostien. d. cap. ad monasterium num. 7. de stat. monach. vbi & Io. Andr. num. 3. & Panorm. num. 8. & Butr. num. 2. Io. de Anania, num. 2. & 5.* Item *Panorm. cap. Quod quibusdam num. 10. de fideiussionibus, & cap. Nisi essent, num. fin. de praebend. & consil. 44. lib. 2. nu. 3. & 4. Turrecrem. cap. Non dicatis, a. 2. num. 3. 12. q. 2. Syluest. v. Abbas, q. 3. num. 6. dicto 7. Angelus ibid. nu. 17. Rot. decis. 772. num. 2. par. 1. diuersor. Et in nullius, seu Caputaquen. pensionis 18. Aprilis 1616. coram bon. memor. Andrea Nauar. com. 2. de Regular. num. 14. & com. 3. num. 27. & cons. 14. de stat. monach. Dec. in cap. edoceri de rescript. Vasquez in opus. de reddit. Eccles. cap. 3. a. 11. num. 21. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 14. numer. 4. Sanchez lib. 7. in Decal. cap. 22. num. 5. Azor. p. prima lib. 12. cap. 9. 2. & p. 2. lib. 8. cap. 7. q. 11. Ledesmæ de stat. cap. 4. conc. 3. diff. 13. Donatus tom. 3. tract. 15. quæst. 9. Gregor. Cordubr. Ludouicus Lopez, Rodriquez, Beia,* quos refert, & sequitur *Barbosa ad d. cap. Monachi, num. 2. de stat. monach. Miranda tom. 1. quæst. 28. a. 8. Bassans v. paupertas num. 9. Layman l. 4. tract. 5. n. 7. num. 12. Lezana p. p. cap. 6. num. 18. Anton. à Spir. Sancto p. 2. disp. 3. num. 74. Moron. cons. 86. nu. 89.*

291 Assertionem autem hanc DD. isti probant primò, ex *cap. insinuante*, qui clerici, vel vouentes, vbi num quædam mulier professa fuisset Religionem S. Augustini eo adiecto tenore, vt in domo propria, cum omni sua substantia maneret, & in habitu Religioso per biennium mansisset, sed postea nupsisset, Innocentius Tertius præcepit, vt dicta mulier ad statum Religiosum rediret. Sensit igitur Pontifex, quòd professio fuit valida, etiam si conditionata conditione manendi in domo propria cum omnibus suis bonis, igitur possunt Religiosi de licentia propria bona habere, & administrare. Quòd si dicatur consequentiam huius argumenti non valere; Nam ex dicto textu hoc solum habetur, quòd professio fuit valida non obstante illa conditione, sed an illud pactum fuerit validum, an verò potius tanquam turpe fuerit reijciendum, ex eo textu non colligitur, & hoc valde controuertitur à DD. in eo textu. Nec vrget ponderatio Nauar. quia scilicet ex quo permissum fuit quod illa mulier maneret in domo propria, simul permissum fuit, quod propria bona haberet, quibus viueret. Nam dicitur, nullibi constare de hac permissione manendi in propria domo, & quatenus hoc constaret, dici posset, quod ad vitam necessaria ei subministrata fuissent à Religione, quam fuerat professa, vt paupertas religiosa non fuisset violata. Non obstat, inquam hæc responsio. Nam contra hanc instatur, quòd si pactum illud vt turpe fuisset reijciendum, Pontifex non respondisset absolutè, quod mulier illa reassumere deberet habitum regularem, quem dimisit, & Deo reddere quod vouit; Nam cum illa sub eo pacto vouisset, vt in domo propria maneret cum suis bonis; illaque dicere potuisset se sub ea conditione, & non aliàs vouisse, si Pontifex voluisset pactum non esse validum, sed turpe, & vt tale reijciendum, id expressisset, & exprimere debuisset, ne posset illa sub prætextu voti conditionati resistere, & dicere se nolle habitum reassumere, nisi sub ea conditione. Cum ergo votum fuerit conditionatum, & Pontifex aliud non mandet, nisi quòd mulier reddat Deo, quod vouit, ex vi talis rescripti non tenebatur nisi redire ad habitum sub illa conditione, quia hoc erat reddere Deo, quod vouit. Quod si hoc pactum reijciendum fuisset tanquam turpe; id non tacuisset Pontifex, nec absolutè reditum ad pristinum votum mandasset, cum nisi Pontifex contrarium iussisset reditus, & futurus esset cum retentione pacti initi, sub quo votum fuerat emissum. Et confirmatur; nam ex vi rescripti Innocentius III. in eo capite Vlysipponen. & Conimbricen. Episcopi non poterant monialem illam compellere, nisi ad reassumendum votum, & implendum votum conditionatum tale quale ab eo fuerat emissum, quia nihil amplius Pontifex mandat: igitur Pontifex approbat votum illud conditionatum sub

condi-

conditione habendi peculium; aliter imperfectissimus esset in mandato non exprimendo illud amplius, quod voluisset, si non fuisset contentus; & si fuisset illicita executio voti illius conditionati sub conditione peculij.

192 Hoc idem probant secundo, ex *cap. Cum ad monasterium de stat. monach. §. Tales*, ibi, *Nec alicui committantur aliqua obedientia perpetuò possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur, sed cùm oportuerit amoueri, sine contradictione qualibet reuocetur*. Hic enim cum Pontifex prohibeat, ne alicui perpetua obedientia, seu administratio committatur, per locum à contrario sensu deducitur, quòd administratio reuocabilis ad nutum sit concessa. Et si dicatur, quòd textus loquitur de administratione publica concessa officialibus. Nam prius praemiserat; *Tales autem ad agenda officia monasterij deputentur, qui fideles fuerint, & discreti*. Certum verò est, textum hunc de officialibus esse intelligendum; igitur, & in parte sequente supra relata, ibi, *Nec alicui, &c.* de solis officialibus loquitur, de quibus immediatè ante loquutus fuerat, vnde *Butrius numer. 21.* id exemplificat in administratore, qui non sibi, sed alijs possidet. Et hoc satis exprimit illa particula, *nec alicui*, idest alicui ex praedictis. Nam particula, *nec* negat, & copulat praecedentia cum suis qualitatibus, *l. Quidam*, & ibi, *Gloss. penul. ff. de vulg. & l. si quis stipulatus, ff. de verb. oblig. Bald. cons. 497. num. 2. lib. 5.* Et de eius natura est iungere, & continuare, sed negare. *Ang. Aret. cons. 89. num. 7.* Sensus igitur textus est, vt non dentur officiales perpetui, sed ipsi sint reuocabiles ad nutum superioris. Haec inquam non videntur obstare. Tum primò, quia cum omnis administrator sit minister, & officialis sui principalis, Religiosus cui à superiore, & monasterio tribuitur administratio alicuius boni immobilis cum facultate disponendi de fructibus ad fines honestos, officialis est monasterij, quia non administrat nisi monasterij nomine. Et non ligatur monasterium, quin possit committere cuicumque Religioso administrationem suorum bonorum. Et administratio concessa ad vsus honestos Religiosi est in vtilitatem totius monasterij, quia monasterium tenetur honestè alere Religiosum, & Religiosus, qui non potest administrare, nisi in vsus honestos, non potest administrare, nisi in vtilitatem monasterij. Tum secundò, quia licet dictio *nec* copulet, & referat antecedentia, non tamen limitat, vt sermo subsequens non sit amplioris latitudinis, quàm sit antecedens, & non magis se extendat. Quod maximè verum est, vbi in subsequente particula ponitur verbum ampliorem habens significationem, quàm verba antecedentia. Prius igitur statuitur, vt officia dentur fidelibus, & discretis; sed in subsequente sermone non iam textus vtitur verbo *officia*, sed vtitur verbo *obedientia*, quod nomen habet amplissimam significationem, & sub se comprehendit, quidquid subdito à superiore committitur, & in proposito comprehendit omnem, & quamcumque administrationem alicui committendam. Et statuitur, vt non committatur administratio perpetua, vnde concluditur, quòd administratio reuocabilis sit permissa. Sic enim & *Io. Andr. in cap. Monachi numer. 9.* inter obedientias eam numerat, per quam alicui monacho committatur prioratus habens annexa bona de mensa Abbatis, aut bona monasterij, & ait, quòd posset statui, vt talis tantùm quid annuum solueret monasterio, & quod idem non esset propriè Prior, sed minister, & custos. Et *Hostien. d. cap. cum ad monaster. num. 13.* per obedientiam intelligit Prioratum, vel certam administrationem Ecclesiae. Quod si Abbati permittitur concedere Religioso officium habens annexa bona temporalia, & ita quod Religiosus eisdem bonis vtatur ad sui vtilitatem, & commodum; statuendo vt talis annuatim reddat aliquid monasterio, eodem modo potest Religioso concedi aliquis fundus, vel certa administratio alicuius boni immobilis, etiam ad sui commodum & hoc totum venit sub nomine obedientiae, quod importat certam administrationem commissam subdito Religioso.

193 Tertiò intentum suum probat haec secunda sententia ex *cap. monachi, de stat. monach.* ibi; *Qui verò peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum, à communione remoueatur altaris*. In his enim verbis expressè permittitur, vt monachi habeant peculium ex permissione Abbatis. Sed in contrarium vrgent, quae supra priori sententia adducta sunt. Verum nihilominus pro hac secunda sententia dici potest; Decretalem hanc non debere limitari ex illa particula *pro iniuncta administratione*: ad solam administrationem ex titulo communis & ordinarij officialis Conuentus, quia Concilium absolutè loquitur, & ideo administratio absolutè & vniuersaliter debet accipi, ita quòd si etiam Praelatus vni vel alteri committat huius, vel illius rei administrationem excusatus remanet a vitio proprietatis is, cui id fuerit commissum. Nec obstat, quòd DD. exemplum dederint de administratione ex titulo publici, & communis officialis, quia exempla non limitant; nec est necesse, vt de infinitis casibus, qui sub vna regula iuris comprehendi possunt dentur infinita exempla. Sed ista de notioribus casibus dari solent, & eo magis in praesenti; quòd quam plures ex ibi citatis DD. secundam sententiam expressè docuerint, nimirum *Io. Andr. Butrius, Hostien. Io. de Anania* & in specie *Host. d. cap. cum ad monasterium num. 7.* docens ibi quòd monachus de licentia Abbatis potest habere pecuniam; ex ea doctrina dicens explicandum esse *d. cap. monachi; in §. qui verò*. Praeterquàm quod secunda sententia est communis, & eam tradiderunt DD. tam Theologi, quàm Canonistae valde insignes.

194 Nec vrget discrimen, quod ponitur inter administrationem particularis Religiosi, & officialis; quasi ille sit vsufructuarius, iste non, quia iste non habet facultatem disponendi de fructibus. Nam & officiales plures monasteriorum de fructibus etiam disponunt, & quidem etiam ad sui vtilitatem. Quod maximè verum est de Prioratibus, & alijs officijs habentibus certam Ecclesiarum administrationem ad vtilitatem communem tam administrantis, quàm aliorum. Et cum de essentia administratoris sit; quòd non sit dominus, sed minister, & nomine alterius agat, implicat, quòd simplex administrator, siue ad vsum alienum, siue ad vsum proprium administret, sit dominus, aut vsufructuarius, cum vsufructuarius sit dominus fructuum. Ideo non est hic recurrendum ad dominium, quia potest cuicumque priuato committi administratio rei immobilis

bilis cum facultate disponendi de fructibus, sine aliquo dominio. Ideo ex hoc potiùs retorquetur argumentum. Quia cum simplex administrator renocabilis ad nutum, non habeat dominium,& ideo talis administratio non repugnet directè paupertati, non est vnde dicatur, non comprehendi sub illa particula *d.cap. monachi ex iniuncta administratione*.

295 Quod verò huiusce administrationis concessio possit esse occasio mali, cum hoc illi per se non conueniat, non sequitur quòd fuerit omnino prohibita, & non fuerit permissa maximè quòd in hoc legum pensanda sunt verba, & in pluribus casibus potest esse honesta.

296 Ego in hac difficultate pro certo habeo primò, quòd ius commune prohibuit monachis oedum peculium rei immobilis, sed etiam rei mobilis, & præcipuè pecuniæ alicuius portionem retinendam à monacho, & apud se ad suos honestos vsus custodiendam. Quamobrem non bene *Sanchez lib.7.sum.cap.22.num.4.* & qui illum sequuntur testrinxerunt difficultatem hanc ad peculium, quod sit rei immobilis, puta fundi, vel census, vel cuiuscumque annui redditus; nec bene tanquam indubitatum reliquerunt absolutè, quòd liceat monachis concedere ex legitima causa vsum pecuniæ, & rei mobilis, quia vt supra est notatum, res mobilis concedi potest ad exercitum, & determinatum vsum, & tempus, alio modo concedi potest ad vsum indeffinitum, vel indeterminatum tempus, & ad beneplacitum concedentis; & non determinatum ad actuale exercitium vtendi, sed ad tenendum, & conseruandum à Religioso, vt ea ad indiffinitè occurrentes commoditates vti possit. Res mobilis primo modo concessa venit sub nomine actualis victus, & vestitus necessariò tribuendi religioso, sed secundo modo venit sub nomine peculij, tanquam portio separata & particulariter tradita, vt habeda ab eo tanquam quodammodo propria, nimirum vt apud se retinenda, & custodienda indiffinitè ad præsentes, vel futuros vsus sibi liberos licet honestos; & præcipuè peculium est, si monacho conceditur portio aliqua pecuniæ, custodienda apud se & retinéda & pro occurrentibus vsibus expendenda. Et sic datur etiam peculium, quod sit res mobilis. Et tanquam indubitatum constat quòd sacri Canones etiam concessionem huius peculij prohibuerunt monachis.

297 Nam hoc euidenter concluditur ex *cap. monachi, & cap. cum ad monasterium*. De peculio enim illo loquuntur illæ decretales, quod monachus potest apud se occultare, & quod inuentum apud monachum cum eo sit in sterquilinio sepeliendum, vt patet. *cap. monachi. ibi. Et qui in extremis cum peculio inuentus fuerit dignè non pænituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat sepulturam, quod etiam de vniuersis Religiosis præcipimus obseruari*. Et in *cap. cum ad monasterium ibi. Quòd si proprietas apud quemquam inuenta fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subteretur secùdùm quod B.Gregorius narrat in dialogo fecisse*. Nomine igitur peculij illæ decretales intelligunt portionem diuitiarum, quæ à monacho possit occultè possideri, & quæ si inuenta fuerit in extremis possessa ab aliquo de peccato sic possidendi non pœnitente, cum eo debeat extra Ecclesiam sepeliri. At verò talis non est res immobilis, siue sit fundus, siue sit census, siue sit alia res immobilis, quæ nec occultè possidetur & administratur, & dato quòd occultè hoc fieri possit, non potest res immobilis simul cum proprietario sepeliri. Decretales igitur illæ loquuntur de peculio, quod sit res mobilis, & quæ occultè possit apud monachum custodiri, & cum eo, si fuerit proprietarius, sepeliri. Quod confirmatur; quia Innoc.III. *in d. cap. cum ad monast.* se remittit ad factum S.Gregorij. At verò Iustus monachus, quem vt habetur *l.4. Dialog. cap.55.* S. Greg. iussit cum proprietate sepeliri, in sterquilinio inuentus est apud se habuisse peculium rei mobilis, nimirum tres aureos; decretales igitur illæ præcipuè loquuntur de peculio rei mobilis. Similiter monachus ille, qui vt habet S.Hieron. ad Eustoch. de virginitate texendo lucratus 100. illa reliquit in morte, & de consilio PP. fuit sepultus cum sua pecunia, illam vt propriam clandestinè sibi retinuerat.

298 Dices ea bis sequi, quòd Decretales illæ prohibeant, ne monachi præter nudum & purum, & præcisum victum, & vestitum, possint aliquid apud se, & ad sui vsum habere etiam de licentia Abbatis; quia mobile, quod præter præcisum victum, & vestitum habetur sub nomine peculij comprehenditur. Quod certè valde durum videtur, & contra communem intelligentiam DD. *Antonius Cotonius Controu. lib.4. contr. 6. cap.2.à num.75.* dictas decretales in eo rigore intelligendas censet, vt exactissimam vitam communem præceperint, & nec peculium rei mobilis monachis habere liceret, etiam de licentia Abbatis. Quod supposito eo, quod dictum est, & probatum nimirum, quòd Decretales illæ loquuntur etiam de peculio rei mobilis probat, tum primò quia prohibitio directè dirigitur ad Prælatos, quibus præcipitur ne permittant, non potest autem permissio intelligi inuito Prælato, & sine eius licentia, hoc est sine permissione. Tū secundò quia ex ceptio causæ administrationis firmat regulā in contrariū, quod scilicet Prælati aliter concedere non possint, & tamen *cap. monachi dicitur, Qui verò peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei prò iniuncta administratione permissum, à communione remoueatur altaris*; igitur præcisa administratione iniuncta peculium non potest concedi monacho. Tum tertiò quia si peculium concedere potuissent, & soliti essent, quæ causa erat, vt religiosi vellent habere independenter, & sine licentia? Certè modo in Religionibus, in quibus peculium permittitur, ex eo quòd Religiosus habeat pecuniam non censetur proprietarius. Nec vllus, qui mortuus inuenitur cum Marsupio, sepelitur in sterquilinio, vt bene docet *Diana p.4. tr.4.res.53.cum Portello*; quia posset præsumi illum habuisse licentiam, vel pecuniam non esse suam. Nihilominùs his non obstantibus puto non recedendum esse à sententia communi.

299 Dico igitur secundò quòd ius commune per peculium intellexit proprium seu proprietatem; Peculium enim propriè importat portionem quandam habitam tanquam propriam; Portio autem propria censetur propria, si vel habens illam possidet, aut possidere intendit tanquam dominus, vel si de facto illam habet sine licentia superioris, & ita sensus decretalium illarum est, vt monachi non

per-

permittantur habere peculium seu portionem aliquam separatam, ita vt illius habeant dominium, vel illam sine licentia & proprietario modo possideant. Quòd probatur, nam quod Concil. Lateranen. sub Alex.III. *d. cap. monachi* vocat peculium Innoc.III. *cap. cum ad monasterium* vocat proprium, seu proprietatem ibi. *Prohibemus quoque districtè in virtute obedientia sub obtestatione diuini iudicij, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat, sed si quis aliquid habeat proprij totum incontinenti resignet. Si verò post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione pranis de monasterio expellatur, nec recipiatur vlteriùs, nisi pœniteat secundùm monasticam disciplinam. Quòd si proprietas apud quemquam inuenta fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur &c.* Cú ergo expresse Innoc.III. consulto loco nominis peculij, quo vsus fuerat Alex.III. vtatur nomine proprij, seu proprietatis, hinc habetur quòd etiam in Constit.Conc.Lateran. sub Alex.III. nomine peculij intelligitur proprium. Cum ex vi Constit. Innoc. III. quæ est posterior, non sit illicitum, sed permissum habere peculium sine proprietate. Quod magis confirmatur, quia de eo peculio est sermo etiam in Concil.Later. quid habebatur occultè, & cuius detentio erat punienda communionis altaris priuatione, expulsione à Conuentu, & sepultura in sterquilinio, vt patet manifestè ex dictis decretalibus & verbis eorum supra relatis; At verò non custoditur occultè, quod ex licentia superioris retinetur, nec vllus vnquam dicet, quòd sit priuandus communione altaris, & expellendus à monasterio, & sepultura in sterquilinio puniendus, qui quod retinet, retinet de licentia superioris, & est paratus ad nutum superioris illud resignare, & dimittere. Et hoc idem ex citato facto S. Greg. habetur. Nam ille monachus sine superioris licentia occultè, & clandestinè inuentus est habuisse pecuniam nimirum tres aureos & ideo fuit in sterquilinio sepultus. Et ideo meritò *Panorm. in cap. monachi num. 3.* dixit quòd nomine peculij intelligitur proprium seu proprietas; Quod idem dixerunt. *Hostien.* explicans peculium l. patrimonium. *ff. ad Treb. cogit. in princip. secundum Goffred.* Hoc est, quodcumque proprium, vt patet infra c. *cum ad monasterium* §. t. in fine, quod tamen clericis secularibus licitum est &c. *Io. Andr.* idem exprimens ijdem fere verbis. *Io. de Ananin. ad d. cap. monachi.* peculium i. patrimonium. Et est sententia communis DD. quos supra pro secunda sententia retuli.

300 Dicitur tertiò quòd dictæ Decretales nihil noui decernunt supra id, quod ex vi voti & Regulæ cuiuscumque Ordinis monachalis est debitum, nisi pro quanto imponunt pœnas in dictis decretalibus contentas. Ideo earum decretalium, & præcipuè *d. cap. monachi, &c.* est sensus, quòd monachi non permittantur habere peculium contra præscriptum legis diuinæ proprietatem prohibentis, & præscriptum Regulæ. Quòd probatur, quia in hac parte Concilium Lateranense non prohibet directè habere peculium, sed supponit illud esse prohibitum, & prohibet ne Prælati illud permittant haberi; Quod certè habet hunc sensum, vt non permittant haberi peculiú contra legum præscriptum. Quòd si Concilium aliquid noui condere voluisset, id faciendi planus modus, & consuetus erat prohibere directè, ne peculium haberetur, non verò prohibere illius permissionem, sed ex qua prohibita est permissio, prohibitio respicit superiores, & prohibentur ne permittant in materia peculij legum rigorem relaxari, & non obseruari. Innoc. verò III. cum directè non prohibeat nisi proprietatem, constat, quòd nihil noui præcipit, quod ex vi voti non esset necessarium, ad quod obseruandum ipse adiúxit præceptum in virtute obedientiæ. Et tam Concil. Later. quàm ipse imposuerunt pœnas proprietarijs infligendas. Quamobrem ex vi iuris communis lex voti, & Regulæ obseruandæ sunt, & nihil noui illis est superadditum, & nouo præcepto impositum, nisi quòd pœna nedum monachis, sed quibuscumque Religiosis proprietarijs est imposita, vt patet in *d. cap. monachi,* ibi. *quod etiam de vniuersis religiosis præcipimus obseruari,* & speciali præcepto proprietas est interdicta.

301 De ordinibus verò, qui post Innoc.III. fuerunt instituti, & habent suas regulas, & constitutiones à summis Pontificibus confirmatas, multò certius est, quòd non obstante iure communi iuxta proprias leges à Sede Apostolica roboratas viuere possunt, & iuxta illas illis licet habere peculium, si ex illis legibus est permissum, cum id illis à Sede Apostolica sit concessum. Sed id, quod ex lege alicuius Ordinis est permissum verè non est contra ius commune, quod non prohibuit nisi habere proprium, vel etiam ne Prælati contra leges, & sine causa vsum rerum suis subditis concederent.

302 Ad ea, quæ in contrarium à *Coton.* adducta sunt respondetur, & ad primum dicitur, quòd retorquetur argumentum; nam prohibitio permittendi aliquid, non est prohibitio dandi licentiam ad illud habendum, vel agendum iuxta legum præscriptum, & indulgentiam, sed est prohibitio permittendi malum, permissio enim malum respicit. Nam & Deus & leges malum permittunt sæpius, ideo est prohibitio ne superiores contra votum paupertatis, & professionis & Regulas permittant proprietatem serpere in Ordinibus monachorum, vnde non prohibetur haberi peculium de licentia iusta, quia hoc non est malum, sed prohibetur haberi illud contra leges, & ideo proprietario modo, vel ex causa non iusta.

303 Secundum etiam retorquetur; quia si sensus est quòd habens peculium alias ex iusta causa à superiore concessum, sit transgressor Concil. Lateran. sequitur, quòd talis sit à communione altaris reijciendus, vel respectiuè damnandus sepultura asini; quod certè non est dicendum, quia talis nec occultè habet peculium, nec habet proprietario modo, nec contra voluntatem, sed de licentia superioris. Respondetur igitur quòd particula illa *pro iniuncta administratione* importat nedum administrationē publici & ordinarij officialis, sed quamlibet administrationem seu licentiam, & obedientiam, vt habetur *cap. cum ad monasterium* secundùm regulam ex quacumque causa concessam, quæ sit ex iusta causa. Et sic exceptio firmat regulam in contrarium, & solùm sequitur quòd transgressor legis Concil. Later. sit qui proprietario modo, vel contra regulam habet peculium.

304 Ad tertium dicitur, quòd immò vtraque

decretalis supponit quòd nimis solitum esset permittere peculium, supponit enim abusum in vsu peculij ad quem tollendum fuit opus noua lege. Sic Concil. Later. supponit in superioribus, quod faciles nimis essent in permissione peculij, contra legum monachalium præscriptum habendi, & quòd iam abusus irreperet habendi peculium, vel proprietario modo, vel in perniciem & relaxationem disciplinæ, & ideo prohibet ne superiores hoc modo illud haberi permittant. Et Innoc. III. supponit in monasterijs præualere proprietatẽ, ad quam coercendam vterque Pontifex Alexander III. scilicet, & Innocentius III. graues illas pœnas imposuerunt. Nec mirum quòd temporibus illis proprietas serperet in monasterijs; quia & multo ante temporib. S. Gregorij Papæ id contingebat, vnde ille vt habetur in *Reg lib. 10. indic. 5. epis. 32.* ad Ioannem subdiaconum Rauennæ, scribebat & cupiebat, vt Marinianus Episcopus peculiaritatem à quatuor aut quinque monasterij monachis in quibus corrigi hactenus minimè potuerat studiosè compesceret, & monasterium ab hac peste mundare festinaret, & non probatur a *Coton.* quod *num. 78.* asserit, scilicet quod tūc non permittebatur pecunia apud fratres nec sua, nec aliena, & proprietas habebatur pecunia, quæ apud alium monachum præterquam apud Cellerarium, inueniretur. Quia immò, vt ex dictis Constitut. colligitur id nimis permittebatur. An verò de iure, vel per abusum iudicandum erat iuxta leges monachales. Quantum autem colligi potest ex regulis monachalibus, quas in vnum collectas exhibet *Hugo Menardus cap. 42.* Concordiæ Regularum, non erat prohibitum peculium rerum mobilium de licentia superioris. Sic in Reg. S. Bened. *cap. 33. §. 1. Nec quicquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit.* Vbi solùm prohibetur aliquid habere sine licentia. Et in regula SS. Pauli & Stephani. *cap. 23. §. 9. Nulli liceat, vel instrumentum, vel calceamentum, vel cuiuscumque rei paruissimæ tam nouum, quàm vetus quicquam, quod alio fratri datum fuerit praua præsumptione contingere ad vtendum*, & ibi subsequenter prohibetur mutuum dare inuicem. Et in regula S. Isidori *cap. 6. §. 10. Neque in suis cellulis quicquam, quod ad victum, vel ad quamlibet rem aliam pertineat sine regulari dispensatione habere, vel possidere præsumant.* Permittebatur igitur illis habere & possidere in proprijs cellis etiam cibaria, & §. 11. permittit inter monachos mutuum de licentia superioris. In regula etiam S. Fructuosi §. 14. *cap. 8.* conceditur recipere donata de licentia superioris. Et in regula Orientali §. 19. permittitur accipere res, & dare de licentia superioris. Et regulas illas omnes inspiciendo apparet duo prohiberi; scilicet habere aliquid vt proprium, & habere aliquid sine licentia. Et inspecto illarum tenore bene apparet, quòd secundùm illas parum peculij, concedi poterat, & licebat habere solū peculium valde moderatum. Vnde est, quod etiam si esset solitum, vt aliquod peculium concederetur, de facili contingere poterat, quòd monachi aliqui minus amatores vitæ communis ab illis sanctis institutæ aliquid proprietario modo, & clandestinè haberent detinendo, vel in quantitate, vel in qualitate, ea quæ non permittebantur, & in superioribus etiam aliquibus inueniretur conniuentia reprehensibilis respectu talis abusus. Quamuis & vbi solitum sit, vt de facili superiores permittant vsum peculij, non desint, sed immò multiplicentur, vel qui sint nimis faciles ad præsumendum licentiam habendi peculium, vel negligentes se subijcere Prælato, vel qui sint cupidi, vt non sciantur, quæ retinent; & ita quòd forsan magis abundent proprietarij, vbi maior est facilitas habendi apud se pecuniam, etiam de licentia superioris.

305 Quod verò addebatur, quòd scilicet in Religionibus in quibus permittitur peculium, ex eo quòd apud aliquem inueniatur pecunia, ille nō erit censendus proprietarius. Respondetur, quod vt infra probabitur, id esse verum etiam in qualibet obseruantissima Religione, quòd sola inuentio pecuniæ, non conuincat monachum proprietarium, quia talis pecuniæ detentio apud defunctum ex multiplici causa potest excusari à proprietate, & tamen si inueniatur, quod, vel in maiori quantitate retineatur pecunia, quàm solet concedi, vel ea occultè retineantur, quæ non conceduntur, vel Religiosus requisitus peculium occultauerit, vel ex circumstantijs facti comprobetur peculium clandestinè & sine licentia fuisse retentum, quia bene constat ex facti circumstantijs non habere locū aliquam ex excusationibus, quæ adduci possent, bene etiam constare potest de proprietate etiam in qualibet Religione; nisi esset adeo relaxata, vt passim, & sine discrimine peculium, & maximè peculium pecuniarum concederetur monachis, sed vbi vigeat disciplina Regularis, & maximè iuxta illarum decretalium præscriptum bene ex inuentione peculij apud Religiosum præsumitur proprietas.

306 Dicitur quartò quòd per ius commune, non fuit prohibitum habere ex iusta causa, & ad vsus honestos, & reuocabiliter ad nutum superioris peculium seu administrationem rei immobilis ad nutum superioris reuocabilem. Ad hoc affirmandum me cogit *cap insinuante*, *Qui clerici, vel vouen.* Quia capere non possum, quod Pontifex, qui fuit Innocentius III. votum professionis à muliere emissum sub conditione manendi in domo & tenendi propria bona absolutè iussisset seruari, non reiecta conditione, si conditio esset illicita per se, & turpis. Secundò quia citata decretalis *cap. monachi* super qua prima sententia maximè se fundat, non distinguit inter peculium rei immobilis, vel mobilis, sed absolutè prohibet permitti peculium, vnde vel vtrumque, vel nullum est prohibitum haberi de licentia superioris, & tamen, vt satis est probatum non potest dici, quòd prohibuerit peculium rei mobilis ex iusta causa liberè à superiori concedendum ad vsus honestos; ex vi igitur illius capitis non probatur prohibitio peculij rei immobilis. Sed vt dictum est decretalis illa nihil noui in hac parte statuit, sed solum non permitti abusum in concessione peculij prohibuit, Fauet etiam Concilium Romanum sub Eugenio Papa. Et habetur *cap. mulieres 31. 27. q. 1.* vbi dicitur. *Mulieres obtentu religionis velatæ, aut in monasterio regulariter viuentes, aut in domibus suis, susceptum habitum castè obseruent.*

307 Sequitur modò altera difficultas grauissima, an scilicet Religioso habere peculium, sit prohibitum per ius nouum Concilij Tridentini, &

Clemen-

Clementis Octaui. Nam Concilium Tridentinum *sess.25. cap.2. de reformat.* ita habet. *Nemini igitur Regularium, tam virorum, quàm mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conuentuum ad solos officiales eorundem, ad nutum Superiorum amouibiles, pertineat. Mobilium verò vsum ita Superiores permittant, vt eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conueniat; nihilque superflui in ea sit; nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur. Quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut conuictus fuerit, is biennio actiua, & passiua voce priuatus sit; atque etiam iuxta suæ Regulæ, & ordinis Constitutiones puniatur.*

308 Pro obseruatione autem huius decreti Concilij Clemens VIII. in decreto de reformatione statuit, vt infra.

Quo Tridentini Concilij Decreta de paupertatis voto custodiendo fideliùs obseruentur. Præcipitur, vt nullus ex Fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, prouentus, census, eleemosynas, siue ex concionibus, siue ex lectionibus, aut pro Missis, tàm in propria Ecclesia, quàm vbicunque celebrandis, aliouè ipsorum iusto labore, & causa, & quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere possit; sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conuentui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecunijs, ac prouentibus confundantur, quo communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit.

Neque Superioribus quicunque illi sint, vllo pacto liceat eisdem Fratribus, aut eorum alicui bona stabilia etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem aut commendam, etiam depositi, aut custodiæ nomine concedere.

Eorum verò, quæ ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat vt proprium, neque vt propria vtatur.

Qui in præmissorum aliquo deliquerit, pœnas, nedum à Concil. Trident. præscriptas; sed alias quoque multo grauiores, Superiorum arbitrio imponendas, incurrat.

Nulla quorumcunque Superiorum dispensatio, nulla licentia quantum ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excusare possit, quominus culpæ & pœnæ ab eisdem Concilij Decretis impositæ & ipso facto incurrendæ obnoxij sint; etiamsi Superiores asseuerent huiusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.

Fratrum vestitus, & suppellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omnino vniformis sit Fratrum, & quorumcumque Superiorum, statuique paupertatis, quam professi sunt, conueniat: ita vt nihil superflui admittat; nihil etiam, quod sit necessarium, alicui denegetur.

Quæcunque Fratrum vestes, siue laneæ, siue lineæ, omnisque alia suppellex in aliquem commodum Conuentus locum deferantur, ibique ab vno, vel duobus Fratribus huic muneri deputatis diligenter custodiantur, vt inde Superioris arbitrio, prout vnicuique opus fuerit, subministrari opportunè possint.

Omnes etiam Superiores, quicunque illi sint, eodem pane, eodem vino, eodemque obsonio, siue eadem (vt aiunt) pitantia, in communi mensa prima, vel secunda nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur, neque singulare aliquid, quo priuatim quisque in cibum vtatur, vllo modo afferri possit, si quis in ea repeccauerit, nihil ea die alimenti percipiat, nisi panem, & aquam.

Superiores omnes, etiam Generalis vel, qui redditus aut præstationes peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta, & expensa in libro distincta fideliter, & diligenter adnotari curent; neque in alios vsus, quàm ratione officij sui necessarios, quicquam expendant. Cum verò contigerit ipsos in aliquo Conuentu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex qua sibi, & ijs, qui secum erunt, victus ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum suppeditetur.

Nullus ex Superioribus locorum, administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & redditunm sui Conuentus, etiam nomine Conuentus, per se ipsum habere, siue exercere possit; sed vniuersum id onus tribus Fratribus eiusdem Conuentus à Generali ita demandetur, vt vnus rerum, & bonorum, redditnumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat; alter tanquam Depositarius, pecunias, ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter asseruet: alius de pecunijs, & rebus à Depositario acceptis, Priori, & Fratribus, ac Conuentui vniuerso de necessarijs, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum; sed iuxta charitatis regulam, velutì bonus dispensator prouideat, officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta.

Cæterum hi tres tum impensi, quàm accepti singulis mensibus Superiori locali adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus eiusdem Conuentus probatioribus, rerumque vsu peritis, rationem reddant: Deinde ipsimet rursus, præsentibus Priore, & peritis prædictis, Generali, cum aduenerit: denique ipse Generalis, in quolibet proximo Capitulo Generali saltem coram tribus Iudicibus, ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, vniuersamque suæ administrationis tàm publicæ, quàm priuatæ rationem reddere teneatur, cuius etiam exemplum authenticum ex actis Capituli describatur, ad hoc, vt ad omne mandatum nostrum, vel Sedis Apostolicæ Romam transmitti possit.

309 Circa horum verò intelligentiam nonnullæ emanarunt declarationes Sacr. Congreg. Concilij quas referunt *Quaranta v. casus reseruatus, & v. monasterium. Donatus tom. 3. tract. 15. q. 16. Lezana p. p. cap. 6. Reuerendiss. Fagnanus ad cap. monachi, de statu monachor. & latiùs Tambur. de iure Abbatiss. disp. 8. q. 9.* & sunt tenoris sequentis videlicet.

Quæritur primò, An ex dispensatione inferiorum Summo Pontifice, liceat Regularibus possidere, vel tenere agros, annuos redditus, aliaque bona immobilia, videlicet, & mobilia superflua, non obstante decreto Concilij Trident. *sess. 25. de regularib. cap. 2.*

Secundò, An propter talem dispensationem, seu scientiam Superiorum possidentes, vel tenentes immobilia, vel mobilia superflua, à culpa, vel à pœna excusentur.

Tertiò, An Superioribus asseuerantibus huius-

modi licentias posse concedere, fides adhibenda sit.

Quartò, An Superiorum arbitrio, & præfinitioni stare debeant Regulares, quoad mobilium superfluitatem, & conuenientiam.

Quintò, An superiore quantumuis requisito, necessaria suis Regularibus negante, vel subtrahente, liceat ipsis clam, vel inuito eo, illa sibi comparare, seu retinere.

Sextò, Et quatenus liceat, an itidem liceat cum necessaria ideò negantur, vel subtrahuntur, quia Monasterij facultates non suppetunt;

Septimò, An dicti Superiores Regulares dictum cap. 2. declarare, & interpretari possint.

Ad primum Congregatio Concilij respondit, non licere.

Ad secundum, non excusari, neque à culpa, neque à pœna, ipso facto incurrenda.

Ad tertium, minimè adhibendam.

Ad quartum, nisi de excessu arbitrij constiterit, vtique stare debere: habita videlicet ratione personæ, officij, & regulæ, statusque paupertatis, quam professi sunt, & cæterarum itidem qualitatum.

Ad quintum, non licere.

Ad sextum, licere, si præcisa necessitas sit ad indiuidui sustentationem, cæterùm communem penuriam ab omnibus percipiendam vsque adeo, vt si quid priuatim alicui delatum, vel ab ipso partum fuerit, id omne ad Superiorem rectà deferri oporteat, qui ex eo primum succurat eius necessitati, cuius intuitu illud obuenerit; si peculiari, aliaque necessitate vltra communem, prematur, reliquum Conuentui incorporetur, & in communem cedat vtilitatem.

Ad septimum, non posse.

Hier. Card. Matthæius.

310. Apud eundem Stephanum *Quarant. loc. citat.* habentur sequentes declarationes.

In aliquibus Monasterijs Monialium reperiuntur nonnullæ Moniales, quæ census, & annuos quosdam redditus, & prouentus, seu fructus percipiunt, sub diuersis contractuum speciebus. Nam,

Aliquæ in ipsarum personam emerunt certos redditus à personis Laicis.

Aliquæ ab alijs Monialibus;

Aliquæ ab ipsis Monasterijs;

Aliæ verò dederunt pecuniam Monasterio, vt ex earum pecunijs fieret emptio nomine Monasterij ad rationem septem, vel octo pro centenario, & Abbatissæ dabant dictis Monialibus illos redditus, quos ex dictis emptionibus exigebant singulis annis.

Aliquæ Monasterijs, seu eorum superioribus certas pecuniarum summas manualiter pro Monasterij indigentijs dederunt, pacto adiecto, vel etiam tacita conuentione adhibita, vt Monasterium, seu Abbatissa certos redditus ad rationem tot pro centenario, earum vita durante, concedat.

Quæritur an in huiusmodi casibus liceat Monialibus dictos redditus, fructus, & prouentus recipere absque incursu proprietatis, vel potius tanquam proprietariæ, incurrant pœnas per Conc. Trident. *sess. 25. cap. 2. de Regul.* proprietarijs inflictas, etiam si de licentia Abbatissæ, & ad Abbatissæ nutum, vel Conuentus, seu Monasterij nomine percipiant.

Congregatio Concilij censuit, in nullo supradictorum casuum licere Monialibus dictos fructus, seu redditus percipere, & si perceperint incidere in pœnas propositas Decreto d. c. 2. sess. 25. de regul. neque ab huiusmodi pœnis excusari ob licentiam Abbatissæ, quæ etiam dicti Concilij decreto in supradictis casibus concedere quidem prohibetur; sed debet pro suo munere ex Monasterij redditibus, vel eleemosynis Monialium necessitatibus in dies subuenire.

Hier. Card. Matthæius.

311. Sequuntur literæ scriptæ ad Archiepiscop. Neapol. quas refert *Tambur.* vbi supra, & sunt sequentis tenoris.

Illustrissimo, & Reuerendissimo Sign. mio osseruandissimo; Nostro Signore istesso hà voluto vedere, & esaminar le scritture mandate da V. S. Illustrissima, e date à nome delle Monache sopra l'osseruanza del Decreti della riforma de' Monasterij di cotesta Città; & essendo assai chiari Capitali 45. & 46. dell' Ordinationi generali, Sua Santità vuole, che l'osseruino come cantano, ne si aggiunga obligo doue non è. E circa alla difficoltà, che consiste intorno all' vltimo Decreto fatto alli 6. di Maggio 1600. come s'habbia da praticare, Sua Beatitudine hà ordinato, si dichiari à V. S. Illustrissima, che sia lecito all' Abbadesse, ò Superiora di ciascuno Monasterio di permettere alle Monache, che possa ciascheduna di esse prendere qualche cosa delle souentioni, che gli vengono date, senza passare per le ministri communi de' Monasterij, e senza obligo d'hauerne à rendere altro conto, come saria à ragione d'vn scudo il Mese, per seruitij minuti, purche s'osserui nel resto il Decreto come stà. E benche quanto alla vita commune, non intende Sua Santità, che le Monache professe prima della riforma, le quali non eleggono volontariamente, siano astrette ad accettarla, come non l'obliga meno il sudetto Capitolo 45. così commanda, che non si riceuano nell' auuenire in modo alcuno Monache all' habito, ne alla professione, se non sotto all' intera riforma, & osseruanza della vita commune; e così in ciascuno de' sudetti casi V. S. Illustrissima si compiacerà ordinare, che sia essequita la mente di sua Beatitudine, a le bacio humilmente la mano. Di Roma il dì 8. Marzo 1602.

Di V. Illustriss. e Reuerendiss.

Humiliss. Seruitore.

Il Card. di Fiorenza.

Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa Octauus ad tollenda dubia, & difficultates ortas super executione, & obseruatione Capitulorum 45. & 46. Constitutionum super regimine Monialium ciuitatis Neapolitanæ, declarauit, ac decreuit, Capitulum 45. obseruandum fore totum, vt iacet in Monasterijs, in quibus iam fuit introducta, & acceptata à maiori parte Monialium vita communis, in alijs verò in quibus retinentur hactenus prouisiones, & subuentiones in illa parte tantùm, in qua mandatur, vt si qua Moniales huiusmodi sanctam, & regularem viuendi rationem elegerint, & earum bona à se abdicauerint, & Monasterio cesserint, Superior Monasterij renunciationem huiusmodi recipere, & ex Monasterij bonis in his, quæ ad victum, & vestitum, ac reliquam vitæ sustentationem, pertinent, illis prouidere teneatur; Moniales verò, quæ post easdem constitutiones receptæ fuerint, vel imposterum admittentur, in eisdem Monasterijs, in quibus subuentiones retinentur, nullatenus inuitæ cogantur ad vitam communem, sed teneantur obseruare Capitulum 46. cum declarationibus inde sequutis sub die 6. May 1600.

& 5.

& 5. Martij præsentis anni 1602. illæ autem Moniales, quæ in eisdem Monasterijs reperiebantur professæ ante Constitutiones, quibus idem Capitulum 46. obseruare non placuit, priuatæ sint omninò voce passiua, donec resipiscentes, tam sanctum institutum acceptauerint; easdem porrò Constitutiones omnes innouans S. Sanctitas mandauit in cæteris omnibus obseruari, & executioni mandari. Romæ 1602.

312 Cum autem controuersum sit, an per decretum Concil. Trident. nouum ius conditum fuerit, vel antiquum innouatum & explicatum; multi negatiuam partem sustinuerunt, dicentes Concilium Tridentinum non condidisse ius nouum, nisi pro quanto nouam pœnam addidit; sed ius commune confirmasse, & approbasse, & mandasse illud obseruari. Ita *Nauar. tom. 2. de Regular. n. 15. & sequent. & cons. 3. num. 32. & cons. 14. de stat. monach. Io. Cruce de stat. Relig. lib. 2. c. 3. dub. 2. concl. Fuluius Pacianus cons. 36. n. num. 99. vsque ad 102. tit. 1. Rodriq. tom. 1. q. 35. a. 4. fin. & tom. 3. q. 29. a. 7. & 10. & 2. p. sum. c. 31. conc. 3. Graff. p. p. decis. aur. l. 3. de Regul. c. 1. num. 53. Antonius Perez in Reg. S. Benedicti cap. 33. num. 23. Petrus de Ledesma de stat. cap. 4. concl. 3. dub. 13. Bria p. 4. versu 17. Sa in v. Religio n. 18. Vega tom. 2. cap. 86. casu 5. Peyrin. in subd. t. 1. q. 2. s. 2. 5. ad S. Faustu lib. 8. q. 27. Barbosa in cap. monachi de statu monach. & de off. Episcop. alleg. 103. num. 4. & ad Concil. Trid. sess. 25. c. 2. numer. 3. Miranda tom. 1. q. 28. art. 8. Tambur. de iure Abbatiss. disp 8. q. 2. num. 17. Ricc. par. 4. prax. dec. 349. nu. 12. Diana 1. par. tract. 6. resol. 32. Bordon. p. p. resol. 43. q. 21. Fagundez, Villalobos, Vidal*, quos sequitur *Antonius à Spiritu Sancto par. 2. trac. 3. disp. 4. num. 75. & 81. Caramuel in Reg. S. Bened. disp. 61. num 899. Moron. resp. 86. nu. 90. Ledesma etiam d. dub. 13.* refert Magistrum Io. Gallum, qui fuit in Concil. Trid. dixisse, se nunquam intellexisse, quòd annui redditus fuerint à dicto Concilio prohibiti. Et *Tambur.* id etiam aduertit ex *Ledesma*. At continere ius nouum volunt. *Suarez tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 14. num. 8. Cord. in sum. q. 54. Azor. p. p. lib. 12. cap. q. 2. Petr. Nauar. lib. 3. de rest. c. 1. p. 3. dub. 1. num. 163. Molina tom. 2. disp. 276. Lessius l. 2. cap. 4. dub. 5. num. 30. Basilius Ponce q. 9. Scholast. c. 4. Vasquez de reddit. Eccles cap. 1. dub. 11. num. 14. Lezana p. prima cap. 6. num. 19.* Et hoc credibile dixit *Layman lib. 4. tr. 5. cap. 7. num. 13.* & esse de iure verius dixit *Donatus tom. 3. trac. 13. q. 10. num. 9.*

313 Pro huius decreti Concil. Trident. intelligentia hoc primò puto considerandum, quod tres partes continet decretum illud; in quarum prima decernit prohibitum esse Religiosis possidere, & tenere immobilia, & mobilia. In secunda explicatur primum quantum ad prohibitionem immobilium, & in tertia explicatur secundum de detentione mobilium. In prima parte duas actiones prohibet, scilicet possidere, & tenere, & hæc prohibitio, quantum ad materiam est vniuersalis, quia prohibitum est possidere, & tenere, tam immobilia, quàm mobilia, & quantum ad quendam modum habendi est etiam vniuersalis prohibitio, quia prohibitum est habere huiusmodi nedum tanquam propria, sed etiam nomine Conuentus. Est verò circa hanc partem prima difficultas. Quia aliqui putant in ea contineri ius nouum. Quamuis enim habere temporalia tanquam propria sit per se illicitum, & sæpius ante Concilium prohibitum. Tamen quòd non liceat nomine Conuentus bona immobilia, vel mobilia possidere, vel tenere nouum profectò est, quia nec ex vi voti paupertatis, nec ex aliquo iure antiquo fuit prohibitum. *Suarez vbi sup. num. 8. Lezana d. c. 6. numer. 19.* Itaque hæc sententia tenet, quòd Concilium hic prohibeat etiam nudam detentionem facti tam immobilium, quàm mobilium, etiam de licentia superioris: quia idem censet esse tenere bona nomine Conuentus, & tenere ea dependenter à voluntate superioris, seu de superioris licentia. Sed hæc intelligentia est manifestè contra Concilium. Nam infra in tertia parte Concilium permittit Religiosis habere mobilia, dummodo non sine superflua; igitur absolutè hoc non prohibet in hac prima parte. Dicitur igitur, quòd non est idem tenere mobilia nomine Conuentus, & tenere illa dependenter simpliciter à voluntate superioris, seu de superioris licentia, & quòd in hac prima parte dispositio Concilij non continet ius nouum. Quia solùm prohibet tenere immobilia, aut mobilia inscio Prælato, & clandestinè, seu quæ per Prælati scientiam, & receptionem nondum sunt incorporata Conuentui. Prima pars huius assertionis explicatur, Nam fur, qui non sibi vsurpat rei dominium, sed solum nudum vsum facti inuito domino, non tenet rem de domini voluntate, & licentia, sed domino inuito, & tamen tenet tam, vt non suam, sed vt domini, & ideo nomine domini, cuius est res illa; quia fur solùm intendit vti re illa vt aliena, & vt reddenda domino; igitur aliud est tenere rem nomine alterius, & aliud est tenere rem de voluntate, & licentia domini. Sic in præsenti stat, quòd Religiosus rem sibi datã illam recipiat, & teneat nomine Conuentus intendens illam habere non vt suam, sed vt Conuentus, & non vsurpans sibi rei dominium, & tamen interim superiore inscio clandestinè vtatur illa; igitur non est idem tenere rem nomine Conuentus, & tenere rem dependenter à voluntate, & licentia superioris.

314 Ex hoc declaratur secundum. Religiosus enim duplici ex causa potest peccare in materia paupertatis, vel quia ex sui intentione velit sibi vsurpare dominium rei, vel quia vsurpet sibi vsum facti sine licentia superioris, quod est habere rem vt alienam, & vt Conuentus, seu alterius, sed inuito superiore quantùm ad facti vsum. Vtrumque horum prohibet Concilium in hac prima parte sui decreti. Primum quatenus prohibet habere immobilia, vel mobilia tanquam propria, secundùm inquantum prohibet ea haberi etiam nomine Conuentus, inscio tamen superiore. Quòd verò hic sit sensus ex eo est manifestum, quòd Concilium subiungit. *Sed statim ea superiori tradantur, & Conuentui incorporentur.* Vbi considerandum, quòd dictio aduersatiua, *sed* quæ in materia prohibitiua post orationem negatiuam stat inclusiuè, ita vt denotet quòd positum in oratione negatiua stat exclusiuè; & id, quod dictioni adiungitur stat inclusiuè, per tradita à *Domin. in cap. 2. de reb. Eccles. non alienan. in 6.* & alijs, quos refert *Barbos. dict. 360. num. 4.* ita accipitur in præsenti, & explicat, quòd intentum Concilij est, quòd Religiosus vtatur rebus per Prælatum receptis, & Conuentui incorporatis, & quod huius oppositum prohibet, quod est Religiosum tenere res clandestinè, inscio Prælato, aut per

Præla-

Prælatum nondum incorporatas Conuentui. Et optimo ordine Concilium procedit, & priùs decernit, quid non possit Religiosus sine licentia, declarans nedum, quòd non potest sibi vsurpare dominium, sed quòd nec potest sibi vsurpare simplicem vsum facti sine licentia. deinde verò decernit, quid Religiosus possit facere, vel non facere cum licentia. In prima igitur parte decernit, quòd Religiosus bona immobilia, vel mobilia non potest tenere clandestinè, & inscio superiore, siue illa teneat vt propria, siue illa teneat vt aliena. Nam quòd Religiosus non possit tenere res vt alienas clandestinè, & contra professionis votum, indè est euidens, quod peccat si rem secularis de secularis licentia teneat ad vsum proprium superiore inscio. Sit enim & contingere potest, quod Religiosus tenens rem clandestinè, teneat illam nomine Conuentus, & etiam Conuentu vt domino rei minimè inuito, quoniam hoc non fit in Conuentus præiudicium; & tamen hoc fit, sicut verè est peccatum, quia id fit inscio superiore, vt directore Religiosi in vsu temporalium. Quod ergo in hac prima parte prohibet Concilium, est prohibitum de iure diuino, quia contrà votum est tenere aliquid clandestinè, & sine licentia. Et hoc idem fuerat etiam prohibitum per Innoc. III. in d. cap. *Cum ad monasterium* ibi, *Vnde si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, vel cellario assignetur.* Quod igitur in hac prima parte prohibetur est possidere, vel tenere etiam nomine Conuentus, sed clandestinè, & quod non sit priùs acceptum à superiore.

315 Quod verò addit Concilium, scilicet, quòd huiusmodi incorporentur Conuentui, *Lezan.* quidem *d. c. 6. num. 9.* putat quòd incorporari sit confundi, & misceri cum alijs bonis communitatis sine vllo discrimine peculij. Idem docet *Donat. d. q. 10. n. 11.* Sed certè rem incorporare non importat quid nouum distinctum à receptione superioris, seu à licentia recipiendi, & habendi. Nam id est incorporatum Conuentui, quod acceptatur à superiore nomine Conuentus; Ex hoc enim illud iam inter bona monasterij numeratur. Antequam enim res acceptetur non est acceptantis, sed cum res alicui traditur, si ab eo acceptatur, ex vi acceptationis fit illius, & illius bonis incorporatur. Sic enim & ad effectum, vt res non possit alienari sine solemnitatibus, sufficit, quod sit res tradita Ecclesiæ, & ab ea acceptata. Et res solita locari censetur incorporata inter non solita locari, & fit non alienabilis, si cum deuenit ad Ecclesiam superior, decernit eam inter alias immobiles numerandam. Sic igitur, & res absolutè incorporatur Conuentui, si superior illam nomine Conuentus acceptat, & inter res Conuentus numerandam decernit. Et hoc fit ex eo quòd illam absolutè acceptat, quia non illam acceptat, vt Religiosi alicuius, nec vt suam, sed vt Religionis.

316 In secunda verò parte videtur, quòd Concilium omnino condat nouum ius, quia prohibet Religiosis non officialibus Conuentus omnem, & quamcumq; administrationem immobilium etiam de licentia superioris. Dantur verò à DD. primæ sententiæ plures expositiones huius secundæ partis. Dicunt enim Concilium prohibere simplicibus Religiosis, vel administrationem non reuocabilem ad nutum superioris, vel administrationem ad quoslibet vsus etiam illicitos, vel administrationem concessam ex causa iniusta. Sed huiusmodi expositiones verè non sunt germanæ, easque neruosè, & validè impugnat *Reuerendiss. Fagnanus d. cap. Monachi: a num. 48. & seq.* Verè enim Concilium non id solum aliquid negat Religiosis in vniuersum, quod nec concedit officialibus; Officialibus verò non concedit administrationem ad illicita, & non ex causa iusta, vel sine superioris licentia; igitur alijs vniuersaliter non prohibet solum administrationem ad illicitos vsus, & ex causa non iusta, vel sine superioris licentia, quia hanc etiam prohibet officialibus. Nam de iure diuino, & Ecclesiastico est, quod Religiosus non administret res ad illicita, & ex causa non iusta, & sine superiorum licentia vt per se constat, & ex citatis iuribus est manifestum.

317 Nihilominus nullam vim faciendo verbis Concilij potest hæc secunda pars intelligi, vt non contineat ius nouum. Singula verba ponderanda sunt. *Nec deinceps liceat.* Hæc particula apta est importare tam iuris noui editionem, quàm antiqui declarationem, vt aduertit *Reuerendiss. Fagnanus d. cap. Monachi, num. 48.* Vnde sit sensus, siue ex præscripto sacrorum Canonum prohibitum esset Regularibus non officialibus habere administrationem bonorum stabilium, siue id liceret, siue res dubia esset; in posterum id non liceat. Verùm addo eandem particulam aptam esse etiam ad hoc vt importet nouam obseruantiam antiquæ legis, vel ex ignorantia, vel ex præsumptione, & malitia non seruatam, & ex noua lege nouam pœnam inducente restaurandam, vt sit sensus, siue hoc liceret, siue non liceret, sed tanquam licitum impunè, & liberè vsurparetur, in posterum non liceat. Quamuis igitur dictio *deinceps* videatur importare noui iuris editionem, ad quod facit *Gloss. in cap. nemo de elect. in 6. & in Clem. eos de Regul. in v. deinceps,* tamen hoc non est necessarium, sed bene importare potest etiam antiqui iuris declarationem, immò & antiqui iuris obseruantiam de nouo ad tollendũ abusus per legẽ nouam pœnam inducentẽ statutam.

318 *Nec deinceps,* inquit, *liceat superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsumfructum &c.* Quia dictio *etiam,* est implicatiua, & stat ampliatiuè, & extensiuè ad casum alterum, & magis dubitabilem, vt habet *Barbosa dict. 112.* sequitur, quòd prima pars huius legis intelligi debeat de concessione proprietatis immobilium. Nam in immobilibus consideratur proprietas, seu dominium rei, & vsus fructuum eius, qui non domino, & nõ proprietario competere possit; cum verò modus vtendi, qui possit competere non proprietario sit positus post dictionem *etiam*, & contineatur in hac lege tanquam id, ad quod lex ampliauit & extendit suam dispositionem per particulam *etiam*, sequitur quòd dispositio eandem dictionem *etiam* antecedens respiciat proprietatem, & vsum, qui domino possit cõpetere & sit sensus, quod non liceat superiori concedere suis Religiosis proprietatem immobilium, seu quòd eis vtantur tanquam domini. Quod certè est prohibitum iure diuino, vnde ex hac parte lex ista nihil noui prohibet, quod priùs per legem diuinam, & Canonicam non fuisset prohibitum.

Etiam

319 *Etiam ad vsufructum, vel vsum*. Vsusfructus importat dominium fructuum, quod & importat vsus, sed cum discrimine, quia vsufructuarius est fructuum absolutus dominus, & habet ius eis vtendi ad quodlibet sibi bene visum, sed vsuarius solùm ad sui commodum fructibus vti potest. *l.1.ff.de vsusfruct.l.1.& l.plenum.ff. de vsu. Instit.de vsu & hab* §.1.& DD.communiter affirmãt,vt dictũ etiam est supra inspectione tertia,igitur & quantùm ad hanc partem lex ista Concil. Trid. legem diuinam continet;quia voto paupertatis quodlibet dominium repugnat. Vnde loco citato dictum est, quòd votum paupertatis priuat vsufructu, & iuris vsu.

320 *Administrationem aut commendam*. In hac particula tota est posita difficultas. Sed antequam ad terminorum explicationem accedam, peterem libenter, cur Concilium, quod inter vsufructum, & vsum posuit dictionem, *vel*, postea illam omittat inter *vsum*, & *administrationem*, & iterum cur interponendo dictionem *aut* inter *administrationem, & commendam*, si disiungere volebat, non vtitur disiunctiua *vel*, qua priùs vsum fuerat, & quæ est communior, & vsitatior,& magis expresse disiungit, sed mutat dictionẽ & vtitur dictione *aut*, quæ sæpius sumitur non disiunctiuè, sed explicatiuè, & importat idem quod *siue* vel *idest* per DD, quos sequitur, & refert *Barbos.dict.46 num.8.* Hæc enim sunt verba textus, *etiam ad vsufructum, vel vsum, administrationem aut commendam*. Forsan igitur non irrationabiliter diceretur, quòd Concilium pro eadem sumit administrationem, & commendam, & quòd hic non loquitur de omni administratione, sed de ea quæ est commenda, vel modum illius habet, & quòd ideo non vsum est dictione *vel*, qua priùs vsum fuerat, sed dictione *aut*, quia iam non intendebat disiungere significata, sed voluit sumere administrationem, vt est idem, quod commenda, & sic sit sensus, *administrationem idest commendam.*

321 Sed hac coniectura omissa, considerandum est, quòd commenda importat dominium fructuum. Nam de mente Concilij Tridentini Beneficiati faciunt fructus suos vt habetur *sess. 23.c.1. de reform.& sess.24.cap.12.* Commenda verò est verus & Canonicus titulus beneficij. *cap. dudum el 2. de elect.cap.si plures 21.q.1.* Vnde Commendatarius habet plenam administrationem bonorum Ecclesiæ sicut alij beneficiati, vt tradit plurib. DD. relatis *Barbosa lib.2.de iure Eccles. cap.9. num.22.* Vnde & facit fructus suos, & est dominus fructuum, sicut alij Beneficiati. Sed & in commenda temporali, per quam bona Ecclesiæ alicui commendantur ad Ecclesiæ vtilitatem importatur aliquod dominium fructuum. Nam licet temporalis Commendatarius assimiletur depositario, quia talis commendæ est habere bona commendata quodammodo in depositum *cap. nemo, de elect. in 6. l. commendare. ff. de verb. signific.* Nihilominùs vt habet *Rota decis.678. num.3.coram Seraphina ex Rebuff.in praxi tit. de commend.num.2.& 3.* Etiam in huiusmodi commenda commendatarius facit aliquo modo fructus suos, quia licet sibi ex commenda sumere alimenta, & expensas facere ex redditibus beneficij sibi commendati. Quod alijs citatis tradidit etiam *Barbos.de iure Eccles.p.2.cap.9.* Et sic in omni commenda sic Commendatarius habet administrationem bonorum immobilium, quòd habet fructuum saltem aliquale dominium.

322 Ex his deducitur, quòd etiam si non admittitur coniectura supra notata, vt idem significet in præsenti administratio sic simpliciter, & absolutè prolata, quod commenda, nihilominùs per administrationem rerum stabilium debemus intelligere eam, quæ sit administratio iuris, & non nudi facti, & per quam administrator faciat fructus suos, & sit dominus fructuum magis etiam quam Commendatarius, Probatur ex regula citata, & communissime à Canonistis canonizata, quia scilicet dictio *etiam* est implicatiua, & exprimit casum magis dubitabilem, & implicat minùs dubitabilem *l.etiam.ff.de verb. signific. l.conuentiunculæ.C.de Epis.& Cler.l.etiam C.si tutor,vel curator. cap.vn.de commodato,*vbi *Panorm.num.3. Clem. Religiosi, de præscript.Clem.vnica §.fin.de supplenda neglig.Prælatorum.Clem.nolentes de hæreticis*, vbi *Zabarella num.1.* Tota autem hæc prohibitio Concilij regitur per dictionem *etiam* positam in principio, *etiam ad vsufructum, vel vsum, vel administrationem, seu commendam*. Vnde Concilium ordinatè procedit exprimendo successiuè semper casum magis dubitabilem, illum scilicet in quo minus sit de dominio in vsu fructuum rei stabilis, quia ex quo minus sit de dominio magis dubitabile est, an excludi debeat, quàm casus præcedens in quo magis de dominio extat. Et sic primò particula *etiam* implicauit casum in quo conceditur rei proprietas, & expressit casum magis dubitabilem, in quo solùm conceditur vsufructus, & successiuè hunc implicando expressit casum magis dubitabilem in quo longè minus sit de dominio, scilicet casum in quo solùm conceditur vsus. Vltimò verò implicando casum magis certum scilicet administrationem, expressit magis dubitabilem prohibendo commendam in qua, præcipuè si sit temporalis,minus est de dominio; igitur per administrationem intelligit eam, in qua datur aliquod dominium, & quidem maius, quàm in commenda, si pro eodem non sumit administrationem, & commendam. Aliter si per administrationem intelligeret eam, quæ in omnibus, & tam respectu fundi, quàm respectu fructuum esset purè, & merè ministerialis, & instrumentalis, inordinatè, & contra vim dictionis *etiam*, processisset implicando casum magis dubitabilem, & explicando minus dubitabilem. Immò superfluè, & sine necessitate addidisset, *aut commendam*, quia vbi Concilium prohibuisset administrationem rei stabilis, etiam merè & purè in omnibus ministerialem, & nudi facti, in qua administrator nullo modo facit fructus suos, superfluè facta fuisset extensio ad cõmendam, in qua Commendatarius facit fructus suos; quia sine vllo prorsus dubio per euidentiam commenda manebat prohibita in prohibitione administrationis. Dicitur igitur quod Concilium per administrationem rei stabilis intellexit eam, quæ sit iuris administratio, & per quam administrator sic respectu fundi est minister, quod tamen facit fructus suos licet etiam aliqualiter minùs, quã simpliciter vsuarius. Et sic & quantum ad hanc partem prohibitio continet ius diuinum, quia voto paupertatis quodlibet minimũ dominiũ repugnat.

Admi-

323 *Adminiſtratio autem bonorum monaſteriorum ſeu Conuentuum ad ſolos officiales eorundem, ad nutum amouibiles pertineat*. Ita Concilium ſubiungit. Sed eſt hic conſiderandum, quòd hæc propoſitio non eſt exceptio regulæ generalis alicuius priùs poſitæ; ſed continet legem longè diuerſam. Regula enim negatiua priùs poſita nullam patitur exceptionem, ſed tota quanta eſt continet legem diuinam, ex qua quodcumque dominium, vel fundi, vel fructuum Religioſo repugnat. Sed cum adminiſtratio rei ſtabilis ſit duplex, ſcilicet non purè miniſterialis, & non nudi facti, ſed iuris admittens dominium aliquod fructuum, & purè miniſterialis, & nudi facti, & iam ex regula conſtet, quòd Religioſis ſola poteſt competere adminiſtratio purè miniſterialis, & nudi facti, hoc in citata propoſitione magis explicat, dum decernit quòd hæc adminiſtratio ſpectet ad officiales; officialium enim adminiſtratio purè eſt miniſterialis. Officialis enim dicitur, quaſi alterius officium exercens, vt ex *Petro Gregor. in cap. conquerente de offic. Ord. cap.* 11. *num.* 21. tradit *Barboſa in appellat. v. officialis nu.* 2. vbi *num. p. ex Butr. conſ.* 74. *num.* 3. habet, quod officialis propriè eſt, qui ſub alio miniſterialiter exercet iuriſdictionem. Declarat igitur Concillium, quòd Religioſis non competit, niſi adminiſtratio purè miniſterialis, addit verò hanc pertinere ad ſolos officiales Conuentus ad nutum amouibiles. Sed totum hoc iuris antiqui naturalis, & diuini eſt. Nam de iure naturæ eſt, vt nullus res alterius adminiſtret, niſi adminiſtratio ei committatur à Domino, vnde eſt de iure naturæ, vt nullus Religioſorum, ſe ingerat in adminiſtrationem bonorum ſtabilium Conuentuum, niſi adminiſtratio ei committatur, quod eſt dicere, niſi fiat procurator, aut miniſter, aut officialis Conuentus. Pariter de iure naturæ eſt libertas domini in conſtituendis miniſtris adminiſtratoribus ſuarum rerum. Quod in Religioſis ſpecialiter eſt de iure diuino, cum ex voto non poſſint habere vſum, vel adminiſtrationem temporalium niſi ad nutum ſuperioris. Et ſic etiam quantùm ad hanc partem lex Concilij non addit prohibitionem nouam, ſed antiquam continet & ſeruari iubet.

324 Hinc apparet, quòd ea multa, quæ adducuntur contra interpretationes huius loci Concilij, quas *Nauar.* aut alij DD. primæ ſententiæ dederunt, nullo modo contra hanc expoſitionem militant, ſecundùm quam longè aliud eſt prohibitum, quàm conceſſum. Et Regula negatiua vniuerſaliſſima eſt, & ſine exceptione tam quoad perſonas, quàm quoad bona, quia nulli Religioſo competit adminiſtratio boni ſtabilis cum facultate, vel minima faciendi fructus ſuos. Quod vèrò conceditur adminiſtrari res per officiales, eſt aliud longè diuerſum ab eo, quod fuit prohibitum & fuit explicatum, & ſuperadditum, ne Religioſi, vel ſe ingererent adminiſtrationi etiam purè miniſteriali, ſine mandato, vel prætenderent adminiſtrationem ſemel conceſſam non poſſe ab illis auferri. Et tamen valde eſt conſiderandum, quòd Concilium non determinat numerum officialium, aut eorum qualitatem; ſed hoc legibus & arbitrio monaſteriorum relinquit.

325 Ex his verò deducitur quòd ſecundùm hunc Concilij intellectû Religioſos habere annuos redditus nomine Conuentus ſine aliquo dominio fructuum, & cum licentia ſuperiorum reuocabili ad nutum non eſt prohibitum per Concilium, per quod Regularibus prohibetur adminiſtratio immobilium per quam adminiſtrator ſit, vel vſufructuarius, vel vſuarius, vel commendatarius, vel quocumque modo fructuum proprietarius & dominus. Cæterum permittitur quòd Religioſus res Conuentus poſſit adminiſtrare tanquam procurator Conuentus ad nutum ſuperioris reuocabilis. Nec alicubi Concilium prohibet Procuratorem Conuentus non poſſe ad ſui vtilitatem adminiſtrare ſine proprio, & de ſola ſuperioris licentia, ſicut nec Concilium prohibet, quòd Conuentus poſſit ad libitum tot Procuratores & officiales inſtituere ad adminiſtrandum res ſuas, quot ſibi bene viſi fuerint.

326 Sed contra hoc videntur obſtare declarationes Sacr. Congregationis Concilij ſupra adductæ. Nec videtur valere interpretatio, quam ex *Peyr. in ſubd. quæſt.* 2. *c.* 2. *§.* 1. adducit *Tambur. de iure Abbatiſſ. diſp.* 8. *q.* 9. *num. fin.* ſcilicet has declarationes non continere maiorem obligationem quàm ipſum Concilium, & eodem modo eſſe interpretandas: quia non apparet quomodo poſſint eodem modo interpretari, quia licet illam declarationes, quæ ſupra recenſitæ ſunt num. 309. quia loquuntur in genere, & ſolùm exprimunt poſſidere & tenere agros, annuos redditus, & alia bona immobilia, poſſint interpretari iuxta ſupra relatam interpretationem, & dici, quòd intelligantur de tenere bona immobilia ad vſufructum, vel vſum, adminiſtrationem, aut commendam, & ideo ad vſum in quo adminiſtrator faciat fructus ſuos, tamen aliæ non videntur admittere hanc interpretationem; quia videntur excludere diſtinctè habere redditus etiam de licentia ſuperioris ad nutum reuocabili. Nihilominùs dicitur quòd illæ declarationes non ſunt contrariæ præfatæ intelligentiæ. Quinque enim caſus ibidem deſcribuntur. In tribus verò primis cum annui redditus eſſent empti nomine particularium monialium, id manifeſtiſſimè erat contra votum paupertatis, & contra Cõcilium, prohibens haberi immobilia nomine proprio. In quinto erat manifeſta iniuſtitia, obligando Conuentum, qui eſt dominus ad ſoluendum cenſum pro re ſua, & moniales illæ faciebant fructus ſuos illos ex pacto exigentes à Conuentu & immò capitale habebant, vt proprium, per illud à monaſterio ementes cenſum. In quartò autem caſu, in quo nihil emebatur à monaſterio, ſed ex pecunia applicata monialibus emebantur ſtabilia nomine monaſterij, & ſolum monialibus dabantur fructus ab Abbatiſſa, videtur maior difficultas, quia videtur, quod monialibus concederetur ſolus fructus. Sed ſi ita eſt, patet euidenter, quòd caſus non eſt contra Concilium, quoniam caſus eſt omnino alius ab eo, de quo Concilium diſponit, vt dico etiam infra. Quia in hoc caſu ſic intellecto nulla eſt rei ſtabilis adminiſtratio, ſi Abbatiſſa erat, quæ redditus exigebat, & colligebat fructus, nomine monaſterij, & monialibus fructus concedebantur. Dicendum propterea eſt, quod in eo caſu, & primo moniales ipſæ exigebant fructus; & quòd dicitur, quod Abbatiſſa dabat illis fructus, non intelligitur quia Abbatiſſa per officiales

Conuen-

Conuentus illos exigeret, & exactos concederet ad vsum monialium; sed intelligitur quod daret fructus, quia permittebat, vt moniales illos, & exigerent, & reciperent; Et quidem ex pacto aliquo inito inter moniales, & monasterium, & quod monialibus darentur illi fructus irreuocabiliter, & ex titulo aliquo de se apto ad iustitiam inducendam, & propterea declaratum fuit, quod talis casus esset contra Concilium. Pariter non obstat alia declaratio quæ à *Suarez d. cap. 14. num. 12.* & alijs refertur sub hac forma. *Cum N. viro mortuo facta esset monialis, sibique reseruasset 50. ducatos annuos ad vsum suum, quia contra Concilium est habere moniales aliquid proprium, visum est dandam illam pecuniam Abbatissæ, quæ prouideat necessitatibus. N.* Sed certè verum est, quòd declarationibus quas referunt DD. non est præstanda fides, vt eadem S. Congreg. Concilij decreuit, quia nisi in forma authentica exhibeantur non constat eas fideliter referri. Sic enim & in præsenti casu deest quòd illa N. fuerit monialis S. Francisci prout reuera erat, & id habeo ego ex monumẽtis mei officij in libro declarationũ S. Cong. Conc. ad *sess. 25. c. 2.* de Regularibus. Hoc enim posito iã patet, quod habere illos 50. aureos ad sui vsũ in moniali S. Francisci, proprietariũ erat, quia tales moniales ex earum institutione, & prima regula profitentur etiam paupertatem in cõmuni, vt habet *Miranda de monial. q. 9. a. 3.* & licet quantum ad paupertatem in communi fuerit cum illis dispensatum per Vrbanum IV. remanserunt tamen monasteria primam illam regulam sectanta, quantum ad paupertatem in particulari relicta altissimæ paupertati. Et ideo Sacra Congregatio non dixit, quòd sit contra Concilium moniales habere ad sui vsum de licentia superiorum, sed quòd est contra Concilium habere aliquid proprij, nec Sacr. Congreg. meliùs decernere poterat, quàm in eo casu decernere, vt scuta illa dentur Abbatissæ cũ contra regulam S. Francisci sit moniales aliquid pecuniæ apud se retinere, & id sit in rigore sũpta ex vi talis regulæ proprietas, & ex hoc ad similes casus, & declarationes Sacr. Congreg quæ afferuntur dicitur, quòd in illis casibus, vel ex obiecto, vel ex circumstantijs erat aliquid proprietatis, & ideo prohibiti sunt, quia contra Concilium est, quòd Religiosi habeant proprium. Alias verò, quòd Sacr. Congregatio Episcoporum, & Regularium etiam temporibus Clem. VIII. concesserit monialibus administrationem bonorum, quæ secum detulerunt, ad sui commodum, & vtilitatem monasterij cum aliquibus conditionibus, & præcipuè quòd singulo anno redderẽt rationem administrationis; qui vult inuenire, consulat declarationes eiusdem Sacr. Congreg. in vna Ferrar. 29. Ianuar. & Anconit. 22. Iulij 1601. & Reggien. 22. Ianuar. & 9. Mart. 1602. Placent. 27. Maij 1603. & id inueniet, si mei indices non fallunt.

327 Hæc dixi tamen non resoluendo, sed discurrendo, & proponendo, quæ mihi circa hanc difficultatem occurrerunt consideranda. Et quia censeo huius difficultatis resolutionem esse a superioribus expectandam, quæ mihi visa sunt consideratione digna circa text. Conc. iudicaui proponẽda.

328 Quibus sic præmissis, & nihilominus stando in rigore secundæ sententiæ considerandum est quid importet administratio rei stabilis. Nam hæc si sit plena importat facultatem colendi rem, vt fructificet, & colligendi ex ea fructus, & de fructibus disponendi ad libitum. Itaque primò hinc colligitur, quòd facultas disponendi de fructibus iam collectis, non est administratio rei stabilis; quia fructus inter mobilia bona computantur, vnde sine solemnitatibus iuris alienari possunt. *extrau. ambitiosæ*, de rebus Ecclesiæ non alienandis. Concilium in hac secunda parte non prohibet administrationem fructuum iam collectorum, & exactorum, & sic non prohibet vsum peculij rei mobilis de licentia Superioris. Restat igitur vt Concilium ad summum prohibeat solum facultatem colligendi, & exigendi fructus ex re stabili fructifera. Quamobrem contra Concilium non est, si superiores faciontes, vt annui redditus Religiosorum exigantur per Ordinarios officiales Conuentus, fructuum collectorum vsum postea concedant Religiosis; quia hic vsus non est rei stabilis administratio. *Suarez d. c. 14. num. 13. & 14.* Nec obstant declarationes Sacr. Congreg. sup. recensitæ n. 310. Nam vt supra adnotatũ est, in illis casibus, vel moniales nomine proprio possidebant redditus illos, vel eosdem à Conuentu ex pacto aliquo exigebant, & illorum administrationem habebant exigentes fructus & eos ex pacto, vel vt proprias recipientes. Aliàs verò quòd fructus iam collectos recipere de manu Abbatissæ ad vsum reuocabilem ad nutum, non sit contra Concilium habetur ex alia declaratione recẽsita n. 309. In qua continetur, quòd contra Concilium est administrare stabilia, & habere mobilia superflua, igitur cum pecunia, vel fructus sint mobilia, si non sint superflua, illa habere de licentia superioris non est prohibitum per Concilium.

329 In tertia parte in substantia nihil noui continetur. Sed immò primò habetur, quòd peculium rei mobilis de licentia superioris non est prohibitum Religiosis. Tum quia Concilium absolutè admittit, vt superiores permittant Religiosis mobilium vsum. Tum quia Concilium Religiosis permittit suppellectilem. Idem verò est supellex, quod peculium rei mobilis, vt habet *Suarez d. l. 8. cap. 14. num. 9.* ablata vmbra, seu inuidia proprietatis, quam peculij nomen generare potest. Nam certè suppellex, vt habet *Barbosa in appell. v. suppellex* importat mobilia domus, quæ ad vsum habitationis pertinent. Hanc verò suppellectilem Concilium permittit, & solùm prohibet ne sit superflua, & in huius confirmationem facit, quòd vt refert *Nicolius v. paupertas num. 9.* Sacr. Congregatio Episcoporum, & Regularium die 10. Ianuar. 1590. dixit Tolerari posse, quòd quælibet monialis habeat lintea, & indusia pro suo vsu. Non tamen superflua vt eadem Sacr. Congreg. dixit 20. Settembris 1593. In quo Suarez aduertit num. 10. quòd aliquod peculiare considerari debet, nam seclusa hac prohibitione habere peculium superfluum etiam si nimius esset excessus fortasse non esset peccatum mortale, seclusa proprietate, & scandalo, nunc autem ratione huius prohibitionis faciliùs committi potest. Sed neque hoc placet, & meritò, quia non est verbum in textu Concilij, ex quo deduci possit, quòd Concilium imponat aliud præceptum, quàm illud, quod ex natura rei adest, ideo non est eius extendenda prohibitio, quæ innititur connaturali disconuenientiæ superflui ad statum paupertatis, &

ideo ad id, ad quod lex naturalis, & diuina connaturalis tali statui non se extendit. Sed neque in dubium vocandum est quòd non sit graue peccatum, si Religiosus nimiùm excedat in retentione superflui, si verè quod retinetur est superfluum. Et supra *q.185.a.8.num.227.* meritò cum Card. de Lugo, & alijs dictum est etiam Religiosum Episcopum peccare grauiter, si nimiùs excedat in vsu superfluo diuitiarum.

330 Non tamen admittendum credo, quòd idem *Suarez* habet *num.9.* quia scilicet per Concilium sit prohibitum modò concedere vsum rerum, & præcipuè immobilium ob causas extrinsecas, vt propter multa bona merita de religione, vel in fauorem literarum. Nam respectu immobilium prout eorum concessio est prohibita, nec causa extrinseca, nec intrinseca iuuat, quoniam stabilium administrationem Concilium prohibet. Sed respectu mobilium, quorum vsum Concilium permittit, valde rationabile est vt in eorum vsu attendantur etiam qualitates, & merita personarum, & fauor literarum & exantlati labores; vnde etiam ex æqualitate inæquali non proueniat communitati torpor & ignauia & tepiditas in aggrediendo difficili via studiorum, & aliorum laborum. Sed quod Religioso ætate prouecto, qui multa expendit pro vtilitate monasterij dari debeat aliquod subsidium de consensu superiorum, tanquam decisum à Sacr. Congreg. Episcoporum & Regularium 18. Ianuar. 1602. refert *Nicolius in Flosculis v. paupertas. num.4.* Ex quo decreto colligitur etiam, quòd Religiosus de quo ibi est sermo, habebat vsum peculij, seu pecuniæ, quia refertur eum multa expendisse in vsum monasterii, & hoc non reprobatur.

331 Limitat etiam *Suarez num.10.* hanc Concilij permissionem, vt locum non habeat in vsum pecuniæ, sed quod per Concilium prohibitum sit habere pecuniam apud se de licentia superioris ad contingentes occasiones. Sed cum pecunia sit bonum mobile non est vnde excipiatur. Nec fieri potest vis ex eo quòd Concilium videatur loqui de mobilibus, quæ pertinent ad supellectilem. Tum quia pecunia destinata ad vestimenta & alia similia ad supellectilem reduci debet. Tum quia assumptum non admittitur. Nam pugillares, & codices nomine supellectilis non veniunt, *l. supellectilis in fin. eod. tit.* & tamen nullus negabit, quòd non liceat Religiosis de licentia habere pugillares, & codices. Tum quia Concilium solùm prohibet superioribus dare licentiam ad vsum stabilium, & superfluum vsum mobilium.

332 Colligitur primò igitur quòd, vt habetur etiam ex responsione Sacr. Congreg. ad illa 7. dubia supra num. relata duo prohibentur per Concilium Tridentinum; scilicet tenere bona immobilia ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam; & habere mobilia superflua. Cum quo stat quod habere de licentia superioris peculium mobilium ablata inuidia vocis peculium non est contra Concilium.

333 Colligitur secundò ex dictis quòd non de facili locum habere potest; quod habet *Lezana d. cap.6.* excusans vsum peculij aut annuorum redditùum, ex eo, quod Conuentus non prouideant Religiosis de necessarijs. Quia ad huiusmodi necessitates subleuandas, non est necessaria administratio rei immobilis, seu vsus peculij immobilis, sed sufficit vsus redditùum, qui colligantur per officiales monasterij & sint incorporati conuentui; quod non est contra legem Concilij Tridentini etiam retenta secunda sententia. Approbo tamen doctrinam eius in hac parte, quam ex *Valentia 22. disp.1. q.4. p.3. Vega tom.2. cap.32. casu 19. Rodriquez tom.2. in 2. edit. cap.90. num.9. concl.4.* confirmat, & idem tenent *Cot. Ad.4. contr.6. num.82. Donatus tom.3. tr.15. q.11. Tambur. de iure Abbatiss. disp.8. q.2. num.14. Anton. à Spir. Sancto d. tr.3. num.76.* quòd cum superioribus, & monasterijs præceptum sit vt iuxta decentiam status Religiosi prouideant Religiosis de necessarijs, si superiores, vel quia non possunt, vel quia nolunt, non obseruant legem vitæ communis exactæ ex parte eorum, redditur subditis impossibilis obseruantia vitæ communis exactæ. Et lex ad impossibilia non obligat. Vnde hæc interpretatio non innititur Epiciæ, vt interpretatus est *Suarez d.c.14. num.12.* Sed innititur impossibilitati obseruantiæ legis, quæ certè est in subditis, vbi superiores illis non tribuunt necessaria. Bene verum est, quòd subditi quantùm possunt easdem leges seruare debent. Et quod magis est, tam superiores tenentur omni via procurare, & subditi tenentur nedum non impedire, sed adiuuare superiores vt in monasterijs vbi non est, introducatur, vt vbi est conseruetur vita communis & exacta paupertas secundùm constitutiones & leges cuiuscumque Ordinis, prauis consuetudinibus, & abusibus abdicatis. Nihilominùs non valet dicere, quòd præcipitur tam subditis, quàm Prælatis, vt vitam reforment, & paupertatem colant. Quia in puncto nostro considerari debet, quòd vbi plura præcipiuntur, quorum vnum supponit aliud, & hoc ablato illud est impossibile, lex ad illud secundùm seruandum non obligat, si primum ab extrinseco deficit. Certè obseruantia exactissima vitæ communis supponit quòd monasterium communiter necessaria subministret. Hoc igitur sine voluntate & defectu subditorum deficiente, cum illis exactissima vita communis sit impossibilis, ad illam non tenentur.

334 Colligitur tertiò quòd etiam sequendo secundam sententiam supra relatam in monasterijs in quibus non prouidetur Religiosis de necessarijs simpliciter, quia id non potest fieri, licita sit aliquarum Religionum consuetudo, in quibus Religiosis taxatur & datur certa portio pecuniarum ad vsus tantùm necessarios, & dependenter à voluntate superiorum, quia hoc non est aliud, quàm superiorem applicare de bonis monasterij necessaria Religiosis, quod licitum est. *Nauar. cons.3. de Regular. num.26. & 27. & 32. Sanchez l.7. in Decal. cap.55. num.14. Lezana num.22. Anton. à Spir. Sancto d. tr.3. num.77.* Immò absolutè & simpliciter hoc non est contra Concil. Trid. quia hoc non est cõcedere aliquem vsum, aut administrationem immobilium aut aliquem vsum superfluum. Et sic verificari poterit casus iam antea a *Io. Andr. in Reg.* Non est obligatorium & *Calder. cons.2. de Regul. Panorm. consil.88. p.1.* dicentium licere Religioso de Prælati licentia accipere aliquam annualem prouisionem à Conuentu pro vestibus; & personalibus necessitatibus. Quod nunc etiam in vsu est apud aliquas Religiones. Non approbo tamen omnino, quod subdit *Lezana*, scilicet, quòd idem dici possit de

admi-

ministratione alicuius boni stabilis, vel possessionis monasterij in prædictis casibus, & cum prædictis conditionibus. *Graff.p.p.der. l.3.cap.5.num.53.* Nam quamam necessitas est, quòd priuatus Regularis administret immobilia ad hoc vt ipse sustentetur, cum sufficiat illi ve ex collectis fructibus detur vnde possit habere necessaria? Et Conuentus si non potest dare necessaria simpliciter Religiosis, cur non potest per officiales suos administrare stabilia, & ex redditibus subministrare Religiosis, quæ potest, absque eo, quòd priuatis subditis det stabilium administrationem? Non est ergo eadem omnino ratio de concessione peculij rei stabilis, & mobilis. Nec tam de facili potest euenire casus in quo iustificetur concessio administrationis immobilium ad vitandam necessitatem.

335 Colligitur quartò vsum depositi seu loculorum ex vi Concilij Tridentini non esse illicitum, quia scilicet Religiosi, quæ acquirunt labore, prædicatione doctrina, eleemosynis, donatione parentum, deponunt apud vnum, vel plures Bursarios, aut depositarios à superiore deputatos, qui pecunias custodiunt, & retinent, & Religiosi eis non vtuntur nisi de licentia superioris pro eorum necessitatibus. *Valent.tom.3.disp.10.q.4.p.3.Graff.p.1.l.3.cap.num.55.Sorbus v.paupertas ad finem. Nauar.l.3.de rest.cap.1.p.1.in nou.edic.dub.1. num.165.Less.lib.2.de iust.cap.4.dub.5.num.31. Lezana d.cap.6. num.24. & 25.Caramuel* latè hoc probans *disp.61.* & apud eum *Miranda tom.1.q.28. a.8. Tannerus supra disp.6. q.3.dub.4.nu.108. Faber in 4.l.4.disp.15.q.2.disp.45. cap.5.num.125.Cenedus de pauper. relig.Tab.9. nu.4. Faustus l.8.q.30. Aman.à Spir.Sancto par.2.tract.3. num.80.* Nam depositi vsus non est contra Concilium Trident. vt etiam aduertit *Suarez d. cap.14.* Quia nulla administratio rei immobilis conceditur Religioso, & pecuniæ illæ depositatæ & custoditæ nomine superioris bene sunt incorporatæ conuentui. Sed neque talis depositi vsus, si aliàs fit secundùm regulam & Constitutiones Ordinis est contra decretum Clem. VIII. vt probatur infra. Nam & illæ pecuniæ satis sunt confusæ cum pecunijs monasterij, cum apud officiales monasterij detineantur. Confusio enim ista quid morale est, non quid physicum, & consistit in hoc quòd monasterium habeat res inter suas, vt eis vti possit quando voluerit. Aliàs verò quòd pecuniæ custodiantur in hac, vel illa capsa, & quòd officiales monasterij distinguant bursas in quibus has, vel illas pecunias contineant, quid materiale est, & huiusmodi distinctio fit à Conuentu. Sacram etiam Congr. Episc. & Regularium in vna Dominicanorum 2. Iulij 1602. decreuisse, quòd Regularis potest recipere subuentionem à secularibus, sed de manu, & ad libitum superiorum, refert *Nicolius in verb.paupertas.num.5.* Et vt habetur ab eodem *Nicolio ibid. num.10.* Eadem Sacr. Congreg. die 3. Februar. 1579. & 26. Maij eiusdem anni & 4. Nouem. 1580. & 24. Maij 1582. & 22. Ianuar. 1591. voluit, vt quòd datur alicui moniali consignetur Abbatissæ, vt expendatur in vsus monialis, & residuum pro monasterio. Vrbanum etiam VIII. concessisse Minorib. Conuentualibus vsum depositi refert *Lezana d.cap.6.num.23.* Hic tamen ex *Caramuel num.903.* addens, quòd loculi, sunt mali, si sint pecuniarum acquisitarum sine licentia superioris. Secundò si ipsis Religiosis ad vsũ illicitum permissi. Tertiò si expendendi sine licentia superioris. Quartò si irreuocabiles. Quintò si nimij, & transeunt in auaritiæ, & cupiditatis fomenta.

336 Vltima difficultas est an habere peculium sit prohibitum per decretum Clem. VIII. de reformatione. Circa hoc decretum verò aduerto primò, quòd non desunt, qui existimant illud esse declarationem decreti Concilij Tridentini in dicta sess.25. cap.2. de Regular. Quòd certè non est verũ, sed est lex noua, licet data ad promouendam obseruantiam Conc. Trident. & legem Concilij contineat, illique addat. Quod ex verbis ipsius constat. *Quo Tridentini Concilij decreta*, inquit, *de paupertatis voto custodiendo fideliter obseruentur. Præcipitur, vt nullus, &c.* Non dicit. Declaratur, sed præcipitur; vnde multa continentur, quæ nõ sunt declarationes Concilij, sed additiones, vt quòd bona confundantur cum bonis monasterij, (si per hanc confusionem intelligitur quid distinctum, & superadditum incorporationi, seu acquisitioni dominij, quòd acquiritur ex quo superior rem traditam subdito nomine monasterij acceptat. Nam aliàs ad hoc, vt monasterium acquirat rei sibi datæ dominium, nec etiam requiritur corporalis apprehensio *vt l. inter diuinum, C. de sacros. Eccles. Couarr. 2.p. variarum cap.19. Megala p.2.l.2.cap.27.num.60.& 61 Donatus tom.3.tract.15. quæst.10.num.8. ex Bordon. resol.43.quæst.21.* Id verò dicitur confusum cum rebus monasterij, quod in dominio monasterij est.) Quòd supellex fratrum ex pecunia communi comparetur: quòd vniformis sit superiorum, & Religiosorum habitus, & supellex, quòd omnis supellex ab vno, vel duobus in communi loco custodiatur. Quod officiales redditus Conuentus administrantes sint tres, & alia plura, quæ per Concilium non fuerunt statuta. Vnde non valet consequentia, quod ex quo aliquid est prohibitum per Clement. VIII. illud debeat intelligi prohibitum per Concilium Tridentinum.

337 Considero secundò, quod si debeat illud decretum seruari secundùm sensum, quem faciunt illius verba, sic in primo sono audita, per illud est prohibitum Regularibus, nedum peculium rei immobilis, sed omne, & quodcumque minimum peculium rei mobilis, ita quòd Religiosis solùm permitti possint vestitus actualis, & victus, & quidem necessarius, & non amplius. Nam iubet, quòd quidquid receperint Religiosi statim superiori tradatur, & cum bonis Conuentus confundatur, quò communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit. Huiusmodi verò confusio ex directo videtur pugnare cum separatione à bonis communibus, quam importat particulare peculium Religioso concessum. Item iubet, vt vestes omnes, omnisque supellex in loco communi à communi officiali, vel officialibus custodiatur. Vnde mens eius videtur esse, vt à Religiosis seruetur exactissima vita communis Religiosiq; nihil habeant apud se nisi necessarium victum, & vestitum.

338 Considero tertiò, quòd id, quod mihi facit difficultatem est, quod habetur in fine §.39. scilicet. *Quæ Ordinis constitutiones his decretis non aduersantur, inuiolata custodienda erunt.* Nam ex his verbis videtur, quod Pontifex voluerit non seruari Regulam, & Constitutiones Ordinum, si suis decretis aduersentur etiam si cõfirmatas à Sede Apo-

stolica; etiam si praxi immemorabili etiam trecentorum annorum, & sexcentorum, & ampliùs roborata, etiam si Religiosus non aliud promiserit in sua professione, quam viuere secundùm illas, & tandem etiam si decreta illa obligauerint ad id, quod est supra Regulam, vel per ea auctum fuerit Religiosorum votum, quod quidem est creditu difficillimum. Nam hoc in proposito nostro est certum, quod non omnes Religiones obligant ad exactissimam vitam communem, nec omnium Religionum æqualiter rigida est, & stricta paupertas. Et Ecclesiæ decori cōducit hæc varietas, quæ iuuat etiam ad hoc, vt suauiùs multiplicentur viri perfecti, & qui & ad suam, & ad aliorum perfectionem statum Religiosum assumant, & vt ij, quibus supremus paupertatis rigor non conuenit, habeant vnde à statu religiosæ perfectionis non abstineant. Et eò magis quod huiusmodi exactissima, & rigorosissima vita communis non est per se necessaria ex vi voti paupertatis. Et immò est impossibilis. Nam v.g. Prædicatores opus habent proprijs scriptis, quæ apud se retineant ad vsum perpetuum, & illa deferant secum ad quodcumque monasterium transierint, vt eis vtantur cum opus fuerit. Qui etiam student pro se, & alijs, si obligentur accipere de manu alicuius officialis codices toties quoties illis indigent, ad onus grauissimum, & impedimentum profectus necessitantur. Et cum non sit possibile, quòd Religiosi semper psallant, aut orent, ne otio languescant, opus est vt apud se aliqua instrumenta habeant, quibus religiosè ad otium vitandum vtantur.

339 Et propterea considerandum, quod priuilegijs Apostolicis, & legibus specialibus præcipuè si sint confirmatæ auctoritate Apostolica, & rationabilibus consuetudinibus, immemorabilibus, vel centenarijs, aut plusquam centenarijs, quæ priuilegijs æquiualent, non derogatur, nisi fiat eorum specialis mentio. Certè enim legibus particularibus, & statutis non derogari etiam per clausulas generales, nisi fiat eorum mentio, dixit *Rota decis.247.nu.1. tom.2. par.4. recent. ex Lup. de illegitim. cons.3. §.2. num.10.* Quod eo est verius, quando leges speciales sint in viridi obseruantia ab immemorabili, vel antiquissimo tempore centenarium etiam longè, ac longè excedente. Nam cum consuetudini non censeatur derogatum, nisi expressè dicatur, vt declarat textus in *l. vires, C. de diuers. offic. l.12. & ex Menoch. præsump.18. num.14.* habet *Rota decis.414. num.13. p.5. recent.* multò magis hoc verum est de consuetudine immemorabili, vt ei non derogetur, nisi fiat eius mentio expressa. *Gloss. in cap.2. de præscr. in 6. Gonzal. ad reg.8 glos.33. num.2. Gratian. discept.578. num.10. Rot. decis.614. num.1. p.2. & decis.286. nu.1. p.4. & dec.71. num.1. p.5. recent & dec.99. num.13. coram Emin. Othobon.* Et hoc multò magis etiam dicendum erit, vbi lex sit immemorabili praxi stabilita, vel à sæculis obseruata. Distinguerem in præsenti, & dicerem, quod statutorum Religionum aliqua sunt, quæ supponunt abusum contra Regulam introductum, & sunt veluti permissiones minoris mali, eo quia abusus introducti non potuerunt penitùs tolli. Et huiusmodi statuta intendit Clemens non obseruari si suis decretis sint contraria. Alia verò sunt statuta, quæ ex institutione Religionis facta sunt, nec concernunt relaxationem regulæ, & Constitutionum, seu sunt consuetudines rationabiles, quæ ab immemorabili, seu plusquam à centum annis obseruantur, seu sunt priuilegia Apostolica, aut statuta ab Apostolica Sede confirmata, & huiusmodi statutis non derogatur per decreta Clementis Octaui de reformatione.

340 Quód probatur tum primò, quia decreta Clementis sunt pro reformatione, vbi verò non est abusus contra professionem factam à Religioso, non habet locum reformatio; non est verò abusus quòd Religiosus propriam regulam seruet secundùm eius primæuam institutionem, aut quòd seruet rationabiles consuetudines immemorabiles, aut plusquàm centenarias, aut viuat secundùm leges, quæ non sunt permissiones, sed absolutè simpliciter factæ fuerunt pro bono communi Ordinis, etiam si per eas aliquis rigor fuerit remissus, quia experientia docuit illum non conducere ad perfectionis augmentum, & progressum, maximè, vbi huiusmodi leges longitudine praxis immemorabilis, vel plusquam centenariæ fuerint roboratæ: contra harum legum igitur, aut Priuilegiorum Apostolicorum obseruantiam non militant decreta de reformatione, quia non habet locum reformatio, vbi non est deformatio. Sed hoc magis confirmatur, quia Clemens Octauus in decreto de reformatione, nec per clausulas generales derogat legibus particularibus Ordinum, aut rationabilibus consuetudinibus. Et in supra relatis verbis vnum dicit, scilicet quod leges Ordinum non contrariæ suis decretis seruentur inuiolabiliter; sed non per hoc præcipit non seruari si aliquæ sint contrariæ, vel alienæ. Et neque hoc potest deduci per locum à contrario sensu. Nulla enim est hic oppositio, neque contraria sunt seruare vtrumque genus legū, & inanis argumentatio est, si diceretur. Deus præcipit obseruantiam diei festi, ergo præcipit opus seruile in die non festo, sed bene valet ergo non prohibet opus seruile in die non festo. Sic verum est quod Clemens præcipit obseruari inuiolabiliter leges suo decreto non contrarias, & ideo valet consequentia, ergo non præcipit obseruari leges suo decreto non conformes; sed non valet consequentia ergo præcipit easdem non obseruari; quia immò bonum esse potest seruare illas. Sed hinc mēs Clemētis sancta dignoscitur qua decretū edidit ad fauorem obseruantiæ, & disciplinæ regularis, tale tamen, vt vnaque Religio ei se conformare possit, si velit, etiā si ex hoc contingeret ab alicuius propriæ legis, aut praxis obseruantia recedere. Sed ad hoc nullam Religionem voluit compellere. Et ideo leges Regulares suo decreto conformes præcipit inuiolabiliter obseruari. De ijs verò, quæ suo decreto non sint omninò conformes, nihil decreuit; relinquēs Religiosos suis statutis, & libertati ita tamen, vt si liberè ab illis statutis recedere velint vt rigorem summum sui decreti obseruent, id eis liceret. Quod satis appertè demonstratur ex decretis supra num.311. adductis ex quibus habetur, quòd Clemens VIII. nedum noluit cogi moniales ad recipienda decreta reformationis, & ad vitam communem exactam, quæ ante editionem decretorum professæ fuerunt; ex quo habetur, quòd ipsemet cognouit, quòd obligare ad exactiorem vitam communem, quàm sit illa, quam Religiosus professus

fessus fuerat, erat augere votum, & propterea ad id, non debebant cogi Religiosæ; sed amplius Sacr. Congreg. de eiusdem Clementis mandato distinguens inter monasteria, quæ liberè decreta reformationis receperant, & non receperant, statuit quòd moniales, quæ post Constitutiones eiusdem Clem. receptæ fuissent, vel recipiendæ essent in futurum in monasterijs in quibus subuentiones retinebãtur, nullatenus inuitæ cogerentur ad vitam communẽ. Sed solùm seruarent aliqua alia pro illis ordinata, & in specie decretũ factum die 6. Maij 1600. quod habetur apud *Reverendiss. Fugnanum d. c. monarbi, num. 66.* & diffusiùs, & ex integro apud *Quarantam v. monasterium*. Non fuit igitur mens Clementis VIII. vel Religiosos ordines institutos abolere, & alios instituere, seu vnum solum ex omnibus conflare, vel legibus rationabilibus eorum derogare, vel ad exactiorem vitam cõmunem obligare, quam sit illa, quam Religiosi professi fuerunt, sed mens eius fuit abusus tollere. Et ideo decretis Clement. VIII. satisfit, si ablatis abusibus, & relaxationibus voti paupertatis contrarijs vitæ communi, quam quælibet Religio profitetur, vnusquisque Religiosus, vi tam communem secundùm propriam regulam, & constitutiones obseruet.

341 Tandem consideratur, quòd Decreta Clementis de reformatione cõtinent legem positiuam, quæ per consuetudinẽ, & non vsũ abrogari potest. Non quia vis Canonicæ legis à subditorum receptione dependeat, quia talis lex vim habet, vt obliget ad sui receptionem, sed quia licet primi non recipientes illam, peccent, si tamen Pontifex videns legem suam non obseruari annuat, & non contradicat, lex vires obligandi amittit ex Pontificis voluntate. Quæ etiam supra dicta sunt de impossibilitate vitæ communis, vbi monasteria non prouident de necessarijs, valent vt excusent ab obseruantia huius decreti Clem. VIII.

342 Cæterùm Regulares memores voti suæ professionis attendant, quòd nec Deus irridetur; nec accipiendæ sunt excusationes in peccatis, sed legibus consultis, & illis obseruatis in hoc maximè omnem curam ponant, vt nihil clandestinè, seu sine licentia superioris recipiant, vel habeant. Et vt vitam communem secundùm regulam, & constitutiones suas, & non secundùm abusus introductos custodiant, & superioribus volentibus abusus tollere, & vitam communem relaxatam reformare non resistant. *D. Anton 3. p. tit. 16. c. 1. §. 1. Sylu. v. Religio 5. quæst. 7. d. 4. Donatus d. tract. 15. quæst. 1.* An verò vbi viget consuetudo, vt moniales per se ipsas exigant redditus annuos, hæc possit extirpari tanquam abusus, etiam si foret centenaria, aut immemorabilis; affirmat *Donatus tom. 3. tr. 15. quæst. 12.* sed non credo, quod sit in potestate superioris localis tollere consuetudines approbatas à superioribus, quæ non sine manifesti abusus. Benè verum est, quod ad hoc, vt Religiosus vtatur, licitè hac consuetudine, illa debet esse approbata à superiore, sed non sufficit approbatio Prælati localis, sed requiritur in hac parte approbatio eius superioris, qui legem in contrarium tulit. Sed de his dicendum est infra artic. 8. vbi de voto obedientiæ sermo erit.

SVMMARIVM.

1 *Vti rebus habitis sine licentia superioris est peccatum. num. 343.*
2 *Et sæpe est duplex, scilicet sacrilegij, & iniustitiæ. num. 343.*
3 *Vsus facti sine alicuius licentia de se non est proprietarius. num. 344.*
4 *Votum professionis priuat libertate vsus facti independenter à superiore. num. 344.*
5 *Ordo dicendorum. num. 345.*
6 *Sufficit licentia præsumpta: sed duplex est necessaria, & vna præsumpta non per hoc præsumi poterit alia. num. 346.*
7 *Ratihabitio non necessario, sed ex conuenientia quærenda. num. 347.*
8 *Licentia iniustè excusat, & non excusat. numer. 348.*
9 *Qualitas peccati non accipienda solum ex quantitate damni illati monasterio. num. 349.*
10 *Qualiter sit peccatum vtendo rebus contra præceptum regulæ. num. 350.*
11 *Religiosus accipiens ab extraneo acquirit monasterio. num. 351.*
12 *Vti re extranei sine licentia est duplex peccatum. num. 352.*
13 *Potest tamen esse veniale, & quantitas peccati non ex quantitate rei, sed ex quantitate vsus est accipienda. num. 352.*
14 *Peccatum graue subripere etiam à Religioso manuscriptum ad transcribendum. num. 353.*
15 *Iniustitia est furari reliquias. num. 354.*
16 *Medalias &c. recipere, vel dare sine licentia est proprietas. num. 355.*
17 *Vtens re aliena de licentia domini, si id faciat sine licentia superioris est proprietarius. numer. 356.*
18 *Accipere, & vti ad commoditatem alterius non est proprietarium. num. 356.*
19 *Nisi sit adiuncta etiam commoditas vtentis. numer. 356.*

Qualiter Religiosus solẽniter professus peccare possit vtendo rebus pretio æstimabilibus sine licentia?

INSPECTIO DVODECIMA.

343 TErtium genus operum, quæ sunt materia proxima voti paupertatis est, vti rebus acceptis, & possessis, qui quidem vsus consistit in pluribus actionibus, quæ circa res possessas haberi possunt eis vtendo, vel ad proprium, vel ad aliorum commodum, & eas vel consumendo, vel dispensando, vel alienando, & hoc vel per contractus onerosos, vt vendendo, vel commodando, vel ludendo, vel per liberos actus, vt donando, mutuando, dando eleemosynam, & huiusmodi alia agendo. Est autem certa regula generalis, stante materiæ quãtitate sufficienti esse peccatum mortale ex genere, religiosum solemniter professum

vti

vti rebus pretio æstimabilibus sine licentia superioris, immò vt plurimum hoc esse duplex peccatum sacrilegij contra votum, & iniustitiæ seu furti rerum monasterij, aut etiam alterius. Et simul certum est non sufficere in religioso licentiam accipiendi, vel possidendi, sed necessariam esse licentiam vtendi rebus acceptis, & possessis, siue sit distinctè accepta, siue simul vnico actu religiosus accipiat licentiam talem, quæ etiam extendatur ad vsum & non tantùm ad acceptionem, vel possessionem rei.

344 Rationem autem huius reddit *Suarez tom. 3. de relig. l. 8. cap. 15. nu. 1.* quia votum paupertatis ex natura sua tollit vsum proprietarium rei, quia tollit actum dominij; quod quidem verum est; sed vbi num. 3. subdit vsum proprietarium esse eum, qui fit ex proprio arbitrio, absolutè prolatum. hoc est & falsum & contrarium doctrinæ eiusdem *Suarez* probantis eodem *l. c. 5.* in voto simplici paupertatis vsum purum facti independenter à licentia cuiuscumque cum pauper ex voto vtitur rebus, quæ nullius sunt, non esse vsum proprietarium. Et ratio euidens est quia proprietarius vsus absolutè, qui est actus dominij non est purus vsus facti, sed est vsus ex iure vtendi, seu quo quis vtitur tanquam habens ius propriè dictum ad vtendum, stat verò quòd quis sic re vtatur independenter à licentia alterius, & tamen non vtatur, vt habens ius ad vtendum. Ratio igitur vera illius regulæ est illa, quam sæpe retulimus, quia scilicet votum professionis religiosæ est extensius quàm simplex votum paupertatis, & nedum spoliat vouentem dominio, sed etiam libera facultate iuris naturalis ad vsum facti independenter à voluntate superioris.

345 Stante verò hac regula generali, vt cognosci possit quando vsus iste in religioso est sine culpa, vel quando est aut venialis tantùm, aut mortalis, aut solùm peccatum sacrilegij, aut etiam iniustitiæ habentis ex consequẽti obligationem restituendi, primò videndum est quænam licentia sufficiat, inde verò considerabitur vsus ratione materiæ spectantis ad alterum, & postea spectata materia pertinente ad monasterium cõsiderabitur vsus prout est ad commoditatem religiosi, inde verò prout est ad commoditatem aliorum, vel per contractus liberos, vel per contractus onerosos; Et tandem applicanda doctrina data ipsis etiam superioribus quatenus & ipsi subditi sunt, vel alijs superioribus, vel regulę.

346 Quantùm igitur ad licentiam ex dictis supra inspect. quinta à num. 94. asserimus, ad vitandum peccatum sufficere licentiam, vel expressam, vel tacitam, vel præsumptam. Solum aduertimus, quòd vbi vsus sit in damnum monasterij, vel tertij, non sufficit præsumere licentiam superioris, vt ex vi voti est director religiosi in vsu temporalium, sed est necessaria licentia Domini rei cuius est vsus, & vna ex his licentijs deficiente semper vti re alterius erit culpa, vel sacrilegij, vel iniustitiæ. Et ideo cautè considerandam, quia poterit esse quòd vna rationabiliter præsumi possit non alia.

347 Considerat etiam bene *Suarez loc. cit. nu. 3.* quòd vbi religiosus ex licentia præsumpta validè rem aliquam in extraneos alienauit, non est necesse quòd religiosus factum reueles superiori, vt illud ratum habeat. Quia cum in se illud sit validum, & per tale factum res sit posita extra dominium religionis, & quidem validè, & ex sufficienti licentia, non est opus noua ratificatione. Vnde non remanet necessitas quærendi ratihabitionem. Ideo nec est necesse, vt religiosus donans extraneo ex licentia præsumpta habeat animum manifestandi factũ & petendi ratihabitionem, quia hoc ad valorem & iustitiam donationis nihil ampliùs facere potest, quamuis bonum sit & valde vtile, quòd religiosus nihil occultè faciat, & se & sua Prælato patefaciat examinanda, vt in posterum meliùs sine errore procedere valeat.

348 Dubium verò esse potest, an sufficiat licentia superioris non quidem dolo, vi, aut subreptitiè extorta, iniusta tamen, vel ex parte materiæ quia data ad expendendum in actus turpes, vel ad iniustas actiones, vel ex parte causæ, quia data ad vanos & superfluos vsus. Sed & hæc difficultas supra resoluta est. Solum considerandum quod actionibus, quæ sunt materia vetita per votum paupertatis potest esse annexa iniustitia præter sacrilegium contra votum. Et hoc præcipuè conuenit vsui, quo religiosus consumit, vel alienat res monasterij sine licentia. Nam tunc religiosus agit etiam contra iustitiam consumendo, vel alienando res monasterij eo inuito. Et quia, esto superior possit dare licentiam validam in materia voti paupertatis, non potest tamen dare licentiam, vt sine causa iusta bona monasterij dilapidentur. Ideo licentia iniusta excusat, & non excusat. Nam semper excusat a peccato proprietatis simpliciter contra votum, quia numquam est proprietarius subditus, qui non vtitur rebus nisi ex arbitrio superioris. Nõ excusat verò a peccato iniustitiæ, quia domino inuito eius bona dilapidat. Et in hoc non consequenter loquitur *Suarez*, qui cum docuerit *cap. 11. n. 16.* licentiam ad accipiendum iniusta ex causa esse validam, hoc postea negat de licentia data ad alienandum *cap. 15. num. 4.* Nec in assignanda ratione discriminis sibi constat, Nam cum loquens de religioso, qui de licentia superioris furatur extraneo, dicat eodem *cap. num. 16.* tunc licentiam superioris excusare subditum a peccato proprietatis, licet non a peccato iniustitiæ; Modò vult, quòd licentia data religioso ad alienandum res monasterij sine iusta causa non valeat, quia est de actione iniusta, & damnosa monasterio eo inuito; Vtrobique enim actio iniusta est, & est furtum quoddam, igitur, vel vtrobique, vel nullibi licentia excusat. Sed veritas est, quòd vtrobique excusat a peccato proprietatis simpliciter contra votum, & nullibi excusat à peccato iniustitiæ.

449 Immò regula hæc valde consideranda est in diiudicanda qualitate peccati in vsu temporalium sine licentia, quod scilicet non debet mensurari grauitas peccati solùm ex quantitate damni illati monasterio per consumptionem rerum illius, sed & per quantitatem actionis irreligiosæ, vnde bene contingere poterit, quod peccatum spectata iniustitia & nocumento illato monasterio non sit mortale, & tamen sit mortale in ratione sacrilegij. Nam notabilitas materiæ respectu peccati proprietatis attendi debet secundùm quantitatem absolutam, illa scilicet, quæ sufficiat ad hoc, vt religiosus dicatur vti vt dominus re aliqua temporali,

præscin-

præscindendo ab eo quòd res, qua vtitur sit huius, vel alterius, vel nullius, & simul præscindendo ab eo quòd religiosus ea vtatur de licentia Domini, vel non. Sed grauitas peccati iniustitiæ sæpe sumi debet ex quantitate respectiua, & maximè in religione, vbi subditi se habent sicut filij familias, vnde maior quantitas requiritur ad notabilem iniustitiam, quàm sit illa, quæ absolutè censetur sufficiens ad hoc vt absolutè quis dicatur assumere notabiliter vsum dominij. Econtra autem potest esse peccatum veniale sacrilegij, & mortale furti, vt si religiosus sine licentia furatur ab artifice acū cum hoc furtum causat illi graue damnum. Nam tunc furtum in genere furti est peccatum mortale, & tamen non est nisi veniale in genere sacrilegij.

350 Hinc deducitur, quid dicendum de religioso, qui de licentia Prælati vtitur rebus temporalibus contra aliquod statutum regulæ. *Sanchez enim l.7.mor.c.*19.*num.*16. loquens de Prælato ipso possidente aut expendente aliquid contra regulæ statutum distinguit, quia vel Prælatus potest in eo dispensare, vel non potest, si non potest, peccat contra votum paupertatis, & eo modo peccat si possit dispensare, & non adsit iusta causa dispensandi, solùm propterea non peccat, si possit dispensare, & ex iusta causa secum dispenset. Iuxta prædicta verò dicitur, nec subditum, nec Prælatum peccare contra votum paupertatis simpliciter, si vtitur rebus temporalibus contra statutum regulæ de licentia quam, vel subditus habet a superiore, vel superior sibi concedit; qualiter verò peccet contra regulam, vel contra iustitiam vtendo rebus temporalibus contra statutum regulæ dicendum erit infra.

351 His igitur suppositis, accedendo ad particularia considerandum est primò qualiter contingere possit peccatum proprietatis in religioso vtēte rebus extraneorum sine licentia superioris. Circa quod punctum hæc regula datur primò, quòd si religiosus rem ab extraneo datam accipit tali acceptione, quæ sit sufficiens ad transferendum dominium in religionem, iam illa res non est ampliùs extranei, sed est religionis, seu monasterij, & ita eadem ratio est vsus illius rei, ac aliarum rerum monasterij. Quomodo autem religiosus peccet accipiendo ab extraneo sine licentia suprà satis est ostensum.

352 Si verò dominium rei maneat apud extraneum, tunc religiosus vtens illa re sine licentia superioris, vel simul vtitur ea ad suum commodum sine licentia domini, & in hoc casu duplex interuenit peccatum sacrilegij & iniustitiæ. Bene tamen *Suarez dicto cap.*11.*num.*43. aduertit, quòd in hac parte, vbi loquimur de vsu rerum sine licentia, ad iudicandum peccatum mortale, non sufficit considerare quantitatem materiæ notabilem, sed quantitatem vsus, & qualitatem actionis habitæ sine licentia, quia præscindendo à circumstantijs vsū v. g. alterius libro ad breue tempus, non est materia grauis. Et eodem *cap.* 11. *num.* 25. idem *Suarez* habet, quòd accipere furto decem aureos, cum animo & securitate illos restituendi ad breuē tempus, non est peccatum mortale. Vbi igitur omnino res ex vsu consumitur ex intentione non restituendi, quantitas peccati quantitati rei commensuratur. Sed vbi res Domino permanet, nec ex vsu consumitur, non rei quantitas, sed quantitas vsus est consideranda, quod & valet vbi res vsu consumitur, sed tantundem cum securitate & absque periculo domini ei restitui potest. In his enim casibus erit peccatum mortale iniustitiæ, si vsus non habeatur nisi cum notabili damno domini rei. Erit verò veniale, si damnum non sit graue, sicuti erit leue peccatum proprietatis, si vsus sit leuis in ratione infidelitatis promissionis factæ Deo.

353 Quæri verò hic potest, an vel a seculari, vel ab alio religioso accipere manuscripta cū animo restituendi, & solùm ad effectum ea transcribendi sit furtum graue, ideoque etiam sit proprietas, si fiat sine licentia superioris. Respondetur verò, quòd supposita aliàs quantitate sufficienti materiæ hoc est graue furtum & peccatū proprietatis, vt tradunt *Card. de Lugo, d.*3.*de iust. num.*154. *& Bartholom. à S. Fausto l.*6. *thes. quæst.*118. *Donatus tom.*3.*tract.*15.*quæst.*45. *Anton. à Spir. Sancto par.*2. *tract.*3.*disp.*4.*num.*149. Nam & contingere posset, quòd quis facultatem transcribendi pretio 200. 300. aureorum, & ampliùs solueret. Considerandum igitur est quantùm valere possit facultas transcribendi, & si hæc multùm valet, etiam si manuscriptum intra breuem paginam contineatur, transcribere illud sine licentia domini, & superioris est in religioso peccatum furti & sacrilegij, & hoc verum est etiam si manuscriptum non ab extraneo, sed ab altero religioso auferatur, quia licet alter religiosus non sit dominus illius manuscripti, tamen ex quo illi soli est a superiore concessus vsus illius, fit iniuria & superiori, qui est manuscripti administrator, & religioso contra cuius voluntatem manuscriptum aufertur. Religiosus enim habet naturale ius defendendi quæ ad suum vsum concessa sunt, ne sibi inuito præterquam à superiore & a domino vsurpentur. Verum quidem est, quòd si in hoc adesset licentia superioris, quia tunc religiosus non posset esse iustè inuitus nisi respectu modi clandestini vsurpandi manuscriptum, non esset hic per se loquendo culpa grauis, immò nulla culpa esse posset, si omnibus pensatis honestum esset & à superiore esset permissum vt manuscriptum arriperetur clandestinè ex rationabili causa talem modum auferendi petente.

354 Si etiam quæratur. An sit furtum, auferre reliquias sanctorum? Dicitur quòd reliquias recipere etiam sine licentia superioris, vt supra dictū fuit, non est proprietas, quia hoc non est pretio æstimabile. Sed vi vel furto clandestinè eas auferre ab eo, qui illas tenet, non est sine graui iniuria; si non contra ius dominij propriè dicti, contra ius naturale conseruandi, quæ quis legitimè habet ad sui commodum tam temporale, quàm spirituale. Quòd si homo habet ius, vt & bona temporalia, & vitam conseruet, habet quoque ius, vt sibi conseruet spiritualia, quæ possidet. Ideo Reliquias vi vel fraude, aut dolo publicè, vel clandestinè auferre ab illarum domino est iniustitia, sed tamen non est proprietas contra votum paupertatis, si id fiat sine licentia superioris, quia Reliquiæ sub diuitijs non comprehenduntur, vt docent DD. suprà num.34. citati.

355 Sed si loquamur de Medalijs, aut imaginibus in corio, vel papyro depictis, granis benedictis, Rosarijs, Camaldulis, &c. quia hæc ratione materiæ sunt pretio æstimabilia, nedum iniustitia

est

est si furto à Domino auferantur, sed contra votum paupertatis est illa sine licentia recipere, retinere, vel alienare. Quamuis circa huiusmodi de facili licentia tacita, aut præsumpta adesse possit *Anton. à Spir. Sancto par. 2. direct. tract. 3. disp. 4. numer. 154.* Vbi quod Romam euntes etiam huiusmodi emere possunt ex licentia, vel tacita, vel præsumpta in quantitate moderata.

356 Sed si in vsu rei ad sui commodum adsit domini licentia, remanet culpa sacrilegij, ex eo quòd religiosus sine licentia superioris vtitur re temporali. Vt enim dictum est, Religioso prohibitus est rerum temporalium vsus independenter à superioris licentia. Sed si non ad suum commodum, sed ad vtilitatem tertij religiosus vtatur aliqua re: tunc si id faciat de domini volnntate, nullum peccatum est nec contra votum paupertatis, nec contra iustitiam. Non primum, quia materia voti paupertatis est vsus temporalium ad commodum eius, qui emisit votum. Non secundum, quia volenti non fit iniuria. Poterit verò in hoc casu esse culpa contra statutum regulæ aut mandatum superioris, si talis vsus fuerit interdictus. Sed si religiosus sine licentia, tam superioris, quàm domini vtatur re ad commodum tertij, tunc in tali vsu non est peccatum sacrilegij contra votum paupertatis simpliciter ratione iam dicta. Sed bene est peccatum iniustitiæ, quia religiosus inuito Domino re eius vtitur. Ita *Suarez loc. citat. num. 14. & 15.* vbi *num. 15.* optimè aduertit, quòd vbi res a rei domino liberè dante non accipitur ad commodum religiosi accipientis, sed ad commodum aliorum etiam vagum, & indeterminatum, & determinandum ad religiosi arbitrium, non interuenit culpa, vel sacrilegij, vel iniustitiæ, quia nec administratio facti immò nec ius administrādi nomine alterius per se repugnat paupertati, nisi huic iuri administrandi nomine alterius sit annexum aliquod commodum administrantis, quia tunc ratione huius commodi non posset religiosus salua paupertate promissa accipere administrationem. Quamuis si commodum illi administrationi esset annexum contingenter, & separabiliter, ita vt vnum sine iure ad aliud haberi posset, non esset contra votum paupertatis accipere nudam administrationē rei alienæ ad commodum aliorum, relicta omni sua commoditate. Sed si tali administrationi per se esset annexum commodum seu ius ad illud, tunc ius illius commodi acquireretur conuentui, neque peccaret religiosus contra paupertatem accipiēdo administrationem, quia illam conuentui acquireret, & acciperet, nisi ipse ille ad sui commodum acquirere intenderet peccaret tamen si vteretur commodo sine licentia superioris. Sicuti peccaret contra votum paupertatis si à rei Domino accipiens bona nomine domini distribuenda inter aliqua genera personarum, comprehenderetur ipse inter illas personas, quia tunc peccaret contra paupertatem, si sine licentia id faceret, quia etiam sibi acquireret, vnde ad vitandum peccatum deberet excludere se a facultate percipiendi illud commodum, & solùm accipere facultatem illā bona administrādi ad vtilitatem aliorum, quod non est contra votum paupertatis, licet possit esse contra statuta Ordinis, & contra votum obedientiæ, in quo casu id erit peccatum inobedientiæ iuxta talis voti exigentiam magis vel minùs graue secundùm regulæ præscriptum. Erit etiam indirectè proprietas, si præceptum Regulæ intuitu conseruandæ paupertatis sit factum.

SVMMARIVM.

1 *Ordo dicendorum. num. 357.*
2 *Ad sacrilegium sufficere quantitatem sufficientem ad peccatum mortale furti alij negant. numer. 358.*
3 *Alij sufficere quantitatem ad furtum filiorum sufficientem: quod alij non admittunt. nu. 359.*
4 *Varia sententia in assignanda determinata quantitate sufficiente ad proprietatem. num. 360.*
5 *Grauitas peccati vtentis male diuitijs non potest ex eadem causa accipi, vt est iniustitia, & vt est sacrilegium; & stat idem peccatum esse veniale in ratione iniustitia, & mortale in ratione sacrilegij, & econtra. num. 361.*
6 *Stat vsum, qui esset culpa grauis, non esse, quia vsque ad tantam quantitatem adsit licentia tacita, vel possit præsumi. nu. 362.*
7 *Consideranda est materia proxima, seu qualitas vsus, & alia circumstantia. nu. 363.*
8 *Consideranda plures qualitates materia remota. num. 364.*
9 *Consideranda qualitates vtentium. num. 365.*
10 *Consideranda qualitates monasteriorum. numer. 366.*
11 *Qua quantitas sufficiat ad hoc, vt vsus sine licentia sit sacrilegium. num. 367.*
12 *Vsus & erogatio vnius scuti ex tacita licentia potest excusari num. 368.*
13 *Qua quantitas sufficiat, vt vsus sit iniustus. numer. 369.*
14 *Stat eundem vsum esse peccatum veniale in genere sacrilegij, & veniale in genere iniustitia, & econtra. num. 370.*
15 *Quodlibet peccatum mortale proprietatis est reseruabile. num. 371.*

Quæ quantitas sit necessaria ad hoc, vt Religiosus sine licentia superioris vtens rebus monasterij, vel religionis dicatur peccare mortaliter?

INSPECTIO XIII.

357 CVm iam ostensum sit qualiter religiosus peccare possit in vsu rerum, quæ sunt sub dominio extraneorum, in quo sine dubio certum est eam quantitatem sufficere ad culpam mortalem, si talis vsus habeatur inuito Domino, quæ sufficit ad furtum, vel vsum rei inuito domino in materia iustitiæ, iam est videndum qualiter religiosus peccet vtens sine licentia superioris rebus religionis. Vt verò possit diiudicari qualitas culpæ necessariò priùs examinandum est, quænam quantitas materiæ sit necessaria ad hoc, vt huiusmodi vsus censeri possit peccatum mortale. Non enim est tam facile hoc determinare. Nec DD. eodem

eodem modo loquuntur in hac materia.

358 Datur enim primò regula, vt ea quantitas valeat ad constituendum peccatum mortale sacrilegij contra votum paupertatis, quæ valet in secularibus ad peccatum mortale furti, & ita teste *Sanchez l.7. mor. c.20.* in Societate IESV Generalis Aquauiua hanc regulam statuit obseruandam, quam docuerunt *Corduba in summa Hispana q.109. Mendoza in quodl.q.8. conclus. vlt. Lopez p.p.instruc. 256.concl.5. Sanchez l.7.mor.c.20 num.3.Graffius p. p.decis. l.3.c.51 nu.49. Rodriq.qq.reg.tom.3.q.29.a.10. Donatus tom.3.tr.15.q.33.Azor. tom.1.l.12.c.12.q.6. Rebel.tract.de iust.p.2.l.3.q.15.sect.3.num.22. Basseus v.paupertas. num.3.* Quæ tamen regula non placet omnino *Suarez tom.3. l.8. cap.6.* cui consentiunt *Card.de Lugo disp.3.num.172.Coton.l.4.contr.6.cap.2. num.120.* eò quia ex alia causa oriatur peccatum sacrilegij, quod est infidelis promissio facta Deo, & peccatum furti, quod est acceptio alieni inuito domino, & ex nocumento illato ipsi domino rei consideratur.

359 Aliam verò regulam dederunt alij, scilicet vt religiosi accipiendi sint vt filij familias, ideoque eam quantitatem esse necessariam & sufficere ad peccatum mortale sacrilegij, quæ est necessaria & sufficit in furto filiorum. Ita *Fagundez l.7.in decal.cap.5. Rebel. p.p.l.3.q.15.sect.5. num.23. & Anton. à Spir. Sancto p.2.direct. trac.3.disput.4.* ex quo addunt aliqui, quòd si intra hanc quantitatem religiosus sibi vsurpet de rebus monasterij superiorem iure posse esse inuitum ratione modi accipiendi nõ verò ratione substantiæ acceptionis, ideoque vsurpationem non esse culpam grauem etiam si superior sit inuitus. Ita *Fagundez.* Sed hæc regula non placet *Sanchez loc. sup. citat. nec Card. de Lugo disp.3.de iust.* Et ratio est, quia filij habent ius ad hæreditatem patris, quod non habent religiosi. Tum secundò quia longè minus sufficit ad furtum filiorum, quando Pater habeat 20. filios, quàm quando habet tres vel quatuor vel vnum, & ideo consideratio filiorum potest parùm prodesse. Tum tertiò quia religiosi ex voto sunt pauperes, ideoque in vsu proprietario non considerari debet solum nocumentum monasterij, sed malitia sacrilegij non sumenda ex damno illato vel Conuentui, vel Deo, sed ex natura infidelis promissionis Deo factæ.

360 Ideo in assignanda determinatè materia, quæ sufficiat ad hoc vt vsus proprietarius in religiosis sit peccatum mortale, valdè distinguuntur DD. Nam alij cum *Barthol. à S. Fausto l.8. Thesau. q.193.num.25.* putant in monasterijs diuitibus sufficere tres argenteos, in mediocribus duos, in egenis vnum. Alij cum *Mendoza q.8. citata* censent non sufficere duos argenteos ad culpam grauem, alij cum *Suarez dicto l.8.c.6.num.19. & Sanchez l.7. mor.c.20 num.2.& 5.Castro Palao tract.16.d.3.p.20. num.3.* dicunt ad culpam grauem requiri quatuor argenteos: alij cum *Petr. Ledesma, & Canedo apud Diana p.6 tr.6.resol.58.* dicunt furtum religiosi non esse peccatum mortale si ascendat ad 8. vel 9. regales, vel vt ait Viguera apud eundem Dianam requiri ad minus vnum aureum in regionibus pecuniosis ad materiam peccati grauis. Alij cum *Rodriquez tom.4.sum.cap. 118.nu.27.& 29.* ad peccatum mortale requirunt summam duorum aureorum. Alij vt *Anton. à Spir. S. num.190.* pro monasterijs pauperibus quinque vigenas, pro diuitibus quindecim vigenas, pro ditissimis duos aureos, & ad summum tres. Alij denique, vt Card. de Lugo censent non posse dari de hoc regulam certam, sed iudicandum in singulis materijs iuxta vsum, & sensum cuiuslibet Ordinis spectata qualitate actionis per quam violatur votum paupertatis.

361 Verè quidem difficile est in hac parte tradere generalem regulam, sed bene considerationes plures habendæ pro casuum varietate proponi possunt. Primò enim considerandum est, quòd vsus proprietarius in religiosis est duplex peccatum ferè semper, scilicet sacrilegij contra votum, & iniustitiæ quia habetur inuito domino, & quòd verè, vt probat Suarez, & aduertit Card. de Lugo non potest vtriusq; huius peccati grauitas ex eadem causa pensari. Immò potest esse quòd superior non sit inuitus, vt respicit votum paupertatis, & sit inuitus ratione damni illati monasterio, & sic vsus non sit proprietarius, sed iniustus. Et econtra potest esse quòd non sit inuitus ratione damni monasterij, & sit inuitus ratione voti, & sic vsus nõ sit iniustus, sed sit proprietarius Itẽ potest esse quòd ratione dãni superior sit irrationabiliter inuitus, & quòd non obstante quòd sit inuitus, vsus nõ sit iniustus, cũ tamẽ si hoc stãte sit rationabiliter inuitus ratione voti sẽper vsus, qui inuito superiore habetur est proprietarius. Item malitia vsus proprietarij, vt est iniustus multùm pendet à quantitate respectiua materiæ, quod non item dici debet de malitia eiusdem.

362 Considerandum verò est secundò quantitatem materiæ & actionis attendi posse in Ordine ad duplicem finem, nimirum, vel ad constituendam culpam grauem, vel ad præsumendam licentiam, seu ad licentiam tacitam superioris habendam. Nam ex hac parte bene esse potest, quòd materia sit sufficiens ad constituẽdum peccatum mortale de se, & nihilominùs, vel iam ex vsu & consuetudine etiam legitima sit introductum, vt ex licentia tacita vsque ad illam quantitatem vsus non censeatur proprietarius, vel ex circumstantijs possit præsumi licentia superioris; quæ in maiori quantitate præsumi non poterit. Et sic sæpius vsus, qui ratione quantitatis materiæ secundùm se esset proprietarius, non est talis ratione præscriptæ consuetudinis continentis licentiam tacitam, vel licentiam præsumptam.

363 Tertiò consideranda maximè est non tam quantitas materiæ remotæ, quàm quantitas seu qualitas actionis, quæ est materia proxima voti paupertatis. Nam vsus temporalium habet multas actiones. Nam alius est vsus consumptiuus rei, alius non consumptiuus, & aliud est consumere ad vitam propriam sustentandam, & ad commodum aliorum, & hoc vel ad commodum aliorum religiosorum, vel extraneorum, & inter istos alia est ratio pauperum, alia consanguineorum, alia benefactorum, alia omninò extraneorum. Pariter in vsu attendi debet an sit honestus, vel non honestus; Nam neque rationabile est vt eadem quantitas sufficiat ad vsum proprietarium nõ habens finem alium inhonestum, sed vel necessitatem propriam, vel commodum consanguinei, aut amici, quæ sufficit ad malitiam vsus rei ad finem turpem; Nam certè saltem in priori casu faciliùs præsumi potest licentia superioris.

364 Ex parte etiam materiæ remotæ consideranda est magna distinctio. Nam alia ratio est de rebus reseruatis pro communi vsu Conuentus, & de illis, quæ deputatæ sunt ad priuatum commodũ religiosi particularis; minor enim quantitas sufficiet si religiosus alienet ea, quæ vsui communitatis seruiunt, quàm si alienet de illis, quæ ad eius vsum sunt deputata. Item si materia sit pretiosa, & rara, & de difficili inueniatur, si ex ablatione materiæ aliud damnum accidat Conuentui, vt si materia sub aliqua pœna non posset alienari, vel si ad honorem monasterij spectaret habere rem illam, vel ob similes circumstantias, quæ rem minimi valoris in Ordine ad vitæ necessitatem reddunt magno pretio æstimabilem, & pretiosam. Item si res quarum est vsus sint esculenta & poculenta, vel alterius rationis, si sint res necessariæ & ex his, quæ regulariter dantur religiosis & debentur à Conuẽtu, vel sint extraordinariæ, vel in maiori quantitate quàm solent dari.

365 Sed & qualitas personarum, quæ rebus vtuntur consideranda est, tum ratione necessitatis, quia alio indiget infirmus, alio sanus, alio senex, alio iuuenis, tùm ratione laborum, & meritorum; Nam alia conceduntur & debentur PP. grauioribus & Magistris, alia simplicibus fratribus, vel Conuersis, aut laicis. Et horum consideratio nedum valet ad faciliùs præsumendam licentiam superioris, sed ad hoc vt maior quantitas requiratur ad culpam, præcipuè ad culpam iniustitiæ, quia cui plus debetur non semper peccat ex iniustitia, si quod sibi debetur vsurpat à nolente illud tradere.

366 Conditio etiam monasterij & religionis attendenda est, & quidem non tam si monasterium sit diues, vel pauper, vel si religio abundantiùs prouidet suis, vel minùs abundanter, quàm si in religione vigeat obseruantia religionis, vel non vigeat. Nam cùm certum sit facultatem superiorum in non puniendo vsus proprietarios, vel in permittendos religiosos de facili sine licentia expressa vti temporalibus esse causam relaxationis Ordinis; sine dubio in istis religionibus cum maiori rigore iudicari debet grauis quantitas, quæ ad mortale sufficiat.

367 Quibus sic cõsideratis & spectato vsu proprietario inquantum formaliter est sacrilegus facilius dari potest aliqua regula generalis vnde cognoscatur quantitas materiæ, quæ sufficiat ad culpam mortalem. Nam in hac parte non quantitas respectiua, sed quantitas absoluta attendi potest & debet, quæ simpliciter sufficiat ad hoc vt vsus dicatur esse vsus dominij, vel diuitis, & actus notabilis promissionis infidelis. Distingui ergo debet prius materia proxima paupertatis in perfectam, & imperfectam. Nam sine rei consumptione vti re aliqua etiam magni pretij ad breue tempus, censetur imperfectus vsus & paruitas in materia paupertatis; ideo accipere, possidere, vti ad breue tempus censetur in proposito materia leuis; sed vsus perfectus seu materia proxima perfecta consistit in actionibus non limitatis ad tempus aliquod; vt absolutè accipere, possidere, consumere, vendere, alienare aliquid sine licentia. Supposito igitur quòd vsus paruus etiam magnæ quantitatis sit materia leuis, & loquendo de vsu absoluto & non limitato rei permanentis, vel de consumptione, & alienatione rei seu mobilis, seu immobilis, dicendum mihi videtur, quantitatem quatuor, vel quinque iuliorum esse sufficientem materiam ad culpam mortalem. Ducor, quia ex hac parte cum omnium sit idem votum, omnium religiosorum est eadem obligatio, & cum votum omnem omnino vsum rei pretio æstimabilis respiciat, & non respiciat vsum rerum, vt sunt huius, vel illius, vel ad hunc vsum, vel ad alium, vel earum priuatio seu vsus sit damnosus, vel non damnosus huic, vel alteri. Nam & respicit res quæ omnino nullius dominij sint, & ideo sit materia paupertatis, vt est vsus iuris, & vt est vsus liber & independens à licentia superioris cui se subijcit vouens; ideo in hac parte quantitas malitiæ non debet sumi, vel per respectum ad personas, vel per respectum ad damnum illatum, vel per respectum ad iniustitiam actionis, sed per respectum ad hunc vsum quatenus est vsus dominij, vel vtentis ex sui arbitrij libertate, vnde ex sola quantitate huius vsus, vt est vsus contra promissionẽ voti debet eius malitia attendi, vt tunc homo censeatur notabiliter infidelis, quando vsurpat sibi actum, qui apud homines habeatur, vt actus notabilis diuitis, & domini. Ex proprio autem arbitrio consumere, vel alienare, vel habere ad liberè alienãdũ quatuor, vel quinque iulios censetur, quid notabile in vsu rerum temporalium absolutè loquendo, vnde est notabiliter deficere a promissa paupertate, si quis religiosus tantum habeat, vel expendat sine licentia.

368 Hoc verò non dicitur, quia ex conditione personarum, & ex considerationibus prædictis contingere non possit, vt vsus maioris quantitatis excusetur à culpa graui; sed dicitur non posse excusari ex paruitate quantitatis materiæ si materia excedat valorem quinque iuliorum, licet excusari facile possit ex licentia tacita, vel præsumpta. Quia aliàs exclusa licentia qualibet potiùs ex conditione personæ vel augetur culpa quàm minuatur, quia quò persona est dignior maiori iure tenetur esse Deo fidelis, & necessitas vtendi valet ad præsumendam licentiam, saltem superioris mediati, & legis non ad libertatem vsus sine licentia.

369 Loquendo verò de vsu proprietario, vt est iniustus formaliter difficile est dare regulam generalem ex qua limitatur culpa grauis, quia in hac parte maximè attendi debet quantitas respectiua desumpta ex consideratione eorum, quæ ponderauimus. Immò ex hac parte nedum est verum, quòd religiosi habendi sunt, vt filij, seu plusquam filij; quoniam religiosi habent ius commune ad bona monasterij, vel religionis habentis bona in communi illisque hæc bona debentur, nec æqualiter, sed iuxta merita, & labores, & vitæ necessitates, vnde respectu illorum in vsu eorum, quæ ad proprium commodum pertinent intrat minor ratio iniustitiæ; vbi est specialis iustitiæ ratio habendi in cõmuni. Vnde ex hac parte quantitas, vel nõ est taxanda, seu ex circumstantijs iudicanda, vel dicendum standum esse statutis & legitimæ consuetudini cuiuscumque Ordinis.

370 Hinc patet verum esse, quod supra diximus; scilicet quod vsus temporalium culpabilis in religioso potest esse veniale contra votum paupertatis, & mortale contra iustitiam, & econtra.

Nam

Nam si religiosus sine licentia, vel ab extraneo, vel a monasterio tollat minimum quid, tunc cum talis minimi defectus cedit in magnum damnum domini, hoc in genere furti est peccatum mortale ratione grauis damni iniustè illati, sed in genere sacrilegij est veniale, quia est minimus vsus proprietarius, vt v. g. furtum acus. Et econtra potest esse, quòd in religioso graui expendere sine licentia non sit mortale ratione damni illati monasterio diuiti, & tamen erit de se mortale in ratione sacrilegij, quia est notabilis infidelitas & vsus notabiliter proprietarius expendere scutum sine licentia superioris.

371 Hoc vnum tandem consideratur quantum ad hanc partem, quia scilicet meritò à *Sanchez l.7. c.30.num.4.* reprehenditur Corduba, asserens vnum argenteum esse materiam sufficientem ad peccatum mortale, & tamen non esse materiam sufficientem ad hoc vt superior sibi reseruet tale peccatum. Nam ex decreto Clem. VIII. in motu proprio de casuum reseruatione pro regularibus casu quarto inter peccata, quæ reseruari possunt ponit violationem voti paupertatis, quæ sit mortalis.

SVMMARIVM.

1 *Ordo dicendorum num.372.*

2 *Semper malum, vti rebus monasterij sine licentia. num.372.& 376.*

3 *Materia multiplex cuius est vsus. nu. 374.*

4 *Vti immobilibus sine licentia malum. num.375.*

5 *Ex leuitate materiæ, potest esse leuis culpa. numer.376.*

6 *Vel etiam ex vsu manifesto.num.377.*

7 *Vtens re à seculari accepta qualiter peccet. numer.378.& 385.*

8 *Vti re secularis de eius licentia, sed sine licentia superioris est malum.num.379.*

9 *Qualiter ex eo quod res manifestè habetur excusetur culpa.num.380.*

10 *Vti pecunia sine licentia ad summam quinque iuliorum peccatum graue.381.*

11 *Vsus esculentorum sine licentia, quando peccatum graue.num.382.*

12 *Destruere non conseruare res non est sacrilegium, sed iniustitia.383.*

13 *Accipere vnico actu comestibilia in quantitate sufficiente ad peccatum est grauis culpa. nu.384.*

14 *Non est discrimen inter vti esculentis, vel alijs. num.385.*

15 *Prandere apud Amicum sine licentia, quale sit peccatum.num.386.*

16 *Vsus rei secularis de eius licentia, sed sine licentia superioris quomodo sit proprietas. numer. 387.*

17 *In vsu rei considerandus est valor vsus, & an superior sit inuitus intuitu paupertatis. numer. 388.*

18 *Licentia data ad vnum vsum per se non valet ad alium,num.389.*

19 *An habens licentiam ad eleemosynas diuisim possit dotare puellam,&c.num.390.*

20 *Qui habet licentiam emendi non potest vendere, vt emat.num.391.*

21 *Habens licentiam dandi, & recipiendi quando possit emere, & vendere.num.392.*

22 *Non licet ex vna re aliam facere.num.393.*

23 *Quæ liceat de vno ad aliud monasterium transferre.num.394.*

24 *Qui habet vnde sibi prouideat nõ peccat recipiendo commune salitum dari num.395.*

25 *Religiosus tenetur res conseruare,&c.nu.396.*

26 *In vsu rerum monasterij potest esse peccatum iniustitiæ sine peccato sacrilegij.nu.397.*

Qualiter Religiosus professus peccet in vsu rerum monasterij sine licentia, sed ad proprium commodum?

INSPECTIO XIV.

372 IAm magis determinatè accedimus ad habendã notitiã qualitatis peccati proprietatis ipsius Religiosi, & cũ iam de vsu rerum, quorum dominium est apud extraneos dixerimus, nunc consideratur vsus rerum monasterij, & quia Religiosus his potest, vti vel ad proprium commodũ, vel ad commodum aliorum, in præsenti consideramus hũc vsum quatenus habetur in commodum Religiosi vtentis.

373 Cum verò ex supradictis pro certo habendum sit hunc vsum semper esse culpabilem, nisi adsit superioris licentia expressa, vel tacita, vel præsumpta, alteram verò ex his licentijs sufficere ad culpam tollendam, videndum est quando in vsu habito sine licentia adsit culpa grauis, vel leuis.

374 Primò autem hic distingui debet materia immobilis, quæ vsu non consumitur, & materia, quæ vsu consumitur, sed per multos actus, & continuatum vsum per tempus, & materia, quæ vnico actu consumitur, quæ etiam distingui debet in esculenta, & poculenta ex vna parte, & in pecuniam ex alia.

375 Prioris generis sunt, prædia, horti, arbores, domus, cella, & similia. In quibus vix imaginari potest materia leuis, vnde certum est ex communi DD. consensu, culpam grauem esse in Religioso professo, tenere, & vti huiusmodi rebus sine licentia superioris, hocque peccatum graue esse, & tanquam sacrilegium, & tanquam iniustitiam, cum huiusmodi possessio, & vsus sine licentia in re valde graui aduersetur paupertati, & communitati sub cuius dominio illa manent, & cui fit iniuria si quis eis vtatur, sine sui voluntate per voluntatem, & licentiam superioris exprimenda.

376 Secundi generis sunt vestes, libri, suppellex cellæ, & alia similia. De quibus quantùm ad vsum loquendo distingui debent ea quæ accipiuntur ex custoditis apud officiales Conuentus, & in publicis officinis Conuentus, aut apud aliquem nomine Conuentus retinentur, & ea quæ immediatè accipiuntur ad proprium vsum ab aliquo seculari. Nam & ista statim ac sunt accepta efficiuntur monasterij. Et de primis loquendo, leuis culpa erit si materia sit parui valoris, v.g. aliquis paruus liber, si vsus sit ad breue tempus. Circa quod tamen aduertit *Card. de Lugo disp.3 de iust. num.154.* cui consentit *Anton. à Spir. Sancto d. tract.3. nu.147.*

contingere posse, quod v. g. communitati minus damnum inferat defectus alicuius libri per decennium, quàm alterius per annum, vel semiannum, vtpotè omnibus maximè necessarij, vnde si quis Religiosus sibi talem librum vsurparet sine licentia, & fortè occultaret per aliquot menses grauissimè alijs id ferentibus, nescio (inquit Cardinalis) quomodo cum tanta, & adeo rationabili repugnantia communitatis vsus ille excusari possit à mortali contra votum paupertatis. Et hoc à fortiori dicendum putat de accipiente ex alterius cubiculo librum ipsi à Prælato applicatum, si ille hinc grauiter offendatur, & quidem rationabiliter ob damnum illi inde proueniens. Quod maximè esse verum de manuscriptis, si præcipuè transcribantur benè aduertit *Anton. à Spir. Sancto num.* 150. Quæ quidem iustè considerata sunt, & amplius addi potest primò tale posse esse damnum illatum, vel communitati, vel alteri vt vsus rei ad paucos dies, immò ad diem sit notabiliter injustus, & malus. Sed vlterius puto considerandum quantitatem culpæ contra votum paupertatis non ex sola quantitate damni pensandum esse, sed per se absolutè ex quantitate vsus sine licentia, quam quidem non extendi ad plures menses crediderim, nisi circa materiam leuiorem; debet igitur considerari quanti pretij sit æstimabilis vsus rei, & si hic vsus est æstimabilis in quantitate sufficienti ad peccatum mortale sacrilegij, etiam si damnum domino illatum sit modicum, peccatum sacrilegij erit mortale, quia sine licentia vsurpatur in notabili quantitate vsus magno pretio æstimabilis. Verum quidem est, quòd vbi non est damnum notabile faciliùs præsumi potest licentia superioris, sed tunc cessabit culpa, quia non deest licentia, non verò quia si superior sit inuitus non sit contra votum paupertatis vsus rei valens notabile pretium, etiam si talis vsus nullum inferat damnum Religioni, vel Domino:

377 Item vt ait *Suarez l.* 8. *cap.* 11. *num.* 4. si res non accipitur occultè, & non possidetur tanquam propria, sed habeatur ad vsum publicum, & exposita arbitrio superioris potest excusari. In quo tamen aduertendum est, quòd si superior tacens in hoc casu, & consentiens id faciat ex timore: quia Religiosus est superbus, & persequitur superiores, licentia hæc esset in hoc casu nulla. Quamuis superior in similibus faciliùs non est inuitus ratione substantiæ, sed solùm ratione modi, vnde nisi superior sit inuitus ratione substantiæ ipsius vsus, non erit peccatum mortale. Et tamen etiam si res accepta tractatur manifestè, & ad publicum vsum, poterit esse peccatum mortale si hic modus accipiendi sit frequens, & quasi ex animo deliberato accipiendi, & vtendi hoc modo rebus monasterij, vnde superior censeatur rationabiliter inuitus etiam quantùm ad substantiam acceptionis, & vsus, & maximè si res accepta non est ex illis, quæ consueuerunt dari communiter, vel sit multo pretiosior, vel sit in maiori quantitate. Licet enim ex quo acceptio, & vsus ille est publicus, & expositus arbitrio superioris, possit præsumi haberi de licentia superioris, tamen considerandum est, quòd hic vsus per se semper est culpa mortalis, si habeatur sine licentia, cum sit vsus rei in quantitate sufficienti ad culpam mortalem, vt supponitur, solùm verò excusari potest, quia ex quo est publicus, & expositus arbitrio superioris, censetur non haberi sine licētia, seu superiore simpliciter inuito, & sic censetur adesse licentia tacita ex taciturnitate superioris vsum non prohibentis, si ergo ex circumstantijs habeatur, sicuti haberi facile potest, quòd in superiore taciturnitas, sit inuoluntaria permissio, non voluntaria approbatio, similis vsus etsi publicus erit peccatum mortale. Et simile peccatum erit si acceptio rei, & illius vsus cedat in graue damnum aliorum, vel monasterij, vt admonet Suarez ibidem. Erit verò culpa mortalis, nisi vel ex paruitate materiæ, vel ex vsu ad breue tempus minuatur, si acceptio & vsus rei sit sine licentia, & occultè res habeatur non exposita arbitrio superioris. Quamuis & hic distingui possit, sicut in simili distinguit *Suarez dict. cap.* 11. *num.* 28. *&* 31. Nam vel res accepta est ex illis, quæ consueuerunt dari Religiosis, & debentur, & monasterium est in statu illas distribuendi, vel non est ex illis. Si enim sit ex illis, quæ consueuerunt dari, dummodò vsus illius rei sit ille ad quem res illa conceditur, etiam si sit aliquo modo occultus, vt quia est vsus interiorum vestimentorum, si non sit occultus contrariè, quia superiori quærenti occultetur, sed religiosus communi modo tali re vtatur, sufficiet ad vitandum peccatum mortale. In hoc enim casu nullum est damnum conuentus, & iam adest licentia superioris in communi vtendi re illa, & ex arbitrio religiosi solùm est illa materialis determinatio ad hoc indiuiduum, quæ non censetur materia grauis & sufficiens ad peccatum mortale. Sed si res non sit ex illis, quæ communiter & debentur, & consueuerunt dari, sed vel illa sit multò pretiosior, vel in maiori quantitate, vt si accipiatur duplicata vestis; vel etiam si tunc superior non erat daturus rem illam; & alias religiosus non est in casu, vnde illam sibi possit vsurpare inuito superiore in his casibus peccatum graue erit, nisi vel ex publicitate vsus, vel aliunde habeatur licentia saltem tacita, vel præsumpta.

378 Idem dicitur, si id quod accipitur ab extraneo ad proprium vsum accipitur. Si enim res accepta est de illis, quas Conuentus consueuit dare religiosis, religiosus rem hanc accipiens, & ea vtens, vt ait *Suarez nu.* 28. *&* 31. citatis, non peccat mortaliter, quia vt dictum est, iam religiosus habet licentiam in communi vtendi tali re, & solùm ex eius arbitrio determinatur illud materiale indiuiduum, & Conuentus damnum non recipit, qui aliam similem esset daturus, si posset. Immò in hoc casu excusatur religiosus etiam si Conuentus per accidens ex impotentia non erat similem rem daturus, si teneabatur dare si posset; quia & in hoc casu Conuentus non sentit damnum, sed vtile, & religiosus habet à superiore licentiam in communi vtendi re illa. Semper tamen religiosus præ oculis habere debet, quòd si ex circumstantijs præsumi possit & debeat superiorem esse inuitum etiam circa substantiam ipsius vsus, & religiosus non sit in casu in quo etiam superiore inuito possit re vti, tunc vsus rei notabilis etiam ex illis, quæ consueuerunt dari est peccatum mortale, si habeatur sine licentia. Sed si res accepta à seculari non sit ex illis, quæ debentur & consueuerunt dari, vel sit multò pretiosior, vel in maiori quantitate, quàm dari consueuit, nisi modo supradicto ex publicitate vsus, vel ex

alia

alia causa, unde adesse censeatur licentia, excusetur, peccabit mortaliter religiosus utens tali re sine superioris licentia.

379 Quod uerum est, ut docet *Suarez eodem cap. nu. 42.* etiam si rei dominium maneat apud secularem donantem, quia nedum dominium, sed usus ipse est religioso ex ui uoti interdictus, si sit sine licentia superioris, unde hic usus sine licentia, nisi aliquo modo ex supradictis excusetur est culpa mortalis. Verum tamen est in hoc casu non esse peccatum iniustitiæ, sed solius sacrilegij, cum Dominus rei non sit inuitus.

380 Hic tamen quæri potest, an religiosus recipiēs sine licentia pecuniam ab extraneo & ex illa emit libros, quos in camera publicè tenet expositos ad arbitrium superioris, peccet mortaliter. Negant *Diana tract. de paupert. resol. 26. ex Fabio Coriol. Homob. & part. 7. tract. 1 t. resol. 19. ex Caramuele D. 60. in regulam S. Benedic. num.* 886. vbi hoc putat probabile, licet dicat probabilius esse oppositum *& Machado tom. 2. de perfecto Confes. l. 5. par. 2. tract. 1. docum. 8. num. 4 & Anton. a Spir. S. vbi supra: num. 157.* quia ex quo huiusmodi libros exponit & subijcit arbitrio superioris censetur illos etiam emisse & tenere ex tacita aut presūpta licentia superioris. Econtra uerò *Sanchez l. 7. mor. c. 19. num. 56.* cui consentit *Card. de Lugo d. 2. num. 153.* censet, ex hoc non posse præsumi licentiam superioris, quia superior ignorat an libri illi accepti sint sine licentia, uel non, ex eo autem quòd sit ea ignorantia non accipitur præsumptio. Et hanc licentiam non præsumi in Religione obseruanti dixit *Coton. lib. 4. contr. 6. cap. 2. num. 116.* & hæc & similia esse exposita periculis ideoque omnino interdicenda dixit *Caramuel num.* 886. Sed considerandum, quòd hic tria sunt scilicet accipere pecuniam, emere libros, illosque tenere & illis uti. Et quidem quantùm ad hoc tertium ex publicitate potest excusari religiosus à peccato mortali iuxta dicta num. 377. quia ex hoc subijcit libros arbitrio superioris, nec illos possidet ex solo suo arbitrio. Verùm receptio pecuniæ, & emptio libri occulta si non fiat ex aliunde præsumpta licentia superioris, ex hoc solo capite non potest præsumi, quia libri emendi sint exponendi ad arbitrium superioris, cum possit esse quòd ideo superior nolle cōcedere usum, ex hoc quòd illi empti sunt sine sui expressa licentia, uel quòd empti sint ex pecunia quæsita, & occultè recepta, seu accepta à tali persona, quæ si superior sciret, non taceret uidendo illos libros inter alios, & illos non concederet, sed auferret. Licet igitur exponere libros publicè sit aliqua implicita, uel uirtualis petitio licentiæ illos tenēdi, tamen cū sit petitio nō exponens integrè factum non sufficit, ut ex taciturnitate superioris colligatur licentia tacita, nisi aliūde colligatur, sicut ex hoc in parte colligi potest, quòd cum ex pecunia accepta & emptione librorum nihil sit ablatum conuentui, sed sint acquisiti libri; ex hac parte potiùs præsumi potest superiorem nō esse inuitum quantùm ad acquisitionem librorum, & ex consequenti nec quantùm ad retentionem, & usum, qui sub eius arbitrio manifestè est repositus. Solùm igitur ex singularibus circumstantijs colligi potest præsumptio licentiæ, sine qua huiusmodi usus semper est contra uotum paupertatis. Et uidenda sunt, quæ supra in spec. 5. à num. 118. dicta sunt de licentia tacita ex taciturnitate superioris collecta.

381 Tertij generis bona sunt pecunia, quæ semper vsu consumitur, & quæ ad cibum, & potum spectant, & ex consequenti quorum vsus est illorū consumptio. De pecunia verò loquendo dicitur, esse peccatum mortale si quis sine licentia vtatur pecunia ad quantitatem quatuor, vel quinque iuliorum ad propriam vtilitatem. *Suarez dict. cap. 11. num. 40.* limitat hoc ad quantitatem etiam 4. argenteorum. In hac verò parte non tantum habenda est ratio damni Conuentus, quam irreligiosi usus pecuniæ, censetur enim per se notabiliter irreligiosus usus quatuor, uel quinque iuliorum. quod vero vel ratione personæ, uel materiæ, qua pecunia acquiritur, uel ex alijs circumstantijs præsumi possit licentia, uel habeatur tacita superioris licentia, alia res est; Nam assertum nostrum sustinet esse mortale, si licentia desit. Et addimus ualde perniciosum esse obseruantiæ regulari, si superiores permittant de facili similem licentiam posse præsumi, uel si tacitam tribuant.

382 Sed circa ea, quæ usu cibi, uel potus consumuntur. *Ledesma de stat. cap. 4. concl. 3. pag. 58. vers. diga lo terzero,* putat quod non sit peccatum accipere comestibilia semel uel bis in anno, sed quòd frequentia accipiendi nō excusetur à peccato mortali. Sed non esse regulariter peccatum, si quis sine licentia accipiat huiusmodi ad usum actualem, & transitorium docent *Suarez ibid. numer. 41. Sanchez l. 7. cap. 19. num. 53. Diana p. p. tract. de pauper. res. 30. Bordon. res. 43. quæst. 27. num. 72. Donatus d. tract. 15. q. 30. Lezana d. cap. 6. num. 17. & Coton. lib. 4. contr. 6. cap. n. 121. Bassaus v. paupertas n. 3.* Vbi ex *Tannero in hac 22. disp. 7. q. 3. dub. 4. nu. 196.* ait. *Nulla etiam Prælati seueritas eiusmodi acceptiones quoad substantiam rei acceptæ, ne iniquas reddere potest.* Idem tenuit *Caramuel in Reg. S. Bened. disp. 60. num. 888. Anton. à Spir. Sancto vbi sup. num. 157. & 174. Card. de Luga disp. 3. num 178.* Nisi damnificatio esset nimia, & in re ualde pretiosa, & quæ non de facili inuenitur. Bene tamen aduertit Bassæus, quòd huiusmodi ampliationes locū non habent, ubi superiores (& maximè in illis omnibus in Ordinibus uiget strictissima paupertas) expressè sub pœna proprietatis prohibent huiusmodi minutas acceptiones esculentorum. Donatus etiam addit, quod in foro externo attendi debent propriæ constitutiones, & accusatores, & testes, & rei scandalum, & præiudicium. Verùm nisi furtum sit magnæ quantitatis, quæ est necessitas strepitus fori externi? Bene in hac parte circa hoc considerandum, quod Doctores plures considerant solùm damnum Conuentus, & superiorem inuitum, prout est rerum Conuentus administrator. Ex hac uerò parte quantitas notabilis, quæ sufficiat in hoc casu est maior quàm sit ualoris quinque iuliorum. Nedum enim uerum est, quod DD. dicunt, scilicet Religiosos tractandos esse ut filios, sed plusquam filios, cum Religiosi habeant ius cōmune ad bona monasterij. Sed in iudicando peccato proprietatis, id quod minus considerari debet est damnum monasterij, sed principale est uoti uiolatio, & infidelitas in obseruanda promissione facta Deo, atque ideo etiam contemptus superioris. Ideo consumere sine licentia superioris de rebus monasticis etiam in cibo, & potu ad ualorem

quin-

quinque iuliorum est de se peccatum mortale sacrilegij, licet requiratur maior quantitas ad hoc, vt hic vsus sit peccatum mortale iniustitiæ. Ratio est, quia vti re ad proprium vsum in tanta quantitate sine licentia est per se, & ex se vsus notabiliter irreligiosus & infidelis. Quod verò dicatur de facili in vsu comestibilium præsumi posse licentiam superioris, id verum est, vt bene notat *Sanchez l.7. c.19. num.53.* & ex hac parte hic vsus regulariter excusari potest, vbi vsus sit in discreta quantitate, & rerum communium, & non adsit specialis circumstantia vnde non possit probabiliter præsumi licētia superioris, vel saltem præsumi quòd factum illi non displicebit, licet displicebit modus accipiendi rem occultè.

383 Quærit etiam *Donatus d.tract.15. quæst.31.* An Religiosus occultè proijciens cibaria ea sola ratione, quòd sibi non placent, sit proprietarius? Et affirmatiuè respondet ex *Megal.conf.83. Bordon. p.p.ref.43. quæst.39. num.78.* dilapidatio enim donationi æquiparantur *l.filius fam.ff. de donat.* Addit verò, quòd si publicè hoc fieret, vel excusaretur ex taciturnitate superioris, vel eo contradicente puniretur, vti rebellis, & contumax, & posset carcerari. Eadem quoque ratione peccabit contra paupertatem, si bona quæ suo vsui sunt concessa, Religiosus voluntariè destruat, vel si non vtitur ea diligentia ad illa conseruanda, quam communiter adhibere solent, vnde v. g. quod duraturum esset ad annum non durat ad 6. menses dixerunt *Card. de Lugo disp.3. num.369. Bassæus v. paupertas numer. 5.* Quamuis non de facili esse culpam grauem dicat Cardin. de Lugo in vsu carum rerum ob quas Conuentus in bonis communibus detrimentum non patitur, vt si accepta ab Amico permittat consumi. Cum tamen in ijs, quæ ex communibus bonis Religiosis conceduntur ipsi teneantur esse eo diligentiores, quò Communitas illius fidei, illa committit constituens eos veluti administratores. Sed vt verum fatear, quamuis in huiusmodi casibus non dubitem esse peccatum iniustitiæ, vbi in Religioso fuerit dolus, & lata culpa, & negligentia, quæ in filio familias, vel potiùs in ijs, qui quodammodo sunt condomini rei non excusat à culpa. Non video tamen quòd adesse possit peccatum proprietatis, Quia destruere, consumere, & proijcere non est habere, vel possidere, vel esse diuitem. Nec verum est quod sit actus dominij, sed est actus furis, & latronis Domini enim est destruere sine iniustitia; Religiosus verò si destruit iniustus est, non ergo est proprietarius, sicut nec esset si rem secularis destrueret.

384 Sed si vnico actu sine licentia accipiatur res in magna quantitate, & occultè detineatur, vt paulatim secretò consumatur, dicunt *Suarez eodem n.41.* & communiter alij hoc esse peccatum mortale. Vt verò habeatur quænam quantitas, sit notabilis, considerari debet si res sit communiter vsualis, vel potiùs pretiosa, & quæ pro particularibus necessitatibus seruatur, seu si sit fructus prædiorum Conuentus, vel pecunia acquiratur; si sit res quæ de facili inuenitur, vel difficiliùs haberi potest. Et in hoc casu maiorem quantitatem requiri ad mortale peccatum si res sit vsualis, quàm si sit pretiosa, vel magis æstimabilis ex aliqua ex dictis causis docent *Suarez citatus, Sanchez l.7. mor.c.21.num.33. Fagundez l.7. in decal.c.5. num.9. & Castro Palaus tract.16. disp.3. p.21. num.8.* censet religiosum peccare mortaliter si sine licentia simul ex rebus communibus & minùs pretiosis accipiat excedentes valorē vnius aurei animo ess paulatim consumendi. Sed enim reprehendit *Anton. a Spir. Sancto vbi supra. num.182.* Ego verò existimo hic non debere considerari hoc factum ex solo capite iniustitiæ, ex quo posset hæc materia pluribus spectatis circumstantijs, vel personæ, vel abundantiæ monasterij, & similibus extendi etiam vltra valorem aurei, & aliàs spectata penuria rerum, & paupertate monasterij, & multò magis damno præsentaneo aliorum religiosorum, quod potest contingere ex tali furto, quòd minor quantitas valde sufficiat ad peccatum mortale, vt est peccatum iniustitiæ, sed dico attendi debere principaliter violationem voti etiam indepēdenter a damno Conuentus, & aliorum. Et sic assero huiusmodi acceptionem & vsum ascendentem ad valorem quinque iuliorum esse de se peccatum mortale, nisi præsumatur licentia superioris, ad quam præsumendam non debet considerari solùm leuitas damni illati monasterio, sed aliæ circumstantiæ facientes ad obseruantiam voti paupertatis, vt est actus religionis, & ad perfectionem religiosi ordinatus. Et vbi omnibus pensatis non potest præsumi licentia duplex superioris, scilicet eius licentia, vt administratoris rerum monasterij, & vt directoris in vsu temporalium, semper ad minus est peccatū mortale sacrilegij in huiusmodi vsu supposita quantitate valoris, quinque iuliorū materiæ cuius est vsus. Et bene *Sanchez d.l.7.c.19.nu.53.* in fine docuit, Nullam in hac materia esse differentiam inter commestibilia, & alia, nisi quòd in commestibilibus faciliùs præsumi potest licentia superioris.

385 Hoc verò intelligi debere etiam si religiosus huiusmodi esculenta recipiat ab extraneo, etiā relicto dominio apud extraneum docent *Azor. t.1. l.18.c.12.q.2. Less. l.2.c.41. num.28. Sanchez l.7. mor. c.19.num.53. Card. de Lugo disp.2. de iustitia num.50.* Quia vsus ipse rerum sine licentia per se est prohibitus religioso haberi sine licentia. Et licet *Fagund. l.7.c.5.num.10.* docent maiorem quantitatem requiri ad constituendum peccatum mortale in vsu comestibilium, quæ accipiuntur ab externis, quàm illorum, quæ sumuntur à monasterio, tamen in his vnico verbo concludendum est cum Sanchez loco citato, nullum esse discrimen inter vsum comestibilium, & aliarum rerum nisi quòd in his præsumitur faciliùs superioris licentia, ideo hæc attendenda est, & ad hanc præsumendam non est considerandum solum damnum monasterij, sed damnum obseruantiæ regularis, & voti paupertatis, & relaxatio ordinis.

386. Sed si religiosus sine licentia accedat ad prandium inuitatus à seculari, peccabit ne contra votum paupertatis vtens cibis. Respondet *Amicus tom.5. disp.14. nu.57. apud Ant. a Spir. Sancto vbi sup. num.283.* talem peccare. Sed idem *Ant. post Card. de Lugo disp.2. num.50.* non peccare asserit, quia in hoc velutì passiuè se habet, & dominus est qui in persona religiosi vtitur cibis, & alias non aduertatur paupertati uti commoditatibus ex aliorum liberalitate prouenientibus, ut calefieri ad ignem accensum a seculari, ire simul cum eo in curru, ui-

no

no pretioso per illum ablui, uel aqua odorifera per illum aspergi, licet hæc sine pretio æstimabilia. Sed licet uerum sit, quòd passiuua usus moralis non aduersetur uoto paupertatis, ut diximus supra de auditione comediæ, uel musicæ; ubi religiosus nec habet ius ad usum, seu non utitur, ut ius habens, seu ut actiuè moraliter utens; difficulter tamen hæc doctrina applicatur ad prandium in quo non minùs actiuè se habet Religiosus, quàm se haberet in Conuentu & non potest sine propria actione humana comedere. Ideo in præsenti casu potiùs excusari potest à peccato mortali contra uotum paupertatis, quia superior non sit inuitus circa substantiam comestionis, ut contrariam paupertati, maximè quòd ut ex Suarez supra dicebamus, religiosus habet licentiam in communi ad huiusmodi usus, & in specie ad prandium, quòd uerò in prandio utatur hoc, uel illo cibo res leuis est, seu quòd utatur maiori quantitate, uel magis pretiosa exhibita ab extraneo in eius prandio superior non est in hoc inuitus, immò nec potest esse de facili rationabiliter talis, supposito quòd religiosus iam sedeat ad mensam secularis, quia molestum esset seculari, & esset quid inurbanum si nollet religiosus uti illis, quæ apponuntur in mensa.

387 His uerò non obstant, quæ habet *Caramuel D.60.in reg.S.Bened.num.*883. qui etiam in rebus usu consumptibilibus distinguens dominium ab usu facti, censet religiosum cum sibi ab extraneo pecuniæ donantur posse accipere usum facti, & non dominium, & tunc non agere contra uotum paupertatis, sed contra obedientiam si talibus sine licentia utatur. Sed hanc sententiam meritò reijciunt *Card.de Lugo d.x. de iust. nu.*50.*& Diana p.7. tr.*51.*resol.*18. quia supponit falsum, scilicet quòd uotum paupertatis religiosæ non habeat pro materia, etiam vsum facti. Nam votum professionis licet non possit priuare iure naturali ad vsum facti, priuat tamen libertate ad hunc vsum independenter à licentia superioris, aliter solemniter professus nunquam posset peccare contra votum paupertatis, nisi per desiderium, quia ipse est incapax dominij, vnde non potest illud sibi vsurpare, solumque validè sibi vsurpat vsum facti, quòd si in hoc non peccaret contra votum paupertatis, numquam contra tale votum peccaret, nisi desiderando id, cuius non est capax, vt obtineat. Verùm ex dictis supra Inspect. 4. num. 56. non esset omnino alienus à veritate Caramuel, si concederet vsum rei sine licentia independenter à speciali præcepto superioris esse directè contra votum obedientiæ, & professionis, & per se ex vi talis voti malum. Quia, vt ibi est probatum, in agendo dependere à voluntate superioris est materia voti obedientiæ, non paupertatis. Sed quia vsus hic ratione materiæ, cuius est vsus spectat ad paupertatem, & intuitu paupertatis tali vsu libero, & independente Religiosus se priuat per votum, & ideo communiter vsus hic si habeatur sine licentia dicitur, & verè est proprietas, ideo vt talis est habendus, & hoc certum esse debet, quod sit sacrilegiū cōtra votum professionis.

388 Hoc certè considerandum circa hunc vsū, quod vbi dominus rei non sit inuitus, considerari debet quantum valeat vsus rei illius, etiam si illa res nullius esset. Sed tamen hoc valde attendendū, si superior neget licentiam intuitu voti paupertatis, vel ex alia causa. Quia vbi non negat licentiam vtendi re alia de licentia domini intuitu paupertatis, sed alia causa non censetur inuitus, vt director ad vsum paupertatis, sed vt director ad agendum simpliciter. Ideo vsus iste erit, quidem inobedientia, non tamen proprietas. Vnde vt dicebamus vsus prandii apud secularem sine licentia non est contra votum paupertatis. Nam immò viuere ex alieno pauperis est.

389 Quæri etiam hic potest, an Religiosus habens licentiam expendendi ad vnum vsum possit expendere ad alium, vt si habet licentiam emendi imaginem, emat libros. Sunt enim, qui arbitrentur licentiam datam ad vnum vsum præsumi datam ad vsus æquales, vel meliores nisi aliud constet de superioris voluntate. Ita *Ledesma pag. mihi* 50. *ver. à esta difficultad. Anton a Spir. Sancto vbi supra n.*308. *&* 351.*& Peyr. de D. S. q.*2.*c.*2.*§.*1. Verùm hæc extensio per se non valet. Vnde dicunt iidem DD. licentiam datam ad emendum libros, non sufficere ad dandam eleemosynam, licet hic vsus sit melior. Per se igitur dicendum est licentiam datam ad vnū vsum non valere ad alium, vt tradunt *Sanchez l.*7. *mor. c.*19.*num.*68.*Card. de Lugo D.*3. *num.*158. *Donat. d. trac.*15. *q.*21.*Layman. d.c.*7.*num.*4.*fin.* Sed ex circumstantijs res consideranda est, & iudicanda.

390 Quid verò dicendum, si superior det alicui religioso licentiam ad faciendam eleemosynam pro animabus purgatorij, & religiosus quæ diuisim daturus erat & successiuè per multum tempus retineat, vt det semel eleemosynam ad dotandam puellam? Respondent aliqui, quòd licet religiosus habens licentiam ad vnum vsum pium, postea expendat in alium vsum pium, siue quia mutauit voluntatem, siue quia iudicauit superiorem faciliùs concessurum licentiam ad illum quàm ad illum, siue quia verecundiam habuit in petitione illius nō autem istius, non peccare contra votum ex *Fagund. l.*7. *in decal. c.*5. *num.*17. quia religiosus in eo casu habet licentiam exponendi rem, & superior non censetur inuitus nisi quantùm ad modum, in quo nulla cernitur culpa. Tamen in hoc casu non licet religioso puellam dotare, quia non potest rationabiliter extendi licentia superioris ad istum casum. Tum quia licentia superioris intelligebatur da modicis eleemosynis diuisim faciendis. Tum quia superior non potest dare licentiam faciendi eleemosynam pro tanta summa, vt tradunt *DD. apud Fagund. l.*7.*in decal. c.*6.*n.*2. *ex cap. cæterum de donat.* Hæc tamen resolutio ex vtraque parte deficit. Primò quidem, quia per se non valet, vt licentia data ad vnum vsum etiam pium valeat ad alium etiā pium, nisi ex circumstantijs hoc colligatur. Et quòd postea asseritur nullam culpam censeri, si superior sit inuitus solùm quantùm ad modum est prorsus falsum, & contra cæteros DD. qui in hoc saltem culpam venialem cognoscunt. Secundò autem deficit, quia hic nulla quasi est necessaria extensio licentiæ. Quia in hoc casu religiosus esto in effectu non tradiderit pecuniam diuisim, & per temporum internalla, tradidit tamen in affectu & intentione, & successiuè paulatim dedit, sed apud se conseruauit veluti in deposito pro securitate totius summæ ad vsum datis reseruatæ. Et quod dicitur non posse superiorem dare licentiam pro tanta summa, quidquid sit de hoc assumpto dicitur, quòd hæc summa

diuisim

diuisim datur. Licet in effectu quod verò res distrahatur diuisim, vel tota simul est differentia in solo modo distrahendi, non in substantia distractionis, vnde hic sola differentia modi in danda eleemosyna inuenitur. Ideo in hoc casu potiùs considerandum est priùs, an religiosus solùm post annos habeat intentionem dandi dotem, & ex quo poterat eleemosynas facere, & non fecit, veniente occasione dotandi puellam tunc accipiat totam summam, quam potuisset erogare, & tradat illam puellæ. In hoc enim casu disputabile esset an superior possit dare licentiam totam illam summam erogandi, & an Religioso liceat totam illam summam erogare. Sed si religiosus statim ac habuit licentiam dandi eleemosynam, simul habuit intentionem dotandi puellam, & statim ex intentione sua illi puellæ designauit dandam iuxta licentiam, & ex se dedit, quidquid diuisim, & per temporum interualla potuit erogare in eleemosynam, nisi constet de contraria voluntate superioris ex circumstantijs, probabiliter præsumi potest eum non esse circa hoc inuitum quantùm saltem ad substantiam actus, & ita religiosum saltem non peccare mortaliter dotando puellam, maximè si cesset omne scandalum, vt si monialis dotet consanguineam pro ingressu monasterij, nihil ampliùs dando, nisi quòd potuit dare diuisim, & ad fauorem puellæ & hac intentione reseruauit pro hac occasione. Hoc enim certum est, potuisse monialem dare hanc summam diuisim, & illam depositare apud tertium ad fauorem puellæ pro illius dote; non fuit ergo contra paupertatem si dedit, & apud se retinuit veluti in depositum. Et si puella dotanda statim à principio conscia rei acceptat eleemosynam, vt sibi paulatim, & diuisim dandam, res est clara, & res censetur dari diuisim, & diuisim acceptari. Posset verò esse difficultas, si non adesset acceptatio puellæ, quia intentio dandi nec transfert dominium, nec inducit obligationem iustitiæ, vnde remanente rem sub dominio Religionis videri posset, quòd postea dari ampliùs non posset, si superior licentiam ad tantam summam non posset dare. Sed & in hoc casu res ex parte dantis est data diuisim, & virtualiter acceptata, & quòd traditio sit tota simul, non facit, quin traditio non sit valida, quia res data fuit diuisim ex parte dantis, & custodita ad vtilitatem eius cui fuit data. Non enim loquimur hic de intentione dandi in futurum, sed de voluntate actu donante diuisim, licet retinente rem ad commodum donatarij. Et nihilominùs semper ex circumstantijs videndum est an præsumi possit, vel non possit voluntas superioris, vbi variatur vsus, vel etiam modus vsus ad quem licentia fuit obtenta.

391 Ex his patet per se loquendo, & nisi ex circumstantijs licentia superioris præsumi possit, religiosum, qui habet licentiam emendi aliquid non posse vendere aliam rem, vt ex illius pretio emat illud; Nam licentia ad emendum non est licentia ad vendendum.

392 Si tamen religiosus habeat à superiore licentiam indefinitam dandi, & recipiendi putat *Card. de Lugo disp. 3. num. 159.* eum habere licentiam emendi & vendendi; Quia vendere est dare & emere est recipere sub conditione pretij. Et quia id ratione cuius requiritur superioris licentia in dando & recipiendo est translatio dominij, & dominij acquisitio ad quod licentia dandi, & recipiendi se extendit, id verò quod addunt emptio, & venditio non petit nouam licentiam. Nam & Ecclesia quæ potest donare multò magis potest vendere, quia si potest dare sine pretio multò magis potest dare pro pretio, vel æquali, vel vili. Bene tamen admonet hoc verum esse in præsenti, dummodò emere & vendere non sit negotiari, vel species eius, & dummodò licentia dandi non sit data a superiore ex intentione ad donandum, vt licentia data seu commissio data ad distribuendum imagines, vel Rosaria, & dummodò licentia non sit data præcisè, vel ad dandum, vel ad recipiendum, sed ad vtrumque; quia in emptione & venditione & datur, & recipitur, & ideo requiritur licentia ad vtrumque. Et nihilominùs addo, semper considerandas esse circumstantias, quia vbi ex illis de contraria voluntate superioris constaret, non licere de casu ad casum transire.

393 Colligitur etiam quid dicendum sit, an peccet Religiosus, si rem ex deputatis ad vsum communem monasterij mutet in aliam ad proprium vsum congruam, vt si ex syndone formet sibi linteola. Respondetur enim, si desit licentia, & adsit sufficiens quantitas materiæ peccare mortaliter, vt ex Barbosa probat *Alphons. de Leone de off. Conf. recoll. 11. num. 211. Anton. à Spir. Sancto vbi sup. n. 314.* Quia sic facere est vsus rei pretio æstimabilis, seu est vti re, ac si esset dominus rei, qui vsus in præsenti si habeatur inuito superiore, & est iniustus, & est sacrilegus.

394 Vlteriùs autem quæri potest, an peccet Religiosus, qui res sibi ad vsum concessas defert de vno monasterio ad aliud. Videtur enim peccare, quia iura monasteriorum sunt diuersa, & ita tenet *Alphons. de Leon cit. sup. num. 108. ex Homob. Lopez; & Io. de la Cruz. Anton. à Spir. Sancto, vbi sup. num. 199.* Sed distinguendum est. Nam loquendo de rebus deputatis ad vsum particularem religiosi independenter ab existentia eius in hoc monasterio, vel illo certè nullum est peccatum huiusmodi bona transferre de monasterio ad monasterium, neque fit iniuria alicui monasterio, cum talia nullius sint monasterij determinatè, cum sint res concessæ ad proprium vsum religiosi in quocumque monasterio contingat illum esse. Si autem res sit ex illis quæ conceduntur religioso ad vsum quatenus est religiosus huius monasterij; certè huiusmodi non potest religiosus de vno ad aliud monasterium deferre nisi iuxta ritum & consuetudinem cuiuscumque religionis. Nam vestes aliquas sine dubio deferre debet, cum non debeat nudus discedere, & simul viaticum habere debeat, si non mendicat ostiatim. In hoc ergo ordinis consuetudo attendi debet, quam præterire in re graui erit graue peccatum & iniustitiæ, & sacrilegij, quia fit notabile præiudicium monasterio, nisi licentia rationabilis superioris probabiliter præsumi possit.

395 Quæritur etiam, an religiosus habens vestimenta necessaria, vel vnde sibi prouideat de illis ex peculio sibi concesso, peccet accipiendo pecuniam Conuentus pro vestiario dari solitam, & illam in alios vsus expendat minùs necessarios. Dicitur verò nullum esse hic peccatum, si totum fiat de licentia superioris; secus si licentia desit.

396 Ex prædictis colligitur quoque, Religiosum teneri ad custodiendum res sibi ad vsum concessas, ne consumantur, & pereant, vt tradunt *Sanchez l.7.mor.cap.29.num.115.Less.l.2.de iust. cap.41. num.78.* Quia domini est rem consumere pro voluntate. Et prætetea Religiosus habens purum vsum facti tenetur rem conseruare. Ideo tenetur ad hoc adhibere eam curam, quam adhibent diligentes domini circa curam suorum bonorum; ideo peccat, & est iniustus, si per negligentiam latam, seu per latam culpam res aut pereat, aut notabiliter fiat deterior, sed vt supra dictum est, ex hoc non est proprietarius.

397 Si autem quærat quis, an in vsu rerum monasterij possit esse peccatum iniustitiæ, sine peccato proprietatis, sicut potest contingere in vsu rerũ extranearũ. Respondetur, & posse, & contingere, si v.g. superior det licentiam expendendi res monasterij in turpes vsus, vel in quoscumque ad quod licentiã dare nõ habet, vt administrator bonorum Conuentus. In his enim casibus cum non valeat licentia superioris, vt domini rerum, valeat verò eius licentia, vt directoris instituti ex vi voti, vt supra probatum est, ideo stat Religiosum in vsu rerum Conuentus peccare contra iustitiam, & non contra votum paupertatis. Sed & respectu vsus honesti, seu respectu vsus, ad quem se extendit facultas superioris, vt administratoris bonorum Conuentus, idem contingere potest, tum quia potest esse quod motiuum non dandi licentiam sit damnum temporale præcisè, & ex consequenti, quòd Religiosus probabiliter præsumat superiorem esse inuitum solùm ratione damni temporalis illati monasterio per vsũ Religiosi, non verò esse inuitum ratione substantiæ talis vsus præciso damno; in hoc enim casu vsus sine licentia erit solum peccatum iniustitiæ, non verò sacrilegij, quia superior non est inuitus respectu substantiæ illius vsus, quatenus ille opponitur paupertatis voto, sed respectu modi illius, scilicet ratione damni Conuentus. Ex quo in facto excusari possunt multi vsus Religiosorum à culpa mortali sacrilegij contra votum paupertatis.

SVMMARIVM.

1 *Dare sine licentia est de se malum. nu.398.*
2 *Dare sub conditione licentia est, & non est malum. num.399.*
3 *Religiosus alteri Religioso nequit donare sine licentia.num.400.*
4 *Nec res ad sui vsum concessas alteri tradere. numer.401.*
5 *Quod demit de vsu proprio non potest Religiosus alteri tradere sine licentia.num.402.*
6 *In casu aliquo licentia ad esse potest tacita. numer. 403.*
7 *An excedens prudentiam in detrabendo de vsu proprio peccet mortaliter dando eleemosynam. numer.403.*
8 *Nec ad vsum proprium licet concessum ad vnum vsum mutare in alium, nu 404.*
9 *Licentia ad accipiendum aliquando est implicita ad dandum.num.405.*
10 *Artefacta posse donari multi tenent.nu.406.*
11 *Artefacta siue à Conuerso, siue à Chorista acquiruntur Conuentui. numer. 407.*
12 *Religiosus sine licentia vendere non potest artificiosam actionem.num.407.*
13 *Religiosus non potest donare picturam a se factã. num.408.*
14 *Religiosus non est proprietarius, si donet actionem artis, &c.num.408.*
15 *Actio libere habita non est pretio æstimabilis. numer.408.*
16 *Artefacta ex materia aliena acquiruntur domino materia.num.409.*
17 *Manuscripta an possint donari.num.410.*
18 *Manuscripta alterius auctoris non possunt donari. num.412.*
19 *Vendere manuscripta propria non licet. numer. 412.*
20 *Manuscripta sunt auctoris, quantum ad vsum irreuocabiliter, quantum sit ex vi voti paupertatis. num.413.*
21 *B. Albertus Magnus de consilio scripta in vno Conuentus non deferebat ad alium. nu.414.*
22 *Manuscripta donari non possunt.415.*
23 *Immo si sint preciosa, nec a superiore alienari.numer.415.*
24 *Non licet manuscripta transferre ad alium ordinem, nisi cum securitate prioris.nu. 416.*
25 *Manuscripta, vt alij vtilia pretio æstimabilia sunt.num.415. & 417.*
26 *Mutuare, & commodare sine licentia est proprietas.num.418.*
27 *Commodare rem cum securitate ad breue tempus non est culpa grauis. nu.419.*
28 *Idem dicitur de mutuo. num.420.*
29 *In rebus paruis, & crebro occurrentibus censetur adesse licentia tacita ad commodandum ĩnumer. 421.*
30 *An Conuentus teneatur ad soluendum mutuum acceptum a Religioso pro necessitate. nu.422.*
31 *Commutatio non est licita, quia per se non fit ex præsumpta licentia. num.423.*
32 *Inter Religiosos commodatio potest esse debita, & an Religiosus possit cogi ad commodandum propria manuscripta.num.424.*
33 *Non licet remittere debitum. num.425.*
34 *Nisi sit rei spiritualis, vt debitum missarum.numer.426.*
35 *Religiosus aliunde non obligatus potest pro amico celebrare. num.426.*
36 *Contrectare pecuniam, quando & quibus sit prohibitum.num.427.*
37 *Officialis sine licentia, & supra facultatem vtens rebus, seu eas distribuens ad vsum aliorum peccat, sed non est proprietarius. nu.428.*
38 *Superior licet de facili possit esse in rerum administratione iniustus, non tamen tam de facili est proprietarius.nu.429.*
39 *Non est verum vniuersaliter, quod in datis ex causa turpi non possit præsumi voluntas superioris: quia stat datum ex causa turpi remotè honeste esse datum.nu.430.*
40 *In aliquibus casibus Conuentus dat validam licentiam ad vsus illicitos.num.431.*
41 *Ex vi paupertatis, aut iustitia non impeditur superior quin ad beneplacitum donet, quod est de consuetudine, vt donari possit.nu.432.*
42 *Posse concedi Religioso, vt donet consanguineis, nõ est verum nisi cum magna moderatione. nu.433.*

diuisim datur. Licet in effectu quod verò res distrahatur diuisim, vel tota simul est differentia in solo modo distrahendi, non in substantia distractionis, vnde hic sola differentia modi in danda eleemosyna inuenitur. Ideo in hoc casu potiùs considerandum ast priùs, an religiosus solùm post annos habeat intentionem dandi dotem, & ex quo poterat eleemosynas facere, & non fecit, veniente occasione dotandi puellam tunc accipiat totam summam, quam potuisset erogare, & tradat illam puellæ. In hoc enim casu duputabile esset an superior possit dare licentiam totam illam summam erogandi, & an Religioso liceat totam illam summam erogare. Sed si religiosus statim ac habuit licentiam dandi eleemosynam, simul habuit intentionem dotandi puellam, & statim ex intentione sua illi puellæ designauit dandam iuxta licentiam, & ea se dedit, quidquid diuisim, & per temporum internalla potuit erogare in eleemosynam, nisi constet de contraria voluntate superioris ex circũstantijs, probabiliter præsumi potest eum non esse circa hoc inuitum quantùm saltem ad substantiam actus, & ita religiosum saltem non peccare mortaliter dotando puellam, maximè si cesset omne scandalum, vt si monialis dotet consanguineam pro ingressu monasterij, nihil ampliùs dando, nisi quòd potuit dare diuisim, & ad fauorem puellæ & hac intentione reseruauit pro hac occasione. Hoc enim certum est, potuisse monialem dare hanc summam diuisim, & illam depositare apud tertium ad fauorem puellæ pro illius dote; non fuit ergo contra paupertatem si dedit, & apud se retinuit veluti in depositum. Et si puella dotanda statim à principio conscia rei acceptat eleemosynam, vt sibi paulatim, & diuisim dandam, res est clara, & res censetur dari diuisim, & diuisim acceptari. Posset verò esse difficultas, si non adesset acceptatio puellæ, quia intentio dandi nec transfert dominium, nec inducit obligationem iustitiæ; unde remanente rem sub dominio Religionis videri posset, quòd postea dari ampliùs non posset, si superior licentiam ad tantam summam non posset dare. Sed & in hoc casu res ex parte dantis est data diuisim, & virtualiter acceptata, & quòd traditio sit tota simul, non facit, quin traditio non sit valida, quia res data fuit diuisim ex parte dantis, & custodita ad vtilitatem eius cui fuit data. Non enim loquimur hic de intentione dandi in futurum, sed de voluntate actu donante diuisim, licet retinente rem ad commodum donatarij. Et nihilominùs semper ex circumstantijs videndum est an præsumi possit, vel non possit voluntas superioris, vbi variatur vsus, vel etiam modus vsus ad quem licentia fuit obtenta.

391 Ex his patet per se loquendo, & nisi ex circumstantijs licentia superioris præsumi possit, religiosum, qui habet licentiam emandi aliquid non posse vendere aliam rem, vt ex illius pretio emat illud; Nam licentia ad emendum non est licentia ad vendendum.

492 Si tamen religiosus habeat à superiore licentiam indefinitam dandi, & recipiendi putat Card. de Lugo disp. 3. num. 159. eum habere licentiam emendi & vendendi; Quia vendere est dare & emere est recipere sub conditione pretij. Et quia id ratione cuius requiritur superioris licentia in dando & recipiendo est translatio dominij, & dominij acquisitio ad quod licentia dandi, & recipiendi se extendit, id verò quod addunt emptio, & venditio non petit nouam licentiam. Nam & Ecclesia quæ potest donare multò magis potest vendere, quia si potest dare sine pretio multò magis potest dare pro pretio, vel æquali, vel vili. Bene tamen admonet hoc verum esse in præsenti, dummodò emere & vendere non sit negotiari, vel species eius, & dummodò licentia dandi non sit data a superiore ex intentione ad donandum, vt licentia data seu commissio data ad distribuendum imagines, vel Rosaria, & dummodò licentia non sit data præcisè, vel ad dandum, vel ad recipiendum, sed ad vtrumque; quia in emptione & venditione & datur, & recipitur, & ideo requiritur licentia ad vtrumque. Et nihilominùs addo, semper considerandas esse circumstantias, quia vbi ex illis de contraria voluntate superioris constaret, non liceret de casu ad casum transire.

393 Colligitur etiam quid dicendum sit, an peccet Religiosus, si rem ex deputatis ad vsum communem monasterij mutet in aliam ad proprium vsum congruam, vt si ex syndone formet sibi linteola. Respondetur enim, si desit licentia; & adsit sufficiens quantitas materiæ peccare mortaliter, vt ex Batchio probat *Alphons. de Leone de off. Conf. recoll. t. 1. num. 211. Anton. a Spir. Sancto vbi sup. n. 314.* Quia sic facere est vsus rei pretio æstimabilis, seu est vti re, ac si esset dominus rei, qui vsus in præsenti si habeatur inuito superiore, & est iniustus, & est sacrilegus.

394 Vlteriùs autem quæri potest, an peccet Religiosus, qui res sibi ad vsum concessas defert de vno monasterio ad aliud. Videtur enim peccare, quia iura monasteriorum sunt diuersa, & ita tenet *Alphons. de Leon cit. sup. num. 108. ex Homob. Lopez, & Ia. de la Cruz. Anton. a Spir. Sancto, vbi sup. num. 199.* Sed distinguendum est. Nam loquendo de rebus deputatis ad vsum particularem religiosi independenter ab existentia eius in hoc monasterio, vel illo certè nullum est peccatum huiusmodi bona transferre de monasterio ad monasterium, neque fit iniuria alicui monasterio, cum talia nullius sint monasterij determinatè, cum sint res concessæ ad proprium vsum religiosi in quocumque monasterio contingat illum esse. Si autem res sit ex illis quæ conceduntur religioso ad vsum quatenus est religiosus huius monasterij; certè huiusmodi non potest religiosus de vno ad aliud monasterium deferre nisi iuxta ritum & consuetudinem cuiuscumque religionis. Nam vestes aliquas sine dubio deferre debet, cum non debeat nudus discedere, & simul viaticum habere debeat, si non mendicat ostiatim. In hoc ergo ordinis consuetudo attendi debet, quam præterire in re graui erit graue peccatum & iniustitia, & sacrilegium, quia fit notabile preiudicium monasterio, nisi licentia rationabilis superioris probabiliter præsumi possit.

395 Quæritur etiam, an religiosus habens vestimenta necessaria, vel vnde sibi prouideat de illis ex peculio sibi concesso, peccet accipiendo pecuniam Conuentus pro vestiario dari solitam, & illam in alios vsus expendat in vsus minùs necessarios. Dicitur verò nullum esse hic peccatum, si totum fiat de licentia superioris [illegible]

Ea

396 Ex prædictis colligitur quoque, Religiosum teneri ad custodiendum res sibi ad vsum concessas, ne consumantur, & pereant, vt tradunt *Sanchez l.7.mor.cap.19.num.115.Less.l.2.de iust.cap.41. num.78.* Quia domini est rem consumere pro voluntate. Et præterea Religiosus habens purum vsum facti tenetur rem conseruare. Ideo tenetur ad hoc adhibere eam curam, quam adhibent diligentes domini circa curam suorum bonorum; ideo peccat, & est iniustus, si per negligentiam latam, seu per latam culpam res aut pereat, aut notabiliter fiat deterior, sed vt supra dictum est, ex hoc non est proprietarius.

397 Si autem quærat quis, an in vsu rerum monasterij possit esse peccatum iniustitiæ sine peccato proprietatis, sicut potest contingere in vsu rerū extranearū. Respondetur, & posse, & cōtingere, si v.g. superior det licentiam expendendi res monasterij in turpes vsus, vel in quoscumque ad quod licentiā dare nō habet, vt administrator bonorum Conuentus. In his enim casibus cum non valeat licentia superioris, vt domini rerum, valeat verò eius licentia, vt directoris instituti ex vi voti, vt supra probatum est, ideo stat Religiosum in vsu rerum Conuentus peccare contra iustitiam, & non contra votum paupertatis. Sed & respectu vsus honesti, seu respectu vsus, ad quem se extendit facultas superioris, vt administratoris bonorum Conuentus, idem contingere potest, tum quia potest esse quod motiuum non dandi licentiam sit damnum temporale præcisè, & ex consequenti, quòd Religiosus probabiliter præsumat superiorem esse inuitum solùm ratione damni temporalis illati monasterio per vsū Religiosi, non verò esse inuitum ratione substantiæ talis vsus præciso damno; in hoc enim casu vsus sine licentia erit solum peccatum iniustitiæ, non verò sacrilegij, quia superior non est inuitus respectu substantiæ illius vsus, quatenus ille opponitur paupertatis voto, sed respectu modi illius, scilicet ratione damni Conuentus. Ex quo in facto excusari possunt multi vsus Religiosorum à culpa mortali sacrilegij contra votum paupertatis.

SVMMARIVM.

43 *Quæ causa rationabiles concedendi licentiam expendendi, &c. num. 434.*

44 *Licentia data Religioso manendi extra claustra; non est licentia expendendi in vsus non necessarios. num. 435.*

45 *De ludo, & eleemosyna, remissiue. nu. 436.*

46 *Permittens rem ab alio dilapidari potest esse iniustus, sed non est proprietarius. 437.*

47 *Male acceptis sine proprietate potest vti Religiosus de licentia superioris, si illa sunt acquisita Conuentui. num. 438.*

48 *Qui fingit se acceptare aliquid à saeculari, & non acceptat illud, si id det consanguineo potest esse iniustus contra donantem; sed non est proprietarius, quia solum rem alienam administrat. numer. 439.*

49 *Licentia dandi non continet licentiam recipiendi. num. 440.*

50 *Dans non habenti licentiam recipiendi, si ipse habet licentiam dandi non est proprietarius, licet peccet peccato scandali, & idem est de eo qui habet licentiam accipiendi, si accipit ab eo, qui non habet licentiam dandi. num. 440.*

Qualiter Religiosus peccet res monasterij alienando, seu illis vtendo ad commodum aliorum.

INSPECTIO XV.

398 REgula certa in hac parte est religiosum peccare nedum contra votum paupertatis, sed etiam sæpius contra iustitiam, si res monasterij alijs donet, vel ad aliorum vsum tradat sine superioris licentia. Constat tamen ex dictis ad peccatum vitandum sufficere superioris licentiam aut expressam, aut tacitam, aut præsumptam. Constat quoque huiusmodi licentiam valere ad effectum excludendi culpam. proprietatis simpliciter etiam si detur ad actus seu vsus turpes, ac vanos, aut superfluos, vnde tunc solùm vsus temporaliú est in religioso culpa contra votú paupertatis simpliciter, cú est sine licétia superioris. Quámuis huiusmodi licentia iniusta nihil valeat ad vitandam culpam aut pœnam contra ius positiuum Concil. Trident. aut Pontificum in casibus in quib. prohibent huiusmodi licentiam concedi.

399 Limitatur veró hæc regula, si vsus sit conditionatus. Posse enim religiosum donare, vel vendere, vel alio modo alienare res monasterij sub códitione licentiæ superioris, docent *Sanchez l. 7. moral. cap. 19. nu. 69. & Card. de Lugo d. 3. de iust. nu. 161.* Et ratio est, quia conditionalis cum non ponat in esse, qui alienat sub conditione licentiæ nihil alienat sine licentia, cum alienatio nihil valeat non posita conditione seu licentia. Sed de hoc dictum est, supra num. 98. & adnotatum, quòd traditio actualis sub conditione licentiæ obtinendæ per se non est licita.

400 Limitatur secundo si religiosus donet religiosis eiusdem Conuentus aut prouinciæ, quia tunc nullum damnum infertur monasterio apud quod semper manet res donata, & solùm transfertur vsus de vno ad alium religiosum sub dispositione superioris, qui semper de ea re disponere potest, & illam reuocare si velit. Sic enim tenent *Peyrinus in R. subl. q. 2. c. 1. §. 6. ex Ledesma, Llamas, & Fagundez. Coriol. p. 2. de cas. reser. cas. 8. num. 6. Caramuel d. 64. in regulam S. Bened. num. 965.* docens posse religiosum alteri religioso donare picturam valentem etiam 100. aureos, & citans pro se *Roman. t. Fagundez, & Machadum,* nec dissentit *Diana tract. de paupert. resol. 39. & p. 7. tract. 1. resol. 20. Rodriquez* autem *tom. 1. sum. c. 90. num. 11. con. 5.* vult, religiosum donantem alteri religioso librum valentem quinque aureos nullo modo peccare, saltem veró non peccare mortaliter docent *Sanchez cap. 19. citat. nu. 66. & Card. de Lugo d. 3. de inst. num. 176.* quia liber manet conuentui. & parum extrahitur ab vsu monasterij, vnde superior non est inuitus saltem quantum ad substantiam. Verum oppositum docent *Suarez tom. 3. de relig. l. 8. c. 15. num. 6. Corduba sum. q. 109. Mendoza quodl. q. 8. concl. 3. Lopez 1. p. instruct. conscient. cap 156 Rodriquez qq. reg. tom. 3. q. 29. n. 10. concl. 3. Sanchez dicto cap. 9. & num. 66.* Dicendum igitur est, quòd Religiosum donare Religioso eiusdem Conuentus sine licentia per se est illicitum & contra votum professionis. Tum quia prima opinio in sua ratione deficit multipliciter: nam primò dato quòd hic non interueniat damnum Conuentus, probat solùm quòd non adsit culpa iniustitiæ, sed non probat quòd non adsit peccatum proprietatis, quod locum habet etiam respectu rei, quæ sit nullius, & ex eo quòd religiosus nec habet vsum facti nisi precarió & dependenter à voluntate superioris, donare veró, vel quocumque modo alienare res censetur actus dominij, & est vsus proprietarius si habeatur sine licentia superioris. Tum secundò quia & adhuc falsum est, quòd non possit hic adesse damnum monasterij multis ex causis, & præcipuè, quia religiosus statim recessurus à monasterio extraher rem illam donatam, ad aliud monasterium, quod non est sine damno prioris monasterij. Tum tertiò quia aliud est quòd possit in hoc casu faciliùs præsumi licentia superioris, aliud est quòd, vel semper præsumi possit, vel quòd religiosus sine etiam præsumpta licentia possit aliquid alteri religioso eiusdem monasterij donare, vel tradere. Primum horum trium est verum, tertium est omnino falsum, secundum etiam non est verum, quia multum interest obseruantiæ voti paupertatis, vt huiusmodi donationes, vel alienationes passim sine licentia nô concedantur, cum etiam, quod est vni religioso vtile possit esse inutile & damnosum alteri.

401 In hoc igitur casu primò distinguendum est inter res deputatas ad communem vsum monasterij, & inter illas, quæ conceduntur ad vsum religiosi independenter ab existentia eius in hoc, vel illo monasterio, & quas religiosus secum defert transiens de vno ad aliud monasterium. Loquendo enim de primo genere rerum, nisi religiosus illas tradat alteri veluti proprias, & tanquam existentes de secundo genere & ex consequenti, vt extrahibiles ab vno ad alium Conuentum, facilè potest præsumi licentia superioris, & admitti consuetudo, vt vnus religiosus alteri possit has res concedere, quia veré non transfertur nisi vsus manente semper re apud eundem Conuentum, & vsu sub arbitrio superioris Conuentus. Sed loquendo de rebus secun-

di generis potest de facili contingere damnum Cõuentus, maximè in religionibus in quibus est vsus affiliationum, Nam si filius Conuentus Crem. iam senex donet aliquid magni valoris fratri statim recessuro ab eo Conuentu damnum infert illi Conuentui, cui in morte senis illius omnino remanent bona ad eius vsum concessa, & remaneret illud, quod illi fratri recedenti donatur. Propterea dicitur, quòd nisi in singularibus casibus præsumi possit licentia superioris, semper est culpa proprietatis, si vnus religiosus det alteri sine superioris licentia. Et hæc culpa est mortalis supposita materia sufficiente. Et licet hæc culpa præciso damno Conuentus non sit culpa iniustitiæ, si adhuc Conuentus non sit inuitus, erit tamen semper culpa proprietatis. Et quòd faciliùs possit præsumi licentia dandi fratribus eiusdem, quàm alterius monasterij, aduertit etiam *Ledesma de stat. cap. 4. concl. 3. dub 6. pag. 55.* Et licet vbi non infertur damnum monasterio faciliùs præsumi possit licentia superioris, non tamen hoc sufficit ad illam absolutè præsumẽdam, quia aliunde ex causis pertinentibus ad bonum regimen Conuentus, & prælertim ad non relaxandam paupertatis obseruantiam potest superior habere motiua plura negandi licẽtiam ad huiusmodi alienationes. Et superiores prudentes, & zelum religionis habentes minùs curant damnum temporale Conuentus, quàm disciplinæ regularis relaxationem. Et ita quòd religiosus absolutè non possit res sibi ad vsum concessas alteri tradere sine licentia superioris ad minùs præsumpta docent *D. Anton. 3. p. tit. 16. c. 1. §. 11. Syluester v. religio 6. q. 7. Lopez p. p. instruc. cap. 156. Passarellus in compend. priuil. fratrum minorum cap. 43. titul. de propriet. Valentia 22. d. 10. q. 4. p. 3. corol. 5. Lessius l. 2. de iust. c. 41. dub. 9. num. 79. Mendoza in quodl. q. 8. concl. 3. Rodriquez qq. reg. tom. 3. q. 29. Suarez tom. 3. de relig. l. 8. cap. 15. nu. 1. & 6. Sanchez l. 7. mor. c. 19. num. 64. Ledesma de stat. cap. 4. conclus. 3. dub. 6. pag. 54.*

402 Limitari videtur tertiò regula, vt non valeat de illis, quæ ex communibus bonis monasterij sibi conceduntur ad vsum, si aliquid sibi subtrahat, quod consumere posset, puta si parciùs viuat, & de quantitate sibi subtrahat, & partem reseruet, vt possit hanc partem donare etiam extraneis. In hoc enim casu non videtur esse damnum Religionis, quia illam partem religiosus instè poterat consumere, & vlteriùs in hoc non videtur religiosus se habere, vt dominus, sed potiùs vt seruus. Nam nec seruo hæc facultas negatur. Nihilominùs dicitur, non licere religioso subtrahere sibi de cibo, vel pecunia ad iter concessa, vel de aliqua simili re partem aliquam, & illam sine licentia superioris alienare. Et ratio est, quia religioso conceditur solus vsus facti, & quidem precariò & ad voluntatem superioris, & ideo præter illum vsum ad quem res conceditur non potest alterum vsum sibi vsurpare. Tum quia religioso conceditur cibus ad sui sustentationem, & pecunia ad iter quantùm sufficit ad huiusmodi fines. ideo si non indiget, id quo non indiget manet religioni, & si indiget non potest illud sibi religiosus sine licentia subtrahere, vt alteri tradat. Tertiò Nam & in hoc adest damnum Conuentus, seu religionis, si religiosus necessariam sibi sustentationem non accipit, ex quo, vel infirmatur, vel fit minùs vtilis ad exercitia religionis. Et ita hanc partem docent *Turrecrem. cap. non dicatis num. 6. D. Anton. 3. p. tit. 16. §. 11. Syluest. v. religio 6. q. 7. Sotus 4. de iust. q. 1. a. 2. Suarez tom. 3. de relig. l. 8. c. 15. num. 8. Dianatus tom. 3. tr. 15. q. 23.* Et sumitur ex *D. Th. 22. q. 32. a. 8. ad 2.* vbi absolutè docet, non licere religioso extra casum necessitatis facere eleemosynam sine licentia superioris saltem probabiliter præsumpta quod & docuit *Alensis 4. p. q. 83. num. 4. a. 1.* vnde nec ex titulo charitatis potest religiosus partem suo vsui detractam alteri tradere sine licentia.

403 Solum hoc potest limitari, si ex regula vel probata consuetudine constet religioso concedi tantamq; quantitatem pecuniæ sibi, vt si quid superfluum fuerit possit religiosus pauperibus erogare. In hoc enim casu erit licentia tacita dandi eleemosynam de parte sibi subtracta. In quo tamen religiosus vti debebit prudentia, eiusque mensuram non excedere. Vt tradit Suarez loco citato. Si tamen in hoc casu religiosus mensuram prudentiæ excederet, putat Suarez quòd etiam excederet mensuram facultatis & licentiæ concessæ. Ex quo dicendum esset illum peccare etiam contra votum paupertatis tanquam eum qui alienaret sine licentia. Quod mihi videtur rigorosum nimis, quia sequeretur quòd si excederet venialiter mensuram prudentiæ peccaret mortaliter contra votum paupertatis, si notabilem summam distraheret, quod esset maximum laqueum conscientiæ religiosis imponere. Nam si facultas non extenditur vbi exceditur mensura prudentiæ, quia hæc mensura exceditur, vbi venialiter peccatur, tunc ergo religiosus sine licentia alienaret rem notabilem, quod esset peccatum mortale. Ideo hoc ita est explicandum, vt vbi exceditur mensura prudentiæ superior sit inuitus solùm quantùm ad modum, non verò quantùm ad substantiam, scilicet sit inuitus ratione excessus imprudentis, non verò ratione alienationis, & sic talis religiosus peccet venialiter contra obedientiam, & contra paupertatem. Nam ex hac parte supposita detractione superior est contentus ut pars detracta alienetur titulo charitatis, licet sibi displiceat modus detractionis.

404 Colligitur verò ex dictis, religiosum nedum respectu aliorum, sed nec respectu sui ipsius posse mutare usum rei ad quem sibi res est à superiore concessa. Vnde quod datur ad cibum, non potest, vel vendere, vel donare nisi & in hoc habeat unde præsumat licentiam superioris. Ita Suarez loco citato, & quod dicunt aliqui, licentiam concessam ad unum usum valere ad usum æqualem, vel meliorem, non debet admitti, nisi si id fiat ex præsumpta licentia superioris, ut tradunt *Sanchez dicto cap. 19. nu. 68. & Mendoza quodl. q. 8. concl. 3. Rodriq. tom. 3. qq. regul. q. 29. a. 10. concl. 4. Card. de Lugo d. 3. de iust. num. 158. Laymann l. 4. tr. 5. cap. 7. num. 4. fin. Anton. à Spir. Sancto vbi supra num. 223.* Vnde nec licentia dandi vni valet ad dandum alteri, vt bene aduertit *Alphons. de Leon de officio Confess. recoll. 11. num. 296. ex Sanchez*, nisi sit talis licentia, vt præsumi possit extendi etiam ad alium.

405 Bene verum est posse contingere, quòd licentia accipiendi aliquid contineat tacitam licentiam illud donandi alijs, nimirum domesticis, & amicis etiam extraneis si res accepta, vel empta sit talis, quæ non est ad vsum religiosi accipientis,

sed ast de illis, quæ solent regulariter dispensari amicis, vel domesticis, vt sunt imagines, rosaria, numismata, & alia similia munuscula, vel etiam mobilia maioris pretij, quæ non solent acquiri nisi vt donentur. Licentia enim ad huiusmodi acquirenda est tacita licentia ad illa distribuenda, vt bene aduertunt *Sanchez dicto cap. 19. num. 70. & Bonac. de sacr. mun. p. 6. num. 24.*

406 Limitatur quartò regula prædicta, vt non valeat de opere in gratiam alicuius habito, vel seruitute alteri præstita, quia si religiosus in aliquo opere etiam pretio æstimabili inseruiat etiam extraneo, poterit quidem peccare contra obedientiam si id faciat superiore inuito; non tamen peccabit contra votum paupertatis, sicut nec contra hoc votum peccat, si alterius obsequia recipiat. Ideo *Card. de Lugo d. 3. de iust. num. 149. & Diana de paup. relig. resol. 6. Anton. à Spir. Sancto vbi sup. num. 241. Caton. lib. 4. coatr. 6. c. 2. num. 104.* docent, quòd religiosus pictor, si ad instantiam secularis pingat, potest sine licentia dare illi picturam, etiam si valeat quantitatem aureorum. Licet enim non possit religiosus facere picturam ex intentione dandi illam amico, & illam dare sine licentia; quia hoc modo factum ex labore acquiritur ipsi monacho & monasterio, vnde non potest picturam factam donare, quia illa est acquisita religioni, ideo sine licentia non potest distrahi, Sed si amico instante religiosus laboret, & pingat, & amico donet solùm opera sua, & laborem, iam pictura dum fit acquiritur amico, & ideo religiosus sine violatione voti paupertatis potest hanc picturam illi tradere non petita licentia à superiore. Sic si religiosus amico det suam operam in libro transcribendo, non peccat contra votum paupertatis. Immò *Caramuel d. 59. in reg. S. Bened. num. 859.* censet, quòd si religiosus insignis pictor picturam à se factam valētem mille florenos donet seculari contra voluntatem superioris, si tabula & colores fuerunt dati à seculari, non esse peccatum contra votum paupertatis, sed bene posse esse peccatum mortale contra obedientiam, si notabile tempus consumpsit in pingendo contra voluntatem superioris. Immò si dentur duo religiosi pictores, qui æquale tempus consumant in pingendo contra voluntatem superioris, & vterque picturam suam donet seculari; erit æquale peccatum, licet vnius pictura multùm valeat, & alia ferè nihil æstimetur; quia peccatum consistit in consumptione temporis contra voluntatem superioris. Addit insuper, artefacta à religioso chorista, qua talia non pertinere ad Conuentum, & ideo illum posse de illis disponere, qua artefacta sunt præscindendo à valore materiæ, sed arte facta à laico, qui tenetur seruilia exercere pro monasterio pertinere ad Conuentum, nec eum posse de illis disponere. Quam tamen distinctionem non approbat *Diana p. 7. tract. 11. resol. 17.*

407 Et verè hæc distinctio non potest approbari; quia artefacta à religioso chorista, vel nulli acquiruntur, vel acquiruntur monasterio. Nequit enim dici, quòd nulli acquirantur, quia ex natura rei iure gentium spectato, artefacta acquiruntur artifici. Cum vero religiosus sit incapax dominij priuati, sed sit capax dominij in communi, igitur ab eo artefacta non acquiruntur ipsi particulari, sed acquiruntur monasterio seu communitati, in quam omne ius particularis religiosi transfertur nisi, vt infra dicitur, ratione materiæ ad alium spectent. Supposito igitur quòd artefacta à religioso religioni acquirantur, quia artefacta acquiruntur artifici, nisi artifex opus suum prius, aut vendat, aut donet, quia tunc artefacta sunt illius ad cuius instantiam artifex operatus fuit, & operam suam, vel vendidit, vel donauit, dicendum est, quòd artefactum à religioso acquiritur monasterio, nisi religiosus prius operam suam, vel vendiderit, vel donauerit seculari. Est autem in hoc difficultas, quoniam est certum, quòd religiosus non potest operam suam vendere sine licentia superioris, quoniam esset vti re pretio æstimabili sine licentia; qui vsus est proprietarius, igitur nec poterit opera sua donare, quia opera sua sunt pretio æstimabilia, cum sint vendibilia.

408 Nihilominùs censeo limitationem regulæ esse veram, & simul veram resolutionem supradictorum DD. distinguentium, & dicentium, non posse religiosum sine licentia donare picturam, vel aliud à se artefactum, sed bene posse donare suam operam, & operari ad instantiam secularis, & tunc materia artis subministrata à seculari, totum artefactum illi acquirit; & religiosum in hoc agere quidem contra votum obedientiæ, si operetur contra voluntatem superioris, non verò contra paupertatem saltem directè. Ratio est quia actiones humanæ liberæ solùm per accidens sunt pretio æstimabiles, cum aliàs ex nobilitate libertatis omne pretium superent. Vnde est, quòd agere ad commodum pro mercede seruile est, sed agere ad alterius vtilitatem ex libertate & magnitudine animi nihil seruile habet, nec est quid pretio æstimabile, sed superat omne pretium; accidit verò liberæ actioni quòd fiat seruiliter, cum aliàs ex se nobilissimæ conditionis sit in quantum libera est, & non necessitatur ex contractu, sed habetur ex honestate virtutis. Opera igitur præstita in obsequium alterius de se, & per se non sunt materia voti paupertatis, ideo Religiosus ea præstando sine licentia superioris peccat quidem per inobedientiam, non verò est proprietarius, & sic licet artefacta iam acquisita monasterio non possit donare, sicut nec potest donare materiam, ex qua fiunt, quia hæc est pretio æstimabilis, potest tamen donando operam artis facere, vt artefactum acquiratur seculari. Quod verò dicebat *Caramuel num. 859.* quòd conuersus teneatur ex professione ad opera vitæ actiuæ, & omnia opera sua obtulerit communitati, & ideo artefacta ab illo, tanquam ordinata ad seruitium monasterij non possunt ab eo alienari, nisi artefactum sit editum à Conuerso horis in quibus non tenetur laborare pro Conuentu, nec etiam ad intentum subsistit. Quia nec conuersus ex iustitia commutatiua tenetur ad opera actiuæ vitæ, sed ex voto obedientiæ; & aliàs & ipse ex vi voti paupertatis quidquid acquirit, acquirit monasterio. Quod si ipse liberaliter velit agere ad vtilitatem secularis, peccabit si id faciat contra obedientiam superioris, sed non erit proprietarius, quia actio liberaliter habita non est materia paupertatis, nec pretio æstimabilis. Nec per se ex hoc iniustè damnificabit Conuentum, nisi aliunde ex hoc damnum Conuentui adueniat, cuius conuersus sit iniusta causa.

409 Immò hinc deducitur, quòd vbi Religi-

sus artifex operetur ex materia aliena, artificiatum erit eius cuius est materia, nisi ex pacto aliud fuerit constitutum, quia forma artificialis est accidens materiæ, quod inuito domino non potest à materia separari cum damno illius. Et sic ex eo solum quòd Religiosus ex materia aliena operatur, nisi aliud exprimat ex pacto explicito, vel implicito, cēletur opera sua donare, & cōsequēter non Religioni, sed illi, qui est materiæ dominus acquirit, nā eius materiā, vel alterat, vel immutat, vel consumit. Et ad hoc probandum fauent, quæ supra q.185. a.7. in spec.8. à num.655. dicta sunt de melioramentis non necessarijs in solo alieno factis.

410 Ex hoc aliqui dicunt manuscripta manere in religiosi potestate *Valerus* enim in differ. vtriusque iuris & *manera** ca.106. & verb. regula difficult.8. nu.2. quem adducit, nec improbat *Diana p.1. t.6. resol 25.* Item *Caramuel disp.59.num.83 1.* docent libros manuscriptos semper esse religiosi, eosque posse secum deferre, quocumque vadat, etiamsi trāseat ad aliam Religionem, idque nulla petita licentia, nulloque relicto exemplo. Ex quo deducunt aliqui, quòd eos possit Religiosus etiam donare. Et hoc confirmant, quia teste *Cortolano tract. de casib. reseru. p.2. casu 16. num.19.* Clemens Octauus declarauit sine contrauentione sua constitutionis de largitione munerū posse Religiosos manuscripta propria sibi inuicem donare, fortè quia hæc ex natura sua non sunt pretio æstimabilia. Quod extendunt, vt sit verum, siue scripta concinnata fuerint in seculo, siue in religione, & siue ab ipso, siue ab alio authore confecta sint. Nam & Valerus, & Diana indistinctè dicunt libros manuscriptos esse Religiosi. *& Anton. à Spir. Sancto par.2. Directl. disp.4.* expressè hoc extendit *num. 246.* ad manuscripta ab alio confecta. Et nihilominus alia ex parte *Nauar. l.3. consil. de regular. cons.55. numer.9. & 10. & Rodriq. qq. reg. tom.1. q.79. a.2. fine*, quos refert, & sequitur *Sanchez l.7. mor. cap.32. numer.13. Donatus d. tract.5. q.46.* tenent, Religiosum transeuntem ad aliam religionem non posse deferre secum scripta à se elaborata, nisi vel Priori religioni sint inutilia, vel nisi credat delationem non fore ingratam Religionis superiori. Quod *Sanchez tom.4. de relig. lib.4. cap.13. num.8.* ampliat, vt sit verum, si libros scriptos, quis deferat animo restituendi postquàm illos transcripserit, vel si tunc hoc non potest, nisi cum magno incommodo, saltem in fine vitæ.

411 In primis autem loquendo de libris manuscriptis ab alio elaboratis, non video quodnam discrimen sit inter illa, & alios libros impressos; nisi quod manuscripti nondum impressi, quia rariores, sunt maioris valoris, & pretij regulariter: & de istis loquuti sunt *Valerus, & Diana, vel Caramuel.* Pleno enim iure sunt religionis, sicut & alij libri, & sunt pretio æstimabiles, vnde Religiosus sine licentia non potest de illis disponere; nec ad aliam religionem deferre. Vnde improbabiliter dicis asseritur ab Anton. de Spirit. S. quod possint dari etiam extraneis sine superioris licentia.

412 Absolutè etiam loquendo de proprijs manuscriptis dicendum est, Religiosum non posse libros manuscriptos contractu onerozo alienare, scilicet vel eos vendere, vel commutare. Ratio est; quia hoc modo libri manuscripti fiunt pretio æstimabiles, & est vti illis, vt pretio æstimabilibus, quod Religiosus non potest facere sine licentia. Et hoc à fortiori supponunt *Nauar. Rodriq. Sanch. & Suarez citati.* Quod verò *Caramuel* prætendit, quod Religiosus manuscriptorum suorum habeat verum dominium, quia manuscripta sunt imagines, & effectus ideæ authoris, admitti nullo modo debet. Neque enim Religiosus ex eo quòd aliquid causat est dominus illius, nec imago ex eo quòd imago est, est sub dominio illius, quē repræsentat. Et aliàs dominium paupertati repugnat. Ideo nec admitti potest, quod num. 838. concedit tanquam probabile, quod scilicet Religiosus de suis manuscriptis possit testari, & quod Capucini videantur suorum manuscriptorum domini. In ordine enim ad alios manuscripta pretio sunt æstimabilia, & sunt pecunia cuius dominium nequit habere Religiosus.

413 Et nihilominùs dicitur, libros manuscriptos à proprio authore elaboratos per se & ex natura sua non esse rem pretio æstimabilem, quatenus sunt vsui proprij authoris, quia non sunt nisi accessoria scientiæ illius, quæ non est pretio æstimabilis, & sunt veluti in subsidium memoriæ ipsius; quod bene considerauit Suarez citatus, ideoque Religiosum ex vi voti paupertatis non prohiberi tales libros apud se retinere, nec superiores ex vi voti paupertatis posse auferre ab eo tales libros, sicut nec possunt auferre scientiam, vel studium ad sciendum. Neque obstat quòd materia librorum sit pretio æstimabilis, & maneat eius dominium apud religionem; quia ex quo semel ad hunc vsum materia illa concessa est Religioso, per accidens concessa est irreuocabiliter, quia per characteres illos facta est accessoria scientiæ, & quia concessa est ad vsum non æstimabilem pretio censetur tanquam non existens amplius in hac parte, & tanquam consumpta, ex quo ad ordinem rei excedentis omne pretium est eleuata. Accedit, quòd cum homo habeat ius naturæ ad scientias acquirendas, & ad perficiendum intellectum per rerum notitiam, per votum paupertatis non amittit hoc ius, & sicut propterea ex iure naturali sustentandi vitam habet quod religio sibi prouidere debeat de necessarijs, & quòd etiam superiore inuito in casu aliquo necessaria sibi retinere valeat, ita non esset superior rationabiliter institutus, si chartam quam semel concessit scribenti, postquam scriptor suos conceptus in ea expressit ad meliorem vsum suæ scientiæ, vellet auferre, possetque Religiosus inuito superiore retinere, quia iam charta facta est iure naturali Religiosi, & eius vsui applicata, & ad vitam eius, vt humanam, & rationabilem omnino necessaria. Quod tamē intelligitur de libris manuscriptis spectantibus ad scientias, vel artes Religioso à iure, vel regula non prohibitas; quia vbi studium alicuius scientiæ, vel artis sit prohibitum, simul prohibitum est scribere. In quo tamen considerandum, quòd scientia priuata potest non esse prohibita, sed vtilis & necessaria Religioso, sicut scientia iuris ciuilis, sine qua minùs perfectè intelliguntur Canones sacri, licet leges publicè in vniuersitatibus profiteri Religioso claustrali non conueniat sine licentia; ideo vbi scientia priuata Religioso non sit interdicta, sicuti est scientia ad malum ordinata, propria manuscripta de tali scientia conditionem scientiæ

induunt

induunt & iura naturali sunt Religiosi, nec sunt pretio æstimabilia, & quatenus materia illorum, scilicet charta nudè sumpta sit pretio æstimabilis, ex eo quòd scripta scriptura spectante ad scientiam & ad vsum scientificum, & licitum Religiosi scribentis transijt in materiam non æstimabilem pretio, vel necessariam Religioso ad finem honestum à superiore irreuocabilem. Et sic verè non est amplius materia voti paupertatis, & quatenus esset, iam est materia necessaria; quæ nequit auferri rationabiliter, quia necessaria Religioso ad vitam, vt rationabilem, & ad perfectionem sui intellectus obtinendam. Ideo superiorem peccare, si sine causa scripta alicuius, vel igne mandat, vel edit nomine alterius dixit *Caramuel num.482.* Quod est verum, non quia Religiosus habeat dominium ciuile suorum scriptorum, sed quia ex iure naturali sibi debetur eorum vsus. Et nihilominùs, quia & in vsu naturalium Religiosus est sub directione superioris, si darentur inconuenientia ex alicuius scriptis, posset Prælatus auctorem illis priuari, & prout boni communis exigentia peteret, de illis disponere, ne vel auctori, vel alijs etiam secularibus essent nociua.

414 Nec obstat, quod habet *Donatus tom. 3. tract.15.q.46.de B.Alberto Magno*, quem dicit post mortem Iordanis Ordinem Prædicatorum rexisse, quia scilicet ipse manuscripta sua, & sui felicissimi ingenij monumenta in vno Conuentu completa, nec secum ferebat ad alium Conuentum, cum cognosceret se dominium illorum non habere, sed ea pertinere ad Conuentum in quo ea compleuerat. Quod ipse Donatus putat factum actu iustitiæ non pietatis. Sed cum hoc tanquam singulare dicatur de tanto viro, bene constat, quòd id non faciebat ex necessitate, sed ex consilio, & magna paupertatis affectione. Vnde hoc non refertur de Sancto Thoma, nec de tot alijs piissimis DD. quos eadem Religio, & aliæ habuerunt. Quod etiam idem B. Albertus Magnus Ordinem suum rexerit non inuenio, quia ille nunquam fuit Generalis Ordinis Prædicatorum. Sed Iordano successit Ioan. Theutonicus.

415 Et nihilominùs quia libri manuscripti sunt vtiles alijs, & vt vtiles alijs sunt pretio æstimabiles sicut & alij libri, dico, non posse Religiosum sine licentia huiusmodi libros donare; sub hac enim ratione ad diuitias pertinent, & sunt sub dominio religionis, & immò pertinent ad diuitias magis pretiosas, ex quibus nedum consequi possit vtilitas temporalis libros, vel dando ad transcribendum, vel vendendo, vel imprimendo, sed magna vtilitas spiritualis, & honor religioni; Ideo nedum Religiosus priuatus non potest illos donare maximè extraneis, sed & numerantur inter mobilia pretiosa (si sint libri Authoris grauis, & docti) vt nec à superiore alienari possint inconsulto Summo Pontifice; magis enim religioni, quàm calix argenteus, vel candelabrum pretiosa esse debent.

416 Ideo veram puto sententiam Nauar. & aliorum dicentium, religiosum transeuntem ad aliam religionem non posse deferre scripta propria nisi, vel sint priori religioni inutilia (si hic casus dari potest, quod puto impossibile de scriptis viri grauis, & docti) vel habeatur sufficiens facultas à prioris religionis superiore. Dico tamē quòd admitti possit & debeat limitatio Suarez dummodò libri sine periculo; & securè priori religioni conseruentur posse religiosum secum illos deferre, vt illos trāscribat, vel transcribi facit, & vel originale, vel copia priori religioni securè tribuatur. Licet enim tales libri quatenus sunt authori vtiles sint veluti extra materiam voti paupertatis, cum sint eius intellectus veluti filij spirituales; tamen absolutè non illi soli, sed multò magis sunt vtiles alijs, ideo libri illi simpliciter sunt de dominio prioris religionis, nec possunt ab illa auferri sine iniustitia.

417 Nec obstat id, quod ex *Card. de Lugo disput.3.nu.147.* refert *Anton. à Spir. Sancto dict.nu.246.* quia non omne, quod vendi potest, prohibetur alienari ex vi voti paupertatis. Quia hoc est verum in quantum, vt supra dictum est opera libera licet vendi possint, tamen in quantum liberè fiunt non sunt pretio æstimabilia, sed superant omne pretium. Quatenus tamen venduntur iam pretio æstimantur, & sub voto paupertatis cadunt. Sed manuscripta non sunt opera libera, sed sunt res eiusdē rationis in hoc cum libris impressis, cum ad proprietatem omnino materialiter se habeat quòd liber sit manuscriptus, aut impressus, nisi quòd ratione materiæ plùs longè solent valere manuscripti, quam impressi. Et ideo in ordine ad alios eodem modo contra paupertatem est, si quis religiosus sine licentia donet manuscriptum, vel aliquem alium librum, vel picturam iam conuentui acquisitam, vel quodlibet aliud artificium, cuius dominium iam acquisierit Conuentus.

418 Regula autem supra num.368. posita intelligi debet vniuersalissimè de omni vsu ad commodum aliorum siue transferatur dominium, siue non, & ideo intelligitur etiam de mutuo, vel commodato, ita vt per se loquendo religiosus sine licentia superioris nulli etiam intra idem monasterium & ordinem de rebus ad suum vsum concessis, possit dare aliquid mutuo, vel commodato. Et quod dicitur de dare, dicitur etiam de recipere aliquod mutuum, vel commodatum. De mutuo ex *Suarez d. lib.8. cap.11. num.44.* ex eo quòd in mutuo transfertur dominium, asserit *Anton. à Spir. Sancto p.2. Direc. tract.3. disp.4. n.281. vbi nu.284.* qui ex eodem Suarez addit quòd in mutuo ex quo conceditur vsus ad breue tempus materia grauis non est, nisi excedat decem aureos. Sed in hoc tamen considerandum est etiam discrimen esse inter religiosos eiusdem ordinis, & alios externos, nam respectu religiosorum Ordinis faciliùs præsumi potest licentia superioris, vel haberi licentia tacita, quæ præsumi vbi res sit modica, & necessaria asserit *Anton. à Spir. Sancto num.286.* In quo probare non possum placitum *Dianæ resol.37. & Llamas, & Fagund.* admittentiū absolutè mutuum, & commodatum inter religiosos professos eiusdem monasterij, quia hoc nullius damni est monasterio, & iniuria quæ in hoc contingere possit in superiorem aderitur obedientiæ non paupertati. Nam hæc ratio solum probat quòd in tali mutuo, & commodato non sit iniustitia, quòd de iniustitia, quæ sit culpa mortalis admittitur. Sed vsus temporalium non ex eo est contra votum paupertatis, quia sit iniustus, & contra domini voluntatem, sed quia est vsus ex propria voluntate independenter a voluntate superioris habitus; aliter nulla esset possibilis culpa

cotra

contra votum paupertatis ex eo quòd religiosus vsum facti sibi vsurpat, nam extra rem considerabitur an vsus fit cum damno monasterij, vel alterius; quia ex hoc vsus est contra iustitiam, non verò ast contra paupertatem, quia & relicto dominio rei eoque non assumpto, potest quis vti re aliena iniustè, & aliàs religiosus non potest sibi dominium rei validè vsurpare. Dicendum igitur est, quòd vbi adsit consuetudo, vel aliunde præsumpta licentia, vt religiosi inuicem mutuò vel commodatò tradant ea, quæ ad eorum sunt vsum, licitum est hoc facere absque voti iniuria. Sed hoc nec per se licet facere sine licentia, nec per se in omni religione dici potest, quòd vel adsit hæc consuetudo aut licentia præsumpta nisi quantùm ad minima, vel quantùm ad aliqua particularia, vel ad breue tempus. Quamuis & ex leuitate materiæ hoc non esset peccatum mortale, si fieret sine licentia ad breue tempus, vt Anton. a Spir. Sancto vbi sup. num. 286. asserit.

419 In ordine verò ad extraneos non esse culpam mortalem commodare aliquid duabus conditionibus positis, scilicet securitate restitutionis, & breuitate temporis admittunt Sanchez l. 7. mor. c. 19. num. 65. Layman l. 4. tract. 5. c. 7. num. 4. Diana loc. sup. citat. Quia esto materia remota sit magni pretij commodare tamen rem, quia non transfertur dominium, sed cum securitate rei conceditur rei, vsus ad breue tempus; non est actio quæ in materia paupertatis sit grauis, & notabilis.

420 De mutuo pecuniæ autem idem dici posse, affirmat Diana ex Ledesma, Peyrino & alijs. Licet enim in mutuo transferratur dominium, quia restitui debet tantundem, idem est ac si non transferretur dominium vbi adest restitutionis securitas, ideo non erit mortale mutuare hoc modo sine licentia superioris ad breue tempus.

421 Addi verò potest ex Lessio l. 2. de iust. c. 41. dub. 9. num. 79. quem sequitur Sanchez loc. cit. in rebus paruis, & crebrò occurrentibus censeri adesse licentiam tacitam, ad commodandum inter religiosos maxime ad breue tempus, qua existente, nullum erit peccatū commodare rem alteri. Quod idem dici potest de mutuo, nam & hoc verum est respectu etiam notabilis quantitatis, vbi habeetur de hoc licentia tacita, vel præsumpta.

422 Quod verò de receptione mutui sine licentia accepti in casu necessitatis & indigentiæ eius, quod Religio solet & debet prouidere asserit Anton. a Spir. Sancto vbi sup. num. 287. ex Suarez d. l. 8. c. 11. num. 44. scilicet, quòd Religio teneretur ad solutionem mutui, quia tunc præsumitur seu adest licentia tacita superioris, non tam de facili admitteretur a Religione nam ei, qui dedit mutuum incumberet onus probandi, & quod adfuerit sufficiens necessitas, seu tacita licentia, & quòd mutuum receptum fuerit conuersum in subuentionem illius necessitatis, iuxta dicta supra quæst. 185. a. 7. & num. 292.

423 Potiori iure interdicta est religioso commutatio. Quàmuis Caramuel in reg. S. Bened. d. 65. num. 970. teneat, absolutè non esse peccatum contra paupertatem, si religiosus sine licentia superioris commutet ea quæ sunt ad sui vsum cum alijs, etiam cum personis secularibus saluo tamen iustitiæ rigore plùs citra. Quod probabile putat Diana p. 9. tract. 6. de pauper. resol. 38. & p. 7. tract. 11. resol. 24. Burdalotanus. t. resol. 43. quem refert & sequitur Antonius a Spir. Sancto p. 2. direct. tract. 3. disput. 4. num. 297. quia hæc censetur materia leuis excusans a graui culpa. Et citat pro sua sententia, Lopez, Io. de la Croz, Ledesmam, Rodriq. & Peyrinum, qui tamen non loquuntur absolutè, sed in casu, quòd superior non sit inuitus notabiliter. Verùm absolutè dicendum est per se commutationem sine licentia habitam esse contra votum paupertatis; & supposita sufficiente materia esse culpam mortalem. Quod tenent Sanchez l. 7. mor. c. 19. num. 67. Peyrin. in Reg. subiq. 2. c. 2. b. 5. Layman l. 4. tract. 5. c. 7. num. 4. Donatus dist. c. 15. q. 40. Corona lib. 4. contr. 6. cap. 2. nu. 112. Card. de Lugo disp. 3. num. 161. aliique apud Dianam loc. cit. qui etiam idem probabile putat. Ratio semper est eadem, quia vsus rei temporalis sine licentia adeptus est paupertati, aliàs numquam peccaretur contra paupertatem nisi religiosus vellet sibi dominium rei vsurpare cuius est incapax & quod absolutè efficaciter velle non potest, nisi ex errore, vel ignorantia. Potest igitur commutatio excusari à culpa mortali ex leuitate materiæ, vel quia superior non sit inuitus quantùm ad substantiam; vel potest excusari ab omni culpa si adsit licentia tacita, vel præsumpta, quæ de facili potest adesse spectata qualitate rei, & circumstantijs personarum; & maximè inter religiosos eiusdem monasterij. Quod verò Anton. de Spir. Sancto dicit hic præsumi licentiam superioris, cum dominium maneat in eadem Religione, & aliàs solus vsus concederetur. Nec per se est verum, cum immò vt ipse fatetur num. 302. in sua Religione p. p. cap. 7. num. 5. detur præceptum non commutandi sine licentia Prælati expressa, in eo igitur ordine falsum est, quòd vniuersaliter præsumi possit licentia ad commutandum. Tum quia nec loquitur consequenter dum dicit, quòd si detur in Religione præceptum non commutandi sine expressa licentia, Religiosus commutando sine licentia expressa peccat contra obedientiam, non verò contra paupertatem. Quia hoc non dicitur consequenter, nisi vel admittendo quòd commutatio fieri possit sine licentia, quæ est sententia Caramuelis, quem pro se citat, & sic non erat recurrendum ad licentiam præsumptam, vel si assertio adæquatè fundatur in licentia præsumpta, inconsequenter admittitur quòd vbi adsit lex prohibens commutationem sine licentia expressa, tunc commutatio non sit contra paupertatem, quoniam eo supposito dato inconsequenter omnino præsumitur vniuersaliter & regulariter licentia tacita Prælati ad commutandum. Ex qua etiam reijcitur opinio Ledesmæ pag. mihi 57. & aliorum, qui regulariter admittunt ex eo esse licitam hanc commutationem, quia adsit præsumpta licentia, quia hoc non est per se verum vniuersaliter, & regulariter.

424 Inter religiosos vero commodatio potest esse debita. Nam Alphons. de Leon de off. Confess. recol. 11. num. 227. quem sequitur Anton. à Spir. S. n. 292. docet religiosum qui libris, vel alijs sibi ad vsum concessis non indiget, si correligioso indigenti cōmodare noluerit, peccare mortaliter, si superior iubeat illi vt ea commodet, si verò desit iussio superioris peccare posse contra charitatem. Quod tamen ait non valere de manuscriptis proprijs, & elaboratis à religioso, quia immò de istis loquendo

censet

censet religiosum non teneri ea commodare etiam si superior iubeat, quia in hoc non tenetur obedire, nam superior id non potest præcipere, cum non sit honestum v. g. vt aliquis prædicator aut lector spolietur proprijs scriptis, vt alteri dentur. Quod aliqui quos sequitur *Anton. a Spir. Sancto num. 295.* ampliant vt intelligatur etiam de manuscriptis ab alio authore confectis, sed religioso ad vsum concessis; quippe eodem iure censentur, & à quocumque religioso libere solent deferri Prælatis scientibus, & non dissentientibus, quod non euenit de libris impressis ad quos deferendos in religionibus obseruantioribus requiri solet superioris licentia. Hæc tamen extensio non potest approbari; quia non est distinctio inter manuscripta aliorum authorum, & libros impressos nisi quia illa rariora sunt; sed hoc non facit quin sint materia paupertatis, & ex consequenti quod illorum vsus non sit reuocabilis à superiore per se loquendo, quamuis tanta possit esse necessitas illius, cui ad vsum concessa sunt, vel aliæ circumstantiæ personæ, & libri tales, vt contra voluntatem superioris inferioris ex sufficienter præsumpta voluntate superioris maioris, qui illa habet, possit illa retinere. Sed de manuscriptis proprijs alia ratio est, quia illa non sunt materia voti paupertatis, in ordine ad authorem nisi materialiter ratione chartæ, circa quam superior non est nec debet esse rationabiliter inuitus, si illam religiosus retineat. Et quatenus esset, hoc non obstaret, quia ex quo prius permisit chartam ad vsum qui est extra materiam paupertatis, & est à se irreuocabilis, idem est ac si respectu illius charta esset iam consumpta, quia & ipsa est extra materiam voti paupertatis extracta, cum vsus propriæ scientiæ sit actio, quæ non est pretio æstimabilis, sed supra omne pretium. Et nihilominus si non ex vi voti paupertatis, ex vi voti obedientiæ potest contingere quod religiosus etiam propria manuscripta commodare teneatur, si iam sibi v. g. inutilia sunt prorsus, & alteri vtilia, vel si adsit alia rationabilis causa aut necessitas, maximè vbi locum habere possit præceptum charitatis, & ex consequenti etiam votum obedientiæ.

425 Intelligitur etiam dicta regula de remissione debiti, ita vt religiosus sine licentia non possit consanguineis, vel amicis remittere summam pecuniæ quam illius intuitu debent, vel semel, vel annuatim, Quia remissio debiti est quædam donatio. *cap. veniens* de testibus. Ita *Alphons. de Leon de off. confes. resolut. 11. numer. 259. vbi numer. 260. ex Barcbio* habet, monialem quæ fecit alteri moniali opus magni valoris non posse sine licentia illi remittere pretium. Eadem docet *Donatus tom. 3. trac. 15. q. 35.*

426 Si tamen ius habendi esset spirituale, posset religiosus debitum remittere sine licentia superioris. Sic enim aliqui dicunt religiosum posse remittere ius missarum ad quas dum esset secularis obligauit sacerdotem quia est spirituale, nec est materia voti paupertatis, & quod in eo caso sacerdos obligatus ad missas posset retinere eleemosynam acceptam, immò hæres institutus eam teneretur soluere, quia pro sua parte debet implere onus impositum in testamento, & religiosus remittens onus missarum non ex hoc intendit liberare hæredem à suo onere; ex quo etiam infertur, quod Religiosus, qui alias non tenetur celebrare ad intentionem alicuius, potest celebrare ad intentionem amici sacerdotis, etiam si sciat illum accepturum stipendium; quia talis Religiosus nihil dat ex pacto, sed solum spirituale donat. *Anton. a Spir. Sancto vbi sup. num. 250. ex Nauar. Rodriq. Fagund. Diana & Vidal,* & idem docent. *Caram. l. 4. contr. 6. cap. 2. num. 207. & Caramuel num. 881.* Nec amicus ille qui pro missa à Religioso celebrata recipit stipendium sustentationis est simoniacus. Non quidem ex ratione, quam reddit Caramuel, quia scilicet si Religiosus det spirituale supernaturale etiam stipendium missæ est eleemosyna, & non est simonia spirituale cum spirituali commutare. Hoc enim verum non est, quia semper fit iniuria rei spirituali si datur ex pacto; Nam & obligatio ipsa ex pacto consurgens est res pretio æstimabilis, ideo dare spiritualia ex pacto fuit prohibitum per Bonifacium Papam, *cap. quam pio 1. q. 2. & per Greg. IX. cap. fin. de pactis, & per Vrban. III. cap. quæsitum de rer. permut.* Ideo illicitus est alter casus, quem vt licitum asserit *Caramuel ibid. num. 882.* nimirum si Religiosus promittat celebrationem 20. missarum gratis, sed tamen cum pacto, vt alter cui missæ promittuntur gratis stipendium debitum pro 20. missis gratis det eius amico. Hic enim aperta simonia est, quia interuenit pactum, si intelligatur quod fiat commutatio missarum in actum liberalitatis dandi stipendium gratis amico. Sed & implicantia est, quod recipiens missas ex pacto amico sacerdotis det stipendium, & quod det illud gratis; quia non datur gratis, quod datur ex pacto, & in eo casu verè missa datur pro stipendio licet non recipiendo à sacerdote, sed ab eius amico; & licet non sit simonia, si non venditur spirituale, sed temporale intenditur, vt sustentamentum debitum sacerdoti celebranti missam. Sacerdos tamen Religiosus est proprietarius, quia ex pacto dat id, quod sibi debetur, & quod accipit tam, vt suum ex quo ex pacto obligat recipientem missas ad illud dandum amico. Sed ratio quare in casu nostro suprapposito nō sit simonia est, quia nullum interuenit pactum, sed Religiosus sacerdos gratis celebrat missas. Amicus verò sacerdos obligatus ad missas celebrandas illud accipit stipendium licet missas non celebret, quia obligationi satisfacit per alium seu per missas alias sibi donatas; & sic nulla est ibi simonia.

427 Regula verò prædicta non se extendit per se loquendo ad hoc quod est contrectare pecuniam nisi contactu morali, & politico, quo quis tangit pecuniam tanquam pretium rerum ea vtens ad aliquid emendum. In quo sensu *Bartholomeus a S. Fausto l. 8. thes. q. 122.* Interpretatur statutum Ordin. Minorum de obseruant. cap. 4. regulæ: sic enim tangere pecuniam est illam ad vsum, vel recipere, vel retinere, vel etiam expendere, *Hieron. Polizius ad cap. 4. Reg. S. Franc. num. 5.* quem refert & sequitur *Donatus d. trac. 15. q. 47.* vbi tamen *q. 48.* non bene reijcit opinionem eiusdem Politij admittentis in hoc casu paruitatem materiæ, in qua lex ista non obliget, ex eo quod tangere pecuniam sit de genere indiuisibilium, Nam hoc gratis dicitur. Quod verò in *quæst. 49.* disputatur an liceat dictis Religiosis mediate contrectare pecuniam, in qua quæst. Polizius affirmat, & negat Donatus, mihi videtur quæstio superflua: quia cum solus tactus moralis

dica-

dicatur prohibitus, ad hanc moralitatem euidens est nihil interesse quòd tangens pecuniam illam tangat tactu physico immediatè, vel mediatè, & huiusmodi tactus quantumuis physicè sit mediatus, est moraliter immediatus, si Religiosus tangit pecuniam ad emendum ex ea, vel mutuandum. Vel ergo talis Religiosus habet licentiam vtendi pecunia in casu v. g. itineris, & nihil interest, quòd pecuniam tangat mediatè, vel immediatè. Et hoc idem dicitur, quòd si non habet licentiam, nihil iuuat, quòd illam tangat mediatè. Nihilominùs statutum Ordinis Discalceatorum *D. Aug. p. 1. Constit. cap. 7.* videtur intelligendum de contactu physico ex communi ordinis sensu, vnde intelligi debet siue quis illius ordinis immediatè siue mediatè tangat pecuniam, siue deferat illam in hippopera in itinere, nisi id fiat cum licentia, vel adsit necessitas grauis. An verò peccatum hoc tangendi pecuniam tactu physico sine licentia sit peccatum proprietatis. Aliqui distinguunt proprietatem in naturalem, & iuris positiui, sicut & datur simonia positiui iuris, & quia præceptum hoc de non tangenda pecunia datur intuitu voti paupertatis rigorosiùs custodiendi, dicunt hoc peccatum esse proprietatem, sed iuris positiui. Certè ex voto paupertatis non obligatur religiosus ad non tangendam pecuniam, quòd verò ex quo in aliquo Ordine datur præceptum obligans ad mortale de non tangenda pecunia, quòd hoc peccatum dicatur proprietas, vel inobedientia parùm interest cum semper tale peccatum sit contra votum & ita sit sacrilegium.

428 Eandem quoque regulam nonnulli extendunt ad actus officialium Conuentus; nimirum vel ad emere, vel ad dispensare res conuentus sine licentia aut contra voluntatem superioris. Itaque dispensatorem rerum Conuentus si contra voluntatem, vel supra facultatem sibi concessam dispenset res Conuentus, vel plura, vel meliora dans amico suo, quàm debeat, peccare contra votum paupertatis docent *Suarez tom. 3. de relig. cap. 15. numer. 9. Bassaus v. paupertas nu. 8. Sanchez dicto cap. 19. n. 93. ex Mendoza quod. q. 8. concl. p. & Rodriq. tom. 3. qq. reg. q. 29. a. 10.* & pro eadem sententia refertur *Less. l. 2. de iust. c. 41. num. 78.* Et idem afferunt de Procuratore, si emat aliquid etiam in vtilitatem Conuentus absque facultate, vel supra facultatem sibi concessam & ratio est, quia idem est agere supra facultatem, quòd sine facultate & licentia, vti verò rebus & eas dispensare sine licentia, vel emere sine licentia in religioso est peccatum proprietatis. Quod confirmatur ex *D. Thom. supra q. 32. a. 8.* ad primum dicente, monachum de rebus monasterij posse facere eleemosynam secundùm quod sibi est commissum. Sit tamen dictum cum reuerentia; isti DD. non loquuntur consequenter. Nam non est dubium, sed certum, officiales Conuentus dispensando, vel quocumque modo administrando res conuentus supra facultatem sibi cócessam peccare etiam mortaliter, nisi à culpa mortali excusentur, ob materiæ, vel remotæ, vel proximæ paruitatem, vel quia superior non sit inuitus quantùm ad substantiam, sed solùm quantùm ad modum, vel etiam excusantur ab omni culpa si vtantur facultate sibi tributa, vel à iure; vel à consuetudine, vel si præsumptam licentiam superioris habeant; vel si habeant facultatem à maiori superiore, vel illam iustè & probabiliter præsumant, etiam in casu quòd immediatus superior repugnet. Quia administrare rem alienam inuito Domino est peccatum mortale, id verò in monasterio censetur fieri inuito domino, quod fit inuito superiore, qui est principalis administrator bonorum monasterij. Sed quòd hoc peccatum sit peccatum proprietatis non dicitur consequenter à prædictis DD. apud quorum plures constat, quòd religiosus administrans res alicuius secularis non ad vsum proprium, sed ad commodum aliorum domino inuito non committit sacrilegium, sed iniustitiam. Et ratio est, quia ex vi voti paupertatis excluditur dominium, qui verò administrat rem alienam, vt alienam & ex officio rem, vt alienam respiciente non est dominus. Votum autem etiam excludit vsum facti independentem à licentia superioris, sed hoc est verum de vsu proprio & ad sui commoditatem, vt ex supradictis satis patet, & conueniunt Suarez, & Sanchez pluries supra citati. Modò officialis Conuentus infidelis in suo officio, vel iniustus, non vtitur re ad sui commodum, neque de illa disponit vt sua, sed vt aliena & ex officio quod habet administrandi rem vt Conuentus non vt sibi propriam, non igitur peccat contra paupertatem. Et ex loco D. Thomæ citato solùm colligitur, quòd talis officialis excedens mensuram in faciendo eleemosynam peccat, non verò habetur quòd sit proprietarius. Solùm potest peccare contra regulam, vel præceptum superioris, sed ex hac parte peccatum non erit mortale, si præceptum sub mortali non obligat. Peccat ergo per se & formaliter peccato iniustitiæ quod peccatum potest esse etiam contra iustitiam distributiuam, si notabiliter lædatur æqualitas proportionalitatis, & ei minùs detur cui magis debetur.

429 Ex his autem patere potest, quid dicendum sit de superiore ipso. Nam & ad Prælatos regulam præfatam extendit *Suarez loco cit. num. 10. Donatus d. tract. 15. q. 24. Layman. l. 4. tract. 5. cap. 7. num. 10. Bassaus v. paupertas numer. 8. Card. de Lugo disp. 3. num. 183.* Et non est dubium quod si uel officiales, vel Prælati aliquid sibi vsurpent sine licentia, uel etiam nomine proprio dispensent, vel distrahant, vel donent, quòd peccant contra votum paupertatis. Et quia superiores etiam immediati non habent præsentem superiorem de cuius licentia vtantur rebus monasterij ad suum priuatum commodum, vel quæ sibi concessa sunt ad vsum aut alia nomine proprio donent, Suarez docet eos debere attendere in hoc vsu præsumptam licentiam, vel superioris maioris, vel religionis. Addi verò posset, etiam eos debere considerare statuta ordinis, & consuetudinem. Quamuis potiùs superior dici possit non indigere licentia ad eos actus, seu in ijs casibus in quibus subditi operantur cum licentia *Coton. l. 4. contr. 6. cap. 2. num. 11.* Verùmtamen loquendo de superiore difficile est, quòd in eo possit habere locum culpa proprietatis contra votum paupertatis; quia quam licentiam potest validè dare subditis, vel ad vsus honestos, vel ad vsus turpes, potest sibi concedere. Non est enim superior deterioris conditionis, quàm subditus, vt possit illi dare licentiam ad aliquid, qua ipse vti non possit. Immò sunt qui dicant illum superiorem delegatum, qui ad duas hebdomadas, immò

ad triduum est substitutus ad regimen Conuentus, posse sibi dare licentiam dandi, & recipiendi duraturam etiam postquàm officium terminauerit. Ideo si superior in vsu proprio rerum Conuentus non excedit limites licentiæ, quam sibi dare potest validè, non peccat contra votum paupertatis. In vsu verò rerum Conuentus, quem habet titulo publico, & ex officio, nec peccat, nec peccare potest contra votum paupertatis, quia talis vsus non est nomine proprio, sed alieno, & non est rei vt suæ, sed alienæ, & non est ad sui commodum, sed Conuentus. Multipliciter nihilominus peccare potest superior in hoc vsu, si excedat mensuram; Nam quatenus deficit in officio suo est infidelis minister, quatenus est causa damni Conuentus, vel permittendo, quòd res pereant, aut subripiantur, vel eas dilapidando, vel supra facultatem, & inuito Conuentu eas donando, aut distribuendo est iniustus, & quatenus in distributione violat iustitiam distributiuam est speciali hac ratione iniustus, quatenus hoc sit scandalum alijs, peccat contra charitatem, & quatenus Regulæ, & superiorum præceptis non obtemperat est inobediens. Et bene potest contingere quòd Prælatus operetur supra suam facultatem, quia contra prohibitionem superiorum aliquid vel emat, vel vendat, vel locet, vel donet, & tamen non peccet contra iustitiam, quia id non fit inuito Conuentu, qui est dominus rerum, quia id quod fit cedit in magnam vtilitatem Conuentus. Multipliciter igitur peccare potest Prælatus quatenus ex officio, & nomine publico disponit de rebus temporalibus Conuentus, non tamen contra votum paupertatis, quia administrare aliena nomine alieno, & ad aliorum commodum non est materia voti paupertatis.

430 Hinc primò deducitur non esse vniuersaliter verum, quod ait *Suarez num. 1.* quòd in donationibus merè prophanis, idest non pijs, neque vllo iusto titulo debitis, & à fortiori in turpibus numquam potest præsumi licentia, aut voluntas Prælati superioris, aut religionis, & ideo huiusmodi donationes iniquæ sunt, & inualidæ. Nam possunt esse non iniquæ, & dato quod sint iniquæ possunt esse non inualidæ. Possunt esse non iniquæ. Nam Prælatus iustè, & sanctè, ad honorem Conuentus seruandum potest meretrici soluere pretium turpis commercij habiti cũ Religioso sui Conuentus. Præterea verò cum possit contingere, vt iniquè gesta sint vtilia Conuentui, potest etiam contingere, quòd iniqua donatio non habeatur inuito Conuentu, & ita nec sit iniusta, nec sit inualida, quidquid sit, an sit iniqua, & contra aliquam virtutem, & Dei legem.

431 Deducitur secundò, quod licet *Sanchez cap. illo 19. num. 24.* consequenter ad suam opinionem ex Nauar. dicat, Conuentum non posse dare licentiam ad vsus illicitos, quia licet Conuentus sit dominus bonorum, tamen hoc est restrictum per votum paupertatis, & Ecclesiæ Constitutionem. Nihilominus hoc fallit, nedum quia opposita sententia, quòd licentia ad vsus non pios, & turpes nisi sit prohibita, & irritata per superiorem est valida ad excludendam culpam proprietatis simpliciter, sed quia vbi vtile sit monasterio, vti iniquitate alterius ad sui iustam defensionem, monasterium, & superior monasterio consentiente media pecunia sine iniustitia, & sine sacrilegio contra votum paupertatis medium iniquum sibi emit, nisi fortè in hoc alicuius tertij offendatur iustitia. Solum enim asseritur, quod talis superior non offendit iustitiam monasterij, & quòd monasterium potest validè etiam expendere ad vsus turpes, licet aliàs hoc sit peccatum, & malum.

432 Deducitur secundò Prælatum quantum est ex vi voti paupertatis non impediri, quin possit vti consuetudine donandi de rebus Conuentus etiã non existente rationabili causa. Certè *Panormitan. cap. Cæterum de donat. in fine*, sentit Prælatum stante consuetudine posse aliquid donare absque rationabili causa. Suarez autem loco citato num. 12. asserit quidem in Prælato religioso propter votum paupertatis cum difficultate posse admitti talem consuetudinem, sed nihilominus, vbi introducta fuit posse in modica quantitate sustineri. Quod credo verum. In proportionata igitur quantitate respectu status religiosi, & Conuentus abundantia potest esse introducta consuetudo, vt superior tantum possit donare ad sui beneplacitum. Et licet ne donatio sit, vel prodiga, vel imprudens & mala, debeat fieri ex rationabili causa, tamen si causa rationabilis non adsit, non per hoc donatio est iniusta, vel contra votum paupertatis, etiam si superior sibi vsurpet de bonis Conuentus, quod consuetudine permittitur, vt illud amicis suis, aut consanguineis donet. Nam aliàs ex parte religionis, & Conuentus rationabile potest esse, quod introducatur cõsuetudo, per quam Prælatus possit vsque ad moderatam quantitatem donare ad sui beneplacitum, licet postea in Prælato ad hoc, vt hic vsus sit honestus necessaria sit aliqua rationabilis, & pia causa. Cũ aliàs hoc in vtilitatẽ Conuentus cedat; Nã erga Conuentum beneuoli sunt regulariter, qui sunt amici Prælati eiusdem Conuentus. Et ideo religio ex rationabili causa talem consuetudinem permittit, qua si superior abutatur non per hoc erit culpa, vel iniustitiæ, vel proprietatis. De quantitate autem eius, quod superior possit liberaliter donare, dicetur infra, vbi de eleemosyna erit sermo specialis.

433 Hinc etiam deducunt aliqui verum esse, quod habet *Sanchez d. cap. 19. num. 37. ex Nauar. & Lopez*, nimirum licitum esse concedere Religioso sua arte comparanti multa monasterio, vt moderanti cathedram, vel quia multa bona attulit secum ad monasterium, vt donet, dum viuit, cognatis, & amicis, aut alijs non diuitibus, sed pauperibus, vel ad sacra facienda, vel ad instituendam capellaniam, vt vel sic cæteri animosiores euadant ad similia bona acquirenda. Sed nimium puto, quod Religiosus ex sola licentia Prælati possit instituere Capellaniam secularem. Et dum agitur de donando id, quod est Religionis secularibus, & consanguineis, magna moderatio haberi debet, sed de hoc dicam infra vberius.

434 Sic etiam respectu Religiosorum vniuersaliter iusta causa concedendi licentiam dandi est licentia expendendi in vsus pios, vel in remunerationem beneficiorum acceptorum. *Nauar. l. 3. consil. de statu monach. cons. 8. num. 35. Corduba quæst. 54. dub. vlt. dict. primo. Lopez l. 1. instruct. cap. 155. & l. 2. de contract. cap. 40. Molina tom. 2. de iust. d. 276. Emanuel Sà v. Religio num. 48.* quos sequitur Sanchez l. 7.

mur:

*mor.cap.19.num.*36. similiter ex *Corduba, Lopez, & Sanchez*, iusta causa est expendere pro sacris faciendis, & pro nuptijs pauperum. Item iusta causa est expendere ad vsus honestos, & proprios Religiosi. Quod adeo verum est, vt licet sit in Ordine aliquo statutum, quod quidquid Religiosus recipit, cedat in vsum communitatis, nihilominus potest superior concedere licentiam, vt illud expendatur in vsum Religiosi recipientis, quia Religiosi sunt potissima pars cõmunitatis, & ideo quod pro illis expenditur, in vsum communitatis expenditur, vt tradunt *Nauar. Sanchez, & Sà loc.cit.num.*49.

435 Aduertit etiam *Nauar.Comm.2.de regular. num.*40. quem sequitur *Sanchez dict.cap.19.num.*38. licentiam datam Religioso manendi extra claustra non continere licentiam tacitam conuertendi quæsita in vsus suos non necessarios.

436 Esset autem videndum qualiter peccet contra paupertatem Religiosus ludens, vel luxurians, vel dans eleemosynam; sed de his inferiùs tractabitur, & nunc sufficit asserere ex supra probatis, non esse in illis peccatum proprietatis simpliciter, nisi fiant sine licentia. Solùm hic nonnulla in communi sunt aduertenda.

437 Nimirum an peccet contra paupertatem, qui non donat aliquid, sed permittit, vt alius sibi vsurpet, nec illum impedit, ne accipiat, vel furetur. Dicitur enim hunc posse peccare contra iustitiam, si teneatur rem custodire, ne pereat, sicut tenetur quilibet Religiosus custodire res ad sui vsû concessas, vel posse peccare contra charitatem non impediendo peccatum alterius. Sed contra paupertatem non peccat, quia ipse nihil donat, vel dat, nec re vtitur sine licentia, nec ex voto paupertatis promisit impedire, ne aliquis res alterius furetur. Non potest pauper Religiosus ex voto rẽ alienare, & vsu consumere, sed non tenetur ex voto impedire, ne alius rem dilapidet, vel furto arripiat.

438 Item an liceat Religioso de licentia superioris vti & expendere ea, quæ malè accepit, vt quia accepit illa sine licentia. Ad quod ex *Suarez d.cap.*15.*num.*18. Respondetur, quod si huiúsmodi sunt validè accepta religioni, culpa antecedens nihil obstat, quin Religiosus de licentia superioris possit his malè acceptis vti, si expediens fuerit talem licentiam concedere, quia subsequens vsus non fundatur in culpa præcedenti, sed in hoc quod bona illa sunt religionis, & eorum administrationem habet superior, qui validam licentiam ad eorum vsum potest concedere.

439 Item, an Religiosus, qui fingit se accipere aliquid à seculari, & re vera non habet animum accipiendi pro se, sed pro consanguineo, vel amico, cui acceptum tradit non nomine proprio, sed nomine amici, peccet contra votum paupertatis. Respondent aliqui non peccare, supposito tamen quod in hoc Dominus non sit inuitus, sed probabiliter præsupponatur, quòd dominus, si hoc sciret, libenter consentiret. Nam hoc non supposito peccaret Religiosus contra iustitiam. Contra paupertatem verò non peccat, quia non donat aliquid, sed rem alienam ad vtilitatem amici administrat. Et hoc puto verum, etiam si fingat nedum acceptare, sed fingat etiam donare nomine proprio; quia iure non est donatio facta à Religioso, sed semper est administratio rei alienæ ad commodum amici; vnde hoc attendendum, an dominus rei sit inuitus, quia in hoc casu esset peccatum iniustitiæ, quod cessat si dominus præsumatur probabiliter non inuitus.

440 Præterea quæritur, an peccet Religiosus habens licentiam donandi, si donet ei, qui non habet licentiam recipiendi. Respondetur enim licentiam dandi per se non continere licentiam accipiendi, nisi sit licentia expresse concessa dandi tali personæ, sed vbi datur Religioso generalis licentia dandi, non per hoc datur alijs Religiosis licentia ab eo accipiendi, vt probat *Sanchez l.7. moral. cap.19. numer.* 71. Nihilominus tamen non peccat peccato proprietatis, qui habens dandi licentiam dat illi, qui non habet licentiam recipiendi, vt bene tradit. *Card.de Lugo disp.3.de iust.num.*163. quia Religiosus non vouit paupertatem alterius. Vnde licet Religiosus in hoc casu quatenus cooperetur peccato alterius, peccet peccato scandali, non tamen peccat contra paupertatem. Ita licet licentia acceptandi non contineat licentiam dandi, & contingat aliquem acceptare ab eo, qui non potest dare, qui tamen habet licentiam acceptandi, non peccat contra votum paupertatis, si acceptat ab eo, qui non habet dandi licentiam, sicut qui habet votum castitatis non peccat contra votum ex eo quod causet fornicationem alterius, quia alterius castitatem non vouit, vt tradit *Sanchez l.5. de matrim. cap.6.nu.*10. Ideò qui hoc modo scandalizat alium cooperando peccato illius non tenetur in confessione explicare se habere votum vel paupertatis, vel castitatis respectiuè. Quare *Sanchez l.7.mor cap.19. num.*70. non loquitur consequenter, dum vult, quod Religiosus dans ex licentia dandi quam habet, si det Religioso alterius Ordinis non habenti licentiam accipiendi peccet contra votum paupertatis, quia cooperatur peccato alterius; quia cooperari peccato alterius est scandalum, non verò est proprietas. Et sibi contradicit, quia ibidem fatetur, quòd superior dans suo subdito licentiam dandi Religioso extraneo non habenti licentiam recipiendi, aufert impedimentum dantis, quo ablato dans ex parte sua potest dare. Et ampliùs fatetur, quòd dispensatus in voto castitatis ab Episcopo non peccat contra suum votum, si contrahat cum habente votum castitatis, sed solùm peccat, quia cooperatur peccato alterius: igitur idem dicere debuit de Religioso ex hac sua ratione, vt dans ex licentia dandi non habenti licentiam accipiendi, non peccet contra suum votum, sed quia peccato alterius cooperatur.


SVMMARIVM.

1 *Extra casum extremæ necessitatis Religiosus sine licentia non potest facere eleemosynam. numer.* 441.

2 *Vbi sit statutum, vt Religiosi sine licentia non dent eleemosynam non dabitur licentia præsumpta nisi ex accidenti. num.*442.

3 *In casibus Constit.Clem.VIII.de largit.munerum non licet Religiosis donare contra præscriptum d. Const. moderata ab Vrbano VIII. nu.*443.

4 *Religiosorum quadruplex genus. num.444.*
5 *Beneficiati extra Ordinem tenentur ad faciendum eleemosynam.num.445.*
6 *De eiectis remissiuè.num.446.*
7 *Superiores tenentur ad eleemosynas, vel secundum consuetudinem, vel secundum prudentia m erogandas.num.447.*
8 *Non decet Religiosum lautè viuere dum pauperes fame pereunt.num.447.*
9 *Superior potest aliqua donare, sed moderate, & vbi sunt seruare debet statuta, & consuetudines, & etiam vbi sit necessarius consensum Conuentus exquirere, vel certe nihil facere Conuentu rationabiliter inuito, quamuis & Conuentum irrationabiliter inuitum possit cogere ad consentiendum donationi, maxime remuneratoriæ. numer. 448.*
10 *Officiales tantù possunt dare in eleemosynam, quantum sibi est commissum.nu.449.*
11 *Officiales qui non habent administrationem temporalium non habent ex vi officij licentiam faciendi eleemosynam.nu.450.*
12 *Eleemosynas potest facere, qui habet aliquid cum licentia ad vsus honestos. nu. 150.*
13 *Religiosi non habentes administrationem non possunt sine licentia facere eleemosynas. numer. 451.*
14 *In casu extremæ necessitatis Religiosus potest facere eleemosynam, quamuis etiam tunc si potest debet petere licentiam.num.452.*
15 *Et in casu grauis necessitatis, vbi non potest peti licentia: sed caute agendum, ne ex hoc dentur bona Religionis consanguineis sub ficto prætextu. num.453.*
16 *Et Religiosi, qui de licentia manent extrà claustra.454.*
17 *Et in hoc casu potest etiam Religiosus honeste donare.num.455.*
18 *Et Religiosus, qui deuit de eo, quod taxatum est illi ad sui sustentationem, si habet licentiam eo vtendi ad vsus honestos.num.456.*
19 *Non se extendit licentia tacita ad Capellaniam fundandam. num.457.*
20 *Reliquias ciborum dispensare per se pertinet ad superiorem.num.458.*
21 *Eleemosynam facere possunt, qui habent licentiam ad vsus honestos.num.459.*
22 *Donatio merè liberalis potest esse honesta. numer. 460.*
23 *Quantitas quam possit Religiosus donare arbitraria pluribus consideratis. num.461.*
24 *Regula data ab aliquibus non admittitur. numer. 462.*
25 Non *potest Prælatus, vel Religiosus dare coniunctim, quod potest dare diuisum. nu.463.*
26 Qualiter *maior superior possit maiora donare. numer.464.*
27 *In his seruandæ sunt leges.num.465.*



Vnde & qualiter præsumi possit, religiosum habere licentiam ad eleemosynas faciendas, vel ad alias liberales, & honestas donationes?

INSPECTIO XVI.

441 SVpponitur enim tãquam certum ex precedentibus, religiosum extra casum extremæ necessitatis pauperis non posse ex causa etiam honesta, vel eleemosynam facere sine licentia superioris, quod docent *D. Thom. supra q.82. a.8.ad p. Alens.4.p.q.1 t 1.memb.1. Turrecrem.cap.non dicatis* 12.*q.1.a.8 num.12. Abul in cap.6. Matt. q.60. Graffius p.p.decis.l.3.c.5.nu.63. Aragon.22. q.32. a.8. Azor tom.2. instit.l.12.c.10.q.3. & tom.1. l.12. c.tt.q. vlt. less. l. 2. de iust.c.18. dub.11.num.85. Sanchez l.7. mor.cap.19.num.105.* quia præter casum necessitatis nullus alius dat religioso ius dandi eleemosynam superiore inuito.

442 Vbi etiam in aliquo ordine sit vel statutum, vel consuetudo non permittens aliquem modum eleemosynæ, non poterit adesse præsumpta licentia illam dandi, vt notant Azor. & Sanchez. quod verum est, nisi in singulari ex circumstantijs aliter iudicandum sit.

443 Et similiter supponitur, donationes contra præscriptum Bullæ Clementis Octaui de largitione munerum confirmatæ, & explicatæ ab Vrbano Octauo non esse legitimas, nec posse fieri. Cum tamen simul pro certo habeatur, extra casus in ea bulla prohibitos posse religiosum de licentia superioris donare ex causa honesta, & ex misericordia eleemosynas facere; Vnde in præsenti inuestigatur in quibus casibus religiosus habeat licentiam, aut tacitam, aut præsumptam huiusmodi donationes faciendi.

444 Bene autem in hac parte *Sanchez l.7. mor. cap.19. num.89.* distinguit quatuor genera religiosorum. Nam alij extra claustra viuunt extra superiorum obedientiam, vel vt beneficiati, vel vt eiecti ab ordine, alij sub obedientia viuentes, sunt Prælati & superiores Conuentuum, alij sunt Conuentuum officiales, & alij sunt simplices religiosi.

445 Beneficiati autem nedum possunt, sed tenentur facere eleemosynas de redditibus suorum beneficiorum. Quod intelligitur de beneficiato extra Prælatorum ordinis obedientiam posito, seu qui habet redditnum beneficij administrationem, vt abundè satis ostensum est supra *q.185.a.7.*& aduertunt *Nauar. Rodriq. Sà, Layman & Lessius*, quos sequitur *Bassaus v.paupertas num.17.*

446 De eiectis verò ab ordine, si verum est, quod tradunt *less.l.2.de iust.c.41.dub.15.num.113. & Molina tom.1.disp.276.& disp.276. & disp. 250.* scilicet religiosum eiectum non teneri ad restitutionẽ eorum, quæ in vsus illicitos consumpsit, multò magis verum erit non teneri restituere, quæ dedit in eleemosynas. Sed cum extra Conuentum & obedientiam viuat, sicut potest in suos vsus honestos expen-

expendere, ita potest etiam eleemosynas iargiri. Sed de his Deo dante dicam ex professo de illis tractando.

447 Secundi generis religiosi sunt Prælati religionum & Monasteriorum, Generales, Abbates, Prouinciales, Priores, Guardiani, Præpositi, Rectores, vel similes alij immediati superiores Conuentuum. Hi verò nedum ex officio habent facultatem faciendi eleemosynas, sed tenentur illas facere de superfluis monasteriorum. Sed & de bonis non superfluis eleemosynas facere possunt moderatas & monasterijs, quorum curam habent, prudenter proportionatas, vt docent DD. communiter. Circa modum verò illas faciendi, si adest aliqua consuetudo, vel statutum in ordine, illud seruari debet, sicut & circa quantitatem regulariter loquendo. Nam aliàs si facultas superioris non est à lege aliqua restricta, non habet determinatam mensuram circa quantitatem eleemosynæ nisi prudens arbitrium superioris regulandum ex ordine charitatis volentis vt priùs superior suis prouideat, quibus etiam prouidere debet, & de reliquo iuxta pauperum necessitatem, si hæc sit nedum extrema, sed grauis, & multitudo pauperum magna, & tempre penuriæ magnæ tantùm poterit dare, quantum vt det poterit habere, restringendo etiam quæ religiosis consueuerunt dari, quantum debitum, & charitas patitur; cum nec deceat religiosos lautè viuere dum Christi pauperes fame pereunt. Vnde *Card. de Lugo disp.3. de iust. num.*186. dixit, quòd contingere posset, quòd Prælatus Regularis posset dare pauperibus omnes, aut ferè omnes redditus sui Conuentus & mendicare ad suorum alimenta. Nam attenta perfectione status Religiosi, & obligatione dandi exemplum alijs tota hæc liberalitas non excederet limites prudentiæ religiosæ.

448 Nō ita ampla est in superiore facultas donandi, vel amicis Conuentus, vel Consanguineis, & amicis proprijs, etiam ex honesta, & rationabili causa, & ita vt donatio omnibus pensatis sit actus virtutis. Et considerari debet, quòd immobilia, & mobilia pretiosa etiam ex iusta causa non potest alienare sine beneplacito Apostolico, iuxta tradita supra *q.*185.*a.*7. & ampliùs, ex eo quòd aliquod sit pium opus, non per hoc Prælatus Regularis potest in illud expendere redditus Conuentus, neque enim v. g. posset facere expensas pro Canonizatione Sancti alterius Ordinis, vel ædificare aliquam Cathedralem Ecclesiam, sed pia opera debent esse conformia religiosæ paupertati, & monasterio conuenientia, & vtilia. *Card. de Lugo. d.disp.3.nu.*184. Circa huiusmodi quoque seruari debent consuetudines & statuta, si quæ sunt, & vbi requiratur consensus, vel totius Conuentus, vel partis maioris vel aliquorū consilium, debet huiusmodi, vel cōsensum, vel consilium expectare. Circa quantitatem verò *Corduba in sum.q.*54.*dub.vlt.concl. p.* putat, in superiore locali quantitatem modicam esse decem aureorum, sed vt bene aduertit *Suarez dicto cap.*15. *num.*13. hæc quantitas in aliquo actu erit magna, in alio parua, & pro toto anno nihil ferè; si attendamus alicuius monasterij abundantiam, & Prælati dignitatem, & causas donandi. In primis igitur in hoc attendi debet consuetudo monasterij, vel etiam eiusdem ac ordinis statuta, si ex illis habeatur determinatio quantitatis, deinde consideranda est abundantia monasterij, & occasio, & causa donandi, & donatio ipsa, quæ si non sit omnino liberalis, vt donatio remuneratoria, vel quæ licet sine expresso contractu & pacto, debetur nihilominùs quasi tanquam merces, & quam si Conuentus non faciat erit aliqua reprehensione dignus, & nona adueniente occasione frustrabitur opera & beneficio, debet esse proportionata etiam pro monasterij viribus & dignitate beneficii recepti, & maximè si qui contulit beneficium id fecit intuitu mercedis alicuius. Certè *Panorm. in c. cæterum de donat.* cēset quòd dare 20. aut triginta aureos honestæ puellæ, vt nubat, vel pauperi nobili, fieri possit sine necessitate consuetudinis ex generali causa dandi eleemosynam iuxta communia iura *c. quia, & cap. vlt.* 16.*q.*1. Vnde concluditur hoc positum esse in superioris prudentis arbitrio, vbi non sit limitata quantitas ex consuetudine, vel statuto monasterij, cuius consensum rationabilem & iustum debet etiam superior respicere, vbi non ex consuetudine, & statuto habeatur determinatio huius quantitatis, ita vt sibi id non liceat dare, de quo sibi constat monasterium esse rationabiliter inuitum, seu de quo non habet vnde probabiliter præsumat monasterium non fore rationabiliter inuitum. Bonorum enim dominus est monasterium, & Prælatus solùm est administrator, & quidem talis, quod licet habeat ampliorem facultatem, quam Oeconomus, vel simplex curator, minorem tamen habet quàm maritus, talem scilicet, quæ est similis illis, quam habent communitatum administratores salua semper differentia status secularis, & regularis, vnde contra rationabilem voluntatem monasterij non potest aliquid donare. Si autem voluntas Conuentus esset irrationabilis, quia ex alia parte superior ex officio habet quòd sit director Conuentus ad actus virtutum, posset superior Conuentui præcipere, vt honestæ donationi consentiret, & si renueret illum compellere, & ex consequenti donationem perficere. De his verò videri possunt. *Nauar. cap. non dicatis. Molin. disp.*296. *Medina tract. de eleemosyna. tit. de quib. bonis &c. Sanchez l.7. in Decal. c.*29.*num.*90. *Suarez tom.*3. *de Relig. l.*8. *cap.*15. *Azor. p.*2. *lib.*12.*c.*10.*q.*3. *Card. de Lugo disp.*3. *de iust. a num.*185. *Palaus tr.*16.*disp.*3.*p.*22.

449 Tertium genus religiosorum est eorum, qui licet non sint superiores, sunt tamen officiales monasterij habentes administrationem bonorum monasterij. Et isti tantum possunt in eleemosynas erogare quantum sibi commissum est à superiore, vt docent *D. Thom. supra q.*32. *a.*8. *ad p. & Turrecrem. in cap. non dicatis.* 12. *q.*2. *a.*8. *ad p. Tabiena v. eleemosyna q.*8.*num.*9. *Lopez p.p. Instruc. c.*156. *ante* 5. *conc. Rodriq. qq. reg. tom.*2. *q.*57.*a.*2. *Suarez tom.*3. *de Relig. l.*8.*c.*25.*num.*9. *Sanchez l.*7. *mor. c.*19.*num.*92. *Card. de Lugo d. disp.*3.*nu.*167. *Layman d. cap.*7. *nu.*9. *Bassæus num.*8. *Anton. a Spir. Sancto num.*267. Vnde si nullam habeant commissionem, vel facultatem donandi etiam titulo eleemosynæ, nihil possunt donare, & si habent, non possunt excedere fines commissionis aut facultatis; censentur verò habere facultatem ad id, quod consuetudo probata permittit eosque, vel in partem, vel in totum respectiuè excusabit à culpa inaduertentia bona fides, paruitas materiæ, licentia præsumpta. *Anton. a Spir. Sancto d. num.*267. Non tamen possum probare, quod

quod ex *Gersone, Mendoza, & Rodriquez* docet *Sanchez num 93.* & ex modernis plures quòd scilicet huiusmodi officiales si fines commissionis excedat, peccent contra votum paupertatis quia (nisi ex bonis monasterij sibi vsurpent, quod donent nomine proprio, & vt priuatæ personæ) , administrare alienum ad aliorum vtilitatem inuito domino est quidem iniustitia, non tamen est proprietas ; vt supra dictum est.

450 Bene tamen monet *nu.94.ex Azorio tom.1. inst.mor.l.12.c.10.q.3.* quæ dicta sunt locum non habere in officialibus, qui bonorum Conuentus administrationem non habent, vt io sacrista, vel Oeganodo ; quia dare eleemosynas, vel donare pertinet ad administrationem bonorum monasterij, quam tales officialis non habent. Immò addo, quòd hæc facultas dandi eleemosynas, vel aliquid donandi nô conuenit religioso ex eo quòd habeat aliquam administrationem bonorum Conuentus, sed ex hoc quòd vel sibi est commissa, vel competit ex consuetudine, vel tacitè continetur in modo administrationis sibi commisso, vt v.g. administrationi prædiorum Conuentus, quando aliquis religiosus extra Conuentum manet ad curandum & supraintendendum alicui prædio, tacitè habet licentiam faciendi aliquas moderatas eleemosynas pauperibus loci, quamuis quantùm ad quantitatem vbi ea consuetudine illa non habeatur determinata, præ oculis habere debeat, vt non agat nisi ex probabiliter præsumpta voluntate superioris. Quod si officialis non habens administrationem temporalem habeat aliquid recognitionis à monasterio cum licentia expendendi in pios vsus, & honestos, censetur habere facultatem ad moderatas eleemosynas & donationes in suos, & amicos vt tradunt *Nauar.Com.2.de regul.num.8.corol.2.& Rodriquez qq.reg.tom.2.q.57.a.2.& Sanchez loc. citato.* Quod tamen intelligi debet, si detur recognitio cum facultate ea vtendi sine alia licentia in vsus honestos, non verò si detur alicuius pecuniæ recognitio, vt deputata ad vsus suos, sed dependenter à licentia superioris toties petenda quoties fuerit expendendi occasio. Hic enim est mos concedendi peculium seù pecuniæ vsum in aliquibus religionibus, vt pecunia apud depositarium ad hoc deputatum conseruetur, nec liceat religioso illam expendere etiam in vsus honestos, nisi obtenta licentia à superiore toties quoties occasio expendendi acciderit.

451 Quartum genus religiosorum est illorum qui in monasterio nec sunt superiores, nec habent administrationem bonorum Conuentus, de quibus hoc est certum, eos non posse vel eleemosynam, vel aliam donationem facere, nisi ex licentia superioris, vel expressa, vel tacita, vel probabiliter præsumpta, vt habetur ex *cap.cum ad monast.*de statu monachorum, & *cap. non dicatis 12.q.1.* vt optimè docet D. Thom. ab omnibus receptus supra *q.3.a.8.ad 2.* Et non sufficere in hoc licentiam debitam dari, sed negatam supra probatum fuit ex Suarez & alijs contra Mendozam, & docet Sanchez loco citato num. 95. Et nihilominus plures casus sunt in quibus religiosus priuatus cui aliquid ad vsum est concessum, censetur habere licentiam tacitam, vel præsumptam donandi, vel in eleemosynam, vel ob honestam causam.

452 Primus casus est, cum occurrit extrema necessitas pauperis, vt supra ex D. Thom. dictum est : sed est dubium an si religiosus in hoc casu habeat præsentem superiorem, vt illum possit adire, & petere licentiam, teneatur id facere. Et non est dubium, quòd si superior nolit ipse occurrere necessitati pauperis, nec dare licentiam religioso, vt id præstet, posse religiosum inuito superiore succurrere pauperi extremè indigenti, quia in hoc casu omnia sunt communia, & pauper habet ius naturale ad bona monasterij, & religiosus potest ex hoc iure pauperi ministrare, nec attendi debet superioris prohibitio, quia contrariè irrationabilis est, & iniusta. Sed dubium est an religiosus teneatur de pauperis necessitate admonere superiorem, & licentiam succurrendi ei postulare. Affirmant enim *Alex.4. p. q.111. num.1. Francus rubr.de cessam.in 6. num.65. Surdus de alim.tit.8.priuil.9.num.12. Nauar. sum. latin. c.17. num.195. Rodriq.qq.reg.t.2.q.57.a.2.* quos refert & sequitur *Sanchez dicto cap.19.num.96. Card.de Lugo disp.3.num.167.* Qui tamen hoc explicat, vt religiosus licentiam hanc non petens solum venialiter peccet, quia peccat solùm contra modum administrationis. Verè enim Domini est succurrere de proprijs necessitati pauperis, & nonnulla inordinatio est, quòd religiosus velit assumere hoc munus administrandi temporalia ex propria authoritate, cum id possit facere authoritate superioris. Nullam tamen culpam contra votum paupertatis hic adesse puto, quia religiosus nihil sibi vsurpat, nec alij dat nomine proprio, nec etiam iniustitiæ, quia dominus qui est Conuentus non est in hoc casu inuitus, solùm potest esse leuis irreuerentia in superiorem, cuius est nedum administrare bona Conuentus, sed dirigere subditum in exercitio virtutum.

453 Secundus casus est quando proximi necessitas est grauis, nec datur commoditas petendi licentiam a superiore. Tunc enim religiosus habet legitimè licentiam præsumptam dandi eleemosynam, vt tradunt *D.Thom.4.d.15.q.2.a.5.q.4.c.Sylu. v.eleem.7.q.5.dicto 2.Armilla ibid.num.5.Tabien. q.8.num.9.Rosella 2.num.1. Angelus num.6.* Toledo in fine summæ 5 vbi de peccatis mortalib. c.16.n.11. *casu 2. Nauar.& Rodriquez* paulò supra citati. quos sequitur *Sanchez dicto cap.19.num.97.* Et hic casus locum habere potest maximè in illis religiosis, qui ad procuranda bona Conuentuum manent extra Conuentum. Sed *Card.de Lugo d.num.167.* benè monet, ne sint faciles Religiosi ad erogandum in consanguineos ex hac causa, sed & statum monasterij, & alias necessitates similes attendere debent, & alias circumstantias, quas consanguinitas non finit, vt considerentur, nisi animus eam vincat.

454 Tertius casus est religiosi manentis extra Claustra, vel ratione studij, vel ad aliquod aliud negotium peragendum: Licentia enim manendi extra claustra ex consuetudine approbata continet licentiam tacitam dandi eleemosynas moderatas ex illis quæ ad vsum religiosi conceduntur, vel ex bonis monasterij, vel aliunde. Ita enim tenent communiter DD. Nonnulla tamen aduertenda sunt. Et primò, quòd eleemosyna moderata a DD. censetur illa, quam alij scholares, aut peregrini communiter solent erogare. Verùm considerandum, quòd licet *Nauar.de regular.com.8.corroll.p.& Graffius p. p.* de-

p.decis.l.3. c.3.num.63. dicant, eas eleemosynas esse moderatas, quas faciunt scholastici seculares, & alij peregrini, tamen hoc bene limitant *Azor.tom.2.inst.mor.c.l.12.cap.10.q.5.& Sanchez dicta cap.19.nu.99.* vt intelligatur non comparatiuè ad seculares, sed ad religiosos similis conditionis, quia cum religiosi voueant paupertatem, non autem seculares, conditio religiosorum non est eadem, quæ secularium, vt tantum illi possint erogare quantum isti. *Card. de Lugo d. num.167. Bassans v. paupertas num.8.*

455 Aliud etiam considerandum, quòd licentia hæc tacita extenditur etiam ad alias donationes honestas, etiam respectu diuitum consanguineorum, vbi concurrat debitum gratitudinis, vel debitum honestatis. Quod verò *Lopez 2. tom.instruc. cap.107.& Rodriq.qq.reg.t.2.q.57.a.2.* dicunt quantitatem moderatam in consimilibus esse decem aureorum. Hoc absolutè negat *Sanchez n.98.* Quia si accepta à religioso hãc remunerationem petant, admittitur hæc sententia, quæ non placet si talis quantitas remunerationi religiosæ non sit proportionata, & verè dedecet religiosum consanguineo diuiti nisi modica dare titulo gratitudinis.

456 Quartus casus refertur, quando religiosi de ijs, quæ sibi dantur ad victum aliquid subtrahunt, id enim eos posse in eleemosynas expendere. Sed cum hunc casum alij admittant, alij reprobent iuxta ea quæ supra dicta sunt num.401. dicendum est, tunc solùm in hoc casu esse tacitam licentiam faciendi eleemosynam, cum religioso taxatur quantitas eius, quod sibi datur ad sustentationem, ita vt plus petere non possit, & nec ipse de accepto teneatur rationem reddere, sed vt suo damno, vel commodo illud impendat. Ita tenent *Nauar. Com.3. de regul.numer.8. conclus.9. & Consiliorum l.3. tit.de statu monach. cons.3. num.46. & 48. Abul.in capit.6. Matt.q.60. Sanchez dicto cap.19. nu.100.* & apud eum *Corduba Lopez, Aragon, Azorius, Molina, Valent. & Viualdus. Suarez dicto cap.15. num.8. Cardin. de Lugo d.num.147. Bassans vbi supra.* Neque verò hoc locum habet solùm in religioso viuente extra claustra, sed absolutè etiam si religiosus intra claustra viuat, quia eadem ratio absolutè currit, vt ex *Nauar. Aragon. Valentia, Molina & Abulensi notat Sanchez contra Mendozam, Rodriq. & Graffium.*

457. Hic etiam quæri potest an religiosus de licentia viuens extra claustra, de bonis ad suum vsum concessis, & non ex bonis monasterij, sed aliunde acquisitis, possit conuertere dicta bona in quoscumque pios vsus, v.g. instituere Capellaniam affirmant enim *Nauar. Com.3. de regul.num.41. Lopez l.2. de contrac. c.40.* quia] dicitur pecunia conuersa in proprios vsus honestos, quando conuertitur in vtilitatem animæ. Sed negant *Molina tom.1. de iust. disp.140. colum.12. & Sanchez dicto cap.19. num.102.* Et certè ratio prioris opinionis non vrget, quia & vtilitas animæ est quòd monasterio datur, nec est verisimile, vt licentia tacita extendatur ad extrahendum à religione summam adeo notabilem, qualis est necessaria ad fundandam Capellaniam, ad quod nec se extendere potest licentia superioris expressa.

458 Quintum casum afferunt aliqui, si res sint parui momenti, quæ communiter solent dispensari pauperibus, vt sunt reliquiæ ciborum, quæ superfunt de mensa. Sic *Aragon 22.q.32.a.8.* Sed repugnat *Sanchez dicto cap.19. num.103.* Nam solius superioris est distribuere res monasterij. Et certò non est vnde colligatur hæc licentia tacita, nisi adsit consuetudo. Et regulariter superiores sunt, qui alicui curam dispensandi huiusmodi fragmenta committunt. Et solùm in religioso manente extra claustra potest dici, quòd adsit hæc tacita licentia, quæ in occasionibus particularibus poterit etiam ex circumstantijs haberi præsumpta a religioso manente intra claustra.

459 Sextus casus est, si religioso aut intra aut extra monasterium viuenti cum facultate legitima conceditur aliquid ad vsus honestos & pios absolutè, & sine restrictione. Talis enim potest facere eleemosynas, & donationes condecentes statum suum; Quia & huiusmodi donationes sub vsu honesto continentur. Sic *Molina tom.2. de iust.disp.576. Nauar.Com.4.de regul. num.68. Sanchez dicto cap.19. num.104.* Immò notat Nauar. & approbat Sanchez hoc verum esse etiam de acquisitis industria religiosi, ex illis quæ ad eius vsum concessa sunt, quia hæc sunt accessoria principalis vsus concessi religioso. *l.cum principalis ff.de regul.iur.* & in filijs, & seruis conceditur, vt eo modo possint administrare ea, quæ acquirunt ex proprio peculio ac ipsum peculium. *arg.l.2.& 3. & l.si duo ff.de peculio.*

460 Sed quoniam DD. communiter dant exẽpla de donatione remuneratoria, dum eam religiosis concedunt, inquiri potest an prædicta intelligi possint etiam de donatione prorsus liberali, quæ non est ex aliquo debito, sed ex mera liberalitate donantis. Respondetur verò, quòd licet plura requirantur ad iustificandam, & honestandam donationem merè liberalem in religioso, & hæc ad eam quantitatem non possit extendi, ad quam se extendere potest donatio remuneratoria, nihilominùs duo consideranda sunt. Primum quòd non omne debitum est debitum iustitiæ, vel gratitudinis, sed datur debitum religionis erga Deum, pietatis erga patriam & parentes, obseruantiæ erga excellentes virtute, & dignitate, vnde non ex sola virtute iustitiæ, & gratitudinis, sed ex virtute religionis, pietatis, & obseruantiæ possunt religiosi donationes honestari, quia honestum est si ex illis, quæ ad eius vsum concessa sunt aliqua deuotè ad Dei cultum, alia ex pietate erga parentes, aut patriam largiatur, alia etiam in signum obseruantiæ debitæ superioribus & excellentibus in virtute distribuat, alia etiam ex charitate pauperibus largiatur. Considerandum est secundò ex *D.Thom. supra q.80.a. vnico.* quòd nec liberalitas, nec amicitia est expers omnis debiti, vnde est, quòd vbi ex excessu quantitatis materiæ, vel ex alijs circumstantijs donatio religiosi redditur minus honesta, ipsa ex virtute liberalitatis, & amicitiæ habere potest honestatem, vnde omnibus pensatis in casu singulari dari potest in religioso donatio merè liberalis, quæ sit honesta, & licita. Sed tamen vt dictum est, *quæst. super. ar.7. num.88.* ex nudo titulo liberalitatis res Deo sacræ non possunt donari, nisi ex circumstantijs, vel inquantum liberalitas ipsa sit ordinabilis, & imperabilis ex virtute Religionis in Dei cultum, & saltem virtualiter, vel implicitè in eum ordinetur.

461 Iam verò necesse est vt aliquid de quantitate dica-

dicatur, ad quam possit peruenire donatio honesta, & religiosa. Cum tamen aliquid de hoc iam dictum sit superiùs loquendo de Prælato regulari, Regula quæ ibi tradita est, nunc repetitur, & dicitur, nullam dari in hoc quantitatem determinatam, sed eam prudentis arbitrio mensurandam esse, considerata causa donandi, conditione personæ donantis, opulentia monasterij, qualitate rei donatæ, & maximè si sit de depositis ad vsum communem, vel ad vsum particularis Religiosi, conditione personarum, quibus donandum est, tempore abundantiæ, aut penuriæ, consuetudine religionis, statutis Ordinis, & alijsque similibus, vt tradunt Suarez *tom. 3. de relig. l. 8. cap. 15. numer. 13. Molina tom. 2. de iust. d. 276. Sanchez l. 7. mor. cap. 19. num. 42. Azor to. 1. instit. lib. 12. cap. 11. quæst. 4. Fagund. l. 7. in Decal. cap. 6. num. 3. Anton. à Spir. Sancto, vbi supra numer. 359. Caton. lib. 4. controuer. 6. cap. 2. numer. 87.*

462 Aduertit autem *Card. de Lugo l. 3. de iust. num. 120.* superiorem localem posse concedere licentiam ad totam illam summam, quam potest ipse superior expendere, & nomine Prælati, seu superioris venire etiam Abbatissam, quæ in ordine ad suas moniales habet regimen temporale. Verùm hoc temperandum esse crediderim; Nam si hoc diuisim intelligatur, in anno redditus monasterij reducerentur in nihilum, si tantum consideretur donandum a singulis diuisim, quantum potest superior localis donare: Ponamus enim quod superior possit donare decem aureos, si sint quinquaginta Religiosi, iam poterunt donare quingentos aureos singulo anno, quod quidem excederet omnem honestatem religiosæ paupertatis. Immò superior in hoc maximè debet attendere, vt ex singulis licentijs sibi vel alijs concessis non grauetur monasterium. Regula igitur illa forsan posset intelligi, vt importet terminum extrinsecum, vt scilicet non possit superior localis concedere maiorem quantitatem dandi ipsi subdito, quàm possit sibi ipsi concedere. Vel salua semper quantitate; & intra mensuram quantitatis, quam superior nec mediatè, nec immediatè donando potest excedere; quia intra hanc mensuram, quidquid potest superior donare immediatè, potest donare medio subdito. Nihilominùs tamen cum difficile sit, vt paria sint, quæ concurrunt in subdito, & in Prælato, meliùs dicitur quod hæc regula non currit omnino, & quod nihil potest absolutè determinari, nec ea parte Religiosi, nec ex parte Prælati, sed quod hoc totum ex circumstantijs singularibus debet ad arbitrium prudentis in singulis casibus determinari omnibus pensatis.

463 Dicunt verò alij, quod quæ potest Prælatus dare diuisim, potest dare coniunctim, quando ex hoc nihil deest Religiosis subditis. Sed neque hæc regula valet, quia supponit esse quantitatem determinatam, quàm Prælatus dare possit, quo supposito parum interesset si daret illam simul, vel diuisim. Sed hæc determinatio non datur, nisi forsan ea aliqua consuetudine tolerabili in parua quantitate, quam ad libitum Prælatus possit donare. Cæterum quia quantitas determinatur ex circumstantijs, Prælatus solùm diuisim potest donare tantùm quantum singulæ occasiones petunt. Et licet dari possit terminus extrinsecus, quem Prælatus non possit etiam diuisim excedere, falsum est, quod infra hunc terminum possit simul totum donare; quia non potest esse, quòd vna occasio secum ferat circumstantias, quæ honestam faciant donationem totius illius quantitatis, quam Prælatus, nec diuisim potest excedere. Quia si talis occasio daretur, ea præterita, & facta donatione sibi proportionata potest accidere alia occasio etiam vrgentior donandi, quam superior non possit euitare, nisi cum magno monasterij præiudicio; vnde & hanc donationem poterit facere; igitur illa prior non fuit maxima, quæ fieri potuit tam diuisim, quàm coniunctim. Non potest igitur Prælatus vnico actu donare, quod potest diuisim, cum non sit, nec esse possit vna causa donandi simul, quod non nisi ex pluribus causis, & distinctis honestè donatur. Vnde nec potest subdito concedere, vt vno actu donet, quidquid potest pluribus actibus donare, quia nulla est dabilis causa donandi simul honestè, & religiosè id, quod eo est honestum, quia diuisim ea pluribus causis nedum numero, sed specie distinctis redditur honestum. In aliquo tamen casu, vt supra dicebatur contingere potest, quod post multum temporis detur simul, quod potuit dari diuisim, quando ex eadem causa misericordiæ monialis, quæ per annum posset dare vnum aureum in eleemosynam, illud dat in intentione, & reseruat dare in effectu tunc cùm peruenerit ad summam dotandi monialem consanguineam; quia hoc modo ad minùs virtualiter eleemosyna datur diuisim, & præterea datur semper ex eadem causa, & non datur tota anticipatè; quod esset inhonestum, tum quia tolleretur facultas dandi ex meliori, & vrgentiori causa. Nam nec licet sic volenti reseruare traditionem ad futurum tempus, eam reseruare prætermissa eleemosyna erogauda ex causa vrgentiori, quæ aliquo modo obliget. Tum quia consideratis circumstantijs tota illa summa posset non esse proportionata, sed excedens de præsenti, & in singulari. Nulla ergo alia regula hic est adhibenda, nisi quod quantitas ista ex solis circumstantijs est consideranda, & mensuranda, vt sit de præsenti proportionata Religioso, & causæ, quæ illum mouet ad dandum.

464 An autem, quò superior est maior possit dare licentiam ad ampliorem quantitatem donandam, Sanchez loco citato censet, quòd vbi facultas superioris localis consuetudine, vel statuto Ordinis, aut præcepto superioris non sit restricta, non sit cur ad certam summam arctetur, & ad ampliorem adeundus sit Prouincialis, sed qualiscumque sit superior potest concedere licentiam ad quantitatem moderatam arbitrio prudentis eligendam *Anton. à Spir. Sancto nu. 357.* Sed nihilominus dicitur, quòd in donationibus, aut eleemosynis habendis hæc inæqualitas inueniri debet, inter Prælatos, vt quo vnus est amplioris potestatis maiora dare possit, quia Generali ratione dignitatis maiora debentur ex bonis religionis, quàm Priori, ideò etiam conuenit, quod ipse de bonis religionis maiora expendere possit; vnde talis quantitas excedit proportionem paupertatis simplicis Prioris, quæ non excedit proportionem paupertatis in Prouinciali, vel in Generali. Addo, quòd non est censendum, quod monasteria, & Religio dederit Prælatis immediatis, tam amplam administrationem sicut dedit

dit Prouincialibus, & præcipuè Generali, qui cum habeat vniuersalissimam curam totius Ordinis, & respiciat vt proprios altiores fines, & ampliores valde rationes, quæ ad honestum, & pium vsum temporalium mouere possunt, habet etiam vt propria motiua honesta, & pia ad ampliorem vsum, facultatum sui Ordinis. Vnde ampliores eleemosynas, seu etiam donationes ex causis etiam altioribus facere potest. Et idem cum proportione dicitur de Prouinciali. Quamuis etiam, vt habet *Mendoza in quodl. q.8. conclus.2.* facultas superioris mediati ex ordinum statuto sit limitata, & decretum sit in multis Religionibus quantum liceat his superioribus alienare. Vnde in his standum est consuetudini, & legibus cuiuscumque Ordinis.

465 Nam & seruandæ sunt Pontificum leges, vnde non possunt superiores dare licentiam ad alienandum bona immobilia, vel mobilia pretiosa, & pariter seruanda est bulla de largitione munerum, prout confirmata, & declarata, seu moderata ab Vrbano Octauo, ideoque solum illas donationes potest facere Religiosus licitè, quæ sunt ad vsum honestum in quantitate moderata, & seruatis legibus, tam Pontificum, quam aliorum Superiorum.

SVMMARIVM.

1 *Ex violatione voti paupertatis non oritur obligatio restituendi. num.466.*
2 *Ex iniusta ablatiane rei alienæ Religiosus tenetur ad restitutianem. num.467.*
3 *Vbi res ablata extat, eam tenetur Religiosus reddere domino. num.468.*
4 *Vbi dominus non est inuitus quantum ad substantiam non est obligatio restituendi sub mortali. num.469.*
5 *Qualiter bona fides excuset à restitutione. numer. 470.*
6 *An ex actione venialiter iniusta oriatur obligatio restituendi. num.470.*
7 *Confessarij fictam bonam fidem amouere debent, veritatem reuelantes. num.471.*
8 *An minima furta coalescant: variæ opiniones. numer.472.*
9 *Parua furta coalescere possunt in vnum. numer. 473.*
10 *Quid si ex magno internallo habeantur? numer. 474.*
11 *An maior quantitas requiratur ad peccatum mortale in furtis minimis. num.475.*
12 *Vbi non potest præsumi beneplacitum domini ad mortale peccatum in furtis minimis sufficit quantitas, quæ sufficit ad furtum notabile. nu.476.*
13 *Furta minima non coalescunt, si prudenter præsumi potest dominum non esse inuitum. nu. 477.*
14 *Qui minima subripuit, sub mortali non tenetur restituere totam summam. num.478.*
15 *Non est mortalis culpa vltimum obolum subripere cum animo illud ad breue tempus restituendi. num.479.*
16 *Non sufficit habere animum restituendi, quando quis fiat ditior. num.479.*
17 *Furtum rei paruæ post furtum rei magnæ per se non est peccatum mortale. num.480.*
18 *Qui per modica furta peruenit ad notabilem quãtitatem non teneri restituere, aliqui dicunt. numer.481.*
19 *Hoc reijcitur omnino. num.482.*
20 *Plures casus distinguuntur. num.483.*
21 *Minima furta inquantum sunt peccata venialia contra paupertatem non coalescunt in vnum. numer.484.*
22 *Furta minima comestibilium in Religiosis regulariter non coalescunt in vnum. nu.485.*
23 *Hoc limitatur. num.485.*
24 *Ampliant aliqui etiam si Religiosus intendat paulatim furari modicè, sed non admittitur. numer. 486.*
25 *Vbi superior vellet esse irrationabiliter inuitus in his, adesse posset peccatum contra paupertatem in his furtis paruis, sed non peccatum iniustitiæ. num.486. & 487.*
26 *Idem dicendum de alijs, quæ vnico actu consummuntur. num.488.*
27 *Limitant hoc aliqui ad pecuniam: sed non admittitur. num.489.*
28 *Modica expensa ex pecunia deputata ad vsum priuatum regulariter non coalescunt. nu.490.*
29 *Si Religiosus modica furta alienet ad vsum Religiosi eiusdem Ordinis eadem est ratio ac si pro se acciperet. num.491.*
30 *Modica furta ad vsum extraneorum coalescunt. num.492.*
31 *Non sufficit si fiat recompensatio particulari Religioso, vbi facienda est communitati, vel superior sit inuitus. num.493.*
32 *Quid de eo, quæ prius ex causa turpi dedit Religioso, si postea ab eo ex causa turpi recipiat. numer.493.*
33 *Tenetur ad restitutionem Religiosus alienans ad illicita. num.494.*
34 *Ludens ludo honesto de licentia non tenetur ad restitutionem. num.495.*
35 *Quantitas, quam possit Religiosus exponere ludo modica est, & minor ea, quam possit exponere filius familias. num.496.*
36 *Expressa licentia superioris ad illicita non liberat ab obligatione restitutionis. num.497.*
37 *Licentia indefinita non liberat ab obligatione restitutionis expendentem in illicita. nu.498.*
38 *Frequenter, nec qui accepit à Religioso pro causa illicita, nec Religiosus tenetur ad restitutionem. num.499.*
39 *Supposito actu illicito, debetur contrahenti pretium, & ipse non tenetur ad restitutionem. numer.499.*
40 *Triplex casus. num.500.*
41 *Quando Religiosus habet licentiam ad vsus honestos, si det pretium turpis actus, quod potest dari ex motiuo honesto, immo & multoties debet dari, nec ipse, nec qui accipit tenetur ad restitutionem. num.500.*
42 *Supposito malo, & malitia preterita in pluribus casibus Religiosus potest præsumere licentiam dandi id, ad quod ex turpi causa se obligauit. num.501.*
43 *Honestum est, quod in pluribus ex his casibus superior remittat obligationem recipientis à Religioso ex turpi causa. nu.502.*
44 *Hoc concordat cum sententia communi. numer. 503.*

45 *Quid si Religiosus ad turpia tantum consumat, quod superiores non possint tantam summam remittere.num.504.*

46 *Si Religiosus in singulo iactu ludi non exponat, nisi quod licite potest, etiam si multum lucretur non tenetur restituere.nu.505.*

47 *In aliquo casu potest Religiosus plus valde lucrari quam potuerit perdere.nu.506.*

48 *Pecunia in ludo non censetur acquisita absolute donec ludus absoluatur.nu.506.*

49 *Quando nec Religiosus teneatur restituere si vincat?num.507.*

50 *Religiosus tenetur restituere, in eo casu in quo teneretur collusor restituere si vinceret. numer. 508.*

51 *Quamplures sunt casus, in quibus licet Religiosus sit proprietarius, non adest obligatio restituendi. num.509.*

52 *An quando accipiens ex causa turpi peccet, & teneatur ad restitutionem.nu.509.*

52 *Vbi Conuentus remittat seculari acceptum à Religioso, hic non manet obligatus ad restitutionem. num.510.*

53 *Religiosi puniendi, & coercendi à dilapidatione rerum Religionis.num.510.*

54 *Eadem est ratio de superiore expendente ad turpia. num.511.*

55 *Multi casus in quibus Prælati, officiales, & subditi tenentur ad restitutionem.nu.512.*

56 *Religiosus non habens proprium quomodo restituere possit? num.513.*

57 *Prælatus irrationabiliter contrariè negaret subdito facultatem restituendi ex iis, quæ ad eius vsum sunt concessa.nu.514.*

58 *Qualiter restituet Religiosus, qui peculium non habet.num.515.*

59 *Quid agendum, si res alienata extet? nu.516.*

60 *Quid in Religioso habente peculium, sed non liberam eius administrationem. nu.517.*

61 *Qui tenetur ad restitutionem potest restituere per amicum alias paratum ad donandum monasterio. num.518.*

62 *Qui immemor debiti donat censetur restituere. numer.519.*

63 *Qui ad pompam donat intentione restituendi satisfacit.num.520.*

64 *Religiosus non potest sibi acquirere pecuniam, sine licentia, vt restituat.521.*

65 *Religiosus, quæ accepit sine licentia, vt alteri restituat, debet restituere danti. num.522.*

66 *Ex vi solius professionis non soluuntur debita ante professionem ipsi monasterio.nu.523.*

67 *Cui teneatur restituere, qui à Religioso accepit? num.524.*

68 *Religiosus qui distraxit aliquid ad sui vsum deputatum, tenetur restituere si potest. num.525. & 526.*

69 *Limitationes quædam expenduntur.nu.527.*

70 *Cui monasterio fieri debeat restitutio.num.528.*

De obligatione restituendi monasterio ea, quæ Religiosus iniustè expendit.

INSPECTIO XVII.

466 HOc verò tanquam certum supponendum est, ex violatione voti paupertatis non oriri obligationem restituendi, quia violatio voti paupertatis non est iniustitia, sed sacrilegium, obligatio verò restituendi oritur ex eo quòd quis alienum iniustè detinet, vel alteri damnum iniustè intulit. Vnde in præsenti intantùm oriri potest obligatio restituendi, inquantum Religiosus iniustè; vel detinet rem alterius, vel alteri damnum iniustè intulit. Quoniam verò damnum inferre potuit monasterio, vel res eius consumendo, vel alteri alienando, ideo duo videnda sunt, primum ad quid teneatur Religiosus, qui iniustè dedit, secundò ad quid teneatur, qui iniustè accepit, & postea ad doctrinæ complementum videndum erit, ad quid teneatur Religiosus, vel monasterium, quando Religiosus damnum intulit extraneo.

467 Primum verò asseritur, Religiosum ex iniusta ablatione rei monasterij; vel alterius verè obligari ad restitutionem. Neque obstat, quod non habet proprium vnde restituat, quia aliud est non habere obligationem restituendi, & aliud est excusari ex impotentia ad restituendum; quidquid sit de hoc secundò, de quo sermo erit infra, & videbitur qualiter hæc impotentia excuset, vel non excuset, certum est Religiosum verè contrahere obligationem restituendi ex iniusta ablatione rei alienæ. Et de hoc nulla est difficultas.

468 Vnde est aliud certum, quia scilicet vbi res iniustè ablata manet apud Religiosum, quia nec est consumpta, nec alienata, tenetur Religiosus eam rem restituere vero Domino, & si est monasterij tenetur eam reddere, & consignare officiali, cui talis rei cura est commissa, vel superiori, qui habet vniuersalem bonorum Conuentus administrationem.

469 Quòd si Dominus rei, siue hic sit superior, siue alius non est inuitus respectu substantiæ consumptionis rei, vel alienationis, sed solùm quantum ad modum, non tenetur ex culpa mortali ad restitutionem, vt probatur ex *leg. inter omnes, 47. ff. de furtis*, de qua videri possunt *Sanchez l.7. mor. c.19. num.13. Ant. à Spir. Sancto num.371.* Ideo videndum est diligenter in facti contingentia, si Conuentui, qui est Dominus, & superiori, qui est administrator displiceat consumptio, & alienatio rei ratione actionis, vt iniustæ, ita quòd displiceat ratione damni illati, vel potiùs displiceat, vel ratione modi, seu rationis, & causæ ex qua res consumitur, aut alienatur. Si enim hoc secundum solum displiceat, & est propria causa displicentiæ, iam consumptio, & alienatio non est simpliciter, seu totaliter iniusta, nec est inuito domino simpliciter, quia non est omnino contra voluntatem domini, cui non displicet consumptio, & alienatio, quatenus sibi damnosa, sed veluti ratam habens substantiam alienationis, sibi displicet causa, & modus illius.

Limi-

470 Limitant quoque assertum supra positum aliqui quantùm ad ea, quæ Religiosus consumpsit bona fide, putans id sibi licere, quamuis falsò, ita tamen, vt hæc bona fides, seu opinio sit talis, quæ excuset à peccato mortali. Ita aliqui ex *Lessio l.2.de iust.cap.7.num.27. Ant.à Spir.S. nu.478.* Quia obligatio non potest esse maior, quã fuerit iniuria ea qua causatur, ideo si iniuria non est culpa mortalis, neque obligatio restituendi. Quod ampliant ita vt nec remaneat obligatio sub culpa veniali ad restituendum, quia cum obligatio ad restituendum oriatur ex grauitate materiæ, mirum esset, quòd sub peccato veniali obligaretur quis ad restitutionem decem mille aureorum. Præterquàm quòd damna illata cum sola culpa veniali censentur quasi fortuita, vt pote quæ proueniunt ex quadam animi inconsideratione, nemo autem tenetur de damno alteri obueniente fortuitò, vt patet ex *Lessio ibid.n.28.* id probante ex Syluest. & alijs Doctoribus. Verùm considerandum est, obligationem restitutionis prouenire non solùm ex iniusta acceptione, sed etiam ex re aliena, quæ semper restitui debet. Ex quo sequitur primò, quòd si res adhuc extet, vt quia religiosus illam non consumpsit, nec alienauit, manet semper obligatio ad restituendum, & bona fides excusat à peccato, non verò ab obligatione, quæ durat, & ita vt bona fide cessante intret etiam culpa mortalis, si modo sibi possibili non restituat. Si etiam rem bona fide consumpsit intrat regula generalis, quia scilicet rem alienam bona fide consumens tenetur ad restitutionem pro ea parte pro qua factus est ditior *Card.de Lugo disp.3. num.168. Anton.a Spir.Sancto num.180.* Ideo si religiosus de ijs, quæ spectant ad vsum communem religiosorum sine licentia consumpsit aliquid bona fide quo non accepto ea communi penu consumere debuisset ea ija, quæ sibi deputata sunt ad vsus proprios, non est vnde excusetur, ne teneatur ad reponendum tantumdem pro vsu communi, quãtum consumsisset de sibi concessis ad vsum priuatum. Licet enim vtrumque quantùm ad dominium sit conuentus, tamen speciali modo damnificata est tota communitas ex diminutione eius, quod ad eius vsum est deputatum, vnde huic damno debet religiosus, qui damnum causauit occurrere quantùm potest. Cæterùm vbi res est bona fide consumpta, & qui damnum dedit ex ea non est ditior factus, verum credo talem non teneri ad restitutionem; etiam si in consumendo peccauerit venialiter, quia & in materia iustitiæ datur peccatum veniale ex animi indeliberatione, ex quo non potest oriri obligatio sub mortali ad restituendum, aliter non daretur in tali materia peccatum veniale ex animi indeliberatione, quod est falsum. Ideo talis non tenetur restituere ratione rei alienæ, quæ non extat nec in se, nec in sibi æquiualenti, quia consumens non est factus ditior, sed neque ratione iniustæ acceptionis, quia actio non fundat obligationem ad restituendum nisi sit iniusta, & hæc nõ est iniusta nisi sit voluntaria, solùm verò secundùm quid voluntaria est actio indeliberata, ideo verè cessat omnis obligatio restituendi, quia respectu materiæ grauis, vel non est obligatio restituendi, vel est obligatio sub mortali, quæ hic esse non potest, quia indeliberata actio non est iniusta damnificatio simpliciter loquendo.

471 Quod verò ea aliquibus apud *Fagund.l.7. in Decal.cap.5.num.36.* dicentibus, eum qui res à Religioso recepit non teneri ad restitutionẽ quamdiu durat bona fides, deducit *Anton.a Spir. Sancto num.380.* quòd Confessarij aduertant, ne inijciant scrupulos pœnitentibus, qui bona fide possident, quia durante bona fide possunt dissimulare, non est consilium bonum, & prudens: Quia qui possidet alienum semper tenetur restituere, licet durante bona fide non peccet, si non restituat. Et cum hoc non sit leue malum ex falsa bona fide possidere alienum, huic malo debet Confessarius veritatem docendo occurrere. Quamuis vbi non sit certum quòd bona fides sit falsa, non sint imprudenter inijciendi scrupuli, sed bene considerandum sit factum.

472 Limitatur secundò assertum respectu minimorum, quæ religiosus consumpsit paulatim, & diuisim etiam postquam ad notabilem quantitatem peruenit. Circa hanc limitationem verò est communis quæstio, an minima paulatim, & diuisim furto accepta ita vniantur, vt qui sic furatur peccet mortaliter in furto illius modici, per quod peruenitur ad materiam notabilem. In qua quæstione pro certo habetur esse peccatum mortale, si qui modica furatur intendit hoc modo notabilem quantitatem furari, nam hæc praua intentio mortalis est. Et secũdo certum est, furem immemorem priorum furtorum non peccare mortaliter in furto illius modici, in quo peruenit ad notabilem quantitatem, quia tunc hoc furtum à casu & inuoluntariè est rei notabilis, vnde non potest esse culpa mortalis. Sed dubium primò est, an qui est memor aliorum furtorum dum furatur illud modicum in quo completur notabile damnum domini, peccet mortaliter. In quo dubio est sententia *Nauarri in summa c.17. num.139. & l.3.consil.de statu monach.cons.3.num.27. & Lessij l.2.de iust.c.2.d.8.a num.45.* & aliorum, quos refert *Sanchez l.7.mor.c.21. num.5.* qui dicunt talem non peccare mortaliter. Econtra verò *Sotus l.5.de iustitia q.3.a.3.ad 3. Bartholom.a Medina 12.q.88.a.4. Petrus Ledesma 2.tomo summæ tr.8. c.21. in 2.difficult. Ludouicus Lopez p.p. Instruc.93.q.2. Zumel.p.2. q.88.a.5.dub penul, Vasquez ibid.d.146.c.2.num.5.* & plures alij scilicet *maior, Io.a Medina, Couar. Corduba, Aragon, Salon Rodriquez, Valentia, Nauarra, Rebellus* quos citat & sequitur *Sanchez loc.citat. Dianus p.1. tract.6. resol.34. & p.5. tract.5. resol.* tenent, furantem modica si sit memor priorum furtorum peccare mortaliter in furto illius modici in quo completur materia, seu damnum notabile domini, quia per tale furtum damnificatur notabiliter Dominus inuitus.

473 Et hæc sententia sine dubio vera est, sed circa eam aduertenda sunt aliqua. Et quidem primò eam aliqui limitant dicentes, tunc modica furta coalescere in vnum, quando fiunt in vno genere negotij, & animo ditescendi, vt contingit in vendentibus vtentibus diminuta mensura, vel pondere. Ita *Diana p.p. tract.6. resol.34.* quod est indubitatum. Sed in alijs furtis paruis faciliùs domini non censentur inuiti, ideo furta parua non ita de facili possunt in vnum coalescere. Nihilominùs prædicta limitatio communiter reijcitur, quia non potest negari, quòd etiam ex parte qualitatis, & quãtitatis materiæ absolutè parua furta non possint in

vnum coalescere, vt si quis in diuersis occasionibus ab eodem magnam quantitatem pecuniæ per modica interualla subripuerit.

474 Ideo limitatur secundò eadem sententia, vt sit vera, quando inter modica furta non sit magnum interuallum. Quodnam verò sit interuallum magnum, *Sanchez l. 7. mor. c. 21. num. 10.* censet esse vnius anni. Sed *Filliucius tom. 2. tract. 31. cap. 10. num. 144.* quem sequuntur *Diana Anton. à Spir. S. p. 2. Direct. tr. 3. disp. 4. num. 160. loc. citat.* pro magno interuallo habet spacium vnius mensis, vel dimidij. Sed neque hæc limitatio admitti potest maximè in furto pecuniarum, quod etsi fiat per spatium dimidij mensis breui peruenire potest ad quantitatem valde magnam, etenim hic considerandum, quòd Domini in furtis paruis censentur non inuiti sub conditione & non omnino simpliciter: stat enim quòd Dominus damnum paruum æstimet, sed si non iteretur, in quo casu censeri possunt etiam non condonasse prius damnum, ideo vbi furta modica sunt continua, & longiùs durant, bene possunt coalescere, etiam si facta per interuallum nedum mensis immò mensium.

475 Tertiò eadem sententia limitatur, vt ad hoc quòd modica furta coalescant, non sufficiat eadem quantitas, si furta sunt valde interpollata, quæ ad mortale sufficeret, si tota simul vnico actu ablata fuisset, sed maior requiratur. Ita *Nauar. sum. c. 17. num. 139. Grassius p. p. decis. l. 2. c. 93. num. 19. Rebellus de iust. p. p. l. 3. q. 15. sect. 4. num. 39. Less. l. 2. de de iust. cap. 12. d. 8. num. 36. Rodriq. sum. c. 150. num. 8. Sanchez l. 7. mor. cap. 21. num. 19. Diana loc. sup. citat.* Hanc verò quantitatem Lessius quem sequitur Sanchez sub disiunctione censet esse dimidium, vel duplum quantitatis secundùm se sufficientis ad constituendum mortale peccatum furti. Diana verò loco citato absolutè requirit quantitatem duplò maiorem.

476 Sed hæc limitatio sublimitari debet, vt possit esse verum si aliàs non constet dominum esse inuitum, etiam si minor quantitas ab eo auferatur, & ita verè sit inuitus etiam respectu modicæ quantitas, quæ sufficeret si tota simul vnico actu ablata fuisset. Dicendum igitur est, quòd vbi in furante modica desit continuata voluntas furandi multa, & animus ditescendi, si veluti fortuitè per lōga interualla, si non vnius anni, saltem plurium mensium modica furetur etiam ab eodem, furta modica non coalescere in vnum furtum notabile, & adhuc si furta non sunt nimis frequentia, ad hoc vt coalescant requiri maiorem quantitatem arbitrio prudētis determinabilem, vsque ad quantitatem duplò maiorem illa, quæ secundùm se sufficeret ad mortale, nisi de voluntate Domini illiberalis constet, vel attentis circumstantijs eum inuitum esse rationabiliter debeat præsumi. Nam intantùm, vel modica furta non coalescunt, vel maior requiritur quantitas, inquantum dominus rei furto ablatæ non censetur inuitus, sed eo inuito existente semper erit peccatum, vbi eo inuito damnum illatum erit secundùm se notabile. Vbi verò furta modica sunt nimis frequentia coalescunt in vnum, quando peruenitur ad quantitatem, quæ sufficiat ad constituēdum peccatum mortale, si verò sint frequentia, sed non nimis, aliqua maior quantitas iuxta arbitrium prudētis erit necessaria ad peccatū mortale.

477 Dico igitur quòd modica damna diuisim & ex interuallo non censentur in vnum notabile damnum coalescere, obligans ad restitutionem, si circumstantijs personarum, & temporum & materiæ alijsque consideratis prudenter præsumi potest Dominum non esse inuitum quantum ad substantiam damni; Nam aliàs ea quantitas damni obligat sub mortali ad restitutionem, quæ obligaret, si simul fuisset habita.

478 Bene verum est talem furem sub mortali non obligari ad reddendam totam summam, sed sufficit si restituat illud modicum, quod vltimò furatus fuit; quia eo restituto cessat damnum esse notabile & graue, vt bene tradunt *Arag. 22. q. 66. a. 6. Sayrus in Claui regia l. 9. c. 19. num. 25. Rebellus loc. cit. & Sanchez num. 9. Anton. à Spir. S. vbi supra & Diana loc. cit.*

479 Ideo bene notat *Granado p. 5. contr. 6. trac. 2. disp. 2. sect. 3. num. 51.* quòd si furans vltimum obolum habeat intentionem illum statim restituendi, non peccat tunc mortaliter, quia illa modica detentio non esset tunc grauis iniuria, & addit Diana, neque esse mortale peccatum si obolos priùs furto oblatos consumpsisset, & haberet animum restituendi quando ditior esset, quod tamen meritò reijcit *Card. de Lugo d. disp. 16. num. 39.* quia qui est impotens ad restituendum debet curare, vt per nouum furtum non ferat proximo notabile nocumentum.

480 Non placet tamen id, quod ex *Rebell.* docet idem *Sanchez ib. nu. 7.* scilicet mortaliter peccare, qui post furtum modicum complens notabilem quantitatem committit aliud modicum furtum; Hoc enim, vt aduertunt *Filliucius sup. citat. nu. 146.* non est rationi conforme, quia augere in modico damnum notabile non est peccatum mortale, quia nec de se est notabile damnum. Licet igitur peccatum mortale fuerit inferre damnum notabile domino per furtum modicum complens notabilem quantitatem, ex hoc tamen non est peccatum mortale per aliud modicum furtum quantitatem illam in modico augere.

481 Secundò autem dubium est, an qui per modica furta peruenit ad notabilem quantitatem rei alienæ, siue in hoc peccauerit mortaliter siue non, teneatur sub mortali illam quantitatem restituere. In qua quæstione aliqui existimant, quòd qui pluribus repetitis vicibus furatur alienum vsque ad quantitatem notabilem; nec peccat mortaliter, nec tenetur sub mortali ad restitutionem, etiam si voluntariè retineat totam illam summam absque intentione restituendi, dummodò illa modica furta ratione voluntatis intercisæ, & ratione alicuius interualli temporis inter vnum, & aliud furtum moraliter non continuentur. Ita post *Toletum, Berarducium, Fernand. & Vidal* tenuit *Antonius à Spiritu Sancto part. 2.* Vbi quòd idem tanquam probabile dixerint Diana, *Dicast. Salaz. & Sa.* Interuallum verò quod ad hunc effectum sufficiat num. 160. dicit esse quindecim dierum ex *Filliuc. & Diana*: Nec obstare, inquit, si dicatur quòd qui infert alicui graue damnum tenetur ad restitutionem; quia hoc est verum quando damnum est simul physicum, & morale, non verò quando est physicum tantùm; vel quando quis infert damnum physicum formaliter; vel quan-

do

do damnum physicum aut morale totum simul infertur; Quæ in casu isto non verificantur. Nec obstat quoque quòd qui habet alienum inuito Domino tenetur ad restitutionem, quia hoc est verum quando dominus est inuitus rationabiliter quoad rei substantiam, quod non est in nostro casu in quo proximo non est illatum damnum formaliter.

482 Verùm sententia opposita communis est prorsus certa & omnino sequenda, eamque tanquam certam tradunt *Sanchez l.7. sic Decal. cap. 21, num.3. Card. de Lugo disp.16 num.37.* Nam & asserere quòd is, qui diuisim & interpellatè patitur inuitum detrimentum sit irrationabiliter inuitus, si sit inuitus quantùm ad substantiam nocumenti merè voluntariè dicitur. Nulla enim est lex quæ illum obliget ad liberè sufferendum notabile detrimentum in rebus suis, sed rectæ rationi conforme est, vt sua quisque rationabiliter tueatur. Et quod dicitur de damno physico, morali, & formaliter, non probat aliquid, quia damnum moralissimum, & formalissimum est, quod iniustè infertur, & vbi hoc damnum sit notabile intrat obligatio restituendi sub mortali. Quod euidentissimum est vbi res paulatim ablata non sit cósumpta, & fatetur etiam idem *Anton. a Spir. Sancto num.165.*] Etsi verò res ablata fuerit consumpta quia id factum est dolosè, & iniustè, adest fundamentum restitutionis secundùm omnes DD. obligans ad restitutionem.

483 His verò sic in communi determinatis, applicando ad religiosum communem doctrinam, plures casus distingui debent, quia distingui debet consumptio succellsiua per modica, ab alienatione, & iterum consumptio distingui potest, vel respectu commestibilium, vel respectu pecuniæ, & iterum, vel respectu rerum, quæ sunt deputatæ pro vsu communi, vel respectu earum, quæ sunt deputatæ ad vsum priuatum religiosi.

484 Et quidem primò hoc mihi rationabile videtur, scilicet furta modica religiosorum inquantùm contrariantur voto paupertatis, & sunt peccata in genere sacrilegij venialia, numquam continuari & coniungi ad constitutionem vnius peccati mortalis; quia ex venialibus infinitis non integratur vnum mortale per se & formaliter loquendo; & quia peccatum sacrilegij nō accipitur ex damno dato domino rei, sed ab hoc præscindit, & adest etiam respectu materiæ, quæ sit nullius, & consistit in hoc quòd religiosus vtitur temporalibus sine licentia superioris; vnde non respiciendo damnum, quod fieri possit notabile & permanens ex iteratione, non habet vnde continuentur iterata minima sacrilegia, sicut nec continuantur iteratæ modicæ inobedientiæ, vel iterata peccata venialia in materia castitatis. *Card. de Lugo disp.3. num.165. Caramuel* quidem ampliùs docet *nu.891. & 894.* quod huiusmodi furta non sint peccata contra votum paupertatis. Sentit enim quòd surreptio ista furtiua quatenus clandestina sit solùm contra votum obedientiæ, si tamen sit positum præceptum de nō subripiendo huiusmodi clandestinè. Sed dato vt pluries dictū est, quod subreptio ista clandestina, vt clandestina & purè facta sine licentia non vsurpato dominio directè opponatur voto obedientiæ, opponitur tamen non dependenter à præcepto superioris, sed quia in professione promissa est hæc obedientia, sit scilicet Religiosus non nisi ex licentia superioris diuitijs vtatur. Quia lex ista substantialis omnino est statui Religiosi, & eius obseruantiā vouet, qui vouet vitam regularē. Sed veritas est, quod opponitur directè voto paupertatis. Vnde secundū S. Canones, & DD. omnes, vti diuitijs ea proprio arbitrio censetur proprietariū, quia est necessarium ex vi voti paupertatis, & omnino tanquam necessarium ex vi voti professionis. Vnde furta minima etiam peccata sunt in genere sacrilegij, licet venialia, & quæ ratione dicta non continuantur.

485 Loquendo verò de vitio proprietatis quatenus est iniustitia, sed respectu comestibilium, dicunt communiter DD. huiusmodi furta modica nō continuari quando religiosus ad sui vsum & commodum paulatim furatur. Ita asserunt *Sanchez l.7. moral. cap.21. num. 31. Graffius p.p. decis. l.3. cap.5. numer.51. Cardin. de Lugo d. 3. de iust. numer. 182. Fagund. l.7 in Decal. cap.5. Diana de pauper. resol.35. & apud eum Tannerus, Fernand. & Bonac. Anton. a Spir. Sancto vbi sup. num. 157. Caramuel nu 887.* Quia religiosi in his tractandi sunt ac si essent serui, aut filij; huiusmodi autem furta in famulis & ancillis non censentur mortalia, nec obligantia ad restitutionem, *vt tradunt Caiet. in sum. v. furtum not. p. Nauar. in sum. c.17. num.138. Bannes 22. q.66. a.6. dub. penul. less. l.2. de iust. c.12. d.8. nu.48.* Immò addo, non debere in his tractari religiosos ad instar seruorum, nec solùm ad instar filiorum, sed ad instar condominorum; licet enim religiosi non habeant priuatum dominium, habent tamen commune, & sunt condomini rerum monasterij, & tam domini quàm superior, licet superiori administratio cōmissa sit, vnde in his multò minùs censeri debet inuitus verus Dominus, qui est Conuentus seu vniuersitas, si aliquis de vniuersitate paulatim de bonis etiam ad vsum communem destinatis comestibilia ad sui vsum consumat; & ideo in his non tenetur religiosus ad restitutionem.

486 Aliqua tamen limitatione, seu explicatione indiget hoc commune assertum. Nam sicut modica furta famulorum, & filiorum tunc admittuntur quando fiunt de rebus comestilibus communibus, quæ claudi non solent, vt tradunt *less. l.2. c.12. d.8. num.4. & Bonac. de larg. mun. d.1. p.5. nu.7. & Diana illos referens p.1. t.8. res.34. & Caramuel. num.889.* Ita non licet religiosis etiam per modica furta auferre pretiosiora, quæ communiter religiosis non dispensantur, sed custodiuntur pro specialibus necessitatibus, & occasionibus. Pariter si furta sine discretione sine nimis frequentia (quidquid dicat *Caramuel num.888.* excusans huiusmodi furta etiamsi frequentissima) non committuntur sine magno damno Conuentus, circa quod tam Conuentus, quàm superior est rationabiliter inuitus: Maximè tempore penuriæ, & respectu rerum, quæ pecunia emuntur. Vnde & in furtis modicis rerum comestibilium in religiosis attendendum est ne, vel indiscreta frequentia, vel aliæ circumstantiæ aggrauent damnum, taliter vt non possit probabiliter præsumi licentia superioris, vt si nimis frequenter tantum singula vice auferatur, quantum ferè sufficeret ad peccatum mortale, hac enim non existente saltem præsumpta furta modica in vnum coalescunt etiam in religiosis. In quibus tamen cæteris paribus maiorem quantitatem puto requiri

ad

ad constituendum peccatum mortale iniustitiæ, quam in famulis, & filijs.

487 Principale tamen assertum ampliant *Sanchez num.32. Anton.à Spir. S. d.trac.3. num.180. & Diana* alijque ab eo citati, vt sit verum, etiam si religiosus habeat animum accipiendi paulatim hæc modica, quia accipere paulatim modica comestibilia ad sui vsum in religioso non censetur vsurpatio rei inuito Domino saltem quantùm ad substantiam actus, vnde etiam si hoc fiat deliberatè non est peccatum mortale, nec adest obligatio ad restitutionem, & poterit esse sine vlla culpa, si præsumi possit licentia superioris, cui nec displiceat modus sibi talia auferendi, sed hoc negat *Graffius p. p. decis. l.3. c.5. num.51.* Et certè hæc ampliatio sic absolutè non potest admitti, sed solùm in casu discretæ consumptionis, vnde superior possit præsumi non inuitus. Puto etiam aduertendum, quòd si adesset Prælatus, qui in hoc vellet esse inuitus etiã quantùm ad substantiam, nisi hoc faceret ex speciali & iusta aliqua causa, quia adhuc non esset inuitus Conuentus, qui est verus dominus, & superior indebitè in hoc esset inuitus, non esset peccatũ mortale iniustitiæ, nec adesset obligatio ad restituendum si religiosus eo inuito huiusmodi furta modica comitteret; quia non fiunt domino simpliciter inuito, & Prælatus esset indebitè simpliciter inuitus, tractando religiosos peiori modo quàm seruos in ijs, in quibus sunt condomini cum illo. Esse tamen peccatum aliquod contra votum paupertatis, per quod prohibetur vsus rei temporalis sine licentia superioris etiam consentiente domino rei, nisi in hoc religiosus præsumere posset licentiam superioris mediati supplentis indiscretionem immediati Prælati, nolentis admittere sine iusta causa, quæ communiter admittuntur ab alijs Prælatis.

488 Ampliatur verò idem assertum, vt eadem ratione intelligatur de omnibus vsu consumptibilibus, & quæ vnico actu consumuntur. Eadem enim est ratio horum, & comestibilium, & vbi hæc cedunt in vtilitatem religiosi, modica furta cum discreto interuallo commissa non coalescunt, non quòd semper sit necessarium interuallum inter furtum, & furtum, sed quia v. g. si per duos dies sequentes duabus vicibus modica furatus fuit, expectet postea plures aliquos dies; vel per multum tempus non continuet huiusmodi furta, quæ etiam non supposito magno interuallo in religiosis non coalescunt, nisi arbitrio prudentis considerata etiam qualitate rei frequentia sit nimis indiscreta & continua. *Anton. à Spir. Sancto vbi sup.*

489 Limitat tamen hoc *Sanchez loco cit. nu.30.* vt non intelligatur de vsu pecuniæ, nedum si pecunia sit accepta a monasterio, sed etiam si sit recepta ab extraneo. Quàmuis admittat quòd modicæ expensæ factæ in rebus comestibilibus non coalescant. Sed nec *Card. de Lugo d.3. de iust. num.182.* admittit hanc limitationem respectu pecuniæ acceptæ ab extraneo; quia cum hæc data sit ad vsum religiosi, & in eius vsus sit expendenda de licentia superioris, nullum est damnum Conuentus, quòd expendatur in vsus religiosi, ideoque non est hic obligatio restituendi. *Anton. autem à Spir. Sancto num.157.* absolutè limitationem non admittit. Et hæc sententia est vera. Est tamen discrimen, quòd valde minor quantitas potest sufficere ad hoc, vt furta minima coalescant, vbi furtum fit de pecunia ad communem penum spectante maximè si pecunia non sit consumpta. In his enim Conuentus non tam de facili est inuoluntarius. Et ideo nisi ista minima furta sint, valde discreta, coalescunt.

490 Sed si pecunia sit deputata ad priuatum vsum religiosi, vel data ab extraneo ad hunc finem, si religiosus per modica accipiat illam occultè & sine licentia, vel ex communi deposito, vel ab extraneo, illamque retineat, modicæ acceptiones coalescere quidem possunt in vnum peccatum mortale contra votum paupertatis, non quia plura peccata vnum constituant, sed quia notabilis quantitas pecuniæ simul tota retinetur contra voluntatem superioris, vnde si iuxta doctrinam Granado supra citati religiosus vltimam partem pecuniæ in qua cõpletur notabilis quantitas acciperet, vt statim restituendam, si Prælatus non det licentiam, nec erit peccatum mortale proprietatis partem illam recipere. Sed in hoc casu non interuenit mortale peccatum iniustitiæ, quia Conuentus, vel superior non est inuitus ex parte dominij & intuitu iustitiæ, & sui damni, quia cum hæc pecunia sit deputata ad vsus priuatos religiosi, nihil ferè interest Conuentui quòd maneat magis in deposito communi, quàm apud religiosum, si spectemus interesse temporale, quàmuis multùm intersit tam Conuentui, quàm superiori respectu paupertatis, & obedientiæ, & obseruantiæ regularis, quòd religiosus occultè apud se pecuniam non retineat, Ideo si religiosus pecuniam apud se non retineat, sed illam in suos vsus statim expendat per modica. Si expendat in res permanentes, iterum potest esse quòd modicæ expensæ coalescant in vnum peccatum mortale contra votum paupertatis, ratione retentionis simultaneæ notabilis quantitatis rei emptæ, sed neque hic erit iniustitia, quæ sit culpa mortalis, quia temporaliter Conuentui non interest nec patitur aliquod damnum ex eo quòd religiosus occultè res illas retinet, quæ non desinunt esse res conuentus etiam dum sunt apud religiosum, & modus occultus illas retinendi, nisi sit cum periculo amissionis rerum non est materia grauis in ratione iniustitiæ. Sed vbi religiosus ex huiusmodi pecunia per modica emit comestibilia, aut alia, nec illa retinet, sed consumit; modicæ expensæ regulariter non coalescunt in vnum peccatum mortale etiam contra votum paupertatis, quia non est aliquid in quo vniantur, nisi in religioso esset vna continuata voluntas sic expendendi. Non enim coalescunt ratione damni, quia in hoc non est damnum Conuentus, cum pecunia sit deputata ad vsũ priuatum religiosi expendentis. Nec obstat, quòd superior posset illam pecuniam auferre à religioso & illam applicare ad communem vsum monasterij, vel ex natura res ad talem vsum manet applicata moriente religioso, hoc verò cessat, si pecunia sit expensa, quia hoc damnum regulariter est valde remotum, nec magni fit à Conuentu, quia quòd ad honestum commodum Religiosi expenditur, consummatur ad finem ad quẽ datur. Præterquàm quòd huiusmodi expensæ possint cedere in bonum Conuentus, si religiosus eò minùs consumat de bonis ad communem vsum deputatis, quàm faceret, si sibi ex pecunia ad suum vsum deputata de

alijs

alijs non prouideret, & tamen si huiusmodi expensæ factæ sint in vsus inhonestos, seu turpes, aut illicitos, quia ad huiusmodi expensas Conuentus non consentit, bene potest contingere quòd modicæ expensæ coalescant in ratione iniustitiæ, iuxta tamen regulas supra explicatas quando Conuentus possit meritò præsumi inuitus.

491 Loquendo verò de modicis alienationibus ad vtilitatem alterius à religioso alienante, etiam distinctione est opus. Nam respectu religiosorum eiusdem Ordinis eadem est ratio, quæ est de religioso ea modica accipiente ad suum vsum; In his enim, vel non interuenit damnum Conuentus, vel damnum non est notabile, aut non magni fit à Conuentu, seu non fit eo simpliciter inuito. Nam si religiosus accipiat quantitatem, quæ dispensetur pluribus per modica, hoc furtum non est modicum sed graue: Sicut si plures religiosi simul de communi consensu accipiant rem monasterij, hoc furtum poterit esse graue, quia simul vnico actu in re notabili Conuentus patitur damnum, vnde nisi ea circumstantijs præsumatur licentia nõ erit furtum leue. Sed si quis modicum comestibile accipit, & dat alteri religioso, eadem ratio est ac si ipse pro se accepisset, omnes enim religiosi in hoc habentur tanquam filij, & condonantur quæ discretè paulatim & de rebus ad ordinarium communem vsum spectantibus sine licẽtia accipiuntur & consumuntur ab eis.

492 Sed respectu extraneorum modica furta coalescunt, si aliàs eo modo res etiam deputatæ, ad vsum priuatum religiosorum modo illicito, & sine superioris licentia cum damno Conuẽtus alienantur. Quia Conuentus spoliatur quantitate notabili rei temporalis eo inuito. Et per hæc satis patet quomodo ex minimis furtis oriatur in religioso restituendi obligatio.

493 Præterea limitatur tertiò principale assertum, si alienatio rei Conuentus facta sine licentia sit recompensata. Dicunt enim quidam, quòd si religiosus pro datis sine licentia recipiat recompẽsationem, quæ maneat apud ipsum non intrare obligationem restituendi, maximè si accepta non sint superflua; sed sint vtilia Conuentui, etiam si durante vita maneant apud religiosum. Sed hoc quidem verum est vbi alienata à religioso sunt ex deputatis ad eius vsum priuatum. Nam si religiosus sine licentia, vel emit, vel commutat rem ad suum priuatum vsum deputatam cum re alia sibi vtili, vel si donat, & sibi recompensatur æquiualens, non est vnde intret obligatio restituendi, quia si Conuentus vnum amittit aliud acquirit, & parùm illi interest temporaliter, quòd res deputata ad priuatum vsum religiosi sit potiùs hæc, quàm illa. Vnde in his non video adesse peccatum mortale iniustitiæ, quamuis adsit peccatum mortale contra votum paupertatis, quia religiosus vtitur pecunia & diuitijs in materia notabili sine licentia. Sed si loquamur de pecunia aut bonis deputatis ad commune bonum monasterij, non potest dici absolutè quòd non intret obligatio restituendi, quia certè si res empta, vel commutata, aut in recompensationem accepta sit inutilis ad communem vsũ Conuentus; vel si sit vtilis, tamen retineatur à priuato religioso non loco alterius sibi dandæ ex communibus bonis; intrat obligatio restitutionis, cùm Conuentus inuitus patiatur damnum notabile in eo quòd ad communem vsum est deputatum. Et præterea tam in priori, quàm in hoc casu, si superior velit contractum esse nullum, & nolit recompensationem, manet obligatio in religioso reddendi, quod accepit, & recipiendi quòd dedit. Intantum enim potest cessare hæc obligatio, inquantùm superior non sit inuitus; Nam cum res data à religioso sit Conuentus, si omnino superior vt administrator bonorum Conuentus non vult illam rem distrahi seu alienari, etiam accepta recompensatione non potest salua iustitia hoc fieri. Vbi etiam quòd datur, & recipitur est ex turpi causa, vt si monialis ex turpi amore sibi datum à laico recipiat, & ipsa ex eodem amore tantumdem reddat, laicum non teneri restituere dixit *Diana p.10.tr.14. resol.2.* Tum quia hic adest compensatio, tum quia intentio generalis sufficit ad satisfaciendum obligationibus iustitiæ. Sed affirmat *Carolus Battio*, quem refert, & sequitur *Donatus d.tr.15.q.42.* Tum quia Religiosa monialis potest ex turpi causa acquirere Conuentui, sed non potest alienare bona Conuentus. Tum quia nec sufficit ad tollendam obligationem iustitiæ intentio generalis respectu obligationis quæ non est, sed erit vt per *Sanch. l.1. mor.cap.13.num.11. Lopez l.2.de contrac.cap.vlt. Bonac.de legibus disp.1.q.1.nu.13.* Tum quia laicus dedit ob turpem amorem, non verò ad satisfaciendum. Et hæc sententia est vera. Cum enim monialis ex causa honesta non dederit, nec ex aliqua præsupposita licentia, sine dubio inualidè dedit. Hic vero non potest habere locum compensatio, si laicus ex amore liberaliter dedit. Nisi ipse expressè intenderit dare hac intentione, vt datum valeret loco recompensationis eius, quod se à moniali sperabat recepturus. Nam alias vbi obligatio compensandi non precedit, quòd suffragetur intentio communis satisfaciendi non est tutum. Et in casu nostro, laicus dans ex turpi amore dat, vt turpia recipiat, non vt sibi in re temporali recompensetur, vel ipse recompenset.

494 Ampliatur autem principale assertum, vt religiosus ad restitutionem remaneat obligatus si in vsus illicitos, aut turpes alienet sibi ad vsum concessa etiam de superioris licentia, ita vt tunc religiosus iniustè alienet, ideoque tam religiosum, quàm recipientem teneri ad restitutionem dixerũt *D. Anton. 3.p.tit.16.c.1.§.13. Sylu.v. Religio 6.q.7.d.2. Rodriq. t.2. q.125.a.2. & tom.3. q.29.a.11. Molina de iust. disp.140. Clauis Reg. lib.9.c.16.num.12. Nauar. l.3.de rest.consi.70. Riciul lib.2. de meretr.c.33.n.28. Donatus* latè hoc tractans *tom.3. trac.15.q.26. Sanchez l.7. mor.c.19. a num.20.* multis alijs ibi citatis, cum tamen non plures alij oppositum sentiant. Considerandum est quòd DD. multi in hoc confusè valde loquuntur, & non distinguunt vitium proprietatis, a vitio iniustitiæ vnde ex quo licentia superioris si detur ad illicita excusat à vitio proprietatis, dicunt excusare etiam ab obligatione restitutionis; cum sequela sit falsissima, quia superior qui non potest dissipare bona Conuentus, non posse dare licentiam dissipandi ea in vsus illicitos, quæ sit valida contra iustitiam aduertit *Donatus num.7.*

495 Præsupponitur verò tanquam communiter concessum contra *Castrum l.2. de leg. Imper. c.2.*

corsl.

corol.3.& Petrum Conar.de remedio ludorum 3.p. c.1. posse superiorem concedere suo subdito licentiam ludendi ludo honesto non prohibito, nec indecentestatum religionis, & paupertatis, ideoque religiosum ludentem cum licentia superioris expressa, vel tacita aut præsumpta ludo honesto & non prohibito, nec peccare, nec teneri ad aliquam restitutionem.

496 Quantum verò possit Religiosus distrahere in ludos honestos cum licentia superioris, *Sanchez l.7. mor.c.19.num.79.* loquens de Religioso viuente extra claustra de licentia superioris, & religionis expensis, vel causa studij, vel ad negotia Conuentus, putat illum habere ex hoc tacitam licentiam ludendi aliquo ludo decente suum statutum, & nisi id sibi prohibitum sit à suo superiore, vel constitutionibus, & simul censet talem posse expendere in ludos quatuor, vel quinque pro quolibet centenario ex ijs, quæ pro sui sustentatione conceduntur. Verùm vbi Religioso non assignatur summa aliqua ad sui sustentationem, si tamen de licentia superioris habet peculium, seu pecuniam ad suos priuatos vsus deputatam, & ludat cum secularibus, vel extraneis, valde moderatè expendere potest, & prout decet eum, qui paupertatem profitetur, & nec superior potest licitè dare licentiam subdito ad exponendum in ludo quantitatem immoderatam, & statui paupertatis non conuenientem. Sed si non habet peculium, certè nec potest de rebus monasterij accipere, vt ludat, nisi sibi à superiore aliquid moderatum ex iusta causa concedatur, nec si parcè viuat, & minùs consumat, quàm posset de bonis communibus, sibi licet id ludo exponere, cum vt supra dictum fuit de eo, nec possit eleemolynas facere. Vbi autem Religiosus habeat de licentia superioris id, quod valeat ludo exponere, & ludat cum Religiosis eiusdem Ordinis, ex parte iustitiæ nõ est limitata quantitas ista, quia per ludum nihil extrahitur à dominio religionis, & ab arbitrio superioris, & semper pecunia remanet ad vsum alicuius Religiosi sub beneplacito Prælati. Ex parte tamen voti paupertatis, conueniens est, vt hæc quoque sit discreta, & moderata ad arbitrium superioris, vel viri prudentis. Neque in his currit omnino similitudo filiorum familias, qui non vouerunt paupertatem, & vbi sit salua iustitia possunt in ludos non prohibitos, quidquid volunt. Sed Religiosum profitentem paupertatem non decet consumere in ludis, quæ sibi concessa sunt ad vsus necessarios, vel pios. Nec credo quód regulariter tantum possit expendere in ludo quantum potest donare de licentia superioris, quia donatio potest habere motiua vrgentiora, & valde honesta, ludus verò habet pro motiuo animi oblectationem, vt habet *D. Th.sup. q.168. a.2.* & remissionem à nimia defatigatione animæ, ratione cuius licet sit licitum ludere, & exponere aliquid in præmium victoriæ, non tamen ex hoc ostenditur necessitas exponendi quantitatem aliquam notabilem, aut immoderatam, cum virtuosus non ex auaritia ludat, sed delectationis gratia, quæ etiam sine periculo perdendi summam grandem, si ludo exponatur, meliùs obtinetur. Nihilominùs non potest in hoc certa regula poni, sed ex conditionibus personarum, & causis ludi, & abundantia peculij, & similibus circumstantijs ad arbitrium boni viri hæc quantitas poterit determinari. Et semper debet esse valde moderata. Vnde nec Prælatum posse concedere subdito licentiam expendendi notabilem pecuniæ qualitatem in ludo, dixerunt *Molina tom.1.tr.2.disp.94.& disp.140. & tom.2.disp.259. Azor.p.3.l.5.cap.26. quæst.4. Less. l.2.cap.4.dub.5.num.29. & cap.18. dub.11.num.83. Abulen.quæst.37.in cap.6. Matt. D. Anton. in summ. §.Defecerunt cap.2.de rest. Ledes.p.2. tract.31. cap.2. concl.10. Corduba, Rodriq. Petrus Nauar. Villalobos Decastill.Graff.* quos refert, & sequitur *Pasqual.quæst. mor.118.num.4.*

497 Dicitur igitur primo, quòd licentia data à Prælato alicui expressè ad operandum illicita non excusat Religiosum à peccato cõtra iustitiam, & obligatione restituendi, nisi simus in casu in quo illud opus redundat in vtilitatem Conuentus, vel ob similem causam possit præsumi Conuentus licentia. Ratio primæ partis est, quia superior non est dominus rerum Conuentus, sed solùm administrator, qui non habet facultatem dilapidandi res monasterij, ideo non potest subdito concedere licentiam validam ad erogandum in illicita. Vnde hanc partem tenent DD. quos supra num. 168. retuli quatenus etiam, quod similis licentia non valeat ad eximendum subditum à peccato proprietatis, de quo satis eo loci dictum fuit. Ratio secundæ partis est, quia Cõuentus est verè dominus suorum redditutum, & ita vt sine iniustitia possit suis bonis, vti etiam ad iniqua. Nec valet dicere, quod in hoc desit consensus superiorum maiorum, quia superiores non sunt domini, sed administratores; & ideo ex quo illi dissentiant, sequitur quidem quòd factum sit contra obedientiam, vel etiam contra aliquam aliam virtutem, secus tamen contra iustitiam; quia dominus rei non est iniustus, si ea abutitur ad illicita. Ideo in casu in quo Conuentus cum suo superiore immediato consentiat in vsum illicitum, talis vsus non est iniustus, neque est obligatio restitutionis.

498 Dicitur secundo, quod habens licentiam indefinitam, seu absolutam, & non limitatam determinatè ad vsus pios, & honestos peccat contra paupertatem, aut respectiuè contra iustitiam si ludat ludo illicito, aut aliud illicitum per pecuniam acquirat. Negant hoc illi, qui putant, quòd licentia data indifferenter ad vsum, & commodum Religiosi, se extendat ad vsus illicitos. Sed oppositum probatum est supra in spect.6. numer.168.169. & 170. & iuxta ibi dicta nunc asseritur, non licere salua obseruantia, vel voti professionis, vel iustitiæ ex licentia indeffinita ludere ludo illicito, vt exponendo in eo pecuniam, vel etiam notabilem pecuniæ quantitatem in ludo aliàs licito ludendo, vel per pecuniam illicitum perpetrando. Talis enim licentia ad vsus honestos est limitata, & ideo huiusmodi Religiosus peccat, & contra votum paupertatis, aut respectiuè contra iustitiam.

499 Dicitur verò tertiò, quòd etsi Religiosus non habeat à suo superiore licentiam expendendi, nisi ad pios vsus, & honestos, vel si nullam licentiam expendendi habeat adhuc si ludat, vel alienet aliquid ex contractu, vel quasi contractu ex turpi causa frequenter nihilominus accidit, quod qui accepit, & ex consequenti ipse, qui dedit non tenetur ad restitutionem, licet ipse Religiosus in hoc

peccet

peccat mortaliter etiam contra iustitiam, & votum paupertatis. Supponit hæc conclusio, quod licet contractus per quem sub pretio quis paciscitur aliquod turpe, & ex se illicitum sit nullus, & ideo pro malo opere patrando sit illicitum aliquid dare, & qui contraxit non tenetur stare promissis dando opus illicitum, etiam si acceperit pretium, licet in eo casu non possit, pretium retinere. Tamen actu illicito dato potest qui dedit pretium exigere tanquam sibi debitum ex iustitia, & tenetur qui opus illicitum ex contractu recepit soluere pretium, & pretium accipiens non tenetur ad restitutionem, nisi acceptio ipsa sit ex se iniusta, quia res pro qua datur pretium est inuendibilis, vt in simonia, seu quia acceptio est iniusta, quia est supra sortem, vt in vsura. Sed in meretricio, & his similibus consummato actu illicito debetur pretium ex iustitia, & v. g. meretrix ex iustitia exigit pretium fornicationis, & illud acceptum non tenetur restituere, vt habet *D. Th. supra q.32.a.7.c. & ad 2.* vbi idem docet *Caiet. & iterum quæst.62. a.5. ad 2.* & tenent alij plures quos referunt & sequuntur *Sanchez l. 2. in Decal. cap.38. num.96. Bonac. de restit. disp.1. q.3. p.3. num.21. Martinez de Prado cap.17. q.5. num.3.* Hanc conclusionem tenet *Salas citat. vt de Ludo dub.21. num.4.* Et est vera nedum ex eo quòd, vt ait *Cardinal. de Lugo citat. disp.3. de iust. num.142.* licet donatio ob turpem causam ab initio sit inualida, tamen si religiosus habet licentiam expendendi ad vsus honestos, potest mutato animo illud idem donare, vel titulo paupertatis recipientis, vel alio simili honesto, vnde ex hoc tollitur omnis obligatio ad restituendum, quod & approbant *Donatus dat. 25. q.26. num.19. & Anton. a Spir. Sancto n.391.* Sed assertum est verum, quia supposito iniquo & turpi contractu ex parte etiam religiosi consummato, qui re aliena vsus est, & sub conditione, & pacto, quod esset validum ad obligandum ex iustitia quantum sit ex pacti natura; honestum est vt religio ratum habeat si religiosus dedit ad quod dandum ex in quo contractu se obligauit, & ideo frequenter accidit, vt religio hoc ratum habeat, & obligationem restituendi remittat.

500 Triplex vero casus hic distingui potest. Primus & secundus respectu religiosi habentis peculium. Primus inquam si religiosus actu habet licentiam expendendi in vsus honestos. Secundus si habet pecuniam deputatam ad sibi suos honestos, licet ea non possit vti sine speciali licentia. Tertius casus est eius, qui nullam habet pecuniam, seu non habet nisi quæ ex rebus ad vsum communem deputatis sibi concessa sunt. In primo casu nedum religiosus potest relinquere quod dedit, sed potest dare, immò sæpe ex debito debet stare contractui. Nulla enim amplius est malitia, quæ tota pertransijt (vt supponitur, si enim adhuc res mala actio ac remanet prohibitio actionem prohibens & contractū sub conditione talis actionis) iam enim v. g. completa est libido; Id verò quod remanet supponit culpam, & inhonestatem, sed non est inhonestum; neque licet illud prosequi ex causa turpi, sed ex honestate quæ aliunde oritur. Nam honestum est stare promissis, maximè vbi alius ex parte sua promissa impleuit. Nam si religiosus furetur & consumat rem alienam, licet ex iustitia non teneatur reddere, quia excusatur, cum nihil habeat, tenetur tamen semper restituere quia damnum intulit, vnde si habet vsum facti alicuius cum licentia ad vsus honestos, tenetur satisfacere damno dato etiam ex vera iustitia, quia tunc habet vnde satisfaciat. Ita qui fornicatur alienum vsurpat, & alieno vtitur & fruitur, & licet mulier non sit inuita, non tamen est voluntaria nisi sub conditione mercedis, & ita non adimpleta mercede est inuita, & sic qui illa vsus est, si non implet conditionem, habet alienum inuito domino: sicut verò in sæculari habente dominium pecuniæ supposita culpa fornicationis nedum honestum, sed debitum est soluere mercedem actus turpis, & stare contractui, ita in religioso cum proportione dicendum est, non enim eximitur religiosus a debito iustitiæ, quia quantum sit ex natura contractus non maneat obligatus, sed quia cum nihil habeat non est soluendo, & sic verè est obligatus, sed excusatur ex impotentia, non est verò impotens si habet vsum facti ad actus honestos, quia soluere mercedem turpis vsus eo præterito, in eo qui potest soluere non est inhonestum, sed debitum ex iustitia. Quantum ad ludum tamen singularis est difficultas ex eo quòd ex lege positiua ludens ludo vetito non teneatur soluere, quod ludendo perdidit. Quia nihilominùs spectato iure naturæ, qui lusit ludo vetito tenetur soluere, quod perdidit, vt patet ex dictis num. superiori, & tradit *Bonac. de restit. disp.2. q.3. p.3. num. 5.* quoniam pacta ex ea parte qua sunt honesta sunt seruanda, & ludus licet aliàs vetitus, iure naturæ non est nullus, nec malus, esto ludens ex iure positiuo in multis casibus non teneatur soluere. Et hoc maximè locum habere possit in Religioso, cui ob multas causas prohibiti sunt ludi illiciti, seu exponere in ludo multam pecuniam, & eò magis quòd pecuniæ non est dominus, vnde esto ex vna parte ipse teneretur soluere, eximitur ab obligatione, quia non habet de suo vnde soluat. Nihilominùs si habet licentiam ad expensas honestas, ex multis causis potest esse honestum, quòd soluat debitum. Tum quia honestum est stare promissis. Tum quia hoc potest esse necessarium, ad fugiendas graues dissensiones: aut aliæ causæ concurrunt, quæ actum honestum immò ex honestate debitum reddunt, scilicet debitum consulendi propriæ famæ, & religionis, vitandi aliorum scandalum, quod ex publicitate facti de facili oriretur, fugiendi contentiones, & lites, & inimicitias, & persecutiones collusoris, & alia huiusmodi damna, quæ vt plurimum sequerentur si religiosus non staret contractui, quod apud homines de se putatur indecorum, & indecens & fraudulentum, & dolosum, etiam si contractus iniquè adimpletus fuit. Cui addi possunt conditiones paupertatis in recipiente, vel amicitiæ aliàs honestè vtilis, & alia multa similia, quæ actum soluendi summam conuentam honestū reddunt, in eo Religioso, qui habet licentiam vtendi pecunia ad vsus honestos.

501 In secundo casu maior est difficultas, quia non habet licentiam expendendi, sed tamen supposito facto, potest illam in quàmpluribus casibus iuste præsumere, & solutionem exequi, quia hoc est iam necessarium ad plures fines honestos, vt iam manet explicatum, & sic licet religiosus iniquè contraxerit, & iniquè & iniustè ex causa illici-

ta ſub conditione ſolutionis contractum compleuerit, eo tamen completo, pro ea parte pro qua ſi ille eſſet rei alicuius dominus obligaretur ex iuſtitia etiam ad executionem ſolutionis exercitam, quia non ampliùs inhoneſtum eſt ſtare contractui cuius tota deformitas præterijt, ſed immò ex multiplici capite poteſt eſſe debitum ſaltem debito honeſtatis ſoluere conuentum. Vnde dari poteſt locus præſumendi licentiam ſuperioris pro executione ſolutionis.

502 Ideo in tertio caſu idem dicendum puto, & ſaltem religio ratam habet ſolutionem hanc ortam ex iniquo contractu. Nedum enim datum non repetere licitum eſt, ſed eſt debitum in ſuperiore vbi ex repetitione maiora damna ſequuntur, ſicuti vt plurimum in huiuſmodi repetitione ſequerentur, id verò cenſetur ſuperior facere, quod eſt honeſtum, & ex honeſtate debitum vt faciat.

503 Neque hæc ſententia eſt contraria ſententiæ communi obliganti Religioſum dantem pro cauſa turpi, & eum, qui ab illo accipit ad reſtitutionem. Nam hæc ſententia admittit religioſum abutentem pecunia ad vſus illicitos peccare contra iuſtitiam, & ipſum ac recipientem præcisè loquendo ex natura, & vi contractus inique initi cum religioſo, qui non eſt dominus rei alicuius teneri ad reſtitutionem illius quòd religioſus dedit ſine licentia, & alius accipit. Sed hæc ſententia afferit, vel adeſſe ſufficientem licentiam dandi, ſi religioſus relicto animo inhoneſto ad honeſtatem ſe conuertat, & quod honeſtum eſt eroget, vel ſuperiorem remittere debitum. Ex remiſſione enim ceſſare obligationem reſtituendi cõſtat, ſi ſuperior, vel ſolus, vel de conſenſu capituli debitum remittat, vt tradunt *Sanchez l.7. mor. c.19. num.109. in fine Alphon. de Leon de off. Conf. reſol.* 11. *nu.* 291. *Leſſius l.2. de iuſ. c.16. num.34. Card. de Lugo d.3. de iuſt. num.*168. Immò iuſtam cauſam remittendi debitum contractum à religioſo eſſe, ſi religioſus ſit valde vtilis monaſterio etiam quantùm ad temporalia colligitur ex *Bonac. de larg. mun. p.6. num.*35. quia hæc remiſſio in hoc caſu eſt veluti donatio remuneratoria.

504 Quod ſi tantum religioſus expenderit, quòd nec ſuperior nec Conuentus poſſit debitum honeſtè remittere, & condonare reſtitutionem, vt ſi aliquid immobile, vel mobile pretioſum alienauit, quod quidem nec ad vſus honeſtos, & neceſſarios poteſt religioſus præſtare ſine licentia Pontificis, in eo caſu manet obligatio reſtituendi, niſi caſus talibus circumſtantijs ſit veſtitus, vt præſumi poſſit Pontificem debitũ remittere. Et in omni caſu poterit ſuperior iuſtis de cauſis alienatum non repetere, quia hoc non eſt alienare.

505 Ex his ſoluitur alia difficultas, an ſcilicet religioſus in ludo teneatur, ſi lucratur, reſtituere colludenti id, quòd lucratus fuit, in caſu in quo idem colludens teneretur reſtituere, ſi lucratus fuiſſet. In qua difficultate tres caſus diſtinguuntur. Primus eſt, ſi religioſus in ſingulo iactu ludi non plus exponat, quàm poſſit perdere, & colludens iuſtè acquirere ſine debito reſtituendi. Et tunc religioſus ſi lucratur non tenetur aliquid reſtituere, etiam ſi multò maiorem quantitatem lucretur, quàm perdere potuerit, vt ſi ludat ſimul cum pluribus, quorum quilibet exponat quatuor ſolidos, ſi decem ſint qui ludunt præter religioſum, & ipſe vincat pro quatuor ſolidis quos expoſuit lucratur quadraginta, & non tenetur ad aliquam reſtitutionem, quia in hoc ex vtraque parte eſt æqualitas, & quilibet ludentium eodem iure ſine debito reſtituendi quòd lucratur æquale exponit, vt æquale proportione lucretur, quantum quilibet alius lucraretur. Et ita de filiofamilias ludente docuerunt. *Bannes 22.q.32. a.7. Petrus Ledeſma in ſumma tract. vlt. c.2. poſt 9. concluſ. Molina tom.2. de iuſt. diſp.*519. *Leſſius l.2. de iuſt. c.26. d.5. num.*38. *Valentia 22. d.5. q.6. p.5. notab.3. & Sayro, Corduba Medina, Rebellus, Salon, Garzia*, quos ad propoſitum noſtrum refert & ſequitur *Sanchez l.7. mor. cap.19. num.*83.

506 Secundus caſus eſt religioſi, qui in vno & eodem iactu ludi plus exponit, quàm licentiam habeat ſecundùm ſe loquendo, ſed tamen expoſitum eſt acquiſitum in eodem ludo modo licito, ſcilicet modo in præcedenti numero acquiſito. Et de iſto dicitur, quòd poteſt plus lucrari, quàm potuerit perdere, & ratio eſt, quia pecunia in eodem ludo acquiſita non cenſetur acquiſita ſimpliciter, ſed ſub conditione exponendi eam periculo in eodem ludo donec totus ludus abſolutus ſit. Et ita loquentes de filio familias tenent *Silueſter v. Ludus q.17. dicto 3. Armilla num.7. Tabien. num.11. Nauar. ſum. cap.20. num.19. Molina tom.1. de iuſt. diſp.59. & Gabriel Roſella, Angelus, & Alcozer apud Sanchez loco citato num.*84. Dicitur autem idem Ludus ex Tabien. quando colludentes non diuertunt animo deſiſtendi à ludo, breui reuerſuri, etiam ſi mutent ſpeciem ludi, dum non mutentur perſonæ ludentes.

507 Tertius caſus eſt quando religioſus non habet ſimpliciter licentiam ludendi, vel in eodem iactu ludi non poteſt exponere tantam ſummam pecuniæ quantam ex ponit, vnde ſpectato contractu ludi præcisè, colludens tenetur ad reſtitutionem ſi vincat. Et in hoc caſu ſequendo ſententiam iam expoſitam, quod ſcilicet, vt plurimùm colludens non teneatur reſtituere, videtur quòd nec teneatur reſtituere religioſus ſi vincat, aliter eſſet inæqualis conditio ludentium, & ratio dictat, vt ſicut ſuperior poteſt ratam habere ſolutionem ſui religioſi ſi perdat, ita poſſit habere ratam eiuſdem acceptionem ſi vincat. Et quòd ex eodem vel debito, vel honeſtate cenſeatur ſoluere colludens uſi Religioſo, ex qua Religioſus ipſe ſoluiſſet præmium victoriæ ſi perdidiſſet. Nihilominus non eſt omnino eadem ratio: quia vbi non ſit debitum ſoluendi, & præmium, vel pretium non poſſit exigi ex iuſtitia, ſicut fieri poteſt in meretricio, iuxta ſupra notata. Tunc ſolutio libera eſt, & multæ circumſtantiæ concurrunt in Religioſo quæ honeſtare poſſunt ſolutionem perditi in ludo, immò illam reddere debitam, quæ non concurrunt in ſeculari, & ideo non poteſt cenſeri tam frequenter de ſeculari, quòd ſoluerit libenter, & ratam habeat ſolutionem, ſicut poteſt de religioſo. Ideo in facti contingentia conſiderandæ ſunt circumſtantiæ & perſonarum conditiones. Et ita tenent Salas & Fagundez ſupra citati.

508 Sed vbi detur caſus in quo colludens ſi vincat tenetur ad reſtitutionem eius, quod in eodem iactu ludi lucratur, vel quod lucratur abſolutè, in eo caſu religioſum adhuc non teneri ad reſti-

tutio-

cutionem nisi decipiat colludentem, dicendo se posse ludo exponere illam summam, & habere ad id facultatem legitimam dixerunt *Nauar.sum.c.20. num.12.Armilla v. ludus, num.8. Toledo l.5. cap.27. Anton. a Spir. Sancto trac.3. num.396.* & plures alij, & hanc sententiam probabilem putat *Sanchez loco citato num.85.* sed contrarium docuerunt *Sotus 4.de iust.q.5.a.2.concl.8. Siluest.verbo ludus q.17. dicto 3. Tabien.q.20.num.11.Ledesma 2.p.4.q.15.a.5. Victoria*, quem refert, & sequitur *Alcozer lib. de luda cap.16.Lopez p.p. instr.c.183.Bannes 22. q.32. art.7. concl.2.Petrus de Ledesma 2.tom.sum.tract.vlt.cap.2: concl.8. Valentia, Lessius, Garzia, Aragon*, & plures alij apud Sanchez loco citato, qui hanc probabiliorem putat. & meritò quia æquitas requirit, vt æquale sit colludentium periculum, & victoriæ profectus, & vbi deficit æquitas non admittitur claudicatio contractus ex vna parte tantùm. Nec ludens censetur cedere iuri suo, ex eo quòd ludit cum eo, quem scit non posse perdere, sed potiùs ex desiderio ludendi moueri ad ludum, nisi aliqua alia circumstantia adsit, ex qua præsumi possit colludantem donare quòd perdidit. Sed nunquid non poterit Prælatus Religiosi, qui vicit, approbare contractum, & sic liberare suum subditum ab obligatione restituendi? Id probabiliter dici posse affirmat *Antan.a Spir. Sancto in direct p.2.tr.3.nu.395.* Sed hoc non dicitur rationabiliter, quia vbi contractus sit nullus, non potest superior illum reualidare inquantùm est in præiudicium tertij eo nesciente, & non consentiente & non permanente in eadem voluntate. Ideo non potest approbare contractum ludi nullum in quo laicus perdidit, laico id ignorante, & non consentiente. Quòd si laicus ipse obligationem remittat, iam non est necesse approbare contractum, sed sufficit dare licentiam subdito, vt recipiat, & receptum retineat.

509 Concluditur igitur ex dictis, quòd licet religiosus, vbi sine licentia alienat res Conuentus semper peccet contra votum paupertatis, non tamen semper peccet mortaliter contra iustitiam, quia vel alienatio non est notabiliter damnosa Conuentui, cui etiam poterit esse vtilis, vnde tunc non est alia grauis iniustitia in tali alienatione, nisi quòd vel administrator res aliena sine domini voluntate. quod si fiat sine Domini damno, vel nulla est iniustitia, si præsumitur Domini seu Conuentus consensus, vel non censetur iniustitia grauis, cum non inferat damnum monasterio, vel si infertur aliquod damnum, illud est modicum, & non magni sit à monasterio. Et maximè si huiusmodi alienationes fiant ex rebus, & pecunijs deputatis simpliciter ad priuatum vsum religiosi, & huiusmodi fiunt regulariter alienationes onerosæ honestæ, quibus religiosi præcipuè inter se, vel rem cum re commutant, vel rem emunt seruata æqualitate valoris rei ad rem, vel pretij ad mercem; & propterea etiam in ludo inter Religiosos eiusdem Conuentus restitutionis obligatio regulariter non adest, quia res non aufertur à Conuentu, sed semper apud illum manet. Nisi adsit in contrarium lex specialis. Vnde in istis non est obligatio restituendi sub mortali. Quamuis ex vi voti paupertatis teneatur religiosus nihil occultè retinere, & ex vi præcepti iustitiæ non possit monasterio & superiore simpliciter inuito non abdicare à se quamcumque rem & illam tradere eum superior voluerit. Vnde in ludo inter Religiosos eiusdem Conuentus, si superior velit victorem non retinere præmium victoriæ, illud reddere debet, cui superior voluerit. Vnde victor bene debet attendere ne rem retineat contra voluntatem Conuentus seu superioris. vt administratoris rerum Conuentus, & nisi possit in hoc licentiam eius præsumere. Vel si alienatio est damnosa Conuentui; & religioni quia sine vtilitate monasterij res in vsus vanos, vel illicitos, aut turpes consumitur, & distrahitur. Sæpius contingit, quòd vel monasterium non magnifaciat huiusmodi temporale damnum, quia v. g. fit de bonis simpliciter deputatis ad vsum priuatum religiosi, vnde non multùm interest temporaliter monasterio, quòd res illa pereat, nisi in indiscreta quantitate distrahatur, vel monasterium ratam habet alienationem, & damnum remittit, vnde cessat obligatio restituendi. Et vbi religiosus, vel religiosa ex turpi causa recipiat, peccare tradit *Lez. d.c.6.n.38.* quod dictum verum puto de peccato proprietatis, nec approbo quòd dicit *Bordon. p.p. res.43.q.29. apud Donatum d. trac.15.q.27.* scilicet quòd ad vitandum peccatum sufficiat, si religiosa petat licentiam recipiendi tacita causa; quia licentia hæc tacita causa est subreptitia. Aliàs enim in maximum præiudicium Religionis, & Religiosorum est, recipere ex turpi causa; & superior nunquam esset concessurus licentiam, si sciret causam. Sed receptio huiusmodi non est contra iustitiam; quia qui dat liberè dat. Et non adest obligatio restituendi, si præsumi possit, quòd superior non sit inuitus quantùm ad receptionem, licet sit inuitus quantùm ad causam recipiendi. *Bordon. & Donat. ibid.*

510 Sed quæret aliquis, nonne potest esse, quòd cesset obligatio restituendi in eo qui accipit à religioso ad actus turpes, & tamen non cesset in religioso obligatio restituendi Conuentui, qui fuit causa damni, quod Conuentus sustinet? Respondetur videri posse cessare obligationem in accipiente & non in religioso quotiescumque Conuentus inuoluntariè sustinet damnum illatum, & ex timore maioris mali veluti coactus remittit accipienti debitum. Quod contiuget præcipuè quando religiosus res ad commnnem vsum monasterij deputatas in vsus illicitos distraxerit sine licentia, quia tunc monasterium censetur remittere debitum ei, qui recipit ex timore maioris damni, non verò voluntariè. Ideo religioso oritur obligatio restituendi eò quia fuit causa huius damni. Sed hoc non dicitur consequenter; quia manente obligatione restituendi in vno ex debitoribus non potest debitum esse alteri eorum remissum. Si enim tenetur religiosus restituere, ergo habet ius repetendi id quòd dedit ab eo qui illud accepit, vt illud reddere possit, ergo illi non est remissum debitum, quia si religiosus habet ius petendi quòd dedit tertio, tertius habet debitum illud reddendi, & sic ei non est remissum debitum. Bene verum est, quòd superior in pœnam iustè posset & deberet ad vsum communitatis ex bonis deputatis ad vsum priuatum talis religiosi tollere æquiualens immò etiam amplius, ne Conuentus pateretur damnum. Cæterum quando dispendium factum sine licentia non est nisi rei simpliciter deputata, ad priuatum vsum

Iui a reli-

religiosi illam distrahentis, regulariter Conuentus non magni facit huiusmodi damnum, in hoc enim tractari debent religiosi sicuti filij familias, in quibus huiusmodi dilapidationes post factum ratæ habentur & condonantur. Et nihilominùs pro qualitate dispendij in pœnam puniri posset, & deberet, & priuari commoditate in posterum distrahendi res huiusmodi, vel saltem non relinquere in sui potestate pecuniam, vel alia bona, sed illa apud aliquem depositare, & custodire. Sed multò magis pro culpa, & commissa contra votum & contra castitatem, aut alias virtutes seuerissimè puniri debent Religiosi, & qui ludo dediti sunt, & vel ludis illicitis, vel sine licentia ludis etiam honestis incumbunt, seuerissimè coercendi. Alias verò minimum, quod in his attendi debet est iactura bonorum temporalium.

511 Ampliatur etiam principale assertum, vt locum habeat in Prælato, & officialibus habentibus administrationem bonorum monasterij, primò si & ipsi expendant, aut quocumque modo alienent res temporales ad vsus turpes, & illicitos. In hoc enim eadem est ratio superiorum, & subditorum. Nisi quòd Prælatus sibi potest dare licentiam, quam potest tribuere subdito, vel si adsit consuetudo, quòd Prælatus possit aliquam moderatam quantitatem expendere ad libitum; & ideo Prælatus non alienabit sine licêtia nisi respectu eius ad quòd non peruenit facultas dandi licentiam. Cæterùm in vsus turpes & illicitos si Prælatus bona Conuentus dilapidet, ex natura talis actus tam ille, qui accipit, quàm Prælatus qui dat tenetur ad restitutionem, nisi Conuentus remittat debitum, quod tamen sæpe contingit, vt supra dictum fuit.

512 Sed secundò Prælatus & officialis Conuêtus immò & quicumque religiosus tenetur ad restitutionem si res monasterij suæ curæ commendatæ pereant aut deteriorentur ex eius culpa lata & veluti dolosa negligentia, *Lessius l. 2. de iust. c. 41. n. 79.* etsi contra voluntatem Conuentus res monasterij in extraneos distrahat etiam non ad finem illicitum, sed honestum. Nec non si res monasterij supra vsum & consuetum det fratri ad aliud monasterium transeunti, aut pertinenti nisi ex parua quantitate, vel alijs circumstantijs præsumi possit Conuentus consensus, vel simus in casu in quo Prælatus potest etiam exteris aliquid donare; si enim supra hanc quantitatem donet, vel seculari, vel religioso ad alium Conuentum pertinenti, qui vel illatim, vel tandem discedet a Conuentu & rem extra Conuentum asportabit, peccat contra iustitiam & tenetur ad restitutionem. In concedendo etiam vsum rerum monasterij si notabiliter violet iustitiam distributiuam, dando v.g. amicis supra vsum, & debitum, cum damno aliorum, res quæ vsu consumuntur, nisi simus in vno ex illis casibus in quo Prælatus potest de bonis Conuentus donare, vel ex rationabili causa inæqualiter distribuat, tenetur ad restitutionem; non enim violat iustitiam distributiuam, quin simul peccet contra commutatiuam diminuendo supra facultatem res monasterij. Et tandem, negligendo, & non impediendo damna Conuentus ex culpa lata. Dico ex culpa lata: quia Religiosus, qui ex obedientia assumitur ad Prælaturas, aut officia, non tenetur ex negligentia & culpa leui ad restitutionem *Syluest. v. restitutio 3. num. 5. ver. secundum*. Ambitiosi verò, qui sponte se ingerunt, & veluti se locant, an teneantur de damnis ex culpa & leui negligentia ipsi viderint. Et quæ de Prælato dicuntur, cum proportione de alijs officialibus monasterij habentibus administrationem temporalium intelligi debent.

513 Stante ergo obligatione restituendi in Religioso, quomodo restituere poterit, si nihil proprij habet? Excusabitur ne ex impotentia restituendi? Respondetur, quòd esto religiosus non habeat proprium, multis modis potest restituere tam Conuentui, quàm alij cui sit obligatus restituere. Nam primò si ex superioris licentia habet peculium, vel vsum aliquorum supellectilium, quia talia bona deputata sunt simpliciter ad illius priuatum vsum, potest & debet restituere priuando se tali vsu, & applicando illas ad communem vsum Conuentus, vel de superioris licêtia reddendo cui debet. Ita *Nauarra lib. p. de rest. cap. p. in noua edit p. 3. dub. 3. n. 183. Nauar. l. 3. Consil. de statu monac. cons. 3. nu. 5. Rodriqq. 2. tom sum. c. 31. num. 7. Sanchez l. 7. mor. c. 19. nu. 132. Fagund. l. 7. in Decalog. c. 5. num. 35. Molina tom. 1. d. 140.* aliique communiter. Cum enim vsus rei sit pretio æstimabilis, si religiosus vsum rei cedat Conuentui, vel si extero de licentia det & rem & vsum, satisfacit quantùm potest obligationi restituendi.

514 Sed quid si Prælatus nolit dare licentiam religioso, vt ex peculio sibi concesso restituat id, quod extraneo debet? *Sanchez l. 7. mor. c. 19. n. 133.* arbitratur Prælatum non teneri dare hanc licentiam, quia peculium illud est monasterij, & ideo non cogitur illud expendere ad soluendum debitum religiosi. Sed *Nauar Com. 2. de regul. num. 62* putat Prælatum teneri dare licentiam hanc subdito, nec posse illum impedire ne ex peculio sibi concesso restituat ablatum. Et hoc ergo dicendum quia religiosus ex sua parte verè ex iustitia tenetur restituere, & superior in hoc casu, esto ex rigorosa iustitia non teneatur concedere subdito licentiam restituendi ex peculio, cum illud sit Conuentus, tenetur tamen ex æquitate, & honestate (nisi in casu particulari ex aliqua circumstantia secus esset agendum) cùm peculium sit deputatum ad vsus honestos religiosi, nihil verò tam illi honestum, quàm restituere alienum. Ideo vt supra dicebamus cum Suarez, cum in simili casu superior sit irrationabiliter inuitus contrariè, valet licentia debita etiam si negata, & potest, & debet Religiosus ex præsumpta licentia Conuentus, & superioris maioris inuito superiore restituere ex peculio, vel ex eo, quod habet suæ dispositioni relictum.

515 Sed quid dicendum, si Religiosus peculium non habeat, vel aliquid aliud suæ dispositioni relictum? Hunc posse restituere detrahendo sibi de illis, quæ in sui commodum expendere posset, si aliquod Conuêtus negotium agat, vel detrahendo sibi de cibo, & potu, docet *Nauar. Comm. l. 3. Consil. de statu monach num. 5. & de redditib. quæst. 2. monito 20. & quæst. 3. monito 34.* Neque obstat quod huiusmodi residua sint Conuentus, nec posse Religiosus illa distrahere in extraneos, quia hoc est vetitum de alijs vsibus, non verò ad effectum restituendi ablatum. Quibus addunt alij Religiosum posse magis laborare, vel aliunde ab amicis procurare bona, vnde restituat. Et ideo Religiosum ad hæc

tene-

teneri quidam asserunt. Sed verè hæc duriora sunt. Et quidem si restitutio sit facienda monasterio, non adest necessitas ista faciendi, quia nec filij cum tanto incommodo obligantur ad restituendum Patri. Et in ijs, quæ ad iustitiam spectant Religiosi meliùs etiam quàm filij tractandi sunt. Minus ad hæc tenentur, vt restituant externo, quia quærere eleemosynam non tenetur aliquis, vt restituat, & alias, quæ residua sunt ex bonis monasterij sunt bona aliena, sunt enim bona monasterij ad vsus communes deputata, vnde sine licentia superioris non potest Religiosus ex illis restituere, quam non tenetur petere, quia nec tenetur ab amico petere vnde restituat. Ideo *Alphons. de Leon de off. Confess. recoll. 11. num. 292.* ait quod vbi Religiosus non habeat reddituus ad nihil tenetur, nisi inducere eum, cui dedit, ve restituat, & idem sentit Fagundez citatus, & alij. Nomine verò reddituum venire debet, quidquid conceditur Religiosi administrationi, vt Fagundez exprimit, & supra est dictum.

516 Sed si res alienata sine licentia extat, tenetur ne priùs monere eum, qui illam accepit, vt restituat? Respondetur quòd si non potest obtinere licentiam à superiore illam alienandi, tenetur priùs monere eum, qui rem recepit, vt illam restituat, nisi desperet ex hoc fructum, & timeat sibi ex hoc graue damnum. Nec potest in hoc casu priùs restituere ex peculio; quia peculium non est suum, sed Religionis, & solùm ex æquitate succedit in casu quod res alienata non possit restitui. Et si restitutio sit facienda monasterio, tunc Religiosus restitueret reddendo monasterio id, quod est monasterij. Ita ex *Bonac. de largit. mun. p. 6. numer. 3 2.* asserunt aliqui.

517 Solùm hic est aduertendum, quod in Religionibus, in quibus conceditur quidem peculiũ, & aliqua supellectilia ad priuatum vsum Religiosi independenter etiam ab existentia illius in hoc, vel in illo monasterio, non tamen conceditur vsus liber illorum, sed Religiosus nec potest expendere sine licentia, nec res alienare, non potest Religiosus, qui rem distraxit, & potest illam existentem commodè recuperare, restituere ex peculio, vel ex supellectili sibi concessa. Primò quidem, quia cum non possit illis vti sine licentia ad alios vsus, peccaret contra votum paupertatis ex illis restituendo, cum possit alia via restituere. Peccaret etiam contra iustitiam, si ex distractione peculij, vel supellectilis plus consumpturus esset de bonis Conuentus, vel priuaret Conuentum re, in qua ille successurus erat. Quamuis ex hac parte de facili præsumare posset consensum Conuentus, si de re non magnæ æstimationis, vel de spe valde remota ageretur. Vnde etiam est, quòd loquendo de simili Religioso, esto res alienata non sit ex rebus deputatis ad communem vsum monasterij, sed sibi ad vsum concessis modo supradicto, adhuc intrare potest obligatio restituendi, vt supra dictum fuit, vnde vbi res extet, & religiosus sine graui suo damno sperare potest, vel non desperare, vt illam recuperet, tenetur omnino id agere, nec potest ex peculio, vel reliqua supellectili restituere, nisi circumstantijs pensatis consensum Conuentus possit præsumere.

518 Quæri autem potest, an Religiosus obligationi restituendi satisfaciat, si seculari amico pacato dare liberaliter monasterio summam pecuniæ suadeat, vt det illam titulo restitutionis. Affirmant aliqui, quia idem est, ac si hic religiosus curaret pecuniam sibi primo tradi, vt ipso eam traderet superiori ad extinctionem obligationis suę, licitum verò est religioso bona oblata in communem vtilitatem monasterij procurare ad proprium vsum iusta de causa. Ita *Anton. à Spir. Sancto in Direct. tr. 3. num. 389. ex Fagundez præcep. 2. Eccles. l. 8. cap. 6. n. 19.* Hic autem adest iusta causa. Verùm dicitur, quod licet sine vi, & fraude procurare, vt quis mutet voluntatem donandi, & quod volebat dare vni det alteri ex obiecto non sit malum, nec sit contra charitatem, tunc cum seruatur ordo charitatis, tamen non esset sine aliqua culpa, si hic ordo violaretur. Cum verò religiosus potiùs debeat amare commune bonum monasterij, quàm priuatum; ideo in casu dato circumstantiæ rei pensandæ sunt, nec sine aliqua culpa esset, si ordo charitatis peteret, vt Religiosus postposito bono priuato commune intenderet, vt si Religiosus concessis sibi ad vsum abundaret satis, & monasterium in penuria esset. Ideo per se non est iusta causa postponendi bonum commune priuato obligatio restituendi, nisi sit talibus vestita circumstantijs, vt ordo charitatis non violetur.

519 Item quæri potest, an religiosus ad restituendum monasterio obligatus satisfaciat obligationi, si oblitus obligationis liberaliter plura, aut tantumdem illi tribuat ex peculio sibi concesso. Pendet hæc quæstio ab illa, an in materia iustitiæ ad obligationes tollendas sufficere possit intentio generalis, & implicita. In qua *Baldel. l. 5. Theolog. moral. d. 25. num. 18.* quem sequitur *Diana p. 5. tr. 3. resol. 94.* & alij affirmatiuam tenent, *arg. lege. cum ex pluribus causis, ff. de solutionib.* Vbi statuitur, quod vbi debitor debeat ex pluribus causis, & dum debitum soluit non exprimit ex qua causa soluat, censendus est soluere pro illa, quæ apud ipsum potior est, quia verisimile est diligentem debitorem, si esset admonitus, ita fuisse gesturum suum negotium. Ex hoc igitur textu clarè habetur intentionem generalem, implicitam, vel præsumptam valere in materia iustitiæ, quia deciditur solutionem intelligi factam pro causa potiori, quia præsumitur debitorem id voluisse, si fuisset admonitus. Idem igitur est dicendum si quis vno titulo det immemor potioris tituli, quia verisimile est virum prudentem non daturum titulo donationis, si fuisset admonitus se teneri titulo iustitiæ. Et hoc non asseritur improbabiliter, licet oppositum sentiat. *Vasquez, Salas, Sanchez, & Bonac. à Baldello citati num. 17.* Si tamen obligatio restituendi contraheretur post liberalem donationem, nihil iuuaret præcedens donatio ad extinguendam subsecutam donationem, quia donatio nõ potest extinguere obligationem non existentem, & donatum priùs fit donatarij, vnde adueniente obligatione restituendi, non potest illi satisfieri ex re priùs donata, quæ non est ampliùs donantis.

520 Pariter quæritur, an Religiosus obligatus ad restituendum monasterio satisfaciat, si ad pompam ex peculio faciat expensas pro Conuentu ex intentione satisfaciendi, vt si emat Calicem, vel lampadem argenteam pro vsu Ecclesiæ. Respondeo, quod per se loquendo non satisfacit, nisi

nisi ex circumstantijs facti præsumatur consensus superioris. Quoniam si furtum factum fuit in rebus necessarijs ad vsum monasterij, restitutio fieri debet taliter, vt occurratur damno dato iuxta mẽtem, & voluntatem domini, cui multùm interest habere rem suam nedum secundùm æquiualentiam in substantia, sed tunc, & eo modo quo possit illa vti sine suo damno, & cum sui vtilitate. Si verò monasterium indiget pro vsu communi religiosorum, non erit superior contentus lampade argentea, sed pecuniam exquiret, vnde necessitatibus monasterij occurrere possit. Nam in hoc casu restituens nõ restituit de suo, sed de eo, quod est monasterij, vnde restitutio ad hoc, vt valeat maximè attendi debet rei restitutæ vsus iuxta mentem disponentis de vsu rerum monasterij, ideo religiosus dando rem nihil restituit, quia res est monasterij. Dando verò rem ineptam ad illum vsum ad quem res ablata erat deputata, idem est, ac si nihil restitueret, quia abstulit rem vtilem ad communes necessitates religiosorum, & restituendo nihil agit, nisi quòd rem Conuentus applicat ad alium vsum manente damno Conuentus in re necessaria ad necessitates communes, vnde non reddit quod abstulit. Nihilominùs tamen dicunt, posse hanc restitutionem valere, si alio modo religiosus non potest satisfacere consulendo suæ famæ, vel si præsumi potest consensus superioris, maximè quod religiosus in hoc habendus sit vt filius, vnde non debent seruari rigores iustitiæ, ideo si religiosus bona fide hoc modo restitueret ad nihil amplius teneretur. Addunt verò, quòd in casu, quod non sufficeret hic modus restituendi, posset religiosus lampadem argenteam vendere eiusque pretium conuertere in vsus necessarios monasterij, etiam non obstante prohibitione de non alienandis bonis Ecclesiasticis, quam putant non comprehendere hunc casum; quia non debet quis obligari ad bis restituendum. Sed re bene pensata meliùs dicitur, hunc modum restituendi sufficere, maximè si hoc modo plus detur, quam fuerit ablatum; quia nisi ex negatione restitutionis in pecunia, vel in eadem, aut simili re ablata proueniat graue damnum Conuentui, ratio iniustitiæ, quæ possit contingere in eo quod redditur res inutilis ad vnum vsum, non est tam grauis, quæ sufficere possit ad peccatum mortale iniustitiæ in religioso, vel ita vt non possit præsumi consensus Conuentus, licet adsit aliqua displicentia superioris, vel officialis obligati ad procurandum aliunde necessaria Conuentui. Nam & in filijs talis modus restituendi admitteretur.

521 Item quæritur, an Religiosus obstrictus restitutioni possit sine licentia aliunde sibi parare pecuniam vnde restituat? Respondetur, non esse facienda mala, vt veniant bona; Cum ergo Religiosus, qui non habet vnde soluat, non teneatur ad restitutionem, & aliàs sibi sit prohibitum recipere sine licentia, nec tenetur, nec potest hoc modo recipere, vt restituat. Verum tamen est, vt aduertit *Suarez tom. 3. de relig. l. 8. cap. 11. numer. 4.* in hoc de facili præsumi posse licentiam superioris, qua posita liceret id facere.

522 Quando autem Religiosus sine licentia accepit a seculari, & Prælatus non vult ratam habere illam acceptionem, cui debet Religiosus restituere? Respondetur rem illam esse donantis, illique esse reddendam, vt tradit *Suarez tom. 3. de relig. l. 8. cap. 15. num. 18.* Et si illam consumpsit teneri ex peculio reddere æquiualens, quidquid negent aliqui, nisi præsumatur remissio superioris, vel res bona fide fuit consumpta, nec Religiosus ex ea factus est ditior.

523 Quæri etiam potest, an secularis debens monasterio liberetur ab onere soluendi, si in eo profiteatur. Affirmant enim *Marcus Mantua singul. 30. §. aliquis est debitor, num. 1. & 2. & Baeza de inope debitore cap. 1. num. 67. per tex. l. 2. ff. de cap. diminu. & doctrina Baldi ibid.* Quod quidem verum est, si profitens secum religioni bona temporalia ferat, siue monasterium eius intuitu post professionem similia bona acquirat, vel hæreditate, vel donatione, vel industria, aut opera acquisita, & quæ non acquiruntur monasterio donec Religiosus creditoribus satisfaciat. Nam tunc ex illis bonis etiam sibi satisfacit monasterium, vt tradit *Sanchez dict. cap. 19. num. 114.* Verùm ex sola, & pura traditione personæ ad Dei cultum, quæ nec est pretio æstimabilis, non soluitur debitum monasterij. Quamuis Religiosus ille tanquam ciuiliter mortuus nõ possit conueniri, quod est id, quod deciditur in lege citata, sicut nec capite diminutus, & ex impotentia restituendi excusari possit à restitutione.

524 Quando autem secularis, vel extraneus ex re accepta ab aliquo Religioso tenetur ad restitutionem cui debeat restituere? Respondent, multi eum posse restituere eidem religioso à quo rem sine licentia superioris recipit, nisi timeatur illum vanè, & contra Domini voluntatem iterum illis bonis vsurum, vt v. g. nisi timeatur, quod iterum ludet contra prohibitionem superioris. *Molina t. 2. disp. 520. Rebell. de iust. p. 1. l. 2. quæst. 11. sect. 2. num. 9. Alcozer l. de ludo cap. 18. Sanchez l. 7. mor. cap. 19. numer. 110. Bonac. de largit. mun. p. 6. num. 31.* Aut si Religiosus, qui dedit erat administrator rerum Conuentus, & de rebus suæ administrationi commissis donauit, vel alienauit quod non potuit, potest eidem restitui, quod ab eo acceptum fuit, nisi ab administratione amotus fuit. Verùm vel loquimur de obligatione iustitiæ, vel de obligatione charitatis. Nam ex iustitia non tenetur, qui malè accepit, nisi restituere rem acceptam, & quia non tenetur ipse ex iustitia ponere rem in statu meliori eo in quo erat, quando illam accepit, vel in quo fuisset, si non fuisset ablata ideo non tenetur rem illam restituere nisi religioso à quo illam accipit, vel ei, ad quem de præsenti ex dispositione Domini eam habere pertineret, quidquid sit an ille rem illam sit consumpturus, vel non, vt tradunt. *Villalobos t. 2. t. 28. diff. 5. num. 12. & Diana p. 3. tr. 3. resol. 98.* Sed tamen si restituens videat religiosum iterum abusurum re illa, & quòd si illi eam restituat erit occasio iterum ludendi sine licentia, vel aliud peccatum committendi, tunc ex charitate tenetur eam reddere monasterio. Bene tamen verum est, quòd si qui dedit erat Prælatus, vel administrator bonorum Conuentus, & dedit de bonis monasterij suæ administrationi commissis, & fuit remotus ab administratione, qui accepit tenetur reddere monasterio, cum ab eodem monasterio medio officiali suo rem illam acceperit.

525 Sed difficultas hìc oritur cui restituere debeat religiosus qui rem ad suum priuatum vsum

simpli-

simpliciter deputatam fine licentia distraxit,& alienauit, si contingat eum qui rem recepit nolle illam reddere, vel illam consumpsisse & nolle æquivalens restituere? Nam ex vna parte cum rem Conuentus distraxerit siue licentia, videtur quòd ipse, vel rem, vel rei pretium restituere debeat monasterio. Sed ex alia parte videtur quòd ipse sibi eam possit restituere, quod est nulli restituere, quia ipse ex quo illam distraxit non amisit ius illud habendi illam ad suum vsum eo modo quo priùs habebat. Et in hoc casu secularis qui rem accepit tenetur eam reddere religioso, quia licet sit res monasterij tamen est deputata ad vsum priuatum talis religiosi, igitur religiosus non restituente seculari potest sibi restituere, quod est habere illam pro restituta, & sic nulli restituere. Ideo aliqui tenent talem religiosum ad nullam teneri restitutionem, quia cum habeat idem ius vtendi illa, quod priùs habebat antequam rem distraheret, restitutio ei est facienda, quia non est ratio cogens ad restituendam rem illā monasterio, cum semper maneat deputata ad vsum ipsius religiosi, qui rem distraxit. Cum ergo restitutio debeatur ipsi, si secularis qui rem accepit nolit restituere, si dicamus quòd tenetur restituere religiosus ipse, necessariò dicitur quòd debet restituere sibi, cum non sit ratio dicendi, quòd teneatur restituere monasterio; restitutio autem facta sibi esset illusoria, & non restitueret sibi, nisi iterum sibi applicando aliquid ad sui vsum sibi applicatum, ideo dicendum est, Religiosum in hoc casu ad nullam teneri restitutionem. *Sanchez* verò *cap. illo 19. num. 112.* in fine distinguebat, dicens Religiosum fine licentia distrahentem rem ad sui vsum & administrationem liberè relictam teneri restituere, si aliud damnum intulit monasterio, quia ex hoc ipse est consumpturus magis de rebus communibus monasterij, vel quia monasterium remanet priuatum re illa, in qua successurus erat, si non fuisset distracta. At verò non teneri restituere si monasterium non est læsum, quia religiosus erat consumpturus bona illa.

526 Dicendum est propterea, quòd vbi religiosus fine licentia distrahit, vel peculium, vel aliam rem simpliciter deputatam & concessam ad sui priuatum vsum, manet in seculari recipiente obligatio restituendi illam, sed in religioso hæc obligatio nulla est, quia restitutio est illi impossibilis. Manet quidem obligatio in seculari qui recepit, quia res illa est res monasterij, quam secularis habet fine monasterij licentia, ideo nisi monasterium remittat illi debitum, tenetur restituere, vt supra dictum fuit. Sed & religiosus tenetur restituere, quia non potest separari distractio rei concessæ ad vsum priuatum religiosi a damno monasterij & religionis, quia religio seu monasterium priuatur re illa, quæ est sua, & quam ad libitum potest reuocare à religioso, & cui tandem succedet, quia in morte religiosi hæc monasterio remanent ad communes vsus, vnde si non distrahantur benè est monasterio, & malè si consumuntur. Quòd verò religiosus maneat obligatus ad restitutionem inde colligitur euidenter, quòd tenetur si potest procurare, vt qui rem ab eo accepit restituat illam. Ideo pessimè dictum est a præfatis DD. scilicet monasterium nullam ius habere ad talem restitutionem, quia immò religiosus priuatus nullum ius habet, sed solum monasterium habet ius, cuius est res illa, & quæ sibi perit, si perit, & si religiosus poterat illam consumere in vsus licitos non poterat id facere nisi de licentia monasterij, & ex eius voluntate, ex eo verò quòd rei Dominus, vel alius de eius licentia erat rem consumpturus non sequitur, quòd aliquis licitè eo inuito rem illam sibi possit vsurpare. Et nihilominùs religiosus manet liber ab vlteriori restitutione, quia non tenetur restituere rem nisi in eo statu in quo erat, quod est sibi impossibile. Non tenetur enim ad applicandum de præsenti rem illam, vel eius pretium ad communem vsum monasterij; quia nihil de spectantibus ad communem vsum distraxit, & non amisit licentiam (non dico ius, quia religiosus non habet ius) habendi rem illam ad suum priuatum vsum deputatam. Si ergo rem vel eius pretium non possit recuperare ex quo illam restituet? Non ex alijs, quæ habet ad vsum, quia tam Conuentus, quàm religiosus iam illa habet, & de suo non potest restitui ipsi Conuentui. Sed nec de nouo acquisito, quia ex natura sua per priùs acquiritur Conuentui & est Conuentus, quàm possit illi solui titulo restitutionis. Itaque conuentui non tenetur restituere applicando aliquid ad vsum communem Conuentui in sui persona verò non potest restituere, quia quidquid habet, & habiturus est per priùs est Conuentus, vnde nequit tribui Conuentui titulo restitutionis. Et si dicatur, quòd potest magis laborare quàm teneatur ex regula, vt hac via maiora acquirat, hoc irrationabiliter asseritur. Tum quia non est munus religiosorum operari intuitu lucri, & sufficit religioso si operetur id, ad quòd operandum mouetur ex obedientia. Tum quia non tenetur cum tanto rigore ad restitutionem, maximè quòd res distracta ad sui commodum erat deputata, vnde non tenetur iterum subire maius incommodum in operando, quàm sint grauissima incommoda religionis. Tum quia & tandem non teneretur nisi ad acquirendum sibi, vt sibi restitueret.

527 Circa limitationes verò positas à Sanchez aduertendum, & quidem circa primam, quòd si Conuentus ex vsu & regula tenetur de bonis communibus aliquid dare etiam religioso habenti peculium, si non cogitur dare vltra debitū, non est passus in hac parte damnum, ex eo quòd religiosus de peculio suo distraxit. Rarò autem cōtinget, quòd monasterium velit religioso dare vltra consuetum, & debitum. Circa secundum etiam considerandum, quòd monasterium in omni peculio religiosi succedere debet, vnde in omni distractione culuscumque rei hoc damnum patitur, ideo absolutè semper verum est, quòd religiosus alienans fine licentia aliquid est obnoxius restitutioni. Verum tamen est, quòd si aliqua res permanens & quæ vsu non consumitur concederetur Religioso ad simplicem vsum, ita vt non posset religiosus illam quocumque modo alienare, tunc speciali iure teneretur ad restitutionem, si illam alienaret, quia tunc illa res esset de spectantibus ad communem mensam monasterij, & religiosus propterea teneretur eam, vel eius pretium restituere monasterio; & quidem si eam recuperare non posset teneretur assecutare monasterium & illius damno occurrere, etiam statim ac damnum intulit. Nec obstaret, quòd ipse poterat ea vti, quia non poterat alienare, & Conuentus

rem

rem suam, vel eius valorem repetere potest quotiescumque sibi libuerit.

528 Tandem quādo restitutio facienda est monasterio, inquiri potest cui monasterio sit facienda. Respondetur verò, quòd in casu quòd restitutio fieri debeat ex vi bullæ Clementis Octaui, & Vrbani Octaui de largitione omnerum, debet restitutio fieri, vel ei monasterio de cuius bonis data sunt munera, vel viciniori ei loco, in quo petitur absolutio. De alijs verò restitutionibus dicendum est, quòd si res accepta est de pertinentibus ad aliquod monasterium particulare, neque licet religioso eam ad aliud monasterium deferre, sed religiosus, qui illam distraxit debet illi monasterio cuius est restituere. Quia restitutio debet fieri domino rei, illud verò monasterium est dominus illius rei priuatiuè ad quodcumque aliud monasterium. Sed si res distracta sit de illis, quæ conceduntur religioso ad suum vsum independenter ab existentia sui in hoc, vel illo monasterio, debet restitui, vel religioso eidem, vel si non illi, sed monasterio potest restitui, debet restitui monasterio, in quo habitat, & quod actu sentit incommodum alendi religiosum, nisi in religione sit circa hoc aliquod statutum speciale. Quòd si tempore restitutionis religiosus, qui alienauit sit mortuus, vel ad aliam religionem transierit. Quidam dicunt restitutionem debere fieri illi monasterio in quo religiosus erat, quando alienauit. Quod non est verum nisi res donata pertineret ad illud monasterium. Cæterum si res erat de concessis religioso independenter ab existentia eius in hoc, vel illo monasterio, & quæ nulli monasterio determinatè acquiruntur, seruandæ sunt leges spoliorum cuiuscumque Ordinis. Et in Ordine Prædicatorum huiusmodi bona ad Conuentum originalem, seu affiliationis ipsius religiosi pertinent, & illi sunt restituenda, nisi elemus in casu quòd illa res dici possit fuisse apud Religiosum existentem assignatum in alio monasterio, cum Religiosus mortuus fuit, quia tunc pro medietate inter vtrumque Conuentum esset diuidenda. Vel in aliquibus casibus ad ærarium Ordinis.

SVMMARIVM.

1 *Ordo doctrinæ. num.529.*
2 *Religiosus non potest testari. num.530.*
3 *Hæc prohibitio partim est iuris diuini partim positiui. num.531.*
4 *Solus Papa dat Religioso facultatem testandi. numer.532.*
5 *Nec nomine aliena potest Religiosus testari secundum aliquos. num.533.*
6 *Potest Religiosus ex facultate sibi tradita à testatore in sua morte determinare personam, cui relictum perueniat. num.534.*
7 *Religiosus de licentia potest donare causa mortis. num.535.*
8 *Potest in morte declarare se esse debitorem: sed in foro externo hæc confessio non valet, nisi probetur debitum. num.536.*
9 *Potest suum testamentum declarare. nu.537.*
10 *Potest in schedula explicare desiderium suum. numer.538.*
11 *Sed Prælatus ex nulla iustitia tenetur exequi, quod in hac parte promisit Religioso morienti. nu.539.*
12 *Religiosus non potest sibi reseruare facultatem testandi. num.540.*
13 *Non potest instituere primogenituram. nu.541.*
14 *De licentia Papæ potest testari. num.542.*
15 *Testari non est vllius damnum, & fieri potest sine dispensatione in voto paupertatis. nu.543.*
16 *Consuetudine nequit obtineri à Religioso facultas testandi sine licentia. num.544.*
17 *Consuetudine posset votum paupertatis limitari. num.545.*
18 *Non potest dari licentia testandi irreuocabilis. numer.546.*
19 *Religiosus habens licentiam testandi potest reuocare testamentum. num.547.*
20 *Papa Religiosi testamentum potest reuocare. numer.548.*
21 *Facultas testandi non spirat morte Pontificis. numer.549.*
22 *Sufficit si licentia superueniat testamento. nu.550.*
23 *Quibus Religiosis Papa concedat facultatem testandi. num.551.*
24 *Licentia testandi limitata est ad vsus pios. numer. 552.*
25 *Licitè non conceditur licentia testandi, nisi ad vsus pios. num.552.& 553.*
26 *Quod Pontifex licitè, & validè concedit donare, concedit etiam relinqui causa mortis. nu.554.*
27 *Licentia testandi debet esse expressa. nu.555.*
28 *An Religiosus possit instituere primogenituram. numer.556.*
29 *Religiosus per licentiam testandi non potest cassare testamentum factum ante professionem. numer. 557.*
30 *De facultate Patris Religiosi habentis filios circa bonorum administrationem plura habentur. numer.558.*

Qualiter Religiosus possit, vel non possit testari.

INSPECTIO XVIII.

529 De modis alienandi inter viuos, quomodo Religioso conueniant possint eum hucusque tractatum sit remanet, vt videatur, qualiter ei repugnet, vel concedi possit disponere de rebus temporalibus causa mortis.

530 Est autem primò certum, Religiosum solemniter professum non posse, nec licitè, nec validè testari, quia hic est dominus alicuius rei, nec dominij capax; vnde nec quidem ad pias causas testari potest, prout constat ex *Authent. ingressi, C.de Sacrosanct. Eccles.* quæ canonizata est per *Gregor. Papam l.7. indict.2. epist.7.* & habetur *cap. Quia ingredientibus 19. q.3.*

531 Quærenti autem an hæc prohibitio sit iuris diuini, vel humani, respondetur partim esse diuini iuris, partim humani; quia testari de rebus quorum homo non est dominus nomine proprio repugnat diuino iuri, cum sit actio iniusta. Sed testari de rebus alienis, nomine alieno, & de voluntate domini non est contra ius diuinum, & ideo ex hac parte prohibitio testandi est solùm iuris positiui humani.

532 Nihilominus tamen certum est, nullum Prælatum Religionum, etiam Generales posse dare licentiam testandi, vel codicillos faciendi; immò nec Prælatos cum Conuentibus immo nec Capitula generalia, nec respectu Religiosi, qui multa bona contulerit religioni posse licentiam testandi concedere; quia lex prohibens est lex Pontificia. Vnde licet Prælatus religiosus possit dare licentiam ad moderatas donationes, quia hoc non est illi interdictum, non potest tamen dare licentiam testandi etiam de illis moderatis de quibus licentiam donandi inter viuos dare potuisset, quia hoc est illi prohibitum. *Tabien. v. religio quæst. 42. Suarez tom. 3. de relig. cap. 16. Sanchez l. 7. moc. c. 8. nu. 5. & 9.* & communiter alij.

533 Quod adeo verum est, vt Religioso nec liceat de licentia Prælati testari de rebus alicuius, scilicet de rebus alicuius secularis consentiente domino; quia procurare, & administrare res alienas innituntur personæ alterius cuius nomine fit, testamentum fit nomine proprio, & est proprium domini rei testamento donatæ. *Nauar. comment. 2. de regular. num. 57.* quem sequitur *Sanchez citat. n. 6.* Vbi *num. 7. ex Nauar. ibid. & Tapia Auth. ingressi, cap. 1. num. 27.* docet, quod præfatum testamentum valeret sed hoc, vt Dominus consensum præstans posset compelli ad exequenda relicta in eo testamento, non tanquam debita ex vi testamenti, sed ex quadam executione mandati concedentis talem facultatem incapaci testandi. Quod tamen negat *Card. de Lugo disp. 3. de iust. num. 110.* Verum contra hanc principalem assertionem habeo instantiam. Quia Religiosus, qui de licentia Papæ testatur, non id facit nomine proprio, vt probo infra cum communi sententia; igitur nec esse verum quod testari, sit actus domini, nec quòd non possit Religiosus de rebus alienis disponere consentiente domino, & de licentia superioris.

534 Admittit quoque idem *Sanchez num. 8. ex Falsio Paciano*, cui consentit *Diana p. 5. tract. 3. resol. 128.* posse ex testamento aliquid relinqui Religioso cum facultate disponendi de eo tempore mortis suæ inter consanguineos, non per testamentum aliquod solemne, sed per electionem personarum, quibus bona relicta peruenient. Hoc enim non est testari, sed eligere personas, quibus tradantur, quæ ab alio relicta sunt.

535 An autem ex eo quòd religiosus est prohibitus testari, nec etiam possit donare causa mortis tenuit *Nauar. l. 2. Consiliorum de præscript. consil. 2. num. 3. & Com. de regul. num. 43. & 44. & sum. lat. c. 27. num. 270.* quem sequitur *Rodriqq. de quæst. regul. tom. 2. q. 46. a. 7. & alij.* Sed communior sententia & probabilior tenet non esse interdictum religioso de licentia superioris donare aliquid causa mortis. Tunc enim solùm prohibitus testari est prohibitus donare causa mortis, cum prohibitio esse ex iure naturali. Cæterùm aliàs vtrumque horum est separabile cù vxor possit testari non tamen donare causa mortis, & filiusfamilias nec iure communi nec consentiente Patre potest testari & tamen potest donare causa mortis. Cum igitur religiosus de licentia superioris possit donare inter viuos, nec etiam est prohibitus donare causa mortis, quia hæc donatio ex sui initio magis assimilatur contractui, quàm vltimæ voluntatis. Et ideo hanc partem post *Cinum, Bartholum, Petrum de Billapetra Tapiam, & Suarez* iuristam tenent *Sanchez l. 7. moral. c. 8. n. 11. Diana p. 5. tr. 3 resol. 128.*

536 Potest quoque religiosus professus in morte sua declarare, se esse debitorem alicuius pecuniæ, debitumque esse soluendum ex aliqua pecunia per eum nominata, idque sufficere ad hoc vt conuentus teneatur eam tueri, si coniecturæ facti sint tales, vt fidem exigant. Sed an hoc valeat in foro externo affirmant *Cardinal. de Lugo d. 3. de iust. num. 123. & alij* si de dictis circumstantijs constet in dicto foro, sed negat *Sanchez l. 7. mor. c. 9. nu. 38. ex Iasone, Baldo, Paulo, & speculatore* nisi debitum probetur, quod probare creditori incumbit. Et verè tam facile est aliquando quòd subsit fraus, maximè vbi agitur de eo qui non potest testari respectu consanguineorum, & amicorum, vt meritò [illegible] foro externo habeatur suspecta, & inefficax [illegible] debitum a[illegible]nde probetur.

537 Potest quoque Religiosum declarare in dubijs testamentum, aut codicillum a se factum ante professionem docent plures, dummodo testamentum dubiæ & obscuræ voluntati interpretatione indigeat, & interpretatio conueniat verbis testamenti. Ita docent *Reginal. t. 2. l. 18. c. 27. num. 397. & Diana p. 5. tract. 2. resol. 75. & alij contra Mirandam tom. 1. q. 23. a. 10.*

538 Potest etiam Religiosus de licentia Prælati in schedula exprimere desiderium suum circa dispositionem bonorum suorum faciendam post mortem dummodo hæc schedula vim testamenti non habeat, sed dispositio maneat sub libero Prælati arbitrio *Nauar. sum. c. 27. nu. 270. Rodriq. tom. 3. qq. regul. q. 89. a. 2. & 3. Layman l. 3. sect. 5. c. 3. num. 4. Diana p. 5. t. 3. resol. 128.* quod ampliat *Sanchez dicto cap. 8. num. 10.* vt verum sit etiam si schedula contineat donationem causa mortis factam de licentia superioris.

539 An verò si Prælatus promittat religioso se executurum quæ in schedula illa ipse disposuit non in vim testamenti, sed desiderij & obsecrationis, teneatur Prælatus exequi quòd promisit. *Sanchez dicto cap. 8. num. 14.* multis hinc inde citatis quem sequitur *Anton. a Spir. Sancto d. trac. 3. num. 237.* tenet Prælatum promittentem & paciscentem cum subdito religioso obligari naturaliter, licet non ciuiliter, quia hoc modo Dominus obligatur cum seruo. Sed verè ratio non currit, vnde quidquid sit de contractibus pactis, & promissionibus Domini cum seruo, longè dispar ratio est religiosi cum Prælato, cum religiosus per votum obedientiæ se subdiderit in omnibus voluntati superioris, ideoque sit incapax iuris erga ipsum, nec superior possit se priuare eo arbitrio & facultate quam dedit illi subditus ex vi voti paupertatis. Vnde nulla hic est iustitia, sed Prælatus solùm ex honestate fidelitatis tenetur promissa seruare, nedum si dispositio religiosi respiciat alios religiosos, sed etiam si respiciat seculares, a quibus nullum ius est acquisitum ex vi illius promissionis. Vedictum est etiam supra agendo de licentia, quam datam non teneri non reuocare Prælatum, etiam si id promiserit, probauimus, & docet idem *Sanchez. ibid. num. 16.* vbi quòd Prælatus ex iusta causa potest promissum non seruare. Immò bene aduertit *Card. de Lugo num. 112.* Prælatum in vi schedulæ relictæ a religioso subdito nihil

amplius posse, quàm patet sine illa. Vnde si schedula contineret alienationem ad quam non se extenderet facultas Prælati, non potest Prælatus desiderium subditi audire, & dispositionem eius exequi.

540 Sed numquid saltem potest religiosus testari, si ante professionem suam in [illegible] testamento reseruauit sibi aliquam summam suæ possessionis cum facultate testandi de illa. Hoc fieri non posse tenet Sanchez dicto cap. 8. num. 9. contra Baldum & Iasonem; Nam verè condere testamentum est prorsus religioso prohibitum, vnde nec potest reseruare sibi aliquod dominium rerum suarum, nec potest reseruare sibi facultatem [illegible] quasi nomine alieno seu nomine [illegible] [illegible] de licentia superioris, [illegible] possit reseruare [illegible] facultatem disponendi cum licentia superioris de aliqua quantitate [illegible] ad suos vsus reseruata.

541 Ex quibus colligunt Molina tom. [illegible] de iust. disp. 604. num. 4. Rodriq. [illegible] 3. q. 69. a num. 9. & Sanchez [illegible] 8. num. 1[illegible]. Religiosorum non posse instituere primogenituram, quia eam non potest instituere qui non potest testamentum condere.

542 Sicut tamen [illegible] est, religiosum professum non posse testari [illegible] de licentia cuiuscumque Prælati regularis, [illegible] certum est id fieri posse de licentia summi Pontificis, vt tradunt D. Thom. supra q. 185. a. 8. ad 3. Turrecr. cap. de monachis 16. q. 1. num. 3. ad 3. D. Anton., p. tit. 10. c. 3. §. 3. Syluest. v. testamentum. 1. q. 3. Tabien. v. religio q. 42. num. 43. Sotus l. vlt. de iust. ar. vlt. ad vlt. Azor. tom. 1. instit. l. 12. c. 7. q. 2. Molina tom. 1. de iust. q. 141. Suarez tom. 3. de relig. l. 8. c. 16. num. 9. Sanchez l. 7. mor. [illegible] 8. num. 45. quamplurimos Canonistas & DD. referens.

543 Quoniam tamen in contrarium inclinate visus est Francus rubrica de testam. in 6. a num. 77. quod tenuit Gulliel. Benedi. Ius c. Raynutius nu. 301. & videtur probari hoc posse aliquibus rationibus, istæ examinandæ sunt, & dilucidandæ. Prima verò difficultas est, quia testare est actus domini & proprietatis, repugnat verò religioso exercere actu dominij nisi dispensetur in voto paupertatis, vnde nec de Papæ licentia potest religiosus [illegible], quia si dispensatur in voto non manet religiosus, & si non dispensatur non potest condere testamentum. Hinc est quòd aliqui voluerunt, nec Pontificem dare posse licentiam testandi religioso nisi dispensando cum illo in voto paupertatis; quia testari nō est actus agentis nomine alieno, sed nomine proprio, cum sit iure bona in alterum transferre. Et ideo hanc partem tenent Francus citatus & Azor tom. 1. instit. mor. l. 12. c. 9. q. vlt. volentes quòd Pontificem dare religioso facultatem testandi sit cum illo dispensare in voto paupertatis. Verùm communis sententia docet oppositum & meritò: Nam non magis donare quàm testari fieri potest a non domino rei nomine [illegible] domini, vtrumque enim esse potest quædam administratio rei alienæ ad [illegible] alterius rei, & de licentia, & consensu domini [illegible] non repugnat paupertati. Et [illegible] quòd Pontificem dare religioso [illegible] [illegible] non sit dispensatio [illegible] voto paupertati docuerunt D. Th. Turrecrem. D. Anton. Sotus & Syluester loc. cit. quoniam per huiusmodi licentiam [illegible] conceditur religioso, vt [illegible] ipso per quam dispensatur de bonis [illegible] licentia extendi possit

etiam post mortem illius. Vnde idem [illegible] Nauar. Com. 2. de regular. num. 57. & lib. [illegible] q. 3. mon. 11. num. 3. Molina tom. 1. de iust. d. 1[illegible]. de iust. c. 41. dub. 8. num. 73. Rodriq. qq. regul. t. 3. q. 69. a. 2. Suarez tom. 3. de Relig. l. 8. c. 16. num. 10. Sanchez l. 7. moral. c. 8. num. 27.

544 Sed instari potest, sequi ex his, quòd possit consuetudine introduci vt religiosus possit testari sine licentia, vel saltem de licentia Prælati regularis, quia quòd potest fieri per priuilegium Papæ potest consuetudine præscribi, arg. cap. super quibusdam de verbor. signif. cat. & est communis sententia, vt ex Panorm. cap. accedentes de præscrip. & Felin. cap. quæ in Ecclesiarum num. 6. [illegible] & 28. de constitut. refert Nauar. Com. 2. de regul. num. 44. Verùm sequela propriè negatur. Aliud enim est quod consuetudine introduci possit, vt habeatur licentia tacita ad testandum & quòd hæc sufficiat, [illegible] sit necessaria expressa licentia Pontificis, quod admittit, & tenent Nauar. [illegible] & Suarez loc. cit. num. 1[illegible] & Sanchez dict. cap. 8. numer. 62. & hoc probant adducta. Cum enim testare non sit ex natura rei contra votum paupertatis si fiat nomine alieno, sed solum sit iure positiuo prohibitum, posset quidem consuetudo interpretari mentem Pontificis, & continere eius licentiam tacitam, si videns religiosos testamenta condentes, id approbaret. Aliud autem est, consuetudine introduci posse, quòd religiosus sine nulla licentia testari valeat; quod negatur. Nam nec per Papæ priuilegium fieri potest, vt religiosus inuitis omnibus superioribus testare valeat. Vnde in hoc sensu Bald. in Authen. ingressi, & Perusinus rubr. de testam. & alij plores Canonistæ quos refert Sanchez num. 61 dicunt non posse consuetudine introduci vt religiosus [illegible], & valide testetur.

545 Nedum verò posset introduci consuetudo, quæ continetet implicitam licentiam testandi, sed quæ ipsum votum paupertatis limitaret, ita vt religiosi iam non profiterentur amplius paupertatem simpliciter, sed secundum quid, & sub conditione quod possent testari, vel sine licentia superioris, vel cum licentia irreuocabili, quia materia voti paupertatis libera est, & vouere paupertatem sub [illegible] conditione non est de se malum, & ita tenet Suarez loco cit.

546 Sed insurgit tertia difficultas, quia non potest concedi religioso licentia irreuocabilis disponendi de diuitijs, licentia verò testandi est irreuocabilis, cum cassari non possit morte testatoris testamentum cum [illegible]. Verùm [illegible], quòd argumentum [illegible] dare [illegible] irreuocabilem & [illegible] etiam ad [illegible] irreuocabilem. Hoc [illegible] secundum non repugnat paupertati; Nam & donatio est actus irreuocabilis, ad quam tamen datur licentia. Quantum verò ad materiam argumenti dicitur, verum esse quod Pontifex nisi dispenset cum religioso in voto paupertatis non potest [illegible], etiam si sit [illegible] irreuocabilem ad testamentum [illegible] [illegible] [illegible]. Eò [illegible] a e t [illegible] datur a [illegible] vt non reuocetur, religiosus verò ex voto paupertatis solemni est incapax dominij & iuris. Et ideo Pontificem non posse dare religioso licentiam testandi irreuocabilem docent Suarez cap. 1[illegible] citat. num. [illegible].

547 Licentia autem testandi non est irreuocabilis, nisi quando datur ad aliquem qui est irreuocabilis effectu sequuto, sicut sunt irreuocabiles alij contractus donationis & emptionis. Nam primò religiosum qui ex licentia Papæ côdidit testamentum posse illud reuocare, & nouum testamentum facere, seu etiam codicillum ... tat o suadet, quia natura testamenti est vt contineat voluntatem deambulatoriam, Papa autem concedens licentiam testandi concedit illam prout petit natura contractus. Neque in hoc priuilegium aut dispensatio extenditur, sed tam reuocatio prioris testamenti, quàm alterius confectio, aut codicillatio in licentia testandi comprehenduntur, & ita tradunt *Nauar.q.3.de redditib.Eccles. nu.23.& 24.Molin. tom.2. disp.142.Suarez dicto l.8.c.16.nu.15.Sanchez* quàm plures Canonistas referens *l.8.de matrim.d.1.nu.38. & l.7.mor. cap.8. num.59. &c.* Ideo si testamentum religiosi factum ex Papæ licentia ex omissione alicuius solemnitatis non valeret iure testamenti, valeret iure codicilli, si esset apposita clausula codicillaris, licet oppositum sentiat *Graffius p. p decis. l.2.c.31.num.28.*

548 Sed & Pontifex potest tale testamentum reuocare ante mortem testantis; pendet enim à Pontifice etiam in conseruari. Quia cum testamentum contineat voluntatê deambulatoriam ex parte religiosi testantis, multò magis ex parte Papæ dantis facultatem ad testandum, cum tractetur de rebus quarum administratio ad Papam pertinet, vnde agitur de re sua, de qua potest disponere suo arbitrio, antequam sit facta alterius. Ideo Papa ante mortem religiosi testantis potest testamentum eius reuocare. Sicuti econtra potest facere, vt testamentum semel factum à religioso sit ab eo irreuocabile, dando facultatem testandi sub hac conditione, vel reuocando omnem reuocationem quã religiosus fecit, aut facere posset. *Suarez loc. citat. num.16.*

549 An verò hæc licentia data ab vno Pontifice duret post eius mortem, respondet *Nauar. q.3. de reddit. Eccles.* eam valere, quia est gratia, & ideo non expirat morte concedentis, iuxta *cap. si super gratia, de offic. deleg. in 6.* & alia citata *à Felino in rubric. de Constitution.* Et ita hanc sententiam tenent *Couar. cap. cum In officijs, de testam. Molina t.p.d.141.Sanchez l.8.de matrim.d.28. nu.82. & l.7.mor.c.8.num.56.* Et meritò, nam etsi diceretur quòd hæc licentia non esset gratia nihilominùs duraret, quia id petit natura talis concessionis; cum enim ex natura sua duret usque ad mortem religiosi, quia facultas testandi est facultas disponendi de bonis pro toto eo tempore quo disponens vixerit, ideo Pontifex hanc facultatem concedens respicit totum tempus vitæ eius, cui illam concedit; vnde quia contingere potest vt Pontifex priùs moriatur, in facultate continetur etiam facultas pro tempore in quo contingat concedentem mortuum esse. Nihilominùs Suarez loco citato aduertit, quòd licet hæc facultas numerari possit inter odiosa quatenus exorbitat à iure communi, præsertim respectu regularium, nihilominùs respectu eius cui conceditur est simpliciter gratia, & ideo est ... stabilis.

450 Sed quid dicendum, si hæc licentia superueniat testamento iam condito à religioso non habente tunc facultatem testandi, redditne validum testamentum. Negant enim *Iason.l. vt militibus. num.2. C. de testam. Decius ibi a num.9. Socinus l.si iam facta numer.5. ff.c ond. & demonst. & Simon de Preiis, de interpre. vlt.voluntatis l.2. interp.1.dub.t. a.num.31.* sed affirmant *Nauar.Com.2.de regul.n.57. Bartol.in lege si quis filio.ff.de condit.& demonst.& ibi Imola, & Pater Molina tom.1. de iust. disp. 141. fin.* & plures alij quos refert, & sequitur *Sanchez l.7. mor. c.8. num.6.* Et ratio est, quia cum testamentum sit quid successiuum & contineat voluntatem deambulatoriam non censetur completum, & perfectè factum vsque tunc, sed ... esse in fieri, ideo hic non intrat regula quòd vbi licentia est de substantia actus non sufficit illam subsequi, vel alia regula, quod contractus ab initio nullus non valet ni i accedente ... voluntate con..., quia huiusmodi regulæ intelliguntur de a... pe... de factis, non de illis, qui sunt adhuc in fieri, & ab vnius solius voluntate deambulatoria dependent. Nam actus prior non fuit irritus, & nullus, quia nondum erat perfectus, adueniente vero licentia perficitur & non extenditur licentia, sed retrotrahitur, ideo in hoc casu testamentum prius non fuit irritum, quia nondum erat perfectè factum, & superueniens licentia retrotrahitur & testamentum confirmat. Neque hic opus est voluntate noua alterius contrahentis, sed sufficit voluntas testantis, quæ præsumitur durare, si testator oppositum non decernit. Ideo nec etiam obstat quod testamentum hæretici ad fidem conuersi non valet, sicut nec valet testamentum factum ab impubere, vel furioso, quia in illis nulla est confirmatio tacita aut expressa prioris testamenti. Sed in præsenti vbi qui condidit testamentum acceptat licentiam superuenientem, tacitè saltem confirmat & approbat prius testamentum, & ideo licentia retrotrahitur vt valeat prius testamentum accedente noua illius confirmatione facta ex quo testator licentiam testandi voluntarius recipit, & prius testamentum non irritat.

551 Remanet discutienda quarta difficultas, cum enim Pontifex non sit dominus rerum monasterij, & quidquid religiosus acquirit, acquirat monasterio, videtur quòd non possit concedere licentiam testandi religioso. Respondetur verò, Pontificem esse ... administratorem horum bonorum, & ideo posse concedere licentiam religioso disponendi de illis, dispositione valitura etiam post mortem. Bene autem ex *Nauar.Com.1.de regul.num.58.& l.3.de reddit.q.3.monit.11. num.4. aduertunt Less.l.2. de iust.c.19. d.3.num.4.Molina tom.1 disp.141. Azol.tom.1.instit.mor.l.19. c.9.q.vlt. Suarez dicto l.8. c.16.num.18. Sanchez l.7. mor. c.8.num 61.* distinguunt quatuor genera religiosorum. Quidam enim viuunt extra claustra, & horum tria sunt genera, quia quidam habent beneficium, quidam habent à monasterio pro sui sustentatione summa taxatam extra quam nihil prætendere possunt, & possunt disponere de residuo quòd illis superest, quidam autem viuunt ex propria industria & labore. Sed quartum genus religiosorum est eorum qui viuunt intra claustra expensis monasterij, qui ... qui licet habeant aliquod peculium, tamen quid ... habent est monasterij. Religiosis primi generis Pontifex frequenter concedit licentiam

 testan-

restandi; Et [illegible] rationabiliter, non solum ea ratione, quòd [illegible] ex spe testandi parcius viuunt, cũ vtilitate etiam [illegible] lesiæ, cui sæpius bona illorum ab intestato prouen[illegible]niunt, sed maximè quia redditus beneficiorum ordinantur ad sustentationem pauperum, & ad Dei c[illegible]ltum, vnde æquum est, vt Pontifex huiusmodi religiosis permittat licentiam testandi ad huiusmodi pias causas. Similiter religiosis 2. & 3. generis Pontifex [illegible] concedere testandi facultatem de illis bonis, quorum habeat administrationem liberam, ex eadem causa. Sed [illegible] 4. generis Pontifex non solet huiusmodi facultatem concedere, vt a[illegible] etiam *Mandosius de signat. gratia. v.licentia testandi.* Quamuis si vellet, posset etiam talem licentiam concedere. Non concedit autem, quia talis facultas non videtur conuenire statui talium religiosorum, quos decet tempore mortis non habere animum ad temporalia, & quia quandam propr[illegible]m sapere videtur [illegible] iosus velit etiam post mortem aliquid si non in [illegible] alijs possidere. Nihilominus ossset hoc ex ca[illegible] honestari, vt si ex parte religiosi daretur d[illegible] gratitudinis valde vrgens, & ex parte oper[illegible] titulus magnæ pietatis.

552 D[illegible] verò in Pontifice iustam causam dandi hanc licentiam ad hoc vt licitè operetur, est communis sententia [illegible]D. & per se certum, quia non potest Pontifex licitè [illegible]ponere de [illegible]bus Ecclesiæ nisi ex causa [illegible] & fine honesto. Sed duplex hic est difficultas, scilicet an solum ad [illegible] causas dari possit talis li[illegible], & secundò an licentia data ali[illegible] sit valida. Quan[illegible] ad primam difficultatem, hoc communiter asseritur, quòd scilicet facultas testandi data religioso intelligitur ad vsus pios, ita enim d[illegible] *Nauar. Apolog. ad lib. de reddit. q. [illegible] num.6 Mo[illegible] tom.2. [illegible] tract.d.141. & tom.3.d.6 [illegible] l.2.de inst. c.19.d 4.num.40. Suarez dicto lib. [illegible] num.9. Sanchez dicto l.7. c.8. n.51.* Quia facultas [illegible] generaliter data non censetur derogar[illegible] communi, ac pro[illegible] non potest hæc facultas trahi ad vsus vanos, & prophanos, sed solum ad pios. Et Lessius [illegible] *Tapia authent. in [illegible] c.p.num.24.* [illegible] Pontificem non posse [illegible] alter concedere hanc facultatem, sed *Sanchez loco citato num.52.* docet, sufficere causam honestam etsi non piam. Non enim requiritur causa minus iusta ex parte operis ad donandum inter viuos, quam ad donandum causa mortis, vel ad testandum, modus enim donandi aut alienandi non exigit iustiorem causam in hac parte, quia iustitia requiritur ex substantia operis, quæ est alienatio rerum Ecclesiæ, quarum non est legitima administratio nisi procedat ex virtute aliqua ca[illegible] nte. Cum igitur certissimum sit, Pontificem nullo modo p[illegible] si ex causa honesta etiam si propriè non pia concedat religioso facultatem donandi inter viuos, non [illegible] cur desiderentur c[illegible] propriè pia, ad hoc vt eidem licitè concedat [illegible] testandi. Verùm [illegible] sententia [illegible] Nam cum bona [illegible] sacra, [illegible] habe[illegible] vel al[illegible] acta, & lo[illegible] ad hoc sufficit quod ex causa honesta [illegible] eorum vsus, q[illegible] saltem impl[illegible] a Papa in pi[illegible] & religiosam causam or[illegible].

553 Ideo etiam vid[illegible] potest [illegible]

gener[illegible] testandi data religioso [illegible] non debeat ad actus pios, [illegible] ibutum pi[illegible] sumatur large, vt pium dicatur quidquid est honestum, [illegible] ex virtute. Nam non [illegible] commune prohibens Po[illegible] dare [illegible] andi religioso ex causa honesta [illegible] commune prohibens religioso testari prohibet testari ad quamcumque causam, ex iure vero communissimo vnusquisque prohibetur agere & non agere ex virtute, sed nullum ius est, quod obliget religiosos ad semper agendum ex virtute religionis, vt ex ca[illegible] proxima, & propria, & aliàs religiosi qui se & o[illegible] obtulerunt in Dei cultum [illegible] actu prof[illegible] semper agunt ex religione quando agunt ex aliqua virtute. Ideo *Molina tom.1. disp.147. num.33. apud Dianam p.5.tr.3. resol.125.* licet asserat facultatem testandi intelligi debere pro pijs vsibus, id limitat, quando non appare[illegible] causa l[illegible] ima concedendi talem licentiam ad vsus prop[illegible] anos, [illegible] res non est dubia. Verùm dicitur, quod non potest licitè dari licentia testandi nisi ad vsus pios. Nam quamuis absolute liceat operari ex virtute, si tamen materia actionis sit sacra, & [illegible] religiosa, non nisi ex virtute religionis potest homo circa illam operari, modo bona Ecclesiæ sunt sacra, & ideo non nisi ex religione vel eliciente, vel imperante, est licitus eorum vsus. Ideo & testamentum non debet fieri nisi ex motiuo, quod in finem Religionis ordinetur, vel expressè, vel implicitè.

554 Ad [illegible] d[illegible] ficultatem Tapia supra citatus putat Pontificem nec validè posse concedere religioso licentiam testandi ad vsus prophanos. Sed cum hui[illegible] non sit [illegible] idere, quantam potestatem hab[illegible] in ad[illegible] inistrandis bonis Ecclesiæ, hoc [illegible] pro nunc sufficiet respondere, nimirum Pon[illegible] licitè & validè posse dare facultatem religioso ad disponendum de bonis religionis titulo testamenti, vel donationis causa mortis, quam potest c[illegible] cedere ad disponendum titulo donationis inter viuos. Vnde non est dubium quòd sicut Pontifex licitè & validè potest concedere re[illegible] vt inter viuos donet alicui dit[illegible] mo vel ex grati[illegible] vel ad conciliandam [illegible] volu[illegible] tate [illegible] pa[illegible], vel ex causa se tenente ex parte religiosi donantis, qui est persona de religione valdè benemerita, & quæ multa contulit religioni, vt bene notat *Sanchez dicto num.* 2. potest Pontifex concedere religioso vt ex eisdem causis, & fini[illegible] honestis donet in suo testamento, vel donationis causa mortis. Sed addo, quod conc[illegible] sio quæ ex supra ob[illegible] videtur ex causa prophana, consectatur [illegible] sit ex causa honesta, ad [illegible] bonum [illegible] Ecclesiæ Christi conducens [illegible] Pontifex [illegible] iusta concedens facultatem d[illegible] di [illegible] prophanum aliàs nō il[illegible] dat facultatem, [illegible] est ad causam piam.

555 Circa ve[illegible] hanc [illegible] tiam testandi [illegible] qua vlteri[illegible] aduertenda sunt. Et quidem primò eam requir[illegible] expr[illegible] sufficere licentiam generalem vel [illegible] extra claustra, vel d[illegible] de r[illegible] ex claustra ac[illegible], vel al[illegible] quæcumque [illegible] licentia g[illegible], quia [illegible] testari sit expresse prohibitum religiosis, non [illegible] itur hoc concedi ex [illegible] entia generali disponendi de [illegible] nis [illegible] *Nauar. L.3. consil. de donat. consil. [illegible] fin. Sanchez dicto capit.8. numer.55.*

Item

556 Item [illegible] lum virtute licentiæ testandi non posse in[illegible] primogenituram, quia hoc est prophanum. Ita *Sanchez num. 54. ex Molina lib. 2. de primog. c. 9. num. 6[illegible]. & ex Molina Societatis IESV tom. 3. de iust. disp. 6[illegible]. num.[illegible]*. Sed in hoc casu puto non posse hoc [illegible] affirmari, quia bene in singulari conuenire possunt circumstantiæ, quæ hãc institutionem reddant honestam, & Religioso proportionatam. Vnde videri debet an simus in casu in quo religiosus donatione inter viuos posset donare sub conditione primogenituræ, nam & in hoc casu posset donare testando, si haberet licentiam testandi.

557 Intelligitur etiam licentia testandi vt non valeat nisi de bonis quæ actu possidet de facto, nam proprium habere nequit. Vnde est, quod si religiosus ante professionem condidit testamentum in quo reliquit aliquid alicui etiam monasterio, non potest in virtute licentiæ testandi habitæ post professionem de illis bonis disponere, vt ex *Baldo, Simone de Pretis, & Gozadino docet Sanchez ibid. n. 56.* quia hæc licentia non se extendit ad præiudicium tertij, qui ex præcedenti testamento ius acquisiuit. Quod idem Sanchez contra Tapiam merito extendit etiam ad fideicommissum, aut substitutionem, quia licet hoc ius sit conditionale, Princeps illi non derogat nisi ex grauissima causa.

558 Tandem circa hanc partem quia Patres qui habentes filios profitentur in religione ex *Authent. si qua mulier. C. de sacros. Eccles.* habent facultatem disponendi de suis bonis ad fauorem filiorum, aliqua adnotanda sunt. Et quidem primò hanc authent. vim habere non ex vi iuris ciuilis, neque quia contineatur in decreto *Gratiani cap. si qua mulier. 19. q. 3.* Sed quia tacitè à Pontifice & iure Canonico fuit approbata. *Molina tom. 1. de iust. d. 141. Less. l. 2. de ius. d. 10. num. 82. Suarez 3. tom. de relig. l. 8 c. 16. num. 18. Sanchez l. 7. mor. c. 9. num. 7.* Secundò ad hanc diuisionem inter liberos faciendam iuxta formam illius authent. non requiri [illegible] etiam superioris regularis, cum habeatur licentia à Pontifice, vt bene contra *Rodriq. aduertit Sanchez loc. cit. num. 3.* Tertiò facultatem hanc diuidendi bona inter filios posse intelligi vt sit, & vt non sit facultas testandi & contrariæ sententiæ in hoc sunt probabiles. Potest intelligi vt sit facultas testandi, quia votum Patris habentis filios potest intelligi vt conditionatum, & limitatum, vt scilicet tali pro esso remaneat tantum ius dominij, quantum opus est vt possit ad fauorem filiorum & monasterij diuidere bona sua. Potest quoque intelligi vt non testamentum, sed vt mera administratio illorum bonorum authoritate Ecclesiæ facta. Vnde cum iuristæ in hoc diuisi sint, ambarum partium sententia est probabilis. Et constat quod talis diuisio non repugnat voto paupertatis. Quinto Authenticam hanc vim habere, siue Pater professus habeat plures filios, siue vnum tantùm, & siue non habeat filios suos sed descendentes nepotes aut pronepotes quia nomine liberorum omnes descendentes veniunt. *l. liberorum 22. ff. de verb. signif.* & siue etiam illi non sint legitimi, vbi tamen illegitimi sunt heredes necessarij [illegible], & si [illegible] filij fuerint legitimati. *[illegible] num. 49. Rodriq. qq. regul. tom. 2. [illegible] 8. a. 2 Sanchez d[illegible] cap. 9. num. [illegible]7.* Sextò Authent. illam non habere locum respectu ascendentium, quia nimis specialis est, nec extendi potest ad ascendentes, qui [illegible] sunt nominati. Et tamen illis debetur legitima, quia [illegible] verum est absolute, quod professus habeat monasterium loco filij, & quæ [illegible] hac verum intelligi debent in [illegible] casibus à iure expressis *Nauar. loco citato num.[illegible]. Lopez [illegible] cap. 39. q. 3. notab. 5. Sua ez loco citat. num. 15. Sanchez num. 19. &* 20. [illegible] pattem professum posse [illegible] solum legitimam tribuere reliqua parte [illegible] monaster[illegible] etiam præter legitimam [illegible] partem [illegible], sed tunc debere nominare [illegible] & Co[illegible] inter filios, & ita vt si [illegible] maiorem [illegible] partem dederit, tantum [illegible] monasterio. *Glossa [illegible] si qua mulier. [illegible] Angel* [illegible] Sanchez [illegible] dendi in [illegible] professi minores Obseruantes, Capucini, [illegible] coadiu[illegible] formati [illegible] cietatis [illegible]. Patrem professum non posse disponere de suis bonis nisi ad formam dictæ Authent. & ideo non posse instituere maioratum, vel fidei commissum, vel substituere, vel legare aliquid alicui etiam titulo eleemosynæ; Et si dec[illegible] dat sine dispositione salua filiorum legitima succedit in aliis omnibus monasterium si est capax succe[illegible].

SVMMARIVM.

1 *Proprietas est peccatum mortale. num. 559.*
2 *In materia paupertatis datur leue peccatum. numer. 56[illegible]*
3 *Proprietarius non est excommunicatus. nu. 561.*
4 *Debet priuari communione altaris. nu. 562.*
5 *Deberet eijci à monasterio. num. 56[illegible].*
6 *Debet cum pecunia sepeliri in sterquilinio. numer. 564.*
7 *Non omnis proprietarius est hac pœna damnandus. num. 565.*
8 *Pro culpa mortali infertur. num. 566.*
9 *Pecunia licet non tota sepelienda cum proprietario. num. 56[illegible].*
10 *Ex co[illegible] quod apud defunctum inuenitur pecunia non [illegible] sepeliendus sepultura asini. numer. 56[illegible].*
11 *Debet priuari voce actiua, & passiua per [illegible] nium. num. 569.*

Quæ pœnæ latæ sint in proprietarios.

INSPECTIO XIX.

559 PRoprietarios peccare mortaliter indubitatum est; Nam peccant contra ius diuinum violando votum professionis, & contra ius commune, *cap. Monachi, cap. Super quodam, & cap. cum ad monasterium, de stat. Monachorum* & contra *Concil. Trident. sess. 25. cap. 2. de Regul.* & contra decreta Clement. VIII. de reformatione, & contra proprias regulas respectiuè.

Non

560 Non dari autem in materia paupertatis, materiam leuem, & culpam venialem ex leuitate materiæ dixerunt aliqui, inter quos referuntur *Gerson 2.p.in respons. ad quandam quæst. sibi propositam, quæst. penult. Alphab.34.lit.* Vinald.Candel.3. q.1.cap.14.n.68. Tribuitur etiam hæc opinio *D. Anton.3.p.tit.16.cap 1.§.11.notab.2* sed immeritò, quia ibi, dicit quidem quod proprietas est peccatum mortale, quod simpliciter prolatum est verissimũ, cum proprietas sit culpa mortalis ex genere; sed non negat quod possit aliquando esse veniale ex paruitate materiæ. Quod est certum, quia irrationabiliter diceretur, quòd peccet mortaliter Religiosus, si sine licentia expendat vnum, vel duos quadrantes, & ideo dari proprietatem, quæ ex leuitate materiæ fit veniale peccatum, dixerunt *Nauar.cons.3. num.18. de stat. monach. Ludouicus Lopez p.1.cap.156.conc.5. Azor.p.p.l.13.cap.12. q.6. Suarez tom.3.de Relig.l.8.cap.6.num.4. Sanchez l.7.mor. cap.20.num.2. Lessius tract.16.disp.1. p.7.num.1. Lezana p.p.cap.6. num.* 57. & apud eum Corduba, *Rebelius, & Mendoza, Anton.à Spir. Sancto p.2.disp.3. num.157. Moron.cons.86.num.74. Bassaus v.paupertas num.3. Donatus tom.3.tract.15.quæst.52. numer.1. Tambur.de iure Abbatiss.disp.8.quæst.12. numer.1.* & communiter alij. Nam & in furto leue est, quod quis dominium leuis rei alterius vsurpet. Quænam verò sit materia leuis dictum est supra pluries, & præcipuè Inspect.13. à num. 357.

561 Plures autem pœnæ contra proprietatis vitium in iure statutæ sunt. Primam aliqui dixerunt esse excommunicationem. Sic Spin. *in specul. testament.gloss.12. princip. num.15.* vbi tamen teste *Sanchez l.7.moral.cap.20.num.14.* immeritò pro hac sententia refert *Felinum cap. cum M. 26. de Constit. & Ludouicum Gomez tra l.breuium num.*18. Eandem tamen sententiam idem *Sanchez*, ibi tribuit *Turrecremata in cap. Non dicatis a.3. numer.6. 12. quæst.1.* Sed hoc non affirmant *Turrecremata*, sed exaggerans valde, & per metaphoras vitium proprietatis, & inter alia affirmans, quòd sit Apostata, Idololatra, hypocrita quæ non nisi per metaphoram, vel figuratam locutionem vera sunt, addit etiam quod videtur de iure naturali excommunicatus, quia qui alijs bona sua non communicat est indignus aliorum communicatione. Vnde Turrecremata non loquitur de censura excommunicationis, sed de naturali indignitate, quam habet qui propria, prout debet, alijs non vult communicare. Cum igitur nullibi in iure communi in proprietarium lata sit excommunicatio, non est vnde eum tali censura feriendus dicatur. *Sanchez vbi sup. Donat. d.quæst.52. num.2. Tambur. de iure Abbatiss. disp.8. quæst.12.num.7.* vbi ait in quibusdam Concilijs Prouincialibus Colon. impositam esse hanc censuram; sed quæ fuerunt Concilia non exprimit.

562 Prima igitur pœna continetur in *cap. Monachi de statu Monachorum*, & est quod proprietarius à *communione remoueatur altaris*. Consistit igitur, hæc pœna in eo, quòd proprietarius, priuetur susceptione Eucharistiæ. Est vero hæc pœna inferenda media sententia, & quantum ad tempus, & durationem eius est arbitraria.

563 Secunda habetur *in cap. Cum ad monasterium*, & consistit in hoc, quod qui *proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione præmissa de monasterio expellatur, nec recipiatur vlteriùs, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam*. Hæc vero pęna nedum correcta per *cap. final: de Regular.* vt aduertit *Panorm. num.13.* Sed modò in hac parte seruanda erunt decreta Sacr, Congregationis de Apostatis, & eiectis. In Ergastulo, seu carcere tamen monasterij, seu in arctius monasterium, ad agendam pœnitentiam, iuxta *d.cap.final. de Regular.* detrudi poterit. Ad hanc tamen pœnam infligendam, nedum requiritur præcedens forma iudicij, per quam Monachus dicatur deprehensus in crimine, sed etiam regularis monitio. Vnde pœna hæc solùm pro incorrigibili, & obstinato est statuta.

564 Quarta pœna habetur in *cap. Monachi de stat.monach.* ibi, *Et qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, & dignè non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat sepulturam, & cap.ad Monasterium, eod. tit.* ibi. *Quod si proprietas apud quemquam inuenta fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur. Secundum quod Beatus Gregorius narrat in Dialogo se fecisse*. Quòd si sepultus fuerit inter Fratres, seu in Ecclesia, eum esse exhumandum si fieri potest sine scandalo decernitur *in cap. super quodam, eod. tit.* Hæc quoque pœna non debetur, nisi impœnitenti, vt per se patet ex præfatis textibus: pœnæ enim tam graues merito non infliguntur, nisi contra præmonitum, & auditum. *Peyr. de subd.quæst. .cap.2.§.9. Hier.Rodriq.resol.128. nu.20. Portell. v.sepult. num,11. Bordon. resol.43.quæst.43. Donat. d.tract.15. quæst.52.num.15. Barbosa de off. Par.cap.26.num.47.* & apud eum *Vgolin. Galganet, & Lauorius*. Vnde est, quòd si Religiosus in morte, vel ex lege obligatus, vel ex præcepto superioris tenetur reuelare, quæ sunt illi concessa ad vsum, eaque abscondit superiori, si postea inueniatur eum aliquid occultasse sepeliendus est in sterquilinio, si, vt infra dicitur de eius culpa constet.

565 Sed hanc pœnam, nec deberi omni proprietario, quia non debeatur ei, qui sine licentia expenderit, sed ei qui clandestinè apud se sine licentia aliquid possidere, vel habere, aut tenere deprehensus fuerit, dixerunt *Sanchez lib. 7. cap. 20. num.11.fin. Faust.l.8.de paupert.quæst.171. Donatus d. quæst.72.num.13.* & ratio est, nedum quia expressè textus citati loquuntur de eo, qui habere peculium, aut proprietatem deprehensus fuit, sed quia requirunt impœnitentiam, & quod Religiosus in peccato moriatur, & inuito superiore pecuniam propriam retineat. Ampliùs verò *Moron. consil.seu resol.86.num.*104. arbitratur, quod pœnis proprietatis subiectus non sit Religiosus, qui rem manifestè tenet, sed requisitus à superiore rem non vult tradere, quia licet hic sit proprietarius, tamen rem non occultat.

566 Habenda quoque est ratio quantitatis materiæ, nam vbi detentio fuerit leuis, & materia minima, sicut sic detinere non est peccatum mortale, sic nec est culpa tam graui pœnæ subiecta. Talis enim ac tanta pœna statuta fuit ex eo quod proprietarius decedat in peccato mortali. *Gloss.in cap. super quodam, v. sepultura. Nauar.cons.3.de stat.monach. Rodriq.tom.3.quæst.61.a.1. & 1.p.sum.cap.150. concl.p.* quos sequitur *Donatus d.q.72.num.14. Barbosa d cap.26.num.47.*

Quod

567 Q[illegible] etiam [illegible] sepeliendam esse eum proprietario pecuniâ, [illegible] verba textus videãtur [illegible]care, quòd to[illegible] proprietas inuenta apud proprietariũ cum eo sepeliatur, nihilominùs æquu esse, vt aliqua pars tantùm subterretur dixerunt ad d. *cap. I[illegible]: Andr. num.4. Hostien. num.7. Ancar. num.10. Panorm. num.15. Sanchez d. cap.20. num 11. Graff. vbi sup. num.5. Bordon. d. ref.43. num.43. Palaus tr.16. d. p.3. p.1. ref.43. Donat. d. q.72. num. 2. Tambur. de iure Abbatiss. disp.8. q.12. num.3. Reuerendis. Fagnanus cap. cum ad monas. num.12. de statu monac.* vt aduertit *Car. d. cap. cum ad monasterium §. prohibemus num.1. notab.2. & Graff.2. p. dec. l.3. c. 9.* Quod verò aliqui arbitra[illegible] partem [illegible]dam esse summam 30. nummorum quia pro [illegible] 3[illegible]nariorum Christus fuit venditus, sicut dixerunt *Io: Andr.* Hostien. & *Anchar.* tanquam non habens fundamentum reijcitur à *Sanchez d. num.11.* Vnde hoc est arbitrarium. Bene tamen aduertit *Reuerendis. Fagnanus num.13.* hæc vera esse de pecunia inuenta in morte. quia pecunia inuenta in vita proprietarij debet cõ[illegible]enti in vti[illegible]atem [illegible]siæ, seu monasterij. *cap. quanto de off. ord. & cap. Abbates 18. q.1. Gloss. in d. cap. cum ad monasterium. v. in morte.*

568 Hic casus verò bifariam potest contingere, vel scilicet vt proprietas deprehendatur ante mortem, vel post. Si ante mortem, R[illegible]ligiosus debet priùs moneri, & audiri, & si vel non constat eum esse proprietarium, vel non persistit in proprietate, sed pœnitet, debet in Ecclesia sepeliri. Et quòd S. Gregor. Iustum monachum, apud quem fuerat inuenta pecunia, licet pœnitentem iusserit cum sua pecunia sepeliri in st[illegible]ilinio, hoc factum fuit ad terrorem, nam al[illegible]s ius commune solùm impœnitentem proprietari[illegible]m iubet sepeliri sepultura Asini. Sed si proprietas deprehenditur post mortem, iam nedum proprietas, sed impœnitentia præsumitur. Verum tamen est, quòd ex sola & præcisa inuentione pecuniæ apud aliquem Religiosum nisi aliæ circumstantiæ adsint, vel ni[illegible]simus in casu in quo omnis coniectura, & præsumptio incontrarium elidatur, non potest præsumi proprieeas ad effectum priuandi Religiosum Ecclesiastica sepultura, quia potest esse quod à maligno pecunia fuerit apud defunctum deposita, vel quòd ex obliuione, & negligentia alterius ibi remanserit, vel quod pecunia non fuerit defuncti sed eam [illegible]buerit in deposito, vel fuerit sibi concredita t[illegible]quam alicui restituenda, vel in eleem[illegible]synam eroganda, & ideo nisi simus in casu, quod huiu[illegible]modi vel aliæ similes præsumptiones clarè elidantur & plenè constet de proprietate defuncti, non [illegible] locum pœna sepulturæ in sterquilinio. *Eman[illegible]l Rodriquez. dict. ref. 28. num.20. Portel. v. sepultura num.11. Villalobos tom.2. tract.31. d[illegible] cult.3. num.6. Barbosa de off. Parochi cap.26. nu.47. Donatus tom 3. trac.15. ref.53. Diana p.4. tract. 4. r[illegible]f.23.* verum *Rodriq. tom.3. q 61. a.1.* hoc limitat, vt non habeat loc[illegible]m in minoribus ob strictiorem regulæ [illegible]bitionem. Et non est d[illegible]um [illegible] ac[illegible] qualitas R[illegible]igionis, & quod diffic[illegible] [illegible]sare Minor[illegible] tam apud quem defun[illegible]um inueni[illegible]etur pecunia quàm alium Re[illegible]igiosum. Sed nunquid & non posset esse quòd quis ex odio [illegible] vt [illegible] s[illegible]peliretur in sterquilinio pec[illegible]niam apud [illegible]

posuisset. Et pariter [illegible] etiam excusationes locum habere possunt in Minorita, vt bene tradunt *Portel. citatus & Hier. Rodriq. num.29.* vbi addit quòd *Emanuel Rodriq. retractauit se tom.4. sum. cap.131.* Ide[illegible] se[illegible]t *Donatus d. trac.15. q.54.* se[illegible]per igitur in hoc non est præcipitanter considerandum. Doleo etiam, qu[illegible]d non habeo opusculum Nazarij de paupertate. Ri[illegible] tamen est, quod ex eo referu[illegible] Di[illegible]a[illegible] & D[illegible]is [illegible]d [illegible]et si aliquis Re[illegible]gio[illegible] haben[illegible] [illegible]iam in deposit[illegible] d[illegible]dat re[illegible]na [illegible]o[illegible]te nullo relicto scripturæ t[illegible], tanquam pr[illegible]rietarius sit habendus, & [illegible]tura Eccl[illegible]iastica priuan[illegible].Nam [illegible]fficeret quo[illegible] de p[illegible] d[illegible] v[illegible]tem in[illegible]rmaretur p[illegible]a fama [illegible] f[illegible] & a[illegible] v[illegible] & [illegible]ia, & conuin[illegible]s, vt est [illegible]m[illegible]te[illegible]m [illegible]ctorum.

569 Vltima pœna est [illegible]ta [illegible] *Conc. Tr[illegible]s cap.2. de Re[illegible]bi. Quòd [illegible]uis alter qui[illegible]m te nere depreh[illegible]us aut conui[illegible] [illegible]er[illegible] is [illegible] [illegible]us & passiua voce p[illegible]tus [illegible] atque [illegible]iam [illegible] suæ regulæ & Ordinis Constitutiones puniatur.* [illegible]que pœna prærequirit sententiam, qui[illegible] tit quod Religiosus sit deprehensus v[illegible]n[illegible] *Sanchez d. c.20. num.1[illegible]. Donat. d. q.72. num.[illegible] d. p.23.* Ea non afficit omnem propr[illegible]ar[illegible]m eum [illegible] eo[illegible]ra [illegible] pr[illegible]scripti[illegible]n Concilij aliqui[illegible] r[illegible] & [illegible] licentia fu[illegible]t deprehen[illegible]u[illegible], au[illegible] uictus *Sanchez ibid. [illegible] 4. di. 38. [illegible] 1 [illegible]lut. ad 9.* & idem habe[illegible] *Donatus d. q.72. num.5* [illegible] enim & Nic[illegible]lius, qui etiam ita declarass[illegible] Congreg. Concilij refert.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum votum obedientiæ sit potissimum inter tria vota religionis?

Inf. q.88. a.

AD Dectanum sic procedi[illegible]ur. Videtur quod [illegible]um o[illegible]edi[illegible] non sit pot[illegible]mum in[illegible] t[illegible]a vota religionis. Perfe[illegible]io enim re[illegible] [illegible]ta à Christo sumpsit exor[illegible]ium. Sed Christus specialiter ded[illegible] consilium de paupertate: non autem inuenitur dedisse consilium de ob[illegible]ientia. E[illegible]o votum paupertatis est pot[illegible]us, quam votum obe[illegible]ntiæ.

2. Præterea, Eccles. 26. di[illegible]tur, quod omnis ponderatio non est digna continentis animæ. Sed votum [illegible]ris res est emin[illegible]ntius. Ergo votum continent[illegible] est em[illegible]nen[illegible]us, quam votum [illegible]tentiæ.

3. Pr[illegible]rea, [illegible]uanto aliquod votum est pot[illegible]us, tanto [illegible] ma-

gi

gis indispensabile. Sed vota paupertatis, & continentiæ sunt adeo annexa regulæ monachali, vt contra ea nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere, sicut dicit quædam Decretalis, de statu monachorum: qui tamen potest indulgere vt religiosus non obediat suo Prælato. Ergo videtur, quod votum obedientiæ sit minus voto paupertatis, & continentiæ.

Sed contra est, quod Greg. dicit in 35 Mor. Obedientia victimis iure præponitur: quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Sed vota religionis sunt quædam holocausta, sicut supradictum † est. Ergo votum obedientiæ est præcipuum inter omnia religionis vota.

Respondeo dicendum; quod votum obedientiæ est præcipuum inter tria vota religionis. Et hoc triplici ratione. Primo quidem, quia per votum obedientiæ aliquid maius homo offert Deo, scilicet ipsam voluntatem, quæ est potior quam corpus proprium, quod offert homo Deo per continentiam: & quam res exteriores, quas offert homo Deo per votum paupertatis. Vnde illud quod fit ex obedientia, est magis Deo acceptum, quam id quod fit per propriam voluntatem, secundum illud Hieronymi, quod dicit ad Rusticum monachum, Ad illud tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum. Et post pauca subdit, Non facias quod vis: comedas quod iuberis, habeas quantum acceperis: vestiaris quod datur. Vnde & ieiunium non redditur Deo acceptum cum propria voluntate: secundum illud Isa. 58. Ecce, in diebus ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra. Secundo, quia votum obedientiæ continet sub se alia vota, sed non conuertitur. Nam religiosus etsi teneatur ex voto continentiam seruare, & paupertatem, tamen hæc etiam sub obedientia cadunt, ad quam pertinent multa alia præter continentiam, & paupertatem seruare. Tertio, quia votum obedientiæ proprie se extendit ad actus propinquos fini religionis. Quanto autem aliquid propinquius est fini, tanto melius est. Et inde etiam est, quod votum obedientiæ est religioni essentialius. Si enim aliquis absque voto obedientiæ voluntariam paupertatem, & continentiam etiam voto seruet, non propter hoc pertinet ad statum religionis, qui præferrur etiam ipsi virginitati ex voto obseruatæ. Dicit enim August. in lib. de Virgin. Nemo quantum puto, ausus fuerit virginitatem præferre monasterio. capit. 46. in fin. to. 6.

Ad primum ergo dicendum, quod consilium obedientiæ includitur in ipsa Christi sequela. Qui enim obedit, sequitur alterius voluntatem. Et ideo magis pertinet ad perfectionem, quam votum paupertatis: quia vt Hier. dicit super Matth. Id quod perfectionis est, addidit Petrus, cum dixit, Et secuti sumus te. Matt. 19 to. 8.

Ad secundum dicendum, quod ex verbo illo non habetur, quod continentia præferatur omnibus alijs actibus virtuosis, sed coniugali castitati, vel etiam exterioribus diuitijs auri, & argenti, quæ pondere mensurantur. Vel per continentiam intelligitur vniuersaliter abstinentia ab omni malo, vt supra habitum est. q. 155. art. ad 2.

Ad tertium dicendum, quod Papa in voto obedientiæ, non potest sic cum religioso dispensare, vt nulli Prælato teneatur obedire in his quæ ad perfectionem vitæ pertinent. Non enim potest eum à sua obedientia eximere. Potest tamen eum eximere ab inferioris Prælati subiectione, quod non est in voto obedientiæ dispensare.

S V M M A R I V M.

1 *Excellentia obedientiæ. num. 1.*

1 IN præsenti articulo voti obedientiæ excellentiam super alijs votis D. Th. ostendit, & in sequenti demonstrat quanta sit eius extensio. Magna autem excellentia obedientiæ demonstratur in argumento sed contra ex eo, quod victimis antefertur, quia per illam voluntas propria mactatur. Quod Smaragdus Abbas in prolog. Reg. S. Bened. excellenter expressit dicens. *Omnes humanos labores, qui voluntarie fiunt, obedientiæ labor exuperat. Quid enim fortius esse potest, quam vt se homo ex omnibus seruum se faciat hominum, & cum sit liber, & honoratus, velut vile mancipium, despectumque se cunctis exhibeat, & abiectum ita vt dicat, ego sum vermis, & non homo. Quid fortius & durius esse potest, quam vt homo homini voluntarie se in omni subdat obedientia, & duras & contrarias in ipsa obedientia patienter illatas sustineat iniurias?* Obedientia propterea merito victimis præponitur, vt dixit S. Gregor. & propterea ipsa est fundamentum totius status perfectionis, quod Leo X. in Const. *Licet alias*

data

data 3.Septemb.1556. aduertit dicens. *Nos attendentes præcipuum quarumuis religionum fundamentum obedientiam exiſtere, qua ſublata non religio, ſed confuſio potius dicenda eſt.* Hæc igitur, vt huius voti excellentia magis fiat manifeſta locus eſt naturam, & obiectum obedientiæ explicandi.

SVMMARIVM.

1 *Quod votum obedientiæ per ſe contineat duas promiſſiones non affirmauit Caiet. num.2.*
2 *In voto obedientiæ poteſt eſſe vna, & duplex promiſſio.num.3.*
3 *Vbi in voto obedientiæ ſit duplex promiſſio eſt peccatum duplicis malitiæ. num.4.*
4 *Infidelitas contra promiſſionem factam homini non eſſet peccatum mortale. num.5.*
5 *Poteſt fieri votum obedientiæ ſine promiſſione facta homini.nu.6.*
6 *In hoc caſu is cui eſt promiſſa obedientia non haberet facultatem præcipiendi. nu 7.*
7 *Poteſt obedientia ſine voto promitti ſolo homini. num.8.*
8 *Votum obedientiæ ſolum non ſufficit ad ſtatum Religioſum.num.9.*
9 *Poſſet nunc ſine approbatione Apoſtolica emitti votum obedientiæ extra Religionem.nu.9.*
10 *Votum ſolemne obedientiæ continet duplicem promiſſionem.num.10.*
11 *Differentia voti ſimplicis, & ſolemnis. nu.11.*

Quid ſit ſolemne votum Obedientiæ?

INSPECTIO PRIMA.

1 CVm votum omne ſit promiſſio facta Deo, indubitatum eſt. Votum obedientiæ eſſe p omiſſionem. Sed hoc ſuppoſito occurrit dubitandum primò, an votum ſolemne obedientiæ importet vnam ſolam promiſſionem factũ Deo, an verò etiam implicet promiſſionem factam Prælato, cui ex vi voti eſt obediendum. Nam quòd votum obedientiæ abſolutum hanc duplicem contineat promiſſionem poſſet videri; quia in obedientia inuoluitur homo cui ſit obediendum, & ita vouens obedientiam, promittit aliquid Deo, & promittit aliquid homini, ſcilicet illi obedire. Vnde eſt ſententia affirmatiua, quam *Suarez tom.3.de relig.l.10.cap.2.num.2.* tribuit *Caiet.ſup.q.88.a.5. ad tertium*, ſed immeritò, quia ibi Caietanus loquitur ſub conditione, & ait quod quando in voto ſunt duæ promiſſiones, duplex eſt culpa altera contra votum obedientiæ, & altera contra fidelitatem (quam ibi ſub nomine obedientiæ intelligit) quia tunc promiſſio facta homini, quæ eſt materia voti. Ibi igitur Caietanus nec tractat per ſe, an in voto obedientiæ ſit duplex promiſſio, neque hoc affirmat. Vnde hæc ſententia affirmans nullum habet aſſertorem. Eſt ergo ſententia oppoſita negans, quòd votum obedientiæ per ſe contineat duplicem promiſſionem, quam docuit *Soto l.7. de iuſtit. q.2. a.3. ad primum*, & ſequitur *Suarez loc. citat.* & alij communiter.

3 Verè enim ſic eſt, abſolutè loquendo, quòd promiſſio obedientiæ poteſt eſſe duplex, ſcilicet facta Deo, & homini, & poteſt eſſe vnica ſoli Deo facta, cui promittatur obedientia erga hominem, & poteſt eſſe vnica facta homini, quæ tamen tunc non erit votum, ſed humana promiſſio. Quod enim votum obedientiæ poſſit continere nedum promiſſionem factam Deo, ſed etiam homini, probatur primò ex *D.Th.ſup.q.88.a.5. ad tertium*, vbi aſſerit quòd in votis factis Sanctis, aut Prælatis continentur duæ promiſſiones, & quòd promiſſio facta Sanctis, vel Prælatis eſt materia promiſſionis, quæ fit Deo. Et hoc eſt, quod ibi affirmat, & explicat Caietanus. Immò & verum eſt, quod habet *Suarez ibid. num.4.* quia ſcilicet huiuſmodi promiſſiones poſſunt inueniri nedum vt ſubordinatæ, & quia vna ſit materia alterius, ſed etiam vt concommitanter ſe habentes. Et ſicut quis duplici promiſſione poteſt directè promittere dotem filiæ alicuius, & iterum eandem dotem directè promittere eiua Patri; ſic poſſet aliquis directè promittere Deo obedientiam Pauli, & iterum directè promittere eam Paulo.

4 Et in hoc caſu bene docet Caiet. quem Suarez ſequitur, quòd in tranſgreſſione huius voti duplex eſt malitia, ſcilicet ſacrilegij contra votum, & infidelitatis contra promiſſionem humanam, formaliter enim tranſgreſſio illa non eſt mala, niſi quia eſt contra promiſſionem factam Deo, & homini, ideo non reducitur ad ſpeciem alicuius alterius peccati, ſed ſolùm eſt mala quia infidelis Deo & homini. Non enim talis voti tranſgreſſio eſſet per ſe inobedientia. Tum quia hæc non adeſt niſi dum quis legem tranſgreditur ex contemptu. Tum quia, cum ille cui ex vi ſimilis voti debetur obedientia non ſit ſuperior habens iuriſdictionem, vel aliam vim ad præcipiendum, quàm illam quæ illi competit ex promiſſione alterius, etiam ſi, qui vouit, & illi promiſit ex directa intentione non parendi illi, eidem non obediret, non eſſet inobedientia formalis, ſed grauius eſſet peccatum ſacrilegij, & infidelitatis. Sed neque illa tranſgreſſio per ſe eſſet peccatum illius ſpeciei, & contra illam virtutem ad quã pertinet materia illius actus, quia cum ille, qui præciperet non haberet iuriſdictionem non haberet vim conſtituendi ſui præcepti tranſgreſſionem in ea ſpecie peccati contra virtutem ſpecialem ad quam illius præcepti obſeruantia ordinatur; vt ex *Caiet.d.art.5.tradit Suarez.d.c.2. num.4.* Et ita eiuſdem præcepti tranſgreſſio niſi aliàs ex obiecto eſſet mala malitia alterius ſpeciei, per ſe ex vi talis præcepti non eſſet mala, niſi quia eſſet infidelis Deo, & homini. Quatenus tamen promiſſio eſſet talis, quæ ſimul contineret obligationem iuſtitiæ, tunc poſtea inobedientia eſſet infidelis iniuſtitia.

5 An verò ſit adeo mala vt ſit peccatum mortale ex genere, certum eſt quòd illa trangreſſio voti vt eſt contraria voto ſeu promiſſioni factæ Deo eſt peccatum mortale ex genere. Idem etiam dicendum de eo voto vt habet adiunctam promiſſionem factam homini, ſi promiſſio ſit talis, quæ obliget ex iuſtitia. Sed ſi obliget ex ſola virtute fidelitatis videri poſſet nõ eſſe mortale ex doctrina *Caiet. ſupra q.48.a.1.& 3.& q.113. a.1* dicẽtis quòd obligatio fidelitatis non ſit talis vt eius tranſgreſſio ſit

mortalis ex genere, sed nihilominùs *Suarez num.7.* allegans *Caiet.supra q.84.a.5,ad 3.* docet in proposito nostro transgressionem huius promissionis ex genere suo esse culpam mortalem, quia materia promissa est obedientia perpetua (de hac enim loquimur), & quia de se obedientia in his præcipuè quæ pertinent ad salutem, est materia grauis & sufficiens ad hoc vt fidelitas obliget sub mortali. Sed Caietanus ibidem loquitur de promissione, quæ de facto fit in professione à Religiosis, quæ non est pura promissio, sed habet annexam obligationem iustitiæ. Cæterùm promissio obedientiæ facta homini cum etiam non fit facta in gratiam illius cui fit, & quatenus etiam sic fieret, si non seruetur nullum damnum illi inferat per se loquendo, & infidelitas ista per se vbi non sit perniciosa, secundum Caiet. locis citatis peccatum mortale non videtur, vnde infidelitas illius, qui promissam homini obedientiam non redderet per se ex vi infidelitatis, peccatum mortale non esset. Esset verò mortale si ex negata obedientia aliud magnum præiudicium illi fieret.

6 Verùm quòd possit etiam dari votum obedientiæ sine promissione humana, cum promissione facta soli Deo probatur, quia aliud est obedientia, & aliud est promissio obedientiæ, & potest quis Deo promittere obedientiam exhibendam Paulo absque eo, quòd aliquid Paulo promittat. Vt Paulus sit purus terminus cui sit obediendum, & ingrediatur materiam promissam vt persona cui præstãda est obedientia, non verò vt persona cui aliquid promittitur. Sicut dum homo promittit Deo eleemosynam dandam Celidonio vero, non promittit aliquid Celidonio, sed Celidonius pertinet ad hoc votum vt finis cui danda est eleemosyna, non vt persona cui fiat promissio. Nec oppositum huius docet D.Thom. loco citato, quia loquitur de votis, quæ fiunt Sanctis, & Prælatis, hoc votum autem per quod soli Deo aliquid promittitur non est votum factum Prælato, cum nihil ei promittatur. Præterquam quòd D. Thom. attendit quæ de facto fiunt promittendo aliquid homini, quia de his loquebatur argumentum & voluit ostendere, quomodo in votis promissio humana solùm se habet vt materia.

7 In hoc autem casu ille cuius obedientia Deo promissa esset, non haberet iurisdictionem, seu facultatem obligandi ex vi sui præcepti, sed eius præceptum se haberet vt applicans voti materiam, quia posito præcepto poneretur materia voti, & ex virtute religionis vouens teneretur obedire. Sicut si quis voueret dare eleemosynam omni petenti, tunc pauperis petitio compleret materiam voti. Et sicut si quis voueret sequi consilium alicuius, tunc consilium compleret voti materiam, & teneretur vouens consilium sequi ex vi voti. Vnde etiam in proposito præceptum esset complementum materiæ voti, & non ea vi præcipientis, sed ex vi voti vouens teneretur. Quòd si ille cuius obedientia promissa esset Deo nollet huic voto consentire, & illud pro sui parte acceptare impediretur quidem vsus voti & actuale exercitium obediendi: votum tamen maneret & quotiescumque ille vellet præcipere vouens teneretur obedire, nisi conditionatè vouisset scilicet sub conditione quòd ille cuius obedientia præcipitur etiam acceptaret, vt si ille eam oblatam recusaverit vouens ad aliud non teneretur.

8 Posse quoque promitti obedientiam homini sola humana promissione per se est notum. Sed hæc promissio non est votum, etiam si promitteretur obedientia in his quæ sunt ad salutem, quia votum non constituitur ex materia promissa, sed ex eo quòd aliquid promittitur Deo. Sic si aliquis sacerdos promittat alicui celebrare sacrum, hoc non est votum, sed humana promissio. Ita si quis promittat alicui obedientiam in rebus sacris, & diuinis, hæc promissio cum non sit facta Deo non est votum.

9 An verò nunc extra Religionem approbatam possit dari votum obedientiæ habens duplicẽ promissionem, & traditionem sui sub potestate alterius. *Suarez d. cap.2. num.14.* arbitratur non posse dari per *cap.vnicum, de relig. dom.in 6. & extrauag.Sanctæ Romanæ Io: 22. eod.tit.* in quibus prohibetur statum religiosum fieri sine approbatione Apostolica; votum verò obedientiæ habens duplicem promissionem facit hominem religiosum. Sed si votum obedientiæ non haberet adiunctum votum paupertatis, & castitatis non faceret hominem religiosum nisi secundùm quid, nec ex vi talis voti constitueretur status religiosus, seu noua Religio simpliciter. Vnde non videtur vnde huiusmodi votum simplex esset irritum; quia vt post *Caiet. infra q.188.a.1.& Nauar.com.1.de Regul.* tradit idem *Suarez d.l.10.cap.1. num.13.* licet ad proprium statum Religionis sit necessaria approbatio Ecclesiæ, hæc tamen non est necessaria ad omnem modum participantem aliquid de illo statu, seu illum imitantem.

10 Sed modò nos loquimur de voto solemni obedientiæ, de quo dicimus illud continere duplicem promissionem, scilicet, quia Religiosus in sua professione promittit obedientiam Prælati & ipsi Prælato & ipsi Deo. *D. Thom. supra q.8. a.5, ad 3. Suarez d.c.2.num.13. Palaus trac.16.disp.4. p.1. Anton. à Spir. Sancto p.2. direct.disp.4. num.15. Donatus tom 3.tract.17.q.4.* Quidquid in contrarium dixerit *Sotus lib.7. de iust.q.2. a.3.ad 9.* Nam Religiosi profitentes, se Religioni tradunt sub obediẽtia Prælatorum, hancque traditionem voto consecrant. Et huius signum est, quod ex vi voti Religiosi possunt cogi à Prælatis ad obseruantiam Regularem tanquam habentibus vim dominatiuam ex vi promissionis sibi factæ, quam vim non haberent ex vi voti si esset solùm promissio facta Deo vt supra est explicatum. Et hoc idem ex iure, & consuetudine colligitur, in hoc enim sensu professio Religiosa intelligitur.

11 Hinc ergo est prima differentia inter votum obedientiæ simplex, & solemne, quòd illud potest esse sola promissio facta Deo; hoc verò continet etiam promissionem factam homini, quæ promissio est materia ipsius voti, quam votum consecrat, quia votum est promissio per quam Deo promittitur obseruantia promissionis factæ Prælato de ei obediendo.

SVMMARIVM.

1 *Votum solemne obedientiæ continet traditionem, seu donationem vouentis.num.12.*

Dubita-

12 DVbitatur secundò an votum solemne obedientiæ sit non solùm promissio, sed traditio & donatio, qua vouens se tradit Religioni propter Deum. Nam hæc est secunda differentia, quam DD. ponunt inter obedientiæ votum simplex & solemne, quod votum religiosum & solemne non est sola promissio, sed simul est traditio, quod non est necessarium interuenire in voto simplici. Quod ita intelligunt *Suarez tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 5. num. 5.* & alij vt promissio, & traditio distinguantur quia promissio respiciat futurum, traditio sit donatio de præsenti; illa fiat Deo, hæc verò fiat Ecclesiæ; per illam acquiritur ius Deo, & per hanc Ecclesiæ. Sed de hac opinione, & difficultate satis dictũ est supra a. 6. 2. n. 13. vbi est probatum, votum religiosum non esse puram promissionem, sed esse simul donationem de præsenti, ita tamen, quòd traditio à voto & promissione non est separata, & sicut sunt duæ promissiones, sic sunt duæ traditiones per quas vouens se donat Ecclesiæ, & Deo, quia de præsenti se tradit Ecclesiæ & Deo in seruum, inchoando de facto seruitutem religiosam, & simul eius durationem vsque ad mortem promittendo. Videnda sunt ibi probata.

S V M M A R I V M.

1 *Obiectum voti obedientiæ non est obedientia formalis. num. 13.*
2 *Superior non potest præcipere subdito vt obediat ex obedientia formali. num 14.*
3 *Qui contemnit præceptum duplici ratione peccat contra votum. nu. 15.*

13 DVbitatur verò tertiò an obiectum voti obediẽtiæ sit obediẽtia formaliter vel potiùs materialiter sũpta. Supponit quæstio ex *D. Th. sup. q. 104. a. 2. ad 3.* quem omnes sequuntur obedientiam diuidi in formalem & materialem. Formalis obedientia est executio operis præsenti assumpta ex intentione seruandi præceptum, & inobedientia est ommissio executionis eius quòd præceptum est ideo quia illud est præceptum. Materialis obedientia est executio cuiuscumque quòd cadit sub præcepto, & inobedientia est omissio illius actus, qui cadit sub præcepto. Vnde omnis actus virtutis est obedientia materialis, tunc verò actus est formaliter in specie virtutis obedientiæ quando exercetur per se intuitu seruandi præceptum. Stante igitur hac distinctione quæritur an obiectũ & materia voti obedientiæ sit obedientia formalis, aut obedientia materialis. Sunt enim aliqui affirmantes ad hoc vt aliquis eliciat actum voti obedientiæ, necesse esse vt obediat formaliter exercendo actum formaliter vt præceptum, quod tamen sine aliquo fundamento asseritur & æquiuocatur inter actum voti obedientiæ, & actum obedientiæ, nam actus non est actus obedientiæ nisi exerceatur formaliter quia præceptus, sed actus obediendi quomodocumque est actus voti obedientiæ formaliter si fiat intuitu religionis & quia est quid promissum Deo per votum. Et ita quòd obedientia, quæ est materia voti obedientiæ sit obedientia materialis, habetur ex *D. Thom. artic. seq. in fine corp.* & docent *Caiet. supra q. 88. a. 5. ad 3. Suarez tom. 3. de relig. l. 10. cap. 6. num. 7. Sanchez l. 6. in Decal. cap. 3. num. 6. Less. lib. 2. de iust. c. 46. d. 6. num. 44. Lezana p. p. c. 4. n. 6. Donatus tom. 3. tract. 17. q. 9. Anton. à Spir. Sancto p. 2. direct. trac. 4. num. 13.* & est communis sententia. Obedientia enim pertinet ad votum obedientiæ merè materialiter, quia formale obiectum voti est rem esse promissam Deo, ideo votum obedientiæ pro materia habet obseruantiam cuiuscumque præcepti quæcumque illa sit, dummodò sit actus virtutis qui in Dei cultum ordinetur.

14 Immò *Sanchez ex Lessio, Anton. à Spir. Sancto, & Donatus* addunt, nec Prælatum posse præcipere vt subditus dum seruat regulam illam seruet per actum obedientiæ formalem, quia talis modus obediendi ex vna parte non est necessarius ad hoc vt actus sit actus virtutis, & ex alia parte cum sit quid merè internum, quia consistit in interna intentione seruandi præceptum quia est præceptum, non cadit sub potestate Prælati, cuius facultas non se extendit ad actus internos, nisi quatenus sunt necessarij ad constituendos externos in aliqua specie virtutis.

15 Obitet autem dubium mouet idem *Sanchez num. 7.* an qui transgreditur præceptum superioris ex contemptu formali peccet contra votum obedientiæ, non dum quia transgreditur præceptum, sed etiam ex motiuo, quia scilicet transgreditur præceptum, in contemptum præcepti. Cum enim votum non obliget ad obedientiam formalem, videtur quòd nec inobedientia formalis vt formalis sit contra votum. Sed bene ex *Lessio l. 2. d. iust. c. 41. n. 76.* respondet & in hoc eum sequitur Donatus, eum qui transgreditur præceptum ex contemptu, duplici ratione peccare contra votum obedientiæ, & quia transgreditur præceptum, & quia contemnit. Tum quia licet votum obediẽtiæ vt continet præceptum affirmatiuum non obliget determinare ad hunc, vel illum modum obediendi, omnis tamen modus obediendi est materia eius, & vt continet vim præceptum negatiui excludit omnem modum transgrediendi præceptum. Præterquam quòd & inter regulæ præcepta hoc est vnum, quòd non contemnatur præceptum superioris, vnde qui contemnit ex hoc quòd contemnit transgreditur regulæ præceptum, quod est contra votum.

S V M M A R I V M.

1 *An obedientia, quæ est obiectum voti se extendat ad consilia, variæ opiniones. num. 16.*
2 *Obedientiæ materia est præceptum, non consilium. num. 17.*
3 *Inobedientia generalis est actus contra legem. numer. 17.*
4 *Materia remota obedientiæ est quidquid cadere potest sub præcepto. num. 18.*
5 *Materia obedientiæ est obseruantia cuiuscumque legis. num. 19.*
6 *Obedientia quæ dicitur perfectionis supponit voluntatem superioris. num. 20.*
7 *Est obedientia analogice, & impropriè. nu. 20.*
8 *Sequi consilium superioris non est obedire propriè. num. 21.*
9 *Debitum morale non est, vbi lex non obligat. num. 21.*

16 Dubitatur autem quartò an obedientia materialis, quæ est materia voti obedientiæ se extendat solùm ad actus virtutum, qui cadunt de facto sub aliquo præcepto superioris, & regulæ, an verò se extendat vniuersaliter ad quemcumque virtutis actum, siue ille sit actus præceptus siue non. *Sanchez l.6. mor. cap. p. citat. num.3. Post Nauar. Valen. Azor. Lessium & Lez. p. p.cap.4.n.7. Tambur. de iure Abbatiss. disp.12. q.1. Anton. à Spir. Sancto p.2.direct.tr.4.num.5. Donat.tom.3.tr.13. q.1. num.4. & 5.Muron.resp.3.num.119.* expressè docent, quòd etiam obedientia materialiter dicta respicit solùm actus, qui sunt de præcepto obligante ad culpam, quia executio consiliorum non est obedientia, sed plusquàm obedientia, vnde eorum omissio non est inobedientia. Vnde iuxta hanc sententiam materia voti obediētiæ est sola executio actus præcepti. Sed in oppositum est, quòd actus voti obedientiæ est exequi id, quòd vult superior, etiam si non præcipiat, nec intendat obligare, vt docet *Suarez tom.3. de relig. l.10.cap.4.num7.* Ita quoque videtur docere expressè *D.Th. sup.q.104.a.2. ad p.* vbi hæc habet. *Si ergo obedientia largè accipiatur pro executione cuiuscūque, quod potest cadere sub præcepto, & inobedientia pro omissione eiusdem ex quacumque intentione, sic obedientia erit generalis virtus, & inobedientia generale peccatum.* Patet enim D.Th mentem esse, quòd exequi quemcumque actum virtutis, qui potest cadere sub præcepto est generaliter obedire. Sed eadem *quæst.a.5. ad 3.* distinguit, & ait. *Sic ergo potest triplex obedientia distingui, vna sufficiens ad salutem, qua scilicet obedit in his ad quæ obligatur: alia perfecta, qua obedit in omnibus licitis: alia indiscreta, quæ etiam in illicitis obedit.* Nedum igitur obedit ille, qui facit id, ad quòd obligatur, sed etiam qui exequitur opus licitum ad quòd non obligatur. Quadrupliciter igitur potest homo operari ex virtute, vel quia obligatur ad opus sub aliqua culpa, vel quia obligatur ad opus ex lege non obligante sub aliqua culpa, vel quia ad illud superior non obligat, sed tamen consulit, & manifestat suæ mentis esse, vt fiat, vel quia ad illud superior solū negatiuè se habet, quia immò nec de opere illo considerat, sed est opus mere de consilio & positum in plena libertate operantis. In primo & secundo casu semper est aliqua obligatio; quia est opus statutum. In tertio casu adest, si non necessitas, magna tamen decentia, sed quòd in quarto casu religiosus obediat, probatur quia quando religiosus ex virtute operatur semper obedit, quia facit, & quod debet, & quod eum decet; Quando verò non agit ex virtute sempee peccat, & sic legem transgreditur, & sic semper, vel operatur ex lege, vel legem transgreditur. Et ideo etiam semper, vel operatur ex regulâ, vel contra regulam, quia nullius ordinis regula est, quæ ad minus non mandet religioso, vt semper abstineat à culpa veniali quantum potest, & sic semper quantum potest operetur ex virtute.

17 Respondetur nihilominùs & dicitur primò, quòd obedientia materialis non respicit nisi præceptum, secundùm quòd præceptum. Aduertendo tamen quòd dictio *secundùm* non sumitur hîc formaliter & reduplicatiuè, quia respicere præceptum formaliter reduplicatiuè, secundùm quòd est præceptum, seu inquantum, & quia est præceptum, & per se primò intuitu seruandi præceptū, est proprium obedientiæ formalis. Sed dictio *secundùm* sumitur specificatiuè, & demonstratiuè, & sensus est, quòd obedientia materialis non est illius actus qui nullo modo est per aliquam legem præceptus; sed solùm est illius, qui sub aliquo præcepto, aut lege cadit. Hæc enim est mens *D.Thom. sup. q.104. a.2. c. & ad p*, obedientia enim habet pro obiecto præceptum, vt habet D. Thom. ibi, & est communis sensus Theologorum. Obedientia verò materialis à formali non distinguitur quia materialia nō respiciat præceptum, quod respicit formalis, sed quia sic vtraque obedientia respicit opus præceptum, quòd tamen sola formalis obedientia respicit præceptum formaliter reduplicatiuè, seu vt formale obiectum, & specificatiuum, obedientia verò materialis respicit præceptum, vt obiectum materiale. Quod verò in d. resp. ad primum habet D. Thom. quia nimirum obedientia largè accipitur pro executione cuiuscumque, quòd potest cadere sub præcepto, non ex eo dictum est, quòd ad obedientiam sufficiat, quòd actus de possibili sit præceptus, & sic quasi quòd executio cuiuscumque actus boni, qui possit præcipi sit obedientia; sed sensus D. Thom. est quòd obedientia largè sumpta, vt est virtus generalis sit executio cuiuscumque actus, qui potest cadere sub præcepto, si ita fiat, vt sub præcepto cadat. Quod inde apertissimè colligitur, quòd obedientiæ, vt est virtus generalis opponitur inobedientia, vt est generale peccatum, hæc verò inobedientia respicit legem, quia non est peccatum, quod non est aliquo modo contra legem & ideo dicit *Ambr. l.2. de parad. cap.8.* citatus à *D.Thom.* in d.p. argumēto, *quòd peccatum est inobedientia legis diuinæ*, Igitur obedientia inobedientiæ opposita est diuinæ legis obseruantia, & sic non respicit nisi actum sub aliqua lege contentum.

18 Dicitur propterea secundò quòd materia remota obedientiæ est quicumque actus, qui potest cadere sub lege aut præcepto superioris, sed materia proxima est executio eius quòd actu cadit sub lege, aut præcepto. Nam neque id dici potest esse materia proxima obedientiæ ad quòd votum obedientiæ non obligat, & quod exequi non est promissum per votum. At verò votum non obligat ad obseruanda consilia, quæ nō sunt aliquo modo præcepta; Nam vt supra q.184.a.3.n.31. probatum est, hæc est natura consilij, vt nulla sit necessitas illud implendi. Ideo ex vi voti obedientiæ subditus, non tenetur exequi, nisi quòd superior absoluta voluntate imperando siue explicitè, siue implicitè mandat; Et ita quòd ex vi voti non est obligatio exequendi superioris velleitates, vel consilia, vel etiam voluntates absolutas nullo modo, vel non sufficienter significatas, vt citati DD. tenent.

19 Dico nihilominùs tertiò ad materiam proximam obedientiæ pertinere nedum id, quod est præceptum sub aliqua culpa, sed etiam si sit mandatum solùm sub aliqua pœna. Quod si *Sanchez, Antonius à Spir. Sancto* & alij nonnulli dicunt quòd quando regula, aut Constitutio, aut etiam mandatum Prælati non obligat ad aliquam culpam Religiosus non tenetur obedire ex vi voti obedientiæ quia tunc non censentur præcipere, sed consulere, non sunt sequendi. Quia lex obligans sub pœna

non

non consulit sed verè imperat, & mandat, & nec rationabiliter imponitur pœna, si lex non imperat, sed consulit, quia nulla est necessitas sequendi consilia, vt consilia. Et cum sint multæ Religiones in quibus Regula & constitutiones non obligant ad culpam, sed ad pœnam, dicere quod harum Religionum Religiosi non sint propriè obedientes dū regulam & constitutiones obseruant, apparet vel solo primo auditu irrationabile. Nam vel verè sunt obligati ad Regulam seruandam, vel non: si sunt verè obligati, igitur obediunt, quia obedientia vt est virtus generalis est agere id, ad quod agēdum quis obligatur, vt clarè habetur ex *D. Th. supra q. 104. a. 2. ad p.* Non potest verò dici, quòd nulla necessitate talis Religiosus obligetur ad regulam & constitutiones, cum promiserit obedientiam secundùm illas; & hic habet locum dictum S. Bernard. in lib. de præcep. & dispens. c. 2. *Itaque*, inquit, *vt sentio ego Regula S. Benedicti omni homini proponitur, imponitur nulli. Prodest, si deuotè suscipitur & tenetur; non tamen, si non suscipitur, obest. Quod autem in voluntate est suscipientis, non in potestate proponentis, voluntarium meritò dixerim, non necessarium. Attamen hoc ipsum, quod dico voluntarium, si quis ex propria voluntate semel admiserit, & promiserit deinceps tenendum, profecto in necessarium sibi ipse conuertit, nec iam liberum habet dimittere, quod ante tamen non suscipere liberum habuit.* Ideo materia obedientiæ proxima est executio legis cuiuscumque obligantis siue ad culpam siue ad pœnam.

20 Ad ea, quæ in oppositum allata sunt respondetur, & ad loca adducta ex D. Thom dicitur nunquam fuisse mentem D. Thom. quòd exequi ea quæ non sunt mandata sit propriè obedientia, & id, quod sumptum fuit ex *q. 104. a. 2. ad p.* iam fuit explicatum. Aliud vero malè ab arguente adducitur, & intelligitur; Quia D. Thom. per obedientiam in licitis, non intelligit executionem cuiuscumque liciti, sed executionem mandati superioris in ijs, ad quæ non potest superior obligare, & tamen ea mandat, seu præcipit. Argumentum enim cōtendebat probare, quòd esset necessitas obediendi superiori præcipienti in omnibus. Responsio verò hoc negat, & distinguit, quia obedire tenentur subditus in ijs quæ pertinent ad religiosam conuersationem, in alijs verò si sint licita ad perfectionis cumulum spectat obedire, & ita semper obedientia supponit præceptum, sed obedientia quæ dicitur perfectionis respicit ea quæ licita sunt, sed ad quæ voluntas superioris non potest obligare. Et nihilominus hęc obedientia, quæ dicitur perfectionis, non propriè, sed analogicè & secundùm quid est obedientia, quia supponit aliquam voluntatem superioris, sed non est propriè obedientia, quia non supponit voluntatem, quæ obliget. Quod verò diuisio illa D. Thom. non sit diuisio vniuoci in vniuocata, sed analogi, patet ex eo, quòd tertium membrum, continet obedientiam indiscretam, quæ certè impropriissimè dicitur obędientia.

21 Ad alia verò quæ adducuntur dicitur, quòd solùm vbi lex obligat est obedientia, sed vbi superior consulit potest habere locum obedientia impropriè, quæ dicitur perfectionis. Et quòd de debito honestatis adducitur, si intelligatur vt sit debitum, quod ex nulla lege est necessarium, abusiue omnino sensus admittitur, neque enim datur debitum vbi non est necessitas agendi: & quæ adducuntur ex debito agendi secundum virtutem; hoc probant, quòd agere secundùm virtutem in communi in Religioso sit ex obedientia; quod verissimum est. Sed non per hoc sequitur quód ex obedientia sit agere hoc, vel illud, vbi non adest lex vel præceptum superioris. Et licet operari melius in singulari sit ex lege, ex hoc non probatur nisi quòd operari ex lege in Religioso sit voti obedientiæ. Sed additur, quòd exequi consilium superioris per se non est melius in indiuiduo, & dato quod ex circumstantijs in singulari id sit melius, iam illud exequi non erit quia exequi consilium superioris sit obedire, sed quia sit obedire legi Dei in eo casu singulari id præcipienti, sic enim & sequi sanctas inspirationes vt tales cognitas debemus, iuxta dicta *supr. quæst. 184. a. 3.*

SVMMARIVM.

1 *Non est necessarium præceptum ad hoc vt Religiosus operando de licentia Prælati habeat meritum voti obedientiæ. n. 22.*
2 *Non expedit Prælatos dum concedunt licentias operandi addere præceptum obligans ad mortale. num. 23.*
3 *Potest esse vtile simul cum licentia aut dispensatione adhibere præceptum leue. n. 24.*

22 Dubitatur quintò an sit expediens, quòd superiores etiam dum licentias concedunt subditis, interponant præceptum in virtute sanctæ obedientiæ. Videtur enim hoc expedire, 1 quia vbi non est præceptum superioris non videtur esse meritum obedientiæ, & præcipuè meritum virtutis obedientiæ propriè dictæ, quia huius virtutis obiectum est superioris præceptum formaliter, vt tradit *D. Thom. supra q. 104. a. 2.* & ibi explicat Caietanus. Aliqui dicunt non expedire, sed vt rem explicent valdę confundunt meritum voti obedientiæ, cum merito virtutis obedientiæ, cum valde differant duo hæc merita, cum secundum importet actum obedientię formaliter, & ad primum sufficiat actus obedientiæ materialis ex voto tamen habitus. Distinguitur igitur præceptum, nam aliud est ad mortale, & aliud est obligans sub veniali, vel etiam sub nulla culpa in religionibus in quibus ex regulæ præscripto mandata superiorum non obligant ad culpam nisi in casibus determinatis. Qua stante distinctione dicitur primò nullam esse necessitatem simpliciter alicuius præcepti ad hoc vt religiosus de licentia Prælati operando obtineat meritum voti obedientiæ. Quod asseritur non ea ratione quia homo ex libertate operantis potest ordinare actus suos bonos in finem religionis, & sic meritum illius virtutis acquirere, sed quia cum operatur ex superioris licentia, operatur ex voto, & agit iuxta id, quòd promisit, & promissum exequitur; vnde religiosè operatur, & habet meritum voti obedientiæ, ex quo enim lex prohibet ne fiat aliquid nisi de licentia superioris, & præcipit peti licentiam in casu quo quis velit illud agere, & præcipit ne id fiet sine licentia; qui ergo petit licentiam agendi & illam obtinet, & obedit petendo licentiam, &

obedit

obedit agendo non sine licentia.

23 Dicitur verò secundò non expedire, quòd superiores in licentijs & permissionibus interponát præceptum obligans ad mortale, immò expedire, quod quantùm possunt se ab huiusmodi præceptis contineant. Ratio est, quia ex vna parte est imponere graue onus subdito, & eius infirmitatem onerare cum periculo, vel vt oneri sucumbat, si mutata voluntate nolit vti licentia, vel saltem vt scrupulis torqueatur, an teneatur exequi præceptum, vel non. Et ex alia parte non est huius præcepti necessitas. Tum primò, quia ad hoc vt in actu sit meritum etiam virtutis obedientiæ, sufficeret præceptum non obligans sub mortali. Tum secundò quia respectu operum, ad quæ religiosus indiget licentia superioris nullum speciale & nouũ præceptum est necessariũ ad hoc vt opera sint opera obedientiæ, quia petere licentiam agendi vbi illa est necessaria est verè obedire, vt dictum est. Tum tertiò quia adhuc posito præcepto, non per hoc religiosus habet meritum virtutis obedientiæ, nisi propria causa exercendi actum sit voluntas obediendi, nisi scilicet habeatur actus ex intentione obediendi, quod ratò continget in actibus ad quos religiosus petit licentiam, & quos religiosus desiderat ex alio fine, & ob aliquod sui commodum ad eos licentiam petit, quòd si ex virtute operantis intendit etiam exercere illos actus quia præcepti sunt, quod non est tamen necessarium, nec potest eis iniungi à superiore, vt supra dictum fuit num.14. hoc idem potest operans ex se facere sine præcepto per promptitudinem voluntatis, quia in quolibet actu potest habere religiosus meritum virtutis, & voti obedientiæ, si sic operetur, quòd habeat actualem promptam voluntatem illud agendi ex obedientia, si opus præciperetur.

24 Dicitur nihilominùs tertiò, quòd etiam respectu illarum actionum, quarum superior dat licentiam, aut circa quas ex iusta causa dispensat, vtile potest esse, & maximè ex causa speciali & attentis circumstantijs adiungere aliquod leue præceptum, maximè si præceptum ad nullam culpam obligat. Quia hoc modo præbetur religioso maior occasio, & materia meriti, faciliùs enim potest in agendo habere etiam meritum virtutis obedientiæ, ex parte operis, & non tantùm ex promptitudine voluntatis. Quod tamen meritum aliunde ab operante potest compensari tum ex promptitudine animi ad obediendum, tum ex motiuis honestis ex quibus mouetur ad agendum.

SVMMARIVM.

1 *An conueniat voluntatem superioris exequi præueniendo præceptum: diuersorum opiniones. num.25.*

2 *Præcepta dantur vel de prosperis, vel de asperis; & quæ vel habent adiunctum periculum salutis, vel non habent. n.25.*

3 *In prosperis quibus adiungitur periculum salutis non est melius præuenire præceptum. n.26.*

4 *In asperis quibus periculum animæ non adest melius est præuenire expressum præceptum. nu.27.*

5 *Quid sit præceptum tacitum, & quæ voluntas sit quodammodo præceptum tacitum. n.27.*

6 *Cæteris paribus melius est subdito conformare voluntatem suam voluntati superioris, & potest hoc ex lege alterius virtutis esse necessarium. num.28.*

25 DVbitatur sextò, an aliquando melius sit subditum non obedire statim simplici voluntati superioris, sed expectare eius præceptum formale, seu absolutum. In hac parte aliqui arbitrantur subditum non teneri exequi voluntatem Prælati, nisi præcipiat. *Syluest. v. obedientia q.12. Suarez tom.3.de Relig.l.10.cap.4.n.8. Donatus tom.3. q.1.num.5. Anton.à Spir.Sancto part.2. Direct. tract.3. disp.6.ref. Sanchez l.6.mor.cap.1.num.5. Viquerius Instruct.cap.5.§.9.ver.1. Vasquez p.2.q.95 a.3. disp.155. ad finem Mirand. tom.1.q.20. art.8. Tambur. de iure Abbat. disp.21.q.4.nu.2. & apud eum Toletus, Graff. & Reginald.* Sed ex his multi subdunt perfectiorem obedientiam esse, si subditus præueniendo præceptum exequatur, quod scit suum superiorem velle. Sic enim inter alios dixerunt *Viquerius, & Donatus.* Sed pro dubij solutione præmitti debet distinctio quam ex *S.Greg.lib.35.mor.cap.13. tradit D.Th. supra q.104. a.2. ad 3.* Nam quæ præcipiuntur, vel prospera sunt, & grata humanitati nostræ, vel sunt ardua, & difficilia, & de se humanæ voluntati repugnantia. In illis enim obedientia non est tam laudabilis, quàm in istis, quia ad illa non tam fertur voluntas amore obedientiæ, & virtutis, quàm boni præcepti secundùm se. Rursus distinguendum est, quia vel obedientiæ coniunctum est periculum animæ aliunde proueniens ex qualitate rei præceptæ, & conditionibus personalibus subditi, & præcipuè si res præcepta sit de prosperis, quæ spectant ad commodum obedientis, vel simile periculum non est obedientiæ adiunctum, sed potiùs salutis securitas, & firmamentum.

26 Quibus stantibus distinctionibus, dicitur primò, quòd vbi res præcepta est de prosperis, & alias habet adiunctam periculum salutis, sicuti sunt dignitates, & officia habẽtia annexam curam animarum, nedum non est melius præuenire præceptum superioris, sed melius est etiam dato præcepto semel, aut bis humiliter recusare, donec cognoscatur omnimode absoluta voluntas superioris, sicut fecit Moyses quando Deus apparuit illi in Nube, & voluit illum mittere Deũ populi ad liberandam illum ab Aegypto. *Exodi. c.3.* & Ieremias, quando Deus illũ prophetam destinauit. Ier.1. Et si enim superior expressè præcipiat in similibus, tamen bonum est, quòd subditus humiliter suam imperfectionem repræsentet, & motiua proponat, quæ possint valere sibi ad suæ salutis securitatem, & tunc vere obediat cum omnino videt præceptum superioris esse, vt id faciat. *Sotus l.7.de iust. q.2.a.4. Moron. Respons.3. nu.118. Antonius Cotonius lib.4. Controuers.6.num.182.*

27 Dicitur secundò quòd in arduis, & asperis, quibus non est adiunctum periculum salutis, tantò obedientia est melior, & promptior, quantò subditus statim præueniendo præceptum expressum, tacitum suscipit, & veneratur. De hoc ita habet *D.Thom. supra q.104. a.2.c. Voluntas enim superioris, quocumque modo innotescat est quoddam tacitum præceptum. Et tantò videtur obedientia promptior, quantò expressum præceptum obediendo præuenit, voluntate tamen superioris intellecta.* Sed hic

quan-

quandam difficultatem habet illud scilicet quòd voluntas superioris quomodocumque innotescat, est quoddam tacitum præceptum. Nam v. g. consiliarij Regis, vel qui sunt de capitulo & sunt præsentes, quando editur lex cognoscunt voluntatem superioris, & tamen nullum hic adest præceptum tacitum; vnde consiliarios conscios de editione legis non obligari ad legem antequam publicetur, dixit *Bonac. disp. 1. de leg. q. 1. p. 6. num. 10.* Multiplex voluntas hic distingui debet. Alia scilicet conditionalis, per quam superior vellet vt per subditum aliquid fieret, sed tamen absolutè non vult hoc illi præcipere; & hæc non habet vim præcepti, quia non est voluntas absoluta. Alia est voluntas absoluta sed de futuro, per quam superior absolutè vult præcipere subdito, vt per eum aliquid fiat. Et hæc non est præceptum tacitum, quia nec est præceptum, sed est voluntas præcipiendi. Alia est absoluta voluntas vt per subditum aliquid fiat, sed mente retenta, & hæc non habet vim alicuius præcepti, quia de ratione legis humanæ est quòd sit imperium sensibiliter denunciatum ex *D. Th. p. 2. q. 90. a. 4.* Alia demum est voluntas absoluta exteriùs intimata per quam superior vult vt subditus sit obligatus ad aliquid faciendum, & hæc voluntas non est sine præcepto, quia huius voluntatis intimatio est præceptum sensibiliter editum. Et quia hæc intimatio potest esse expressior, vel minùs expressa seu tacita, aut interpretatiua, ideo distinguitur præceptum in expressum, & tacitum, & promptior est obedientia, quæ non expectat expressius præceptum habito tacito.

28 Dicitur tertiò quòd licet per se loquendo subditus non teneatur exequi velleitates superioris, seu etiam voluntatem quantùmuis absolutam de imponendo præcepto, quia nulla ex istis voluntatibus habet vim præcepti, etiam taciti, si propriè loquamur; tamen ex circumstantijs facile est vt nedum sit melius exequi voluntatem superioris nullo expectato præcepto, vel etiam si nullum sit futurum præceptum, sed etiam id facere sit necessarium ex aliqua lege virtutis, vt ad vitandam superioris indignationem etiam iniustam, vel ad conciliandam pacem, vel ad vitandum aliquod scandalum, vel ex aliqua alia simili ratione. Et cæteris paribus semper erit melius subditum conformare voluntatem suam in licitis voluntati superioris etiam conditionatæ: maximè si conditio sit aliquid se tenens ex parte subditi; quia nimirum superior ideo non præcipit vt fiat, quod fieri desiderat, quia timet subditum querulum, loquacem, ad murmurandum procliuem, & ad suscitandas commotiones inter Religiosos pronum, vel ob aliquas huiusmodi causas. Vnde boni subditi erit pensatis circumstantijs id agere non quod sibi incundius, sed quod ad Dei gloriam erit melius hoc enim & suæ saluti consultius erit.

SVMMARIVM.

1 *Votum obedientiæ essentialiter & formaliter est idem in omni Religione. n. 29.*

29 Dubitatur septimò, an omnium ordinum religiosorum sit idem votum obedientiæ. Respondetur cum *Donato d. tract. 17. q. 8.* hoc votum esse in omni religione idem essentialiter & formaliter. Quia semper est promissio facta Deo. Est etiam idem in generali quantùm ad formalitatem materiæ, quia in omni religione materia proxima voti est illa traditio, seu pactum, & promissio, quam religiosus facit religioni in sua professione. Quantùm ad materiam remotam sit extensius est in vna religione, quam in alia.

SVMMARIVM.

1 *Conditiones obedientiæ. n. 30.*
2 *Obedientia formalis auget meritum. n. 31.*
3 *Obedientia non agit, nisi ex honestate. n. 31.*
4 *Obedientia holocaustum. n. 32.*

30 Dubitatur octauò, quæ & qualis debeat esse obedientia, vt sit perfecta. Respondetur autem, quòd ex parte intellectus obedientis debet esse perspicax & cœca, & simul indiscretè discreta, ex parte verò voluntatis debet esse prompta; integra, efficax, fortis, & perseuerans. Certè ex parte intellectus debet obedientia esse perspicax vt in persona superioris Deum præcipiētem agnoscat, cœca vt non curet scire motiua propter quæ superior præcipit; cum enim ex parte subditi motiuū sufficiens ad agendum sit voluntas præcipientis, hoc obedienti sufficiet, quòd superior præcipit, quamuis perspicacia illius optima erit, si in opere alia motiua manifesta cōsideret ex quibus fieri possit vt actus eius sit plurium virtutum bonitate decorus. Indiscretè autem discreta esse debet, hoc enim attendere debet obediens an id quòd præcipitur sit illicitum, vel licitum, vt docet *D. Thom. sup. q. 104. a. 5. ad 3.* sed non constito quòd materia sit illicita perfecta obedientia, vt D. Thom. ibidem docet indiscretè obedit non discernendo nec discutiendo quid præcipiatur, vel an possit superior obligare, quia perfecta obedientia est, quæ obedit præcipienti etiam in dubijs, vt infra demonstratur. Ex parte verò voluntatis primò debet esse prompta, quia inuoluntarium diminuit meritum. Et in hoc considerandum, quia affectus proprij operantis, vel inclinant ad obediendum, vel retrahunt. Et quidem huiusmodi affectus vel sunt honesti, & ex honesto motiuo, & isti vbi inclinant ad obediendum augent meritum non diminuunt, quia augent in actu honestatem. Sed si non sint honesti ex motiuo, non diminuunt meritum si solùm concommitanter se habeant, sed si sint causa actus, actum deturpant: Malum enim ex simplici defectu, vnde nequit esse actus honestus qui ex motiuo inhonesto procedit. Affectus verò repugnantes, si diminuant voluntarium in actu, diminuunt meritum; sed sunt materia augmenti si vir obediens luctatur & vincit, & illis inuitis promptè obedit. Insuper verò obedientia debet esse integra vt non ex parte, sed ex toto obediat, & non tantùm in substantia, sed in modo, non deflectendo vel vngue tenus a superioris voluntate. Sit verò efficax & fortis, vt vincat impedimenta. Sit perseuerans vt coronam accipiat.

31 Hæc ergo obedientia formaliter sumpta, licet non sit necessaria ad meritum voti obedientiæ, vbi tamen aderit meritum crescet, & ex promptitudine animi ad agendum non præcepta ac si essent

essent præcepta acquiri potest. Cæterùm obedientia etiam vt est virtus generalis numquam agit nisi ex honestate virtutis, & ex generali debito operandi ex virtute, & hæc quoque debet esse prudenter cœca, & indiscretè discreta, prompta, integra, fortis, & perseuerans.

32 Patet igitur quomodo verum sit, quòd votum obedientiæ sit holocaustum cuius hostia est propria voluntas ac libertas, dominium scilicet morale agendi, quod religiosus moraliter tractat & Deo offert dum in Dei obsequium se tradit religioni sub regimine superiorum.

SVMMARIVM.

1 *Obedie votum est præstantius. n.33.*
2 *Quia in Deo datur animus. n.34.*

33 DVas conclusiones continet textus: quia nimirum præ cæteris votum obedientiæ est & præstantius, & essentialius religioni. In prima conclusione asseritur votum obedientiæ esse præstantius votis paupertatis, & castitatis. Quæ est communis sententia DD. & habetur asserta à Io.22. in extrauag. *Quorundam*, de verborũ signific. *Magna quidem*, inquit *paupertas, sed integritas maius bonum est, sed obedientia maximum, si custodiantur illæsa, nam prima rebus, secunda carni, tertia verò menti dominatur, & animo.*

34 Prima autem ratio pro conclusione sumitur ex dignitate materiæ oblatę Deo per votum obedientiæ, quia Deo per votum paupertatis dantur diuitiæ externæ, per castitatis votum bona corporis & carnis delectationes, sed per votum obedientiæ animus ipse, & mentis libertas. Quamuis verò quantum sit hoc sacrificium in quo sacrificatur Deo propria voluntas, satis colligi possit ex dictis ad argumentum, sed contra. Meliùs etiam cognoscetur quàm sit pretiosa obedientia promissa si examinetur.

SVMMARIVM.

1 *Ordo dicendorum. n.35.*
2 *Ex vi voti non esse obediendam Deo præcipienti non per superiores, sentiunt aliqui. n.36.*
3 *Huius sententiæ rationes intentum non probant. num 37.*
4 *Materia voti obedientiæ est promissio obedientiæ præstandæ homini. n.38.*
5 *Terminus formalis immediatus obedientiæ est Deus. num.39.*
6 *Deus est terminus nedum cui promittitur obedientia, sed & cui est obediendum ex vi voti. numer.40.*
7 *Terminus materialis cui est obediendum est homo vintor. num.41.*

Cui ex voto obedientiæ sit obediendum?

INSPECTIO SECVNDA.

35 PErtinet etiam hæc consideratio ad naturam voti obedientiæ, cum obedientia sit ad alterum, ideo cum terminus cui obedientia promittitur sit Deus, videndum est, quis sit terminus obedientiæ promissæ cui scilicet ex voti obligatione sit obediendum.

36 Primò autem dubitatur an Deus ipse sit huius obedientiæ terminus, an scilicet ex vi voti obedientiæ homo teneatur obedire Deo vel per se ipsum immediatè, vel per Angelos, vel per beatos, vel etiam aliquo alio extraordinario modo aliquid professo religioso præcipienti. Neque tamen in dubio ponitur, an homo sit obligatus ad obediendum Deo quomodolibet præcipienti; sed an teneatur speciali titulo ex vi voti obedientiæ Deo obedire, quando per hominem non præcipit. Non enim teneri sentiunt *Suarez tom.3. de relig l.10.c.11. num.2. Anton. à Spir. Sancto p.2. direc. disp.4. num.24. Donatus tom.3. tr.17. q.25.* & alij. Quod probant tum primò ex forma profitendi, *promitto tibi præposito generali &c. vel promitto in hac religione obedientiam &c.* Promissio enim obedientiæ fit Generali. Nec obstat, quòd in aliquibus religionibus dicitur *promitto Deo, vel voueo &c.* quia illi casus datiui intelliguntur vt Deus sit terminus cui promittitur obedientia, sed Prælatus religionis sit ille, cui obedientia reddi debet, & hic fuit semper sensus institutorum religionum, & hæc est intentio profitentium. Secundò idem patet ex fine huius voti, qui est vt homo per hominem dirigatur in his, quæ sunt perfectionis, vt docet *D. Thom. supr. a.5.* Tertiò quia cum status religiosus sit in humana communitate, ad hoc vt subsistat necessaria est obedientia ad hominem. Quartò, quia vt homo obligetur obedire Deo per se præcipienti, non est necessarium votum, Nam Deo ratione suæ connaturalis potestatis obedientia debetur, hoc autem votum fit de rebus, quæ seclusa voto non caderent sub obligationem, vt *D. Thom. docet sup. a.5. ad p.* & ob hanc etiam causam debet esse ad hominem seu per hominem.

37 Sed harum rationum nulla apparet efficax. Non quidem prima, quæ si probat, probat quòd professio non sit votum. Si enim non subintelligitur promitto Deo, sed solùm promittitur obedientia. Præposito generali, illa promissio non est votum, quod non est nisi promissio facta Deo. Si ergo qui profitetur religionem promittit Deo obedientiam, explicatio illa quòd hoc intelligatur vt Deus sit præcisè terminus cui promittitur obedientia, non verò sit etiam terminus cui obedientia debeatur, est explicatio petens principium, & assumens tanquam certum id de quo est quæstio, nec probatur quòd talis sit sensus instituentium religionem, & eam profitentium. Certè communis sensus est, obediendum esse Prælatis secundum regulam, sed quòd hoc intelligatur cum præcisione, ita vt non sit ex vi voti obediendum Deo si modo extraordinario præcipiat aliquid secundùm regulam, hoc nec est certum, nec probatum, immo nec verum. Secunda & tertia ratio non probant, nisi quòd votum obedientiæ regulariter habet pro termino hominem, seu quòd conuenit quòd votum obedientiæ reddatur Deo præcipienti per homines, sed præcisio intenta non probatur, ita quòd ex vi voti non teneamur obedire Deo nisi vt per hominem præcipienti. Quid verò intendat quarta ratio non apparet. Nam si intendit votum obedientiæ non esse

neces-

necessarium, quia est de rebus superetogationis; hoc est verum absolutè tam respectu Dei, quàm respectu hominis, ideo votum obedientiæ liberum est. Sed si intēdit probare, quòd sit impossibile quòd quis se obliget Deo speciali titulo per votum, ex eo quòd homo est subditus Deo ratione suæ connaturalis potestatis, hoc est plusquàm falsum, & destructiuum naturæ ipsius voti, per quod Deo offerimus & obligamus, quæ Deus nobis donauit, sed vsum eorum nostræ libertati reliquit; Et sicut Deo vouemus paupertatem, & castitatem, ita Deo possumus vouere obedientiam illi reddendam quomodocumque præcipienti. Si enim possumus obedire Deo præcipienti per Prælatum, ita & possumus obedire Deo præcipienti per Angelum, & cur vtrumque vouere non possemus? Nec obstat quòd Angelus non habeat iurisdictionem super homines; Tum quia Deus illam dare potest. Tum quia hoc nihil interest, cum non sit quæstio de debito obediendi Angelo, sed Deo; Nunquid enim non teneor obedire Generali præceptum mihi per aliquē manifestanti? Sic teneri possem obedire Deo voluntatem suam mihi per Angelum denuncianti.

38 Magis efficaciter videri posset hoc probari, ex eo quòd materia proxima voti obedientiæ non est obedientia qualiscumque sed est promissio, & traditio qua religiosus se tradit religioni, pactum scilicet & contractus, per quem religiosus tradit se in seruum religionis sub regimine Prælatorum religionis; hoc pactum verò est hominis cum homine, & continet obedientiam reddendam homini, & hæc promissio est quę consecratur per votum; igitur ex vi voti tenetur religiosus solùm ad obseruandum contractum humanum cum religione, qui continet debitum obediendi hominibus. Sed neque hæc ratio vrget. Quoniam hic contractus adhuc est religiosus & ex virtute religionis proueniens, & habens pro materia & fine proximo Dei obsequium. Vnde vt soluatur quæstio.

39 Dicitur primò, quòd terminus formalis proximus cui ex vi pacti humani initi inter religiosum & religionem teddenda est obedientia non est homo, sed Deus. Neque enim homini vt homini, neque ad finem humanum & temporalem, sed in ordine ad Dei cultum & obsequiū promittitur homini vt ministro Dei, & vt vices Dei gerenti obedientia. Licet ergo homo sit terminus proximus materialis, cui fit obediendum, terminus tamen formalis est Deus, oec religio, nec profitentes religionem se subijciunt homini nisi vt ministro Dei, & in ordine ad Dei obsequium. Et ita, sicuti Suarez bene concedit Deum esse qui in Prælatis præcipit subditis, sic etiam optimè docet subditos in persona Prælati obedire Deo. Sed & S. Benedictus in regula dixit. *Quia obedientia, qua maioribus præbetur, Deo exibetur. Ipse enim dixit. Matt. 10. qui vos audit me audit.* Idem dixit S. Columbanus in regula sua c. 1. §. 3. & in regula magistri cap. 7. §. 9. ponderantur verba Ps. 65. *Cum ergo*, inquit, *dicent imposuisti homines super capita nostra, noscuntur habere super se debere maiorem constitutum vice Dei &c. quia obedientia, qua maioribus præbetur, Deo datur.* Hæc verò regula magistri antiquissima est, & fuisse compositam à Virgilio Abbate & Diacono circa annum 701. ex Tritennio colligit Hugo Menardus in concordia regularum in principio, vbi agit de regularum auctoribus, igitur terminus proximus formalis cui redditur obedientia est Deus, cum motus in imaginem formaliter proximè terminetur ad id cuius est imago. Et licet verè teneamur obedire homini illi, qui est Prælatus, tamen obedientia debetur illi quia est vices gerens Dei. Et si fiat vis in voce *immediatè*, tollatur illa, & dicatur quòd Deus est primus & principalis terminus cui per se primò debetur obedientia in persona Prælati; quamuis loquendo de termino formali verè idem sint terminus primus, & proximus.

40 Dicitur propterea secundo Deum per votum obedientiæ habere speciale ius præcipiendi religioso modo quocumque sibi bene viso, & si eo vti velit, & aliquid præcipiat secundùm regulam etiam per Angelos, vel sanctos homines, vel quocumque extraordinario modo, religiosum ex vi obedientiæ teneri illi obedire. Itaque bene admittimus nos, ex voto obedientiæ non teneri obedire Deo vt præcipienti per legem naturæ, aut per legem positiuam supernaturalem ex dominio supremo, quod habet supra totum orbem. Sed nihilominùs asserimus, Deum ex vi voti obedientiæ esse speciali modo Dominum religiosorum, & religionum, eumque posse vti hoc iure dominij, & si, vtatur, religiosum teneri illi obedire. Probatur hoc primò ex principio *Caiet. sup. in hac quæst. a. 5. ad 3.* quia scilicet promittens obedientiam Prælato subordinato multò magis illam promittit capiti subordinanti. Ex hoc enim principio probabitur infra etiam Papæ promitti obedientiam, quia promittitur Generali subordinato Papæ. Hæc autem ratio multò magis vrget respectu Dei, cui Prælatus omnino subordinatur, & non eligitur vt superior, nisi vt teneat vices Dei. Ex quo magis confirmatur, quia terminus primarius cui obedientia promittitur est Deus. Neque valet dicere, quòd promittitur obedientia Deo, sed vt præcipienti per hominem, quia hoc totum materialiter se habet ad promissionem & ad pactum, sed intentio principalis respicit Deum per se primò, & formaliter, & ideo non potest restringi promissio, sed manet in libertate Dei eligere sibi alium in cuius persona præcipiat, si ipse voluerit. Quod confirmatur: nam Papa, vt dicemus est dominus Religiosorum ex vi voti, sic vt liberum sit illi nedum præcipere per Prælatos religionis, sed per quamcumque personam; Multò magis igitur hoc erit liberum Deo. Et hoc ampliùs explicatur ex fine Religionum, qui est perfectio consistens in vnione & perfecta subiectione ad Deum per charitatem, ad quod obtinendum eligimus tanquam medium obedire Prælatis vt Dei ministris; si ergo accidat casus in quo Deus videat conuenire alicui religioni, & religioso vt ad perfectionem obtinendam Deus ipse modo insolito præcipiat, hoc bene comprehenditur sub intentione vouentis obedientiam, qui per se non intendit nisi à Deo dirigi in perfectionem. Terminus igitur primarius & formalis cui promittitur obedientia, etiam vt cui est obediendum est Deus.

41 Sed terminus obedientiæ promissæ per votum materialiter immediatus seu immediatus immediatione suppositi non est neque Angelus, neque homo beatus, sed homo viator. Quo tanquam certo supposito.

essent præcepta acquiri potest. Cæterùm obedientia etiam vt est virtus generalis numquam agit nisi ex honestate virtutis,& ex generali debito operandi ex virtute, & hæc quoque debet esse prudenter cœca, & indiscretè discreta, prompta, integra, fortis, & perseuerans.

32 Patet igitur quomodo verum sit, quòd votum obedientiæ sit holocaustum cuius hostia est propria voluntas ac libertas, dominium scilicet morale agendi, quod religiosus moraliter tractat & Deo offert dum in Dei obsequium se tradit religioni sub regimine superiorum.

SVMMARIVM.

1 *Obedia votum est præstantius. n.33.*
2 *Quia in Deo datur animus. n.34.*

33 Duas conclusiones continet textus: quia nimirum præ cæteris votum obedientiæ est & præstantius, & essentialius religioni. In prima conclusione asseritur votum obedientiæ esse præstantius votis paupertatis, & castitatis. Quæ est communis sententia DD. & habetur asserta à Io.22. in extrauag. *Quorundam*, de verborũ signific. *Magna quidem*, inquit *paupertas, sed integritas maius bonum est, sed obedientia maximum, si custodiatur illæsa, nam prima rebus, secunda carni, tertia verò menti dominatur, & animo.*

34 Prima autem ratio pro conclusione sumitur ex dignitate materiæ oblatę Deo per votum obedientiæ, quia Deo per votum paupertatis dantur diuitiæ externæ, per castitatis votum bona corporis & carnis delectationes, sed per votum obedientiæ animus ipse, & mentis libertas. Quamuis verò quantum sit hoc sacrificium in quo sacrificatur Dco propria voluntas, satis colligi possit ex dictis ad argumentum, sed contra. Meliùs etiam cognoscetur quàm sit pretiosa obedientia promissa si examinetur.

SVMMARIVM.

1 *Ordo dicendorum. n.35.*
2 *Ex vi voti non esse obediendum Deo præcipienti non per superiores, sentiunt aliqui. n.36.*
3 *Huius sententiæ rationes intentum non probant, num 37.*
4 *Materia voti obedientiæ est promissio obedientiæ præstanda homini. n.38.*
5 *Terminus formalis immediatus obedientiæ est Deus. num.39.*
6 *Deus est terminus actum cui promittitur obedientia, sed & cui est obediendum ex vi voti. numer.40.*
7 *Terminus materialis cui est obediendum est homo viator. num.41.*

Cui ex voto obedientiæ sit obediendum?

INSPECTIO SECVNDA.

35 Pertinet etiam hæc consideratio ad naturam voti obedientiæ, cum obedientia sit ad alterum, ideo cum terminus cui obedientia promittitur sit Deus, videndum est, quis sit terminus obedientiæ promissæ cui scilicet ex voti obligatione sit obediendum.

36 Primò autem dubitatur an Deus ipse sit huius obedientiæ terminus, an scilicet ex vi voti obedientiæ homo teneatur obedire Deo vel per se ipsum immediatè, vel per Angelos, vel per beatos, vel etiam aliquo alio extraordinario modo aliquid professo religioso præcipienti. Neque tamen in dubio ponitur, an homo sit obligatus ad obediendum Deo quomodolibet præcipienti; sed an teneatur speciali titulo ex vi voti obedientiæ Deo obedire, quando per hominem non præcipit. Non enim teneri sentiunt *Suarez tom.3.de relig l.10.c.11. num.2. Anton.à Spir.Sancto p.2.direc.disp.4.num.24. Donatus tom.3.tr.17.q.25.* & alij. Quod probant tum primò ex forma profitendi, *promitto tibi præposito generali &c. vel promitto in hac religione obedientiam &c.* Promisso enim obedientiæ fit Generali. Nec obstat, quòd in aliquibus religionibus dicitur *promitto Deo, vel voueo &c.* quia illi casus datiui intelliguntur vt Deus sit terminus cui promittitur obedientia, sed Prælatus religionis sit ille, cui obedientia reddi debet, & hic fuit semper sensus institutorum religionum, & hæc est intentio profitentium. Secundò idem patet ex fine huius voti, qui est vt homo per hominem dirigatur in his, quæ sunt perfectionis, vt docet *D.Thom.sup. a.5.* Tertiò quia cum status religiosus sit in humana conuersatione, ad hoc vt subsistat necessaria est obedientia ad hominem. Quartò, quia vt homo obligetur obedire Deo per se præcipienti, non est necessarium votum, Nam Deo ratione suæ connaturalis potestatis obedientia debetur, hoc autem votum sit de rebus, quæ secluso voto non caderent sub obligationem, vt *D.Thom. docet sup. a.5. ad 9.* & ob hanc etiam causam debet esse ad hominem seu per hominem.

37 Sed harum rationum nulla apparet efficax. Non quidem prima, quæ si probat, probat quòd professio non sit votum. Si enim non subintelligitur promitto Deo, sed solùm promittitur obedientia. Præposito generali, illa promissio non est votum, quod non est nisi promissio facta Deo. Si ergo qui profitetur religionem promittit Deo obedientiam, explicatio illa quòd hoc intelligatur vt Deus sit præcisè terminus cui promittitur obedientia, non verò sit etiam terminus cui obedientia debeatur, est explicatio petens principium, & assumens tanquam certum id de quo est quæstio, nec probatur quòd talis sit sensus instituentium religionem, & eam profitentium. Certè communis sensus est, obediendum esse Prælatis secundum regulam, sed quòd hoc intelligatur cum præcisione, ita vt non sit ex vi voti obediendum Deo si modo extraordinario præcipiat aliquid secundùm regulam, hoc nec est certum, nec probatum, immo nec verum. Secunda & tertia ratio non probant, nisi quòd votum obedientiæ regulariter habet pro termino hominem, seu quòd connenit quòd votum obedientiæ reddatur Deo præcipienti per homines, sed præcisio intenta non probatur, ita quòd ex vi voti non teneamur obedire Deo nisi vt per hominem præcipienti. Quid verò intendat quarta ratio non apparet. Nam si intendit votum obedientiæ non esse neces-

necessarium, quia est de rebus superecogationis; hoc est verum absolutè tam respectu Dei, quàm respectu hominis, ideo votum obedientiæ liberum est. Sed si intêdit probare, quòd sit impossibile quod quis se obliget Deo speciali titulo per votum, ex eo quòd homo est subditus Deo ratione suæ connaturalis potestatis, hoc est plusquàm falsum, & destructiuum naturæ ipsius voti, per quod Deo offerimus & obligamus, quæ Deus nobis donauit, sed vsum eorum nostræ libertati reliquit; Et sicut Deo vouemus paupertatem, & castitatem, ita Deo possumus vouere obedientiam illi reddendam quomodocumque præcipienti. Si enim possumus obedire Deo præcipienti per Prælatum, ita & possumus obedire Deo præcipienti per Angelum, & cur vtrumque vonere non possemus? Nec obstat quòd Angelus non habeat iurisdictionem super homines; Tum quia Deus illam dare potest. Tum quia hoc nihil interest, cum non sit quæstio de debito obediendi Angelo, sed Deo; Nunquid enim non teneor obedire Generali præceptum mihi per aliquē manifestanti? Sic teneri possem obedire Deo voluntatem suam mihi per Angelum denuncianti.

38 Magis efficaciter videri posset hoc probari, ex eo quòd materia proxima voti obedientiæ non est obedientia qualiscumque sed est promissio, & traditio qua religiosus se tradit religioni, pactum scilicet & contractus, per quem religiosus tradit se in seruum religionis sub regimine Prælatorum religionis; hoc pactum verò est hominis cum homine, & continet obedientiam reddendam homini, & hæc promissio est quę consecratur per votum; igitur ex vi voti tenetur religiosus solùm ad obseruandum contractum humanum cum religione, qui continet debitum obediendi hominibus. Sed neque hæc ratio vrget. Quoniam hic contractus adhuc est religiosus & ex virtute religionis proueniens, & habens pro materia & fine proximo Dei obsequium. Vnde vt soluatur quæstio.

39 Dicitur primò, quòd terminus formalis proximus cui ex vi pacti humani initi inter religiosum & religionem reddenda est obedientia non est homo, sed Deus. Neque enim homini vt homini, neque ad finem humanum & temporalem, sed in ordine ad Dei cultum & obsequiū promittitur homini vt ministro Dei, & vt vices Dei gerenti obedientia. Licet ergo homo sit terminus proximus materialis, cui sit obediendum, terminus tamen formalis est Deus, nec religio, nec profitentes religionem se subijciunt homini nisi vt ministro Dei, & in ordine ad Dei obsequium. Et ita, sicuti Suarez bene concedit Deum esse qui in Prælatis præcipit subditis, sic etiam optimè docet subditos in persona Prælati obedire Deo. Sed & S. Benedictus in regula dixit. *Quia obedientia, quæ maioribus prabetur, Deo exibetur. Ipse enim dixit. Matt.* 10. *qui vos audit me audit.* Idem dixit S. Columbanus in regula sua c. 1. §. 3. & in regula magistri *cap.* 7. §. 9. ponderantur verba Ps. 65. *Cum ergo,* inquit, *dicunt imposuisti homines super capita nostra, noscuntur habere super se debere maiorem constitutum vice Dei &c. quia obedientia, quæ maioribus præbetur, Deo datur.* Hæc verò regula magistri antiquissima est, & fuisse compositam à Virgilio Abbate & Diacono circa annum 701. ex Tritennio colligit Hugo Menardus in concordia regularum in principio, vbi agit de regularum auctoribus, igitur terminus proximus formalis cui redditur obedientia est Deus, cum motus in imaginem formaliter proximè terminetur ad id cuius est imago. Et licet verè teneamur obedire homini illi, qui est Prælatus, tamen obedientia debetur illi quia est vices gerens Dei. Et si fiat vis in voce *immediatè*, tollatur illa, & dicatur quòd Deus est primus & principalis terminus cui per se primò debetur obedientia in persona Prælati; quamuis loquendo de termino formali verè idem sint terminus primus, & proximus.

40 Dicitur propterea secundo Deum per votum obedientiæ habere speciale ius præcipiendi religioso modo quocumque sibi bene viso, & si eo vti velit, & aliquid præcipiat secundùm regulam etiam per Angelos, vel sanctos homines, vel quocumque extraordinario modo, religiosum ex vi obedientiæ teneri illi obedire. Itaque bene admittimus nos, ex voto obedientiæ non teneri obedire Deo vt præcipienti per legem naturæ, aut per legem positiuam supernaturalem ex dominio supremo, quod haber supra totum orbem. Sed nihilominùs asserimus, Deum ex vi voti obedientiæ esse speciali modo Dominum religiosorum, & religionum, eumque posse vti hoc iure dominij, & si vtatur, religiosum teneri illi obedire. Probatur hoc primò ex principio *Caiet. sup. in hac quæst. a* 5. *ad* 3. quia scilicet promittens obedientiam Prælato subordinato multò magis illam promittit capiti subordinanti. Ex hoc enim principio probabitur infra etiam Papæ promitti obedientiam, quia promittitur Generali subordinato Papæ. Hæc autem ratio multò magis vrget respectu Dei, cui Prælatus omnino subordinatur, & non eligitur vt superior, nisi vt teneat vices Dei. Ex quo magis confirmatur, quia terminus primarius cui obedientia promittitur est Deus. Neque valet dicere, quòd promittitur obedientia Deo, sed vt præcipienti per hominem, quia hoc totum materialiter se habet ad promissionem & ad pactum, sed intentio principalis respicit Deum per se primò, & formaliter, & ideo non potest restringi promissio, sed manet in libertate Dei eligere sibi alium in cuius persona præcipiat, si ipse voluerit. Quod confirmatur i nam Papa, vt dicemus est dominus Religiosorum ex vi voti, sic vt liberum sit illi nedum præcipere per Prælatos religionis, sed per quamcumque personam; Multò magis igitur hoc erit liberum Deo. Et hoc ampliùs explicatur ex fine Religionum, qui est perfectio consistens in vnione & perfecta subiectione ad Deum per charitatem, ad quod obtinendum eligimus tanquam medium obedire Prælatis vt Dei ministris; si ergo accidat casus in quo Deus videat conuenire alicui religioni, & religioso vt ad perfectionem obtinendam Deus ipse modo insolito præcipiat, hoc bene comprehenditur sub intentione vouentis obedientiam, qui per se non intendit nisi à Deo dirigi in perfectionem. Terminus igitur primarius & formalis cui promittitur obedientia, etiam vt cui est obediendum est Deus.

41 Sed terminus obedientiæ promissæ per votum materialiter immediatus seu immediatus immediatione suppositi non est neque Angelus, neque homo beatus, sed homo viator. Quo tanquam certo supposito.

SVMMARIVM.

1 *Ex vi voti obedientia tenemur obedire Papæ. numer.42.*
2 *Papæ ex officio communes leges indicenti, non tenentur Religiosi obedire ex voto.nu.43.*
3 *Ex vi voti non tenentur* Religiosi *obedire Ecclesiæ Prælatis.num.44.*
4 *Ex vi voti non tenentur Religiosi obedire Papæ præcipienti supra regulam.nu.45.*
5 *Papæ magis obediendum, quam Prælato regulari. num.46.*
6 *Etiam dum Papa aliquid specialiter præcipit Religiosis non est censendus vti potestate dominatiua, quam habet ex vi voti. nu.46.*

42 DVbitatur secundò, An Religiosus ex vi voti obedientiæ teneatur obedire Papæ. Affirmant, & benè *Durandus 4.d.44.quæst.5.Caiet. sup.quæst.*88. *a.*12.5. *ad secundum*, sed clariùs, & in terminis supra in hac *quæst.a.5.ad tertium.Sotus l.7. de iust.quæst.3.a.1. Bannes* 22.*quæst.*11.*num.*10 *dub.6. Nauar.in sum.cap.*11.*num.76.Suarez tom.3.de relig. l.*10.*cap.*11.*num.*13. *Sanchez l.6. mor.cap.*1. *num.8. Rodriq.qq.reg.t.*1.*q.*12.*a.6. Peyr. relig.subd. quæst.*1. *cap.8.§.*1. *Lezana tom.*1.*cap.4. num.*1. *Castro Palaus tract.*16.*disp.4.p.*2.*numer.4. Donatus tom.3.tract.*17. *quæst.*26. *Anton.à Spir.Sancto p.*2.*direct. disp.4.n.*24. *Donatus d.tract.*17.*quæst.*26. & apud eum. *Faustus*, & alij. Probatur autem primò Author. *D.Thom. sup.art.5.ad tertium*, Cum enim tertiom argumentum faceret difficultatem ex hoc, quòd Prælati religionum non subduntur Episcopis, & sic non habent cui obediant ex voto obedientiæ, respondet, & ait. *Et si à diœcesanis Episcopis totaliter, vel ex parte sunt exempti, obligantur tamen ad obediendum summo Pontifici; non solum in his, quæ sunt communia alijs, sed etiam in his, quæ specialiter pertinent ad disciplinam religionis.* Loquitur verò de obedientia ex vi voti, quia de illa sermo est in articulo, & in argumento, quod non remaneret solutum, si loqueretur de obedientia, quæ conuenit, & debetur Papæ ratione illius iurisdictionis, quam habet ex officio. Probatur verò primò ratione Durandi, qua etiam vtitur Caiet. Quia promittens obedientiam ministro, seu capiti subordinato multò magis censetur illam promittere capiti subordinanti, Prælatus autem Religionis est Papæ subordinatus. Sed secundò probatur, quia sic petit natura talis voti spectata re promissa, & fine eius. Religio enim, vt modò sumitur est multitudo plurium ordinata inter se in Dei obsequium, & ad finem consequendi perfectionem vitæ sub regimine habentium curam & gubernium talis multitudinis, maxima verò cura religionis spectat ad summum Pontificem, cuius est religionem approbare, & admittere, iurisdictionem dare Prælatis, curam gerere, vt statuta religionis seruentur, eamque in suum finem dirigere, nulla igitur ratio est cur à voto, & ab intentione profitentium, & se tradentium religioni sub regimine habentium curam illius, excludatur summus Pontifex; neque Pontifex ipse approbans religiones censetur illas approbare, nisi sub sua gubernatione; vnde tam ex intentione vouentium, quàm ex intentione Pontificis, & ex natura vrdinia religionis in se, & in ordine ad Deum, votum profitentium religionem se ad summum Pontificem extendit tanquam ad primum Prælatum com quo religiosus principaliter inijt pactum, & sub cuius gubernio se tradit.

43 Sicut tamen de Deo distinguebatur, quia considerabatur Deus, vel vt agens ex sibi connaturali potestate, & præcipiens per legem naturalem, aut supernaturalem vniuersalem, & vt præcipiens ratione illius dominij, quod habet ex voto profitentis religionem, ita dicendum est de Pontifice, quia non tenentur religiosi ex vi voti obedire Papæ legem ferenti ex vniuersali potestate, quam habet in totam Ecclesiam. Vnde si Religiosus transgrediatur, vel legem Dei naturalem, vel legem Ecclesiasticam Pontificis, non peccat ex vi talis præcepti magis, quam si esset secularis, nec religionis circumstantia est tunc exprimenda in confessione, sed tenentur Religiosi ex voto obedire Papæ tunc, cum vt supremus religionum Prælatus præcipit secundum regulam.

44 Inde est, quòd Religiosos ex voto non tenetur obedire Ecclesiæ Prælatis, quia huiusmodi agunt in vi iurisdictionis Ecclesiasticæ, quam habent datam à Pontifice, vt Pontifice, non verò vt Prælato Religionum. Verum tamen est, quod Concilium Generale habens Pontificem tanquam caput habet in hoc authoritatem super Religiosos ratione capitis, quam habet Pontifex, & parum interest, quòd Pontifex se solo, vel cum Concilio decernat res Religiosorum, & quæ ad bonum regimen religionum faciunt, præcipiat.

45 Inde est etiam, quòd Pontifex ex vi huius authoritatis nihil Religioso potest præcipere supra regulam, sed solùm secundùm regulam. Quia pactum quod intercedit inter Religiosum, & Religionem est obedire Prælatis eius secundùm regulam. Vnde Prælati ex vi huius pacti non possunt præcipere supra regulam; neque in hoc maiorem authoritatem habet Pontifex, quia non habet nisi illam, quam tradit Religiosus ex vi pacti cum religione initi in sua professione, hæc verò est potestas præcipiendi secundum regulam, vt citati Doctores tradunt.

46 Quod si contingat Papam vnum præcipere, & Prælatum religionis præcipere oppositum, Papæ est obediendum non Prælato, vt tradit *D. Thom. 2.d.44. q.2.a.3.* Sed nunquid quando Papa præcipit aliquid secundùm regulam ipsis Religiosorum ordinibus in particulari, censendus est vti potestate dominatiua, quam habet ex vi voti, & ita quòd si eius præceptum violetur transgressio habeat malitiam sacrilegij contra votum, & iniustitiæ contra promissionem professioni intimam? Affirmat *Donatus d.quæst.26.num.3.* Sed oppositum est dicendum; quia cum ad obligandum Religiosos sufficiat potestas amplissimæ iurisdictionis, quā habet, vt est Christi Vicarius, ad quid multiplicare obligationes, & vinculam. Nisi ergo ex aliqua speciali causa Papa velit vti etiam illa dominatiua potestate, & id exprimat, in reliquis casibus censendus est vti sua manifesta potestate iurisdictionis. Vnde ius commune Canonicum non obligat Regulares ex vi voti, vt dixit Ledesma. Et ideo quòd violans præceptum Ecclesiæ, non sit reus malitiæ sacrilegij contra votum dixerunt *Anton. à Spiritu Sancto*

Sancto d.disp.6 num.28. Sanchez l.6. cap.1. numer.8. Peyr. in subd. quæst. 1. cap.8. §.1. Lezana p.p. cap.4. num.3. & alij.

SVMMARIVM.

1 *Ex vi voti non tenentur Religiosi obedire S. Congregationi Regularium.num.47.*
2 *Nec alijs S.Congregationibus. num.48.*

47 Dubitatur autem tertiò, an religiosi ex vi voti teneantur obedire decretis S. Congreg. Cardinalium negotijs Episcoporum, & regularium præpositorum. Affirmant enim *Lezana tom.1.cap.4 num.31.* & apud eum *Thomas à Iesu tract.3.de visit. regul.c.17.num.7. Donatus d.tract.17. quæst.27.* Quia Sixtus Quintus in sua Constit. *Aeterni Dei* 74. instituit illam Congregationem pro bono regimine Regularium. Sed hoc esse incertum meliùs dicunt alij, & negat *Anton. à Spir. Sancto d. tract.4.num.29.* Nam in Pontifice respectu Regularium cum sit duplex potestas, scilicet iurisdictionis, quam habet ex officio supposito statu religionis & religiosorum voto, cuius obseruantiæ ipse ex vi sui officij est exactor nomine Dei, & potestas dominij specialis acquisiti ex vi voti religiosorum, sic verum est quòd vtraque est delegabilis à Pontifice, quòd tamen ad bonum regimen Religionum prima sufficit, & cum secunda sit specialissima, censeri debet non venire in generali concessione nisi exprimatur, iuxta regulam; non veniunt in generali concessione &c. Quod magis confirmatur, quia cum non sit vndequaque certum omninò Pontificem habere hoc speciale dominium, vt religiosi ei teneantur obedire ex voto, nam & DD. plures hoc tenent solùm vt probabile, & *Suarez loco cit.* non parùm formidat, & aliàs facultas quam habet Pontifex super religiosos ex vi sui officij sit certa, & indubia, & hæc sufficiat ad eorum bonum regimen, non est censendum Pontificem aliud non explicantem, & declarantem delegare nisi eam facultatem, quam habet ex officio, & quæ ad finem intentum sufficit.

48 De alijs verò Congregationibus quibus nō est commissa specialis cura Regularium, sed communis omnium, res est certior, quia scilicet illæ agunt ex communi Pontificis sibi delegata iurisdictione, vnde Regulares non ex vi voti, sed vniuersali ratione tenentur illis obedire ut ministris à summo Pontifice delegatis. *Anton. à Spir. Sancto d. tract.6.num.33.*

SVMMARIVM.

5 *Ex vi voti obedientiæ non tenentur Religiosi obedire Legatis, & Nuncijs. num.49.*

49 Maior difficultas esse posset, nartò an religiosi teneantur obedire Legatis, & Nuntijs Apostolicis ex vi voti. Quia isti censentur veluti ordinarij regularium habentque super illos authoritatem. Et ideo non consequenter loquitur Donatus, volens Regulares ex voto teneri obedire Sacr. Congreg. Regularium, & id negans respectu Legatorum & Nunciorum. Quia inmò id affirmandum esset si non potiori, eadem saltem ratione de Legatis, & Nuncijs, qui censentur ordinarij Regularium in suis Prouincijs. Sed bene respondet *Anton. à Spir. Sancto d.trac.6,num.34.* non adesse in regularibus hanc obligationem, quia nec constat, nec est censendum Pontificem delegare illis specialissimam facultatem, quam habet vt summus religionum Prælatus ex vi voti religiosorum institutus. Quia neque hæc delegatio est conformis intentioni vnuentium, qui se subijciunt Prælatis Ordinis, vnde conueniens valde est, vt nisi specialis causa id expostulet, Papa vt specialis Prælatus religionum præcipiat medijs earum Prælatis, nam ex hac parte Pontifex se habet vt quid intrinsecum corpori Religionis & tanquam veluti pars eius nobilissima, scilicet caput; conuenit verò capiti vt intrinsecus medijs membris, quæ sint de corpore influat in corpus, vt hoc modo corpus viuens viuat per se ipsum, & se ipsum, per se ipsum regat. Vnde ampliare & extendere hanc potestatem extra personas ordinis non est conforme multùm intentioni vouentium, & est aggrauare iugum & onus magis respectu illorum, quam aliorum fidelium & facere quòd si ex infirmitate deficiant, maior sit plaga & multiplicetur in peccante malitia, vnde nisi adsit in hac specialis causa, non est censendum Pontificem delegare extra ordinem, vel Legatis, vel Congregationibus authoritatem illam quam habet vt intrinsecum caput religionum.

SVMMARIVM.

1 *Ex vi voti obedientiæ non tenentur Religiosi obedire Protectori.num.50.*

50 Dubitatur quintò, an religiosi ex vi voti teneantur obedire Cardinali Protectori. Sed eadem ratione dicitur non teneri. Eorum enim iurisdictio manat à Pontifice vt à capite totius Ecclesiæ, non verò vt à capite speciali & intrinseco cuiuscumque religionis, vt patet ex rationibus supra adductis de Legatis & Nuncijs *Anton. à Spir. S. d.tr.6.num.34.*

SVMMARIVM.

1 *Ex vi voti obedientia non tenentur Religiosi obedire Collegio Cardinalium Sede vacante.nu.51.*

51 Dubitatur sextò, an religiosi ex voto teneantur obedire Collegio Cardinalium Sede vacante. Affirmat *Donatus d. tract 17.q. 9.* Ex eo, quòd Collegium Cardinalium succedat loco Papæ in Sede vacante. Sed hæc ratio non subsistit, quia nedum Collegium Cardinalium non succedit Papæ in Papali iurisdictione; sed immò illi est expressè prohibitum *cap. vbi periculum de elec.in 6. & Clem.ne Romani eod.tit. & Const.Pij IV. in eligendis* aliquid Papalis iurisdictionis sibi vsurpare, nisi in casibus ibidem expressis; Ideo non est vnde dicatur quod Religiosi ei subdantur vt Papæ ex vi voti. *Anton.à Spir.S.d.disp.6.num.34.*

SVMMARIVM.

1 *Religiosi exempti ex vi voti non tenentur obedire Episcopis.num.52.*

2 *Ad id nec teneri non exemptos quidam dicunt. numer.52.*

3 *Religiosi non exempti ex vi voti subduntur Episcopis. num.53.*

4 *Ita Religiosis non exemptis praeceptum Episcopi praeferendum praecepto Praelati nu.54.*

5 *Religiosi exempti in aliquibus casibus subduntur Episcopis ex lege Ecclesiastica non ex vi voti. num.55.*

6 *Religiosi exempti non possunt excommunicari, nisi in casibus sibi permissis, si habeant priuilegium. num.56.*

52 DVbitatur septimò, an religiosi teneantur ex vi voti obedire Episcopis. In hac verò quæst. vnum primò est certum, scilicet religiosos exemptos non teneri ex vi voti obedire Episcopis, quia ab eius iurisdictione exempti sunt, & positi sub immediata protectione & gubernio Papæ. Vnde huiusmodi Religiosi solùm tenentur obedire Episcopis ex gener. ratione Clericatus, vel Christianitatis in casibus tamẽ specialibus, ad quos eorum iurisdictio erga regulares se extendit, numquam verò tenentur obedire ex voto. Secundo pro certo habetur, quòd vbi Episcopus est alicuius monasterij Prælatus, & religiosi in manibus eius profitentur, sicuti sunt monasteria monialium subditarum Episcopis, tales religiosi aut religiosæ ex voto tenentur Episcopo obedire. *Sanchez l.6.mor. c.1.num.11.* Sed loquendo de alijs religiosis non exemptis ab ordinario aliqui absolutè negant tales religiosos teneri obedire Episcopis ex voto. Ita *Sanchez num.12.& 13.* alij affirmant. *Petrus de Ledesma tom.2. summa tract.10. cap.7. art.2.* & probabile tenet *Suarez tom.3.de relig.l.10.cap.11.num.17.* & idem tenet *Castro Palaus tr.16.d.4.p.2.num.6. Donatus d. trac.17. q.30.* Alij verò distinguunt, quòd vbi Episcopus est qui approbat Religionem, illius religiosi subduntur illi ex voto, quia censetur Episcopus non approbare Religionem pro suo Episcopatu nisi sub conditione, quòd ipse sit eius Prælatus. Sed hodie Episcopi non approbant ampliùs religiones, & ideo religiosi etiam non exempti non tenentur obedire Episcopo ex vi voti.

53 Dicendum mihi videtur præcisa exemptione religiosos omnes manere subiectos Episcopis vt proprijs Prælatis, eisque teneri obedire ex vi voti. Quod probatur primo ex *D. Thom. supra a.5. ad 3.* vbi habet, *quòd subiectio religiosorum principaliter attenditur ad Episcopos, qui comparantur ad eos sicut perfectores ad perfectos, vt patet per Dionysium 6. cap. Eccles. hierarch. ibi enim dicit, quòd monachorum ordo pontificum consummationis virtutibus mancipatur, & diuinis eorum illuminationibus edocetur. Vnde ab Episcoporum obedientia nec eremitæ, nec etiam Prælati Religionum excusantur.* Loquitur enim hic D.Thom. de subiectione quæ conuenit religiosis qua religiosi sunt, & hanc dicit esse principaliter ad Episcopos tanquam ad eos, qui illuminare & dirigere debeant illos; quod probat ex Dion. authoritate. Sed & ratio hoc manifestat. Nam prout supra dicebamus, corpus religionis per se ab intrinseco est pars pulcherima totius corporis Ecclesiæ, vnde totum hoc corpus vt integratum ex subditis, & Prælatis regularibus debet esse subordinatum regimini totius Ecclesiæ, quod regimen est vt tota Ecclesia per Papam & particulares Diœceses per Episcopos regantur, & sic corpus religionis existens in diœcesi per se est subordinatum Episcopo, & ideo Episcopus pertinet ad illam traditionem per quam religiosus se tradit religioni sub ordinato regimine Prælatorum tanquam Prælatus cui totum corpus religionis subordinetur. Et licet posset religiosus intendere se obligare solùm ex vi voti ad obediendum Prælato religioso relinquendo Episcopo authoritatem, quam habet ex officio super totum corpus religionis non exemptæ, stat enim totum corpus remanere subordinatum Episcopi iurisdictioni, & tamen religiosum nolle se subdi ex vi voti, quia votum liberum est, tamen hæc intentio satis irrationabilis esset, nec tam de facili forsan similis religio approbaretur etiam à Papa. Et cum non conueniat religiosum in ijs quæ pertinent ad regimen animæ pacisci & se subdere Prælato regulari nisi vt subordinato regimini Ecclesiæ, meritò censendum est nec Pontificem approbare huiusmodi modos viuendi nisi hæc subordinatio cadat sub pacto, & ex consequenti nisi cadat sub voto, quod Deo promittit huius pacti obseruantiam. Vbi igitur Papa non eximit à iurisdictione Episcopi, manet monasterium sub ordinaria subordinatione ad Episcopum. Quod confirmatur: quia Prælati monasteriorum non exemptorum non habent iurisdictionem nisi ab Episcopo. Nam si habeant aliquam a Papa immediatè independenter ab Episcopo, in hoc aliquam exemptionem habent. Vnde est quòd dato quòd Episcopi in huiusmodi religiosos non haberent potestatem ex voto dominatiuam, non posset illis negari iurisdictio specialis, talis ac similis illi, quam habent Prouinciales in religionibus exemptis, secundùm quam possint dirigere illos in finem perfectionis intentum.

54 Inde habetur, quid dicendum sit, vbi Episcopo vnum his religiosis præcipiente, Prælatus regularis oppositum præcipiat, cui sit obediendum. Quidam enim absolutè distinguunt & dicunt, quòd in illis, quæ pertinent ad Ecclesiasticam disciplinam potius obediendum est Episcopo, sed in illis, quæ pertinent ad vitam regularem potiùs obediẽdum est Abbati, seu Prælato regulari. Ita *Sanchez loco cit.n.13.* referens pro eadem sententia *D.Th.2. d.44.in fine in expos. litteræ ad 3. Durand. ibid. q.5. num 4. Innocent. cap.4.nu.2. de offic. ordin.& ibi Abb. num 4. Siluest. v. obedientia q.8. & q.10. dicto* 2. quam sententiam alij sequuntur. Sed oppositum absolutè docet *Suarez cap. illo 11. num.15.& 16.* Et ita videtur dicendum. Nam nunc moniales non exemptas subijci Episcopo & illi teneri obedire, est manifestum, monachos etiam omnes antiquitus fuisse sub Episcopo constat tum ex verbis Dion. apud D. Thomam loco citato, tum ex S. Hier. epis. 1. ad Eliodorum, *Alia causa est monachi, alia clerici, illi pascunt, ego pascor.* Et Epis. ad Rusticum. *Ecclesia habet cœtum Presbyterorum, sine quorum Consilio nihil monacho agere licet.* Quod maximè intelligitur per respectum ad monachos, cum clerici in monachos non haberent facultatem nisi datam ab Episcopo, vt habetur ex Concil. Calced. cap.8. Vnde Hier. circa finem illius Epis. inquit. *Habes istic sanctum, doctissimumque Pontificem Proculum, qui viua & præsenti voce nostras schedulas superat,*

quo-

quotidianisque tractatibus iter tuum dirigat. Vnde patet tunc monachos vixisse sub Episcoporum disciplina. Quod habetur etiam *cap. Abbates.& cap. monast.18.q.2.* Immò quòd veluti Generales ad professionem eos admitterent, vel reicerent habetur *cap,qui verè.16.q.1.cap.viduitatis 27.q.1.& c. Abbates.18. q.2. Glos. ver.si Prælati in cap.quanto de offic. ordin. Abba.in cap. porrectum, de regular.Sylvester v. religio 3.num.4.Nauar. cap.non dicatis 12. q.1.n.63. Rodriq.qq.regul. tom. 2.q.63. a.1.* Vnde quòd monachorum cœnobia antiquitus fuerint subiecta administrationi Episcopi, quàmplores tradideruot,quos refert, & sequitur *Barbosa de off. Epis. alleg.105. num.1.* Vbi ergo Pontifex non præoccupet, & eximat aliquem religiosum ab Episcopi iurisdictione, remanet subditos Episcopo etiam quantùm ad regulares obseruantias; ideo absolutè præferendum est præceptum Episcopi, & illi obediendum non Abbati, si Abbas contraria Episcopo præcipiat. Nec contrarium sensit D.Thom. citatus*, ibi enim loquitur de Abbate & religiosis exemptis, quos constat non esse subiectos Episcopis nisi in aliquibus spectantibus ad Ecclesiasticam disciplinam.

55 Qui autem sint casus in quibus Religiosi exempti subduntur iurisdictioni Episcopi numerat *Barbos.loco citat.de off. Epis.allegat.105.* Et quia circa ea plura dicenda essent, quæ sunt aliena à nostra quæstione, sufficiat nobis nunc, religiosos exemptos non teneri vel in minimo obedire Episcopis ex voto obedientiæ, quia ab eorum iurisdictione sub immediata cura Sedis Apostolicæ exempti sunt. In pertinentibus autem ad Ecclesiasticam disciplinam quantùm ad illos casus in quibus Regulares etiam iurisdictioni subduntur tenentur obedire ex lege Ecclesiastica non ex pacto.

56 Hoc verum etiam aduertendum, quòd licet Episcopus in illis casibus in quibus religiosi exempti subduntur iurisdictioni eius, si contrafaciant possit eos punire, & censuris compellere ad obediendum, hoc tamen non procedit respectu eorum religiosorum, qui habent priuilegium vt non possint excommunicari, suspendi, & interdicto ligari, quale priuilegium habent omnes mendicantes, vt tradunt *Sanchez l.7. de matrim. d.33. num.23. & lib.6. mor. cap. p. v. Lauret. de Franchis quæst.7. Marcel. Vulpe in praxi iud.fori Eccles.c.42. num.26. Quaranta in sum. Bul.verb.præcedentia.vers.an in casu.Lezana tom.1.c.11.nu.14. Barbosa dicta alleg.105. num.13.* Vbi tamen datur Episcopis specialis facultas vt possit censuris adstringere etiam mendicantes & priuilegiatos, qualis facultas conceditur in aliquibus casibus a Concilio Tridentino, & à Greg. XV.in Constitut. *Inscrutabili* possunt ea facultate vti.

SVMMARIVM.

1 *Ex vi voti Religiosi tenentur obedire Generali, Prouinciali, & Prælato locali.num.57.*

57 Dubitatur octauò quibus Prælatis vel superioribus teneantur religiosi obedire ex vi voti obedientiæ. Respondetur nedùm teneri ad obediendum Generali, & Prouinciali sed superiori locali, siue is sit Abbas, siue Prior, siue Guardianus, siue Præpositus siue Rector, siue quocumque alio titulo nuncupetur, dummodo sit superior Conuentus, qui non sit membrum alterius Conuentus, nam superior in Grancia non est superior localis absolutus, sed substitutus sub superiore principalis Conuentus. Cæterùm huiusmodi superiores locales sunt ordinarij monasteriorum, & habent facultatem præcipiendi subditis in virtute Sanctæ obedientiæ quam etiam possunt alteri delegare. Ita *Suarez dict. cap.11. num.18. Sanchez dict. cap.p. nu.8. Palaus d.disp.4.p.2.num.1 Anton.à Spir. Sancto d.disp.6.num.24.Donatus d.tract.17. quæst.15. Tambur. de iure Abbatum tom.2. disp.21.quæst.4.* Et ratio est quia cum Generalis, & Prouincialis sint à pluribus & maiori parte monasteriorum & domorum absentes, bonum regimen religionis requirit vt in quolibet Conuentu detur superior; qui tanquam ordinarius possit præcipere subditis in virtute obedientiæ, eique subditi ex vi voti obedire teneantur. Et ita hoc confirmat etiam omnium religionum praxis. Quàmuis huiusmodi immediati superiores locorum iuxta statuta & vsum diuersarum religionum maiorem, vel minorem facultatem habeant, & in multis casibus se solis agere non possint, sed de consilio plurium.

SVMMARIVM.

1 *Officialibus inferioribus Prælato locali non esse obediendum ex voto, aliqui sentiunt.num.58.*
2 *Ex vi voti obediendum est officialibus Conuentuum.num. 59.*
3 *Officiales isti regulariter non possunt in virtute S. obedientiæ. num.60.*
4 *Habent tamen potestatem spiritualem.nu.60.*
5 *Superiores tenentes locum Ordinarij in absentia possunt præcipere in virtute sanctæ obedientiæ. num.61.*
6 *Isti non ex potestate politica, sed ex vi voti possunt præcipere.num.62.*
7 *Reijcitur distinctio de potestate patria, & Abbatiali.num.63.*
8 *In Superioribus Religiosis non est alia potestas, quam illa, quam habent ex vi voti, vel iurisdictionis ex Pontifice.num.63.*

58 Dubitatur nono an votum obedientiæ se extendat ad officiales Conuentus superiore locali inferiores, vt ad suppriorem, Vicarium Conuentus, præfectum chori, seu Cantorem, & alios similes officiales. Respondent *Suarez d.lib.10. cap.11. num.19.* & alij votum obedientiæ de iure communi & ordinario non respicere huiusmodi officiales eosque non habere authoritatem præcipiendi in virtute sanctæ obedientiæ; Et nihilominus eos posse ordinarie simpliciter & præcipere absque propria obligatione in conscientia, non tamen directè imponendo hanc obligationem In virtute voti, vnde virtus obedientiæ inclinat ad obediendum etiam istis officialibus. Hoc verò ita aliqui explicant, vt dicant his officialibus esse obediendum etiam sub mortali si res præcepta sit grauis & ij sufficienter declarent se velle obligare sub mortali, Quia licet huiusmodi officiales non habeant potestatem spiritualem in religiosos, habent tamen temporalem, & domesticam, seu politicam qualem habent Patres familias in totam familiam, ma-

gistri

gistri in discipulos, & Domini in seruos, quæ au-toritas sine dubio sufficit ad obligandum sub mortali. *Donat. d.q 36.*

59 Verùm hoc vltimo dictum non potest admitti, & resolutio principalis videtur satis ambigua & æquiuoca. Nam primò aliud est quòd isti officiales non possint subditis præcipere in virtute sanctæ obedientiæ, seu præcepto obligante sub mortali, aliud est quòd votum obedientiæ non respiciat huiusmodi officiales vt eos quibus ex vi voti sit obediendum. Nam hoc secundum habet instantiam manifestam, tantùm enim se extendit votum obedientiæ, quantùm se extendit pactum initum inter religiosum & religionem, quia per votum huius pacti obseruantia & custodia Deo promittitur, sed hoc pactum ad omnes quocunque modo superiores se extendit, quia ad totam regulam se extendit, & in regula continetur, quòd deutur huiusmodi officiales sub immediato Prælato seu superiore locali: Votum igitur se extendit etiam ad huiusmodi officiales, vt quibus est obediendum non tanquam principalibus superioribus sed tanquam ministris, & non tanquam ordinarijs, sed tanquam delegatis. Quod confirmatur: Nam si huiusmodi sunt terminus virtutis obedientiæ quæ est secundùm regulam, non possunt non esse suo modo terminus voti; Quia votum promittit obedientiam secundùm regulam. Nec obstat, quòd si isti præcipiant non obligant ad mortale; quia hoc dato, certum quoque esse debet votum obedientiæ non obligare ad culpam mortalem respectu totius materiæ remotæ ad quam se extendit, immò aliquando ad nullam culpam obligat respectu scilicet eorum in quibus regula non obligat ad culpam. Votum igitur obedientiæ respicit quoscumque officiales religionis, sed vt principales & ordinarios respicit solos Generalem, Prouincialem, Capitulum Generale, Capitulum Prouinciale, & alia huiusmodi vel capitula, vel diætas, vel quocumque nomine appellentur, & insuper immediatum superiorem localem, cæteros verò officiales respicit vt ministros & delegatos, & non propriè vt præceptores, & directores, sed vt executores præceptorum superiorum.

60 Et nihilominùs verum est quòd iure communi & ordinario & præscindendo à speciali statuto alicuius religionis, vel a particulari authoritate eis delegata à superiore locali, aut alijs superioribus isti officiales non possunt præcipere in virtute Spiritus Sancti, & obligare ad mortale. Hoc enim est munus superioris ordinarij, & iure merito institutum est, vt in vna domo vnus solus sit superior ordinarius, qui regere, & præcipere possit, nec multiplicentur præcepta in immensum, & ordo præcipiendi non confundatur. Vnde nec verū est, quòd isti officiales possint obligare ad mortale, nec exemplum de Patre aut Matre familias, aut Magistro, aut Domino est ad rem. Tum primò quia illi sunt principales in eorum genere, isti verò officiales ministri sunt, & instrumenta. Tum secundò quia licet adhuc falsum sit quòd huiusmodi officiales non habeant potestatem spiritualem, nam lectores ex officio sacras literas docent, & Cantores dirigunt in Psalmodia, & cantu sacro, & supptiores aut Vicarij, curam habent multarum rerum ad diuinum cultum spectantium; sed nihilominùs non possunt obligare ad mortale, quia non habent nisi illam facultatem, quam sibi tradit superior localis, qui ordinariè tantam facultatem non delegat. Et licet verum sit posse subditos peccare mortaliter non obediendo huiusmodi officialibus, hoc non est ex vi præcepti illorum, sed vi alicuius alterius legis, & præcepti superiorum. Vt si quis ex contemptu nolit eis obedire, vel si sit aliqua lex specialis obligans sub mortali ad faciendum, quod officialis petit, vel si officialis ex speciali delegatione habeat facultatem præcipiendi.

61 Considerandum est etiam, quòd suppriores aut Vicarij locorum in absentia superioris sunt tanquam ordinarij: quod verum est non solum in vacantia officij superioris localis, sed quando superior localis recedit à monasterio. Tunc enim vel delegatus specialiter ab eo, vel cui de iure competit est tanquam ordinarius, & potest præcipere obligando in virtute sanctæ obedientiæ sub mortale. Et *Naldus v. abesse num. 11. & Anton. à Spir. Sancto d. disp. 6. num. 24* & censent, quod absentia superioris a domo vltra vnum diem naturalem sufficiat ad hoc vt eius vices gerens censeri possit tanquam ordinarius. Sed in hoc attendi debent statuta ordinum, & eorum vsus.

62 Caramuel autem in regulam S. Bened. disput. 52. num. 739. arbitratur, si Abbas discedens à monasterio nullam nouam authoritatem concedat Priori, quòd nihilominùs Prior remanet caput monasterij, & quòd potest imponere præcepta ad politicam gubernationem domus, quæ poneret Paterfamilias secularis, & poterit imponere præcepta, quæ obligabunt ad culpam, sed præceptorum transgressor non erit sacrilegus contra votum, sed peccabit contra quartum præceptum decalogi. Sed hæc doctrina deficit à veritate: Tum quia votum obedientiæ obligat ad obediendum Prælato habente locum ordinarij, & tunc ille Prior habet locum ordinarij. Tum quia ex quo Prior remanet Caput Communitatis Religiosæ, oritur quoque in communitate debitum obediendi illi vt tali capiti; At verò votum obedientiæ illud est, ex quo etiam oritur obligatio obediendi capiti communitatis. Sic ergo hic primò consideratur pactum humanum initum inter Religiosum & Prælatum, quod est de obediendo illi Prælato qui in Conuentu habebit locum Capitis, & ex hoc oritur in Prælato potestas dominatiua, quæ tamen neque est corporalis, sed religiosa, quia est de vita in Dei cultum religiosè habenda. Sed votum huius pacti obligationem consecrat, & ideo etiam ex voto tenetur Religiosus obedire ei qui munus Capitis gerit in monasterio.

63 Hinc etiam obiter reijcienda est distinctio ista de duplici hac potestate patria, & Abbatiali, quam idem *Caram. num. 753.* ponit in Abbate, volens quòd prima non sit ex voto, & quòd illi resistere non sit contra votum, & per illam non possint præcipi, nisi quæ spectant ad politicam gubernationem domus, & si enim communiter DD. in superiore Religioso admittant hanc patriam authoritatem distinctam à potestate iurisdictionis; bene tamen dicunt hanc iurisdictionis potestatem illam esse, quam superior non habet ex vi voti nisi occasionaliter, sed eam habet a summo Pontifice. Sed patria potestas illi conuenit ex vi voti. Nam commu-

communitas Religiosa non est duæ communitates speciei distinctæ, vt sic superior debeat habere duas potestates, iuxta duas communitates; sed est vna specie communitas religiosa ex illis conflata, qui se sponte dant communitati in filios & seruos religiosos; ideo communitas ista, eiusque superior non habet aliam authoritatem in quantùm est cõmunitas, nisi authoritatem eeliginsam ortam ex vi promissionis sibi factæ & voto confirmatæ, quatenus scilicet quilibet de communitate ex vi professionis se tradit in filium seu seruum Religiosum, præterquam nulla alia est necessaria patria, vel dominatiua potestas, sed solùm ad bonum regimen est necessaria potestas iurisdictionis coercitiua inobedientium per censuras & pœnas.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi non tenentur, nec possunt obedire Prælato excommunicato non tolerato. nu. 64.*
2 *Secus tolerato. num. 65.*

64 Dubitatur decimò, an subditus teneatur obedire Prælato excommunicato? Respondetur, excommunicato denunciato subditum nec teneri, nec licere obedire, quia & est priuatus omni iurisdictione, & debet vitari. *Lezana t. 1. cap. 4. num. 38. & p. 3. v. excommunicatio num. 35. Donatus d. tract. 17. quæst. 31. Anton. à Spir. Sancto par. 2. distr. tract. 6. num. 41.* Et idem dicitur de percussore Clerici adeo notorio vt nulla possit tergiuersatione celari. Nam cum huiusmodi excommunicatis nec licet communicare, vnde multò magis non licet eis obedire, recognoscendo in illis potestatem iurisdictionis. *cap. nuper, & cap. si aliquando de sent. excom.* Sed vbi excommunicati sunt tolerati, seu extra illos duos casus, etiam si excommunicatio aliàs sit publica, non licet eis obedientiam negare, *Megal. 3. p. lib. 2. cap. 5. q. 4. num. 50. cui fauet Diana p. 5. tr. 9. resol. 127. & DD. supr. citat.* Non licet enim subditis procedere de facto priuando superiores iurisdictione, sed hoc est officium iudicis. Nihilominùs, quòd in subditis sit potestas non obediendi Prælato excommunicato, sed quòd secundùm ius antiquum subditus possit illum vitare vel priuatim si priuatim, vel publicè, si est publicus excommunicatus, & hoc, quia extrauagans *ad euitanda* data fuit ad fauorem innocentium, vt non tenerentur vitare excommunicatum toleratum, non quia illum non possent vitare, si vellent: & quia licet excommunicatus toleratus habeat iurisdictionem, ipse tamen ea non potest vti licitè, & in ea remanet, vt eius vsus sit voluntarius sub conditione, scilicet si subditi innocentes eum vitare nolint, sed sint contenti ei subijci, tenuit *Suarez de censur. disp. 15. sec. 7. num. 3.* Sed prior sententia rationabilior est, & in proposito ex quo subditi non tenentur vitare Prælatum excommunicatum toleratum, sequitur quod nec possint illud vitare, vt non illi obediant. Quia ex quo Ecclesia tolerat in eo iurisdictionem, & illius vsum, ne oriantur confusio, & partialitas, & dissensio, & tumultus & scandala, vt facile contingeret, si alij ex subditis nollent, & alij vellent Prælatum vitare, exigentia boni communis cui prospicere voluit Martinus quintus in extrauaganti *ad euitanda* requirit, vt non liceat subditis priuare de facto Prælatum in sua iurisdictione toleratum vsu suæ iurisdictionis, sed quòd ei teneantur obedire.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi Prælato accusato tenentur obedire. num. 66.*
2 *Non tamen potest ille impedire ne accusationem prosequantur. num. 66.*

66 Dubitatur vndecimò, an subditi teneantur obedire Prælato ab eis legitimè accusato & lite pendente? Et Respondetur teneri, ex *cap. Nonne 8. q. 4. Sanchez l. 6. mor. c. 2. n. 64. & cap. 15. nu. 31. ex Abbate, & Felino in cap. ex parte de accusat.* vbi etiam monet Glossam, quæ videtur sentire oppositum intelligi debere, vt subditus non teneatur desistere ab accusatione; non verò vt in reliquis non teneatur obedire. Et ratio est, quia Prælatus accusatus non est officio priuatus, nec ab eo suspensus. *Anton. à Spir. Sancto vbi sup. n. 31. 35. Peyr. in subd. q. 1. cap. 28. §. 8. fin.* Bene autem aduertit *Tamburin. tom. 2. de iure Abb. disp. 51. q. 13. post Panorm. in dictum cap. ex parte num. 4. Felin. num. 1. Gloss. 2. obedire. Surd. de alim. tit. 1. q. 157. num. 5. Sanchez in Decal. lib. 6. c. 2. in fin.* quòd superior à subdito accusatus, non potest pendente causa inchoare contra subditum processum, per quem accusationis contra superiorem factæ prosecutio possit impediri, *cap. olim de accusat.*

SVMMARIVM.

1 *Prælato dubio, sed in possessione existenti est obediendum. num. 67.*
2 *Potest impediri eius possessio. num. 67.*
3 *Prælato deposito obediendum donec non constet de depositione. num. 68.*

67 Dubitatur duodecimò, an subditi teneantur obedire Prælato occultè nulliter electo ob defectum irritantem electionem? Respondetur eos teneri si sit à legitimo superiore confirmatus. *Anton. à Spir. Sancto num. 37.* Tum quia tunc intrat dispositio *l. Barbatius ff. de off. Prætoris*, habet enim titulum coloratum cum errore communi, vnde Ecclesia supplet eius iurisdictionem per ea quæ latè probat *Sanchez l. 3. de matrim. d. 22.* Tum quia confirmans dat virtute confirmationis tantam iurisdictionem quanta sufficit ad gubernium monasterij, quamuis hæc iurisdictio infirma sit, & non stabilis, vnde si probetur nullitas electionis Prælatus sit absoluendus, nisi ob eam nullitatem electio deuolura fuisset ad Confirmatorem, qui in literis confirmationis posuisset clausulam, *& quatenus opus sit instituimus*. Nam in hoc casu Prælatus esset legitimè talis si non vigore electionis, vigore institutionis. Tum quia electio quæ habet requisita de iure naturali est valida in foro conscientiæ, donec vel declaretur nulla, vel cassetur. Sed distinguendum est etiam inter superiorem, qui semel accepit possessionem Prælaturæ, & qui eam nondum accepit, Nam Conuentus eum, quem scit nulliter electum non tenetur primò recipere & ei possessionem Prælaturæ concedere. Et si confirmata fuerit electio

ctio poteſt à confirmatione appellare, & interim poſſeſſionem negare. *Sanchez l.6. in Decal. cap.3. num.29.& 30.Peyr.in ſubd.q.1. cap.7.dic.5. Anton.à Spir. Sancto vbi ſup.*

68 Ex hoc verò colligitur, eſſe etiam obediendum Prælato malitiosè occultanti ſuam depoſitionem, donec illa legitimè & ſufficienter notificetur. Quia ſemper habet titulum coloratum cum errore communi, & ſic Eccleſia eius ſupplet iuriſdictionem.

SVMMARIVM.

1 *Prælato de quo conſtat incurriſſe priuationem officij ante declaratoriam criminis debetur obedientia.num.69.& 70.*

69 DVbitatur decimotertio, an conſtito, Prælatum comiſiſſe delictum pro quo ipſo facto incurrit pœnam abſolutionis ab offitio, vt v. g. quia in tempore ſtatuto non fecit legere decretum de celebratione Miſſarum ſubditi poſſint ab eius obedientia diſcedere? Reſpondetur verùm eſſe eam ſententiam quæ docet, legem pœnalem, ſub pœna, quæ non ſit cenſura etiam ſi in lege ſtatuatur pœnam ipſo facto incurrendam eſſe abſque vlla declaratione, non priuare poſſeſſione ante ſententiam declaratoriam. Quod latè probaui in tractatu de elect. cap.9.& in terminis præter ibi citatos tenet *Anton.à Spir Sancto par.2.Direct.tract.3. cap.6.nu.42.* Et hæc eſt praxis, & conſuetudo optima legum interpres, vt nullus ſe priuet officio ſuo, vel re quam poſſidet in vi legis pœnalis, niſi priùs feratur ſaltem ſententia declaratoria criminis. Et ideo hac ſententia retenta, non poſſunt ſubditi negare obedientiam Prælatu in vim legis pœnalis nōdum ſaltem per ſententiam declaratoriam criminis, ant delicti officio priuato, quia iuxta hanc ſententiam Prælatus adhuc durat, & non eſt officio priuatus, ſed priuandus. Sed dubium eſt, vbi ſubditus velit ſequi oppoſitam ſententiam, & ſuſtinere, quòd vbi in lege dicitur quòd pœna abſolutionis ab officio incurratur ipſo facto abſque alia declaratione, poſſit habere Prælatum pro abſoluto, & negare illi obedientiam. Videri enim poteſt tunc Prælato cedēdum eſſe, nec ſubditos teneri obedire in rigore iuris, niſi obſtet ſcandalum, & nimia perturbatio monaſterij, quàmuis addant aliqui ſe non excuſatutos talem ſubditum à peccato mortali, quia huiuſmodi repulſio videtur eſſe non ſolùm contra charitatem, ſed etiam contra reuerentiam debitam ſuperiori, & contra perfectionem obedientiæ.

70 Verum dicendum eſt abſolutè, ſubditos non poſſe in hoc caſu negare obedientiam Prælato abque iudicis ſententia, & declaratione. Quia Prælatus iure, & titulo iuſto ſe tuetur, & defendit in ſui poſſeſſione nedum propter probabilitatem ſententiæ, quæ docet illum non eſſe priuatum ſuo officio, niſi intercedat ſententia iudicis ſaltem declaratoria delicti, ſed ex praxi, & conſuetudine, quæ habet fundamentum in actione ſuperiorum ad quos ſpectat ſententia, vel remiſſio pœnæ incurſæ. Nam ſi exiſtimarent Prælatum eſſe ipſo facto verè priuatum, non ſufficeret eum abſolui à pœna, ſed neceſſe eſſet eum de nouo inſtituere in Prælatum, quia ſi fuiſſet priuatus, deberet iterum inſtitui, quod ſæpiùs ſaltem de potentia ordinaria non poſſet fieri, vbi Prælatura eſt electiua, quia ſtatim ac Prælatus eſt priuatus officio ius prouidendi de nouo Prælato pertinet ad electores, qui non poſſunt abſque iuſta cauſa ſuo iure priuari. Cum verò Congregatio, quæ ſæpius remittit Prælatis huiuſmodi pœna ſolùm pœnam cōdonet, nec contra ius electorum de nouo Prælatos inſtituat, ex hoc manifeſtum eſt, ipſam quoque cenſere legem illam, & ſimiles non habere locum, ſine iudicis ſententia. Ideo Prælatus, qui in pœnam talem incidit ante ſententiam ſaltem declaratoriam delicti, iuſtè ſuam poſſeſſionem defendere poteſt; At verò nec latro priuari poteſt de facto ſua poſſeſſione, ſi habet ius tuendi illam. Nec aliquis dicat, quòd vbi ita ſit probabile aliquid eſſe Petri, quod ſimul probabile eſt eſſe Pauli poſſidentis illud, quòd poſſit Petrus ſine ope iudicis de facto priuare Paulum ſua poſſeſſione ab eoque rem illam auferre ſalua iuſtitia; id enim negatur, quia iuſtitia vult quòd potior ſit ratio poſſidentis. Cum ergo Prælatus ſit in poſſeſſione Prælaturæ, & non ſit certum illum ob delictū eſſe priuatum officio independenter ab aliqua iudicis ſententia, ſed immò nedum ratio, ſed conſuetudo, quam approbant etiam ſuperiores ſit, vt non cenſeatur priuatus niſi adſit ſententia ſaltem delicti declaratoria, non poteſt de facto priuari, & ſpoliari officio, ſed hoc eſt contra iuſtitiam poſſidentis. Sed hanc reſolutionem comprobauit Sacra Congreg. Epiſcoporum, & Regular. minimèque licere ſubditis Prælatum, qui incurrit pœnam priuationis officij ipſo facto expellere ante ſententiā, dixit 5. Octob. 1646. & 26. Nouemb. 1649. teſte *Nicolio in Floſculis v. pœna, num. 14.* Cæterum ſi alias ſubditi haberent ius ad priuandum, & ſpoliandum Prælatum ſuo officio negando illi obedientiam, vbi Prælatura eſſet electiua, poſſent etiam ſtatim ibi eligere nouum Prælatum, quod eſt contra omnem praxim. Et aliàs parum valeret titulus charitatis, & multò minùs titulus reuerentiæ in Prælatum, vel perfectæ obedientiæ, quia qui tuetur ius ſuum, & non debet Prælato, vel reuerentiam, vel obedientiam nihil peccat obedientiam negando; & nec de facili poſſet inrrare obligatio charitatis, quia ſcandalum eſſet paſſiuum, ſi ſubditus haberet ius non obediendi, & quia vtteretur iure ſuo alij vellent ſcandalizari.

SVMMARIVM.

1 *Pendente appellatione non eſt neceſſitas obediendi in cauſa pro qua eſt appellatum.nu.71.*

2 *Qui appellarunt à confirmatione non tenentur recipere Prælatum.num.71.*

71 DVbitatur decimoquartò, an ſubditi teneantur obedire Prælato appellatione pendente, quam contra illum intentarunt? Reſpondetur, non eſſe dubium ſubditos teneri obedire Prælato, præterquàm in ea cauſa pro qua appellarunt, ſi illa appellatio eſt talia, quæ ſuſpendat iuriſdictionem iudicis à quo eſt appellatum. Quod non tam facile inuenitur in Regularibus, quibus eſt prohi-

prohibitum appellare; ficut reperitur in alijs, vt tradit *Sanchez l.3.Canfil. cap.vnic.d.32. num.24. ex cap.dilecti, & cap.ad audientiam de appellat. Anton. à Spir.Sancto d.disp.6. num 37.* cum appellatio eximat appellãtem à iurisdictione iudicis à quo appellatum est, sed tamen solùm quantùm ad illam causam pro qua est appellatum. Immò Iudex non potest ad vlteriora procedere etiam ante appellationem intra terminum à lege concessum ad appellandum. *cap.non solùm, de appel.in 6.& l.vn.ff.nil. non. appellat.&c.* Sed difficultas est, vbi causa pro qua appellatur est subsistentia ipsius officij Prælati. Vt quando Conuentus appellat à confirmatione, vel institutione Prælati. Et quidem si totus Conuentus aut capitulum appellat, nec recipit Prælatum institutum aut confirmatum, non est dubium subditos non teneri ad recipiendum talem Prælatum, nec ad obediendum Prælato confirmanti, aut instituenti. Sed vbi Prælatus confirmatus, vel institutus recipitur ab aliqua parte Conuentus, aut domus, & sic Prælatus habet pro se nedum ius confirmatoris, seu institutoris, sed etiam possessionem sui officij, tenentur ne alij subditi appellantes etiam à possessione malè accepta obedire tali Prælato? Hic casus sæpius contingit, & expertus sum religiosos timentes Deum obedire cum protestatione & saluo iure appellationis. In iuris tamen rigore qui à confirmatione electionis legitimè appellarunt, non tenentur recipere electum, & confirmatum. Quin immò nec confirmatus pendente appellatione potest possessionem inuitis electoribus, vel interesse habentibus recipere, & si accipit attentat. *Io. Andr.in cap.auaritia de elect.in 6.& ibi Dom.n.7. Franc. num.5. Garz. de benef.p.9. cap.4.num.17. & apud eum Rata Lancellot.p.2.cap.12. limit.49.* Et ratio naturalis id dictat, quia subditus qui est in possessione suæ libertatis non debet pendente lite & appellatione inuitus ea priuari; non ergo tenetur recipere superiorem de quo non constat eum esse legitimum, sed sub iudice lis est. *Sanchez l.6. in Decal.cap.3.num.30.*

SVMMARIVM.

1 *Vbi plurium superiorum præcepta sint contraria, obediendum maiori. n.72.73.*

2 *Nisi vel minor possit dispensare in præcepto maioris, vel maioris præceptum sit iniustum. numer.73.*

72 DVbitatur decimoquinto in casu contrarietatis præceptorum an Prælato inferiori, vel potiùs superiori sit obediendum. Sed esse Prælato superiori obediendum bene probant *Suarez tom.3.de relig l.10.c.11.num.7. Palans tr.16.disp.4.p.2.num.1. Donatus tom.3.trac.17.q.15. & 24. Anton.à Spir.Sancto p.2.direct.disp.6.num.34.44.45.* Et ratio est manifesta: Quia inferioris Prælati potestas tam iurisdictionis, quàm dominatiua est dependens à potestate superioris, ita vt etiam sine causa possit Prælatus superior authoritatem inferioris validè limitare. Etenim ordo requirit vt in vna communitate non sint plures superiores non subordinati, nec intentio profitentium religionem est, se subijcere pluribus superioribus, sed vni seu pluribus subordinatis, & in vno ordine constitutis, & ita vt tandem in vno summa authoritas resideat iuxta modum in quacumque religione statutum. Ideo authoritas inferioris Prælati vt subordinata authoritati superioris ab ea dependet, nec eius præceptum tenet contra superioris voluntatem, immò iam est de re illicita, & contra ordinis statuta aut leges, quæ volunt maioris Prælati legem præferendam esse.

73 Duplici tamen limitatione hoc restringitur. Prima est, si inter præcepta sit vera contrarietas. Quia vbi Prælatus inferior potest in superioris lege dispensare vel eam interpretari vt in aliquo casu non obliget, potest Prælatus inferior præcipere apparenter contra legem superioris, & eius præceptum tenet, quia non est contrarium præcepto superioris, quod in eo casu non obligat. *Anton. à Spir.Sancto vbi sup.num.47.* secunda est, si ex legibus ordinis aliqua facultas tribuitur inferiori Prælato irreuocabiliter, & immutabiliter, ita vt superior Prælatus eam non possit vel tollere, vel impedire; in eo enim casu Prælato inferiori est obediendum, quia superioris præceptum est nullum, & de re illicita. Sed addi forsan possit tertia limitatio, vt Minori Prælato obediendum sit, vbi constet eius præceptum esse de re licita, & dubitatur de præcepto maioris. Sed limitatio admitti non debet quia vbi non constet de iniustitia præcepti maioris superioris, illud præsumendum est iustum, & tale cui & subditus cui præcipitur, & superior inferior, qui oppositum præcipit, stare debeant.

SVMMARIVM.

1 *Vbi superiores non sunt subordinati præferri debet quilibet in sua sphera. num.74.*

2 *Nullus eorum potest præcipere in præiudicium iuris alterius. n.74.*

74 DVbitatur decimosextò in casu in quo religiosus subdatur pluribus superioribus non subordinatis, & contraria præcipientibus, cui obedire teneatur, vt si religiosus sit filius familias vel seruus, an in casu contrarietatis præceptorum obedire teneatur potiùs Patri, aut Domino, quàm superiori. Vbi sint plures superiores non subordinati, putat *Donatus d.trac.17.q.24.* quòd sit obediendum præcipienti melius, vel ei qui priùs præcepit, vel cæteris paribus ei, cui subditus voluerit. Idem habet *Lezana d.cap.4.num.21.ex Pryr. tom.1.q.1 c.7.* ex doctrina autem *D.Th.2.d.44. dub. vlt.* circa literam, quem sequuntur *Syluest. v. obedientia q.10. Angelus num.10.& vrr. religiosus nu.31.* datur hæc regula, vt vnusquisque superior semper præferatur in illis, quæ pertinent ad suam sphæram. Ideo si præceptum regularis Prælati sit contra ius alterius superioris, præceptum non tenet, votum enim obedientiæ non est iniustum vt obliget cum iniuria & iniustitia legitimi possidentis. Et ideo plùs quidem obediendum Prælato, quàm Patri, quia ius paternum cessat ex ingressu filij in religionem. Et vbi filius religiosus in casu necessitatis teneatur succurrere Patri, hoc non est ex Patris præcepto, sed ex lege naturali. Sed vbi possit reperiri religiosus, qui sit seruus, in ijs, in quibus subditur domino potiùs domino quàm Prælato obedire debet; Quia ius domini prius est, nec in

eius præiudicium obligat votum obedientiæ. Ita ex hac ratione in illis, in quibus religiosi manent subditi Episcopo, potiùs Episcopo est obediendum, Vbi ergo obedientia inuenit ius alterius superioris & illud non tollit legitimè, in ijs in quibus religiosus ex eo iure subijcitur alteri superiori præceptum talis superioris est præferendum.

SVMMARIVM.

1 *Cui secundum aliquos teneantur obedire hospites. num.75.*
2 *Hospites Religiosi non sunt vagi, sed subduntur Prælato Conuentus in quo reperiuntur. numer.76.*
3 *Potius tamen Prælato sui Conuentus obedire tenentur. nu.77.*
4 *Hospites Religiosi subduntur legibus Conuentuum in quibus reperiuntur, num.78.*

75 DVbitatur decimoseptimo cui teneatur obedire religiosus peregrinus aut hospes, dum non est in monasterio suæ assignationis, sed extra illud vel degens in alio monasterio tanquam hospes, ob negotia vel transiens de monasterio prioris assignationis ad aliud. Certum est in hoc seruandas esse cuiuscumque ordinis leges, vbi verò nõ sit lex specialis decernens religiosos teneri obedire Prælato illius Conuentus in quo reperiuntur etiam tanquam hospites, quidam quos sequitur *Anton. à Spir. Sancto vbi sup. num. 48.* censent huiusmodi habendos esse tanquam vagos, nec subiacere legibus locorum per quę transeunt, sed manere subiectos superioribus mediatis, atque interim non esse subiectos alicui Prælato immediato nisi sint Conuentuales alicuius Conuentus á quo non fuerunt remoti, licet extra illum maneant de licentia superioris, quia isti non subduntur Prælato domus a qua fuerunt remoti, neque Prælato domus ad quam sunt de nouo assignati, quia nondum ad illã peruenerunt, quia subiectio non acquiritur nisi per actualem constitutionem domicilij.

76 Verum hæc deficiunt; quia ratio suadet non esse eandem rationem de secularibus ac religiosis in huiusmodi, & non conuenire religionis ordini ac decori, vt religiosi censendi sint homines vagi, & quòd monasteria seu domus teneantur recipere & alere religiosos hospites, & illi non sint subiecti superiori eiusdem. Ideo bene verum est, quòd in illis in quibus hospites habent facultatem a maiori superiore vel explicitam, vel ex vi licentiæ itinerandi, vel assignationis ad aliam domum non possunt à superiore locali domus, in qua sunt hospites prohiberi. Vnde non possunt compelli, ne iter prosequantur iuxta facultatem sibi à superiore concessam, nisi vbi superior localis possit interpretari mentem superioris maioris ob causas rationabiles esse, quòd religiosus iter non continuet. Verùm circa ea quæ itineri non repugnant, & sunt secundùm regulam, nec sunt contraria illis, quæ ex lege vel a superiore maiore hospitibus concessa sunt, ipsi hospites superiori domus in qua manent hospites subduntur, et si in eo contra statuta ordinis delinquant puniri possunt. Quod magis verum est de hospitibus, qui per multum tempus commorantur in alieno Conuentu: esset enim valde indecens hos superiori locali non subdi, & eos ali á superiore cui non essent subiecti, & eosdem viuere posse liberè, non existente, qui eos corrigere & frænare posset, ne malè viuerent.

77 Antonius autem à Spir. Sancto existimat quòd in casu, quod Prælatus domus hospitij præcipiat aliquid contrarium ei, quod præcepit Prælatus domus domicilij seu assignationis teneatur obedire domino domus hospitij quia iste ratione actualis subiectionis præemineat, sed hæc resolutio fundatur in principio illo falso, quòd scilicet Religiosus acquirat tanquam secularis vel perdat domicilium ad libitum, & se possit ex libertate huic, vel illi subijcere; cum tamen non nisi ex dispositione superiorum habeat domicilium & subiectionem ad hunc vel illum immediatum superiorem. Nec hospes amisit subiectionem ad Prælatum domus suę assignationis, sed per se & independentius est illi subiectus, & illi debet obedire potiùs, quàm Prælato hospitij nisi vel Prælatus hospitij possit dispensare in præcepto Prælati alterius loci, vel adsit lex specialis in Conuentu hospitij necessariò seruanda, vel ex quacumque alia causa tollatur præcepti contrarietas.

78 An verò hospes teneatur specialibus præceptis statutis & legibus eius Conuentus in quo hospitatur. Negat *Lezana d.c.4.num.22.* & cum *Suarez tom.4.de Relig.lib.2.c.8. num.23.* dicat hospitem legibus huiusmodi Conuentuum ligari, id *Lezana ex Rodriq.tom.1.q.68.a.4.& Mirand.tom.2.q.29.a.6.* limitat, vt sit verum in foro externo, vel etiam in foro conscientiæ quando est scandalum, vel non subest rationabilis causa illos excusandi. Sed hoc primò non potest admitti in illis Religionibus, in quibus hospites decernuntur esse subiecti Prælatis Conuentuum hospitij; ij enim etiam ex hoc legibus illius Conuentus, & consuetudinibus obligantur. Sed & absolutè idem affirmandum est, quoniam & absolutè verum est huiusmodi hospites non esse censendos tanquam vagos, & nulli subiectos, sed manere subiectos Prælatis Conuentuum in quibus tanquam hospites recipiuntur, & nutriuntur, vnde & dicendum est illos esse dictorum Conuentuum legibus, & præceptis subiectos. Nam & hoc habetur ex *can. quæ contra mores dist. 8.* & id petit ratio communitatis, & societatis religiosæ, cũ valde indecens sit, vt ex Religiosis alij vnum alij aliud obseruent, & non sint omnibus omnia communia. Vnde quòd ad statuta propria perpetua, & leges, & consuetudines Prouinciarum, & Conuentuum teneantur etiam superiores maiores, etiam Generales bene docet *Suarez vbi sup. num.24.* quia id petit ratio & vinculum societatis explicata nobis à S. Augustino in *d. cap. quia contra mores*. Tum quia nec dantur statuta perpetua nisi à Capitulo Generali, aut Generali confirmata, vnde sunt statuta Generalia formaliter. Præcepta verò ordinaria iudicanda sunt ex mente Prælati expressa in forma præcepti. Nam si sunt respicientia quoscumque quomodolibet subiectos, comprehendunt etiam hospites sine dubio.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum Prælati se extendit extra territorium, num.79.*

Dubita-

79 DVbitatur decimo octauo an religiosus ex voto obedientiæ teneatur implere præceptum superioris ipso extra superioris territorium existente. *Gemin.in cap. vt animarum n.15. de constit.ex Anton.de Butr.* ait, quod Prælati Regulares exempti ligare possunt subditos extra locum eo casu, quo potest Episcopus extra Diœcesim, quia subiectæ Ecclesiæ sunt illis pro territorio, & sunt iudices personarum, & non loci simpliciter. Immo vt habet *Sylu.v.excom.2.num.15.* secundùm Lauren. totus mundus est eis pro territorio. Vnde vbicumque est persona subiecta, vel potiùs religata, illuc se extendit Prælatorum potestas secundùm Vincentium. Quod idem docent *Lezana p.1.cap.4. num.37.post Cornekum.Donatus par.3.tr.10.q.15.& tom.3.tr.17.q.34.Anton.à Spir.Sancto trac.3. disp.6. num.35.* Ideoque nedum superioris factum subdito existenti intra fines loci eum comitatur ad quemcumque postea locum transierit, sed etiam manente extra locum suæ Prælaturæ potest præcipere, illumque citare, & excommunicare, & fugitiuum capi facere, & in carceribus suo nomine detinere. *Layman.lib.1.trac.4.cap.11. Donatus vbi sup.*

SVMMARIVM.

1 *Quod Prælatus subditum non possit eximere à iurisdictione Prælati localis aliqui dicunt. numer.80.*

2 *Non est eadem ratio de exemptione Episcopi à iurisdictione Archiepiscopi, & subditi à iurisdictione Prælati Regularis. n.81.*

3 *Generalis est Prælatus immediatus sui ordinis. numer.81.*

4 *Eximere à iurisdictione alicuius Prælati non est dispensare in voto paupertatis. n.81.*

5 *Generalis non potest generalia statuta, & statum communem Ordinis immutare. n.82.*

6 *Potest in lege sui ordinis in casu particulari dispensare. num.82.*

7 *Potest ex causa iusta subditum à iurisdictione Prælati localis eximere. n.82.*

8 *In Ord. Præd. Generalis intuitu & in fauorem Regularis vitæ potest Conuentus à cura Prouincialium eximere. num.83.*

9 *Potest Generalis dare facultatem subdito prædicandi vbique. n.84.*

80 DVbitatur decimonono an Generalis possit aliquem subditum totaliter eximere ab obedientia sui Prouincialis, aut Prioris, seu Prælati localis. Dicitur totaliter, quia non dubitatur an ex causa rationabili id possit in aliquo casu, vt causam aliquam ad se aduocare in casu manifesti grauaminis, notæ iudicis inimicitiæ, aut grauis eius negligentiæ, legitimi impedimenti subditi vel in alio simili casu. Nam & in huiusmodi casibus, cum Prælatus inferior sit subditus Generalis vbi præceptum Generalis limitans materiã iurisdictionis inferioris & ad se trahens aliquem casum non contineat turpitudinem manifestam, Prælatus inferior tenetur obedire. Sed loquendo de exemptione totali, quòd Generalis id non possit dixerunt *Miranda p.2.q.7.a.6.Portel.2.p.casu 31. num 8.Peyr.tom.1.priuileg.ad Const.5.Iulij 2.§.3.n.6. & in formali lit.E.cap.35.num.2. Lezana p.p. cap.18. num.23. Donatus tom.4.tract.22. variar.quæst.48.* & apud eum *Bartholomeus à S.Fausto* & probatur primò *ex cap. frater noster 16. q.1.* adiuncta ponderatione *Syluest.v casus.casu 5.* secũdo ex quo habetur, quòd est proprium summi Pontificis quia nullus potest dispensare in voto solemni obedientiæ. Tertiò quia hoc esset in destructionem Religionis.

81 Sed certè hæ rationes nihil probant. Non prima, quia ex eo capite nihil aliud habetur, nisi quòd eximere Episcopos à iurisdictione Archiepiscopi, vel vt extendit Syluest. Religiosos (proculdubio non exemptos) & alias Clericos eximere à iurisdictione Diœcesani est solius summi Pontificis. At verò non est eadem ratio. Tum quia subiectio Episcopi ad Archiepiscopum vel etiam Clericorum ad Episcopum est de iure Pontificio. Quod nullus Papa inferior potest alterare; sed subiectio huius Religiosi in particulari huic vel illi Prælato est de iure Religionis, & dependens à dispositione superiorum tãquam quid mutabile & variabile. Tum quia infra Papam nullus datur superior cui immediate & vniuersaliter & independenter subijciantur tam Archiepiscopus, quam Episcopus, & Clerici, seu Religiosi & qui Archiepiscopum sibi possit subijcere, eiusque iurisdictionem tollere, vel limitare, tanquam valens vti sine ope alterius sua immediata authoritate nisi Papa, qui est ille, qui Episcopalem, & Archiepiscopalem confert iurisdictionem. Sed Generalis est Prælatus immediatus omnium Religiosorum, & omnium aliorum Prælatorum sui Ordinis, vt latè probat *Suarez tomo 4. de Relig. lib.2.c.2.* Et de Generali in Ordin. Præd. dicitur expressè in *Gloss.Constit.dist.1.cap.15. lit.F.* de quo etiam dicitur ibi, & *dist.2. cap.4. §.5. lit.F. & cap.9. §.6.* quòd Prouinciales, & Priores, & alios officiales potest instituere, & destituere. Longè igitur diuersa est ratio exemptionis Episcopalis ab Archiepiscopo, & personalis exemptionis vnius Religiosi a suo ordinario inferiori Prælato. Secunda verò ratio euidentissimè nihil probat, cum huiusmodi exemptio non importet dispensationem in voto obedientiæ, quod non importat per se subiectionem nisi ad superiorem, quæ saluatur dum Religiosus manet subiectus Generali. Cum immò nec Pontifex eximendo Episcopos ex Religionibus assumptos a subiectione Prælatorum earum dispenset cum illis in voto paupertatis. Tertia non probat, nisi quòd hæc exemptio non possit fieri vniuersaliter & sine causa graui, & proportionatè rationabili, nam aliàs dispensatio, quæ est quædam exemptio à lege non est in destructionem quando fit ex rationabili causa.

82 Magis idem posset probari ex hoc, quòd videatur sequi quòd Generalis possit etiam separare Conuentus à Prouincijs, & eos sibi soli subijcere, vel alteri Prouinciæ ad libitum, & pariter quòd posset sibi subijcere Prouincias & tollere Prouinciales. Sed & ad hoc dicitur, quòd Generalis, ea quæ pertinent ad statum communem Religionum suæ non potest simpliciter, & totaliter, & vniuersaliter immutare. Sic in Ord. Præd. *dist.2. cap.9. §.6. dicitur. Item generale statutum Ordinis, vel consuetudinem diu obtentam, & communiter approbatam in Ordine, nec Magister Ordinis nec Priores Prouin-*

ciales audeat immutare. Vnde non poteſt Magiſter ordinis facere vt non ſint Priores, ſeu Prælati locales, & Prouinciales in ſuo Ordine: ſeu quòd nullus fratrum ſubdatur Priori, aut Prouinciali. Sic, nec poteſt in perpetuum Conuentum vnius Prouinciæ ſubijcere alteri, & Prouincias confundere, & quæ ad ſtatum communem ſpectant immutare. Sed in caſibus ſingularibus & tẽporalibus ex cauſa iuſta poteſt Generalis quidquid ſibi per ſui Ordinis leges non eſt prohibitum. Et ſic licet non poſſit Conuentum à Prouincia ſeparare, poterit tamen facere v.g. vt interim ex cauſa graui gubernetur à Prouinciali alterius Prouinciæ, vt à Commiſſario ſuo, & Delegato, manente eius vnione ad Prouinciam ſuam. Et ſicut poteſt ex cauſa Prouincialem ſuſpendere ab officio, poteſt Generalis aliquam Prouinciam pro interim vel per ſe ipſum, vel per ſuum Commiſſarium regere. Et vt in Conſtit. Ord. Præd. *d.cap.9. lit.F.* dicitur, aliud eſt ſtatuta communia tollere, aliud eſt in illis diſpenſare in caſibus ſingularibus, Primum Generalis non poteſt, ſecundum poteſt. Et ſic cum eximere in caſu ſingulari hunc vel illum a ſubiectione Prælati localis, aut Prouincialis non ſit niſi diſpenſare in lege ſui Ordinis, niſi id ſibi ſit ſpecialiter prohibitum poteſt facere Generalis, hoc tamen aduertendo, quòd cum hoc ſit diſpenſare in lege, ſi fiat ſine cauſa rationabili & proportionata, nullum eſt. Non excedit autem hoc authoritatem Generalis aliàs habentis poteſtatem ex cauſa iuſta diſpenſandi in legibus ſui Ordinis, & hoc docet *Suarez tom 4. de Relig.lib.1.c.2.num.12.*

83 In Ord. autem Prædicatorum ex ſpeciali indulto Iulij II. quod per extenſum referunt Confert. & eſt bull.6. apud ipſum, *Peyr. tom.1.* & eſt apud eum *conſt.55. Fontana in v. Magiſ. Ordinis* Generali conceſſum fuit, vt pro augmento vitæ regularis poſſit in fauorem regularis vitæ eximere non ſolùm Conuentus à cura, & iuriſdictione Priorum Prouincialium, ſed etiam monaſteria ſororum exiſtentium, ſub cura, & habitu eiuſdem Ordinis, & Collegia ac perſonas quaſcumque tertij habitus, non obſtantibus Conſtitutionibus Ordinis & priuilegijs Apoſtolicis, & quacumque interpoſita appellatione.

84 Quod autem dixerunt Miranda, & Donatus locis citatis, ſcilicet, quòd Generalis ob eandem rationem non poſſit inſtituere Prædicatores Generales, vt prædicent vbique terrarum ſine licentia non ſolùm Ordinarij Epiſcopi; ſed etiam Ordinariorum Prælatorum Regularium, verum eſt quantùm ad licentiam Epiſcoporum, quæ ex iure Pontificio neceſſaria eſt. Sed de licentia Prælatorum localium Ordinis non habet fundamentum, cum ad prædicandum ſufficiat Religioſo ſuperioris licentia, quam legitimè dat Generalis, qui eſt immediatus Prælatus totius ſui Ordinis. Et quod adducitur ex *Concil.Trid.ſeſſ.25.cap.4.* de Regularibus, vbi Religioſis interdicitur prædicare ſine licentia ſuperioris, non obſtat, quia nomine ſuperioris ibi præcipuè venit Generalis ad quem ſpectat dare licentiam Religioſis manendi extra clauſtra in obſequio Prælatorum & Principum pro munere prædicandi aut legendi, de quo decernit Concilium, vt non fiat ſine licentia ſuperioris.

SVMMARIVM.

1 *Eiecti non ſunt diſpenſati à voto obedientiæ. numer.85.*
2 *Sunt ſubditi Epiſcopis, non tamen ex voto. numer.86.*
3 *Summo Pontifici obedire debent ex voto. n.87.*
4 *Religioſi non exempti ſubduntur Epiſcopis ex voto. num.88.*

85 DVbitatur vigeſimo cui teneantur obedire eiecti perpetuò ab Ordine. Supponit quæſtio hos non eſſe abſolutos à voto obedientiæ. Nam licet huius oppoſitum tenuerint *Hoſten. in c. quod Dei, de ſtatu monac. Io. Andr. in Clem.1. eod. titulo, & Riccius 3.p.deciſ.95. nu.2.* Nihilominùs hoc eſſe falſum tenet communis ſententia DD. quam probant *Rodr.qq.reg.t.1.q.30.a.10. Barboſa in Col ec. cap.fin.de regular.num.15.à S.Fauſto l.6. Theſ.q.128. Layman l.4.trac.5.c.13.q.1.num.3. Nauar. Com.2. de regul.num.34.35.36. Suarez tom.5. in 3. p.d.21.ſect.2. num.20. Vaſquez p.2.d.165.num.87. Molina tom.1. de iuſ.d.540. Petrus de Ledeſma tom.2.tract.10. d.2.ad 4. Sanchez l.6.moral.c.9.num.27. & apud eum Corduba Azorius Ribadeneria, & Leſſius, Item Laynus parte 2.tract.8.de eiectis.q.34. num.3.* Et ratio eſt, quia licet in eis ceſſet executio obediendi, quia deficit materia obedientiæ, eo quòd non habeant ſuperiorem cui de facto obediant, cum ſuperior regularis eos reiecerit, & tamen ei præcipienti reditum tenentur obedire, & debent habere animum paratum obediendi, ſi ad clauſtra redeant. Cæterùm non poſſunt Prælati eijciendo religioſum abſoluere eum à votis, & cum certum ſit eos manere ligatos voto caſtitatis, non eſt vnde dicantur abſoluti ab alijs duobus votis. Hoc ergo ſuppoſito, ſcilicet eiectos non eſſe abſolutos a voto obedientiæ, quæritur cui ſuperiori teneantur obedire.

86 Nam non deſunt, qui dicant eorum ſuperiorem eſſe Epiſcopum, cui ex voto obedientiæ tenentur obedire. Ita enim ſentit *Nauar. Com.2. de regul.num.34.35.& 36.& Com.3.num.46.& l.3.conſil.tit.de regul. conſ.77. num.3. & conſ.78. num.2. & conſ.79.num.1. Thomas Zerola praxis Epiſ.p.1. v.regulares n.3.* quòd probabile putat *Sorbus in priuil mendic. verbo eijcere*. Sed quidem verum eſt tales eiectos manere ſubiectos Epiſcopo, tum ex decreto Concil.Trid.ſeſſ.6.cap.3.de reformat. tum ex decreto Congreg. Concilij 21.Septembris 1624. Nam ſtatim ac ſunt eiecti debent indui habitu clericali, & ſub cura Epiſcopi viuere, Et quàmuis Nauar. in dicto Com.2. exiſtimet hunc debere eſſe Epiſcopum originis, quia originis domicilium eſt immutabile, tamen vt probat *Laynus loc.citat.q.33.num.3.* communis ſententia eſt, hunc eſſe Epiſcopum illius diœceſis in qua eiectus accipit domicilium, quia originis domicilium abrogatum fuit per profeſſionem religioſam, & alias religioſus eiectus non deſinit eſſe religioſus. Manet ergo eiectus ſubditus Epiſcopo in cuius diœceſi accipit domicilium, ſed tamen manet ei ſubiectus ſolùm ex lege Eccleſiaſtica, non tamen ex voto. Neque enim aliud votum facit, & ex voto in profeſſione emiſſo promiſit obedientiam ſolis Prælatis ſuæ religionis, & ita tenent *Sanchez l.6. mor.c.9. num.29. Molina t.1.d.140 Rod.*

qq.reg.

qq.reg.t.1.q.30.a.19. Azor.tom.1. l.12.c.16.q.11. Lessius l.2.c.41.d.15.num.114. Laynus p.2. tract.8. de eiectis q.34.num.3.

87 Quod verò Sanchez & Laynus citati amplient hoc, vt eiectus nec dicatur subiectus ex vi voti summo Pontifici, non puto dici cum fundamento, supposito quòd dum erat religiosus ex vi voti teneretur illi obedire, vt supra est probatum. Nec DD. isti loquuntur consequenter. Dum enim dicunt quòd eiecti non vouerunt obedientiam Pontifici vt Prælato religionis, nisi quandiu eos religio pateretur, & essent in illa, vel hoc dictum probat eiectos esse omnino absolutos à voto obedientiæ etiam erga Prælatos religionis, vel nihil probat. Sed assumptum est falsum, eodem enim modo vouent obedientiam Pontifici quo vouent illam Prælatis, quia in voto per quod promittitur obedientia Prælatis promittitur Pontifici vt supremo capiti, cui Prælati religionis subordinantur. In hoc verò est discrimen, quòd Prælati regulares huiusmodi à se reijciunt & expellunt, ideo respectu illorum cessat actu obedientia, licet non cesset iure, quia ad illorum obedientiam manet eiectus quantùm sit ex vi voti obligatus; At verò non reijcitur à summo Pontifice, immò Pontifex illorum curam habens, eos ponit sub cura Episcoporum. Non est igitur vnde negetur, quòd tales eiecti subiecti sint Pontifici, etiam vt Prælato supremo regularium.

88 Bene quoque aduertit Lessius, quæ dicta sunt intelligi debere de religiosis exemptis, nam religiosi non exempti, cum iuxta sententiam supra probatam ex voto teneantur obedire Episcopo, hanc obligationem retinent etiam postquàm sunt eiecti.

SVMMARIVM.

1 *Fæmina est incapax iurisdictionis spiritualis. numer.89.*

2 *Quod iurisdictio spiritualis nec per Papam possit concedi monialibus quidam falso dixerunt, alij admittunt. n.89.*

3 *Abbatissam non posse præcipere in virtute S. Obedientiæ multi dicunt. n.90.*

4 *Potestas dominatiua, quam habent Abbatissæ ex vi voti est spiritualis. n.91.*

5 *Tanta est in Abbatissa potestas, quanta decet matrem familias spiritualem. n.92.*

6 *Abbatissa potest præcipere monialibus in virtute S. obedientiæ. n.91.93.*

89 DVbitatur vigesimoprimo an moniales ex voto obedientiæ teneantur obedire Abbatissæ, seu Priorissæ, ipsaque possit illis præcipere in virtute sanctæ obedientiæ. Est autem doctrina communis desumpta ex *D. Thom.4. d.19. q.1. a.1.q.3.ad 4. & d.25.q.2.a.2.q.1.ad 2.* quem sequuntur *Durand.4.d.19.q.1.ad vlt. Sylu. v. Abbatissa nu.1. Tabien.num.5. Armilla n.2. Turrecrem. cap. verbum Dei a.2.num.10.de pœnit.d.1. Victor.de potest. Eccles. q.2.num.4. & in sum.sacram. num.325. Sotus 4. d.20. q.1.a.4. Martin.a Ledesma 2.p.4.q.50.a.4. Bartolom.a Ledesma sum.sacram.diffic.4.de clauib. dub.vlt. Lopez p. p. instr. de clauib. cap.p. Suarez tom.5.in 5.partem d.2.sec.2.num.5. Sanchez l.6.mor. c.1. num.17.* plores alios referens *Palaus tr.16.disp.4. p.2.num.5. Donatus tom.3. tr.17. quæst.32. Tambur. de iure Abbatiss. disp. 12.q.6. Anton.a Spir.Sancto p.6 num.24.* alijque communiter, quòd fœmina sit incapax iurisdictionis Ecclesiasticæ, & spiritualis, propterea quod Abbatissa seu Priorissa monialium non habeat potestatem iurisdictionis spiritualis, sed solùm illi committi vsum aliquem clauium, scilicet corrigere moniales, vel paternum aut maternū quoddam, & domesticum regimen. Quod adeo verum aliqui putant, vt nec posse eis delegari hanc facultatem nisi à summo Pontifice sentiant Sanchez & alij, quàmuis citra censurarum pœnam, posse Episcopum respectu monialium sibi subditarum, & Prouincialem suis Abbatissis aut Priorissis concedere, vt possint præcipere in graui necessitate, doceant *Soto, & Lopez, & Henriquez l.6.de pœnit.c.2.nu.10. in comment.l.10.* Et quàmuis *Barthol.de Ledesma* censeat nec per Pontificem posse concedi Abbatissæ potestatem iurisdictionis spiritualem, quia hoc sit interdictum iure diuino, tamen hoc esse falsum ipsa etiam experientia docet. Nam Abbatissa monasterij & Ordinis Fontis Ebraldi habet iurisdictionem spiritualem in religiosos sui Ordinis ex bullis Sixti IV. Leonis X. Clementis VII. Greg.XV. & Vrbani Octaui, & ita vt ipsa ex bulla Clem.VII. data ann. 1523. singulis annis eligat vnum aut duos Visitatores aut Vicarios in spiritualibus ex suis religiosis, qui authoritate ordinaria Abbatissæ censuras Ecclesiasticas decernant in visitatione monasteriorum. Et sic patet, quòd solùm iure humano est introductum, vt fœminis non concedatur potestas spiritualis. Et nihilominus neque Abbatissam, & Prioritsam monialium esse omnino expertam iurisdictionis etiam spiritualis, quidam tradunt quia potest cogere ad regularem obseruantiam suas moniales & trangredientes punire. Atque propterea habet ius inquirendi contra delinquentes tanquam iudex, vnde & potest in ordine ad inquirendam veritatem imponere præcepta obligantia ad mortale, vt ex *Bartholomeo de Ledesma docet Sanchez num.28.*

90 Verùm quidquid sit de potestate hac iurisdictionis, de qua non est noster tractatus, cum superiores religionum præter potestatem iurisdictionis habeant potestatem dominatiuam ex vi voti obedientiæ, ideo in præsenti de hac est quæstio, an scilicet in Abbatissis, & Priorissis monialium sit hæc potestas dominatiua spiritualis, & ad finem spiritualem, per quam suis monialibus possint præcipere in virtute sanctæ obedientiæ. Et ideo hoc eas posse negat *Sanchez loco citato num.21.ex Victoria, & Martino de Ledesma locis citat.* quem sequuntur *Tambur.d.q.5.num.2. Donatus tract.17. q.32.* & si obijcitur, quòd Abbatissæ sit votum obedientiæ, respondeat ex *Soto, Lopez, Barthol. a Ledesma locis citatis, & Rodriq.qq.regul.t.1. q.15.a.1.* votum obedientiæ intelligi prout moris est obedire, & sic moniales vouent obedire Abbatissæ iuxta potestatem cuius illa est capax, quæ est instar potestatis domesticæ & ciuilis, & propterea ipsa non potest imponere præceptum in virtute obedientiæ, quia hoc pertinet ad potestatem spiritualem. Et nihilominus idem *Sanchez num.21. & Tambur. & Donatus* admittunt, quòd Abbatissa possit præcipere in virtute obedientiæ sibi debitæ, sicut & superior

seculа-

secolaris potest præcipere in virtute obedientiæ sibi debitæ, vel iuramenti sibi præstiti, quia huiusmodi formæ præcipiendi non aliam, quàm temporalem obedientiam exigunt. Sed vsus iam obtionit vt præcipere in virtute sanctæ obedientiæ pertineat ad potestatem spiritualem, & ad finem spiritualem ordinatam.

91 Oppositum nihilominùs, scilicet quòd Abbatissa habeat ex vi voti potestatem domioatiuam spiritualem, & quòd possit præcipere monialibus in virtute Spiritus Sancti, docent *Suarez tom.3. de relig.l.10.c.11.num.20.* quem sequuntur *Castro Palaus trac.16.d.4.p.2. num.3. & alij*. Et verè aut negandum est ex vi voti religionis consurgere in superiore potestatem dominatiuam; vel omnino fatendum est hanc esse merè, & simpliciter spiritualem, & coouenire Abbatissis, & Priorissis. Nam pactum qoòd moniales & religiosi omnes ineunt cum religione & religionis superiore in actu professioois est pactum simpliciter spirituale, & ad finem purè & simpliciter spiritualem ordinatum. Nam finis est spiritualis perfectio religiosi, ad hunc enim finem religionis status ordinatur, vt ex supra dictis q.184.a.p.constat. Ad hunc finem verò acquirendum eliguntur ea, quæ ad illum obtinendum conducere valent, ea scilicet io quibus præcipuè Dei obsequium & cultus consistit, vnde tale pactum simpliciter etiam est religiosum, & ea virtute religionis proximè imperatum, cum eius materia sit Dei obsequium & cultus. Insuper verò hoc pactum per votum confirmatur, & sanctificatur, vnde non est dubium, quòd hoc pactum totum est spirituale & religiosum tum ex materia, tum ex fine, nec habere aliquid temporalitatis nisi materialiter & ea necessitate, & subordinatione ad spiritualia, ex eo quòd nos sine temporalium vsu noo possumus spiritualia exercere, & io illa nos ordinare. Igitur vel ex vi huius pacti per quod conuenimus, & promittimus viuere secundùm regulam sub regimine superiorum, & moniales promittunt viuere secundùm statuta monasterij sub obedientia Abbatissæ, vel Priorissæ, religio & superiores eius nullum ius acquirunt vt ipsis obedientia debeatur, seu nullum dominium habent vt possint obedientiam subditorum sibi vendicare, vel hoc ius & dominium est purè & simplieiter spirituale & sanctum, sicuti purè religiosum & simplieiter spirituale & sanctum est pactum ex quo oritur tale ius & finis ad quem tale ius, & dominium ordinatur. Cum ergo constet ex vi pacti & voti io professione emissi oriri io superiore ordinario religionis potestatem dominatiuam, vnde & hæc potestas conuenit Abbatissæ cui moniales obedientiam promittunt, non est vnde negetur hanc potestatem dominatiuam esse simpliciter spiritualem, & Abbatissas posse moniaiibus præcipere in virtute sanctæ obedientiæ, non potestate iurisdictioois, quam ex voto monialium non obtinent, sed potestate spiritualis domioationis, quam ex vi voti traduot moniales.

92 Verum quidem est, vt notat idem Suarez, quòd ex legibus ordinum, & statutis monasteriorum hæc facultas in Abbatissis, & Priorissis est magis limitata quàm sit in viris, & est ex vsu Ecclesiæ subordinata vel Episcopo, vel Prouincialibus ordinum, vel alijs viris, quibus monasteriorum cura est commissa, ideo nec potest absolutè & per vnam regulam definiri quanta sit Abbatissarum potestas, sed hoc pendet ex statutis monasteriorum, & vsu & permissione superiorum, quibus Abbatissarum potestas est subordinata. Regulariter tamen talis ac tanta est, quantam decet matrem fami[l]ias spiritualem, vt suas subditas corrigere & in obseruantiam legum ordinis dirigere valeat, vnde est potestas se extendens ad ea, ad quæ administratio Abbatissæ se extendit.

93 Et ita ad id quòd contraria opinio affert, scilicet quòd ex vsu præcipere in virtute Spiritus Sancti sit potestatis spiritualis, quæ non conuenit fœminis, dicitur talem facultatem esse spiritualem, sed non esse solùm potestatem iurisdictionis, sed esse potestatem dominatiuam ex vi voti consurgentem, quæ fœminis non disconuenit, cum non disconueniat & fœminæ esse matrem spiritualem fœminarum. Nec talis opinio loquitur consequenter, cum doceat moniales vouere obedientiam Abbatissæ, & postea neget in Abbatissa potestatem spiritualem, cum potestas consequens ex vi voti nō possit non esse simplieiter spiritualis.

SVMMARIVM.

1 *Vis prima rationis D. Thom. manifestatur. numer.94.*

94 CONcluditur igitur ex his vis primæ rationis D. Thomæ ad probandam præstantiam voti obedientiæ super alijs duobus votis paupertatis, & castitatis, ex parte materiæ oblatæ & promissæ desumptam, quia nimirum religiosus per votum obedientiæ se priuat dominio suæ libertatis, & nedum se obligat ad statuta regulæ, sed dominium sui transfert etiam in superiores plures a quibus omnibus pendet, & a quibus ligari pot[est] & necessitari etiam sub culpa mortali & sub pœna æternæ perditionis ad obediendum in illis quæ secundùm se sunt libertatis.

SVMMARIVM.

1 *Votum obedientiæ est extensius alijs. n.95.*
2 *Et ad perfectiores actus se extendit. nu.96.*

95 SEcunda ratio pro conclusione, de[sumi]tur ex maiori extensione, quia votum obedientiæ se extendit etiam ad materiam alio[r]u[m] votorum, & vlteriùs ad multa alia. Ex quo loc[o] habetur, quòd peccans contra alia vota, sim[ul] peccat contra votum obedientiæ. *Ledesm. de stat. cap.4. concl.9.d.1.pag.86.*

96 In hac tertia ratione sumitur nobil[itas] ex nobilitate actuum ad quos [v]irtus voti obedi[enti]æ se extendit, qui sunt actus virtutum propinq[uio]res fini religionis, qui est perfectio vitæ spiritua[lis] & vnio cum Deo. Nam votum obedientiæ se e[x]tendit ad actus virtutum omnium, & maximè ad actus orationis, & contemplationis, immò ad actus mutuæ charitatis, qui actus in ratione virtu[tis] sunt perfectiores quàm vel pauperem esse vel ca[stu]m, ideo nec votum virginitatis est maius, licet sit val[de] commendatum a sanctis, a quibus etiam mag[i]s commendatur votum obedientiæ, per quod Deo non carnale aliquid, sed animus immolatur. Et

quia

quia ex vna parte magna inde consurgit excellentia voti obedientiæ, quòd ad quamplurimos actus, & excellentissimos se extendit, ex alia verò parte multa circa huiusmodi extensionem considerantur, & controuertuntur, ideo diligentiùs inspiciendum est.

SVMMARIVM.

1 *Materia voti obedientiæ est actio non prohibita per aliam legem cui operans teneatur obedire. numer.97.*
2 *Prælato præcipienti aliquid contra legem Dei, aut regulam non est obediendum.nu.98.*
3 *Prælatus ordinem diuini officij non potest immutare. n.99.*
4 *Præceptum multipliciter diuiditur.n.100.*
5 *Præceptum superioris tantum potest se extendere quantum se extendit votum & obligatio obedientiæ. num.101.*

Quænam, & qualis, & quanta sit materia ad quam votum obedientiæ se extendit?

INSPECTIO TERTIA.

97 CVm virtus obedientiæ præceptum respiciat, vt docet *D.Thom.supra q.104.a 2.* Votum obedientiæ, vt supra etiam dictum fuit non respicit pro obiecto, nisi id quod est præceptum, & quod aliquo modo est debitum. Vnde primò certum est ab eius extensione excludi agere id, quòd est malum, & prohibitum à Deo, & superioribus, quia agere id quòd est prohibitum non est obedire sed non obedire. Igitur prima & essentialis conditio materiæ voti obedientiæ est quòd non sit prohibita sed honesta, pro nunc sub nomine materiæ honestæ comprehendendo etiam rem indifferentem, quæ ex honesto fine honestè assumi potest. Et propterea negatiuè explicatur dicendo, obiectum voti obedientiæ esse actionem non prohibitā lege aliqua iusta, cui operās obedire teneatur; quia obedire nō est legem seu præceptum transgredi sed seruare.

98 Hinc sequitur tanquam certum, quòd Religiosus Prælato præcipienti aliquid contra legem Dei aut contra regulam non tenetur obedire, immò tenetur non obedire D.Bern. de præcep. & dispens. in initio. Quod tamen limitant *Lez.p.p.cap.4.n.27. & 28.Peyr.in subd.q.c.8.dicto 3.Donatus t.3.trac.17. q.19.& 20.Caston.lib.4.contron.6. num.157. Anton. a Spir.Sancto p.2.direct.trac.3. disp.4 num.50. Mirand. p.p.q.36.a.8.* vt non valeat, vbi Prælatus potest dispensare super lege, quia tunc si dispenset & præcipiat subdito vti dispensatione præceptum tenet. Quod tamen debet intelligi iuxta explicationem *Caiet.supra q.184.a.a. ad 2.* & dictum est ibi nu.62. vbi Prælatus in ordine ad aliquem finem & bonum communitatis, vel dispensati obtinendum rationabiliter dispensat.

99 Caramuel antem in Reg. S. Bened. *disp.50. num.710.* vult, quòd Prælato præcipienti mutari Cantica, & Ordinem aut numerum Psalmorum & breuiari lectiones aut responsoria monachus tenetur obedire. Sed certè si loquimur de oratione, quæ sit consilij & priuata, & sub potestate Abbatis, id verum esset, sed vbi agitur de officio de præcepto; hoc est immutabile sine Pontificum authoritate. Et sic vbi officium ex præcepto indispensabili à Prælato recitandum est, non potest Prælatus mutare illud, vel inuertere, & si id faciat non tenetur subditus obedire. Sed etiam in orationibus ab Ecclesia approbatis, vt in officio paruo B. Virg. si Prælatus præciperet vt non recitaretur sicut authoritate publica est dispositum, non teneretur subditus obedire, quia hoc non sit secundùm regulam, cum non sit secundùm Ecclesiæ institutionem, & approbationem, & dato quòd aliqua occasione pertinente ad regulam possit Prælatus præcipere subdito vt v.g. non totum officium B. Virginis recitaret, quia non daretur tempus totalis recitationis; si tamen daretur tempus recitandi illud, & non adesset causa spectans ad regulam, ob quam Prælatus posset subditum impedire à recitatione dicti officij, nec posset Prælatus præcipere vt subditus recitando dictum officium illud inuerteret, quia hoc esset contra Ecclesiæ dispositionem, & approbationem. Solùm igitur vbi Prælatus ex causa possit præcipere vt totum aliquod officium non recitetur, potest præcipere, vt hæc vel illa pars omittatur.

100 Omne autem præceptum vel est iuris, seu regulæ & constitutionum, vel est hominis, seu superioris; præceptum autem superioris quòd non sit de re illicita vel est secundùm regulam, vel supra regulam, vel de aliquo inferiori aut æquali el, quod præcipit regula; Quamobrem videndum est qualiter votum obedientiæ ad hæc se extendat, vel non extendat.

101 Priùs verò præsupponendum est, obligationem agendi, & seruandi præcepta quam præter vel supra alios fideles, aut clericos habent religiosi totam oriri & esse fundatam in voto obedientiæ, vt bene docent *D.Thom.2.d.44. q.2. art.vltimo in 2. arg. sed contra S. Bonau. ibid. a.2.q.2.c.Durand.q.4. nu.4.Syluestr.v.religio 6.q.6.Sanchez l.6. mor.cap 2. num.2.* Et licet in superiore religionis sit multiplex potestas sui subditi, quia est potestas dominatiua, quæ ex vi voti obedientiæ consurgit & consistit in Dominio, quo vouens se priuat transferendo illud in superiorem, & vlteriùs est potestas iurisdictionis data à Pontifice confirmante religionem. Tamen & hæc iurisdictionis facultas voti obligationem supponit, & datur ad hoc vt per eam superior etiam censuris, & pœnis possit subditos compellere ad voti obedientiæ obseruantiam, vt docet *Vasquez p.2.d.154.c.4.num.21.* Ita vt præter obligationem quam habent communiter fideles, & cæteri Ecclesiastici obediendi summo Pontifici, Religiosi aliam obligationem non habeant nisi illam quam vel habent ex voto obedientiæ, vel super eo fundatam, vt ex *Lessio l.2.de iust.cap.41.* tradit idem *Sanchez.* Vnde est quòd tantùm se potest extendere superiorum præceptum, etiam summi Pontificis respectu religiosi, vt religiosi, quantùm se extendit obligatio ex voto obedientiæ liberè suscepto proueniens, quod est dicere, quantùm religiosus se ex pacto inito cum religione & ex consequenti cum Pontifice obligauit, & per votum confirmauit & sanctificauit. Hac verò supposita regula,

SVMMARIVM.

1 *Quid sentiant diuersi de hac difficultate, an Regula sit materia voti obedientiæ. num.*102. 103. 104.
2 *Reijciuntur relatæ opiniones. n.*105.
3 *Materia proxima voti obedientiæ est pactum cum Religione initum. n.*106.
4 *Regula non est materia proxima voti obedientiæ. num.* 107.
5 *Regula est materia remota voti obedientiæ. num.*108.110.
6 *Materia adæquata voti est regularis vita, quæ tamen principaliter importet materiam votorum mitat principaliter alia. n.*109.
7 *Religiosus ad regulam se obligat iuxta regulæ exigentiam. n.*111.
8 *Quia obligatio voti ad materiam remotam est secundum exigentiam pacti quod est materia proxima, ideo stat regulam comprehendi sub voto, & tamen non obligare vniuersaliter ad culpam. num.*112.
9 *Simpliciter verum est dicere, quod tota regula est materia voti, quia tota regula est materia pacti religiosi. num.*113.

102 Dubitatur primò, an sub voto obedientiæ contineantur regula ipsa, & constitutiones Ordinis illius quem religiosus profitetur. Triplex enim est in hac quæstione opinio, nam prima vniuersaliter affirmat, totam regulam esse materiam proximam voti obedientiæ, ideoque religiosum ex vi voti teneri obseruare quidquid in regula continetur. Et ita tenuit *Henr. quodl.*6.*q.*17. quod extendit vt verum sit, nedum si in regula sit forma præcipiendi sicuti est in regula S. Augustini. *Hæc sunt, quæ vt obseruetis præcipimus.* Sed etiam si dicatur. *Hæc sunt, quæ vt obseruetis admonemus.* Nam per votum id quòd erat consilium fit præceptum, licet igitur ante professionem homo non esset obligatus ad seruandam regulam, ex vi tamen professionis manet obligatus ad seruandam totam regulam, & quidquid in regula continetur; ergo hoc totum non est ampliùs consilium sed præceptum. Secundò nam aliàs religiosus non peccaret saltem mortaliter si haberet propositum formale non seruandi aliquam regulam, si impunè id posset, quod est valde absurdum.

103 Secunda sententia ex aduerso tenet, votum obedientiæ non extendi ad regulam, neque ex vi voti obedientiæ religiosum teneri illam seruare; sed solùm ex vi regulæ, & constitutionum secundùm quòd regula, & constitutiones intendunt obligare. Et hanc sententiam tribuunt *Palud. in* 4.*d.*38. *q.*3.*a.*4.& *Gabriel. suplem. q.*1.*a.*3. cuius ratio est, quia obligatio regulæ antecedit votum, & fundatur in pacto inito cum religione ex eo quòd qui se tradit in partem communitatis religiosæ debet viuere iuxta eius leges; igitur hæc obligatio non est ex vi voti, cum aliunde proueniat, quàm ex voto. Secundo quia aliàs religiosus transgrediendo regulam peccaret semper mortaliter peccato sacrilegij, quod est contra communem sensum, vel non esset dabilis regula, quæ non obligaret ad aliquam culpam, quod tamen est falsum de regula & Constitutionibus Ordinis Prædicatorum, & Societatis IESV, & alijs.

104 Tertia sententia distinguit, quia multiplex est forma profitendi; Nam vel promittitur conuersio morum secundùm regulam, sicuti faciunt monachis SS. Benedicti, & Chartusiani, siue promittitur seruare regulam, vt faciunt minores, vel promittitur obedire secundùm regulam vt faciunt fratres Ordinis Prædicatorum. Quam distinctionem innuit *Palud. & tradit Palat. in* 4.*d.*38.*d.*1. circa medium. Qua distinctione stante hæc opinio tenet, primos profitentes teneri ex vi voti ad obedientiam regulæ, non verò secundos, quia primi promittunt vel expressè vel æquiualenter seruare regulam, sed secundi promittunt obedientiam Prælatis in ijs, quæ sunt secundùm regulam.

105 Nulla autem ex his opinionibus punctum veritatis attingit. Non quidem prima, quia iugum insopportabile imponit super humeros religiosorũ dum asserit omnia contenta in regula ex vi voti transire in præcepta, vnde non possit religiosus transgredi regulam quin sit sacrilegus. Secunda est omnino falsa, quia nullus ex religiosis, est qui non credat se ex vi voti esse obligatum ad seruanda præcepta regulæ. Tertia verò, quia cum nullum præceptum tam sit secundùm regulam quàm regulæ præceptum, qui promittit obedire secundùm regulam promittit seruare præcepta regulæ, seu regulam ipsam, & ita nulla est differentia inter Religiones in hac parte, sed vel omnes vel nullæ ex vi voti tenentur ad obseruantiam regulæ.

106 Pro solutione verò quæstionis præmitto, quòd materia proxima voti obedientiæ nec est præceptum superioris, nec regula, nec obedientia erga regulam, vel ad superiorem, sed est promissio illa humana, & pactum initum inter religiosum, & religionem, vt dictum est sæpiùs ex *D. Thom. & Caiet. sup. q.*88.*a.*5.*ad* 3. quos sequitur *Suarez tom.*3. *de relig. l.*10 *c.*1.*num.*13.& *cap.*5.*num.*5.& 6. *Et per hunc modum*, inquit *D. Thom. intelligendum est votum, quo quis vouet aliquid Sanctis, vel Prælatis, vt ipsa promissio facta Sanctis, vel Prælatis cadat sub voto materialiter, in quantùm scilicet homo vouet Deo se impleturum, quod Sanctis, vel Prælatis promittit.* Continget ergo semper error in hac materia, si non consideretur, hic duas esse promissiones, vnam scilicet humanam, & aliam diuinam, per primam religiosus pacificitur cum religione & tradit se ipsũ illi sub regimine Prælatorum, & promittit vitam regularem, & obedientiam ad leges religionis, & ad superiorum mandata; per secundam confirmat & promittit Deo se obseruaturum pactum, & promissionem Prælato & religioni factam.

107 Dicitur igitur primò, nec regulam, nec quodcumque Prælati præceptum esse materiam proximam voti obedientiæ. Quia per votum nihil promittitur homini, sed totum Deo promittitur; & nihilominùs communis sensus religiosorum est, quòd ab eis obedientia Prælatis promittatur. Obseruantia ergo regulæ, vel obedientia præceptorum est materia immediata promissionis factæ Prælatis; non igitur est materia immediata promissionis factæ Deo. Non enim conueniens est, vt in professione religiosa intelligamus esse duas promissiones de eadem re quasi disparatas, vt idem quòd promittitur homini quasi disparatè promittatur Deo,

sed duæ sunt promissiones subordinatæ seu vt alij dicunt est traditio qua religiosus se tradit religioni, & est promissio facta Deo, quæ duo subordinantur ita vt promissio humana, seu traditio religiosi fie materia voti & promissionis factæ Deo, vt D. Thom. docet.

108 Dicitur secundò quòd regula, seu obseruantia eius est materia voti obedientię non quidem proxima, sed remota, & ex consequenti religiosum teneri ex vi voti obedientiæ ad obseruantiam regulæ iuxta regulæ exigentiam. Conclusio ista est *D. Thom. artic. seq. in fine corp. dicentis. Aliorum autem transgressio non obligat ad mortale, nisi propter contemptum regulæ: quia hoc directè contrariaretur professioni, per quam aliquis vouet regularem vitam; vel propter præceptum siue oretenus a Prælato factum, siue in regula expressum, quia hoc esset facere contra obedientiæ votum.* Ex duplici enim capite constat hanc conclusionem positam esse de mente D. Th. primò quia expressè habet, quòd trangressio præceptorum, quæ in regula continentur est contra votum obedientiæ, ergo talia præcepta sunt materia eiusdem voti. Secundò quia docet quòd Religiosus profitetur regularem vitam, quæ certè etiã consistit in obseruantia regulæ, & constitutionum quia regularis vita, est vita ad regulam formata.

109 Hanc verò doctrinam. D. Th. explicans *Peyr. in subd. q. 1. cap. 4. not. 4.* aduertit, quod votum professionis respicit principaliter obseruantiam votorum, & aliquid minùs principaliter, nimirum vitam regularem, quia Religiosus tenetur seruare vota in vita Regulari. vnde Apostata reus est etiam quia deserit vitam regularem per *Valentiam disp. 10. q. 4. p. 5. & Ledesmam de stat. cap. 4. c. 12.* Consistit autem vita regularis in hoc quòd Religiosus sit subiectus regulæ, quod regulæ obseruantiam antecedit. Minùs tamen bene procedit hæc explicatio. Quia immò secundùm D. Thom. vita regularis est id quòd principaliter promittitur. Sed vita regularis est, quæ aliquid cõtinet substantialiter, & principaliter & hoc est obseruantia continentiæ, paupertatis, & obedientiæ secundùm regulæ determinationem. Vnde regula dicit etiam modum, & determinationem materiæ votorum. Aliud verò continet regula minùs principaliter, & ad illa etiam votum professionis minùs principaliter se extendit, & obligat ad ea obseruanda prout in regula est, vt obseruentur.

110 Et ita eandem conclusionem docet *Caiet. art. seq. in principio, & docuerunt D. Antoninus 3. p. tit. 16. c. t. §. 13.* & apud eum *Io: de Neap. quod. 14. q. 16.* quos sequitur *Suarez tom. 3. de relig. lib. 10. c. 7. num. 6.* Et probatur primò, quia præcepta regulæ sunt simpliciter præcepta Prælati quæ ex eo quòd sint vel scripta, vel perpetua, non habent vt non sint Prælati præcepta a subditis ex vi voti obseruanda. Secundò quia superiores condendo leges perpetuas, vt declarent se velle obligare ad mortale, vtuntur forma præcipiendi in virtute sanctæ obedientiæ, quod facere non possent nisi votum obedientiæ subditorum se extenderet ad talium præceptorum obseruantiam.

111 Sed probatur à priori, nam totum id est materia voti obedientiæ, quod est materia promissionis & pacti initi a religioso in sua professione, cum religiosus per votum promittat Deo se seruaturum pactum & promissionem factam Prælatis in sui professione. Non est verò dubium, quòd religiosus sub quacumque forma profiteatur, verè religioni se obligat ad regulam seruandam iuxta regulæ exigentiam. Quod confirmatur, nam aliter transgrediendo regulam etiam deliberatè nec aliquo modo peccaret, nec saltem alicui pœnæ subiaceret, nec ad minùs posset à Prælato corrigi, & reprehendi; quia nec potest reprehendi actio quæ nullo modo est prohibita, seu ad cuius abstinentiam homo ex nulla obligatione tenetur.

112 Ad rationes igitur in oppositum respondetur, & ad primam primæ opinionis dicitur, quòd religiosus immediatè manet obligatus non ad regulam, sed ad pactum initum cum religione de seruanda regula iuxta regulæ exigentiam, & ideo. Quæ in regula cõtinentur vt consilia, sunt de consilio obseruanda, & quę vt præcepta, sunt vt præcepta, obseruãda; & si regula non obligat ad culpam, stant hæc duo simul, quòd scilicet religiosus teneatur seruare regulam ex vi voti obedientiæ, & quòd non peccet regulam non seruando, sed solùm maneat subiectus pœnæ vel correctioni superioris iuxta regulæ præscriptum. Quia votum ad materiam mediatam non obligat nisi iuxta exigentiam materiæ proximæ, vnde votum obedientiæ non obligat ad regulæ obseruantiam nisi quantùm exigit pactum, & promissio facta religioni, quæ promissio in tali casu est de seruanda regula vt nõ obligante ad culpam, sed ad pœnam. Ad secũdum dicitur quod peccatum mortale & contra votum est nolle regulam seruare vniuersaliter & absolutè, quia hoc est absolutè nolle seruare pactum initum cum religione, quòd se seruaturum Deo vouet religiosus. Ad primum secundæ opinionis dicitur, quòd probat oppositum: Quia ex quo obligatio seruandi regulam vt ortam ex humano pacto est prior voto in genere causæ materialis, bene sequitur quòd sit materia voti per quòd promittitur Deo & confirmatur obligatio illa & pactum. Ad secundum dicitur, nihil sequi ex deductis ratione iam allegata, quia votum respectu materiæ remotæ non obligat nisi secundùm exigentiam proximæ, quæ directè promittitur Deo, pactum verò quòd est materia proxima voti non obligat sub culpa mortali ad seruandam totam regulam, immò nec vniuersaliter ad aliquam culpam, vt dicitur artic. seq. vbi ex professo tractatur quæstio, an religiosus semper peccet mortaliter transgrediendo regulam & præcepta superioris.

113 Et si dicas, & interroges, an absolutè verum sit dicere, quòd regula tota cadit sub materia voti obedientiæ, & quòd religiosus ex vi voti tenetur totam regulam seruare. Quidam negant, & pro se referunt *Suarez loc. cit. t. 3. de relig. l. 10. cap. 7. num. 3.* quia aliter verum esset dicere, quòd facere contra regulam semper esset peccatum mortale. Sed respondetur, quòd licet melius sit distinguendo dicere quòd regula tota est materia voti remota non proxima, & ideo sic religiosus ex vi voti tenetur seruare totam regulam, quòd non tenetur nisi iuxta regulæ exigentiam. Tamen illæ propositiones absolutè, sunt veræ; quia vbi promissio & pactum est materia proxima voti, absolutè verum est dicere, quòd tota materia promissionis est materia voti, quia votum confirmat promissionem vt

extenſam ad totam materiam. Nam vbi quis promittat puellæ centum in dotem, ſi hoc voueat etiã & promiſſionem confirmet voto, abſolutè tota centum ſunt & quodlibet illorum eſt materia per votum promiſſa, & ex voti obligatione tenetur reddere centum, licet talis non peccaret mortaliter v. g. ſi daret 99. cum dimidio. Cum igitur votum obedientiæ confirmet obligationem qua religioſus ſe obligat ad totam regulam, abſolutè verum eſt quòd ſingulum ex contentis in regula eſt materia voti, & quòd ad illud homo tenetur ex vi voti, etiam ſi ſit minimum. Cum quo ſtat, quòd adhuc vt dictum eſt illud tranſgrediendo religioſus vel ſolùm venialiter, vel nullo modo peccet. Suarez verò loco citato huc idem tenet non oppoſitum, vt legenti patet, cum hæc ſit eius concluſio. *Dicendum ergo eſt primò, regulam ſeu obſeruantiam eius contineri ſub materia voti obedientiæ religioſæ.*

SVMMARIVM.

1 *Quæ in regula non obligant ad culpam grauem, vel ſolum ad pœnam ex cauſa ſpeciali poteſt ſuperior præcipere ſub culpa, & pœna graui. numer. 114.*
2 *Non poteſt ſuperior ex paucorum culpa præcipere ſub culpa graui, quæ in regula aliter continentur. n. 115.*
3 *Prælatus ex ſolo zelo regularis vitæ, non poteſt ſub culpa, aut pœna maiori præcipere ea, quæ ſunt in regula. n. 116.*
4 *Prælatus libertates à regula conceſſas non poteſt auferre. nu. 116.*

114 DVbitatur autem ſecundo. An ex quo Regula tota eſt materia remota vbi regula, & conſtitutiones non obligant ad culpam, Prælatus etiam Generalis vel Capitulum generale poſſit res contentas in regula, aut conſtitutionibus præcipere ſub mortali? Reſpondetur autem diſtinguendo, quia aut datur cauſa ſpecialis id præcipiendi, vel non datur. Nam ſi v. g. totum aliquod collegium eſſet relaxatum, & parùm curaret legis pœnas, vel ſi non totum, illius aliqua pars, vel aliquis particularis nimia tranſgrederetur legem, & contumax eſſet, poſſet ſuperior vel toti collegio, vel parti, vel perſonæ ſingulari præcipere legis obſeruantiam præcepto obligante ad culpam. *Ledeſma de ſtat. cap. 4. concl. 6. dub. 2. Peyr. in ſubd. q. 1. cap. 5. §. 3. Bordon. tom. 2. reſol. 58. nu. 4. Anton. à Spir. Sancto tract. 3. diſp. 6. num. 100. & 102.* Et ratio eſt manifeſta; Totum enim hoc eſt ſecundùm regulam, vt ſuperior, qui eſt cuſtos regulæ, & ex officio tenetur & tollere abuſus, & tranſgreſſiones regulæ impedire, & eiuſdem obſeruantiam promouere, vtatur ad hoc medijs bene ſibi viſis, & vbi viderit ad aliquorum contumaciam ſuperandam, & ad regulæ obſeruantiam non ſufficere ex aliquorum malitia vt communem legis ordinationè obligantem ad ſolam pœnam, noua lege, aut precepto obligante ad culpam, vel etiam ad maiorem pœnam libidinem ſubditorum coerceat.

115 Verùm propter vnius, vel paucorum negligentiam, aut contumaciam non poteſt ſuperior lege, vel præcepto obligare totam communitatem ſub peccato mortali ad ea quæ in Regula vel ſolum ſub pœna vel ſub culpa leui ordinantur. *Sanchez l. 6. c. 2. num. 46. Ledeſma, Bordon, Peyr. & Anton. à Spir. Sancto vbi ſupra, Vaſquez p. 2. diſp. 154. cap. 2. num. 21. Salas de legib. diſp. 8. ſect. 12. num. 57. Bonac. in Decal. diſp. 1. q. 1. p. 3. num. 17.* Non enim iuſtum eſt, vt ob paucorum relaxationem, & culpam puniatur & grauetur tota communitas. Et eſt ſummè reprehenſibilis aliquorum ſuperiorum conditio, qui animo debiles, nec valentes nedum punire, ſed nec vel verbo reprehendere ſubditos diſcolos, inſolentes, & contumaces, ſtatim ad leges, & præcepta totam communitatem obligantia manum ponunt, & innocentibus grauia onera præceptorum imponunt ſine neceſſitate, & in præiudicium conſcientiæ ſuæ; & interim non remedium afferunt, ſed in peius cuncta procedunt, nouas leges nec innocentibus, nec diſcolis non obſeruantibus; illi quia cenſent non obligari, cum ſit ſupra regulam ſubditos obligari ſub culpa ad id, ad quod regula noluit obligare niſi ſub pœna; iſti quia cum Deum non timeant parùm curant culpam, niſi temporali pœna coerceantur.

116 Dicitur propterea ſecundò quòd nec Generalis, nec Capitulum Generale ſine ſpeciali cauſa, ex ſolo zelo regularis obſeruantiæ poteſt res præceptas in regula ſub obligatione tantùm ad pœnam præcipere ſub culpa mortali. *Sanchez d. n. 46. Ledeſma d. concl. 8. dub. 2. Vaſquez, Salas, Bonac. Peyr. vbi ſup. Anton. à Spir. Sancto num. 92.* Quòd probatur primò ex cap. *Geſta diſt. 74.* quod eſt Greg. in Epiſt. ad Natalem Epiſcopum Salonitanum, in Regiſt. lib. 1. epiſt. 19. vbi dicitur, quòd *iuſtum eſt, vt nullus creſcere compellatur inuitus, vbi Turrec. ex Hug. & Gloſſa* aducrtit colligi, quod Religioſis nolentibus diſtrictior vita non poſſit addi. *arg. cap. proclinis 20. q. 3. & cap. non eſt hic. 15. q. 1. & idem Turrec.* ibi ex hoc docet quòd Prælati conſtitutiones aſperiores facere non poſſunt. Secundò idem probatur ex S. Bernard. de diſpenſat. & voto cap. 10. dicente. *Prælati iuſſio, vel prohibitio non prætereat terminos profeſſionis, nec vltra extendi poteſt, nec contrahi citra. Nihil me Prælatus prohibeat eorum, quæ promiſi, nec plùs exigat, quàm promiſi.* Eſt vero maniſeſtiſſimè ſupra regulam præceptum obligans ſub culpa mortali, vbi regula ſub nulla obligat culpa. Tertiò nam Prælatus ſubditus eſt regulæ, & non eſt ſupra illam, ſed illius cuſtos, nec immunitates, aut libertates à regula conceſſas poteſt aut tollere, aut reſtringere, vt docent *Card. in cap. 10. reg. S. Franciſci q. 2. p. 6. Sanchez l. 6. c. 3. num. 9.* quos refert, & ſequitur *Bordon. vbi ſup. nu. 3.* Quamobrem nullum eſſet conſimile præceptum etiam ſub pœna excommunicationis latum in Ord. Prædicat. aut alio ſimili, in quibus Conſtitutiones non obligant ad culpam, vel etiam in quibuſcumque Religionibus quantùm ad ea, quæ in eorum regula ſunt tantùm de conſilio, vel purè præcipiuntur ſub pœna, ſi ſuperior ſine ſpeciali cauſa iuſta, & graui libertatem regulæ tollendo huiuſmodi vellet ſub culpa mortali, vel reſpectiuè etiam veniali præcipere ex ſolo zelo regularis obſeruantiæ, aut perfectioris vitæ. Nec obſtat, ſi dicatur, quòd Prælatus habet ius præcipiendi, quæ ſunt in regula: Nam hæc cum allata diſtinctione explicatur; vbi enim eſt regulæ tranſgreſſio, & reſpectu eorum, qui regulam tranſgrediuntur Prælatus habet ius id faciendi quod ad

regulæ

regulæ obseruantiam indicat opportunum, sed vbi non adsit specialis necessitas, non potest regulam arctiorem facere, & mutare, & supra eam obligare, sed secundùm illam debet se, & suos dirigere. Et nihilominùs etiam vbi est regulæ transgressio antequam veniat ad præcepta debet Prælatus suauiores vias experiri, quia hæc similis via præceptorum habet aliquid augmenti supra regulam saltem quantùm ad modum, nec Prælatus votum subditorum debet augere. *Peyr. d.§.3. Anton.à Spir. Sancto num.102.*

SVMMARIVM.

1 *Quidquid Prælatus præcipit secundum regulam obligat. nu.117.*
2 *Materia voti est quidquid implicite continetur in regula. n.118.*
3 *Materia voti est, quidquid ex quacumque lege tenetur Religiosus obseruare. nu.119.*
4 *Pœnam latam ex falsa præsumptione qualiter Religiosus teneatur seruare. n.120.*

117 HAbito igitur quòd sub materia voti obedientiæ nullum continetur præceptum, sed si loquimur de materia remota sub voto obedientiæ continetur quidquid cōtinetur in regula, aut constitutionibus ordinis, ita tamen quòd nō licet Prælato sine causa speciali præcipere, quæ sunt in Regula sub præcepto grauiori successiuè; Dubitatur tertiò, an eiusdem voti materia remota sit quidquid honestum ac licitum continetur sub præcepto superioris. Et primò hoc est certum præceptum superioris secūdùm regulam contineri sub materia voti obedientiæ. Si enim obediendum est superiori, tunc maximè est obediendum cum præcipit obseruantiam regulæ.

118 Verùm cum vt docet *D. Thom.2. d.44. q.2.a.3.& quod.10.a.10.c.* in regula quædam contineantur expressè, quædam verò contineantur implicitè & indirectè, quæ licet non exprimantur in regula, tamen virtute in ea continentur vt necessaria ad regulæ obseruantiam, sicuti sunt mutua obsequia inter religiosos, & pœnæ infligendæ in regulæ transgressores. Certum quoque est secundò sub materia voti obediētiæ contineri omnia & singula Prælati præcepta, quibus præcipitur quodcumque in regula vel expressè, vel indirectè, aut implicitè continetur tanquam necessarium ad regulæ obseruantiam. Ita D. Thom. locis citatis. quem sequuntur *Durand.2.d.44.q.4.num.5.Caiet.22.q.88. a.8.dub.vlt. Syluest.v.religio 6.q.6.Suarez tom.3.de relig.l.10.c.8.num.2.Sanchez l.6. mor. c.2. num.9. Donatus tom.3. trac.17. q.16. Coton. lib.controu.6.cap.5. num.150.Caramuel super reg.S. Bened.num.694.Lez. p.p.cap.4.num.10 Moron.respons.3. num.71.Miranda. p. p. q.26. a.7. & 9. Anton. à Spir.Sancto p.2.direct. tr.6. num.56.* & alij communiter.

119 Additur verò, certum esse, ad regulam pertinere quæcumque pertinent ad legem Dei vel Ecclesiasticam, ad quam tenentur religiosi vel quatenus fideles, vel quatenus clerici, vel quatenus religiosi, vel ex quocumque alio titulo. Vnde Prælatus potest omnia huiusmodi præcipere, quæ ad harum legum obseruantiam necessaria sunt, vt citati DD. tradunt, vel pœnas in transgressores ta-lium legum imponere, & huiusmodi præcepta sub materia voti obedientiæ continentur. Ita ex *D.Th. quæst.seq. a.5. ad p,* colligit *Caiet.* & tenent *Durand. 2.d.24.q.4.num.5.Sanchez loco citato num.10.* vbi ex Durand. aduertit, ad regulam pertinere nedum pœnas contra transgressionem regulæ, sed contra alias leges inflictas ad regulam pertinere, & religiosum tenere obedire superiori illas pœnitentias legitimè & iuris forma seruata iniungenti.

120 Quantùm tamen ad has pœnas præcipue aduertunt plures, quòd si præceptum superioris præcipientis aut pœnas iniungentis fundatur super falsa præsumptione, tunc si pœnæ sunt occultæ non tenetur religiosus obedire, quia tunc pœna imponitur solùm ad correctionem religiosi, qui cū non sit nocens non indiget correctione. Sed si pœnitentia sit publica, quia est data ad aliorum exemplum, subditus tenetur obedire. Ita *Vasquez p.2.disp.174. cap.vlt.num.26.Nauar.sum.c.23. nu.28. Sanchez dicto cap.2.num.11.*

SVMMARIVM.

1 *Prælatum teneri exprimere causam præcepti, aliqui tenent. 121.*
2 *Contraria opinio. n.122.*
3 *Superior est & Pater, & iudex, & vt iudex non erogat pœnam nisi pro culpa. n.123.*
4 *Superior vt iudex non potest punire nisi manifestatu causa & culpa prætensi rei. n.124.*
5 *Superior vt director ex vi voti non tenetur manifestare causam sui præcepti. n.125.*
6 *Obedientia non esset apta ad statum perfectionis nisi esset motus inexaminatus. n.126.*
7 *Excommunicatio lata non expressa causa valida. num.127.*
8 *Qui non potest agere sine causa non tenetur exprimere causam. n.128.*
9 *Religiosus ex pacto ad obedientiam cæcam tenetur. nu.129.*
10 *Subditum non posse transferri ad aliam Prouinciam sine causa expressa, quidam tenent. numer.130.*
11 *Generalis potest subditum transferre de Prouincia ad Prouinciam. n.131.*
12 *Translatio hæc dupliciter fieri potest. n.131.*
13 *Generalis per translationem simplicem potest ad libitum nulla expressa causa transferre subditum de Prouincia in Prouinciam. n.132.*
14 *Generalis Ord. Prædicatorum potest transferre affiliationes de consensu Conuentuum. n.133.*
15 *Soluuntur obiecta contrariæ opinionis. n.134.*
16 *Decretum Sacr. Congreg. Regularium consideratur. num.135.*

121 STante igitur quòd superior ex causa iusta tantum possit ea quæ sunt in regula præcipere cum maiori obligatione, nimirum obligando etiam sub culpa mortali, quæ sub leui aut nulla culpa mandantur in regula. Et stante quòd superior ea quæ non sunt expressa in regula potest præcipere ex iusta causa, si implicitè in ea contineantur, & sint veluti media ordinata ad obseruantiam perfectam regulæ, dubitatur quartò an in his, & in omnibus alijs casibus, in quibus superior non potest præcipere sine iusta causa, dum præcipit te-

neatur cauſam ſui præcepti exprimere, vt ſubditi teneantur ei obedire. *Peyr. in ſubd. q. 1. cap. 12. diſt. 2.* exiſtimat non eſſe credendum Generali dicenti ſe ex iuſta cauſa transferre Religioſum de ſua Prouincia ad aliam, & fundat ſe in eo principio *Nauar. de Spol. Clericor. §. 2. num. 7. & 8. & Conſ. 56. de Regular. nu. 2.* quòd ſuperiori etiam Principi non habenti ſuperiorem dicenti ſe facere aliquid ex iuſta cauſa non creditur, niſi conſtet de illa, ſi id, non poteſt facere ſine illa. In quo *Nauar. ſequuntur Moron. Reſponſ. 21. num. 19. & Paſqualig. de ieiunio deciſ. 397. num. 4.* Ex quo videtur dicendum, quòd quotieſcumque ſuperior præcipit aliquid, quod aliàs eſſet ſupra, vel extra regulam, vel quodcumque tale ad quòd ſuperioris poteſtas non ſe extendit ſine iuſta cauſa, ſuperior non poſſit præcipere niſi exprimendo cauſam ſufficientem. Quòd probatur, tum primò ex irrefragabili fundamento *Bartoli per textum in l. ſi forte ff. de caſt. peculij*, quòd quando aliquid non poteſt fieri ſine iuſta cauſa, illa debet probari. Tum ſecundò quia onera non ſunt ferenda ſeu ſubeunda ſine cauſa iuſta. Tum tertiò quia quando ſubditus dubitat de iuriſdictione ſuperioris non tenetur ei obedire, prout ex *Vaſquez & Salas habet Diana p. 4. tract. 3. reſ. 8. Sayrus in Claui regia lib. 1 c. 13. Ledeſma, & Vidal apud Anton. de Spir. S. tract. 3. diſp. 6. num. 107.* Atqui in hoc caſu, ſi ſuperior non exprimat cauſam ſufficientem ſui præcepti dubia eſt eius iuriſdictio, non ergo ſubditus tenetur ei obedire. Tum quarto quia ſubditus eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis, & ideo non poteſt illi præiudicari ex iure dubio ſuperioris. Sicut debitor qui tenetur reſtituere ſecundùm probabilem ſententiam, ſi poſt ſufficientem examinationem ſit dubius an debeat, *cap. in pari. cap. cum ſint iura, de reg. iuris in 6.* Tum quia etiam ſi ſuperior ſit prudēs & probus, adhuc ei ab aliquo non eſt credendum in præiudicium ſui; quia nec teſti fide digno quis tenetur credere in ſui damnum, vt ex *Nauar. dixit Corneko tom. 2. in 3. p. trac. 5. de excom. §. 10. dub. 1. nu. 2. Bonac. tom. 1. de cenſ. excom. diſp. 2. q. 2. p. 6. n. 46.* & habetur *cap. cum à nobis, de teſtib. & atteſtat.* Tum quia onus nemini præſumitur iniunctum niſi probetur, vt cum *Decio, & Cephalo tradit Moron. Reſpon. 61. num. 71.* huiuſmodi autem præceptorum onus non cenſetur probatum, niſi conſtet de ſufficienti cauſa, quia lex non obligat niſi ſecundùm intentionem legiſlatoris extra manifeſtatam.

122 Oppoſitum meritò docuerunt *Tambur. de iure Abbatum tom. 2. diſp. 21. q. 12. nu. 5. Bordon. tom. 2. reſo. 58. num. 46.* Quia ſi ſuperior ſit prudens, & probus, ſubditus rationes præceptorum non debet inquirere. Idem docet *Anton. à Spir. Sancto tom. 3. diſp. 6. num. 118.* & hoc eſt quòd ſupponit ſententia communis DD. dicentium quòd in dubio eſt Prælato obediendum vt infra ex profeſſo probatur.

123 Ad difficultatis reſolutionem conſiderandum eſt, quòd ſuperior regularis eſt & Pater, & iudex ſeu director ex obedientia in agendo. Priori modo finis illius eſt priuata vtilitas ſpiritualis ipſius ſubditi, qui ſe religioni dedit intuitu ſalutis æternæ, & perfectionis vitæ acquirendæ; & pariter finis eſt bonum communitatis Religioſæ, ad quem veluti ad finem principaliorem ordinatur etiam bonum cuiuſcumque ſubditi. Sed finis ſuperioris vt iudicis, eſt aliorum exemplum & commune bonum vt ex vindicta malefactorum reſultans. Ad duplex ergo genus reduci poteſt cauſa rationabilis ob quam ſuperior præcipiat. Nimirum bonum per ſe non ſupponens culpam, & bonum quòd culpam ſupponit. Primum conſiſtit in ſpirituali vtilitate ſubditi in ordine ad bonum commune totius Religionis. Secundum conſiſtit in vindicta, quæ habetur per pœnam ſubditi, & iuuat ad commune bonum ex peccati ſuppoſitione. Primum eſt finis ſuperioris vt directoris ex obedientia: Secundum ſpectat ad ſuperiorem vt iudicem.

124 Dicitur igitur primò, quòd ſuperior vt iudex nullam poteſt Religioſo infligere pœnam niſi expreſſa culpa, & ideo niſi aſſignata cauſa, quoniam pœna non datur niſi propter culpam. Hanc concluſionem probant, quæ prima illa ſententia cumulat. Et ratio eſt manifeſta, quia nemo debet puniri niſi de culpa confeſſus, aut conuictus, & ſic iuſtitiæ lex petit, vt reus præſenſus & citetur, & audiatur, & detur ei locus vt ſi poteſt de obiectis criminibus ſe purget. Et dato quòd ſuperior non procedat ad puniendum ſeruata tela iudiciali, ſed extraiudicialiter procedat, nihilominùs vbi procedit ad pœnam vt pœnam, ſeu ad culpæ vindictam debet reum audire. Nec iudex poteſt eſſe iudex & teſtis, cui ſubditus teneatur credere & culpam non valeat negare, ſi eſt innocens, & nec tenetur credere, quod iuſtè ex culpa ſubditi pœnam irroget, niſi culpam obijciat, & reum ſe excuſantem audiat.

125 Dicitur verò ſecundò quòd vbi ſuperior etiam inferendo aliquam ſalutarem pœnitentiam agit primò & principaliter vt director ex obedientia ad bonum ſubditi, in ordine ad profectum ſpiritualem Religionis, nec ipſe ſuperior ad hoc vt eius præceptum obliget tenetur reddere cauſam ſui præcepti per ſe loquendo, nec ſubdito licet illam inquirere, ſed eam in ſuperiore debet præſumere. Probatur primò hæc Concluſio Patrum authoritate. Et quidem primò S. Io: Climacus de obedientia gradu quarto dixit, *quòd obedientia eſt inexaminatus, & indiſcuſſus motus. Et propterea ſubdidit, quòd eſt ſecurum periculum, tuta nauigatio, confectum dormiendo iter.* Et addidit, quòd vir obediens nihil diſcernit, & quòd obedientia eſt *diſcretionis depoſitio inter diuitias diſcretionis.* Quia obedientis eſt minimè examinato ſuperioris conſilio, & eiuſdem mente non diſcuſſa, promptè ſuperioris præceptum ſuſcipere. Sanctus autem Bernardus data optima diſtinctione rem demonſtrat in ſerm. de vei. obedientiæ ſic dicens: *Inter ſummè mala, & ſummè bona, quædam media ſunt ad alterutrum ſe habentia, & boni malique nomen aſſumunt &c. In his igitur medijs ſubditi eſſe, & obedientes debemus ad nutum Præpoſitorum, nihil interrogantes propter conſcientiam, quia in his nullum præfixit opus Deus, ſed Prælatorum reliquit imperio diſponenda. Non autem te moueat Magiſter imperitus, indiſcreta poteſtas, ſed memento, quòd non eſt poteſtas niſi à Deo, & qui reſiſtit poteſtati, Dei reſiſtit voluntati.* Summè mala non ſunt, quæ mala non apparent, ſeu quæ non conſtat eſſe mala. Vbi igitur quòd præcipitur non conſtat eſſe malum, nihil aliud cogitare debet, aut interrogare ſubditus, ſed obedire debet per obedientiæ indiſcuſſum motum, ſciens quòd Deus quæ ab eo agi debeant reliquit imperio ſuperioris determinanda.

Idem

Idem verò Bernard.lib.de præcep.& dispensat.c.13. addidit. *Porro imperfecti cordis & infirmæ prorsus voluntatis iudicium est statuta seniorum studiosiùs discutere, hærere ad singula, quæ iniunguntur, exigere de quibusque rationem & malè suspicari de omni præcepto, cuius causa latuerit, nec vnquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit, quod fortè libuerit, aut quod non aliter licere, seu expedire monstrauerit, vel aperta ratio vel indubitata authoritas: delicata satis immò nimis molesta est huiusmodi obedientia. Non planè hæc illa est, quæ ex regula traditur obedientia sine mora. Disputare profectò hoc est in actu cordis, non in auditu auris obedire.* Ideo SS. PP. omnes dixerunt obedientiam debere esse cœcam, quia subditus superioris consilia non debet discutere, vnde & obedientia, vt dixit Vmbertus quintus Generalis Ord. Præd. Epis. ad suos fratres de tribus votis cap 5. debet esse simplex sine discussione. Vnde & hanc veritatem Scholastici Theologi probarunt.nimirum *D.Thom.2.d.44.q.3.ad 5.Turrecrem.ad c.57. Reg.S.Bened.Thomas Vuald tom.1.lib.3. n.2.cap.25. Gerson.consideratione p. pro Religiosis. Iacobus de Vitriaco Dom.3.Aduent.D.Bonau.in vita S.Franc.c.6.* vbi sic habet. *Hic verus est obediens, qui cur moueatur non diiudicat; vbi locetur non curat; vt transmutetur non instat.* Et hoc idem supponunt omnes qui asserunt in dubijs obediendum esse Prælato, quia Prælati præceptum iustum præsumi debet, quos refert abundanter *Sanchez l.6.in Decal.cap.3. num.3.*

126 Et ratione manifesta probatur, quia obedientia non est apta ad perfectionis statum nisi sit motus inexaminatus, & indiscussus. Quod apparet primò ex parte status religiosi, qui vt habet *D. Thom.supra a.5.* est schola & disciplina perfectionis, qui autem instruuntur vt ad aliquem finem perueniant, oportet quòd alicuius instructionem sequantur secundùm cuius arbitrium instruantur, vt perueniant ad finem. Quod non esset si religiosorum esset vltimum agendorum examen,& iudicium de ijs, quæ à superiori præcipiuntur, an scilicet ex causa legitima & sufficienti præceptum procedat. & sit exequendum. Tum ex excellentia voti obedientiæ, & holocausto, quòd secundùm S.Greg.& *D. Thom.in arg.sed contra* Deo in professione offertur; quia scilicet per votum obedientiæ totus animus Deo mutatur, quod minimè verum esset, si Religiosus se totum non committeret arbitrio & nutui superioris, sed immò ita esset sui dominus, vt in eius dominio esset obedire, & non obedire si causa præcepti vel lateat, vel sibi iusta non videatur. Tum ratione communitatis Religiosæ, quæ pessime esset instituta. Si enim subditi haberent ius inquirendi à superiore causam præcepti, & examinandi, & discutiendi eam, & de eius sufficientia iudicandi; iam ipsi essent iudices agendorum, non Prælati, & vix vnquam inuenirent Prælati obedientiam nisi cum dulcia mandarent, & à subditis concupita: vbi verò ardua ordinarentur subditi sub prætextu causæ insufficientis resisterent, & monasteria redundarent rebellionibus, arderent litigijs, consumerentur discordijs: Ideo opus est ad pacificum, tranquillum monasteriorum statum, vt subditi arbitrio, & conscientiæ superiorum se committant. Tum respectu ipsius subditi; qui non esset securus in agendo, si esset ipse sui magister vltimus, & director. Nam vt considerauit Vualdensis citatus. *Semper tutum est, vt Religiosus vir per sanctæ obedientiæ viam incedat, nec credat propriæ coniecturæ ne sibi ipsi sit magister incertus. Quod enim iuuenis expertus sum, dico prouectus: tutius humiliter obeditur, quàm magister contemnitur.* Et propterea Climacus supra citatus ex quo asseruit, quòd obedientia sit motus indiscussus, dixit etiam quòd sit securum periculum, tuta nauigatio, & confectum dormiendo iter. Subditus igitur religiosus totus est remissus arbitrio, & conscientiæ superioris, nec habet vnde possit superioris mandata discutere & examinare, & causam illorum inquirere.

127 Ad argumenta verò in oppositum respondet primò *Anton.a Spir. Sancto nu.120.* quòd etiam ad excommunicandū requiritur causa, vt notat *Suarez de cens.disp.4.sec.6.num.1.*& nihilominùs excommunicatio lata non expressa causa non est nulla, sed valida per eundem.*Suarez d.disp.4 sect.7.nu.34. & Bonac.disp.1.quæst.1.p.11.num.19.* Sed quidquid sit de hoc.

128 Respondetur secundò quòd illud fundamentum Bartoli, & Nauar. quòd scilicet quando quis non potest agere nisi cum causa, tenetur exprimere causam, non est communiter receptum: contrarium enim tenent communiter Canonistæ in *c. quæ in Eccles.de Constit.vbi Panorm.num.14 & Felin.* latissimè plures DD. allegans à num.60. & nouissimè *Reuerendiss. Fagnanus*, vbi pro comperto habens & certo quòd Princeps non potest tollere ius quæsitum alicui sine iusta causa per iura & DD. ibidem citatos à num.112. vbi causa sit dubia, referens primò opinionem asserentem præsumendum pro Principe, quòd fuerit motus ex iusta causa, postea subdit onm.125.Quia tamen in practica seruaretur prima opinio eam poterit limitare quatuor modis, nimirum vt non verificetur quando Princeps rescribit contra ius quæsitum ex suo contractu. Secundò quando rescribit contra concessionem gratuitam à se factam. Tertiò vt præsumatur pro Principe respectu subditorum tantum. Quartò si Princeps in rescripto exprimit causam friuolam Et quidquid sit de hac quæstione in foro externo,in foro conscientiæ semper præsumendam est Prælatum ex causa iusta agere, nisi constet de opposito, quia subditi non est consilia superioris discutere, vt non obscurè significat *Sotus in 4.dist. 25.q.2.a.2.col.antepen.& l.7.de iust.q.4.a.3.ad 2.in fine Suarez de cens.disp.41.sect.3.in fin.* quos refert, & sequitur *Sanchez lib.8.de matrim.disp.17.n.16.*

129 Sed respondetur tertiò quòd iura allata ab arguente, & doctrinæ adductæ ab eo & hic non examinandæ, extra propositum adducuntur, cum nos simus in casu potestatis habitæ ex pacto, & voto, per quod Religiosus se obligat ad obediendum secundùm arbitrium superioris per obedientiam cœcam, inexaminatam, & indiscussam in omnibus & singulis, quæ non constiterit esse illicita, aut non esse secundùm regulam; vnde est quòd esto hæc cœca obedientia sit onus, tamen est onus voluntariè assumptum. Et in hocius superioris non est dubium, sed certissimum, cum eius arbitrio sit commissum subditos suos dirigere, & docere, & ducere. Et certum est quòd is ad cuius arbitrium & conscientiam commissum est agere, & iudicare, & decernere, licet non possit agere nisi ex iusta causa,

causa, & si opus sit, hanc teneatur manifestare superioribus suis ab eis requisitus, non tamen eam tenetur reddere subditis, vel eam dum iubet manifestare, sed pro eo præsumendum est, quòd iubeat ex causa iusta. Quod maximè verum est in superiore Regulari, & in regulari gubernio, in quo sæpissimè contingit, quòd motiua præcipiendi prudenter non possunt manifestari, & non posset bono communi consuli, si manifestarentur. Et nihilominùs supra dicta sic per se loquendo vera sunt, quòd regulariter in rebus grauibus optimum est, quòd superiores exprimant causam, quare præcipiunt, & ita fieri debet. Tum ne possit dici de illis, quòd indiscreti sint in præcipiendo; Tum vt vitentur falsi prætextus subditorum; & faciliùs, & luaniùs præceptum inueniat obedientiam. Et maximè vbi obedientiæ coniunctum sit aliquod grauis damni periculum. Nam & licet præsumendum sit Prælatum ex causa iusta præcipere, tamen si de hac non constat, præsumptio fauorabilis Prælato potest contrarijs præsumptionibus vinci, & obedientia impediri. Vnde per accidens opus est, vt superior causam præcipiendi exprimat.

30 Quod verò in exemplum adduxit Peyrinus dicens non posse Generalem suum subditum à Prouincia filiali transferre ad aliam sine legitima causa, & ideo debere in translatione, exprimere hanc causam iustam. In quo Peyrino consentit *Anton. a Spir. Sancto d. trac. 3. disp. 6. num. 140.* volentes; quòd si causa non sit sufficiens potest subditus appellare. Citato autem *Nauar. in comm. 4. de Regul. num. 22. & consil. 9. de Constit. nu. 11. & Rodriquez tom. 1. q. 23. a. 2. & Vega p. 2. cap. 86. casu 42.* id probant, Tum primò quia iudex superiorem agnoscés non potest in damnum tertij quidquam facere absque rationabili causa per *Panorm. in cap. cum omnes. de constit. num. 2. & Nauar. cons. 5. num. 4. de appellat. & per cap. erit autem. dist. 4.* secundò quia omnis sententia lata contra inauditum & incitatum legitimè est ipso iure nulla, vt habetur *c. nos in quemquam 2. q. 1. & cap. 1. de causa possess.* Tum tertiò quia Prælato superiorem habenti, & iniustum mandanti, etiam si illud possit fieri sine peccato nō tenemur obedire per *Panorm. in cap. inquisitioni num. 5. de sent. excom. & Tabien. v. obedientia nu. 6.* qui exemplificant si Prælatus mandaret mihi, vt illi darem meos libros, non teneor obedire, sed deteriores sunt, qui famæ nostræ detrahunt, quàm qui substantiam diripiunt. *cap. deteriores 6. q. 1. Panorm. cap. magna n. 3. de voto.* Tum quartò quia in omni obedientia intelligendæ sunt aliquæ conditiones, nimirum si possim, vel si rationabilia præceperit, vt docent *Tabien. v. obedientia num. 17. Syluest. num. 3. Angel. num. 3. Armill. num. 12. Rosell. num. 12.* igitur si superior præcipiat aliquid sine ratione, non teneor obedire.

131 Supponitur autem in toto hoc discursu, quòd Generalis possit cum causa tamen rationabili transferre subditos de vna ad aliam Prouinciam. Quod asserit Nauar. & probat, ex eo quòd in Ord. Prædicatorum hæc potestas tribuitur Generali, vt patet ex libro Instruc. Officialium d. Ord. edito à Magistro Generali Vmberto, vbi *cap. 1. de off. Mag. Ord. 5. circa Capitulum Generale*, in fine, dicitur: *Suum est etiam transferre fratres de Prouincia ad Prouinciam pro vtilitate vel Ordinis, vel fratrum transferendorum, vel prouinciæ à qua, vel ad quam translatio huiusmodi fuerit facienda.* Verùm æquiuocatio magna hic esse potest, Nam dupliciter transferri possunt Religiosi de Conuentu ad Conuentuum, vel de Prouincia ad Prouinciam, scilicet per simplicem assignationem ad arbitrium superoris duraturam, seu ad tempus, & ad actuale aliquod officium, alio modo simpliciter transferendo affiliationem Religiosi ab vno Conuentu aut Prouincia & faciendo illum filium alterius Cōuentus, seu Prouinciæ. Et sic faciendo quòd subditus non possit gaudere gratijs, & prærogatiuis Conuentus aut Prouinciæ à qua separatur, sed possit gaudere prærogatiuis Conuentus aut Prouinciæ ad quam transfertur & sic non iam Conuentus, aut Prouincia à qua, sed Conuentus aut Prouincia ad quam transfertur teneatur eum alere, expensas carcerationis si contingant, soluere, infirmum, debilem, & inutilem sustentare, & alia onera subire, quæ secundùm eiusdem Ordinis leges subire tenentur Conuentus, & Prouinciæ pro filijs suis.

132 Si loquamur de prima translatione indubitatum est, quòd Generales possunt fratres de vna ad aliam Prouinciam transferre, vbi, vt aduertit Nauar. monasteria non sunt disiuncta, sed omnia simul constituunt vnum corpus sub vno capite, quod est Generalis. Sed quòd ad hoc vt Generalis hoc modo transferat subditum de Prouincia ad Prouinciam, sit necesse, quòd exprimat in assignatione aut translatione causam expressam, sine fundamento aliquo asseritur; quia ad hoc sufficit causa illa generalissima, & vniuersalissima, quæ est cura prouidendi Conuentibus, aut Prouincijs de idoneis fratribus, quæ causa semper præsumi debet, si non exprimatur. In hoc enim summum arbitrium habent superiores collocandi fratres in Conuentibus prout eis bene visum fuerit pro bono Ordinis, Nec fratres ex quo sint filij alicuius Conuentus habent ius aliquod manendi ibi, nisi forsan iuxta alicuius Ordinis aut Conuentus leges particulares: & licet superior etiam in hoc debeat rationabiliter agere, hoc est ad licitè, non vero ad validè agendum. Et imperfectissimum esset gubernium Religionum in quibus monasteria constituunt vnū corpus sub vno Generali, si Generalis subditis suis teneretur reddere rationem suorum mandatorum & præcipuè si ex causis sibi bene visis, quæ sæpissimè tales sunt, vt nec possint nec debeant manifestari, non posset Generalis in toto Ordine, & Prouincialis in sua Prouincia ad libitum, & ex causa sibi bene visa subditos de vno ad alium locum transferre. Nec appellationum, nec litium, nec concertationum, nec scandalorum esset finis, si superiores tenerentur ad non remouendum fratres de vno ad alium locum nisi ex causa speciali notificanda ipsi subdito, & ab eo examinanda an esset sufficiens, vel non esset. Sed tollit omnem difficultatem, quòd translatio Religiosi de vno ad alium locum est de expressè contentis in Regula, aut Constitutionibus tanquam quid remissum arbitrio, & conscientiæ superioris, vnde non est cur subditus repugnare velit Prælato præcipienti. Et in Ordine Prædicatorum, in quo istæ affiliationes seruātur adest lex expressa lata in Cap. Bonon. iam à ducen-

centis & quinquaginta duobus annis scilicet anno 410. ord.9. tenoris sequentis. *Pœnas excommunicationis, & carceris incurrere volumus fratrem quemlibet publicè asserentem, se non posse nisi propter crimen, vel scandalum a suo Conuentu natiuo, aut alio remoueri.*

133 Sed si loquimur de translatione affiliationis, oportuisset quòd Nauarrus & alij DD. citati probassent, quòd hæc etiam cum causa possit fieri inuitis Conuentibus, aut Prouincijs. Nam quòd refert ex instruc. Ord. Prædicatorum, id non probat, nedum quia liber ille non continet vel minimam legis authoritatem, sed quia loquitur de translatione fratrum, non de translatione affiliationum. Tum quia quatenus intelligeretur etiam de translatione affiliationum, non dicit, quòd hæc fieri possint Inuitis Conuentibus aut Prouincijs. Et quidem Generalis Ord. Prædicatorum secundùm sui Ord. leges potest transferre etiam affiliationes fratrum de Conuentu aut Prouincia ad Conuentum aut Prouinciam: Sed leges istæ volunt, vt non fiant nisi accedente consensu vtriusque Conuentus, & Prouincialis vt ex Capit. Roman. 1553. & Auenionen. 1561. habetur Quamuis Generales aliquando dispensent super consensu Conuentus à quo fit translatio. Sed quod Generalis possit huiusmodi translationes affiliationum facere Inuito religioso, & Conuentu ad quem, & Prouinciali, nec lego negatum nec video concessum, & Ordinis praxis fundata in præfatis legibus est, vt sine consensu Religiosi translati, & saltem Conuentus ad quem fit translatio, huiusmodi translationes non fiant. Et meritò tam ex parte subditi, cui ex vi legis affiliationum conuenit tale quale ius alimentorum in infirmitatibus præcipuè habitualibus, & senectute, vnde multum potest illi interesse affiliatio potiùs ad hunc Conuentum, quam ad alium: quàm ex parte Conuentus ad quem transfertur affiliatio quia in eum transfertur onus aliquod alendi Religiosum, & quidem eum alio onere, vt non ad illum, sed ad Conuentum originalem pertineant bona immobilia, quæ intuitu Religio ad Religionem peruenerunt, & quod ius ex vi professionis acquisiuit Conuentus originalis.

134 Ex ijs respondendo ad argumenta quatenus sūt contraria dictis patet quòd prima duo argumenta ad rem non faciunt, cum loquantur de iudice ad pœnam procedente. Et admittitur, quod superior in pœnam non potest subditum innitum, vel saltem non auditum, & non confessum aut conuinctum priuare sua affiliatione vel etiam per simplicem assignationem à Conuentu remouere. Tertium nihil probat. Tum quia *Panorm. & Tobien.* citati non loquuntur de Prælato Regulari, sed de Prælato in communi. Tum quia eorum dictum verum est, vbi iniustitia est manifesta, & iam ex dictis certum est subditum non teneri obedire Prælato præcipienti id, quod manifeste est contra aliquam legem in qua Prælatus non potest dispensare. Exemplum quoque non facit ad rem quia non est sermo specifice de Prælato regulari. Alias enim ex vi voti paupertatis potest Prælatus regularis libros auferre, & cui voluerit tribuere. Ad quartum admittitur obedientiam admittere conditionem si sit rationabilis, sed nego quòd hoc examinare sit subditi, qui solum negare potest obedientiam si res præcepta sit manifeste iniqua, vt infra cum communissima sanctorum Patrum, & Theologorum sententia probo ex professo, & ostendo quomodo in dubio ininsti præcepti teneatur Religiosus obedire.

135 Quod verò *Peyr.d.cap.* 1 2. refert, quòd cum Generalis sui Ord. Minimorum de anno 1650. vellet remouere quosdam fratres Gallos a Conuentu SS. Trinitatis de Vrbe, & mittere in Prouinciam Genuensem, illi habuerunt recursum ad Sacr. Congregationem Regularium, quæ ordinauit, vt fratres illi permanerent localiter in eo Conuentu donec Generalis redderet causam remotionis, quod inquam sic dicitur, non obstat prædictis. Prætermisso enim quòd ex huiusmodi Sacr. Congregationis decretis relatis ab hoc vel illo fine supplici libello & notitia causæ ob quam Sacr. Congreg. decreuit id vel illud, non potest colligi regula certa de agendis. Nam & ille Conuentus licet in Vrbe erectus Gallorum est, & potuit esse talis causa in illis Religiosis, & tales circumstantiæ, quòd non liceret Generali sine aliqua specialissima causa, & forsan nisi in pœnam illos Religiosos remouere, hoc, in quam prætermisso: Respondeo quòd ex hoc facto non habetur, nisi quòd superior etiam Generalis suis superioribus tenetur requisitus reddere causam etiam in illis, quæ suo arbitrio, & conscientiæ commissa sunt. Et quòd vbi habeatur præsumptio quòd sine causa rationabili præcipiat, meritò eius præcepti executio à suis maioribus retardatur. Et quòd subditi ex rationabili causa contra superioris præceptum ad superiores mediatos, & maiores recurrere possunt, & quòd superiores prudenter agere debent & videre ne irrationabiliter agant, & arbitrio sibi concesso abutantur.

SVMMARIVM.

1 *Quod præceptum superioris respectu eorum, quæ non sunt in regula, debeat acceptari, vt valeat, quidam asserunt.num.*136.
2 *Hac opinio reijcitur.num.*137.
3 *Lex Canonica obligat ad sui acceptationem. numer.*137.
4 *Lex voti non indiget acceptatione.nu.*137.
5 *Tam priuatus, quam communitas superiori absolute præcipienti obedire tenetur.nu.*138.
6 *Licet aliquando humiliter superiori replicare. numer.*138.

136 Dubitatur quintò an lex aut præceptum superioris ad hoc vt obliget indigeat aceptatione subditorum. *Caramuel in regul.S.Benedicti disp.*52. *num.*738. existimat, quòd in rebus, quæ sunt expresè in regula prout communiter explicatur, non est opus acceptatione in subditis: in rebus verò quæ sunt in summo rigore regulæ contra communem vsum, & in rebus, quę non sunt regulares, sed ad regulares reducuntur vt media ad finem indiget acceptatione. Ratio primæ partis est, quia subditus iam regulam acceptauit, igitur

tur ad hoc vt obligetur per præceptum, per quod mandatur seruari aliquid expressum in regula non est opus noua acceptatione. Ratio autem secundæ partis est. Nam non debent fieri per media difficilima quæ possunt fieri per facilia & suauia: & Prælati non acceperunt authoritatem ad grauamen subditorum, sed ad regimen: igitur hi si iugum non respuant, sed mediorum summam difficultatem, non veniunt condemnandi. Addit verò in fine numeri 747. quòd lex seu præceptum priuatum circa huiusmodi non contenta expressè in regula nõ valet nisi acceptetur, sed tamen valet si superior audita subditi excusatione iterum rem eandem præcipit, & tunc ille tenetur obedire. Et num. 748. ait quòd superior, si ei præcipienti communitas illa se excuset, & nolit acceptare, potest vti hac cautela, vt præcipiat singulis, & si illi se excusent iterum idem illis præcipiat, & tenebuntur singuli obedire, & sic obligabitur communitas.

137 Hæc sententia in hac materia singularis est, & minimè fundata nec bene à Caram. dicitur, quòd illam teneant, qui dicunt legem non acceptatam non obligare, quia illi non loquuntur de lege aut præcepto quòd veniat ex promissione & voto, quo quis se ipsum abnegans se tradidit in subditum Prelati, suum velle, & nolle ponens in manibus, & potestate illius. Misso igitur quòd omnino dicendum est quòd lex Canonica, & Ecclesiastica vi sua obligat ad se recipiendum, vt magis communiter tradunt DD. quos abundè referunt & sequuntur *Gabriel Martinez p. 2. q. 96. a. 4. dub. 8. Suarez l. 4. de legibus cap. 16. Io: Martinez de Prado in Theolog. moral. cap. 3. q. 6. §. 1.* & nouissimè *Reuerendiss. Fagnanus in cap. Treguas, de tregua, & pace, vbi à num.* 48 hoc fortissimè probat, & tanquam indubitatum demonstrat, loquendo de Religiosis, qui se ipsos abnegarunt, & ex voto iuxta Christi consilium asperitatem crucis assumpserunt, vt sequerentur Christum, sine probabilitate asseritur, quòd sit in eorum libertate acceptare vel non acceptare iterum obedientiam, quam voto promiserunt. Nec cum fundamento limitatur hoc ad facilia, & ita quòd ad difficilia esto sint secundùm regulam sint liberi, quia ad asperitatem crucis se obligarunt, & ad omne id, quod Prælatus potest iustè præcipere.

138 Item dato quòd hæc limitatio posset admitti, non erat dicendum absolutè, quòd subditus in ordine ad illa, quæ implicitè continentur in regula sit liber, vt præcepta superioris acceptare possit, & non possit. Et inconsequenter etiam loquitur, dum quòd concedit de subdito respectu præcepti priuati, negat sine aliquo probabili fundamento de communitate. Nam verum quidem est, quòd aliquando subditis licet humiliter supplicare superiori vt præceptum, vel legem moderetur, aut tollat, quando ad sic faciendum adest rationabilis causa, quia tunc simul aderit iusta præsumptio voluntatis non omnino absolutæ in superiori, & quòd præceptum non oriatur ex plena notitia negotij, & circumstantiarum eius. Et hoc nedum habet locum vbi superior præcipiat difficilia & aspera, sed immò magis, vbi præcipit prospera & quæ communiter accipiuntur vt facilia, & appetuntur, si aliàs adsit in obseruantia præcepti aliquod periculum ipsi subdito, vel alijs, vt de iniunctione Episcopatus supra dictum fuit. Et vbicumque ex præcepto potest oriri aliquod scandalum vel inconueniens graue, non est malum exponere id superiori, sed hoc non est, quia subditus possit non acceptare præceptum & præceptum non habeat vim, nisi eo acceptante subdito. Sed quia tunc superior potest præsumi præcepisse ex aliqua ignorantia, & absolutè adhuc non velle vt præceptum sit efficax. Sed si iuxta regulam S. Bened. loco à Caram. citato nimirum cap. 48. priuatus postquàm superiori exposuit impossibilitatem seruandi præceptum, nihilominùs si Prælatus perseueret in sua voluntate, subditus tenetur obedire; cur hoc negatur de communitate? Lex enim illa data à sancto ibi non est positiua, sed naturalis professioni Religiosæ, ideoque communis tam priuatis religiosis, quàm communitati, quæ nihil aliud est, quàm congregatio personarum, quæ non habent iam velle, vel nolle, sed in ijs, quæ sunt secundùm regulam pendent à nutu sui superioris. Nec Religiosorum communitas habet distinctam obligationem, quàm quilibet Religiosorum, quia tam illa, quàm isti ideo obligantur vt obediant, quia id promiserunt, & vouerunt. Ideo sententia hæc Caram. singularis est, & omnino reijcienda tanquam sine fundamento contraria DD. omnibus tam Theologis, quàm Canonistis, quorum nullus est, qui non doceat Religiosos teneri ad obediendum superiori præcipienti secundùm regulam.

SVMMARIVM.

1 *Religiosum teneri obedire in omnibus licitis, qui sentiunt. num. 139.*
2 *Religiosi non tenentur supra regulam. nu. 140.*
3 *Abdicatio voluntatis regulata. num. 141.*
4 *Nulla est dabilis regula, quæ præcipiat omnia consilia. num. 141.*
5 *Obedientia vniuersalis, quia ad totam vitam, &c. num. 141.*
6 *In Religionibus in quibus dicitur quod subditi obediant in omnibus licitis, hoc non est præceptum, sed consilium. num. 142.*

139 HIs ergo suppositis, Dubitatur sextò an ea quæ sunt supra regulam contineantur sub materia voti obedientiæ, ac propterea religiosus superiori talia præcipienti teneatur obedire. Nam difficultatem facit, quòd hæc obedientia videtur esse quam consuluit Christus Matt. 16. dicens *Qui vult venire post me abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Abnegatio enim sui vniuersalissimè respicit omne licitum, quia ille abnegat se, qui priuat se dominio suæ voluntatis, quod ad omnia licita se extendit. Vnde iuxta S. Basilium regula 6. abnegatio sui est summa rerum omnium obliuio, & à propria voluntate recessio. Secundò quia *D. Thom. supr. a. 5. ad 3.* ait obedientiam esse vniuersalem quoad omnes res, ad differentiam obedientiæ communis omnibus fidelibus. Tertiò quia sanctus Bonau. in expos. regulæ fratrum Minorum c. 1. asserit dari quasdam religiones, quæ tenentur obedire in omnibus licitis, inter quas numerat Religionem Minorum, & de mente Lessij talis est Societas IESV. Et ita hanc sententiam tenue-

renuerunt *Arch diac. cap. qui iustis in fine. 11. quaest. 3. Abbas c. super eo num. 6. de regular. Praepositus cap. ad nostrum num. 9. de appel.*

140 Nihilominus communissima, & verissima sententia est, ea quae sunt supra regulam non esse materiam voti obedientiae, ideoque religiosos ex vi voti non teneri in istis obedire. Ita enim tenent *D. Thom. supra q. 104. a. 5. ad 3. & 2. d. 44. q. 2. a. 3. & quodl 10. a. 10.* quem sequuntur *Caiet. supra q. 88. n. 8. S. Bonau. 2. d. 44. a. 3. q. 1. Durand. q. 4. nu. 4. Richar. a. 3. q. 2. ad p. Turrecrem. cap. gestu dist. 74. Palud. 2. d. 44. q. 4. a. 1. num. 14. D. Anton. 3. p. t. 16. c. 1. §. 9. Siluester v. religio 6. q. 6. Tabien. v. obedientia q. 1. num. 16. Armilla num. 3.* & alij summistae *v. obedientia, aut v. religio. Soto l. 9. de iust. q. 3. a. 1. d. 2. Nauar. summa c. 23. num. 39. Vasquez p. 2. d. 154. cap. 4. n. 21. Suarez tom. 3. de relig. l. 10. c. 8. num. 5. Sanchez l. 6. moral. cap. 2. n. 15. Rodriq. p. 3. q. 19. a. Miranda p. p. q. 26. a. 10.* ex Richardo Victor. *Donatus d. tr. 17. q. 16. num. 7. Lez. d. c. 4. nu. 13. Coton. d. contr. 6. cap. 5. num. 152. Anton. à Spir. Sancto d. trac. 6. num. 54.* & alij communiter. Et probatur primò ex authoritate S. Bernardi lib. de praecepto & dispens. c. 7. vbi inter alia habet, quòd *is, qui profitetur, spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, sed determinatam secundùm regulam.* Probatur verò ratione à priori, primò ex parte superioris & religionis, quia ex vi Ordinis instituti Praelatio ordinatur ad hoc vt status religiosus secundùm regulae statuta conseruetur; igitur Praelati non habent ampliorem potestatem, quam sit illa per quam possint regularem statum conseruare iuxta regulam; quae facultas ad ea, quae sunt supra regulam non extenditur. Probatur secundo ex parte subditi, qui non se subijcit nisi in ijs quae sunt secundum regulam. Tantum enim se extendit votum obedientiae, quantùm se extendit pactum, & promissio humana libera, & voluntaria per quam homo se tradit religioni sub regimine Praelatorum; Quia nec Praelatis conuenit aliud dominium aut iurisdictio, quàm sit dominium, aut iurisdictio, quae vel consurgunt ex vi dictae promissionis, vel in ea fundantur, illamque supponunt, & ad illius obseruantiam ordinantur; pactum verò & promissio quam faciũt religiosi cũ religione non se extendit nisi ad regularem conuersationem, seu ad regularem vitam, vt bene docet D. Thom. locis citatis & etiam artic. sequenti; regularis verò vita est quae regulae adaequatur, non quae regulam excedit.

140 Ad ea igitur quae in oppositum adducuntur respondetur, & dicitur ad primum pro nunc non esse possibilem obedientiam quae sine regula & limitatione se extendat indifferenter ad omnia licita, quia in exercitio multa sibi inuicem contrariantur & repugnant, & si talis obedientia daretur, vt notat *D. Thom. in 2. d. 44. q. 2. a. 3. ad 3. & quodl 10. a. 10.* id esset confusio religionum, verbum igitur Christi necessariò intelligitur de abnegatione regulata, & ad certos limites prudenter restricta. Et ideo bene Sanchez aduertit nullam dari posse religionem, respectu cuius aliqua non sint supra regulam. Quia non est dabilis vna religio comprehendens omnes fines, & omnia media, & omnia consilia, & ad illa omnia obligans, cum ista sint simul incompossibilia. Ad secundum respondet *D. Th. ibid. ad 3. & quodl. 10. a. 10.* vbi asserit votum obedientiae esse vniuersale, quia se extendit ad dispositionem totius humanae vitae, non quia se extendat ad omnes actus, & praecipuè ad illos, qui sunt supra regulam.

142 Ad tertium dicitur non negandum, aliquas religiones habere votum obedientiae extensiuè maius, nullam tamen dari respectu cuius non sit aliquid supra regulam ad quod votum obedientiae non se extendit. Et quantùm ad societatis, statutum illud *par. 3. c. 1. §. 23. & p. 6. c. 1. §. 1.* in quo decernitur obediendum esse in omnibus in quibus manifestum peccatum non cernitur. *Sanchez n. 16. loco cit.* illud interpretatur iuxta diuisionem *D. Th. supra q. 104. a. 5. ad 3.* de obedientia necessaria seu sufficienti, & perfecta, vt intelligatur dictum de perfectissima obedientia, quae non est necessaria, sed est de consilio. Nam & dum S. Ignatius ibidem docet esse obediendum non in solis rebus obligatorijs, sed in alijs quoque, manifestè supponit dari aliqua, ad quae necessitas obediendi non se extendit. Sed & *Suarez tom. 4. de relig. tract. 10. l. 4. c. 12. num. 14.* censet huiusmodi statutum intelligendum iuxta subiectam materiam, & ius illud limitare, & ita vt superior non possit praecipere extra regulam, & tamen multa possit praecipere, quae non sunt scripta in regula & ad finem instituti societatis, & eius obseruantiam conducunt, & hoc sufficiat ad hoc vt de religioso societatis dicatur, quòd habet voluntatem superioris pro regula. Hoc autem omni Ordini conuenit, nam secundùm regulam cuiuscumque Ordinis est id, quòd conducit ad finem Ordinis & ad obseruantiam regulae est ordinatum. Sed & loquendo de Ordine Minorum *Corduba in expos. illius regulae c. 10 q. 2. dict. 1.* Statutum illius regulae obligans ad obediendum superiori in omnibus licitis, vt adnotat Sanchez loco citato Interpretatur, vt intelligatur quantùm ad rigorem obedientiae quando praeceptum superioris non excedit regulae limites. Vnde idem Doctor vt considerat Suarez loco citato num. 6. bene docet, quòd si superior ordinis Minorum praeceperit alicui religioso quòd numquam comederet carnes non teneretur obedire, sicut non teneretur ire ad Indos vbi religio non habet Conuentus. Itaque quatenus in aliqua religione sit statutũ vt religiosi obediant superiori in omnibus licitis, tamen ad minus respectu eorum quae sunt supra regulam tale statutum continet consilium, non praeceptum. *Peyrin. in subd. cap. 8. dic. 2.*

SVMMARIVM.

1 *Quid sit quod est supra regulam. nu. 143.*
2 *Poena non est supra regulam. num. 144.*
3 *Medicinale remedium non est supra regulam. numer. 145.*
4 *Quod prius fuit de regula non est supra regulam. num. 146.*

143 DVbitatur septimò quid sit aliquid esse supra regulam. Haec quaestio necessariò praemittenda est ad intelligentiam plurium quaestionum. Dicitur verò, quòd supra regulam est actio aut passio difficilior, austerior, arctior vel in extensione, ad maius tempus, vel in maiori numero, vel in qualitate, aut intensione, quàm sit illa, quae est praecepta per regulam, vt gestare habitum

asperiorem, ieiunare per longiorem quadragesimam, & huiusmodi. Verùm aduertendum, non esse supra regulam id quòd continetur in regula virtualiter, seu implicitè.

144 Ideo ad hoc vt aliqua actio, aut passio sit supra regulam quatuor debet habere conditiones, prima quòd non sit pœna delicti. Nam immò pœna est vel actio, vel passio affligens quam aliàs innocens ferre non tenetur. Ideo quòd superior in pœnam possit præcipere ea, quæ aliàs essent supra regulam, ita tamen vt seruetur iustitia, & pœna sit delicto proportionata, est per se certum, & illud aduerterunt *Syluester v. religio 6. q.6. Tabien v.obedientia q.5. nu.6. Rosel. n.10. Angelus v. Religiosus num.29. Corduba super regul. minorum c.10. q.2. dicta 6. Less. l.2. de iustitia cap.41. dub.9. num.77. Sanchez l.6. mor. c.2. num.45. Suarez tom.3. de relig. l.10. c.8. nu.7. ex S. Antonino & Nauar. Mirand. p.p. q.26. a.10. Donatus d.tr.17. q.16. num.11. Anton. a Spir. Sancto d.tract.6. num.55. Colon d.controu.6. num.51. Lezana d.cap.4. num.11. Moron. Respons.3. num.73.* Secunda conditio est, vt talis actio seu passio superior, aut maior non sit opportuna ad præcauendum in futurum recidiuum in peccatum, vel imminens aliquod periculum. Licet verò *Angelus v. Religiosus num.30.* putet in hoc casu religiosum non teneri obedire si videat se aliter posse vitare periculum, aut peccatum. Tamen absolutè dicendum est in hoc standum iudicio superioris, illudque contineri implicitè in regula & esse secundùm regulam, nedum quòd est necessarium, sed etiam quòd est conueniens, & opportunum ad præcauendum peccatum, & conducens ad perfectam obseruantiam eorum, quæ sunt in regula. Et ita tenent *Angles flor. 2. p.q. vnic. de voto a.2. difficul.15. Vasquez p.2. d.154. c.4. num.20. Caiet. supra quæst.88. a.8. dub. vlt. & locis citatis Syluest. Sanchez Suarez numer. 8. Miranda Moron. Corduba citans Archidiaconum, Dominicum, Cardinal. & Turrecrematam*, qui loquentes de Pontifice dicunt posse vniuersaliter obligare ad duriora, si hoc faciat in cautelam ad cauendum periculum peccandi, & hac ratione Pontifex Bonif. VIII. & postea Concil. Trident. indixit clausuram monialibus, quia experientia cōpertum est moniales non nisi cum iactura castitatis vagari. Eadem enim ratione hoc potest Prælatus in religione, quando viderit & iudicauerit aliquid conuenire alicui tanquam medicinam sanandæ alicui infirmitati spirituali opportunam, vel medium conueniens ad inobedientiam regulæ præcauendam.

145 Tertia conditio est, vt asperitas non præcipiatur ex publica necessitate. Nam cum necessitas publica petit ieiunia, & supplicationes particulares, ordinatas ad Deum placandum, & ad eius misericordiam implorandam ex aliqua necessitate communi, Regni, aut Religionis, aut Ciuitatis, aut monasterij, immò etiam alicuius benefactoris cui ex gratitudine debeatur verè aliqua communis suplicatio; tunc pro necessitatis qualitate & debiti potest superior austeriora præcipere vt tradūt *Corduba in Reg. S. Franc. c.10. q.2. p.6. & Sanchez l.6. mor. c.2. num.45. & Less. l.2. c.41. num.75. Donatus & aly.* Quod verò Corduba ait non teneri religiosum particularem in hac re obedire, si sibi soli præcipiatur austeritas pro communi necessitate, bene limitatur, nisi ad hoc adsit specialis & iusta causa mouens superiorem, ad iniungendum id illi soli, quæ iusta causa multipliciter contingere potest.

146 Quarta conditio est, vt actio, & passio durior, & difficilior non fuerit antea præcepta per regulam, de qua tamen conditione infra plura dicenda sunt; Itaque ad hoc vt aliquid dicatur supra regulam duas conditiones generales requirit, prima ex parte rei, vt sit quid excedens in difficultate, & austeritate, ea quæ continentur in regula, secunda quòd nec implicitè in regula contineatur, at verò pœna, medicina ex cautela, præceptum pro communi necessitate implicitè in regula continentur, ideo quòd præcipitur vt pœna, vel vt medicina, aut cautela non est supra regulam, sed secundùm regulam.

SVMMARIVM.

1 *Capitulum Generale non potest præcipere supra regulam. n.147.*

2 *Legem supra regulam obligare præsentes, & futuros aliqui sentiunt. n.148.*

3 *Supra regulam non est quòd conducit vel ad consequendam perfectam obseruantiam regulæ & finem ab instituente intentum, vel ad impediendam relaxationem regulæ. n.149.*

4 *Capitulum Generale non potest nec præsentes, nec futuros obligare ad id, quod simpliciter est supra regulam. n.150.151.*

5 *Ad perfectionem Ecclesiæ spectat dari Religiones in perfectione inæquales. n.150.*

6 *Magnam amplitudinem habet id, quòd est censendum esse secundam regulam. n.152.*

147 DVbitatur octauò an dato, quòd Capitulum aliquod Generale præcipiat aliquid per modum legis, quod sit supra regulam, tale præceptum saltem respectu legem illam instituentium, & respectu eorum, qui in futurum profitebuntur sit materia voti obedientiæ. Supponit hæc quæstio communiorem sententiam quæ contra *Glossam, in cap. vnico, verb. præsentes. de statu regul. in 6. Archid. cap.2. dist.74. fin. Innocent. cap. super eo, de regular. & ibi Anton. c.9. initio, Abbat. num.6. Cardinal. num.2. q.4. Henric. nu.10. & 11.* & aliquos alios, tenet quòd nec Capitulum Generale potest per legem præcipere supra regulam, & obligare ad arctiorem, & asperiorem vitam, & obseruantiam. Ita enim tenent *Glossa cap. relata. v. eis electis, clericis vel monachis, & cap. integritas v. voti 32. q.2. & cap. gesta v. crescere d.74. Turrecrem. dicto cap. gesta. Dec. cap. ad nostram, num.9. de appellat. Felin. cap. cum omnes num.15. de Constit. Syluest. v. religio 6. q.6. Armilla num.10. Tabien. q.21. num.22. Cord. in expos. regulæ D. Franc. c.10. q.2. dict.6. Vasquez p.2. d.154. c.4. num.25. Suarez tom.3. in Relig. l.10. cap.8. num.10. Moron. resol.3. num.125. Sanchez l.6. mor. c.2. num.28. Peyrinus subd. q.1. a.8. §.2.* Et ratio est quia Capitulum Generale hanc authoritatem non habet; Non enim habet illam extrinsecus à Pontifice, quia potestas quam habet est ad conseruandam vitam regularem, & regulæ obseruantiam, nō est ad religionem vel in toto, vel in parte mutandam; ad hoc enim specialis authoritas esset necessaria, nec est vnde dicatur eam fuisse religioni tributam,

quia immò hoc eſſet aliquo modo nouam religionem inſtituere, & de religione ad religionem tranſire. Sed nec à ſubditis talem facultatem habet; quia ſubditi non cenſentur dare facultatem niſi ad præcepta ſecundùm regulam, ad hanc enim ſe obligarunt, cum ergo certum ſit numquam ſubditos dediſſe expreſsè vocalibus Capituli Generalis facultatem mutandi religionem, vel in toto, vel in parte, neque hanc dederunt virtualiter vel implicitè ex vi profeſſionis, quia in profeſſione ſolùm ſe obligant ad ea, quæ ſunt ſecundùm regulam. Secundò nam non poteſt Capitulum Generale ordinare pro omnibus, quod non poteſt diuiſim in ſingulari alicui præcipere; nulli verò in ſingulari poteſt Capitulũ Generale præcipere id, quod eſt ſupra regulam, quia nõ eſt in hac parte maior poteſtas in hoc in Prælato cũ Capitulo, quàm ſit in Prælato ſolo, quia vtrobique authoritas eſt ex vi voti obedientiæ, at verò cum religioſus ſolùm ſe obliget ad operandum ſecundùm regulam, non eſt in ſuperiore poteſtas obligandi eum ſupra regulam. Tertiò quia hîc habet locum regula iuris 19. de regul. iuris in 6. *Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet*, ſtatutum verò obligans omnes ad id, quod eſt ſupra regulam, omnes tangit.

148 Hoc ergo ſuppoſito, & ex præceden. dubio ſuppoſito, etiam id dici ſupra regulam, quòd regulam excedit & non præcipitur vt pœna, vel medicina, vel vt cautela moraliter neceſſaria, aut valde conueniens ad regulæ obſeruantiam obtinendam, vel conſeruandam, ideſt ad præcauendum graue periculum relaxationis in obſeruantia regulæ, id quod quæritur eſt; An ſi Capitulum Generale habens facultatem condendi nouas leges, legem ſtatuat obligantem ad id, quod eſt ſupra regulam, hæc lex ſaltem obliget ipſos de capitulo vel omnes, vel maiorem partem, illos ſcilicet, qui pro lege votum dederunt, & inſuper liget in futurum eos, qui in tali ordine profeſſionem emittent, Nam *Sanchez dicto cap. 2. num. 20.* affirmat in vtroque caſu, quia ſcilicet talis lex obligaret legis authores, & in poſterum profeſſuros. Quia iam illa lex eſt inter ordinis conſtitutiones. *Suarez autem dicto cap. 8. num. 12.* inquit, quòd ſi huiuſmodi lex ponatur per modum conſilij reſpectu exiſtentium, & per modum præcepti reſpectu futurorum, faciliùs poſſet hæc additio fieri. Sed tamen nu. 13. totum hoc reducit ad regulam, aduertens huiuſmodi additiones fieri, quia ſunt media accommodata ad obtinendum intentum ipſius religionis, vel ad regulæ obſeruantiam, in quo caſu iam huiuſmodi ſunt ſecundùm regulam.

149 Sed modus loquendi Suarez nouam excitat difficultatem priùs ſoluendam. Duplicem enim cauſam refert ob quam lex addens non cenſeatur addere, quia ſcilicet additio eſt medium ad obtinendum ſcopum religionis, & ſecundò quando eſt medium ad obſeruantiam regulæ. Nam difficultas eſt de prima cauſa, & quid intelligatur per medium conducens ad ſcopum religionis. Nam cum finis, & ſcopus omnium religionum ſit vnus, ſcilicet perfectio vitæ ſpiritualis conſiſtens in perfectione charitatis & virtutum, ſi ad hoc vt aliquid ſit ſecundùm regulam ſufficiat, quòd ſit medium conducens ad ſcopum religionis, iam ſufficiet, quòd ſit medium conducens ad perfectionem. Quo ſtante nihil erit proprium vnius religionis, nec tam aſperum ac difficile, quod non poſſit in alia religione præcipi, quia illud eſt medium valde opportunum immò ex genere opportunius ad perfectionem conſequendam, & ecce quòd iam nihil eſt ſupra regulam. Ideo aduertendum, quòd illud dictum Suarez non poteſt intelligi de fine primario religionum, ſed de aliquo fine proprio alicuius religionis; ſed iam non eſt duplex cauſa vnde aliquod ſit ſecundùm regulam, ſed vna, ſcilicet obſeruantia regulæ, quia ille finis proximus & proprius religionis eſt de contentis, & præceptis in regula. Vna enim religio ex hoc differt ab alia, quod pro fine proprio eligit ſibi media quædam, & actus ad perfectionem obtinendam, vnde aliquæ eligunt militiam, aliæ inſeruire infirmis, aliæ ſilentium & clauſuram, aliæ Pſalmodiam, aliæ docere & prædicare & huiuſmodi quæ verè ſunt media ad finem primarium, qui eſt perfectio vitæ ſpiritualis, ſunt finis proximior ad quem veluti ad ſcopũ proprium aliæ actiones religioſorum ordinantur. Sed iam conſtat, quòd huiuſmodi fines ſunt de regula, & expreſsè in regula præcipiuntur. Ideo verè vnica eſt ex hac parte cauſa ob quam aliquid contineatur in regula, ſcilicet eſſe neceſſarium vel abſolutè conueniens vel ad vitandum periculum relaxationis regulæ, vel ad obtinendam perfectam regulæ obſeruantiam, quàmuis & imperfecta regulæ obſeruantia quædam regulæ relaxatio dici aliquo modo poſſit. Vt duplicem tamen cauſam hanc vnam Suarez expreſſit, quia imperfecta acquiſitio ſcopi religionis non tam dici poteſt inobſeruantia contra regulam, quàm imperfecta regulæ obſeruantia, ſeu imperfectus modus acquirendi proprium finem, & ideo ſecundùm regulam dicitur nedum id per quòd excluditur contraria relaxatio regulæ per contrariam inobedientiam, ſed id quoque per quòd excluditur imperfectior obſeruantia, ſeu imperfectior modus acquirendi proprium finẽ religionis in religione præceptus & intentus. Vbi tamen etiam aduertendum, quòd ſi religio ad fines ſibi proprios elegit determinata media & vias, erit ſupra regulam ſi quis velit nouas, & difficiliores vias eligere; Et ſemper videndum erit an id quòd eligitur ſit extra regulam vel potiùs ad regulæ obſeruantiam conducat. Sic enim in proprietate ſermonis id dici debet ſecundùm regulam quòd conducit ad regulę obſeruantiam quam inſtitutores intenderunt, nimirum ad illum modum viuẽdi, quem inſtitutores elegerunt vt medium ad perfectionem.

150 His verò ſic explicatis dicendum mihi videtur, nullam eſſe in Capitulo Generali facultatem ad addendum legibus ordinis, ſeu ad condendum leges ſupra regulam obligantes vel authores, vel in poſterum profeſſuros. Ducor, quia non eſt vnde tanta authoritas competat Capitulo Generali. Vel enim Capitulum illam habet a Pontifice, vel ab ordine. A Pontifice quidem illam expreſsè non habet, non enim de hac conceſſione expreſſa conſtat, nec habetur aut in corpore iuris aut extra in aliquo diplomate Pontificio. Authoritas autem quam religio habet ex vi confirmationis, natura ſua non ſe extendit vltra finem conſeruandi religionem, & eius ſtatutorum obſeruantiam; Nec confirmare aliquod ſtatutum eſt dare facultatem

noua statuta addendi, seu condendi nouas leges. Sic enim & vnam religionem confirmare, quod est confirmare vnum statum, & ordinem, & modum viuendi, non est dare facultatem immutandi talem statum, & variandi talem ordinem aut modum viuendi. Nec facit quòd talis modus sit imperfectior, quia ad perfectionem Ecclesiæ est necesse vt inter status religiosos detur ordo & inæqualitas perfectionis, inter alias ex hac causa, quòd non omnes homines sunt apti ad perfectissimos modos viuendi, vnde & status imperfectiores decori, & pulchritudini Ecclesiæ conducunt, nec sunt immutandi, & innouandi, sed relinquendi tales, quales summus Pontifex confirmauit, & stabiliuit, ad quem solum spectat illos mutare vel in totum, vel in partem prout Ecclesiæ suæ viderit expedire. Non igitur est in religione facultas addendi simpliciter, vel immutandi simpliciter aut in totum, aut in partem modum viuendi generalem à Pontifice approbatum, & confirmatum.

155 Minùs verò hanc authoritatem habent à religiosis ex vi voti & professionis, quia ipsi in professione non se obligant nisi ad regulam, & ad regulam mutandam vel in totum vel in partem nõ habent facultatem nisi de consensu summi Pontificis, ad quem spectat regularum institutio, & approbatio. Et quatenus haberent, hoc est quid specialissimum, quod requireret specialem consensum singulorum, nec Conuentus eligentes vocales pro Capitulo Prouinciali aut Congregatione eligente vocales ad Capitulum Generale intendunt tribuere aliquam facultatem ad innouandum, sed solùm ad conseruandum ordinem & regulæ obseruantiam promouendam. Vnde quodlibet statutum editum à Capitulo Generali, quod verè sit supra regulam tanquam nullum & editum a non habente facultatem nec præsentes aliquos nec posteros obligat. Et ideo DD. supra citati absolutè dixerunt, Capitulum Generale non habere facultatem præcipiendi supra regulam. Et certè non apparet discrimen, seu causa distinguendi. Quia si Capitulum Generale potest obligare posteros, cur non & præsentes? Si enim potest supra regulam præcipere, poterit obligare etiam præsentes. Nec valet dicere, quòd præsentes non se obligauerunt nisi ad regulam, quia veritas est, vt docet *D. Thom. 2. d. 44. q. 2. a. 3. & quodl. 10. a. 10.* quòd se obligauerunt ad totum id quòd possunt superiores præcipere, vnde si semel verum est, quòd Capitulum generale possit mutare regulam, religiosi tenentur obedire Capitulo Generali eam immutanti. Eò magis quòd Capitulum Generale, & Generalis non agit solùm ex virtute habita a subditis, sed à summo Pontifice obtenta; quæ si se extendit ad mutandam regulam, se extendit etiam ad obligandum nedum futuros, sed præsentes regulæ professores.

152 Sed verum est, quòd magna est amplitudo potestatis nedum Capituli Generalis sed Generalis solius, quia quàmplurima sunt, quæ licet excedant illa, quæ expresse in regula continentur, tamen continentur implicitè in regula tanquam conuenientia vel ad detinendam regulæ relaxationem, vel conuenientia ad obtinendum proprium scopum, & finem religionis. Etenim vt bene Suarez aduertit, experientia rerum magistra in dies docet & magis, & magis facit videre, quæ sint vtilia ad regulæ obseruantiam & scopum religionis consequendum, & quæ priores institutores non viderunt, immò quæ ex temporum varietate mutata sunt, & de vtibilibus minùs vtilia facta sunt, vnde huiusmodi non sunt supra regulam sed secundum regulam, & ad solam illam additionem non se extendit Capitulum Generale, quæ omnino est supra regulam.

SVMMARIVM.

1 *Papa ex potestate dominatiua non potest præcipere supra regulam. n. 153.*

2 *Potestas iurisdictionis in Papa occasione voti, & ex illius suppositione fit extensior. n. 154.*

3 *Potestas iurisdictionis Papæ non dependet ab acceptatione subditorum. n. 154.*

4 *Papa ex potestate iurisdictionis potest præcipere supra regulam etiam obligando præsentes. numer. 155.*

5 *Papa præcipiens, quod est simpliciter supra regulam mutat Religionem. num. 156.*

6 *Papa simile præceptum solum posteros obligat ex vi voti. n. 157.*

153 DVbitatur nono an Pontifex possit præcipere supra regulam, & si hoc faciat, eius præceptum sit materia voti obedientiæ saltem respectu posterorum. Cum verò in hac quæstione alij affirment, alij negent, puto non esse contrarietatem, sed distinguendum esse, nam vel loquimur de Pontifice vt est Prælatus & supremus Generalis religionum agens ex dominatiua potestate in illum redundante ex vi voti obedientiæ Religiosorum, vel loquimur de Pontifice vt est caput Ecclesiæ Dei agens ex plenitudine illius potestatis, quam habet supra totam Ecclesiam, & partes eius. Loquendo ergo de Pontifice vt est supremus Prælatus religionum, dicitur, eum non posse præcipere supra regulam, quia tantùm potest quantùm posse dederunt religiosi ex vi voti obedientiæ, isti verò ad solam regulam se obligantes, non dant ius Pontifici nisi ad exigendum exactam regulæ obseruantiam. Et ita docent locis citatis *Syluestr. Decius, Suarez num. 11. Sanchez num. 22. Lessius nu. 77. Corduba cap. 15. q. 2. dicto 6. Peyr. in subd. q. 1. cap. 8. §. primo.*

154 Non placet verò quòd *Sanchez ait nu. 23.* scilicet statutum Pontificis obligaturum Posteros si loquatur de Pontifice vt est Prælatus ex vi voti obedientiæ, quia Pontifex ex vi voti posterorum nihil potest, cum votum eorum nondum sit, nec possit eos ad votum obligare quòd est opus Consilij. Ex voto verò præsentium religiosorum non potest obligare supra regulam, quia ipsi non vouent nisi regulam seruare. Et in hac parte minùs bene omissa est distinctio potentiæ dominatiuæ resultantis ex voto, & potentiæ iurisdictionis etiam quodammodo fundatæ in voto, ad quam votum se habet vt conditio; quam tamen egregiè distinxit *Suarez tom. 3. de relig. l. 10. cap. 11. num. 52. & cap. 8. num. 11.* Nam summa illa potestas, quam Pontifex habet vt caput Ecclesiæ, extensior fit ex suppositione voti. Nam licet votum sit opus consilij, & status religiosus assumatur liberè, voto tamen supposito ad Pontificem spectat vt eius obseruan-

tia

tia ad Ecclesiæ bonum pertineat, & conducat. Vnde hæc potentia exigit pro conditione votum, quia votum supponit, sed non oritur ex voto, sed ex natura sua est talis, quòd posita tali conditione ad talem materiam se extendat. Reijciendum quoque est, quod habet *Peyr.in subd.q.1.cap.8. §.p. vers.an autem*, vbi vult quòd Pontifice præcipiente supra Regulam, Religiosi iam professi si non receperunt legem Papæ non teneantur eam seruare, quia de ratione legis est, quod recipiatur. Nam leges Papæ obligant ad sui receptionem, nec ex receptione vim habent.

155 Loquendo propterea de Potestate iurisdictionis quam Pontifex habet, potest supra regulam præcipere & obligare nedum posteros, sed præsentes, quia supposito voto potest Pontifex præcipere nedum quod videt magis conuenire ad statum ipsum religiosum, sed quod magis conueniens est Ecclesiæ ipsi. Religio enim quælibet est specialis pars totius Ecclesiæ, ac propterea per se pertinens ad Ecclesiam, & ideo per se subiecta iurisdictioni Pontificis habentis administrationem totius Ecclesiæ, vnde ex quo religiosi profitentur religionem, se speciali modo subijciunt potestati Pontificis, vt de illis, & de illorum statu possit disponere secundùm quòd magis conuenite videbitur Ecclesiæ. Qui enim se constituit partem communitatis, se subdit administrationi eius, qui regit communitatem. Et ita hanc partem tenuerunt *Io: Andreas c.Ioannes num.38. de regul. Anchar. num.8. Abbas c.super eo nu.6. de regul. Felin.cap.ad nostrum num.6.de appellat.maior 4.d.38.q.10.*

156 Verum tamen est, quòd Pontificem ferre legem obligantem aliquam religionem ad id, quod simpliciter sit supra suam regulam verè est religionem priùs confirmatam cassare saltem pro parte, & nouam instituere; quia regula aucta non est ampliùs eadem regula, nam in moralibus mutatio secundùm partem notabilem est mutatio totius; quia non potest esse mutatio notabilis in partibus quin totus ordo mutetur. Vnde salua existente religione priùs confirmata, & noua religione non instituta non potest Pontifex præcipere nisi ea, quę sunt secundùm regulam. Secundò etiam consideranda sunt verba aliqua *Suarez dicto cap.8. num.11.* vbi afferens aliquando Pontifices præcepisse supra regulam ait, *Quod interdum videmus fecisse Pontifices, quàmuis rarò, & non sine aliqua violentia talis religionis, propter quam non solent talia præcepta multùm durare, quandiu verò reuocata non fuerint, timenda sunt, etiam si duriora videantur.* Hoc enim quòd dicitur *& non sine aliqua violentia* debet intelligi, ac si diceretur, & non sine mutatione talis Religionis.

157 Et quidem de istis præceptis loquendo dicendum est, ea non esse materiam voti obedientiæ nisi respectu posterorum. Præsentes enim non tenentur ex voto obedire nisi regulæ quam professi sunt, & superioribus præcipientibus secundùm illam regulam ideo tenentur quidem seruare illa præcepta ex subiectione ad iurisdictionem Pontificis, non tamen ex vi voti. Posteri verò non recipientur ad professionem nisi iuxta regulam innouatam, & ideo ad illam obligabuntur ex voto. Et sic pro hac parte vera est opinio *Sanchez loco citato num.23.*

SVMMARIVM.

158 Dubitatur decimò an si Prælatus præcipiat ea, quæ sunt præter vel infra regulam, subditus teneatur obedire? Respondetur verò, quòd cum Religiosus non promittat nisi vel obseruantiam regulæ vel viuere secundùm regulã, nihil quòd sit extra regulam vel expressè, vel implicitè est materia voti obedientiæ, & ita Prælatus duo genera rerum potest præcipere, vnum per se, & hoc est obseruantia regulæ, & vnum per aliud & tanquam implicitè contentum in regula, & est omne illud, quod est medium vel ad habendam obseruantiam regulæ, vel ad impediendum ne regulæ obseruantia relaxetur. *Coton. d. contron.6. num.157. Anton.à Spir. Sancto d.disp.6. nu.52.& 53. Caramuel ad reg.S.Bened.disp.51. num.722.* vbi aduertit, quòd dum præcipitur medium nec præcipitur finis, nec nuda entitas medij, vnde si tibi præcipiatur vt non ingrediaris aliquam domum ne tibi immineat proximum peccandi periculum, non peccabis contra hoc præceptum si alibi fueris lasciuus, vel si domum ingrediaris sine periculo. Addit verò num.723. quòd si ingressus fueris cum animo peccandi, tunc primò peccas cum primum intras, & num.724. quòd cum non dentur præcepta de actibus merè internis, nec de externis in ordine ad merè internos, si tibi præceptum fuerit vt non ingrediaris domũ ad euitandum periculum peccandi; non agis contra præceptum, si ingrediaris cum solo periculo consentiendi in peccatum, si non adsit periculum exteriùs peccandi.

159 Sed hæc non leuiter transiri debent, & in præceptis considerandum est, quòd aliud est quòd præcipitur & prohibetur, & aliud est ratio præcipiendi aut prohibendi, illud est materiale præceptum, hoc est formale, id ergo quòd materialiter præcipitur est entitas medij, licet ratio præcipiendi sit vtilitas medij ad finem. In præsenti casu quòd tibi præcipitur est, ne ingrediaris domum illam, licet ratio præcipiendi sit vt euites periculum peccandi. Dicere verò, quòd si non adsit periculum possit

possit ingredi sine violatione præcepti, pendet ab ea quæstione an cessāte fine legis in particulari cesset legis obligatio & stando etiā in sententia affirmatiua, cum Prælati vt plurimùm non dicant; nec dicere teneantur motiuum ex quo mouentur ad præcipiendum, vnde colliget subditus quòd motiuum adæquatum prohibitionis ingressus in domum sit necessitas fugiendi periculum peccandi, & non simul vitandi scandalum, non amittendi tempus inutiliter,& tandem quia cum ingressus sit ex pluribus alijs causis vtilis ad salutem particularem subditi, vel etiam ad bonum communitatis ideo præceptum superioris obseruari debet vt sonar, etiam pro materiali, cum non constet quis sit superioris finis adæquatus præcepti.

160 In eo verò, quod distinguitur inter periculum consentiendi, & faciendi malum in præsenti attendi debet, quòd consensus in malum non est actus merè internus, vbi relucet ad extra in familiaritate aliqua de se periculosa, & in malum inductiua, & tali quæ etiam regulariter sine aliquo consensu malo & interno peccato non habetur, ideo bene Prælatus potest prohibere ingressum in domum ad vitandum periculum interni consensus in malum, & id prohibere ex eo fine censendus est, cum prohibet ingressum causa vitandi peccatum.

161 Sic ergo, supposito quòd Prælatus ex vi voti non potest præcipere nec quæ sunt extra, nec quæ sunt supra, nec quæ sunt præter vel infra regulam plures casus in particulari determinari possunt. Vt v. g. quòd non potest Prælatus subdito suo præcipere quæ merè concernunt vtilitatem corporalem sui, vel suorum consanguineorum, seu quòd tractet eorum negotia secularia, *Anton. à Spir. S. dicta disp. 6. nu. 74. ex Garzia, & Lezana d. cap. 4. num. 3.* Secundò non est obligatio obediendi si superior præcipiat vana, & inutilia, seu impertinentia, quæ ad nullum finem honestum spectantem ad regulam reducuntur. *Lezana num. 4. Anton. à Spir. Sancto num. 8. Donat. q. 17. Mirand. p. p. q. 16. a. 9.* Tertio obedientia formalis est supra regulam, vt etiam supra dictum fuit, nec potest Prælatus præcipere quòd subditus obediat ex fine formalis obedientiæ. *Lez. num. 6.* Quartò quæ possunt esse occasio scandali non possunt præcipi, si scandalum sit actiuum, quia hoc est contra charitatem. Quintò si Prælatus iubeat quòd est in regula, sed ad finem qui non est in regula, vt si Abbas iubeat monacho venire ad Chorum vt ipse delectetur eius cantu. *Caramuel num. 737.* qui tamen addit resolutionem non tenere nisi vbi superior explicet se non intendere alium finem, Verè enim non est in Prælato potestas ad extraneos fines ordinandi quæ sunt in regula, & ex vi voti non tenetur subditus in huiusmodi obedire, quàmuis teneri possit ad scandalum vitandum.

162 Sed semper considerari debet, quòd quæ de se sunt extra regulam, possunt à Prælato ordinari ad regulam, & nisi de contrario constet, id est præsumendum.

163 Econtra verò vbi superior indiscretè præcipiat, non est contra obedientiam humilis recursus ad superiorem *Lez. num. 34.* Et immò licet subdito Prælatum reuerenter corrigere. *Lez. num. 36.* & non est contra votum fugere Prælatum ne præcipiat. *Caramuel. num. 337.* Si vero innocens puniatur a superiore legitimè procedēte in foro externo, tenetur subire pœnam, ratione scandali non tamen in foro conscientiæ, vnde occultè potest pœnam non implere. *Lezana num. 14.*

SVMMARIVM.

1 *An ex vi voti Religiosi teneantur seruare regulam relaxatam diuersi diuersimode sentiunt. numer. 164.*
2 *Triplex relaxatio regulæ. n. 165.*
3 *Consuetudine non posse relaxari obligationem votorum quantum ad materiam aliqui sentiunt. num. 166.*
4 *Materia proxima votorum variabilis, & consuetudine mutabilis. n. 167.*
5 *Promissio de regula seruanda mutabilis ex parte materiæ. num. 167.*
6 *Promissio seruandi legem intelligitur de lege quatenus viuit n. 167.*
7 *Materia propria votorum potest alterari tam consequenter, quam antecedenter. nu. 168.*
8 *Consuetudine introduci non potest, vt durante materia vota non obligent. n. 169.*
9 *Consuetudine non potest introduci vt stante Religione tollatur in totum materia votorum. numer. 169.*
10 *In Ord. Præd. profitentes protestantur se profiteri vitam regularem secundum præscriptum regulæ, non secundum quòd hic, vel ibi regula seruatur. num. 170.*
11 *Religiosi secure vtuntur relaxatione quæ & ex iusta causa introducta fuit, & est legitime præscripta. n. 171.*
12 *Religiosus non peccat viuendo secundum consuetudinem licet male incohatam legitime præscriptam. n. 172.*
12 *Contra obligationem votorum nulla valet consuetudo. n. 173.*
13 *Consuetudo non præscripta non excusat. n. 173.*
14 *Qui ignoranter professus est Religionem in qua regula est absque relaxata tenetur ad rigorem regulæ. num. 174.*
15 *Quid de eo qui ficte profitetur intendens profiteri regulam relaxatam & non aliam? n. 175.*
16 *Etiam in Religionibus in quibus fit protestatio quod Religiosus non admittitur ad professionem nisi promittat se viuere secundum rigorem regulæ, Religiosus potest vti Consuetudine legitime præscripta. n. 176.*
17 *Protestatio illa fit, ad hoc vt prætextus consuetudinis non impediat reformationem. n. 176.*

164 DVbitatur vndecimo, an religiosus ex vi voti teneatur seruare regulam consuetudine relaxatam, ita vt nulla consuetudine introduci possit, vt regula in suo antiquo vigore non remaneat, & semper sit materia voti obedientiæ non obstante quacumque relaxatione inuiolatè seruanda. Non quæritur verò modo an Prælatus possit præcipere vt antiqua regula obseruetur; quia de hoc erit sequens quæstio; sed hic quæritur an regula ipsa non obstante relaxatione consuetudine introducta maneat in sui vigore, sitque ab omnibus obseruanda. Affirmant quidam etiam si religiosus

giosus in professione habuit intentionem non se obligandi nisi ad regulam relaxatam. Et quia regula in sua pristina forma confirmata à Pontifice est materia voti, seu ad quam obseruandam homo obligatur ex voto, at verò contra voti obseruantiam nulla valet consuetudo. Secundò quia sicut qui suscipit sacros ordines, &si intendat non emittere votum castitatis, nihilominùs ad castitatem obligatur, quæ velit ipse vel nolit est annexa ordini sacro; ita velit nolit religiosus tenetur seruare regulam ad quam manet obligatus, quia talis obseruantia est annexa statui religioso à Pontifice confirmato. Et ita huius sententiæ sunt *Maior 4.d.38. q.10. arg.2. contra primam. conclus. Cord in regulam S.Franc.c.10.q.15.punc.1.* cum distinctione tamen, scilicet respectu eorum in quibus regula obligat sub culpa, non verò respectu aliorum ad quæ regula non obligat ad culpam. *Anton.quoque cap.cum causam nu.14.de elect.* sensit nullam consuetudinem excusare à transgressione regulæ. At econtra alij tenent religiosum in conscientia non teneri seruare antiquam regulam relaxatam, si vel habuit intentionem non se obligandi nisi ad regulam vt relaxatam, vel si ab immemorabili est relaxata. Quia ex tam longæua consuetudine præsumitur iusta causa relaxationis; & ita sentiunt *Abbas cap. super eo num.5.de regular.& cap.Deus qui num.13. de vita & honest.cleric.& cap.cum ad monas. num.18. de stat. monachorum, Felin. cap.nam concupiscentiam nu.12. de constitut. Dec. cap. ad nostram num.21. & 22. de appellat.& ibi Præpos.num.9.Syluest.v.religio 3.q.12. Rosel. ibi num.12.* Sed alij distinguunt.

165 Etenim triplex potest esse relaxatio contra regulam; Prima est iustè incœpta, & legitimè præscripta, quæ potiùs dicenda est dispensatio, quàm relaxatio. Iustè enim non potest incipere consuetudo contra regulam nisi ex dispensatione superioris, vel ex priuilegio, vel ex simili causa; quia non licet contra regulam operari nisi ex expressa vel legitimè præsumpta dispensatione superioris, aut ex aliquo priuilegio aut ex moderatione superioris, vel religionis potentis rigorem regulæ moderari, vel quia regula non potuit in aliquibus partibus obseruari, vel ex alio simili titulo. Sed alia est consuetudo, quæ in sui principio fuit mala, nec fuit inchoata sine culpa, licet progressu temporis, quantùm necesse est ad præscribendum contra legem Ecclesiasticam, fuit legitimè præscripta. Sunt enim in religionibus multæ obseruantiæ ad quas religiosus tenetur ex lege positiua: At verò consuetudo licet malè inchoata, cursu tamen temporis videntibus superioribus, & tacentibus præscribit contra legem positiuam, & eius obligationem tollit. Tertia verò relaxatio est talis vt semper sit illicita, quia consuetudo non valet contra talem legem præscribere, & legem tollere, vnde talis consuetudo semper est illicita, & nullius valoris ad infringendam vim legis. Qualis esset consuetudo contra præcepta legis naturalis, aut diuini iuris, quæ non esset relaxatio regulæ, sed corruptio Christianæ vitæ, & qualis similiter esset consuetudo contra tria vota, quia votorum obligatio est de iure naturæ, contra quam præscribi non potest.

166 Est verò circa vota aduertendum, nulla quidem consuetudine introduci posse vt liceat transgredi votum, & tamen consuetudine introduci potest vt non sit ampliùs materia voti, id quod priùs erat; & ita consuetudine introduci potest, vt votum non se extendat ad eam materiam, ad quam se extendebat. Circa quod nihilominus *Suarez tom.3. de relig.l.10.c.8. num.21.* docet sola consuetudine non posse relaxari obligationem votorum religionis, quantùm ad propriam, & directam materiam eorum. Quod probat, nam hæc obligatio non potest relaxari consequenter, quia consuetudo cōtra votum iam factum non est valida, quia est contra obligationem iuris naturæ; igitur eadem obligatio nec potest relaxari antecedenter; quia religiosus semper promittit materiam talium votorum prout in regula præscripta est, igitur licet religiosi violent vota sua, semper materia quæ promittitur eadem est. Nec valet dicere, quòd materia quam religiosi promittunt non est illa, quæ est in regula, sed quæ est in vsu, nam hoc est falsum, quia intentio profitentis debet esse promittendi secundùm talem regulam prout obligare potest non obstante consuetudine, vel potiùs corruptela. Nam velle profiteri & se obligare secundum illicitam consuetudinem esset praua intentio, quę non debet in profitente præsumi. Immò quamuis aliquis illam haberet esset ex errore priuato, & non valeret contra absolutam intentionem profitendi secundùm talem regulam. Iuxta ergo hanc intentionem mensuranda est materia talis voti, tali regula definita, & ideo semper hæc eadem perseuerat non obstante abusu aliorum.

167 Sed hoc verum non habet, quia vbi materia voti propria, & directa non est stabilis, determinata, & immutabilis, sed est subiecta variationi, & dependens ab vsu & consuetudine, potest consuetudine relaxari obligatio votorum religionis ex parte materiæ si non in totum in partem, quia potest materia variari & restringi. Certè salua substantia religionis non potest in totum tolli, quia non existentibus votis & eorum obligatione non est religio, sed bene potest materia illorum restringi, & consuetudine alterari. Quod in voto obedientiæ probatur recolendo quòd proxima materia voti obedientiæ est non obseruantia regulæ, sed promissio humana de viuendo & obediendo secundùm regulam. At verò humana promissio de aliqua lege seruanda, in sui obligatione a consuetudine dependet, a qua dependet lex, quia promissio de lege seruanda semper intelligitur de lege prout obligat, & est in viridi obseruantia, quod est verum etiam si promissio iuramento firmetur, vt tradit idem *Suarez num.18.ex Syluest.v. iuramentum.* Vnde si quis iuret seruare statuta alicuius Collegij, adhuc non tenetur seruare illa nisi prout sunt in vsu, seu prout habent vim obligandi; quia promissio supponit vim legis obligantem, & huius obligationis executionem promittit, vnde si lex desijt obligare quantùm ad aliquam partem, ex vi promissionis etiam iuramento firmatæ non necessitatur promittens ad legem seruandam pro illa parte pro qua non obligat, sed solùm pro parte pro qua lex adhuc viuit. Ita humanum pactum & promissio seruandi regulam, quæ fit à profitente religionem alterationem suscipit, & mutationem, ita vt non sit eadem in regula in suo antiquo vigore permanente, & in regula per consuetudinem relaxata;

laxata; quia vbi per legitimam consuetudinem regula sit in parte relaxata, sicuti pro hac parte non obligat, ita promittens illam seruare non tenetur ad illam seruandam pro ea parte, pro qua est relaxata, vt idem Suarez affirmat, & iam iam probabitur. Et quia materia propria & directa voti obedientiæ est hoc pactum, seu promissio, quam in sua professione facit religiosus, ideo materia voti obedientiæ verè alterari potest, vt sit amplior & extensior, vel minùs ampla, & restricta ex vi consuetudinis alicuius. Ita & in voto paupertatis potest contingere vt ex consuetudine aliquid non sit materia voti paupertatis, quod priùs erat, vt accipere aliquid & illud retinere sine expressa licentia, ita quòd vsu introducatur, quòd in aliquibus præsumatur licentia superioris, vel quòd religiosis liceat, quod intuitu paupertatis prohibitum erat, vt quod religiosus Ordinis Minorum possit contrectare pecuniam, & religiosus societatis accipere eleemosynam pro missa dicenda.

168 Neque ratio in oppositum adducta vim habet, nam materia propria, & directa votorum religionis potest alterari ex vi consuetudinis tam consequenter, quàm antecedenter, sicut potest alterari vis legis obligantis ad sui obseruantiam; quia & postquam factum est votum potest lex cessare per legitimam cōsuetudinem & sic potest regula quantùm ad partem cessare & deficere à virtute obligandi, & sic potest restringi promissio illa humana per quam promittitur regulæ obseruantia, vt non obliget pro ea parte pro qua virtus legis defecit; quia talis promissio intelligitur salua regulæ vita, & pro ea parte pro qua regula viuit, & ideo ratio supponit falsum, scilicet quòd intentio obseruandi regulam secundùm quod est in vsu sit illicita; hoc enim falsum est, quia non est illicitum non obligare se ad legem, quæ non habet vires. Et aliud falsum videtur supponere tota illa ratio, scilicet quòd in regula sit præscripta determinatè materia votorum, quod absolutè non est verum; sed materia voti obedientiæ est quid materialiter indeterminatissimum & maximè dependens ab vsu; quia hæc materia est humana promissio qua homo promittit obseruantiam regulæ, regula vero ex vi consuetudinis mille modis alterari, restringi, & ampliari potest. Et materia paupertatis est quòd religiosus nihil habeat proprij, ita vt nec vtatur diuitijs sine licentia: quæ materia per vsum restringi potest, & ampliari, vt iam ex vsu censeatur haberi cum licentia, quod priùs erat prohibitum retineri. Sed & in voto Castitatis vbi materia est magis determinata, adhuc multi saluant ex vi consuetudinis plures ordines militares, qui priùs non poterant admittere vsum matrimonij, quem modò admittunt.

169 Loquendo igitur de votorum obligatione, duo dicenda sunt. Primum quòd nulla consuetudine introduci potest vt stante materia voti, votum non obliget, quia voti obligatio est de iure diuino naturali. Et quia, vt dictum est, materia voti obedientiæ est obligatio seruandi regulam cōsurgens ex pacto inito inter religiosum & religionem, ideo nulla consuetudine introduci potest, quod religiosus ex vi voti non teneatur inuiolatam custodire obligationem seruandi regulam prout religiosus ex pacto se obligauit. Secundum est, quia consuetudine non potest in totum destru materia votorum religionis, quia hoc modo religionis substantia destrueretur, ideo semper seruari debet, vt religiosus viuat sine proprio, & quòd viuat in communitate iuxta alicuius regulæ præscriptum sub regimine Prælatorum. Cæterùm his stantibus consuetudine introduci potest vt obligatio paupertatis & obedientiæ extensiuè sit magis ampla aut restricta.

170 Alia quoque distinctio præmitti debet, nam in Ordine Prædicatorum non admittuntur ad professionē nouitij, nisi cū protestatione excludente omnem consuetudinem vim regulæ & Cōstitutionū restringentem, & declaratur, quòd Nouitius promittere debet obseruantiam regulæ non qualem reperit in religione hic vel ibi, sed qualem regula & constitutiones requirunt. Ideo distinguendum est vbi in religione aliqua non sit illa protestatio, & vbi religiosi non admittuntur ad professionem nisi cum simili protestatione, & conditione.

171 Et loquendo primò de religionibus in quibus religioni absolutè sine aliqua protestatione simili admittuntur ad professionem, dicitur primò, sine dubio religiosos licitè posse vti consuetudine illa quæ & sine culpa introducta fuit, & fuit legitimè præscripta. Quia talis consuetudo potiùs est dispensatio in lege, quam relaxatio, & quod sine culpa introductum fuit, sine culpa conseruatur rebus in eodem statu durantibus. Et ita hanc partem fortiùs tenent DD. infra citandi.

172 Dicitur verò secundò religiosos licitè vti consuetudine, quæ licet per culpam habuerit initium, tamen tractu tanti temporis est legitimè præscripta, quantùm est necessarium ad præscribendum contra legem Ecclesiasticam. Nam consuetudine posse humanas leges vinci, & tolli certum est, sicuti etiam constat leges religionum esse humanas. Nec aliquid valet quòd prima opinio affert, scilicet quòd religiosus ex vi voti tenetur seruare regulam, quia regula est remota materia voti, non propria & proxima, sed materia proxima est obligatio humana proueniens ex promissione humana seruandi regulam facta religioni in professione, quæ promissio respicit regulam pro ea parte pro qua viuit, & obligat, non verò pro ea parte pro qua per legitimam consuetudinem est præscripta. Quod ampliùs explicatur, nam non facit contra votum qui vtitur dispensatione, & regulam dispensatus non seruat, ergo nec contra votum peccat, qui vtens legitima consuetudine regulam antiquam non obseruat, sed secundùm nouam consuetudinis legem viuit, quia non minùs consuetudo legitima suspendit vim legis, quàm dispensatio. Nec ad propositum est exemplum de suscipiente ordinem sacrum, qui etiam si nolit emittere votum Castitatis, velit nolit ad castitatem tenetur, quia hoc verum est, quoniam superuenit Ecclesiæ præceptum obligans eum ad castitatem siue illam voueant, siue non. Sed nulla est hic lex, quæ præcipiat non vti consuetudine legitimè præscripta. Et ita pro hac sententia sunt *D. Thom. 4. d. 38. q. 1. a. 3. q. 1. ad 3. & ibi Carthus. q. 2. Turrecr. 17. q. 1. in sum. a. 4. num. 12. Card. cap. cum ad monas. num. 4. q. 2. de statu monach. Palac. 4. d. 36. d. 1. Azor tom. 1. Instit. mor. c. 11. q. 15. Nauar. in sum. c. 12. num. 50. Luca ipso Lopez p. p. instruc. cap. 4. Tapia authent. ingressi capit. 1. numer. 64. & 65. C. de Sacros. Eccles. Ro-*

driq.

driq.tom.2.sum.c.95.num.vlt.Suarez tom.3. de Relig. l.10.c.8.num.18.Moron.resp.3.nu.171. Anton.à Spir. Sancto trac.3.disp.6.num.5.Coton.l.4.contr.6.nu.160. Sanchez l.6.mor.cap.2.num.26. Et hoc in substantia voluit secunda opinio.

173 Dicitur tertiò nullam consuetudinem valere contra obligationem trium votorum, & contra substantialia religionis, quæ scilicet substantiam religionis tollat tollendo materiam votorum in totum, & eorum obseruantiam, pariterque nulli religioso licere vti consuetudine aliqua contra votorum obligationem, aut quacumque alia illicita, & nondum legitimè præscripta; Quia vis legis manet, & est lex obseruanda, vbi vel sit talis, quæ non possit consuetudine abrogari, vel consuetudo non sit legitimè præscripta, vt vim habeat tollendi legis obligationem. Et de hoc consuetudine vera est prima opinio, & secunda opinio consentit, & idem tenent DD, supra citati.

174 In hoc verò casu in quo relaxatio non excusat, si quis religiosus simplex profitetur ex ignorantia inculpabili credens regulam non strictiùs obligare quàm viderit esse in vsu, nec debens ampliùs scire, tenebitur ne regulam in suo rigore seruare? Respondet *Sanchez num.27.ex Corduba in reg.S.Franc.c.2.q.16.p.1.& Angelo v. Religiosus numer.32.* talem posse ingredi religionem laxiorem qualem putabat esse, quam fuit professus, sed si velit permanere, teneri seruare regulam in sui rigore. Sed practicè difficile est admittere casum hunc, quia religiosi per annum edocentur regulam, & bene vident quid regula exigat, & tenetur qui vult professionem emittere scire ad quid se obliget, & qualis sit regula quam profitetur, & videns regulam non seruari tenetur inquirere an id liceat, vel non liceat, & an regula obliget, vel non obliget, ideo moraliter loquendo valde difficile vel impossibile est dari ignorantiam inculpabilem & inuincibilem in hoc facto. Et cum de religione ad religionem transire non liceat sine licentia Papæ, talis ignorantia inuincibilis non crederetur in foro externo, vnde in foro externo teneretur manere, & legem seruare. Et in foro conscientiæ si verè intendit se obligare sicut se obligant alij, & sicut ratio recta dictat, vt profitens talem religionem se obliget, manet obligatus in foro conscientiæ, quia ille error concomitanter se habuit. Et hoc de omni profitente præsumi debet, quia de tali præsumi debet, quòd intendat actum rectum & honestum, & validum. Immò absolutè resolutio præfata non subsistit, quia si professio non est valida, ille remanet liber, vt quamcumque religionem ingrediatur, immò vt viuat in seculo, nisi aliquo alio voto aut vinculo ligetur; sed si professio tenet, obligatur ad regulam.

175 Quod si religiosus fictè profiteatur, intendens non obligare se nisi ad regulam vt relaxatam. Respondet idem *Sanchez num.28.* hunc ex vi voti non teneri ad amplius, vt tradunt DD. secundæ opinionis supra relatæ, quibus consentiunt *Corduba dicta q.16.p.3.& Azor tom.4.Instit.l.13.c.11. q.16.* Sed tamen propter iniuriam, quam intulit religioni nolendo se obligare ad regulam prout regula verè obligat, teneri manere in religione, & religionis statuta in eorum rigore seruare, licet *Corduba dicto q.16. pun.2.* dicat hunc posse transire ad religionem ita relaxatam, sicuti est illa, sed si vult manere tenetur rigorem regulæ obseruare. Sed in hoc casu vel professionem esse nullam, vel professum teneri acceptare rigorem regulæ probatur infra, & quia in foro externo non ita de facili admittetur hæc eius fictio si verè non professus coactus manebit, tenebitur in foro externo rigorem regulæ seruare, in conscientia verò non tenebitur vltra suam intentionem, nec ad nouum votum obligabitur, quia vouere est actus liber.

176 Loquendo verò de religioso qui ad religiosam professionem non admittitur, nisi cum protestatione quòd profiteatur obseruantiam regulæ non secundùm quòd regula hic vel ibi seruatur, sed secundùm quòd petit seruari, dicendum est talem adhuc posse sine peccato vti consuetudine legitimè præscripta donec superior aliud exigat. Nam protestatio illa fit ad tollendam vim consuetudinis, seu consuetudinis prætextum contra reformationem. Non tamen tollit vim consuetudinis pro tempore quo illa durat videntibus; & consentientibus superioribus. Quòd si religiosus fictè profiteatur, & non iuxta protestationem, & conditionem secundùm quam intendit religio illum admittere, professio nulla erit, quia à tali religione non admittitur ex parte eius nisi sub illa conditione. Et nihilominùs in foro externo talis fictè professus tenebitur semper ad regulam in rigore obseruandam.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi tenentur obedire Prælato præcipienti tolli consuetudinem illicitam. n.177.*
2 *Consuetudo non præscripta tollitur ex vi præcepti contrarij etiam sine derogatione. nu.178.*
3 *Consuetudo intelligitur de legitime præscripta. num.178.*
4 *Religiosum professum regulam consuetudine relaxatam non posse cogi ad reformationem, aliqui volunt. n.179.*
5 *Alij hoc idem docent cum distinctione. n.180.*
6 *Antequam vniuersaliter inducatur reformatio non potest Prælatus contra consuetudinem præcipere huic vel illi, vt antiquum rigorem regulæ seruet. n.181.*
7 *Nisi ex particulari causa id alicui sit necessarium. num.182.*
8 *Etiam in Ord. Præd. verificatur assertio nu.181. posita. n.183.*
9 *Superiores possunt consuetudines legitime præscriptas tollere & regulam reducere ad antiquum rigorem. n.184.*
10 *Immo ad hunc finem possunt etiam noua statuere. num.185.*
11 *Minus vtile tamen est aliarum* Religionum *seueriora statuta assumere. n.185.*
12 *Consuetudo multiplici via potest tolli. n.186.*
13 *Religio non amisit potestatem tollendi consuetudines, quas admisit. n.186.*
14 Vnusquisque *in professione promittit obedire in omnibus, quæ iuste sibi præcipi possunt. n.186.*
15 *Etiam consuetudines ab initio ex causa rationabili introducta tolli possunt pro inducenda reformatione. n.187.*
16 *Etiam Prælati inferiores possunt conari ad inducendam reformationem. n.188.*

17 *Inferiores tamen Prælati non possunt consuetudines maiore authoritate firmatas abrogare. numer. 189.*

18 *Ignorantes rigorem regulæ, illam promittunt & se ad reformationem obligant. nu. 190.*

19 *Qui profiteretur cum intentione non se obligandi ad regulam, nisi prout est in vsu vel non profiteretur valide, vel teneretur admittere reformationem. nu. 191.*

20 *In vsu reformationis, quid agendum cum Religioso debili, & delicato. n. 192.*

21 *Etiam contra consuetudinem immemorabilem potest induci reformatio. n. 193.*

177 DVbitatur duodecimò an præceptum superioris præcipientis seruari in rigore regulam relaxatam sit materia voti obedientiæ, ita vt religiosi ex vi voti teneantur præceptum seruare consuetudine non obstante. Cum verò supra triplicem relaxationem religionis posuerimus, quarum tertia erat per consuetudinem illicitam, & per abusum non valentem abrogare & tollere vim regulæ, quæstio de hac non procedit, cum sit euidens & certum religiosos teneri ad obseruantiam regulæ abusu non obstante, vnde euidentius est religiosos ad eandem obseruantiam teneri ex vi voti, si superior eam præcipiat. Nihilominus considerandum est, quòd consuetudo potest esse illicita dupliciter, vel quia sit irrationabilis, & non præscriptibilis, vt quia est contra ius naturale, aut diuinum, qualis est illa, quæ sit contra substantiam votorum: Vel quia licet ex præscriptione possit fieri valida, nondum tamen est præscripta. Prima est abusus radicitus extirpandus *cap. consuetudo 8. dist.* Nam cum sit nutritiua peccati corruptela est, non consuetudo *cap. cum venerabilis de consuetud.*

178 Sed consuetudinem quoque contra regulam quæ nondum est legitimè præscripta, licet aliàs non esset irrationabilis posse à Prælato, immò & debere tolli indubitatum est, tum quia illa vim non habet. Tum quia aliàs Prælatus tenetur agere vt regula seruetur, tunc cum obligat, vt seruetur. Tum quia subditus ex voto ad regulam tenetur. Posset vero aliquis imaginari, quòd ad derogandum huic consuetudini necessaria sit derogatio, quia speciali statuto, & consuetudini non derogatur, nisi fiat eius mentio saltem per clausulam non obstantibus consuetudinibus, quia præsumitur princeps ignarus talis consuetudinis. *cap. 1. de consuetud. in 6.* Sed nihilominus dicendum est, consuetudinem nondum legitimè præscriptam sufficienter tolli per legem aut præceptum contrarium, etiam absque alia clausula derogante, quia illa non est consuetudo nec excusat a transgressione, nec valet contra legem nec ex ea resultat aliquod ius, eique lex & Princeps resistit, & consuetudo est stricti iuris. *Rota dec. 102. num. 4. p. 2. recent.* & strictè est interpretanda, vnde sub nomine consuetudinis intelligi debet consuetudo rationabilis legitimè præscripta iuxta *cap. vlt. de consu.* & de hac præscripta consuet. intelligi debet *cap. 1. de constitut. in 6. Castro Palaus tom. 1. tr. 3. disp. 3. p. 5. §. 1. num. 8. ex Mascard. de probat. v. consuetudo concl. 423. nu. 17. Item Moron. Responso 3. num. 88.* Ex quacunque igitur causa consuetudo non valeat, siue quia sit abusus irrationabilis, siue nondum sit legitimè præscripta, potest, & debet per Prælatum eradicari, si sit contra regulam, immò si ex ea immineat vel regulæ relaxatio, vel quodcumque aliud malum quòd disciplinæ regulari, vel paci vel bono quocumque communitatis spirituali, vel temporali sit contrarium. Quæstio igitur est supposito quòd relaxatio sit ex consuetudine legitimè præscripta & habente vim contra Regulam iuxta dicta in præced. quæst.

179 Religiosum autem, qui professus est regulam legitima consuetudine relaxatam nō posse nec à Generali, nec à Capitulo Generali nec à Papa, cogi ad pristinum rigorem regulæ obseruandum, quia Religiosi non possunt cogi nisi ad obseruantias quas promiserunt, non verò ad plura quàm vouerint dixerunt. *Moron. resp. 3. num. 132. Palaus tract. 16. disp. 4. p. 4. num. 11. Anton. à Spir. Sancto p. 2. direct. tract. 3 disp. 6. num. 57.* Quod adeo verum putant, vt dicant in eo casu Religiosos nec teneri ad recipiendam reformationem, nisi pro quanto reformatio sit necessaria ad obseruantiam regulæ moderatæ, quam ipsi professi sunt.

180 Alij hoc idem tenent, sed cum limitatione: nam loquendo de consuetudine legitimè inchoata, & præscripta, dicunt Prælatum non posse præcipere religiosis antiquum rigorem regulæ nec ante, nec post reformationem, nisi succedat casus in quo antiquus rigor sit necessarius vel conueniēs ad perfectam obseruantiam regulæ in eo in quo nō fuit moderata. Ita *Suarez tom. 3. de relig. l. 10. c. 8. num. 17. Coron. l. 4. contr. 6. n. 160* Et probatur quantùm ad omnes partes. Et quidem quantùm ad primam, quia vbi antiquus rigor regulæ fuit legitimè ex iusta causa dispensatus, aut moderatus, iam ipsa remanet tanquam quid, quod est supra regulam respectu eorum, qui post moderationem professi sunt regulam, iam legitimè vel dispensatam, vel abrogatam, vnde non tenentur obedire nisi secundùm illam sic moderatam. Secunda pars etiam probatur, quia cum professus non vouerit rigorem regulæ, respectu illius rigor est supra regulam, vnde non tenetur talem rigorem recipere, nec tenentur subditi acceptare etiam vniuersalem reformationem & restitutionem ad antiquum rigorem. Probatur tertia pars. Nam quotiescumque secundùm præsentem statum aliquid est vtile ad consequendam perfectam obseruantiam eius in quo lex obligat, iam illud est secundùm regulam. Vbi ergo regula sit per legitimam potestatem dispensata aut abrogata, non possunt superiores intuitu solius maioris perfectionis antiquum rigorem legis præcipere, sed bene si videant religionem magis relaxari, nisi ad antiquum rigorem reducatur, possunt reformationem præcipere, & tenentur subditi obedire, quia hoc non est præcipere supra regulam, sed secundùm regulam. Immò etiam si antiquus regulæ rigor fuisset per Papam moderatus, posset nedum Papa illum restituere, sed religio ipsa, maiori parte consentiente posset tali moderationi renunciare, & se reducere ad antiquum rigorem, obligando etiam nouiter professos, quod tradit *Suarez* cui consentit *Coron. loc. citat.* quia totum hoc fieret secundùm regulam, cum antiquus rigor requireretur tanquam medium ad maiorem regulæ relaxationem impediendam necessarium.

181 Sed his non obstantibus alij, quos infra referemus absolutè tenent, quòd superiores possunt regulam

gulam secundum pristinum rigorem reformare, obligando etiam professos tempore relaxationis ad pristinam obseruantiam. Et hæc sententia est vera. Ad cuius explicationem duo dicuntur. Primum quòd ante vniuersalem reformationem non potest Prælatus præcipere alicui vt regulam contra consuetudinem seruet in antiquo rigore. Quod docuerunt *Panor. in cap. super eo, num. 5. de regular. & cap. cum ad monast. num. 18. de statu monach.* referens consilium *Cardinal. idem Panorm. in c. Deus qui de vita & honest. cleric. Card. in cap. cum ad monast. de statu monar. Felin. in cap. non concupiscentiam, de constit. & in c. cum omnes num. 8. eod. tit. Sylnester v. religio 3. q. 12. Nauar. in summa c. 12. num. 50. Palat. 4. d. 38. d. 1. Suarez dicto cap. 8. num. 18.* Et ratio est, quia durante illo statu rigor regulæ antiquus est supra regulam, quia nunc ille rigor non viget, sed moderatus est. Tum secundò quia iuramentum de seruandis statutis alicuius collegij non obligat ad statuta, quæ consuetudine sunt abrogata, vt tradit *Sylu. v. iuramentum* & est communis sententia; eadem ergo ratione nec obligat votum. Tertiò quia regula debet esse communis, quamdiu autem non est facta reformatio, nemo potest inducere regulam communem contra præscriptam consuetudinem.

182 Hoc tamē bene limitat Suarez nisi ex particularibus causis rigor ille sit necessarius particulari personæ ad obseruantiam regulæ & vt cautela aut medicina præseruatiua à malo. Tunc enim rigor ille præcipi posset; etiam si non fuerit præscriptus in regula antiqua, vt ex supradictis est probatum.

183 Ampliari etiam debet assertio vt valeat etiam respectu fratrum Ord. Prædicatorum & eorum ordinum qui non admittunt aliquem ad professionem nisi sub conditione quòd profiteantur rigorem regulæ. Cum enim & in his ordinibus consuetudo rationabilis, & legitimè præscripta licitè obseruetur, quod conceditur communiter omnibus non debet sine speciali & iusta causa negari vni, non alteri. Et ideo ante indictam communem reformationem, non debet superior nec potest sine speciali iusta causa præcipere huic vel illi vt pristinum rigorem regulæ seruet contempta consuetudine, quæ lex est de præsenti viuens.

184 Secundum principale quòd asseritur est, superiores posse abolere omnem huiusmodi cōsuetudinem quæ contra regulam inducta fuit, & ideo posse præcipere reformationem vniuersalem, & ea introducta poterit quilibet superior suo subdito præcipere rigorem regulæ, & ille tenebitur obedire. Et ita tenent DD. supra citati, & præterea *Tabien. v. religio. q. 21. num. 22. Armil. num 10. Cord. in expos. reg. S. Franc. c. 10. q. 2. q. 6. & c. 2. q. 15. p. 3. Vasquez p. 2. d. 154. c. 4. num. 25. 26. 27. Azor tom. 1. instit. l. 13. c. 11. q. 17. Sanchez l. 6. mor c. 2. num. 3 §. Peyr. in subd. cap. 8. §. 3.* Et ratio est, quia reformatio regulæ non est simpliciter additio ad regulam, sed regulæ reformatio moraliter necessaria ad proprium finem religionis, & ad obseruantiam regulæ secundùm talem statum religiosum, vnde est necessaria restitutio regulæ in suum pristinum vigorem, & religionis in decorem amissum. Secundò nam licet consuetudo habeat vim relaxandi rigorem legis quamdiu durat, non est tamen immutabilis, cum forsan & ab initio iniustè introducta fuerit, ita vt Pōtifex vel religio ipsa, & ipsius Prælati non possint illam de medio tollere, & antiquam religionis facire restituere. Ideo opinionem illam esse manifestè falsam, quæ docuit Pontificem non posse reformationem indicere ad præscriptum Regulæ præter consuetudinem, quæ in Religione vigebat tempore professionis emissæ dixit *Reuerendiss. Fagnanus cap. ne innitaris, num. 526. de constit. & id probat ex cap. ex parte de regular. & cap. recolentes de stat. monar. & cap. fin. eod. tit. & Concil. Trid. cap. 1. sess. 25. de Regular.*

185 Immò nedum possunt superiores relaxationes tollere, & religionis antiquum rigorem restituere, sed Capitulum Generale, vel Generalis aut quicumque facultatem habeat condendi leges, potest noua ordinare, si necesse sit pro reformatione religionis obtinenda. Totum enim hoc indirectè pertinet ad regulam, seu in regula continetur, & est secundùm regulam. Et religiosi potiùs leges nouas ferre debent quàm videre disciplinam prostratam. Ita *Sylues. Tabien. Armil. Vasquez, Sanchez supr. citati, & Vega 2. tom. sum. c. 86. casu 22.* In hoc tamen quòd est nouas inducere leges, maxima cōsideratione opus esse optimè aduertunt Vasquez & Sanchez, nec ad vnam religionem reformandam videtur aptum assumere alterius religionis seueriores regulas, quas præcipuas habet, & quibus ex instituto ab alijs distinguitur, quia hoc est instituta religionum confundere; sed causa relaxationis pensanda est, & pro ea parte remedium adhibendum, neque enim credendum est statuta antiqua religionis non fuisse idonea ad finem in religione intentum, ideo illa ad pristinum rigorem reduci debent.

186 Inquantum verò DD. supra num. 179. citati huius asserti oppositum sentiunt, considerandum est quòd non habent pro se fundamentum rationis; consuetudo enim de se est mutabilis, & eius vigor cessare potest, vel ex natura rei, si ipsa desinat esse rationabilis, sed facta sit nutritiua peccati, vel noua consuetudine contraria abrogatur, & à superiore per nouam legem tollitur, vt decernitur *cap. 1. de consuet. in 6.* Nam cum consuetudo non habeat vim nisi ex superioris voluntate, hac desinente, deest vis consuetudinis. Superior igitur ille, ex cuius voluntate consuetudo vigorem obtinuit, potest eam tollere. Nec obstat si dicatur, quòd qui emiserunt professionem vigente illa consuetudine non promiserunt strictiorem regulæ obseruantiam; quia nec potuerunt limitare intentionem suam ad illam relaxationem, quoniam nec Religio vnquam voluit amittere potestatem tollendi consuetudines sola sua potestate vim habentes, nec eum alia intentione eos ad professionem recepit, & irrationabile est velle, quòd ex quo semel admissa fuit à Religione aliqua consuetudo, Religio amiserit potestatem illam tollendi. Ideo qui profitentur Religionem promittunt obedientiam in omnibus in quibus Religio habet potestatem præcipiendi, & ideo promittunt etiam obedire Religioni consuetudines a se permissas volenti abrogare. Et licet hoc euidentius fit in Ord. Prædicatorum, vbi expressè superior protestatur se non admittere Nouitium ad professionem nisi promittat rigorem regulæ ex eius institutione non obstante quocumque

vſu in contrarium; hoc idem verum eſt in omni Religione, & eſt ex natura rei contentum in pacto profeſſionis, quia Religio nec amiſit poteſtatem tollendi conſuetudines quas permiſit, nec admittit ad profeſſionem cum præiudicio & limitatione ſuæ poteſtatis, & ita vt non poſſit quotieſcumque ſibi bene viſum fuerit ſuæ priſtinæ perfectioni ſe reſtituere. Et irrationabile prorſus eſt, quòd Religio poſſit ſe relaxare, & non poſſit ſe ad ſuum ſtatum reſtituere.

187 Nec debent excipi conſuetudines ab initio ex legitima cauſa introductæ; quia iſtæ licet ſint diſpenſationes, ſuperior non cogitur in æternum diſpenſare, nec amiſit poteſtatem abrogandi diſpenſationem, ex quo ſemel illam conceſſit. Et hic non erit diſputandum de poteſtate tollendi cōſuetudinem, quæ non niſi ex voluntate ſuperioris habet vigorem, ſed poterit eſſe quæſtio de cauſa rationabili; quia conſuetudo, quæ ab initio ex cauſa rationabili fuit introducta, videtur non poſſe niſi ex cauſa rationabili tolli. Et in Ord. Prædicatorum præcipitur Generalibus, vt laudabiles conſuetudines Prouinciarum nō tollant, & ſic videri poſſit quòd ablatio talis conſuetudinis non ſit iuſta. Sed hoc non eſt neceſſe, quia & rationabilitas cauſarum eſt mutabilis, & non ſemper durat; ideo bene poteſt contingere, quod non ſit rationabile continuare diſpenſationem & conſuetudinem introductam, & quòd iuſtè Religio poſſit ſe ad priſtinum rigorem regulæ reducere. Itaque id cenſendum eſt eſſe abſolutè ſupra regulam, non quòd eſt ſolùm ſupra regulam relaxatam, ſed quod eſt ſupra regulam in ſuo priſtino rigore ſumptam.

188 Sed nedum Capitulum Generale, aut quicumque ſuperior habens facultatem condendi leges perpetuas, ſed etiam Prælati inferiores, licet ſtatuta perpetua edere non poſſint, nihilominùs poſſunt pro vita ſuorum officiorum reformationi intendere, & collapſam diſciplinam inſtaurare, & præcipere ea, quæ ad hunc finem videntur opportuna, vt ex *Angelo, Syluest. & Roſel. aduertit Sanchez dicto cap. 2. num. 37.* Totum enim hoc implicitè in regula continetur, & eſt ſecundùm regulam, vt ſupra etiam probatum eſt. *Peyr. in ſubd. q. 1. cap. 8. §. 3.* putat quòd nedum Generalis ſed Prouinciales etiam poſſint reformationem inducere, ex eo quòd ſtatuta condere poſſunt ex *Sanchez l. 6. in Dec. cap. 2. num. 37. & Salas de legibus diſp. 8. ſec. 12.* Quod in Ord. Minimorum ait conſtare ex declarat. Card. Senogal. clauſ. 7. Hoc autem verum eſt de ſtatutis temporalibus. Nam certè in Ord. Prædicatorum nec Prouincialis, nec Capitulum Prouinciale poteſt condere ſtatuta perpetua, vt patet ex prolog. *Conſtit. §. 9.*

186 Ideo ſuperiùs dictum explicatione opus habet. Superiores enim locales poſſunt quidem abuſus tollere, ſed non poſſunt abrogare conſuetudines authoritate ſuperiorum roboratas. *Moron. d. reſp. 3. num. 125.* Conſuetudo enim lex eſt authoritate illius indicta, qui poteſt conſuetudinem approbare. Inferiores verò Prælati non poſſunt contra maiorum leges præcipere, & conceſſiones factas a maioribus impedire. Poſſunt igitur Prælati inferiores abuſus tollere, & debent inuigilare ne regula magis relaxetur, & præcipere omnia ea, quæ ſunt neceſſaria ad conſeruandam diſciplinam ſic ex maiorum voluntate mitigatam; ſed conſuetudines legitimè ex maiorum ſuperiorum voluntate præſcriptas non poſſunt tollere. Ideo in his in quibus ſolus Papa diſponit, nec Capitulum Generale poteſt conſuetudines à Papa permiſſas tollere. Sicut nec Prouincialis poteſt abrogare conſuetudines pro toto ordine de voluntate Capituli Generalis admiſſas; quia non eſt in poteſtate inferioris ſuperiorum leges abrogare.

190 Limitant verò aliqui ſupradictum ſecundum principale aſſertum, ſi aliquis ſimplex idiota, & ignorans emiſit profeſſionem, credens regulam non fore immutandam vel reformandam, immò nec poſſe reformari, vel mutari. Talis enim non poteſt compelli ad accipiendam reformationem. *Ita Hoſtienſ. in ſum. titulo de voto.* Sed contradicit *Suarez dicto cap. 8. num. 19.* quia in hac parte ignorantia non excuſat, nec facit inuoluntarium, nam qui profitetur religionem, maximè ſi ex recta ratione ducatur, regulariter intendit reformationem, & abſolutè & ſimpliciter promittit regulæ obſeruantiam. Et certè nullus profitetur qui ſcire non debeat, Prælatos poſſe præcipere quidquid conducit ad regulæ perfectam obſeruantiam, & ideo emittens profeſſionem ſimpliciter, ſe virtualiter obligat ad reformationem, quando & in omni caſu in quo ſuperiores illam voluerint inſtaurare.

191 Secundò idem aſſertum limitant alij, ſi aliquis emiſerit profeſſionem cum intentione non ſe obligandi niſi ad regulam prout eſt in vſu: Nam hunc non poſſe cogi ad regulæ reformationem tenent *Tabien. v. religio q. 31. num. 22. & ibi Armil. n. 9. Nauar. l. 3. Conſil. tit. de regul. conſ. 42. num. 2. Azor. tom. 1. Inſtit. cap. 11. q. 17. num. 24. Sanchez dicto cap. 2. num. 39. Peyr. de ſubd. q. 1. cap. 8. §. 3.* Sed hunc reformato monaſterio teneri vel aliud monaſterium æqualis vitæ cum eo cuius regulam fuit profeſſus, vel ſi nolit ire teneri manere & reformationem recipere. Quia iſte non fecit iniuriam monaſterio profitendo regulam cum intentione obſeruandi regulam ſolùm ſecundùm quod eſt in vſu ex valida & legitima præſcritione. Sed primò hoc vltimum non videtur verum; quia cum monaſterium ſeu religio habeat ius reformandi regulam relaxatam, illi iniuriam facit, qui vult hoc ius impedire, & non vult ſubijci taliter, qualiter debet quilibet religioſus talis monaſterij aut religionis. Nec Prælatus poteſt talem cum tali intentione ad profeſſionem recipere, & hoc eſt directè contra finem religionis. Ideo ſecundò videtur dicendum, quòd iſte vel nulliter eſt profeſſus, vel ſua intentione non obſtante ad reformationem tenetur. Contractus enim non ſunt validi ſi fiant ex diuerſis conditionibus & pactis vno intendente vnum, & alio intendente oppoſitum, niſi vnius intentio alteri ſubordinetur. Certè religio & Prælatus illius nomine contrâhens cum profitente intendit, quòd ipſe promittat obſeruantiam regulæ, talem, qualem habet religio & debet quilibet religioſus habere; & illicitè ageret, ſi aliud admitteret, quia viuentium in religione debet eſſe vnum cor, vna voluntas, vnus finis, vna intentio, & non eſſet ordo, ſed confuſio, ſi ex religioſis vnus teneretur ad partem regulæ, & alius ad totam, vel ad aliam partem, vnde Prælatus non admittit ad profeſſionem ex parte ſua niſi ex præſuppoſito quòd profitens pro-

mittat

mittat obseruantiam regulæ simpliciter, & quatenus regula & superiores habent efficaciam obligãdi; Nec potest Prælatus accipere professionem initam cum pacto, quòd religio non reformetur; qui ergo ex parte sua profitetur cum intentione quòd regula non reformetur, vel cum intentione limitata obseruandi regulam solùm pro parte, & vt relaxatam, profitetur sub conditione repugnante contractui secundùm intentionem religionis, igitur contractus est nullus. Sed verum esse contractum dicendum nihilominùs est, quia profitens cum verè habeat animum profitendi, conditio illa a se posita scilicet sub conditione obseruandi regulam solùm vt relaxatam, habenda est pro non adiecta, vnde talis tanquam certè professus debet regulæ reformationem recipere, quia debet subiacere obligationibus communibus quibus alij religiosi subiacent. Quòd si omnino hoc noluit, & voluit omnino omnibus pensatis profiteri sub illa conditione, non est verè professus, quia desijt consensus religionis, quæ non fecit, quod licitè facere non potuit, non potest verò licitè admittere ad professionem eum, qui reformationi regulæ repugnat, & non vult obseruantiam regulæ simpliciter. Immò sicut *Sanchez num.40 ex Nauar.* ait, quòd si profitens protestaretur, se habere intentionem non profitendi nisi ex intentione se obligandi ad regulam vt relaxatam, hæc protestatio saltem pro foro externo non valeret, si postea absolutè profiteretur; ita in foro conscientiæ dicendum est, quòd cum forma emittendi professionem sit absoluta, & intentio admittentis ad professionem sit quòd profitens promittat absolutè obseruantiam regulæ, illa intentio sua tanquam non existeret iudicanda est, si aliàs profitens validè profiteri intendat, vel omnino nulla est professio emissa foris vt absoluta, & interiùs conditionata conditione repugnante intentioni accipientis ad professionem.

192 Limitant tertiò illud assertum, vt si detur religiosus delicatæ conditionis, & debilis complexionis, qui rigorem regulæ ferre non possit, cum eo dispensandum sit vt ad aliam religionem relaxatæ suæ similem transire valeat. Ita *Nauar.l.3.Consil.tit.de regular.cons.43.num.2. & Sanchez l.6.mor.c.2.num.38.post* Innoc.*Antonin.Card.Archid. Henric. Dominic.Probum Dec.& Tapiam.Sed Peyr.in subd.q.1.cap.8.§.3.* consilium dat, vt potiùs quantum fieri posset cum eo dispensaretur in eadem Religione, quia transitus ad aliam religionem laudabilis non sit ex *D.Thom. infra q.189.a.8.* Verùm & dispensatio in eadem Religione præcipuè in principio introductæ reformationis pessimi exempli esse posset, vnde vtrinque pericula imminẽtia pensanda essent, & maius vitandum.

193 Limitant quartò si consuetudo relaxans regulam sit, temporis immemorialis, ita vt non sit memoria à quo tempore inceperit regulæ relaxatio; quia ex tanta temporis diuturnitate censetur iustã causam fuisse relaxationis, vnde meritò rigor regulæ censeri debet noua austeritas, quam professus non potuit verosimiliter mente concipere. Sed hanc limitationem ex Probo reijcit *Sanchez nu.41.* Quia parùm refert quòd tempus lapsus regulæ sit immemoriale, vel non, si sit tantum quantum sufficit ad valorem consuetudinis; quia in vtroque casu regula relaxata non obligat ad rigorem, & rigor videtur noua austeritas. Hæc tamen ratio non omnino vrget, quia multùm refert quòd regula sit à tempore immemorabili relaxata, quia potest in hoc præsumi quòd id factum fuerit per dispensationem Pontificis, vel ex aliqua valde iusta causa. Ideo tunc certè cautiùs esset agendum & videndum an posset, & deberet, talis consuetudo rationabiliter abrogari. Quod verò *Peyr. dicto §.3.* extendit hanc limitationem etiam ad consuetudinem quadragenariam nullo modo admitti potest. Aliud enim est quòd consuetudo quadragenaria sit valida ad abrogandam legem, aliud est quòd ipsa non sit abrogabilis, per legem nouam. Hoc enim secundum est falsum, immò de hac consuetudine debet esse sermo, cum dicitur, quòd non obstante consuetudine potest introduci reformatio, quia consuetudo, quæ nõ sit legitimè præscripta est abusus, quem quilibet superior potest & debet pro viribus destruere.

SVMMARIVM.

1 *Prælatum non posse præcipere difficilia, sentiunt aliqui. n.194.*
2 *Qui ex instituto non ordinantur ad salutem aliorum procurandam non possunt cogi vt eant ad Indos, ad prædicandum &c. n.195.*
3 *Sine causa graui, & proportionata non potest superior præcipere difficilia nimis. n.196.*
4 *Difficultas operis non facit quod illud sit supra regulam. n.197.*
5 *Tempore pestis tenetur subditus ad superioris præceptum ministrare* Religiosis *infirmis. n.198.*
6 *Debet tamen Prælatus non exponere eos, ex quarum infectione maius damnum proueniat monasterio. n.199.*
7 *Religiosi non habentes id ex instituto non possunt cogi administrandum exteris tempore pestis. num.200.*
8 *Vbi non desint sacerdotes seculares, non tenentur Religiosi ad ministrandum Sacramenta tempore pestis. nu.201.*
9 *Vbi desint Sacerdotes seculares debet Prælatus præcipere, &* Religiosi *obedire vt ministrent Sacramenta tempore pestis. n.202.*
10 *Infirmus Religiosus pro bono communi tenetur ex obedientia permittere sectionem brachij. n.203.*
11 *In loco insalubri si adsit necessitas tenetur Religiosus manere. n.204.*
12 *Prælatus potest dare subditum in obsidem. numer.205.*
13 *Ad conseruationem* Religionis *tenetur Religiosus ire ad indos. n.206.*
14 *Religiosi, qui ex instituto incumbunt saluti animarum tenentur præcipiente Prælato ire ad infideles &c. nu.207.*
15 *Prudentia necessaria in seligendis, qui mittantur ad infideles. n.208.*
16 *Iidem religiosi ex voto tenentur obedire Pontifici mittenti eos ad infideles. n 209.*
17 *Vniuersaliter existente causa iusta Religiosi tenẽtur obedire etiam cum periculo mortis. nu.210.*
18 *Regulariter tamen præcepta superiorum non obligant cum periculo mortis. n.210.*
19 *Vnde colligatur præceptum obligare cum vitæ periculo. n.210.*

Dubi-

194 DVbitatur decimotertiò an Generalis alicuius Ordinis possit suis subditis præcipere vt ex Hispania, vel alia parte Europæ transeant ad Indos, ad prædicandum Euangelium, & ad conuersionem illorum. Seu vniuersaliter, an possit superior regularis præcipere quæcumque ex qualitate operis non sunt supra regulam, licet in singulari sint difficillima, & periculo graui etiam mortis exposita. De missione ad Indos sentiunt multi eam non esse materiam voti obedientiæ, nec posse Generalem præcipere alicui vt ex Europa transeat ad Indos causa procurandæ salutis illorum. Ita enim tenent *Lud. Lopez p.p. Instruc. c.50. Rodriq. 2. tom. sum. c.9. num.5. & Anton. à Spir. Sancto d. trac.9. disp.6. num.65. Coton. l.4. contr.6. nu.152. Lez. d. c.4. num.15. Donatus d. tr.17. q.16 mor. resp.3. nu.75. quæs. regul tom.3. q.19. a.7.* Et de præcepto eundi ad infideles vbi imminet periculum martyrij idem tenent *Corduba in expos. Reg. S. Francisci c.10. q.1. Lessius l.2. cap.41. d.9 num.77. Anton. à Spir. Sancto d. tract.3. disp.6. num.65. Coton. l.4. contr.6. nu.152. Lez. p.1. c.4. num.15. Donat. tom.3. trac.17. q.16. Moron. resp.3. num.75.* Et hæc vera esse etiam de obedientia eundi ad hæreticos & schismaticos addit *Sanchez l.6. mor. c.2. num.47.* Qui tamen ex Lopez, & Rodriquez excipit religiosos Societatis IESV, eo quod ipsi speciali voto ad huiusmodi missiones se obligent. Idem de ieiunio longi temporis *Mirand. p.1. q.26. a.10. & Coton. d. num.152.* & de ieiunio in die Dominico *Caramuel. num.714.* & de præcepto non bibendi vinum per mensem *Donatus d. num.10.* & quòd quis nimis se disciplinet. *Mir. d. q.26. a.10.* Et vniuersaliter superiorem non posse præcipere ea, quæ sunt nimis ardua, docet *Fagund. l.5. in Decal. c.33. num.8.* Et inter ista nimis ardua numerari dicunt Communionem supernumerariam. *Coton. num.153. & 154.* iteratam recitationem horarum. *Caramuel. nu.705.* Missæ auditionem quotidianam vbi ex regula præceptum non est. Nihilominùs *Sotus l.7. de iust. q.2. a.4.* ad finem supponit superiores hoc posse præcipere, quoniam ait, consultiùs agere religiosos si in hoc sponte se offerant, nec expectent superioris præceptum. Et *Peyr. in R. S. q.1. c.11. ex Ledesma* docet, quòd superiores pro suorum ordinum conseruatione possunt cogere subditos vt eant ad Indiarum prouincias.

195 Et quidem loquendo de religiosis, qui ex instituto non ordinãtur ad salutem animarum procurandam, & sic docere, prædicare, ministrare Sacramenta est aliquid, quod ex generis qualitate est extra regulam, locum habet sententia illa, quòd huiusmodi Religiosi non possint cogi ire ad Indos, vel infideles, vel hæreticos prędicandi Euangelij causa, quia ex regula nec cogi possunt huiusmodi munera obire inter fideles, cum sint extra regulam, quam professi sunt nisi in casu in quo hoc reducatur ex circumstantijs ad regulam.

196 Quòd etiam vbi non occurrit causa vrgẽs, & proportionata ad præcipiendum ardua nimis, & nimis difficilia, & periculosa, non possit superior pro libito, præcipere difficillima & exponere subditum periculo mortis, id credo verissimum; quia potestas superiorum est ordinata, nec sunt ita domini vitæ subditorum vt sine causa possint illam profundere, & morti exponere, & ita in hoc sensu etiam admitto sententiam dicentem Prælatum non posse præcipere difficilia nimis.

197 Ceterùm quòd vbi qualitas actionis, vel passionis est secundùm regulam, solus excessus in difficultate & arduitate eximat subditum à debito obediendi superiori habenti causam proportionatam ad præcipiendam rem difficillimam, non video: Quia nec video vnde DD. citati hauserint hanc exceptionem, & limitationem, quòd scilicet difficiliora eo quia difficiliora, sint supra regulam. Nam & immò secundùm B. Albertum Magnum in Paradiso animæ cap.3. *obedientia est, cum subditus, quod sibi maximè contrarium est fideliter, & libenter exequitur, nunqua manifestans signo, vel facto, quòd sibi contrarium sit præceptum.* Et difficultatem non extrahere rem præceptam extra regulam multipliciter ostenditur.

198 Dicitur enim primò, quòd religiosus tẽpore pestis iussus à Prælato religiosis inseruire domesticis peste infectis in temporalibus curam illorum agendo, cibaria, & medicamenta ministrando, tenetur ex vi voti obedire, ita tenent *Sanchez l.6. mor. c.2. num.56. ex Caiet. Opusc. tom.3. trac.9. de vinculo obed. q. vnica.* quod pariter docuerunt *Rodriq. quæs. Reg. tom.3. q.31. a.3. Peyrin. R. S. q.1. 11. Anton. à Spir. Sancto num.60. Lezana d. c.4. num 19. Donatus q.23. Moron. resp.3. num.76. Tambur. de iure Abb. tom.2. d.21. q.8. num.3.* Et ratio est, quia ex vna parte mutua obsequia sunt de illis, quæ continentur in regula, vt bene docuit *D. Thom. 2. d.44. q.2. a.3.* inter quæ obsequia præcipuum locum tenet cura infirmorum. Ex alia autem parte quando ratio boni communis status religiosi id petit, vt contingit in hoc casu, tenetur subditus obedire etiam cum mortis periculo, non minùs, quàm secularis iussus à Principe ire ad præliandum. Ergo falsum est, quòd difficultas operis, & pericula vitæ eximat religiosum a debito obediendi occurrẽte causa sufficienti ad illud præcipiendum.

199 Quod verò hoc limitant aliqui, quia si detur religiosus ex temperamento & praua valetudine tam male affectus, vt cum multo maiori periculo tale munus obiret quam alij; vel aliquis sit vir egregiæ conditionis cuius vita valde, vtilius est religioni quàm vita aliorũ, nec desunt alij ex Religiosis, qui peste infectorum curam possint habere, non possit Prælatus illis præcipere, sed nec illos teneri obedire; id credo ex parte verum quòd & tenẽt *Rutil. de fuga temp. pestis l.p.d.p.q.1. paulò ante 11. quæs. Rodriq. loco citato art. vlt. Sanchez loco citato num.57. & Peyrinus & Anton. Donatus, & Moron. citati.* Quia imprudentia Prælati esset in prædictis casibus illis religiosis tale munus præcipere, cum alios habeat quibus cum minori damno & periculo illam obedientiam committat, & in his ex debito officij ordinem charitatis seruare debet Prælatus. Sed hoc non probat nisi quòd non potest Prælatus imprudenter exponere periculo vitam subditorum. Quantùm tamen ad hoc quòd huiusmodi Religiosi non teneantur obedire, debet constare de iniustitia præcepti ad minus. Nam certè facillimum erit, vt in casu quilibet debilitatis, vel maioris dignitatis, aut vtilitatis, vel alterius rei prætextum accipiat, vt se non exponat periculo. Et eò magis, quòd vbi loquimur de pestilentiâ, robustiores faciliùs ex abũdantia sanguinis, caloris, aut alterius qualitatis infectio-

infectionem recipiunt, quàm magis delicati. Vnde bene credo, quod Religiosi prædicti possint Prælato repræsentare proprium periculum, sed ipso absolutè præcipiente auditis illis habet locum documentum S. Benedicti in regula cap.68. quòd scilicet sit obediendum, nisi euidenter constaret de notabili damno bono communi imminenti, si omnibus pensatis hic vel delicatus, vel iuuenis, vel temperamenti de facili susceptibilis infectionem, vel vtilitatis monasterij ex qualitate Religiosi nascentis exponatur periculo.

200 Dicitur verò secundò quòd licet religiosus, qui ex instituto non habet curam temporalem infirmorum, non possit cogi ad inseruiendum externis tempore pestis in cura temporali; sicut licet religiosi, qui ex instituto non vacant vitæ actiuæ operibus, ac iuuandis proximis in spiritualibus, vt sunt Carthusiani, & Monachi Sancti Hieronymi, non possint obligari tempore pestis ad ministrandum Sacramenta fidelibus peste infectis, nihilominùs Religiosi mendicantes, & alij, qui ex instituto incumbunt proximorum saluti, & sunt Episcoporum coadiutores in procuranda animarum salute, tenentur in subsidium & defectum Parochorum obedire Prælato suo illis præcipienti ministrare Sacramenta peste infectis, immò & tenentur Prælati id præcipere, cum huiusmodi religiosi sint Episcoporum, vt Parochorum coadiutores. Prima pars huius asserti est clara; quia inseruire temporaliter infirmis exteris est quid extra & supra regulam, vnde ad illud non possunt cogi religiosi maximè cum periculo vitæ illorum, nisi sint religiosi ordinis alicuius ex officio instituti administrandum infirmis, vel in casu in quo obligaret lex charitatis. Et in hoc casu vera est opinio *Tabien. v. obedientia q.5. num.6. & Armil. nu.5. Anton. à Spir. Sancto Donati, & Moroni locis citatis* dicentium, religiosos tempore pestis non teneri inseruire temporaliter peste infectis.

201 Secunda etiam pars patet; quia ministrare Sacramenta cum periculo mortis est actus misericordiæ excellentissimus, qui extra casum extremæ necessitatis salutis spiritualis proximi non est necessitatis, sed libertatis ijs, qui aliàs ex officio aut instituto regulæ ad huiusmodi munus non ordinantur. Ideo de his vera est sententia *Caiet. 22. q.26 a.5. & Bannes 22. q.33. a.3. dub.4. & Nauar. sum. c.24. num.11. Anton. à Spir. Sancto num.62. Tambur. tom 2. d.21. q.8. num.5.* dicentium, religiosos non teneri ad ministrandum Sacramenta tempore pestis. Quod verum est etiam de omnibus religiosis vbi non deficiant Parochi, vel vt addit *Sanchez loco cit. nu.62.* non deficiant seculares presbyteri, qui sumptibus Episcopi velint tale munus obire. Quoniam religiosis non incumbit cura animarum nisi in subsidium. Et ideo, quòd anno 1656. non fuerint compulsi Religiosi inseruire peste laborantibus, dictum est supra *q.184. a.7. num.51.*

202 Sed vbi Episcopo deficiant Parochi seu alij sacerdotes qui velint, & valeant Sacramenta ministrare peste infectis, religiosi, qui ex instituto ordinantur ad procurandam salutem animarum, vnde & extra tempus pestis, Sacramenta ministrant, tenentur tempore pestis inseruire Episcopo in ministerio sacramentorum, id præcipiente proprio eorum Prælato, qui & tenetur hoc præcipere. Et ita hanc partem tenent *D. Thom. quæst. seq. 187. a.1. ad 3. & q.188. a.4. ad 2. & 5. & opusc. 18. cap.16. in fine. Lezana d. cap.4. num.19. Moron. resp.3. num.76. Anton. à Spir. Sancto vbi supra. Rutil. de fuga temp. pest. l.1. q.1. p.1. conclus.10. & maxime ad 5. contra eandem. Rodriq. quæst. Reg. tom.3. q.3. a.4. Sanchez l.6. mor. c.2. nu.60.* Qui tres addunt in simili casu Prælatum teneri ad mittendum religiosos circumcirca ad loca peste infecta, & eos teneri obedire, & quidem non ex sola charitate, vt vult *Donatus d. q.23. num.4.* sed ex vi voti obedientiæ. Et ratio horum est, quia inseruire Episcopo & coadiuuare in ministerio sacramentorum talibus religiosis est secundùm regulam, atque ideo secundùm eorum regulam est in casu isto, in quo eorum cooperatio est necessaria, non se eximere a sacramentorum ministerio. Quàmuis necessaria sit in superiore prudentia vt periculo nõ exponat magis subiectos infectioni, seu quorum vita magis vtilis est ordini sine speciali necessitate, vt aduertit *Sanchez num.62.* Ex quo iterum apparet, quod vbi opus est ex suo genere secundùm regulam, & subest causa iusta præcipiendi illud etiam cum periculo vitæ, & Prælatus potest præcipere, & subditus tenetur obedire.

203 Dicitur tertiò si detur casus necessitatis in quo necesse sit ad vitam religiosi tuendam secare illi brachium, vel pedem, si religiosus ille sit valde vtilis monasterio, etiam dato quòd non teneretur pati talem sectionem tam acerbis doloribus vestitam absolutè pro vita conseruanda, si tamen id præcipiat superior ad bonum monasterij seu religionis, tenetur religiosus obedire, vt tradunt *Fagund. l.5. in Decal. c.13. num.7.* ad quòd tamen *Lessius l.2. c.9. num.96.* bene requirit, quòd euidens & magna vtilitas religionis a vita talis religiosi dependeat. Ex quo semper habetur, religiosum etiam ad difficillima obligari, si tamen adsit iusta & proportionata causa illa præcipiendi.

104 Dicitur quartò Religiosum teneri obedire Prælato præcipienti sibi vt maneat in loco insalubri, cuius aeris intemperiem, sibi valde noxiam, expertus est, si id petat religionis commune bonum. Sic docent *Peyr. R.S. q.1. cap.11. Anton. à Spir. Sancto num.64. Lez. num.16. Donat. q.23. num.5.* Limitantes nisi Prælatus id præcipiat ex odio, quod tamen de facili præsumi non debet, nec potest. Verùm ad nihil tenetur subditus obedire Prælato præcipienti ex odio, si odium sit propria causa præcipiendi; quia nec Prælatus habet ius præcipiendi ex odio; nec tunc necessitas boni communis illa est, quæ mouet ad præcipiendum, sed solum odium licet si odium se habeat concommitanter, vel solùm vt causa partialis vel sit circumstantia, & finis extrinsecus, sed ex fine operis motiuum sit iustum, præceptum teneat. Cæterum in casu hoc solum debet attendi necessitas & qualitas necessitatis. quia si Prælatus per alium non subiectum periculo posset occurrere necessitati communi, vel necessitas boni communis non esset talis, pro qua prudenter vita hominis deberet exponi, non liceret Prælato hoc præcipere, & liceret subdito non obedire.

105 Dicitur quintò rationabilem esse sententiam plurium Iurisstarum, nimirum *Io. Andr. cap. ex rescripto de iure iurand. num.9. Host. ibi num.2. Felin. num.3. Alexandre de Neuo num.33. Abbat. num.8. Nauar. l.3. Consil. de regul. cons.74. num.3. Sword. de alim.*

alim. tit.8.priuil.38.num.26.Gomez.tract.de potest in se ipsam l.5.c.14.num.58.Socin. de reg. iuris reg.267. num. 1.& 2. quos refert & sequitur *Sanchez loco citato num.63.* dicentium Abbatem posse dare religiosum in pignus, aut obsidem, seu quasi obsidem aut ad modum obsidis, pro debito monasterij, præcipiendo ei vt maneat in certo loco, quando id petit monasterij necessitas seu grauis vtilitas; quia est secundùm regulam, id quod est necessarium vel vtile ad bonum commune monasterij.

206 Dicitur proptérea sextò religiosum teneri obedire Prælato præcipienti vt eat ad Indos ex Europa pro conseruanda religione in illis partibus. Ita *Peyrinus citat. supra ex Ledesma Moron. resp.3. num.75.* Et ratio est, quia tanta est necessitas conseruandi Ordinem iam in Indijs plantatum ne deficiat, vt pro bono communi patui facienda sint pericula nauigationis & itineris, quæ etiam verè non tam magna sunt, vt absolutè terrere debeant religiosum. Et quia liberum est superiori prouidere tam Conuentibus de Religiosis, iam Religiosis de Conuentibus iuxta exigentiam sui Ordinis.

207 Dicitur septimò existente necessitate ministrorum incumbentium conuersioni Indorum eorum Ordinum religiosos, qui ex instituto incumbunt saluti proximorum & præcipuè religiosos Ordinis Prædicatorum teneri ad nutum superiorum ire nedum ad Indos, sed inter hæreticos, schismaticos, & infideles ad prædicandum Euangelium, fidem propagandam, & conuertendas fideles. Quia ex vna parte hoc munus est ex genere suo secundùm regulam, cum huiusmodi religiosi ex instituto ad tale munus ordinentur: Ex alia verò parte adest necessitas, quia infideles pereunt nisi instruantur; igitur est casus in quo obligari possunt similes religiosi ad subueniendum tali necessitati, cum desint Parochi & alij ministri, qui id munus obeant. Nec consequenter loquuntur, qui obligant religiosos huiusmodi in casu necessitatis & in subsidium ministrare sacramenta infectis tempore pestis cum periculo vitæ, & aliàs existente eadem & multò maiori necessitate ministrandi infidelibus doctrinam fidei, & Sacramentum Baptismi, quòd est summæ necessitatis, dicunt eosdem religiosos ad hoc non teneri, quia opus est difficile, & habet annexum periculum vitæ; vel enim vtrobique periculum mortis excusat à necessitate obediendi, quod verè est falsum, vel in neutro casu eximit à tali obligatione, quod est verum.

208 Verum quidem est magna opus esse prudentia in eligendis, qui mittantur & valeant nedum doctrina, sed moribus instructe, qui prudenti fortitudine vigeant vt possint incommoditates sufferre, & contemnere pericula, & illa etiam fugere cum id est vtile, & præcipuè qui sint fide firmi, & charitate constantes, nec adsit periculum, quòd à fide deficiant. Vnde præsupponenda est priùs idoneitas mittendorum. Qua supposita verum est, quod docet Sotus scilicet conuenientius esse, quòd religiosi sponte se offerant ad huiusmodi missiones, quàm expectent præceptum superioris.

209 Dicitur tandem, Pontificem summum posse huiusmodi religiosos mittere ad quamcumque partem ad promouendam salutem animarum, eosque teneri illi obedire etiam ex vi voti obedientiæ. Quod quidem Pontifex ex suprema potestate possit religiosos mittere ad conuersionem infidelium est certum, & ex Rodriquez id etiam fatetur Sanchez num.48. Nam & hoc est verum vniuersalissimè respectu cuiuscumque clerici, immò respectu cuiuscumque idonei. Hæc enim potestas intrinseca est officio summi Pastoris, qui cum se ipso totam Ecclesiam pascere non possit, esset impotens fungendi officio suo, si nō posset hoc munus alij committere, & præcipere. Et ideo hanc potestatem mittendi missionarios ad prædicandum Euangelium per totum Orbem, vt sibi delegatam à Greg. XV. in Constit. sua 56. habet Sacr. Congregatio de Propaganda fide. Sed respectu religiosorum, qui ex instituto ordinantur ad procurandam salutem proximorum, & præcipuè respectu Ordinis Prædicatorum, qui habet hoc pro fine proprio ex sui institutione & constitutionibus, Pontifex vt supremus Prælatus potest præcipere talibus religiosis, vt eant quò ipse iudicauerit ad Euangelium prædicandum, & sacramenta ministranda; quia licet huiusmodi religiosi non habeant in hoc illud speciale votum, quod habent PP. Societatis, tamen id est secundùm eorum regulam, & ideo Pontifex id potest præcipere tanquam eorum supremus Prælatus, cui ipsi ex voto tenentur obedire.

210 Dicitur vltimò, quòd vbi opus aliquod ex suo genere sit secundùm regulam, ratione difficultatis non extrahitur extra regulam, nec fit vt Prælatus occurrente iusta causa, & proportionata non possit tale opus præcipere, & subditus non teneatur obedire; sed vbi detur iusta causa & præcipuè necessitas vel magna vtilitas boni communis etiam in arduis, & difficillimis, etiam cum periculo mortis tenentur religiosi suis Prælatis obedire. *Caiet. tom.3. opusc.tr.9. Suarez de legib. lib.3. cap 30. num.2. & 3. Vasquez p.2. disp.161. cap.2. Tambur. tom.2. de iure Abb disp.51. q.8. num.2.* Quamuis quando periculum mortis accidentaliter est coniunctum operi præcepto, seu quando superiores aliquid generaliter præcipiunt regulariter præcepta superiorum non obligent cum periculo vitæ. *Sanchez lib.1. in Decal. cap.18. num.4. Suarez de cens. disp.6. sec.3. nu.7. & tom.4. de Relig. trac.8. lib.2. c.8. num.29. Tambur. d.q.8. num.1.* & apud eum *Henriq. & Azor.* Sed vbi superior scit adesse periculum mortis, & ex causa iusta præcipit opus, Religiosus tenetur obedire. Ad cognoscendum verò quando superior velit obligare cum periculo mortis datur hæc regula, vt vbi periculum sit per se coniunctum operi & hoc sit bene notum superiori, censendum sit superiorem intendere obligare periculo non obstante, etiam si id non exprimat. Secus si periculum accidentaliter est adiunctum operi, vnde nec est præuisum a superiore; Tunc enim non obligat nec est vnde præsumatur obligare, quia in ijs odiosis & in dubio huiusmodi præcepta humana intelligenda sunt de minimo iuxta regulam 30. de reg. iuris in 6. & vt non obligent cum vitæ periculo. Nam aliàs si adsit necessitas talis boni communis, quæ sit proportionata, & talis pro qua Religiosus exponere se debeat periculo tunc obligatur ad non cessandum ab obedientia cum tali damno boni communis vel ex natura rei, vel ex implicita voluntate præcipientis, prout colligitur ex *D. Thom. supr. q.120. & Caiet. ibid. & p.5. q.96. a.4. & 6. & Soto l.5. de iust. q.5. a.8.*

Sylu.

Sylu.v.praeceptam.q.3. Nauar.cap.23. num.43. Sua*rez tom.4. de Relig. tr.8. l.2. cap.8.num.31. Tambar. tom.21.disp.21.q.8.num.4.*

SVMMARIVM.

1 *Pralatus non potest pracipere subdito Episcopatum acceptare num.211.*
2 *Multo minus potest pracipere vt accipiat beneficium extra ordinem. n.212.*
3 *Potest Pralatus pracipere subdito vt suscipiat Parochiam apud Indos, si remanet subditus Pralatis Ordinis. n.213.*
4 *Immo hoc verificatur vbique. n.214.*
5 *Pralatus potest pracipere dignitates intra ordinem. num.215.*

211 DVbitatur quartodecimò an superior possit præcipere religioso vt acceptet Episcopatum, aut curam animarum extra vel intra religionem. Et quidem primò loquendo de Episcopatu, *Sanchez l.6. m.c.2. num.49.* negatiuam partem sustinet & vbi *D.Thom.supra q.185. a.2.Richar.quodl.3.q.21.D.Anton.3.p.tit.20.c.2.§.6.Tarrec. cap.olim.num.1.8.q.1. Angelus v.electio num.30. Sylnes.v.electio 1.q.19.Sotus l 10.de iust.q.2.a.2.* dicunt religiosum teneri obedire Prælato præcipienti acceptare Episcopatum, id ex Soto explicatur intelligatur de summo Pontifice. Et hanc eandem sententiam tenent *Lezana tom.1.cap.4. num.18.Donatus d. tr.17.q.40.Anton.à Spir.Sancto d.disp.6. num.70.Cot. d.contr.6.num.165.* & alij. Et ratio eorum est, quia esse Episcopum non est quid quod sit secundùm regulam, sed supra regulam. Nec est quid ordinatum ad bonum religionis, vnde nec est in potestate Prælati regularis hoc præcipere, nec subditus tenetur obedire. Verùm vt supra dictum etiam fuit, hæc ratio vim non habet. Quia respectu religionum quæ ex instituto incumbunt saluti proximorum procurandæ, cura animarum est maximè secundùm regulam, & Episcopatus tum ratione officij tum ratione dignitatis maximè spectat ad commune ordinis bonum, cum immò ad sacras religiones pertineat alere, educare, & habere ministros idoneos ad animarum salutem procurandam, sitque non parua gloria earum huiusmodi ministros habere. Immò cum absolutè Episcopatus sit officium maximæ charitatis & perfectionis, & simul in bonum ordinis cedat, ideo videri posset non esse supra regulam illud præcipere, nisi in regula adsit de hoc speciale statutum in contrarium. Nihilominùs tamen ex alia ratione dicitur, non posse Prælatum regularem præcipere religioso vt Episcopatum acceptet, quia Episcopus statu distinguitur à religioso, nec potest Prælatus præcipere religioso mutationem status etiā in melius, quia status mutatio est supra vel extra statum, & ex vi obedientiæ non obligatur religiosus nisi intra statum suum, & respectu eorum quæ sunt secundùm regulam in eo statu quem sibi elegit. Nec verum est vniuersaliter, quòd Prælatus possit præcipere ea omnia, quæ sunt religioni vtilia, sed quæ sunt vtilia secundùm regulam & religionis statum. Ideo licet Papa sine dubio possit præcipere religioso vt Episcopatum acceptet ex vi suæ supremæ iurisdictionis, non tamen ex vi voti obedientiæ, neque vt proprius religionum Prælatus.

212 Dicitur verò secundò multò magis certum esse non posse Prælatum cogere religiosum ad acceptandum beneficium siue curatum, siue non curatum, siue seculare, siue regulare etiam eiusdem ordinis sed alterius monasterij, vt bene docet *Nauar.Com.4.de regul.nu.23.Rodriq.qq.reg.t.1.q.34. Suarez tom.3.de Relig.l.10.c.10.num.24.Sanchez l.6. m.c.2.num.51.& sumitur ex cap.monachi, de statu monach. & ex cap.cum de beneficijs, de praebend. in 6.* Ratio est, quia huiusmodi beneficia vel secularia, vel alterius ordinis sunt penitùs extra regulam, nec continentur directè, vel indirectè in regula, cum beneficiatus extrahatur ab obedientia Prælatorum si verò sint beneficia eiusdem ordinis, sed alterius monasterij, nec potest id Prælatus præcipere, cum id sit interdictum *cap.cum singula, de praebend. in 6.* Tum quia Prælatus habet præcipere ea, quæ sunt sui monasterij non alterius. Ideo Prior vnius Conuentus subdito suo electo in Priorem alterius Conuentus non potest præcipere vt Prioratum acceptet, & statum quietis suæ mutet. Si tamen beneficium sit sui ordinis, & monasterij, Prælatus potest cogere subditum ad illud acceptandum; quia iam pertinet ad regulam, cum pertineat ad munera Religionis, seu monasterij. *arg.cap.quorundam de elect. in 6.& c.cum singula §. prohibemus de praebend. in 6.* Videnda sunt, quæ de istis dixi supra *q.185.art.8.*

213 An verò possint religiosi à suis Prælatis cogi ad suscipiendum officium Parochi apud Indos, affirmat Suarez loco supra citato, quia illud officium ex dispensatione Pontificum religionibus appropriatum est. Sed negat Sanchez nu.50. quia licet Pius quintus concesserit religiosis vt possint tali officio fungi, hoc probat licere fungi tali officio, non tamen posse ad illud cogi. Sed primum magis placet, quia ex quo concessum fuit religiosis fungi officio Parochi, tale officium appropriatum est illis, & factum est de pertinentibus ad religionem, & spectantibus ad regulam, & cum aliàs officium Parochi & habere curam ministrandi sacramenta fidelibus sit secundùm regulam, ideo stat sub facultate Prælati præcipere tale munus, quod tamen verum est, si Parochi isti maneant subiecti obedientiæ Prælatorum, & non mutent statum dum ad Parochias destinantur.

214 Immò extra Indias etiam, si daretur officium Parochiale existenti in Conuentu sub obedientia superioris, posset superior præcipere subdito vt officium acceptaret & exerceret, Nam exercere curam animarum sub obedientia superioris est valde secundùm regulam, in illis Religionibus, quæ ad vitam actiuam ordinantur seu quibus huiusmodi Parochiales Ecclesiæ sunt vnitæ; Nisi igitur offitium Parochi repugnet statutis religionis alicuius, de se non habet repugnantiam ad statum religiosum, immò aliàs valde conuenit illis religionibus, quæ incumbunt saluti proximorum, vnde obire munus Parochi sub obedientia superioris est opus secundùm regulam talium religionum, & potest præcipi à Prælato.

215 Dicitur autem tertiò Prælatum superiorem posse præcipere subdito, vt Prælaturam intra Ordinem, vel quodcumque aliud officium acceptet, & exerceat. Quia sine dubio hoc est secun-

dùm regulam, & ordo religionum periret si superioribus officia & prælaturas intra ordinem præcipientibus possent repugnare, & non obedire. Ita communiter DD. supra citati. Si verò sit impeditus, tunc seruare debet, quę docuit *D. Thom. supra q.195.a.2.ad 2.* & ibi explicata sunt à num.46.

SVMMARIVM.

1 *Prælatus potest ad experimentum obedientiæ præcipere difficilia, & inutilia. n.216.*

216 DVbitatur decimo quinto, an Prælatus possit pręcipere difficillima alicui subdito ad capiendam experientiam illius obedientiæ? Nam certè id fecerunt antiquitus multi sancti Abbates, qui suis subditis præceperunt sæpius difficilia, ridicula, impossibilia, imò legi diuinæ contraria, vt videre est apud *Cassianum lib.4. de Instit. Mon. cap.24.25.26. & 27.* Respondetur verò, posse quidem superiorem vt experimentum faciat obedientiæ subditorum præcipere difficilia, & ridicula, & supra regulam existentia dummodò præcipiat licita, & prudenter in hoc se gerat: sed tamen vbi non præcipiatur secundùm regulam, non tenentur subditi obedire. Ita *Maior. 4. d.38. q.15. ad 2. contra 2. Azor tom.1. Inst. l.12. c.13. q.3. fin. Sanchez l.6. mor. c.2. num.4.* Et quia in monachis antiquis perfectissima obedientia erat, prudenter Abbates poterant præceptis non secundùm regulam experiri perfectam monachorum obedientiam. Sed vbi religiosi vix seruant, quæ debent, imprudentia esset ab illis exigere perfectionem obedientiæ. Quod verò *Cassianus dicto cap.27.* commendat obedientiam Mutij, qui iussu Abbatis voluit proijcere proprium filium in flumen, & quod miraculo comprobata fuit obedientia S. Mauri, qui iussu S. Benedicti lacum ingressus est quæsiturus S. Placidum, ex speciali Dei instinctu hæc euenerunt, nec imitanda sunt. Et peccaret Prælatus si aliquid contra Dei legem præciperet, vt experiretur obedientiam subditi, nisi id faceret vt econtrariò experiretur discretionem eius in obediendo, securus quòd subditus humiliter repugnaret præcepto. Quod verò dicunt aliqui, quòd in casu, in quo Prælatus præcipiat subdito aliquid contra Dei legem, debet subditus obedire faciendo id, quod sine violatione legis Dei potest fieri, vt si præcipiatur proiectio de alto monte, debet subditus montem ascendere, & se inclinare ac si se vellet præcipitare, imprudentiam & nimiam simplicitatem existimo. Nam longè melius esset si tunc cum humilitate subditus responderet, quòd si non esset contra Dei legem id, quod præcipitur, ipse libentissimè executioni mandaret. Cæterùm non iter in montem præceptum supponitur, sed præcipitium, & fictum præcipitium est ridicula irrisio præcepti, non veræ obedientiæ signum.

SVMMARIVM.

1 *Prælatus non potest præcipere actus mere internos, num.217.*

217 DVbitatur decimo sexto, an religiosus teneatur obedire Prælato præcipienti actus merè internos? *Suarez tom.3. de rel. c.9. num.5.* quem sequitur *Peyr. in subd. q.1. c.6.* tenet perfectam obediētiam Euangelicam etiam in interiores actus cadere posse, quia ad totum id se extendere potest Euangelica obedientia, in quo homo potest ab homine dirigi, & ex propria voluntate ei se subijcere; homo verò potest ab homine dirigi etiam circa actus orationis mentalis v. g. & contemplationis, circa moderamen passionum, & regulam appetituum & desideriorum, & circa vanitatem & honestatem cogitationum, & in hoc potest liberè se subdere homini, & illi obedientiam promittere. Nec obstat doctrina *D. Thom. supra q.104. a.5.* dicentis obedientiam non se extendere ad actus internos, quia hoc est verum de obedientia respiciente legem externam, non verè de obedientia respectu legis, quam sibi homo facit vouendo, quia homo vouens promittere potest obedientiam etiam quantùm ad actus internos. Ideo *Layman. l.4. tr.5. c.9. num.5.* inquit non esse certum, quòd votum obedientiæ non respiciat actus internos, vnde ait non esse improbabile, quòd religiosi aliquarum religionum, in quibus viget strictior obedientia intendant se obligare ad huiusmodi obedientiæ seueritatem. Verùm alia ex parte *Rosella v. obedientia num.2. Angel. num.1. Tolet. de peccat. mortal. cap.15. num.1. Rodriq. qq. Reg. tom.3. q.19. a.2.* quos refert & sequitur *Sanchez l.6. mor. c.2. num.6 Anton. à Spir. Sancto d. disp.6. nu.82. Lezana d. cap.4. num.5. Donatus d. trac.17. q.19. Mirand. p. p. q.26. a.2. & 3. Moron. respons.3. num.120. Tambur. tom.2. de iure Abb. disp.21. q.5. num.2.* asserunt votum obedientiæ non se extendere ad actus merè internos. Et ita de facto dicendum est. Immò de possibili loquendo dicendum est, hominem esse incapacem iurisdictionis, & dominij alterius secundum interiorem mentem, quantùm ad actus merè internos, quia est incapax de illis iudicandi. Vnde potest quidem vnus homo alium dirigere doctrinaliter, & suadendo etiam actus interiores, non tamen necessitando, & præcipiendo, & obligando, quia non subest humano dominio quòd non subest humanæ cognitioni. Nihilominùs tamen verum est, quòd votum obedientiæ potest extendi ad actus internos, quatenus sit promissio facta Deo, & humanum præceptum sit solùm conditio complens materiam voti, non verò sit propriè præceptum obligans ex vi humani dominij, & iurisdictionis. Quia Deo vouere possumus etiam actus internos, qui etiam nos iudicabit, si vota non reddiderimus. Sed votum obedientiæ religiosæ non est pura promissio facta Deo, ita vt homo sit purus terminus cui sit obediendum. Sed immò votum obedientiæ supponit promissionem obediētiæ factam homini, illamque confirmat & roborat. Et quia homo ex nulla promissione potest se homini obligare quantùm ad actus internos, ita vt ex hoc in homine resultet dominium, vel iurisdictio illos præcipiendi, ideo de facto in nulla religione votum obedientiæ se ad actum internos extendit, quia homo est incapax illos præcipiendi, & iudicandi nisi pro quanto continentur in externis, cum quibus ita sint colligati vt si præcipiatur aliquis actus externus censeatur præcipi internus sic si Prælatus præcipiat sacerdoti vt celebret missam pro aliquo, tenetur pro illo sacrificium applicare. *Peyr. in subd. q.1. cap.6. dicto 3.* Vnde Ecclesia præcipit

pit attentionem in recitatione officij. Vide *Caiet. supra q.104.a.5. & Sotum l.10.q.5. a.5. Suarez de leg. lib.3.cap.13.num.6. Mirand.tom.2. q.23.a.6. Castellin. de elect.in praelud.§.13. Peyr. Donat.* & reliquos supra citatos.

S V M M A R I V M.

1 *Votum obedientiæ perfectissimum debere se extendere ad omne licitum, aliqui volunt. n.218.*
2 *Eiusdem opinionis motiua. n.219.*
3 *Obligatio ad non agendum in indiuiduo nisi ex iussu superioris est impossibilis. n.220.*
4 *Obligatio vniuersalissima ad agendum quod praeceperit superior si id sit ex suo genere licitum est irrationabilis. n.221.*
5 *Obligatio vniuersalissima ad obediendum in omnibus visis licitis superiori non est laudabilis, & materia voti. n.222.223.*
6 *Obedientia quo vniuersalius se extendit etiam extra regulam eo est perfectior. n.223.*
7 *Votum obedientiæ non potest respicere vniuersalissime & absolutè quidquid fuerit volitum à superiore. nu.223.*
8 *Dicta PP. explicata. n.223.*
9 *Obligare se ad obediendum homini de se nec est bonum, nec est malum. n.223.*
10 *Ad voti obedientiæ perfectionem spectat vt eius materia sit restricta per regulam. n.224.*
11 *Nulla est religio vel sine regula, vel cuius subditi obligentur vniuersalissime ad id, quod est extra regulam. n.225.*
12 *Apostoli non promiserunt vniuersalissimam obedientiam Petro. n.225.*
13 *In nulla Religione obedientia ad ea, quæ sunt extra regulam est de praecepto. n.225.*
14 *Religiones non sunt imperfectæ, sed immo sunt perfectæ, ex quo arbitrio Religiosorum relinquunt sequi voluntatem superiorum in ijs, quæ sunt extra regulam. n.226.*
15 *Votum de habenda voluntate Prælati pro regula vniuersalissima, non est validum. n.227.*
16 *Promittere in omni casu manifestare Prælato omnes indiuiduales circumstantias actuum est iniustum. n.228.*
17 *Promissio de facienda voluntate Prælati in omnibus licitis in indiuiduo & omnibus pensatis est bona materialiter, quia sequi voluntatem Prælati in indiuiduo in ijs, in quibus non potest præcipere per se & ex se non est melius bonum, quia potest esse malum, & quod non sit malum est per accidens ex alijs circumstantijs. n.229.*
18 *Votum obediendi confessario debet esse conditionatum. n.230.*
19 *Conclusio totius inspectionis. n.231.*

218 DVbitatur decimoseptimò an obedientia Euangelica vt perfectissima sit amplissima esse debeat, & aliquo modo ad omnia perfecta sine limitatione extendi? Vnum supponitur, & aliud quæritur. Supponitur tanquam certum, & communiter admissum id quod docet *D.Thom. supra q.104.a.5.ad 3.* scilicet eam dici obedientiam perfectam, quæ obedit in omnibus licitis. Sed obedire in omnibus licitis contingere potest dupliciter, vel scilicet vt sit opus consilij, vel vt sit ex præcepto. In primo sensu D.Th. locutus fuit, vnde contradistinxit obedientiam perfectam obedientiæ sufficienti ad salutem, quæ obedit in illis in quibus obediens tenetur obedire sic enim & ex *S. Bernar. lib. de præc. & dispens. cap.9.* habetur, quòd huiusmodi perfecta obedientia non est de præcepto, & ex vi voti, sed de consilio. Sed nostra quæstio loquitur in secundo sensu, & quærit an ad hoc vt votum obedientiæ perfectissimum sit, & constituat statum religionis perfectissimum, sit necessarium, quòd sine limitatione se extendat aliquo modo ad omnia perfecta, ita vt religiosus ex vi voti sit necessitatus obedire Prælato in omnibus licitis. Affirmat enim *Suarez tom.3. de relig. c.9. num.1.* Sed non omnino absolutè, nam assertionem explicat & limitat dupliciter. Primò vt præceptum superioris non sit de re prohibita per legem superioris Prælati. Altera limitatio quòd præceptum non sit contra regulam, & contra statum, quem obediens profitetur. Et quia nulli dubium est, quòd perfectio obedientiæ non petit vt obediens obediat contra regulam, vel obedientiam debitam præcepto superioris maioris, explicatur illud aliud, quod dicebatur scilicet, quòd neque sit contra statum obedientis. Nã ad perfectionem huius vitæ omnino necessarium est quòd homo habeat firmum aliquem statum, quem profiteatur, & in quo tendat ad aliquem scopum, & vt perfectionem consequatur; necessarium est ergo, quòd obedientia quam quis promiserit sit consentanea, & saltem non contraria statui, & fini, quem profitetur; nam si sit contraria, vel destruet statum, vel potiùs impediet progressum perfectionis. Item quia oppositum inuoluit contrarias & repugnantes obligationes, quia inuoluit obligationem ad statum, & obligationem ad ea, quæ sunt contraria statui. Itaque hac duplici limitatione supposita aliàs obedientia perfectissima debet esse sine limitatione amplissima. Sic enim & obedientiam ad regulam tantùm mensuratam & restrictam nimis imperfectam esse dixit *Coton. lib.4. contr.6. num.151. & 156.* maximè vbi ex non obedientia oriatur disceptatio inter subditum, & superiorem, & detur aliqua occasio scandali.

219 Quod probatur primò ex S. Gregor. homil.20. in Ezech. vbi intantùm obedientia vocatur holocaustum, inquantùm nihil obediens sibi reseruat, sed totum Deo offert. Secundò ex S. Bonauentura opusc. de processu Religionis l.6. c.27. distinguente obedientiam in spiritualem, quæ debetur Prælatis Ecclesiæ communiter, spiritualiorem, quæ promittitur alicui secundùm certam regulam, & spiritualissimam, quæ promittit obedientiam in omnibus, quæ non sunt contra animam, & talem regulam. Et cap.28. de hac interpretatur dictum Christi Matt.16. *si quis vult venire post me abneget semetipsum &c.* Et eadem docet in expos. regulæ S. Francisci cap.1. Tertiò quia sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis; sed abnegare se, simpliciter promittendo obedientiam in his, quæ sunt consilij dicit perfectionem, ergo abnegare se magis, ac magis, & maximè, erit maior & maxima perfectio. Eò magis, quòd obedientia non potest esse improportionata per excessum, quia ipsa ex obiecto est honesta, quia importat subiectionem homini vt vicem Dñi habenti in operando, quod est Deo gratissimum. Et quar-

tò nam Religio Minorum, & Societatis IESV talem obedientiam profitentur.

220 Ad huius quaestionis euidentiam distinguendus est duplex illius sensus. Quòd enim Religiosus ex vi voti obedientiae sit obligatus ad obediendum Praelato in omnibus licitis potest intelligi hęc obligatio vt sit praecepti negatiui, vt scilicet Religiosus nihil etiam licitum possit operari nisi ex obedientia & speciali positiuo iussu superioris; vel vt sit obligatio praecepti affirmatiui, vt scilicet si contingat superiorem praecipere sit ei obediendum, si res praecepta sit licita. In primo sensu, obligatio non esset laudabilis, quia nec possibilis, cum semper subditus non possit esse praesens Praelato, vt ab eo in indiuiduo de quacumque sua actione iussa recipiat, & non nisi a voluntate superioris etiam quantùm ad speciem indiuidualiter determinetur.

221 In secundo autem sensu loquendo distinguendus iterum est sensus quaestionis; Quia vel in eo est sermo de licito in genere, vel de licito simpliciter & in indiuiduo, omnibus pensatis. Dicitur autem primò, quòd obligatio ad agendum quodcumque voluerit superior, si illud fuerit licitum ex genere non est laudabilis, nec potest esse materia voti, quia non est de meliori bono, cum saepissimè contingat quòd id, quod est ex genere bonum sit in indiuiduo vel malum, vel certè minùs bonum, obligatio verò ad id, quod saepissimè potest esse malum, vel minus bonum nec est laudabilis, nec est materia voti, cum haec sit materiae voti essentia, vt sit melius bonum. Si ergo esset habens votum obediendi Praelato in omnibus licitis ex genere, inueniret verò (quod saepissimè contingeret) quòd in indiuiduo illud esset malum ex circumstātijs, vel minùs bonum, quid faceret? obediret ne? Sed hoc esset contra legem naturalem obligantem ad non agendum id quod in indiuiduo vel est malum, vel est minùs bonum, vt supra *q.184.a.3.* probatum est; deberet ergo non obedire ergo obedientia sic vniuersaliter sumpta non limitata regula certa, & quae de se ordinet vniuersalissime, & sine regula in id quod sit ex genere licitum, nec est bona, nec laudabilis, nec materia voti.

222 Sed si datur alius sensus; ita quòd haec obedientia intelligatur de licito non absolutè, sed sub conditione quòd sit licitum in indiuiduo, quod est dicere, quod in indiuiduo sit melius, quia minùs bonum in indiuiduo est & non licitum, quia imprudentia est relinquere melius omnibus pensatis electo minùs bono aliunde constat, quòd obligatio ad vniuersalissimè obediendum Praelato in omnibus alias licitis non est laudabilis, nec materia voti: quoniam non est bonum, aut laudabile obligare se vniuersalissimè ad iudicium illius, qui est incompetens, & ineptus iudex, sed fallax, & non valens cognoscere quidquid opus est ad ferendum rectum iudicium: At verò Praelatus ad iudicandum quid in indiuiduo, & omnibus pensatis sit melius subdito est ineptus, & cui est etiam impossibile cognoscere omnes conditiones indiuiduales ex quibus iudicium de meliori in indiuiduo dependet. Multae enim ex his conditionibus sunt personales, & quidem saepissimè interiores & in mente residentes, ad quas sciendas non se extendit iurisdictio Praelati. Et dato quod sint externae, saepissimè sunt occultae & concernentes etiam proximum, & tales, quas non licebit manifestare superiori in praeiudicium graue sui aut aliorum. Et tam istae, quàm multae aliae tales vt plurimùm erunt, quarum nullam cognitionem habebit Praelatus ante suum praeceptum, cum tamen ad hoc vt huiusmodi praeceptum sit prudenter datum, necesse sit omnes circumstantias actùs, ex quibus actus bonitas in indiuiduo pendet plenè cognoscere, igitur superior non est iudex actus, qui vniuersalissimè possit certum dare iudicium & infallibile de bonitate actus sui subditi in indiuiduo vt actum praecipere possit, & necessitare subditum ad illum; cum actuum circumstantiae etiam non occultae non omnes Praelato possint esse manifestae, ante praeceptum datum, ad occultas autem manifestandas saepissimè nullum habeat ius, & immò possit esse illicitum eas illi manifestare, & quae sunt internae sint extra suam iurisdictionem. Ideo iudicium de bonitate sui actus in singulari proprium est operantis, & de iure naturae illi commissum. Etiam vt in hoc ipse operans sit vltimus iudex, cui etiam est commissum iudicium vt discernat, an Praelatus illicita praecipiat, quamuis in dubio pro Praelato praesumere debeat, & ad iudicium hoc ferendum dirigere se debeat ex legibus & praeceptis superiorum. Patet igitur, quòd obligatio ad obediendum & vniuersalissimè de bonitate actuum omnibus pensatis & in indiuiduo sequendum iudicium Praelati, in hoc iudicis fallacis, & incompetentia non est bona neque laudabilis, neque materia voti. Et sic neque potest fieri votum obediendi Praelato in omnibus licitis, quae Praelato fuerint visa esse meliora in indiuiduo; quia hoc iudicium vniuersalissimè à Praelato fieri non potest. Si autem dicatur posse fieri hoc votum simile illi, quod emittunt professi societatis, qui promittunt si fiant Episcopi, se audituros consilia Generalis, & facturos quòd ille consuluerit, si tamen hoc eis visum fuerit esse melius de quo voto tractat *Suarez tom.4. de relig. lib.6. c.9.* Et sic quòd Religiosus potest vouere, se auditurum Praelatum consulentem, vel ordinantem etiā circa ea, quae sunt extra regulam, & facturum voluntatem Praelati si id quod fuerit à Praelato volitum ab eodem Religioso fuerit iudicatum esse melius. Dico, quòd ad perfectionem Religionum non est necesse facere hoc votum speciale; quia in quolibet voto obedientiae Religiosae hoc continetur. Cum enim agere quòd est melius in indiuiduo sit de lege naturae, vt probatum est supra. *q.184. a.3.* Et quidquid est de lege naturae sit de regula, vt habet D.Thom. artic. sequenti; de regula cuiuscumque Religionis est & quòd Religiosus audiat Praelatum suum consulentem, si id fuerit melius, & quòd faciat voluntatem Praelati si pariter id melius fuerit, vnde iam sub voto obedientiae Religiosae comprehenditur, quòd Religiosus in omnibus licitis vniuersalissimè faciat voluntatem Praelati, si id Religioso melius visum fuerit.

223 Itaque ad argumenta in oppositum respondetur, quòd argumentum non distinguit inter obedientiam, & votum obedientiae. Obedientia vbi sit consilij, quo est in subdito religioso vniuersalior rò est perfectior, quia in religioso semper remanet libertas illa ab homine libero non separabilis, per quam in his quae sunt consilij ipse sui iudex & arbiter videt quid sit sibi melius agendum,

& non

& non agendum & illud agit, & non habet pro regula voluntatem fallibilem superioris nisi videat simul adesse infallibilem Dei voluntatem. Sed votum obedientiæ vniuersalissimum seu obligatio vniuersalissima, & absoluta respectu eorum, quæ sunt consilij, vel non est bona, sed valde mala, vel inuenitur intimè contenta in omni voto obedientiæ: Nam huiusmodi obligatio vel respicit voluntatem superioris absolutè, vel sub conditione quod aliunde res præcepta omnibus pensatis Religioso non videatur minùs bonum in indiuiduo. Si respiciat præceptum absolutè, obligatio illa est ex obiecto mala: quia solum hoc tale præceptum superioris non sufficit ad faciendum quòd res in indiuiduo sit bona aut melior, sed potest esse vel minus bona vel mala; igitur obligatio ad voluntatem Prælati absolutè sequendam in indiuiduo est de se mala, quia est ad id cum quo actio mala esse potest, & talis obligatio ex consequenti est impeditiua actus boni. Si verò obligatio sit ad præceptum sub præfata conditione, talis obligatio est intrinseca voto Religioso; quia vbi actus præceptus aliàs sit omnibus pensatis melius bonum, iam est de lege naturæ, & de regula, & ex consequenti de voto obedientiæ est exequi talem actum. Quòd si in actu hoc quòd est illum esse volitum à Prælato sit circumstantia dans illi actui, vt sit etiam melius in indiuiduo (quod sæpissimè contingere potest,) iam ex eadem causa ille actus est de regula, & sub voto obedientiæ comprehenditur. Quia ergo continget vt in pluribus, quòd id, ad quod inclinat voluntas superioris sit etiam in indiuiduo absolutè melius, & quando aliàs non esset tale, circumstantia mandati, seu voliti à superiore facit illud esse melius sæpissime. Ideo obedientia in licitis dicitur esse perfecta, & perfectior; quia immò non sine culpa omittitur, maius bonum electo minori. Sed obligatio ad faciendum absolutè voluntatem superioris in ijs, quæ alias sunt licita per se obligat tam ad bonum, quàm ad malum in indiuiduo, quia voluntas superioris potest esse etiam de malo in indiuiduo ideo talis obligatio nec est bona, nec spectat ad votum. Sancti Patres autem laudauerunt obedientiam vniuersalem, vt est actus consilij, seu vt est de ijs, quæ Religioso in indiuiduo videntur meliora, nunquam verò laudauerunt obligationem absolutam necessitantem ad huiusmodi obedientiam scilicet ad obediendum in omnibus quæ vel sint licita ex solo genere vel solis Prælatis visa sint meliora. Sed immò Religionum & ordinum institutores per regulas limitarunt potestatem superiorum in præcipiendo, & multa reliquerunt in quibus obedire Prælatis esset consilium à Religiosis iudicandum non præceptum. Et per hæc patet responsio ad secundum. Et ad tertium negatur minor, quia obedientia ad hominem simpliciter non est res bona, nisi supposita lege, & nisi Deo constituente hominem loco sui, obligare autem se & liberè ad obediendum homini, & ad habendum hominem loco Dei per se nec est bonum, nec est malum. Est quidem bonum & necessarium statui religioso obligare se ad obediendum Prælato præcipienti sed non ex arbitrio omnino libero, sed restricto ad regulam, & ex regula bene in Deum ordinata. Sed obligare se absolutè ad obediendum homini præcipienti ex libertate suæ voluntatis in omnibus, & per omnia, quæ non sint mala contra regulam, & statum obedientis est per se malum, & vlterius est onus improportionatum illis, qui sunt in via perfectionis nisi fiat sub conditione, quòd volitum ab homine in indiuiduo videatur melius. Ad quartum autem iam supra responsum est, obedientiam hanc vniuersalem in regula Minorum, & Societatis consuli non autem præcipi, & ideo nec in illis Ordinibus esse materiam voti.

224. Colligitur primò ex dictis, falsam esse imaginationem *Henrici quodl. 6. q. 17.* asserentis nullam esse religionem perfectam in qua votum obedientiæ non sit de obedientia vniuersalissima, seu sit de obedientia restricta ad aliquam regulam. Quoniam immò status perfectionis requirit, quod detur obligatio secundùm certam aliquam regulam, quia cum sint plures viæ ad perfectionem, non potest vnus homo obligari ad omnes, quia impossibile est simul habere iter per plures vias. Ad perfectionem igitur Religionis spectat quòd obedientia habeat materiam per regulam limitatam. Qua limitatione supposita nec est laudabile nec est bonum quòd religiosus sit obligatus ad ea quæ sunt extra regulam. Quia ea omnia si in indiuiduo erant meliora, iam illa erant de regula, & opposita, contra regulam. At verò hoc iudicare nullius alterius est vltimatè quam ipsius operantis, cuius est decernere in singulari quid sibi sit melius.

225 Colligitur secundò nullam vnquam datam fuisse religionem, in qua religiosi ex voto obedientiæ se obligauerint vel ad vniuersalissimā obedientiam ex nulla regula limitatam, vel ad obedientiam in omnibus, etiam quæ sunt extra regulam. Quod enim inquit *Suarez num. 9.* credendum esse, Apostolos huiusmodi obedientiam vniuersalem promisisse Christo, & cæteros Apostolos Petro post Christi ascensionem, quia illi non sunt professi obedientiam secundùm aliam regulam nisi charitatis, & maioris obsequij diuini, iuxta munus suum, seu ministerium, ad quod erant vocati. Primo non est ad rem, quia Christi voluntas est regula infallibilis, & quæ in indiuiduo infallibiliter poterat iudicare quid esset melius quòd Prælato non est commissum, nec conuenit. Secundò & illa obedientia asseritur vt facta secundùm aliquam regulam scilicet limitatè ad munus ad quod erant electi. Vnde autem colligit, quòd in non pertinentibus ad munus Apostolatus ad quod assumpti erant Apostoli promiserint obedientiam Petro? sed constat ex Euangelio Christum dedisse Apostolis suis præcepta multa, & vniuersalia pertinentia ad munus Apostolatus, & communia omnibus, sed spectantia ad singulares personas Apostolorum eorum arbitrio reliquisse. Quod autem dicitur in religione Minorum & Societatis huiusmodi voti vniuersalitatem reperiri id negatur, vt supra est explicatum, quia vniuersalis ista obedientia non præcipitur sed consulitur. Et si dicas si consulitur, hoc quòd est obedire Prælato in omnibus licitis; igitur est melius, quia consilium est de meliori bono. Respondetur quòd consulitur, quia vt plurimum potest esse bonum; Id enim sufficit ad hoc vt sit materia consilij; sed tamen quia iudicium de hoc, an & quando sit futurum bonum & malum proprium est operantis, ideo non præcipitur, nec est materia, quæ possit præcipi, & quæ possit esse de regula nisi

la nisi

la nisi vt consilium in casibus occurrentibus à Religioso accipiendum, etiam si opus sit consulto superiore. Cæterùm & obedientia etiam in his, quæ sunt extra regulam ex hoc est perfectio, quia non est de necessitate, sed de consilio, & cum libertate diiudicandi an & quando talis obedientia conueniat.

226 Ex hoc colligitur tertiò nedum non esse imperfectas religiones, in quibus non vouetur vniuersalis obedientia ad ea, quæ non sunt contra regulam; vt voluit Henricus, & ex parte admittit Suarez, immò ex hoc esse perfectas, quòd talem obedientiam non voueant; in omnibus enim religionibus votum obedientiæ est valde vniuersale cum se extendat ad totius vitæ dispositionem, vt docet *D.Th.supra a.5.ad 4.* Et si bene res pensatur hæc obediẽtia est vniuersalissima quãtùm sufficit ad obedientiæ meritum. Nam cum in actione consideretur exercitium, & specificatio actionis, obedientia religionum ad vtrumque se extendit vniuersalissimè. Nam quòd religiosus nunquam sit in otio, sed semper agat, & quòd nunquam agat nisi ex virtute, hoc est aliquid contentum in regula, & secundùm regulam, ad quod se extendit authoritas Prælati; solùm verò remanet indifferens religiosus respectu qualitatis actionis determinatæ, ad hanc vel illam speciem, & exercitij determinati respectu huius vel illius actionis. Ac verò ad meritum obedientiæ sufficit, quòd religiosus non operetur nisi ex obedientia, & ad meritum simpliciter & absolutè, quòd operetur ex fide & charitate omnia in gloriam Dei faciens, & ad hoc totum cuiuslibet religiosi obedientia se extendit. Sed & in indiuiduo ad singulas omnino actiones determinatas ad hic & nunc sub his circumstantijs extenditur obedientia quia vnusquisque tenetur ex lege naturæ operari id quòd est melius in indiuiduo, vnde ad hoc regula obligat Quod verò huiusmodi Religiones iudicium de meliori in indiuiduo relinquant subditis, bene faciunt, quoniam & hoc est de lege naturæ, nec Prælatus est capax ferendi hoc iudicium vniuersalissimè, & in omnibus casibus, quoniam est iudicium pendens à personalibus circumstantijs, & sæpissimè occultis, & antecedenter ad præceptum incognoscibilibus.

227 Colligitur quartò quòd vniuersaliter loquendo votum de habenda voluntate Prælati pro regula, nedum dum præcipit secundùm regulam, sed etiam dum præcipit extra regulam & non contra regulam non tenet, neque obligat, quia non est de re meliori, immò nec de re secundùm se vniuersaliter bona, immò est de re potiùs mala, quàm bona; quia est obligare se ad regulam fallacem. Et cum obedientia intantùm sit necessaria inquantum homo indiget instrui, vt Suarez pluries aduertit ex *D.Thom.supra a.5.* cum certum sit regulariter, subditos ordinariè prudentes non indigere instrui in omnibus omnino quæ non sunt contra regulam, iam apparet hanc obedientiæ obligationem non esse necessariam, nec vniuersaliter bonam, quia Prælatus ex sua scientia nec potest omnes has actiones rectè dirigere.

228 Dices, quòd hæc obligatio posset fieri vt esset bona, si subditus promitteret facere voluntatem Prælati si sibi constaret eam esse de meliori bono, & vlteriùs in alijs casibus promitteret reuelare Prælato omnia, quæ sibi videntur esse contraria, vt res ordinata non sit de meliori bono, & sic omnibus manifestatis faceret postea, quod superior ordinasset. Sed mitto quòd hoc esset assumere onus importabile ab humana infirmitate, & quòd non conueniret generaliter imponere pro tota aliqua Religione: Quia sufficit dicere; quòd talis promissio est ex obiecto iniqua & iniusta, & imprudentissima. Quia infiniti casus possunt accidere in quibus subdito vel sit pessimum, vel sit minùs bonum aliquas circumstantias reuelare superiori. Nec igitur illa promissio conuenit voto.

229 Et si aliunde dicas, quòd hæc propositio de formali est vera, quia scilicet promissio de faciendo voluntatẽ Prælati in omnibus licitis est bona, immò est de meliori bono: quia si res ordinata à Prælato est de meliori bono, res illa est licita, si verò res ordinata non est de meliori bono, nec est de re licita, quia minùs bonum comparatione melioris non est bonum. Respondetur, quòd promissio de faciendo voluntatem superioris in omnibus quæ sunt meliora in indiuiduo est bona materialiter non formaliter, & non per se, sed per accidens. Quia opus extra regulam omnino positum est res bona si sit de obiecto bono simpliciter, non verò formaliter est bona ex eo, quod sit volita à superiore; quia licet tale obiectum esse volitum à superiore non sit malum, quia supponitur obiectum bonum, & non est malum quod Prælatus velit bonum, quia tamen bonum simpliciter in præsenti est, quod est bonum in indiuiduo, & omnibus pensatis; obiectum verò illud non ideo est bonum simpliciter, quia sit volitum à Prælato, bene sequitur quòd solùm materialiter & per accidens contingit esse, quòd velle in indiuiduo, quod vult Prælatus, est simpliciter bonum, & quòd obligatio ad sic volendum solùm materialiter & per accidens contingit esse bona, ex quo aliunde quòd vult Prælatus est omnibus pensatis bonum. Et iterum adhuc addendum est, quòd hæc obligatio est intimè clausa in voto religiosæ professionis. Quod si quis non contẽtus se obligasse ad hoc ex voto professionis vellet expressè vouere, se facturum vniuersalissimè, quod Prælatus voluerit, si id sibi visum fuerit melius, animaduertere deberet, quòd obiectum primarium, & formale huius voti non posset esse conformitas ad voluntatem Prælati, quia hæc, per se & ex obiecto non est bona determinatè, sed indifferens vt sit bona, vel mala in istis, quæ non sunt secundùm regulam, sed extra regulam, & in quibus voluntas Prælati non est nobis à Deo data pro regula, vnde contingere potest quòd volitum à Prælato non sit bonum; sed talis voti obiectum primarium debet esse actus vt in indiuiduo melior. Quòd si hoc supposito per quandam reflexionem voluntas gaudeat quòd in hoc adest etiam conformitas sui ad voluntatem Prælati, & quòd in hoc se illi subijcit, & illam veneretur & quòd si ad id amãdum aliunde non obligaretur, libenter id faceret nihilominùs, vt se sui Prælati conformaret voluntati: hæc bona sunt, sed talia, quòd quilibet Religiosus sine speciali voto similia potest habere.

230 Dices adhuc, quòd potest quis virtuosè & ex voto se subdere directioni alterius in omnibus, vt v.g. vouere se facturum quidquid sibi Con-

fessarius

fessarius dixerit, & absolutè iudicauerit omnibus pensatis esse faciendum; igitur simile votum fieri potest respectu Prælati. Sed dicitur, quòd cum homo sit regula fallax, & fallacissima; quia omnis homo mendax, *Psal.* nullum ex his votis est validum nisi sub aliqua sit conditione restrictum; sub qua homo sit regula infallibilis. Sic in Religionibus optimè promittitur obedientia, sed secundùm regulam, & leges, quæ sunt infallibilis regula agendorum. Ideo nec votum factum de obediendo Confessario est de meliori bono, & validum nisi sit restrictum ad aliquam infallibilem regulam, cui arbitrium Confessarij sit subiectum. Et quàmnis in hoc Confessarius possit habere quandam maiorem amplitudinem, quia pœnitens ei tenetur manifestare etiam peccata sua, vnde Confessarius abundantiùs potest in singulari indicare quid pœnitenti sit melius in indiuiduo, quia indiuiduales conditiones ei fiunt manifestæ vberiùs. Tamen nec pœnitens tenetur omnia omnino suo Confessario manifestare, & quam plurimæ esse possunt quæ pœnitens salua conscientia manifestare non poterit; vnde est, quòd obligatio ista vniuersalissima de obediendo Confessario in omnibus non est licita, nisi sit conditionata, & præcipuè hac conditione, si tandem omnibus pensatis quod præcipitur à confessario sibi videatur esse melius. Quia vt dictum est, tandem iudicium de meliori in indiuiduo est personale, & proprium operantis, qui & contra leges ipsas & præcepta sæpe opus habebit vti Epijcia, & qui & diiudicare debet de præceptis ipsis, & quatenus sibi constet esse iniqua, illa spernere debet.

231 Colligitur vltimo totius huius inspectionis generalis conclusio, scilicet religiosum ex vi voti obedientiæ non necessitari ad obediendum præceptis Prælati non præcipientis secundum regulam. Illa vero esse secundùm regulam, quæ in regula continentur expressè aut implicite & indirectè. Hæc autem sunt illa, quæ pertinent ad communem vitam & mutua obsequia religiosorum, quæ sunt iusta pœna delictorum, quæ sunt medium aliqualiter necessarium ad perfectam regulæ obseruantium, quæ ob communes necessitates in dies agenda occurrunt. Vnde tanta est amplitudo & extensio obedientiæ, vt pauca remaneant liberæ religiosorum voluntati relicta immo nulla quæ saltem in ratione virtutis non sint ex regula illis ordinata, cum nullus religiosus sit, qui etiam vel ex regula non teneatur vitare otium, & operari semper in gloriam Dei, vel operari quòd est melius in indiuiduo, vel hoc ei non possit præcipi à superiore.

SVMMARIVM.

1 *Dubium quid sit. num.* 232.
2 *Dubium duplex.* 232.
3 *Dubium formale, & obiectiuum. num.* 233.
4 *Idem non potest opinari contradictoria, quanis possit esse dubius de illis. num.* 234.
5 *Dubium de præcepto ex triplici capite. num.* 235.



Qualiter votum obedientiæ se extendat ad casus dubios.

INSPECTIO TERTIA.

232 Dvbitatio secundùm *S. Thom. in* 3. *d.* 17. *a.* 4. significat *motū rationis super vtraque parte contradictionis cum formidine determinandi alterum*. Et ideo *contingit ex defectu medij sufficientis ad veritatem inueniendam, & ideo contingit ex defectu scientiæ*. Distinguitur nihilominùs dubium in proposito in negatiuum, & positiuum. Primum dupliciter potest accidere, primò quia ad nullam partem contradictionis habeatur medium saltem probabile ex quo intellectus determinetur ad alterum, secundò quia esto adsint media probabilia, hæc ad vtrumque contradictorium habentur æqualia, & ideo intellectus manet irresolutus, & anceps, nec ad aliquam partem præ alia determinatur, quia nullum ex motiuis est sufficiens ad determinandum intellectum, & ideo *Syluest. v. dubium* dixit illud esse, in quo dantur ad vtramque partem rationes æquales, vel quasi æquales; vbi enim datur æquale pondus rationum, nequit determinari intellectus magis ad vnam partem, quàm ad aliā. Dubium verò positiuum dicunt, quando ex vtraque parte sunt opiniones probabiles, seu dubium positiuum est quòd coincidit cum opinione, quæ secundùm *S. Thom. p. p. quæst.* 79. *a.* 9. *ad* 4. *Significat actum intellectus, qui fertur in vnam partem contradictionis cum formidine alterius*. Et hoc modo dubium negat omnimodam certitudinem, opinans enim dicitur dubius, quia non est certus, sed dubium primo modo negat nedum certitudinem, sed etiam determinationem intellectus ad vnam partem contradictionis. Sed tamen propriè opinans non est dubius, quia vni parti determinatè adhæret. Ideo cum *Caiet. in sum. v. opinio* dixerit, quòd omnis opinio ambigua est, hoc reprehendit *Vasquez*, vt aduertit *Martinez de Prado in quæst. moral. cap.* 1. *quæst.* 3. *num.* 8. quia opinio non petit essentialiter dubietatem, & ambiguitatem. Et licet idem Martinez dictum Caiet. defendat, quia dubietas latitudinem habet, & vnus gradus illius est adhærere alteri parti, cum formidine alterius, tamen verè sic est quòd opinio propriè loquendo non est dubia, nec est contrariè incerta, sed est incerta priuatiuè quia non est euidens, & procedit ex coniecturis, & principijs fallibilibus vt in paucioribus tamen, seu talibus quæ saltem simul sumpti determinant intellectum ad vnum. Et ideo melius dixit *Syluest. v. dubium num.* 41. quòd vbi est opinio cessat dubium & dictum Syluest. nouissimè approbat *Reuerendiss. Fagnanus cap. Ne innitaris, nu.* 225. *de Constit.*

233 Sed secundò consideranda est analogia eiusdem nominis *dubium*, quod alio modo distinguitur in formale, & obiectiuum. Nam dubium primò & formaliter sumptum importat actum rationis. Et sic est vel motus rationis ex carentia, vel æqualitata motiuorum indeterminatæ ad alteram partem, & in se ancipitis; vel motus rationis determinatæ ad vnum cum formidine oppositi

qui

qui propriè dicitur opinio, sed & obiectum huiusmodi motus rationis analogicè dicitur dubium, seu res dubia. Et hoc modo dubium etiam distinguitur in dubium negatiuum, quod propriè dicitur dubium & in dubium positiuum, quod propriè dicitur opinabile. Primum illud est, cuius non est inuenire motiuum tale, ex quo possit determinare intellectum magis ad suum assensum, quàm ad assensum sui contradictorij. Quia enim nos ex sensibilibus cognoscimus, sicut illud dicitur occultum quòd ad extra non est manifestatum, sic dicitur dubium, quod ad extra ita imperfectè est manifestatum, vt nulla adsit vel coniectura efficax ad determinandum intellectum magis ad sui assensum, quàm ad sui contradictorium. Dubium verò positiuum, idem est quòd opinabile, & illud est quòd est magis manifestatum, nimirum taliter quòd ex sensibilibus haberi possunt motiua quæ ad sui assensum determinent intellectum, licet non cum certitudine, sed cum formidine alterius partis.

234 Est autem discrimen inter huiusmodi dubia formalia, & obiectiua, quòd dubium purè negatiuum vtrique contradictorio commune est, & in eodem intellectu est respectu vtriusque contradictorij. Quia ille qui dubitat, non habet aliquod motiuum determinans ad alterum ex contradictorijs, nec obiectiuè vnum contradictorium est dubium, nisi sit dubium aliud; quia vno eorum existente certo, certum est & aliud, quia implicat contradictoria esse simul vera, & si certum est vnum esse verum, certum est aliud esse falsum. Sed in dubio positiuo vtrumque quidem contradictorium potest esse opinabile respectu diuersorum intellectuum, sed respectu eiusdem hoc est impossibile, quia opiniones contradictoriorum sunt ad inuicem contrariæ, vt habet *D. Thom p.p.q.17 a.4. ad p.& 3.* opposita autem non possunt esse simul in eodem subiecto. Quamuis vna possit esse in habitu, & alia in actu iuxta doctrinam eiusdem *S. Thomæ q.16. de malo a.6. c. in prin.* Ideo nullus v. g. potest simul opinari, quòd ieiunare tali die sit & non sit prohibitum. Hoc quidem negauerunt *Vasquez p.2.q.19.a.6. disp.62. cap.3. num.10. & Azor. l.2. c.16. q.2. & 3. & cap.17. q.7.* dicentes, eundem simul posse habere de eodem contrarias assensus, vnum ex principijs extrinsecis, & alium ex extrinsecis. Et *Sanchez in Decal. l.1. cap.9. num.12.* amplius dixit, posse eundem ex principijs intrinsecis diuersimodè intellectis vtramque partem côtradictionis opinari. Sed isti non distinxerunt inter hoc quòd est rem esse opinabilem, seu probabilem, & rem esse in se ipsa veram, seu inter iudicium probabilitatis, & iudicium opinatiuum veritatis rei; Duo enim huiusmodi iudicia non sunt contraria, quia non sunt de eodem obiecto. Immò primum non est opinio, sed sæpissimè est scientia, quoniam nobis, euidens est de diuersis contradictorijs esse opiniones probabiles. Vnde idem *Sanchez ibid. num.18.* dixit, quòd adhoc, vt quis possit sequi opinionem probabilem necesse est, quòd sit certus de probabilitate. Et sic bene stat quòd quis habeat opinionem de veritate vnius contradictorij, & quòd iudicet aliud esse probabile. Nec decipiat se quisque arguendo & dicendo, quod est probabile est in se verum, sed hoc est probabile, ergo est in se verum. Quia maior non est vera absolutè, & de veritate rei in se ipsa, cum sint quàmplurima probabilia, quæ sunt falsa, sed est vera illa maior de vero secundùm communem rationem opinabilis, quia quòd est probabile est verum quòd sit opinabile. Quòd si ex illo principio velit arguens concludere sic esse verum in re, impossibile erit, quòd simul credat seu opinetur non esse id verum in se ipso, quia esse verum, & non esse verum sunt contradictoria, & licet opiniones contradictoriorum non sint contradictoriæ, secundùm *D. Th. p.p. q.17. a.4. ad p. & 3. & p.2. q.53. a.1. c.* sunt tamen contrariæ, & ideo impossibile est quòd intellectus determinatè positiuè iudicet rem esse veram, & rem esse falsam, seu contradictoriorum vtrumque esse verum, aut falsum. *Card. de Lugo de fide disp.10. sec.1. nu.14. Palaus p.1. disp.2. p.5.2. num.4. Layman. l.1. tr.1. cap.5. Bresserus l.3. de conscien. Candidus Philaletus, seu Andreas Blaacum in praxi opinionum q.3. Iulius Mercorus Iaquis. Mantuanas in praxi opin. p.2. a.1. Reuerendiss. Fagnanus cap. Ne innitaris. 127. de const.* Ideo verè sic est, quòd nullus opinando potest se habere æqualiter ad vtrumque contradictorium, quia non potest simul vtrumque opinari, sed vbi quis simul eodem motu æqualiter fertur in vtrumque contradictorium, est verè negatiuè dubius non opinans. Quia qui iudicat plures opiniones esse æqualiter probabiles, ex vi talis iudicij censet quòd nulla illarum habet medium quo magis se determinet ad vnam partem, quàm ad aliam. Nec ipse vnquam se determinabit ad alteram illarum, nisi aliquid inueniat in vno contradictorio præ alio, quo se determinet ad vnam partem potius, quàm ad aliam. Nec ipse vnquam se determinabit ad alteram illarum, nisi aliquid inueniat in vno contradictorio præ alio, quo se determinet, ad illud. Quàmuis præminentia vnius ad aliam possit esse tam leuis, vt censeri possit in ordine ad honestatem actionis nô præeminere, & in hoc sensu multi dicunt plures opiniones esse æqualiter probabiles.

235 In præsenti de omnibus istis dubijs noster sermo est. Verùm cum obedientiæ obiectum sit præceptum, ex triplici capite dubitatio potest contingere, primo scilicet ex parte præcepti si adsit, vel non adsit, vel simpliciter, vel ex parte respectu talis, vel talis casus. Secundò ex parte superioris si possit vel non possit præcipere, & hoc siue simpliciter, siue ex parte an possit, vel non possit hoc, vel illud, & tertiò ex parte materiæ, si sit illicita, vel licita.

SVMMARIVM.

1 *Ex triplici capite esse potest esse dubium, an præceptum sit. num.236.*
2 *Legis promulgata vix potest dari rationabile dubium, an sit. num.237.*
3 *Vbi præceptum sit dubium, quod sit obediendum aliqui dicunt. num.238.*
4 *Vbi præceptum facta diligentia est dubium non obligat. num.239.*
5 *Sufficit tamen moralis certitudo habita ex humana fide. num.239.*
6 *Dubius de abrogatione legis debet obedire. numer.240.*
7 *Dubius an præceptum superioris sit receptum debet obedire. num.240.*

8 Si

8 *Si sit dubium an praeceptum obliget sub mortali, quid dicendum remissiue.num.241.*
9 *Ex multiplici causa potest esse dubium an casus aliquis comprehendatur sub lege.num.242.*
10 *Vbi sit dubium an locum habeat Epijcia obediendum legi.* 243.
11 *In dubio an locum habeat Epijcia petenda dispensatio.num.244.*
12 *Lex in rei veritate dubia non obligat. nu.245.*
13 *Lex certa est & certos casus hos & non illos in rei veritate comprehendit. nu.246. & 247.*
14 *Locus D.Thom.ex quodl. 8. a.13. expenditur. numer.247.*
15 *Difficultas contra d.textum D.Th. nu.248.*
16 *De mente D.Thom. qui ex opinione in re falsa à se putata vera operatur contra opinionem magistrorum peccat, quia eius ignorantia non est inuincibilis.num.249.*
17 *De mente D.Thom. haec regula vnica seruanda est, vt videatur si quis operatur ex opinione in re falsa à se putata vera peccat, vt scilicet dicatur peccare si eius error sit vincibilis, non vero si sit inuincibilis.num.250.*
18 *De mente D.Thom.sequens probabilissimam opinionem ex eo excusatur à peccato si illa sit falsa, si eius error sit inuincibilis.num.251.*
19 *Opiniones diuersa circa vsum probabilitatis. numer.252.*
30 *Non licet ex hoc quod vna opinio sit probabilis illam sequi opposita non examinata. nu.252.*
21 *Communioris, & probabilioris opinionis si est error, est inuincibilis.num.253.*
22 *Nisi adsit vrgens motiuum in contrarium. numer.253.*
23 *Non licet relicta probabiliori sententia, vti minus probabili.num.254.*
24 *Ex duabus opinionibus potest eligi, quam quisque iudicat probabiliorem.num.255.*
25 *Quod idem opinetur vtrumque contradictorium est impossibile.nu.255.*
26 *In controuersia an ex duabus opinionibus aeque probabilibus possit quaelibet assumi, vtriusque partis rationes insufficientes.num.256.*
27 *Non est verum vniuersaliter quod ad agendum sufficiat iudicium probabile.num.256.*
28 *Vnusquisque tenetur facere, quod in se est, vt perfectam legis notitiam habeat.nu.256.*
29 *Fundamentum opinionis negantis vsum probabilitatis.num.257.*
30 *Obiectum prudentia formale, & materiale. numer.258.*
31 *Prudentia respectu formalis obiecti certissima. numer.258.261.*
32 *Prudentia respectu obiecti materialis per se non requirit certitudinem. n.258. 260.*
33 *Dubium practicum & speculatiuum. n.259.*
34 *Qualibet suspicio de obiecto formali prudentia eidem repugnat. n.259.*
35 *Ex eo valide non improbatur vsus probabilitatum, quod necesse sit hominem esse certum de honestate actionis. n.260.*
36 *Exemplo ostenditur quòd stat dubietas de re cum certitudine prudentia.n.261.262.264.*
37 *Secundum fundamentũ negantis sententia. nu.263.*
38 *Regula iuris seruanda in electione opinionum. numer.263.*
39 *Sensus illius regula in dubijs tutior pars est eligenda. n.264.*
40 *Non est eadem ratio de dubio iuris, & dubio facti. num.265.*
41 *Ad hoc vt ex regula de tutiori Princeps disponat, sufficit quod illa sit consilium. n.265.*
42 *Canones ad audientiam &c. De homicid. loquuntur de dubio facti. n.265.*
43 *Cap. illud de Cler. excom. minis. loquitur de dubio facti. n.266.*
44 *An sufficiat ad hoc vt aliquis se habeat vt excommunicatus. n.266.268.*
45 *Sub lege humana non cadit finis legis.n.267.*
46 *Ex lege naturali non est necesse sequi tutiorem comparatiue. n.267.*
47 *In sequenda opinione aeque probabili non probatur adesse periculum. n.267.*
48 *Non licet quòd inueniatur aduersari legi. num.268.*
49 *Vbi adest periculum nullitatis sacramentorum tutius est eligendum. n.268.*
50 *Quod regula de tutiori contineat consilium probatur ex Clem. exiui. De verb.signif.268.*
51 *Certum praeferendum incerto. n.268.*
52 *Certius eligendum. n.268.*
53 *Cap. fin. dist.14.*
54 *Cap. veniens. De Cler.excom.minis.*
55 *Cap. cum desideres. De sent. excom.*
56 *Clem. exiui de verb. signif.* 168
57 *Cap. si quis positus, & cap. si quis autem. De paenit. dist.3.*
58 *Cap. iuuenis de sponsal.*
59 *Dictorum compendiosa resolutio. n.269.*
60 *Non sufficere ad agendum opinionem, quidam dicunt. n.270.*
61 *Oppositum probatur. n.271. 272.*
62 *Certitudo moralis est opinatiua. n.271.*
63 *Vnde sit necessaria in operando certitudo, aut probabilitas. n.273.*
64 *Vtrum possit dari dubium negatiuum an casus aliquis comprehendatur sub verbis legis. num.274. 276. 278.*
65 *Principium quod potior est ratio possidentis si est sermo de possessione proprie non habet locum extra materiam iustitia. n.275.*
66 *Datur possessio naturalis hominis. n.275.*
67 *Dato quòd quis possit esse negatiue dubius in praefato dubio iuris, si sit talis inculpabiliter manet liber ad vtramque opinionem. n.276.278.*
68 *Non obligatur homo ex lege ad id, ad quod non potest ex lege dirigi. n.276.*
69 *Hoc potiori iure est verum in lege humana. numer.277.*
70 *Distinctio inter Epijciam vbi lex est certa, & in nostro casu vbi est dubia. n.279.*
71 *Non obstat regula de tutiori, quia non sumus in dubio. n.278.279.*
72 *In contrarietate opinionum aequa probabilium licet amplecti earum quamlibet. n.280.*
73 *Non tamen sequitur, quod liceat amplecti minus probabilem. n.280.*
74 *Opinionum alia plusquam probabiles, alia improbabiles.n.281.*

236 DVbitatur igitur primò, qualiter subditus obedire teneatur vbi est dubium ipsum præceptum. Ex triplici verò capite potest hic oriri dubitatio, vel quia sit dubium de actu & substantia præcepti, an scilicet superior aliquid præceperit, vel non præceperit, secundò de forma præcepti, an scilicet præcipiendo vsus sit forma necessaria ad præcepti valorem, v. g. in Ordine Prædicatorum an superior præceperit in virtute sanctæ obedientiæ. Tertiò de præcepti extensione, an scilicet præceptum comprehendat hunc vel illum casum. Dubitatur igitur quid agere debeat Religiosus in huiusmodi dubijs, siue dubia sint negatiua, siue sint positiua.

237 Cum verò de ratione legis vt obliget necesse sit quòd sit promulgata Nam leges instituuntur cum promulgantur; *vt dicitur c.in istis dist.4. & l.leges, Cod.de legibus additur. Leges sacratissimæ, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent,* Cuius rationem reddidit *D.Thom. p.2. q.90. a.4.* Quia nequit vti regula, qui regulam ignorat, ideo qui per legem vult mores hominum dirigere, debet legis regulam applicare, eamque in hominum notitiam deducere, Ideo supposita legis seu præcepti sufficienti promulgatione vix dari potest casus in quo subditus possit esse dubius rationabiliter, & inculpabiliter de legis aut præcepti existentia. Nam vel præcepti nullam notitiam habet, & tunc non potest esse dubius de præcepto, cum illius sit penitus ignorans. Dubium autem supponit aliquam rei notitiam cum sit motus rationis non habentis vnde se determinet ad assensum. vel dissensum circa rem à se apprehensam. Si verò habet aliquam vel minimam præcepti promulgati notitiam, tenetur rei veritatem inquirere, & si hoc non facit, non excusatur, & habet locum doctrina *D.Thom. quodl.1. a.19. Quòd si aliquis Constitutionem Papæ nesciat per negligentiam, non excusatur à culpa, si contra constitutionem agat. Si autem aliquis habeat sufficiens impedimentum, propter quod scire non potuerit, puta si fuit in carcere, vel in terris extraneis, ad quas constitutio non peruenit, vel propter aliquod simile, talis ignorantia excusat, vt non peccet contra constitutionem Papæ agens.* Lex enim promulgata ad hoc vt obliget sufficit quòd eius notitia per alias deueniat ad quemcumque vt habet *D.Th. p.2.q.90.a.4.ad 2.* statim ergo vt ejus aliqualis notitia peruenit ad aliquem, tenetur ille plenam & necessariam illius notitiam inquirere, & se de legis existentia informare, quòd si id non facit, iam ex negligentia legem ignorat, vnde non excusatur si legem non seruat.

238 Verùm hoc non obstante absolutè non est impossibile dari casum, in quo subditus sit rationabiliter dubius de præcepti existentia. Tum primò quia si solùm aliquis incertus rumor sparsus fuerit de promulgato præcepto, dum interim se informat de veritate est rationabiliter dubius, quia non statim alicui dicenti latā fuisse legem, tenetur quis credere, vnde tunc interim qui audiuit, manet rationabiliter dubius de legis existentia. Tum secundò quia absens etiam post diligentem inquisitionem potest remanere dubius, quia à nullo potuit habere certitudinem legis impositæ. In hoc ergo puncto si præceptum remanet facta diligentia dubium, quòd sit necesse obedire præcepto dixerunt *Vasquez p.2.d.35. cap.3. Barbosa ad cap.iuuenis* de sponsalibus & *Peyr.in subd.q.1.cap.7. dicto p.* multis allegatis, qui id non dicunt. Probant verò, quia in dubijs tutior pars eligenda. Sed hæc ratio non vrget quia licet sit dubium an sit præceptum, non propterea est dubium an præceptum sit obseruandum.

239 Dicitur propterea quòd qui est rationabiliter dubius de nouo præcepto superioris; seu de legis nouæ promulgatione quia non potest habere certitudinem illius, pro tempore pro quo non potest esse certus de illo post adhibitam sufficientem diligentiā non tenetur præceptum obseruare, quia præceptum non est illi sufficienter promulgatum, seu sine sui culpa ille non habet notitiam præcepti. Non enim ad hoc vt lex obliget sufficit suspicio de legis existentia, vel eius incertus rumor. Quia ad priuandum subditum suæ naturalis libertatis possessione & certo iure requiritur certitudo legis, qua deficiente sine sui culpa ipse non manet obligatus ad legem. Nam nec lex incerta de sui existentia potest esse regula certa agendorum. Aliter à quocumque priuato posset quis ad legem falsam obligari, & decipi, si qualiscumque incertus rumor sparsus de legis existentia sufficeret ad hoc, vt aliquis maneret obligatus ad legem. Et ita hanc sententiam tenent Suarez *de Cens.disp.40.sec.5.num.15. Sanchez l.2.de matrimon.disp.41. nu.36. & lib.1. sum. cap.10.num.32. Palaus tract.p.disp.3. puncto 7. Io: à S. Thoma p.2.disp.12.a.4.5. sed respondetur. Baptista p.2. tom.3. disp.209. dub.5. num.1133.* & apud eum *Henriq. Sà, Sallas, Filliuccius, Villalobos, & Oniedo Bonac.de peccatis disp.2.q.4.p.7.num.17. Layman. l.1.tr.1.cap.5.num.38. Bossius part.2. tit.1.num.1213.* & apud eum *Rebellus, Gordonus, Fragosus, & Diana.* Non tamen ad hoc est necessaria certitudo metaphysica, sed sufficit certitudo moralis, quam licet non ferat opinio, si etiam in oppositum vrgeant rationes æquè probabiles vnde non possit se determinare ad vnum, quia in hoc casu lex est verè dubia in sui existentia, sufficit tamen talis ac tanta notitia cui quicumque prudens teneatur assentire, hæc enim parit certitudinem moralem, licet sit notitia fidei humanæ, seu opinionis habens annexum non nihil formidinis. Præcipuè verò aliorum praxis fidem facit de lege sufficientem. Cæterùm qui potuit habere certam præcepti notitiam, ex eo quòd præceptum voluntariè ignoret, non excusatur ab obligatione præceptum seruandi, quia illud voluntariè & culpabiliter ignorat, ignorantia verò voluntaria non excusat vt docet *D. Thom. communiter receptus. p.1.q.6.a.8. & q.76.a.3.*

240 Si verò quis sit certus de præcepto, sed dubius an præceptum fuerit abrogatum aut lege, aut consuetudine, aut an super eo fuerit dispensatum, præceptum obligat, & pro eo stat possessio, & certum est ius illius, *Sanchez d.cap.10.num.39. Palaus d.p.7.num.6. Laym.l.2.tr.4.cap.10. nu.5. Medina p.2. q.19.a.6.q.4.concl.3. Baptista d. disp.209. num.1140.* & apud eum *Cornezo, Bonacina, & Oniedo, Boss. d. tit. nio p.num.1224.* & apud eum *Filliucius, & Villalobos*: Et idem credo si sit dubius an præceptum sit vsu receptum: quia præcepta superiorum non indigent acceptatione, vt obligent *Sanchez d. cap. 10. num.35. Layman d. tr.4. c.13. num.6. Baptista, numer.1136.* & alij apud istos.

241 Si autem constet de præcepto sed dubitetur de verbis præcepti, ideoque sit dubium an præceptum obliget ad mortale, an scilicet præcepti verba sint talia vt inducant obligationem ad mortale, quia de hac materia agitur ex professo infra art. seq. ibidem difficultas ista examinabitur.

242 Sed si sit dubium de comprehensione sub lege huius vel illius casus in singulari, considerandum, quòd aliquem casum in singulari non comprehendi sub lege contingere potest ex duplici causa, vel quia non comprehendatur sub verbis legis, vel quia licet comprehendatur, per Epijciam sit excipiendus, & dici debeat non comprehensus.

243 Hoc tamen est considerandum, quòd vbi lex est certa dubium verò est an in hoc vel illo casu locum habere possit Epijcia ratione alicuius necessitatis, aut circumstantiæ, quidquid in contrarium dixerit *Salas p.2.tract.8.sect.25. num.159.* quem refert, nec reijcit *Diana p.4.tract.3. resol.22.* dicendum, subditum teneri obedire, quia legis seu præcepti ius certum non potest vinci à dubio iure subditorum. *D.Th.p.2.q.96.a.6.ad secundum, & supra q.120.a.1.ad tertium. Sotus l.1.de iust. q.6. a.8. Caiet. p.2.q.96.a.6.* & ibi *Conradus, & Serra, Suarez de legibus l.6.cap.7.num.10. Vasquez 3.p. disp.210. cap.4. nu.43. Sanchez de matrim.l.2.disp.41.num.37. Pulaus tract.p.disp.3.p.7. Laymun. l.1.tract.4. cap.20.num.5. Baptista p.2.disp.209.dub.5.num.1141. Boss.p.2.tit.1. numer.1215.* & apud eum *Villalobos, & Gordonus.* Quod idem dicendum est etiam in sententia eorũ, qui tenent, quòd deficiente fine legis in particulari deficiat in particulari legis obligatio, si sit dubium an finis legis cesset. In omnibus enim istis casibus dubium non potest certitudinem legis vincere.

244 An verò cum ex obseruantia præcepti est dubium de aliquo futuro graui damno corporali, vel spirituali, si commodè adiri possit superior, sit necessariò petenda dispensatio; ex *D. Thom. sup. q.120.a.1. ad tertium* aduertendum, quod Epijciæ non est interpretari ius dubium, Epijcia enim ab Interpretatione distinguitur *l. inter æquitatem, C.lib.1. tit.17.* sed dirigere in manifestis, vt ibidem explicat. Caiet. quia scilicet Epijciæ, est vbi manifestum est quòd lex vniuersalis deficit in particulari, & lex deficeret si in illo obseruanda esset, tunc ex Epijcia in illo casu particulari seruari non debet. Vbi verò periculum grauis damni futuri ex obseruantia legis est dubium propriè, non est manifestum quòd seruare legem sit iniquum, & malum, vnde locum non habet Epijcia. Vbi ergo causa excusans à lege sit certa, locum habet Epijcia, nec est necessarius recursus ad Superiorem. Vbi verò sit dubia sed consultis DD. aut peritis reddatur certa, neque tunc est necessaria dispensatio; sed si causa excusans est dubia, & commodè adiri potest superior, dispensatio est petenda, vt ex *D. Thom. & Caiet.* loco citato habetur, & dixerunt *Conradus, Sotus, & Serra Suarez supr. citat. Syluest. v. ieiunium num.10. Angelus num.10. Rosell. num.25. Armilla num.6. Nauar. c.21. num.20. & 21. Ledesma 2.4. q.19. a.3. Azor. p.1. l.7. cap.19. quæst.2. Sanchez tom.2. consil. lib.5. cap.1. dub.5. num.25. & dub.6. num.2. Bossius num.1220.* In casu tamẽ, in quo non possit commodè adiri dispensator, quod nec liceat vti Epijcia, quia excusatio est dubia, & lex est certa, sed sit obediendum legi tradunt *D. Thom. p.2. q.96 a.6. ad 2. & ibi Caiet. Conrad. & Serra, Sotus d.q.6.a.8. Suarez d.lib.6. de legib. c.8. Bassæus v. Epijcia num.3. Sanchez l.2. de matr. disp.41. num.37. Baptista p.2. disp.209. dub.5. num.1142.* & alij ab istis citati. Sed esse potest difficultas, si, licet causa excusans non sit omnino certa, sit tamen probabilis, & sufficiens ad generandam opinionẽ, tunc etiam si commodè adiri possit superior possit vnusquisque vti Epijcia, & contra vel præter legis verba operari ex causa iusta, sed opinata. Non posse enim docent *Caiet. Soto, Suarez* citati, & alij; fundati maximè in author. *D. Thom. dicta q.96. a.2. c.* Sed præfati DD. inter ambigua, & dubia ponunt opinata; quod quidem non est ad mentem D. Thomæ, aliter dicendum est, quod etiam, vbi quis probabiliter opinatur, quòd casus non comprehendatur, sed adsit iusta necessitas, & periculum esset subitum, vnusquisque teneretur, vel habere dispensationem, vel seruare legem secundùm verba; quod prædicti DD. non admittunt. *D. Thom.* enim vnicam facit distinctionem tam ibi, quam in hac *2.2. quæst.120. art.1. ad 3.* inter manifesta, & dubia admittens vsum Epijciæ in manifestis, non in dubijs. Vnde si opinata inter dubia collocari debent, etiam vbi non adsit commoditas adeundi superiorem, & periculum non patiatur moram non licebit iuxta opinionem etiam probabilissimam, vti Epijcia, & operari contra, vel præter verba legis. Quod quidem & dicti DD. negant, & verè non est rationabile. Sed veritas est, quod opinata non debent numerari inter dubia, sed inter manifesta, quia vt ait *Syluest. v. opinio num.1. fin.* Non est in dubio, qui probabilibus rationibus flectitur ad vnam partem; ideo vbi verè quis non voluntariè per ignorantiam culpabilem, sed ex bona fide probabilibus rationibus iudicat locum esse Epijciæ, non habet necessitatem petendi dispensationem, vel recurrendi ad Principem, seu Superiorem. Iudicium enim executionum legum à natura datum est subdito. Et aduertenda sunt aurea verba *D. Th. q.17. de ver. a.5. ad 4. Quòd subditus non habet iudicare de præcepto Prælati, sed de impletione præcepti, quæ ad ipsum spectat; vnusquisque enim tenetur actus suos examinare ad eam scientiam, quam à Deo habet, siue sit naturalis, siue acquisita, siue infusa: omnis enim homo debet secundùm rationem agere.* Vnusquisque ergo est iudex executionis præceptorum ex scientia, quam habet. Sicut autem in foro externo, vbi iudex habet probationes probabiles tam in iure, quàm in facto, non indiget recurrere ad superiorem, sed sufficit, quòd ex probabilibus ducatur, ita hoc sufficit homini in suo priuato iudicio. Eo ideo vbi probabiliter opinatur bona fide, quòd sit in casu in quo liceat vti præter verba legis, potest absque recursu ad superiorem iuxta suam opinionem agere. Et ita in terminis tenet *Palaus tom.1. tract.3. disp.5. sect.3. §.2. numer.4.* & fauet *Nauar. cap.23. num.43. ex S. Anton. 2 p. tit.6. cap. in princip. Syluest. v. ieiunium q.8.* vbi quod excusat ab obseruatione legis iusta causa, quæ bona fide pro iusta habetur. Et quamuis Nauar. in hoc casu cognoscat peccatum veniale, minùs consequenter loquitur. *Caiet. etiam supr. q.147. a.3. in fin.* ait, quod in omnibus casibus in quibus rationabilis est causa soluendi ieiunium, si aliquid ambiguitatis habet, superioris arbitrium causa cognita, vel commuta-

mutatio licitam tutè reddit solutionem. Vbi non ponit necessitatem petendi dispensationem, si adsit rationabilis causa sine ambiguitate, & vbi aliquid ambiguitatis adsit solum necessitatem ad bene esse insinuat, aut petendæ dispensationis, aut commutandi ieiunium propria auctoritate. Idem verò *Caiet. v. ieiunium* §. *quoad tertium*, apertè fatetur, quòd excusat à ieiunio nedum causa, quæ euidenter est rationabilis, sed etiam, quæ à ieiunate debente creditur sine fraude, quòd sit rationabilis. Et idem habet *Nauar. cap. 21. nu. 3. ex Palud. 4. d. 15. q. 4. a. 1.* Et pro hac eadem sententia plures refert quos sequitur *Bossius tract. 21. num. 22.* Et pro hac eadem sententia quòd scilicet sufficiat causa rationabilis bona fide opinata tenent *Sanchez lib. 5. Consil. cap. 1. dub. 5*, & alij distinguentes inter causam manifestam & dubiam, & sine alia distinctione dicentes, quòd in causa manifesta non est opus dispensatione. Non enim causa bona fide iusta opinata debet dici causa dubia, vt vult *Bossius tract. 21. num. 159.* Quia in moralibus bona fide opinatum est manifestum, cum in moralibus habeatur certitudo ex probabilibus. Et propterea, quòd ad hoc vt quis excusetur à ieiunio sine dispensatione sufficiat causa iusta dixit in terminis *Pasqual. dec. 399. num. 5.*

245 Sed vbi etiam causa sit dubia, si non potest haberi superior, qui dubium tollat, quod possit esse locus Epijciæ quando sumus in concursu diuersarum legum, & seruando legem incurrimus periculum violandi aliam maiorem voluit *Suarez l. 6. de legib. cap. 8. nu. 12.* Sed hoc reijcit *Palaus tom. 1. disp. 3. p. 8. num. 5.* Quia lex certa præualet alteri dubiæ. Ideo coniux dubius de morte prioris coniugis debet reddere debitum præsenti coniugi petenti, quia præsenti coniugis ius & possessio est certa & mors prioris dubia. Ideo quando verè est dubium an detur locus Epijciæ, seu an causa non operandi secundùm verba legis sit iusta, vel habenda est dispensatio, vel agendum est secundùm legis verba. Sed puto limitationem esse admittendam in concursu legis humanæ cum naturali aut diuina & adsit probabile periculum violationis illius legis. Immò absolutè limitatio vera est, quia ius minoris legis non est certum vbi maioris legis periclitatur obseruantia. In exemplo autem allato eadem est lex iustitiæ, & ideo non est simile.

246 Cum igitur lex de se sit certa, hoc pro indubitato fundamento veritatis habendum est, quòd lex in rei veritate comprehendit hos casus determinatos, & non illos, omnes scilicet qui certè sub verborum significatione in rei veritate comprehenduntur, & illos quoque qui ex istis per necessariam consequentiam deducuntur & quoad omnes istos, lex obligat, & ab eius obseruantia nullus excusatur nisi ignorantia inuincibilis excuset, vel impossibilitas. Stat igitur legem esse certam, sed dubietatem oriri partim quidem ex legis aliqua obscuritate, sed maximè ex parte hominum, qui vel minùs attentè verba legis considerant, vel ex affectione ad vnam partem legem ad prauos sensus detorquent, vel ex amore libertatis & cupiditate inducendi laxiores opiniones sensum legis peruertunt, vel econtra ex affectu asperitatis & nimio zelo legem in asperiorem intelligentiam ducunt, vel quia huius vel illius causa in iudicio patrocinantes legem ad sui fauorem velit nolit trahunt, vel quia ex prauis principijs moralibus iam imbutis ex paruo errore in errores maiores traducuntur, vel quia debiles ingenio, & Sanctorum Canonum leges non callentes munus assumunt docendi, vel ex aliqua simili causa legem non intelligentes pessimas consequentias ex ea deducunt. Lex naturæ certissima est, & euidentissima & à Deo scripta in cordibus nostris iuxta *S. Aug. lib. 2. Confes. cap. 4.* vnde nec à corde hominum deleri potest. *D. Thom. p. 2. q. 94. a. 6.* Ex primis verò principijs euidentibus & per se lumine naturali notis in quibus præcipuè consistit lex naturalis duplices conclusiones deducuntur, scilicet aliquæ per consequentiam certam & de se euidentem, & huiusmodi conclusiones ad eandem legem naturæ pertinent. Sed aliæ conclusiones sunt quæ non habent ad principia naturalia necessariam connexionem, sed contingentem & indeterminatam, ideoque determinabilem ex humano iudicio. Primæ conclusiones ad legem naturæ pertinent, vt ait D. Th. sed secundæ sub nulla lege clauduntur, nisi pro quanto lex positiua indifferentiam hanc determinet. Sic v. g. quòd delicta sint punienda est lex naturæ. Sed quòd hac, vel illa pœna puniantur sub nulla lege est de se, sed est de lege humana ex quo illa pro qualitate delictorum pœnas determinauit. Lex enim positiua habetur à naturali per modum determinationis, vt habet *D. Thom. p. 2. q. 95. a. 2.* & ibi explicat Caietanus. Ex quo ad propositum nostrum hoc deducitur, quòd conclusiones quæ ex principijs legis per certam & necessariam consequentiam deducuntur ad legem spectãt, & ad eas lex obligat, seu sunt comprehensæ sub lege. Sed quæ non habent ad principia legis naturæ necessariam consequentiam sub lege naturæ non cadunt determinatè, sed tanquam à lege indeterminata, vt determinanda ex humano iudicio ex naturalis legis principijs relinquuntur. Idem dicitur de lege diuina supernaturali, cuius principia fide certissima constant, licet non sint euidentia. Et sic quæ in rei veritate ex his principijs per necessariam consequentiam deduci possunt & debent, sunt sub lege & ad ea lex diuina obligat. Cætera, quæ ab ipsa non sunt determinata sub lege nõ sunt determinatè, donec postea per Ecclesiam determinentur, & iam sunt postea de lege Canonica positiua originem à diuina trahente per modum determinationis. Sic igitur & de lege positiua dicendum est, quæ & ipsa suam certitudinem habet, & obligat talis qualis est, & non talis qualis intelligitur prauè ab hoc vel illo. Obligat verò nedum ad principia, sed ad conclusiones, quæ ab ea per necessariam consequentiam deducuntur. Ad illas verò quæ necessariam consequentiam non habent ad eius principia non obligat, sed ea humano subditorum arbitrio ex prudentia priuata relinquuntur determinanda. Lex igitur talis qualis est obligat, & in hoc non pendet à cognitione nostra, nec est vnde distinguatur opinio probabilis, à probabiliori, quia lex de se est res certa & certò scibilis, & non nisi per ignorantiam probabiliter cognoscitur, cum sit certò cognoscibilis, neque hæc ignorantia excusare potest nisi sit inuincibilis. Et circa conclusiones, quæ in re non habent cum principijs legis necessariam connexionem, nec probabilissima opinio aliquam necessitatem ferre potest, quia illæ

non

non cadunt sub lege, sed sunt res indifferentes ex humana prudentia determinandæ.

247 Hoc confirmatur ex *S. Thoma in quodl. 8. art. 13.* vbi postquàm præmisit, quòd homo peccat dupliciter, vel quia facit contra legem, vel quia facit contra conscientiam, applicans doctrinam ad quæstionem suam subdit. *Dicendum est ergo, quòd quando sunt duæ opiniones contrariæ, de eodem oportet esse alteram veram, & alteram falsam. Aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, vt pote habendo plures præbendas facit contra veram opinionem, & sic cum faciat contra legem Dei non excusatur à peccato, quàmuis non faciat contra conscientiam, sic enim contra legem Dei facit. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam ille sequitur, ita quòd verè liceat habere plures præbendas, & tunc distinguendum est, quia aut talis habet conscientiam de contrario, & sic iterum peccat contra conscientiam faciens, quàmuis non contra legem. Aut non habet conscientiam de contrario sed certitudinem; sed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & sic si manente tali dubitatione plures præbendas habet periculo se committit, & sic procul dubio peccat, vt pote magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem, aut ex contrarijs opinionibus in nullam dubietatem inducitur, & sic non committit se discrimini nec peccat.* Est enim valde aduertendum, quòd D. Thom. primò quæstionem definit ex eo quòd in re est, & ex eo quòd contrariarum opinionum si vna est vera alia est falsa. Ex quo confirmatur quòd dictum est, scilicet quòd lex à parte rei in se est certa, & vniuersaliter determinatè vera, & verè comprehendens determinatè hos casus, & non illos. Ex hoc enim quòd lex in rei veritate est determinata, sequitur quòd contrariarum opinionum de lege vna necessariò est determinatè vera, & alia est determinatè falsa. Et sic verissimum est, quòd ex parte rei vel præcipit, vel non præcipit, vel prohibet, vel non prohibet. Si in rei veritate lex præcipit, vera est opinio asserens, id esse agendum, & falsa est opinio asserens, id non esse necessarium agere, sed indifferens.

248 Quo stante grauis hîc insurgit difficultas, quia D. Thom. affirmat, quòd qui sequitur opinionem, quæ in re est falsa etiam si à faciente habeatur, vt vera peccat, & sine aliqua distinctione probabilis, aut probabilioris, aut probabilissimæ suæ opinionis si illa sit falsa D. Thom. asserit illum peccare, quia facit contra legem; Cum verò de mente *S. Thom. p. 2. quæst. 6. art. 8. & quæst. 76. art. 3. & 4.* & DD. Catholicorum ignorantia inuincibilis excuset à culpa, difficile est concordare D. Thomam cum se ipso, & cum veritate in se: Nam qui habet opinionem in re falsam probabiliter ignorat, ideo & inuincibiliter ignorare videtur falsitatem opinionis, quia opinio illa licet in re falsa est probabiliter vera, ad hoc verò vt homo inculpabiliter operetur sufficit, quòd operetur ex iudicio probabili: Nam & secundùm D. Thom. & Theologos prudentia circa materiale obiectum non requirit certitudinem, sed contenta est probabilitate, vbi certitudo haberi non potest, qui ergo sic se habet quòd bona fide verè sic credens quòd sua opinio sit vera ductus ex rationabili, & probabili causa inuincibiliter ignorare videtur; quomodo igitur peccat ex quo in re eius opinio sit falsa?

249 Verùm hic textus D. Thom. fundamentalem valde doctrinam continet, & à priori punctum hoc difficillimum explicat. Præmisso enim, quòd lex est res certa, & à parte rei non dubia consideratur, quod prudentia respectu rei certò cognoscibilis sit contenta cognitione probabili, si maior, & certa non potest haberi. Ideo D. Thom. asserit, quod qui ex opinione contraria opinioni magistrorum à se putata probabili, sed in re falsa facit contra legem peccat, quia putat hunc non laborare ignorantia inuincibili, cum sit ignorantia, quæ est priuatio certæ cognitionis de re certò cognoscibili. Et quamuis in hoc habeatur sæpè obscuritas, & veritas, quæ secundùm se est certa, nobis non innotescat, & præcipuè vbi opus est discursu, & ex principijs deducere conclusiones, certitudo enim consequentiarum facillimè nos latet. Vnde *D. Thom. quæst. 16. de malo art. 6. c.* dixit, quòd opinionũ falsitas sæpe oritur ex indebita ratiocinatione. Nihilominùs ex hoc quòd lex in re est certa deducitur, quòd D. Th. fundamentũ est verum.

250 Vnde colligitur primò, quòd de mente S. Thom. hæc est vnica regula ad videndum, an qui ex opinione probabili agit, quod verè coram Deo est contra legem, excusetur à peccato, vt scilicet consideretur si eius error, aut ignorantia est inuincibilis, vel non. Nam si est inuincibilis non est culpa, secus si est vincibilis. Et quia ad hoc vt ignorantia sit inuincibilis necesse est, vt homo potuerit, & debuerit scire iuxta tradita à *D. Thom. p. 2. quæst. 6. art. 8. & quæst. 76. art. 3. & 4.* & ab eius expositoribus, & alijs DD. Tunc solùm erit inuincibilis, si homo vel non potuerit magis scire, quàm sciuit, vel non debuerit maiorem notitiam procurare.

251 Colligitur secundò ex præfato textu mentem D. Thomæ esse, quòd ex opinione falsa agens contra legem quæcumque illa sit, etiam si alias sit magistrorum, seu probabilior, seu probabilissima (Nam & probabilissima opinio est opinio cui potest subesse falsum) non excusatur à peccato, nisi per accidens, inquantùm opinio contineat ignorantiam inuincibilem. Quia cum aliàs lex certa ex se sit cognoscibilis cum certitudine, ex homine est, quòd eius non sit, nisi incerta opinio, & quod rei falsæ habeatur opinio putata vera. Si igitur, hic ignorantiæ modus sit voluntarius, & vinci possit, non potest à peccato excusare.

252 Colligitur tertiò ex dicto loco D. Thom. non licere non examinata pro possibili veritate rei, ex eo solo quod detur opinio probabilis affirmans hunc, vel illum casum non comprehendi sub lege, id operari tanquam licitum, sed qui sic operatur, si opinio sit falsa verè legi contradicit, & adhuc si opinio non sit falsa imprudenter agit. Hoc docent DD. qui vsum probabilitatis non admittunt. Huius autem ratio à priori propria, & rem demonstrans est, quia ignorantia voluntaria non excusat à peccato contra legem; aliàs, vt bene probauit *D. Thom. quodl. 3. art. 10.* non peccassent, qui Arium, & Nestorium sequuti sunt; Cum vero ita res se habeat, quod opinioni probabili possit subesse falsum & sæpissimè subsit. Cumque iam in hac parte sint duæ sententiæ DD. ex quibus vna vsum probabilis opinionis, ita approbat, vt dicat primò quod ad vitandum peccatum absolutè, & per se sufficiat sequi

qui opinionem probabilem, ita quod non sit necessarium inquirere, an opposita sit, vel æquè probabilis, vel probabilior. Immò secundo quod sufficiat sequi opinionem, quam quisque voluerit, ex oppositis opinionibus æquè probabilibus iudicatis. Immò tertiò quòd sufficiat sequi minùs probabilem, & tutam relicta probabiliori, & tutiori. Econtra verò quàm plures alij DD, huiusmodi probabilitatis vsum, vt falsum, & minimè à peccato excusantem damnent. Nam secundam sententiam in hac parte sequens, dico quod non satisfacit legi, qui sola notitia, seu opinione probabilitatis opinionis contentus, sic in communi absq; examine, & non plenè examinato negatio, si est talis, qui negotium examinare possit, & debeat, interim opinionem verè falsam sequitur lex enim certa, & obligans ad sui obedientiam, & sufficienter promulgata obligat etiam ad sui notitiam habendam. Cum verò notitia haberi possit de re, vel ex principijs extrinsecis, vt quòd res sit credibilis, quia dicitur à viro fideli, vel quod sit probabilis, quia est DD. opinio, cum hæc principia sint extrinseca, & quidem fallibilia, seu quibus potest subesse falsum; ex hac sola notitia non satisfit legi, sed debent homines ex principijs intrinsecis prudenter rationibus, & re discussa, non agere temerè contra legem, si sint tales, qui possint rem examinare, & non sint de illis, quibus in arduis licet operari ex fide superioribus, aut magistris præstita. Qui igitur in operando solam probabilitatem opinionis assumit pro regula agendorum, & dicit. Sufficit mihi, quòd opinio quam sequor est probabilis, de opposita nihil curo, & nolo eam indagare, si opinio quam sequitur est verè falsa, vt in d.textu docet D.Thom. peccat contra legem, & si non peccet contra conscientiam; quia eius error est voluntarius, cum possit, & debeat veritatem inuestigare; & contra legem, & prudentiam sit eligere non omnibus bene pensatis, & consideratis.

253 Colligitur quarto quòd econtra regulariter & veluti per se opinio Magistrorũ communior, & probabilior, quæ prudentum iudicio & communi praxi habetur absolutè vt verior, vel vt vera, & tuta simpliciter habet adiunctam ignorantiam inuincibilem si in casu (qui erit rarior) sit falsa. vnde ex illa operans non est imprudens, neque peccat contra legem. In hac assertione conueniunt vtriusque sententiæ assertores. Nam communis opinio probabilem inducit errorem. *Syluest. v.opinio.nu.2.* Colligitur hoc ex D. Thom. qui quidem non dicit, quòd sequens opinionem magistrorum si sit falsa peccet contra legem, sed hoc docet de eo, qui agit contra opinionem magistrorum. Nam vbi iam communiter insignes Magistri, & DD. habent opinionem aliquam vel pro absolutè vera, vel pro veriori, hæc est censenda moraliter, & humano modo certa, nec prudentia aut necessitas obediendi legi cogit vt opiniones communes, & communi praxi roboratas, & vt veriores approbatas discutiamus, & examinemus, Nisi occurrat in contrarium aliquid magni ponderis, quod moralem certitudinem seu maiorẽ probabilitatem possit auferre. Quia in eo casu potest à communi opinione recedi prout docuerunt *Gloss.in cap.1.in v.rationabiliter, vbi Panorm.in penulo notab.*de his, quæ fiunt à maiori parte capit. *Bald.in c.Ne innitaris. de Const. & in cap. 1. §.iudices col.penul.de pac.iuram.firm. Gemin.in c.1.2. notab.de sum.Trin.in 6. Io: de Anania, in cap. tua in p col. de vsur. Iterum Panorm cons.1.in fin. l.1. & in cap.Capellanus de Ferijs. Mol. in l.cum quidam. la 2: ff de acquir.hered. Prepos.in cap. quis nesciat. num.7. dist.9. Angel. cons.100. col.6. Dec.cons.259. in princ. Surd cons.294, Menoch.l.2.de arbitr. cent.4. casu 339. num.21. Syluest. v.opinio num.2. Io: a S.Thom. p.2. disp.18.a.3. Serra q.19.a.6.d.4. Nauar.cons.9. num.3. de Fil.Presb. Reuerendiss. Fagnanus in cap. Ne innitaris, de Constit.num.347.* vbi quòd ita seruant *Rota & Sacr. Congregatio Concilij. Martinez de Prado. cap.p.q.2.num.11.* plures referens. Nam immo in eo casu ex vi legis teneretur habens tale motiuum veritatem esaminare, & si motiuum vrgeret, teneretur quoque à communi recedere. Vnde si opinio communis diceret rem licere, sed occurreret in contrarium vrgens motiuum, quòd probaret certò, vel magis probabiliter recedendum esse à communi ita quòd illud motiuum de facto determinaret intellectum illius ad sentiendum veram esse opinionem minùs communem, & ab alijs iudicatam minùs probabilem, tunc omnibus tamen bene pensatis, communis opinionis rationibus, & DD. authoritate & pondere bene libratis, a communi recedendum esset.

254 Colligitur quintò quòd quamuis liceat opinari contra opinionem ab alijs communiter iudicatam vt veriorem, aut probabiliorem, si qui operatur rebus bene pensatis, & vtraque opinione examinata iudicat propriam opinionem esse veriorem: nihilominus omnino illicitum est relicta ea, quam operans iudicat veriorem operari secundùm minùs veram. Primam partem huius corollarij concedunt communiter DD. Nam communis opinio semper est opinio cui potest subesse falsum. Nec DD. priuati habent vim diffiniendi veritates, vt eis non liceat contradicere, si occurrat Deo inspirante motiuum quòd falsitatem communis opinionis ostendat. Sed ad secundæ partis euidentiam considerandum est, quòd aliquis potest iudicare aliquam opinionem esse probabiliorem dupliciter; vel scilicet secundùm communem rationem probabilis, & attentis principijs extrinsecis, quia sic iudicatur communiter, vel secundùm se ipsam in specie, aut in indiuiduo, omnibus pensatis. Probatur autem hæc distinctio, quia bene stat quòd aliquis iudicet aliquam opinionem haberi vt probabiliorem, & tamen ipse spectata re in se ipsa non inueniat rationem, quæ eius intellectum moueat ad opinandum & determinatè credendum, quòd illa opinio vera sit. Sed si ille de illa secundùm se sumpta iudicat, quòd sit verior, & nihilominùs vult sequi in praxi opinionem minùs probabilem, si opinio minùs probabilis sit falsa, eius error non potest dici inuincibilis, quia de facto habuit ille motiua magis clara, & vrgentiora, quæ falsitatem ostendebant opinionis ex qua operatus fuit, & veritatem eius, quam omisit. Nec valet dicere, quòd qui iudicat aliquam opinionem esse probabiliorem simul iudicat eam non esse certam, & in hoc conuenire cum minùs probabili, quòd vtraque est incerta, inæqualitas verò maioris vel minoris probabilitatis, seu maioris vel minoris incertitudinis se habet

hic vt inæqualitas secundùm quid, quæ non sit necessario attendenda, cum ad agendum sufficiat iudicium probabile; Quia iudicium probabile sufficit vbi non potest haberi certum: Lex verò obligans ad sui obseruantiam, & quæ in se determinatè est vera, obligat subditum ad faciendum totum quòd in se est vt sui veritatem cognoscat, vt ex errore contra se ipsam non agat. At non facit quòd in se est ille, qui cognoscens veritatem, & habens motiua magis vrgentia & talia per quæ ipsemet iudicat veriorem esse vnam partem, & sic tenet, nihilominùs in agendo oppositam partem sequitur leuioribus ductus rationibus. Vnde si minus probabilis opinio sit falsa, ipse, qui eam sequitur peccat contra legem esto non peccet contra conscientiam, quia potuit, & si potuit debuit cognoscere opinionis falsitatem, & ex ea non operari contra legem. Et ideo in hac parte libenter adhæreo sententiæ eorum, qui dicunt non licere sequi opinionem minùs probabilem relicta probabiliori, quam docuerunt *S. Thom. d. quodl. 8. a. 13.* vbi vult quòd qui non sequitur opinionem magistrorum, non excusetur à peccato, si illa opinio, quam sequitur sit falsa, quia agit contra legem, opinio autem quæ est contra opinionem magistrorum est opinio minùs probabilis *Scotus in 4. d. 11. q. 6. maior in 4. q. 2. prolog. 3. & 5. Gabriel in 4. d. 15. q. 8. a. 13. dub. 2. Gerson in regulis moralibus Henricus quodl. 3. q. 33. D. Antonius. p. 1. tit. 3. c. 10. §. 10. reg. 4. Caiet. in sum. v. opinio Syluest. v. opinio num. 2. & ibid. Tabien. & Armilla. Sotus lib. 3. de iust. q. 6. a. 5. ad 4. Martinez de Prado in quæst. moralib. cap. 1. q. 3. num. 24. Iulus Mercorus in praxi opinionum p. 1. & Reuerendiss. Faguanus* latissimè hoc probans *in cap. ne innitaris à num. 256. de constitut.* & quàm plures alij quos illi referunt.

255 Colligitur sextò quòd vbi opiniones oppositæ iudicentur æquè probabiles, sic vnusquisque potest eligere, quam omnibus pensatis iudicat probabiliorem & veriorem, quòd tamen verè est impossibile, quòd ille simul iudicet opinando de vtroque obiecto in particulari, & secundum se quòd sit æque probabile, sed talis verè erit dubius, si rationes respectu illius censeantur æquè probabiles. Prima pars huius corollarij est ad mentem DD. vtriusque sententiæ & patet, si enim licet sequi opinionem minus probabilem ab alijs iudicatam si operanti sit probabilior, multo magis hoc licitum erit, si opinio sit communiter iudicata solum probabilis. Secunda vero pars explicatur. Nam potest vnusquisque ex diuersis opinionibus vnam tenere in habitu, aliam in actu, vel vnam successiuè post aliam, & potest simul iudicare vnamquamque illarum esse talem, quòd habet rationes quæ æquè probabiliter suadere possent, & determinare intellectum ad sui assensum. Quòd est dicere, quòd quisque potest opinari de vnaquaque quòd secundùm rationem opinabilis, seu in genere opinabilis est æqualis, Sed tamen vt probatum est supra in particulari & secundùm esse & veritatem rei in se ipsa, si vni opinioni adhærebit reijciet aliam. Vnde qui iudicat oppositas opiniones secundùm communem rationem opinabilis esse æquales, vel si vni adhæret illam præfert, & veram putat, alia reiecta; vel si nulli adhæret est verè dubius, & anceps, de re in se, licet possit esse certus de rei probabilitate,

256 Colligitur septimò quòd vbi aliquis iudicet oppositas opiniones de lege esse æque probabiles, & sic intellectus sit verè anceps, & dubius aut suspensus circa opposita in particulari, licet iudicet vtrumque oppositorum esse verè probabile, locum habet difficultas his temporibus controuersa, modernis quàm pluribus dicentibus, in hoc casu rem esse indifferentem, & licere homini eligere sibi quam partem voluerit, id negantibus alijs sed vtriusque sententiæ fundamento considerato non est difficile cognoscere, quòd vtrumque pariter deficit. Et quidem eius sententiæ, quæ fauet probabilitati fundamentum præcipuum verè non probat. Totum enim consistit in hoc argumento, ad prudenter agendum sufficit iudicium probabile igitur ad prudenter agendum circa obseruantiam legis sufficit opinio quomodocumque probabilis. Primum enim assumptum si loquatur de iudicio prudentiali in ordine ad obiectum formale prudentiæ, falsissimum est, vt modò probabo, quia prudentia non esset virtus, si de suo obiecto non esset certissima. Si verò respiciat obiectum materiale prudentiæ, est verum, & non verum, seu est verum contingenter & iuxta materiæ exigentiam. Nam v. g. iudex debet esse certus de delicto rei, vt reum puniat; sed priuatus ex solâ probabili suspicione imminentis mali potest se mouere vt se defendat. Modò illa opinio hoc probare debet, quod non probat, scilicet, quòd vbi agitur de obseruantia legis, & in dubio an lex obliget sufficiat opinio probabilis si potest haberi certa, vel certior, vel sufficiat cognitio probabilitatis in communi, re in se minimè examinata, & ita vt si quis ex sola notitia probabilitatis agens agat contra id, quod verè est contra legem possit dici, quòd agat ex ignorantia inuincibili, & non peccet. Hoc enim alia sententia quæ negat vsû probabilitates merito non admittit. Quoniam verè sic est; quòd ex vi legis tenetur quisque si potest assequi veram, & certam illius notitiam, vt non contingat agere contra illam, & ideo debet vnusquisque facere quòd in se est vt certam legis notitiam assequatur, & rem examinare, & seruatis regulis iuris vnam ex opinionibus si potest alteri præferre, & illam sequi quam omnibus pensatis iudicat veriorem.

257 Sed nec altera opinio suum probat intentum. Et licet ratione, & authoritate se munire contendat, valde deficit, & assumit principia non vera & quæ non sufficiunt, vt probabilitatem reijciant. Præcipuum enim eius fundamentum est quod ad rectè agendum necessarium est quòd homo sit moraliter certus de honestate actionis, quam honestatis certitudinem non habet opinio probabilis, licet ex probabilibus coniecturis pluribus, & simul sumptis certitudo moralis habeatur. Hinc huius sententiæ assertores toti sunt vt probent iudicium prudentiale non stare cum probabilitate sola. Et quia authores oppositæ opinionis distinguunt inter dubium speculatiuum & practicum, asserentes dubium speculatiuum optimè stare posse cum certo iudicio practico, hoc ex illorum parte multi negant, & sic vt tueantur suam sententiam multa miscent non vera.

258 Primum enim illud principium falsum est in terminis positis, & procedit ex eo quòd non bene distinguitur obiectum prudentiæ, quod est duplex

plex scilicet formale, & materiale. Formale obiectum prudentiæ est ordo singularis eligibilis ad finē rectum; Vnde obiectum eius est agibile vt agibile saluo ordine finis honesti, seu propter honestum finem. Est enim prudentia recta ratio agibilium, vt habet *D. Thom. p. 2. q. 57. a. 4. & 22. q. 47. per totam, & 3. d. 33. q. 2. a. 2. q. 1.* Cuius officium est applicare principia practica virtutum ad singulares actiones, vt dicit *D. Thom. d. q. 47. a. 6.* Vnde obiectum formale prudentiæ est honestum simpliciter in singulari omnibus pensatis, nimirum quòd hæc actio hic, & nunc omnibus pensatis est honesta, & ex recto fine eligibilis tanquam simpliciter conformis rectæ rationi, & legi æternæ. Sed obiectum materiale consistit in actionibus ipsis, & earum qualitatibus ex quibus postea colligi potest iudicium de rectitudine actionis in singulari, in quo formale obiectum prudentiæ consistit. Quando igitur dicitur quòd ad rectè agēdum necessaria est certitudo moralis de honestate; si hoc dicitur respectu obiecti formalis prudentiæ hoc est falsum; Quia certitudini morali potest subesse falsum, sed certitudini prudentiæ impossibile est simpliciter quòd falsum subsit. Sed vel actus non est actus prudentiæ, vel est omnino rectus, quidquid sit an obiectum materiale sit certum, vel incertum, vel falsum. Et hæc est certitudo practica de qua *D. Thom. p. 2. q. 57. a. 5. ad 3.* & quam *Caiet. supra q. 47. a. 3.* dixit semper in esse prudentiæ. Sed circa obiectum materiale prudentia habet veritatem moralem, & potest etiam esse falsa, quia materia eius est contingens, & fallibilis, & circa huiusmodi prudentia non requirit necessariò certitudinem, immò nec magnam probabilitatem, sed sæpe sufficiunt coniecturæ etiam leues, & suspiciones. Sic enim ad hoc vt homo prudenter agat ad vitandū sibi imminens damnum, sufficit quòd ex coniecturis illud suspicetur. Quantum igitur ad obiectum materiale prudentia non requirit necessariò certitudinem, sed talem ac tantam cognitionem requirit, quantam ex aliquâ alia lege exigit conditio negotij de quo agitur.

259 Hinc ex hac parte opinio defendens vsum probabilitatis distinguit inter dubium speculatiuum & practicum: quæ diuisio meliùs datur sub his terminis scilicet: dubium circa materiale, & circa formale obiectum prudentiæ. De qua distinctione videndus omnino est *Caiet. tom. 1. opusc. 31. resp. 13. in fine.* Practicum est enim prorsus dubium quòd respicit formale obiectum prudentiæ, scilicet an agere hoc omnibus pensatis sit rectum, vel non rectum, honestum, vel non honestum. Et quodlibet vel minimum dubium prudentiæ repugnat. Et hoc probant verba *D. Th. supra ex quodl. 8. a. 13.* relata, & centies millies in sensu alieno allegata. Quòd enim D. Thom. ibidem loquatur de dubitatione & suspicione practica, & quæ respiciat formale obiectum prudentiæ, & per quam in dubium vocatur an hic & nunc sit vel non sit absolutè honestum hoc agere, ex eo probatur, quòd loquitur de eo qui peccat solùm ex eo quòd agit contra conscientiam, vt verò conscientiæ obiectum formale est honestum, vt honestum in singulari, & propterea dicitur spiritus, corrector, & pedagogus animæ. *D. Thom. p. p. q. 79. a. 13. & 2. d. 24. q. 2. a. 4. ad 9. & q. 17. de ver. a. 1. ad 8. & quodl. 3. a. 26.* vnde accusat, excusat, testificatur, instigat, ligat, vt locis citatis habetur, quia bonum dictat, & malum reprobat. Et quia hæc practica veritas in prudentia debet esse certissima, aliter prudentia non esset virtus, si posset vel semel in suo actu esse falsa, ideo vel minima suspicio practica tollit prudentiam, & actus honestatem. Quòd inde magis explicatur, quòd hæc suspicio de qua ibi loquitur D. Thom. stat cum certitudine, vt ex citatis verbis patet. Neque hoc repugnat, quia certitudo speculatiua, seu circa materiale obiectum prudentiæ est de alio obiecto de quo non est suspicio, scilicet certitudo est v. g. de eo quòd qui ibi est, lupus est, & suspicio est de eo quòd est esse honestum hic & nunc occidere lupum. Itaque quælibet vel minima suspicio, quæ respiciat obiectum formale prudentiæ ei repugnat, & actus honestatem tollit, vt explicat Caiet. loco citato, quòd exemplo ostendit. Sed dubium quòd respicit obiectum materiale speculatiuum dicitur, quia non est proximè practicum, & quia non est de formali obiecto prudentiæ, sed de materiali. Cum igitur prudentia de obiecto materiali nō exigat certitudinem nisi iuxta eiusdem obiecti materialis exigentiam, indubitatum est quòd nedum probabilitas sed dubietas ipsa speculatiua stat cum infallibili practica certitudine prudentiæ, vt neruosè probat loco citato Caietanus.

260 Hinc est quòd ex hac parte non impugnatur validè vsus probabilitatum, quia si aliàs materia ipsa quæ est huius vel illius legis obseruantia certitudinem non petit ex natura sua, optimè stat, quòd habens probabilitatem cum magna formidine de obligatione huius vel illius legis particularis simul habeat certissimum iudicium practicum de honestate actionis sic syllogizando. Id saluo ordine recti finis est amabile seruatis aliàs seruandis, quod de se est bonum indifferens à legis necessitate solutum; sed vbi non est certum legem comprehendere aliquam actionem illa actio est bonum indifferens ex suppositione; igitur actio illa elici potest saluo ordine recti finis; sed hic & nunc est dubium an lex hanc comprehendat actionem; ergo hic & nunc hæc actio elici potest saluo ordine finis. Apparet hic quòd si minor principalis argumenti est vera, stat dubium de lege, cum certissima certitudine honestatis actionis dubiæ. Ad excludendum igitur vsum probabilitatis non iuuat probare quòd homo certus debet esse de honestate actionis in singulari simpliciter & omnibus pensatis, quod est verissimum nedum de certitudine morali sed de certitudine etiam metaphysica & prorsus infallibili, & postea subdere quòd opinio non est certa; quia hoc argumentum non probat nisi quòd non sufficit opinio de honestate actionis in singulari, quod est verissimum, sed ex hoc non probatur quòd non sufficiat opinio quòd actio non comprehendatur sub hac vel illa lege particulari, quoniam hoc est obiectum longè distinctum & spectās ad materiale obiectum prudentiæ. Et nisi probetur aliunde quòd lex in simili casu non est contenta probabilitate quòd est id, quod asserit illa opinio, nihil probatur. Et ipsa in hoc demonstratiuè concludit quòd per se ad agendum honestè ex parte materiæ non est necessaria certitudo nisi ex speciali & propria lege materia certitudinem postulet.

261 Exem-

261 Exemplo hoc totum ostenditur euidenter. Demus enim casum in quo indoctus in materia morum & in casu dubio satisfacit legi diuinæ aut humanæ operando iuxta consilium Parochi, aut Confessarij, vt in dubio an debeat aliquid restituere. In hoc dubio prudentia sic syllogizat certissimè. Prudentia enim etiam de rebus dubijs ex certissimis regulis certissimè concludit, vt dixit *Martinez de Prado d.cap.1. num.7.* quia ipsa non regulatur penes id, quod in re est, sed quia adhibuit diligentiam quam potuit, & sic semper est vera practicè, vt declarat *Io:a S.Tho.p.2.disp.12.a.3. §.secundum probatur* - Hoc ergo, vel simili modo in eo dubio syllogizat prudentia. Quod mihi dicit Parochus esse honestum est verè à me eligibile saluo ordine recti finis, seu laudabiliter & honestè; sed Parochus mihi dicit, quòd in hoc casu non teneor restituere; ergo in hoc casu non restituere est eligibile saluo ordine finis, seu laudabiliter & honestè. Totum hoc argumentum debet esse verum, & certissimè infallibile, aliter non esset prudens, quia nec prudentia esset virtus, si aliquando falli posset, *virtutes enim quæ perficiunt intellectum excludunt totaliter falsum*, vt habet *D. Thom. supra q.1.a.3.ad p.* Et ideo est, quòd opinio non est virtus, quia virtus est tantùm veri, opinio verò est veri & falsi. *D.Thom.p.2.q.55.c.4.1.& q.57.a.2.ad 3. & ar.3.ad p.& de ver.q.1.4.a.8.c.* vt ergo indoctus ille non peccet, nec contra legem, nec contra conscientiam, oportet, quòd nec minimam practicam suspicionem habeat de conclusione, & ea consequenti nec de præmissis illius syllogismi. Et ita in rei veritate syllogismus ille est euidens. Nam minor patet experimento sensus; maior verò est lumine naturali euidens, quia indocti qui non sunt per se ipsi capaces soluendi dubia morum, ex lege ipsa naturali, & diuina remissi sunt dirigendi ab eis, quorum curæ est commissum indoctos dirigere in foro conscientiæ, qui sunt Parochi, seu confessarij. Nihilominùs non est contra prudentiam, si huiusmodi indoctus adhuc circa materiam talis syllogismi aliquam suspicionem habeat, & adhuc suspicetur aliqualiter an lex iustitiæ in eo casu obliget, nam immò & potest esse, quòd verè obliget, & quòd non obliget Ipse id scit solùm ex fide humana, quam præbet Confessario, cum qua fide fallibili bene stat immò per se connexa est aliqualis falsitatis suspicio, quia & Confessarius potest errare. Et quia ecto fides Confessarij esset infallibilis, adhuc ex re ipsa dicta possunt oriri rationes dubitandi. Et quòd huiusmodi dubitationes adsint patet in indoctis scrupulosis. Et tamen quòd non contrarientur prudentiæ, & non tollant infallibilem certitudinem illius syllogismi constat, si maiori propositioni aliquid addatur, & dicatur: Quod mihi Parochus meus dicit esse honestum, siue id sit mihi aliàs euidens ac certum, siue de eo in singulari materialiter, & secundùm se sumpto dubitem, seu suspicer an sit contra hanc vel illam legem, id verè est mihi amabile saluo ordine finis recti, seu laudabiliter & honestè. Quæ maior propositio est certissima, & euidens aliter indoctorum & scrupulosorum salus esset impossibilis. Sed impossibilis non est, quia prudentia infallibili via etiam dubitantes ducit per semitam rectam, quia nec contraria sunt quòd dubitem de re secundùm se, & non dubitem de ea vt mihi dicta à Confessario, & quòd sciam me certè bene agere operando ex directione consilij Confessarij, etiam si aliàs ego veritatem rei non capiam, & materialiter de ea dubitem.

262 Sic & religioso, qui vt infra probatur, in dubio an res præcepta sit illicita tenetur obedire, prudentia sic discurrit: Etiam si mihi secundùm se sit dubium, & spectata sola re ipsa ego dubitem an res ista, quæ mihi præcipitur sit illicita, tamen licitum est mihi & debitum meo dubio neglecto Prælato meo obedire &c. Sicut enim stant simul iudicium probabile & certum de eadem re ex diuersis medijs, quia ex vno non habetur certitudo, & sic intellectus ex eo certè non assentit, cum tamen certè assentiat ex alio, sic etiam stat dubietas cum certitudine, quia ex hac vel altera ratione non mouetur intellectus vt se determinet, ad quod mouetur ex alia. Sed & in casu in quo Iudex tenetur iudicare contra scientiam priuatam, nonne potest esse certus de innocentia rei prætensi, & tamen prudenter illum damnare ex scientia publica. In quo casu scit se ex falsis procedere, & tamen prudenter agit. Sed hoc magis explicatur exemplo fidei, quæ sine dubio certissima est, & magis certa, quàm prudentia. Et nihilominùs certissimum est, & experientia comprobatum, quòd cum certitudine fidei stat formido, de re credita secundùm se, & materialiter sumpta, & ex principijs naturalibus iudicata sicut vnusquisque in se ipso experitur. Sic enim & syllogismus disponens nos ad fidem, quæ in se formaliter non est discursiua, est huiusmodi. Quod mihi vt credendum proponitur ab Ecclesia infallibili fide est credibile, & credendum, siue aliunde res proposita secundùm se sumpta & à me non visa plena sit vel non sit difficultatibus, & dubietatibus, & suspicionibus, nam & In hoc bene ago, quòd id quod non video credo; sed hoc &c. ergo hoc &c. Bene enim vnusquisque videt, quòd in his diuersa sunt obiecta formalia, & quòd stat, quòd intelligens sit dubius de obiecto negatiuè ex aliquo medio, & sit certus ex alio, seu quòd sit dubius dubio vt dicunt speculatiuo, & certus certitudine practica. Huiusmodi enim suspiciones sen dubietates negatiuæ sunt, & conditionatæ, non contrariæ & absolutæ: quia intellectus quantùm sit ex vi talis medij non est certus, sed remanet dubius, cum tamen ex alio medio certitudinem consequatur, stant verò simul, intellectum non esse certum ex vno medio, & certissimum ex alio. Sic ex quo intellectus non videt quòd hic casus non sit sub hac, vel illa lege comprehensus manet anceps, & dubius an teneatur agere, vel non agere, sed hanc dubietatem tollit postea aliud medium ex quo prudentia se mouet; quia nimirum lex sic inuincibiliter dubia non obligat, vel quia ius libertatis subditi quòd est certum ex dubio iure legis non vincitur, vel ex alio simili principio, quo supposito prudentia ex regulis suis certissimis certissimè discurrit. Quod eo magis potest contingere in prudentis, in quo sine defectu veritatis practicæ potest esse defectus veritatis speculatiuæ, seu de obiecto materiali. Vt in exemplo allato potest esse quòd indoctus verè teneatur restituere, & nihilominùs prudentia infallibili veritate dictet non esse restituendum Parocho testante non esse necessitatem resti-

 tuen-

tuendi, etiam si aliàs Parochus id ignoranter immo malitiosè, & ex malo fine doceat. Ex his igitur manifestè habetur, quòd hoc argumentum inane est, super quo se fundat opinio negans vsum probabilitatis, scilicet prudentia debet esse certa certitudine morali, ergo non stat cum opinione habita de eo an hoc vel illud sit contra hanc vel illam legem. Nam antecedens respectu obiecti materialis prudentiæ est falsum, respectu verò obiecti formalis etiam est falsum, quia non sufficit certitudo moralis, sed est necessaria certitudo simpliciter. At verò an hic actus sit prohibitus hac vel illa lege spectat ad materiale obiectum prudentiæ; quia eius obiectum formale est quòd in indiuiduo omnibus pensatis absolutè & simpliciter hoc sit amabile saluo ordine finis, cum quo stat aliquale dubium an hoc sit contra hanc, vel illam legem.

263 Secundùm fundamentum sententiæ negantis licere sequi opinionem æquè probabilem est, quia adest præceptum in dubijs sequendi tutiorem opinionem, nimirum illam in qua certum est non esse peccatum, si homo ex ea operetur, si verò non constet quænam ex illis sit tutior, seruandas esse regulas in iure pro legum interpretatione latas. Verùm quantùm ad hanc secundã partem dico, regulas iuris semper attendi debere ad videndum an opinio aliqua sit probabilis, aut probabilior, nec licere nisi ijs attentis iudicium ferre de opinionis veritate, probabilitate & certitudine. Vnde qui bene regulas iuris inspexerit, inueniet vnde vnam opinionem alteri præferat, & illi præ altera adhæreat. Noster ergo casus supponit, quòd regulis iuris plenè consideratis adhuc homo verè maneat dubius, & iudicet vtranque opinionum esse probabilem, & ita quòd absolutè nulli illarum præ altera adhæreat, vel si adhæreat vni censet id fieri ex motiuo adeo leui, vt eo non attento posset adhærere alteri.

264 Quod verò dicitur de necessitate sequendi partem tutiorem in dubijs, regula continet præceptum si loquamur de dubio practico, *Sanchez in Decal. l. 1. c. 10. num. 1. & l. 2. de matrim. disp. 41. nu. 6. Laym. l. 1. tr. 1. c. 5. §. 2. num. 8. Becanus p. 2. tr. 1. c. 4. q. 9. num. 4. Suarez de cens. disp. 40. sec. 6. num. 8.* Sed loquendo de dubio speculatiuo continet consilium. *Suarez dict. disp. 40. sec. 6. num. 9. Sanchez d. cap. 10. num. 11. & 64. Malder in p. 2. disp. 84. q. 19. a. 5.* Seu dicitur meliùs quòd regula continet præceptum, si *tutior* sumitur aduersatiuè seu contrariè vt opponitur non tuto; sed si tutior sumitur comparatiuè ad tutum licet minùs tutum, continet consilium, vt tradiderunt. *D. Anton. p. p. tit. 10. cap. 10. §. 10. reg. 6. & p. 2. tit. 5. cap. 10. §. 2. Sylu. v. ieiunium. q. 10. num. 27. dic. 2. & v. scrupulus num. 3. Tabien. v. scrupulus n. 1. Nauar. de pænit. dist. 7. cap. si quis à num. 30. Angles, & Henriq.* quos sequitur *Sanchez. lib. primo in Decal. cap. 10. num. 11. Suarez de cens. disp. 40. sect. 5. à nu. 14. & sec. 6. num. 8. Candidus disq. 25. a. 19. Malderus, Moura, Villalobos, & Palaus*, quos sequitur *Martinez de Prado cap. 1. q. 8. num. 9. & 13. Io: à S. Thom. p. 2. disp. 12. a. 4. Baptista p. 2. disp. 209. dub. 3. à n. 1079. & dub. 5. in princ. Cornezo tract. 8. disp. 3. dub.* Et est ratio euidens, nam aliàs omnes deberent fieri Religiosi, quia Religiosus status est tutior. Vel nullus posset sequi militiam, vel mercaturam, quia hoc est minùs tutum. Nec liceret sequi opinionem probabilissimam, cum possit esse falsa, & si sit falsa operatio est contra legem quia talis opinio est minor tuta opposita, in qua etiam si sit falsa legis nõ est trãgressio. Nec vrgent quæ in oppositum adducuntur, vt quia sit impossibile quòd dubius speculatiuè, sit certus practicè, quia vt ex supradictis patet euidens esse oppositum, & quòd cum maxima incertitudine de obiecto materiali prudentiæ, quæ est dubietas speculatiua stat infallibilis prorsus certitudo eiusdem prudentiæ, quæ & in dubijs hominem infallibiliter ducit in bonum. Et prætereà opinans non est dubius nisi impropriè. Nec sequitur ex hac sententia, quòd possit quis vnum sentire, & aliud operari, sed bene quòd non sit iniustum, dubitantem materialiter de obiecto materiali prudentiæ posse certissimè ex prudentia operari, quod est verissimum. Immò nec est inconueniens quòd contra opinionem de re, & materiali obiecto quis operari possit, immò & debeat; Vt patet in subdito qui verè opinetur aliquod esse bonũ & id agere prohibeatur a superiore, ipso in suo iudicio cõditionato persistente, & nihilominùs ad voluntatem superioris operante. Et in eo qui obstinatè credit, & quantùm sit ex motiuis priuatis se non teneri ad restitutionem, & ad iussum iudicis restituit. Et in iudice qui per scientiam priuatam est certus de innocentia rei, & ex actis illum damnat. Sic si aliud non obstet, nullum est inconueniens, quòd quis ex aliquibus motiuis sit dubius an hoc sit contra hanc vel illam legem, & tamẽ aliunde certus sit sibi licere sequi opinionem, quæ asserit casum sub lege non comprehendi. Ad ea verò, quæ adducuntur vt probetur quòd sequi partem tutiorem sit præceptum, satis respondetur ea probare, quòd pars tutior eligi debeat in dubio *practico* vel vbi sit tutior aduersatiuè.

265 Quàmuis & aliunde deficiant. Quoniam quæ adducuntur ex *cap. ad audientiam, cap. significasti, el 2. cap. petitio, de homicid.* expressè loquuntur in dubio facti, nostra autem quæstio est de dubio iuris. Et longè diuersa est ratio vtriusque dubij, quia in dubio facti lex est certa. Dubium verò est an homo legem violauerit, bene verò potest contingere quòd contra rationem sit, quod homo vel non curet de securitate suæ conscientiæ pœnitendo, vel irreuerenter se habeat ad diuina non securus an ad ea pertractanda sit dispositus, vel aliunde sit contra rationem vt dubius an certam legem violauerit, non se habeat vt talis. Sed in dubio iuris lex est dubia, & aliàs libertas hominis est certa nec videtur vnde debeat dici quòd certa libertas certè ligetur ex lege dubia. Ideo etiam additur, quòd in casibus illarum Decretalium pars tutior erat tutior aduersatiuè, & non merè comparatiuè. Quoniam hoc est in iure expressum, quòd dubius homicida se habeat vt certus irregularis. Et adhuc ex illis textibus nihil aliud habetur, nisi quòd regula ista de tutiori sit motiuum Pontificis, ad decernendum quòd homicida in dubio debeat se habere vt irregularis. Ad hunc effectum verò sufficiens fuit quòd regula contineat consilium, quia consilium est de eo, quod ex genere est melius, & ideo potest esse validissimum motiuum in Principe alijs circũstantijs inspectis ad aliquod decernendũ.

266 Pariter quòd adducitur ex *cap. illud de cler. excom. minist.* dubium facti continet. Aduertendum

dum est enim, Episcopum illum ex duplici causa dubitasse, scilicet dubio iuris an delegatus non praemissa monitione posset excommunicare, & dubio facti an ille se deberet habere vt excommunicatum, ex quo solùm per famam nota illi fuerat excommunicatio in eum lata. Modò Pontifex ibi dubium facti respicit, ait enim. *Licet autem in hoc non videatur omnino culpabilis extitisse, quia tamen in dubijs via est tutior eligenda, & si de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potiùs se abstinere, quàm sacramenta Ecclesiastica pertractare.* Ex his enim constat, quòd dubium in quo Pontifex dixit tutiorem viam esse accipiendam fuisse, non fuit dubium iuris de iustitia sententiae latae, sed dubium facti an scilicet contra talem Episcopum fuisset lata sententia. Vnde *Gloss. Panorm.* & reliqui Canonistae quos refert *Barbosa* ex eo textu hanc conclusionem deducunt, quòd sufficit fama excommunicationis licet fama certitudinem non faciat ad hoc vt quis teneatur se habere vt excommunicatum. Et quatenus etiam esset ibi sermo de illo dubio iuris considerandum est, quòd illud non erat dubium iuris absolutum, sed dubium iuris personae, vnde & ad dubium facti pertinebat, quia Episcopus ille dubitans an delegatus posset excommunicare sine monitione, ex hoc dubitabat an facto an esset legitimè excommunicatus, & de hoc facti dubio expressè Pontifex loquitur. Decretales igitur citatae loquuntur in dubio facti, de quo nunc non est quaestio.

267 Adde quòd cum ratio & finis humanae legis non cadat sub lege tanquam sit per legem statutus, vt habet *D.Thom. p.2. quaest.100.a.9. ad 2. & a.10. capite.* cum hoc quòd est eligendum esse id quod est tutius, fuerit motiuum & ratio cur Pontifex praeceperit in praefatis casibus praefatos habendos esse vt homicidas irregulares, aut excommunicatos, ex vi talium legum non est de praecepto, vt eligatur tutius, & si hoc esset de praecepto, illi canones hoc supponerent, non facerent. Si ergo esset de praecepto, id esset ex lege naturali, aut diuina & quidem sic est, quando in dubio vna pars est tutior aduersatiuè, vt quando ex vna parte imminet periculum violationis alicuius legis. Sicut in materia dubia aut in forma dubia sacramentorum si quis ea vtatur imminet periculum, vt cum maxima sacramenti irreuerentia non conficiatur verum sacramentum. Et sic semper vbi in dubijs sequitur periculum aliquod peccati cõtra aliquam legem certam, si vna pars accipiatur, & in altera nullum est peccatum, tutior pars est eligenda ex vi praecepti illius virtutis, ad cuius violandi periculum homo se exponit; Et ideo est peccatum mortale se exponere periculo peccandi, iuxta illud Eccles.3.21. Qui amat periculum, in illo peribit, *D.Thom.quodl.3.a.9.ad 3.Scotus in prolog.sent. q.2. in fine*. Sed hic probandum esset, quòd adsit periculum peccandi per se, & praecisè ex eo quod in absoluto dubio iuris, vnusquisque sequitur quamcumque partem voluerit. Nam certè si haec ratio periculi adesset in omni quaestione quae proponitur de obligatione iuris alicuius sine alia discussione dicendum esset legem certò obligare, & illam partem sequendam esse, quae asserit legem obligare, quia haec est tutior. Nec valet dicere, quòd vbi probabile absolutè sit, vel probabilius, quòd in tali casu lex non obliget, tunc pars rationabilior est simul tutior. Quia nisi abutamur vocabulis hoc assertum est falsum. Cum enim opinio quaelibet possit esse falsa, ex duabus opinionibus quarum vna etiam probabilior affirmat legem non obligare, & alia minùs probabilis affirmat legem obligare; cum prima cum omni sua probabilitate possit esse falsa semper est periculosa, alia verò tutior est, quae nulli omnino subest periculo. Non ergo confundi debent opinio probabilior, & tutior; quia opinio dicitur probabilior, quia habet motiua fortiora ad determinandum ad sui assensum, & est rationi conformior quamuis non sit omnino sine periculo, opinio verò tuta dicitur quia periculum non continent. Ideo quando sunt duae opiniones, in quarum vna etiam si esset falsa nullum est periculum, in alia verò si sit falsa periculum adest. Prima est tutior. Licet distinctione opus sit, & dici debeat; quòd vbi illa opinio quae potest esse falsa est probabilior, iam est satis certa, ideoque & tuta. Vnde alia opinio non est tutior aduersatiuè, seu contrariè, vt tutum opponitur non tuto, sed solum comparatiuè, vt tutius dicitur respectu minùs tuti. Nullum verò periculum contineri in sequendo quamcumque opinionem ex aequè probabilibus asserit opinio approbans vsum probabilitatum, & hoc ex principio valde probabili, quia nimirum lex non obligat nisi in ratione signi externi sit clara, & manifesta, & subditis sufficienter proposita quòd est de essentia efficaciae legis, hoc autem non habet lex dubia de cuius obligatione non constat, sed hinc inde sunt rationes aequè probabiles, quae vtrumque oppositorum persuadere possunt, vel impediunt ne intellectus alteri parti determinatè adhaereat.

268 Dices, dari textus in quibus expressè decernitur, quòd etiam in dubio iuris absoluto necesse sit sequi partem tutiorem. Adducitur autem primò *cap.fin.dist.14.* Sed ille textus non probat intentum. Desumptum enim est ex S.Leone epist.92. cap.1.ad Rusticum, & sic habet. *Vt in ijs, quae vel dubia fuerint, aut obscura, id nouerimus sequendum, quod nec praeceptis Euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inuenitur aduersum.* Nullus est, qui hoc toto corde non fateatur si sit pius, & Catholicus, sed quando de lege sunt oppositae opiniones, neutra inuenitur esse contra legem. Secundò affertur *cap. veniens, de cler. non baptiz.* Sed neque ex eo textu probatur intentum. Dubium enim erat an ordinatus ante baptismum deberet reordinari, Vnde hic casus erat de illis, in quibus ex lege diuina speciali fugiendum erat periculum, quod imminebat, ne non verè ordinatus inaniter consecraret, & alia sacerdotalia muneta sacerdotij aut Ordinis sine Ordinis potestate obiret: Vnde in eo casu & alijs similibus tutius est eligendum, quia euidens est & certum periculum sacrilegij & nullitatis sacramentorum si aliter fiat. Tertiò adducitur *cap. Cum desideres, 15.de sent. excommunic.* vbi consultus Clemens tertius an liceret communicare cum eo, qui ex fama erat excommunicatus, respondit secundùm tutiorem partem, non esse communicandum. Sed in eo textu nihil dicitur de tuta, vel tutiori parte, sed Pontifex id quod verius credidit, & conuenientius iudicauit, respondit. Quartò adducitur textus *Clem. Exiui. §.Item quia*

præterea, vbi Pontifex in dubio iuris an ea quæ in regula S. Francisci præcipiuntur per verbum imperatiui modi obligent sub mortali, ad quæstionem determinandam vtitur regula eadem, ibi. *Nos &c. attendentes, quòd in ijs, quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graues remorsus conscientiæ pars securior est tenenda &c.* Sed respondetur, quòd ex eo textu probatur, quòd regula eadem non est præceptum, sed consilium. Nam dubium erat an verba imperatiui modi importent præceptum, & pars securior iudicata fuit opinio affirmans ea importare præceptum; igitur si regula præfata continet præceptũ ipsa erat applicanda vniuersaliter, vt vbicumque sint verba imperatiui modi ibi intelligatur esse præceptum, & tamen Pontifex distinguit, & nec declarat, sed decernit, quòd non omnia, sed aliqua sola ab eo enumerata censeantur esse præcepta sub mortali; igitur regula præfata à Pontifice assumpta est vt consilium de genere suo melius, sed applicandum cum prudentia alijs pensatis circumstantijs, & sic non tantùm ex eo, quod pars securior sit sequenda, sed ex alijs quoque motiuis, nimirum ad obseruandum puritatem regulæ, & rigorem, dixit, quod licet Minores non teneantur sub mortali ad omnia ea, quæ in regula mandantur per verbum imperatiui modi, nihilominùs expedit vt ad obseruandam puritatem regulæ, & rigorem, ne scilicet, si intelligantur ea non obligare sub mortali paulatim rigor regulę in illis relaxetur, & à puritate regulæ recedatur infrascripta ibi expressa intelligantur esse præcepta sub mortali. Patet igitur quòd regula illa assumpta est non vt præceptum, sed vt consilium ex prudentia determinandum seu assumendum. Quintò solent etiã adduci *can. si quis positus, & can. si quis autem, de pœnit. dist. 7.* qui sunt desumpti ex *S. Aug. lib. 50. hom. in 41.* Vbi habetur regula, tene certum dimitte incertum cui concordat *cap. Iuuenis.* De sponsalibus ibi. *In his quæ dubia sunt, quod certius existimamus tenere debeamus.* Sed iam in his textibus non est sermo de tutiori, sed de certo. Et quàmuis regula Augustini in sua generalitate contineat consilium non præceptum; loquitur enim de agenda pœnitentia in sanitate, & non expectando tempore infirmitatis, quod est consilium, non præceptum; nihilominùs vbi sermo sit de obseruantia legis indubitatum esse debet sententias certas præ incertis assumendas esse, & incertas dimittendas. Sed nostra quæstio est, quando nulla sententia est certa, sed omnes æque incertæ, sed tamen probabiles an quælibet possit assumi. Quamuis quoque dictum sit, nos debere sequi certiorem opinionem, tamen si hoc ex ratione non probaretur, neque probaretur ex *d. cap. iuuenis*, quod loquitur de dubio facti, immo de dubio, quod non erat dubium, Quia licet fuisset dubium an iuuenis qui puellam nondum septennem duxerat, tentasset quod cum ea complere non potuisset; non erat tamen dubium an idem relinquere debuisset consobrinam illius puellæ, quam postea duxerat, quia certum erat hic adesse impedimentum publicæ honestatis, quàmuis Pontifex & propter dubium facti matrimonium cum consobrina vt nullum habendum iudicauerit.

269 Patet igitur quòd nullus datur ex relatis canonibus ex quo habeatur, quod in dubijs sequi partem comparatiue tutiorem sit præceptum, Quamuis verum sit, quod in dubio practico, seu circa formale obiectum prudentiæ si sumatur tutius contrarie, pars securior est tenenda & quòd contra conscientiam etiam erroneam non est agendum, quod est id, quod probat textus in cap. per tuas el 2. de simonia. Sed in dubio speculatiuo, seu circa materiale prudentiæ consilium est non præceptum sequi partem tutiorem nisi sit tutior contrarie, & adsit lex specialis ad id obligans, seu nisi adsit periculum violandi aliquam legem. Hinc quod hic dicitur est, quod ex lege generali prudentiæ ad agendum circa materiale obiectum illius non est necessaria certitudo, sed iuxta conditionem materiæ, & exigentiam legum aliarum virtutum requiritur aliquando certitudo, aliquando sufficit probabilitas, aliquando etiam sola dubietas: Nam in dubijs prudentia dirigit. Ideo licet cæteris paribus in dubijs melius sit sequi partem comparatiuè tutiorem, & hoc sit optimum consilium, tamen consilium est, non præceptum; consilium inquam applicandum ad opus iuxta exigentiam circumstantiarum, & quando materia talis est, quod ex lege alicuius virtutis adest necessitas sequendi vnã partem, quia ex alia imminet periculum violandi illius virtutis præceptũ; tunc vero per se primo non intrat necessitas assumendi tutiorem partem ex lege prudentiæ, sed ex lege illius virtutis.

270 Quid igitur dicendum ad quæstionem nostram? Et primò ad hoc vt quis non peccet est ne necessarium, quòd ipse habeat certitudinem moralem de hoc quòd id, quod vult agere non sit prohibitum per hanc, vel illam legem particularem, vel sufficit vt de eo habeat opinionem. DD. qui stant contra vsum probabilitatum admittunt nihilominus, quòd si aliquis existimet suam opinionem probabilem, & oppositam vel improbabilem, vel minùs probabilem, non peccat si eam sequatur; sed dicunt tunc talem esse moraliter certum de veritate suæ opinionis, vnde tenent quòd ad hoc vt quis eligat sine peccato debet esse moraliter certus, quod actus non sit contra aliquam legem, quia debet eligere verum, & non quòd est indifferens ad verum & falsum; Nam & debet eligere quod est perpetuò verum, & stabile, & non debet fluctuare, aut vacillare. Et in hoc distinguentes inter cognitionem habitam ex probabilibus, & cognitionem probabilem: nam certitudo moralis habetur ex coniecturis, & iudicijs, & præsumptionibus, & probabilitatibus, sed tamen in se certitudo est, quæ etiam sufficit ad homines absoluendos, aut damnandos: dicunt quod sufficit ad rectam actionem certitudo quod actus non sit contra aliquam legem licet habita ex probabilibus, sed non sufficit opinio probabilis.

271 Verùm admitto quidem dari certitudinem moralem, quæ fictione iuris habetur tanquam si esset certitudo cui non possit subesse falsum. Sed in rei veritate sicuti nulla est certitudo nec esse potest, quæ sit comparata ex probabilibus & fallibilibus principijs & non sit fallibilis, vnde & est cõmunis sensus DD. quòd certitudini morali subesse potest falsum, ita nulla est similis certitudo cui non sit adiuncta aliqualis formido plùs vel minùs, quàmuis fictione iuris, vel ex connaturali modo agendi & exigentia boni communis aliqua talis certitudo habeatur ac si non esset fallibilis. Bene

tamen

tamen insipientium mens in his semper timet, & bonus iudex semper sibi ipsi aliqualiter metuit. Vnde verè sic est, quòd hæc moralis certitudo non est nisi opinatiua in rei veritate. Sed & considerandum quòd adhæsio aliqua firma, & stabilis quæ prouenit ex parte subiecti, & quam etiam hæretici de suis erroribus habent non est necessaria ex prudentia ad agendum; sed illa adhæsio est necessaria, quæ venit ex vi principiorum ex quibus veritas rei cognoscitur. Quòd si ista sint fallibilia, & probabilia, & si multiplicata maiorem vim habeant, tamen nunquam talia erunt, quæ omnem omnino formidinem excludant; & verè implicat contradictionem quòd de obiecto fallibili, & ex medijs fallibilibus habeatur cognitio non formidolosa, & quòd homo talem formidinem deponat rationabiliter, & nisi ex errore, & pertinaci adhæsione voluntatis; quia omne medium fallibile non potest parere nisi cognitionem incertam; si ergo non peccat qui ex opinione probabili etiam si in re falsa operatur contra legem, si opposita opinio sibi videtur improbabilis vel minùs probabilis, iam non est necessaria certitudo quæ formidinem excludat, vnde per se nec est necessaria maior certitudo, quàm sit certitudo opinionis. Quod quidem habetur expressè ab Innoc. III. *in c.à nobis de sent. excommun.* vbi habet, quòd Ecclesię iudicium nonnunquam sequitur opinionem, cui potest subesse falsum, & quam fallere sæpe contingit. Et quòd ex aduerso ponderatur, quòd scilicet formido, quæ est de ratione dubitationis sit dubium formale, aut suspicio quædam, seu scrupulus, aut leuis credulitas, ne pars opposita sit vera, non obstat, quia nulla est certitudo moralis, cui huiusmodi formido non sit plùs vel minùs adiuncta, & talis formido non est tanta, quæ impediat intellectum ne determinatè adhæreat vni parti & credat, & iudicet sic esse; quàm uis quia bene scit, quòd ex coniecturis, & principijs probabilibus non potest haberi tanta certitudo, cui non possit subesse falsum, ipse falsus esset, si ita absolutè iudicaret, vt formidinem de opposito non haberet, & talis adhæsio esset non ex rei veritate, sed ex pertinacia voluntatis. Ad operandum igitur ex prudentia sufficit certitudo opinionis vbi maior nequit haberi. Et aliàs falsum est, quòd qui opinatur sit indifferens, & indeterminatus, & quòd certitudo moralis debeat esse sine omni formidine alterius partis, quia opinio probabilior tandem non est nisi opinio admittens formidinem de opposito.

272 Ad interrogationem igitur dicitur primò, quòd ad prudenter agendum in casu dubio, in quo scilicet non est nobis manifestum, an hæc actio comprehendatur sub lege, non est necessaria certitudo simpliciter, si verè nequit haberi, sed sufficit opinio rationabilis, & probabilis; immò in indoctis, qui in fide aliorum viuunt, sufficit fides humana, licet tam fides, quàm opinio habeant coniunctam aliqualem formidinem de opposito. Nec est vnde hic distinguatur inter formidinem logicã, seu remotam, & proximam. Quia opinio non importat formidinem, nisi quæ oritur ex fallibilitate principiorum moralium, quatenùs rarò deficiunt; ex motiuis enim, vt plurimùm fallibilibus non potest generari assensus determinatus. Et in materia de qua loquimur, scilicet in dubio iuris, non nisi ex generalibus regulis, vt plurimum veris oritur probabilitas opinionis. Licet in hac imperfecta opinatiua certitudine detur latitudo & gradus, & taliter quod aliqua opinio est magis certa, quam alia. Semper tamen adest tanta certitudo (si opinio est verè probabilis) quæ sufficit ad determinandum intellectum rationabiliter, & prudenter ad sui assensum. Et ita hanc sententiam docuit expressè *Arist. 1. Ethic. in cap. 3.* docens, quòd in moralibus sufficiat pingui quadam minerua, & adumbrata significatione verum ostendere. Et idem dixit *l. 2. cap. 2. & cap. Ego solis, dist. 9.* ex probabilibus formari iudicium prudens asseritur. Eiusdem sententiæ fuit *D. Th. qui p. 2. quæst. 57. ar. 4. ad secundum*, vbi ponit prudentiam in opinatiua parte animæ, eo quòd habeat pro obiecto ens contingens aliter se habere. *Et quodl. 3. art. 10.* admittit, quòd in his quæ manifestè non sunt contra fidem, & contra mores licet sequi opiniones suorum magistrorum, *& quodl. 8. art. 13.* super quo loco maximè se fundat sententia negans vsum probabilitatum expressè concludit, quòd habens opinionem contrariam opinioni magistrorum, si non habeat conscientiam dubiam, & illa sit vera non peccat ex illa agendo. *Caiet. som. 1. opusc. tract. vlt. resp. 13. ad vlt.* vbi optimè punctum explicat, ostendens quomodo cum dubio speculatiuo stet certitudo practica. Et idem in substantia docet *in sum. v. opinio*, vbi etiam hoc verissimum habet, quòd omnis opinio voluntaria est mala. *D. Anton. p. p. tit. 3. cap. 10. §. 10. Syluest. v. dubium, num. 4. & v. opinio, num. 1. & 2. v. scrupulus, num. 4. Sotus lib. 3. de iust. quæst. 6. art. 1. in fine. Tabien. & Armilla v. opinio, Medina p. 2. q. 19. art. 6. quæst. 6. Lopez p. p. cap. 120. Viguerius c. 15. nu. 4. Greg. Martinez p. 2. q. 19. a. 6. dub. 6. Io. à S. Thom. p. 2. dis. 12 art. 4. Serra p. 2. q. 19. a. 6. dub. 4. Ledesm. de stat. cap. 4. conc. 8. dub. 5. Martinez de Prado cap. 1. de conscientia quæst. 3. §. 1. num. 2.* Dico tamen secundò, quod non sufficit opinio voluntaria, sed quod ille, qui sequitur opinionem voluntariam si sit falsa, peccat contra legem: quoniam opinio voluntaria non habet adiunctam ignorantiã inuincibilem, censenda verò est opinio voluntaria, quando quis potuit, & debuit habere certitudinem de veritate, & habere neglexit. Erit verò semper voluntaria, quando ex opinionibus iudicatis probabilibus non inuestigauerit, quæ sit absolutè vera, aut saltem probabilior, seu quotiescumque de falsitate etiam probabilioris habebit non leue motiuum, & veritatem inuestigare neglexerit, quantum potuit. Dico tertio, quod ad minus est necessaria talis ac tanta certitudo opinatiua, quæ verè possit excludere omnem practicam dubitationem. Quod si hæc dicitur certitudo moralis, licet putem non esse valdè propriè dictum, non contendo de nomine. Sed non puto, quod DD. vsum probabilitatum admittentes huius certitudinis necessitatem negauerint.

273 Nam & quod requiratur tanta notitia, & certitudo vnde probatur? Ex hoc probatur, quod lex ex quo obligat ad sui obseruantiam obligat etiam ad sui notitiam habendam. Sed qualem? Certam immò certissimam quantùm tamen haberi possit. Ideo obligat ad hoc, vt subditus faciat quod in se est, vt plenam legis notitiam habeat. Sed quia hæc notitia in singularibus casibus ex proba-

probabilibus, & suspicionibus, & coniecturis colligitur ab homine vim Angelicam in intelligendo non habente, minimè perspicaci; ideo lex non obligat, nisi ad faciendum quod in se est, ex fallibilibus, & probabilibus, vt attendat ne contra se ipsam operetur. Quamobrem in casu singulari etiam si homo sequatur opinionem probabiliorem, & quam dicunt certam, & quæ nihilominùs sit in re falsa, sicut potest esse, si operans aliàs sufficienter excitatus ad falsitatem cognoscendam, id neglexit, non excusatur à culpa, quia eius ignorantia, seu error fuit vincibilis. Sic econtra si quis doctus bona fide, & omnibus bene pensatis, quantum grauitas negotij petit sequatur opinionem minùs apud alios probabilem, quam ipse putat veram, licet sit falsa, non peccat, quia eius ignorantia est inuincibilis. Et sic de mente S. Thomæ dico, quòd ad rectè operandum sufficit opinio probabilis tam clara, & certa, vt si non sit vera, ignorantia sit inuincibilis, & quod vnusquisque, qui id facere possit, & sciat tenetur plenè omnia considerare, vt videat priùs si actio alicui particulari legi repugnet, vel non repugnet, vt postea decernere possit, an illa saluo ordine finis sit eligibilis.

274 Redeundo igitur ad casum nostrum, quid dicendum est, vbi in concursu opinionum æquè probabilium, quis examinato negotio, vel sic iudicat oppositas opiniones æquè probabiles, quòd nulli adhæret, vel ita vni adhæret, quòd tamen iudicat motiuum suum esse leue, & quod æquè posset adhærere oppositæ, quam simpliciter æquè probabilem indicat? Hic vnum aliud puto esse priùs considerandum, quomodo scilicet in puncto huius quæstionis in qua quæritur, quid agendum, quando non est certum, an aliquis casus comprehendatur sub verbis legis, quis possit esse dubius. Nam attendi debet, quod est difficile, quod quòd pensatis pensandis aliquis sit dubius negatiuè de hac quæstionis veritate. Non nego, quod spectato præcisè casu aliquo secundùm se, & ex proprijs, non possit oriri dubietas; sed tamen omnibus pensatis locum habere vix potest. Nam distinguo triplicem casum: Vel enim est certum, aut probabile, quod casus singularis de quo est quæstio potest comprehendi sub verbis legis; vel est certum, aut probabile oppositum, vel vtrumque horum est dubium. Si est certum, aut probabile casum posse contineri sub verbis legis, & quòd non contineatur de facto, adest saltem opinio, sic iam non habet locum dubium negatiuum, quia hoc dubium est, quando datur perplexitas, & mens nulli parti adhæret. Aut quòd non contineatur ex proprijs est merè dubium, & dico tunc certum esse, aut probabile illum casum sub verbis legis comprehendi, qui valet hæc consequentia, casus sub verbis legis comprehendi potest; ergo si non datur motiuum saltem probabile, quòd de facto non comprehendatur debet haberi, vt comprehensus. Et ratio consequentiæ est manifesta. Quia legislator tantùm obligat quantùm potest rationabiliter, & rationabiliter per verba legis significatur, & quantum rationabiliter verborum legis significatum extenditur; Ad omne id verò verborum legis significatum extenditur, ad quod significatum illorum extendi potest, & nulla est ratio limitans, & suadens verba non debere sumi in amplitudine sui significati. Vbi ergo ex vna parte satis constat, quòd sub verbis legis casus aliquis comprehendi potest, & ex alia nulla est probabilis ratio probans quod non comprehendatur, dici debet illum comprehendi. Si verò detur secundum, & dicatur, quòd sit certum, aut probabile casum non posse comprehendi sub verbis legis, certum est non esse locum dubio negatiuo, quia simul erit certum, aut probabile, quod casus ille sub verbis legis non comprehendatur, & sic negatiuum dubium non habet locum. Si verò detur tertium, & dicatur, quòd prorsus est incertum etiam an casus singularis possit comprehendi sub verbis legis, quia vel significatio verborum sit vel adeo restricta, vt non appareat, an ad illum casum possit extendi, vel tam ambigua, vt non constet, an sit talis, quæ casum eundem possit continere, vtrumque horum est valdè difficile. Et nihilominus hoc admisso, & considerato quòd hæc perplexitas potest contingere, vel quia ex nulla parte occurrat aliquod debile motiuum, quod indicet posse, vel non posse casum sub verbis comprehendi, vel quia ex altera eorum parte tantum detur leuis suspicio non valens tamen ad inducendam opinionem; vel quia huiusmodi leuis suspicio detur æqualiter ex vtraq; parte. Dicitur, quod non per hoc potest dari absolutè omnibus pensatis dubium negatiuum, an ille casus sit sub verbis legis comprehensus. Nam vbi de possibilitate comprehensionis, sub verbis legis sit sola suspicio, potiùs dicendum est legem non extendi ad illum casum; quia ius dubium legis tale, ac tantum, vt non sit nisi leuis suspicio, quòd casus possit sub legis verbis comprehendi nō potest vincere ius certum humanæ libertatis: Nec conuenit, quòd lex ex solis leuibus suspicionibus de possibilitate suæ significationis necessitet ad agendum: Nec in hoc casu lex actu aliquid possidet, quia nec constat quòd possit ad illum casum extendi, sed hoc est dubium, & lex non habet pro se nisi leuem suspicionem, vt sit talis ex vi suorum verborum, quæ ligare, & necessitare possit ad illum casum, vnde nec possidet potestatem, sed dubia est. Nec est verisimile quod legislator intendat legem suam adeo extendi, vt ad obligandum ad agendum sufficiat, quòd detur tantum leuis suspicio de eo quod sub verbis legis possit casus aliquis contineri: Et quia dato quod huiusmodi suspiciones leues etiam rationabiles tales sint, vt obligare possint ad inquirendam veritatem legis, vbi tamen facta prudenti inquisitione non remanet, nisi leuis suspicio de potestate, & nec saltem constat, quòd casus aliquis de possibili possit sub lege comprehendi, non conuenit, quod ex leui suspicione certo necessitetur, & ligetur humana libertas, respectu illius casus, maximè à lege positiua cuius materia est res aliàs de se indifferens ad bonum & malum. Et tandem, quia cum lex debeat esse clara, & manifesta ex *S. Thom. p. 2. quæst. 95. art. 3.* saltem hanc claritatem debet habere, vt ex vi verborum legis homo possit iudicare, & nosse, quòd casus singulares possint sub verbis legis comprehendi. Et sic vix est dabile dubium negatiuum post diligentem inquisitionem, & pensatis pensandis, an de facto aliquis casus comprehendatur sub legis verbis, quia ad hoc vt dicatur comprehendi necesse est,

ſe eſt, vt ſatis conſtet homini, quod poſſit comprehendi, & hoc dato dicendum eſt actu comprehendi, niſi detur in oppoſitum motiuum per quod homo prudenter indicer non comprehendi. Et ſic nnn datur locus dubio negatiuo, ſed ſolum dubio opinatiuo. Quod quidem non habet locum, vbi opinio ſit pro altera parte tantùm; quia vbi non ſit opinio, niſi pro vna parte, altera erit improbabilis; & qui abſolutè adhæret vni parti opinando, licet habeat aliquid formidinis alterius partis, ſimpliciter tamen non eſt dubius. Solum igitur hoc dubium opinatiuum magis propriè loquendo habet locum, quando homo ſic iudicat quòd vtraque pars eſt opinabilis quòd ille nulli parti adhæret, ſed circa rei veritatem in ſe ipſa eſt anceps, vel ſic adhæret vni parti, quòd iudicat poſſe adhærere alteri parti, eo quòd non adeo partes offerant in ratione probabilitatis, vt non ſint dicendæ æquè probabiles.

275 In hac ergo quæſtione multi ex DD. qui ſtant pro vſu probabilitatum dicunt talem indifferentem eſſe, & non imputandum ei ad peccatum ſi caſu contingat quòd lex obliget, & ipſe contra legem agat, quia poſſeſſio ſtat pro libertate certa, quæ ex ſuperioris aut legis iure dubio nō violatur. Sed econtra DD. qui ſtant contra probabilitatem multis probant regulam illam, quòd in dubijs potior eſt ratio poſſidentia non habet locum extra materiam iuſtitiæ. Et verè ſi loquamur de iure poſſidendi quod fundatur in dominio & proprietate rerum inducta ex iure gentium, ridiculum eſſet extendere hoc ius ad materiam aliarum virtutum. Sed datur naturale dominium libertatis & ideo datur etiam ius poſſidendi tali dominio proportionatum, quo non poteſt homo priuari, niſi a legitima poteſtate, & iuſta via. Contra hoc dominium, & poſſeſſionem non ciuilem, ſed naturalem nihilominùs habet ius ſuperior vt illud dirigat & moderetur per leges. Sed tamen certæ libertati hominis non poteſt ſuperior præiudicare ex dubia lege, ſi ſit dubia ex parte ſuperioris, & legis; ſed ſi lex ex parte ſui ſit certa nihil videtur iuuare ſubditum poſſeſſio libertatis, quia lex certa illa eſt, quæ præualet & poſſidere videtur. Et quia lex naturalis, & diuina ex parte legislatoris, & legis eſt certiſſima & indubitata, nec circa illam oritur dubietas niſi ex difficultate cognoſcendi legem, quæ etiam difficultas oritur maximè ex imperfectione cognoſcentis, quàmuis etiam ſit ex obiecti difficultate, quod latentiùs continetur in manifeſtis aut certis principijs legis, nec in ſenſibilibus habemus tam claros effectus, aut ſigna, vnde de facili veritatem occultam apprehendamus, ideo videtur quòd dubietas non poſſit minuere vim, & efficaciam talis legis. Nihilominùs ſatis durum videtur intelligere, quòd in caſu in quo ſubditi dubietas verè ſit inculpabilis & inuincibilis, teneatur ſub culpa ad obſeruantiam legis quam eſſe ignorat inuincibiliter.

276 Quia nulla lex obligat ad impoſſibile. Eſto verò lex ſit in ſe certa, quia homo ex illa dirigi non poteſt niſi illius cognitionem habeat, ſi homo illius cognitionem habere non poteſt, ſed legem inuincibiliter ignorat, iam eſt ſibi impoſſibile dirigi per legem, igitur ad legem non obligatur. Nec valet dicere, quòd de lege conſtat, licet non conſtet an hic caſus ſub verbis legis comprehendatur. Quia hic valet proportio totius notitiæ ad totam legem, & partia notitiæ ad partem legis. Et ſemper verum eſt hominem in eo caſu non poſſe dirigi ex lege, quem non poteſt ſcire ſub lege comprehendi: Non obligatur verò homo ex lege ad id in quo non poteſt ex lege dirigi. *Sanchez in Decal. l.1. c.10. num.3. Suarez de cenſ. diſp.40. ſec.5. num.15. Bonac. de reſtit. diſp.1. q.2. p.2. §.1. num.2. & de peccat. diſp.3. p.7. num.16. Franciſcus de Lugo de conſcientia cap.2. num 121. Palaus tract.1. diſp.3. p.7. num.2. Baptiſta diſp.209. dub.5. nu.1134.* Quod magis explicatur, quia ad faciendum id, de quo homo facta poſſibili, & debita diligentia non habet nec vnum motiuum quòd trahat intellectum ad aſſenſum, ſeu ad credendum quòd lex id iubeat ex quo obligari poteſt homo rationalis? Non ex lege illa, quia lex illa non applicatur niſi media ratione & nulla datur ratio ex qua homo ſuadeatur legem id præcipere; non ex alia lege, quia lex altera non datur, vt ſupponitur, eſt ergo ſolutus à lege. Dicitur igitur ſecundò quòd dato quòd in noſtro dubio iuris homo poſſit ex æquali probabilitate opinionum eſſe perplexus, & anceps inculpabiliter tamen & inuincibiliter tunc in eo caſu apud illum res eſt indifferens, vt agat quòd attentis circumſtantijs ſibi videtur melius. Et ratio eſt, quia tunc lex non eſt illi ſufficienter manifeſtata, & propoſita, nec regula legis eſt illi ſatis applicata, ideo lex non obligat. Et poſſeſſio naturalis & ius certum illius ex dubio verè non vincitur. Nec habet hic locum regula, quod in dubijs tutior pars eſt ſumenda, tum rationibus ſupradictis. Tum quia hic nullum eſt dubium cum reſolutio innitatur principiis valde probabilibus.

277 Sed ſi loquimur de lege humana, quæ verè poteſt eſſe & præſumi dubia ex parte legislatoris, & legis, & quæ etiam ex regulis eiuſdem legis mitiorem admittit interpretationem, vnde poteſt præſumi de mente legislatoris eſſe quòd dubius rationabiliter, & ſimul inculpabiliter & inuincibiliter de hoc an hæc actio comprehendatur ſub lege, non obligetur ad id, ad quod forſan ipſe eum non obligauit & ei non conſtat fuiſſe obligatum, certius dicitur in eo caſu in quo ſunt de hoc opiniones æque probabiles legem vt pote occultam, & ſine culpa ſubditi non manifeſtam ſibi non obligare, & ſic in hoc veram eſſe ſententiam illorum, quòd liceat ſequi ex duabus opinionibus æquè probabilibus quamcūque quis voluerit. Sed ego perſiſto in hoc, quòd caſus huius inuincibilis ignorantię nō ſit tā de facili poſſibilis niſi in eo, qui non ſit aptus iudicare inter opiniones, & non teneatur ad illarum veritatem examinandam, ſed cutò poſſit ſtare alterius fidei. Immò & in hoc caſu, ſi v. g. Parochus mulierculæ interroganti & petenti conſilium de agendo in hoc, vel illo caſu, reſponderet quòd de vtraque opinione ſunt probabiles opiniones, in ſufficienter reſponderet, & illa maneret ſuſpenſa niſi Parochus ex hoc vel expreſsè vel ſatis tacitè illi diceret quòd ei licet in eo dubio quod ſibi placuerit. Tunc enim mulier illa poſſet viam ſibi placitam aſſumere, & excuſaretur à culpa ex ignorantia inculpabili.

278 Diſtinguendo igitur caſus ſupra recenſitos

tos dico ferè impossibilem esse primum, ita quòd opinans nulli parti adhæreat, sed sit suspensus respectu veritatis rei in in seipsa, & ita fere casus non est dabilis, quòd scilicet dentur duæ opiniones contrariæ de hoc puncto an scilicet aliquis casus comprehendatur sub verbis legis, & quòd rationes ex vtraque parte sint ita æquales, vt nulla omnino præpoderet alteri. Nam & cum probationes ab vtraque parte sunt æquales quælibet minima præsumptio vel probatio pro vna parte facit eam præualere, vt notat *Alex. cons. 236. num 6. lib. 6.* & quælibet probatio leuis etiam minùs legitima vt post *Baldum*, & *Marsilium tradit* Reuerendiss. *Fagnanus cap. innitaris num. 449. de constitut.* Impossibile verò est quod detur tanta inæqualitas, vt nulla nec leuis ratio pro vna parte præponderet, ex qua opinans moueatur vt illi parti adhæreat præ alia. Et hoc supponere videntur DD. qui dicunt, in concursu oppositarum opinionum eligendam esse illam, quæ videatur eligenti magis consona rationi. *D. Anton. p. 1. titul. 3. cap. 10. §. 10. Syluest. v. opinio v. Tabien. v. opinio nu. 3.* vel quæ sit tutior. *Caiet. v. opinio. D. Anton. par 2. tit. 5. §. 2. Sylu. v. dubium num. 4. Armilla v. opinio n. 2.* Quàmuis quòd regula de tutiori non sit præcepti, sed consilij dixerint *D. Anton. p. p. tit. 3. cap. 10. §. 10. Syluest. v. scrupulus num. 3. Tabien. v. scrupulus nu. 9.* Et ideo dicendum est vnumquemque eam opinionem debere amplecti, quæ videtur rationi magis consona, hæc enim est probabilior. Nec obstat alia regula de tutiori, quia censenda est tutior opinio, quæ est rationabilior, & immò tunc non sumus ampliùs in dubio, quia intellectus, vni parti absolutè adhæret ea causa rationabili. *Syluest. v. scrupulus num. 3. Nauar. cap. 27. nu. 184* *Reuerendiss. Fagnanus ad cap. innitaris num. 225. de constitut.* Et ita DD. qui dixerunt eligi debere tutiorem opinionem, per tutiorem intellexere veriorem. Nam agendorum regula ratio est, cui nos conformare debemus in agendo. Sed dato quòd intellectus nulli ex oppositis opinionibus adhæreat, dico, quòd hic non habet locum regula de tutiori, duplici ratione: Prima est, quia lex dubia non obligat dum manet in statu dubietatis, & de eius valore sunt vndequaque probabiles opiniones.

279 Nam licet in re ipsa lex sit certa, tamen legis certitudo nobis est incerta, & quidem vt supponimus inculpabiliter, & cum possit esse quòd casus non comprehendatur sub lege, & hoc sit verisimile, vnde & quare debet haberi tanquam comprehensus? Vbi ergo lex est dubia, locum non potest habere regula de tutiori, quia per alias regulas tollitur dubium simpliciter. Nam lex existens in statu dubietatis sine subditorum culpa non potest obligare, quia non potest esse regula, cum non sit certa, seu non sit certo modo applicata, & prout opus est proposita. Et hoc est postea quod dicunt DD. quòd scilicet possessio stat pro libertate, quod est verum de possessione vt est iuris naturalis, & prout dicit habere aliquid ex iure certo legis naturæ, quod ius certum ex iure dubio legis non vincitur. Vnde licet spectata particulari consideratione verborum legis dubium sit an sub illis comprehendatur hic casus, vel ille si hoc est verè dubium, non est ampliùs dubium simpliciter an casus de facto haberi debeat vt comprehensus, quia ex alijs principijs habetur illum non comprehendi. Quo stante dicitur, quòd qui dubitat in dubio hoc iuris non est perplexus simpliciter, & ideo non tenetur ad regulam de tutiori, sed secundùm quid est perplexus, & simpliciter determinatus ad hoc, quòd casus non debet censeri vt comprehensus. Secunda ratio est, quia in hoc casu in quo adhibita necessaria diligentia homo non potest inuenire nedum certiorem partem, sed nec motiuum quòd determinet illum ad vnam partem, & tamen sunt plures Doctores qui probabiliter opinantur de vtroque contradictorio, sufficit quòd moueatur à principio extrinseco, & quòd sit certus de probabilitate, quia non potest maiorem habere certitudinem. Et tunc in hoc est tutus, & ita non necessitatur ad alteram partem, sed ad vtramque est indifferens, vt eligat quam velit, quia vtraque est æquè probabilis, & si vtraque non sit æquè tuta, vtraque tamen est tuta, & nulla est contrarie tutior, licet comparatiuè vna sit tutior altera. Licet igitur non inuestigata veritate ex solo iudicio probabilitatis non liceat quamcumque opinionem sequi, vbi tamen quis fecit quod in se fuit, & non potuit inuenire nisi quòd vtraque pars est probabilis, potest probabilitate vti, & quam voluerit opinionem sequi. Nam & in eo casu qui inuincibiliter est dubius est de numero eorum quibus licet operari ex fide alterius cum per se ipsum, se non possit determinare facta sufficienti diligentia.

280 Ideo ex hoc fertur iudicium de alia parte quæstionis, quando scilicet quis ex æqualis probabilitate opinionum non est perplexus, sed adhæret vni ex motiuo tamen iudicato tali quod ipse iudicat, quod non est tantæ considerationis, vt opposita sententia non debeat censeri æquè probabilis. Et hic casus est possibilis, & plures sunt, qui scripserunt se hoc modo opinari, quia iudicarunt oppositas opiniones esse æquè probabiles. Nam talis iudicat, quod spectatis verbis legis sit æquè incertum simpliciter quodlibet oppositorum, scilicet casum sub verbis legis comprehendi, aut non comprehendi, & ideo casum illum esse indifferentem simpliciter, & simpliciter habendum esse, vt non comprehensum sub lege, & ideo esse obiectum liberæ electionis, & hominem posse ad libitum sequi quamcumque ex illis opinionibus ex eo, quia illatum obiectum sit indifferens, rem saltem in statu indifferentiæ, duplici supra exposita ratione, & quia lex dubia non obligat, & quia in hoc casu licet, vti iudicio probabilitatis, & ex eo se mouere ad agendum ex quacumque illarum opinionum, quarum quælibet est tuta. Et sic locum non habet regula de tutiori ratione dicta, quis huiusmodi opinans non est simpliciter perplexus, sed est determinatus ad hoc, quòd casus non sit habendus, vt comprehensus sub lege. Et ita hanc sententiam ex nostris tenuerunt *Medina p. 2. qu. 19. art. 6. versus fin. §. sed ex hoc nascitur. Bannes 2. 2. quæst. 10. art. 1. dub. 3. concl. 4. Aluarez p. 2. quæst. 19. art. 6. disp. 8. Gregorius Martinez ibid. disp. 8. concl. 1. Viquer. cap. 15. §. 1. ver. 2. Ledesma p. 2. tract. 8. c. 22 §. esta duda, pag. mihi 341. Io. à S. Thoma p. 2. disp. 12. art. 3. Cand. disq. 1. v. absolutio, Baptista p. 2. disp. 208. dub. 7. & 8. Serra p. 2. quæst. 19. art. 6. dub. 4. Acquet. p. 2. contrau. 13. & 14.* Idem *Syluest. v. scrupulus, numer. 13.* asserens scrupulosum posse eligere opinionem, quæ magis faciat ad propositum suum.

Sotus lib. 3. de iust. quæst. 6. art. 5. in fine, & 4. d. 19. quæst. 2. art. 5. ad quintum, Grauina in Cherub. Parad. l. 4. cap. 3. verit. 5. pag. 325. Martinez de Prado, id ex professo probans in *quæst. moral. cap. 1. q. 3. §. 1. a num. 2.* & hoc supponit *Caiet. tom. 1. opusc. tract. 31. cap. 13. in in fin.* Et extra scholam D. Thomæ est hæc sententia modò communis valde, vt videre est apud *Baptistam d. contr. 208. num. 450. & 568. Bossium, Franciscum de Lugo, Palaum,* & alias tractantes de conscientia opinatiua.

281 Quod si quis dicat hinc sequi, quòd liceat amplecti opinionem minùs probabilem relicta probabiliori, quia cum opinio probabilior sit incerta iudicare potest absolutè quòd vtrumque oppositorum sit incertum, & sic quòd lex sit incerta, & non obliget; negatur consequentia. Nō enim potest ferri hoc iudiciū ex inæquali incertitudine; & vbi vna pars simpliciter est certior, illa simpliciter est conformior rationi, & ideo si certius sit casum comprehendi sub lege, lex obligare censenda est. Et enim in huiusmodi casibus lex dicitur non obligare non ex defectu efficaciæ in lege; sed quia in se est certa & vim habet obligandi; sed quia vel lex non datur verè de tali casu, vel subditus excusatur per ignorantiam ab obligatione legis; non est verò inuincibilis ignorantia eius, qui minùs certum voluntariè eligit, relicto certiori. Sed aliud remanet dubium, an saltem ex circumstantijs extrinsecis, vt in casu necessitatis, seu ad vitandum maius malum, vel ad vtilitatem communem promouendam, vel quia non adsit tempus examinandi negotium possit esse licitus vsus opinionis minùs probabilis? Respōdetur quòd in omni eo casu in quo per Epijciam casus esset excusabilis ex illis circunstantijs extrinsecis, & lex in eo casu non obligaret, iam non esset necessarius vsus opinionis minus probabilis, quia lex in eo casu aliunde non obligaret. Nihilominùs puto faciliùs, & in pluribus casibus locum habere posse Epijciam, vbi lex est dubia, etiam si probabilius sit legem adesse, quàm vbi lex est certa. Quia in ordine ad finem honestum, & bonum dubietas vnius legis potest vinci à certitudine alterius legis, seu à certo periculo grauis damni imminentis, aut à certo impedimento valde magni boni, quod obtineretur à Republica. Vnde est, quòd ad agendum non sit attendenda necessariò sola probabilitas actionis ex genere, sed etiam in indiuiduo: & omnibus bene pensatis, & vt probat *Martinez de Prado cap. 1. q. 3.* in multis casibus per accidens licet vti opinione minus probabili. Quàmuis (vt puto) meliùs dicatur quod quia in illis casibus locum habet Epijcia lex non obligat. Sed supposito quòd ex illis circumstantijs non auferatur obligatio legis, & dubietas non vincatur ex illarum certitudine sicut lex vrget ad sui obseruantiam, sic obligat ad sui notitiam, & ad non agendum contra se ex ignorantia voluntaria. Tandem circa hanc quæstionem, quæ pro sui resolutione requireret tractatum integrum, iuuat duo aduertere, & quidem primò ex *Caiet. v. opinio*, quòd multæ sunt quæ iudicantur opiniones & sunt conclusiones certæ. Non enim propterea aliquid opinione tenetur, quòd diuersi DD. contraria sentiunt, quoniam cum hac contrarietate stat quòd vna pars sit fulta ratione sufficienti ad moralem certitudinem. Sed secundo altera ex parte attendi debet, quòd sunt quàmplures opiniones, quæ iudicantur probabiles, cum sint omnino improbabiles. Et circa hoc videri possunt quæ erudite multum & doctè habet *Grauina in Cherubin Paradisi lib. 4. c. 3. verit. quinta. pag. 326. & cap. 4. ad 9. obiect. pag. 435.*

SVMMARIVM.

1 *Superioris iurisdictio ex multiplici iure dubia. numer. 282.*
2 *Superiori dubio possidenti est obediendum. numer. 282.*
3 *Et debetur obedientia propria. nu. 282.*

282 Dubitatur secundò qualiter subditus teneatur obedire vbi est dubium de iurisdictione superioris? Ex duplici causa potest oriri hoc dubium. Et quidem vel ex parte tituli dantis iurisdictionem, vt quia dubitatur an sit legitimè electus, & confirmatus, aut validè possideat, aut ex culpa amiserit potestatem, & iurisdictionem; vel secundò dubium oriri potest ex parte materiæ, quia nimirum materia sit illicita, seu per superioris legem prohibita, aut quia excedat superioris facultatem quia licet sit licita, non sit secundum regulam. De quæstione in hoc secundo sensu agendum est in sequentibus. In primo autem sensu difficultas etiam fuit supra explicata, & consistit in hoc, quòd antequam superior dubius possideat non est necesse illi obedire, sed via iuris possunt subditi & eius possessionem impedire, & illi non obedire, nec illum recognoscere donec per superiorem maiorem decernatur an sit legitimus superior. Sed si possidet ei est obediendum, nec ex eo est illi neganda obedientia quòd constet commisisse crimen ob quod est priuatus officio, nisi præcedat sententia declaratoria, iuxta supra dicta *inspect. p. dub. 10. 11. 12. 13. & 14.* Nullus enim via facti, & maximè ex iure dubio quantumcumque probabilissimo potest priuare superiorem sua pacifica possessione. *Martinez de Prado cap. 1. q. 7. nu. 7.* & apud eum *Oniedo. Antau. à Spir. Sancto tract. 3. disp. 6. num. 82. Coton. lib. 4. contr. 6. nu. 171. Boss. par. 2. tit. 1. num. 1829. Sanchez l. 6. in Decal. cap 3. num. 29.* In dubio verò an superior possideat subditum non teneri obedire dixerunt *Sanchez d. nu. 29. & 30. Lezana p. p. cap. 4. num. 5. & ex Vasquio Rodriq. Portell. Miranda Pejr. & Hieron. Rodriq. d. num. 1829.* Obedientiam tamen redditam superiori dubio non esse propriè obedientiam dixit Mercorus in praxi opinionum 3. p. art. 19. quia non prælatur ratione certæ subiectionis, sed ad vitandum periculum defraudandi proximum in re, quæ fortè illi debetur. Verum vbi superior possideat, cum certus sit de possessione, sibi de iure obedientia, quæ propriè obedientia est tanquam reddita illi, vt superiori possidenti ius præcipiendi.

SVMMARIVM.

1 *Quid sentiant aliqui vbi dubium sit an materia præcepti sit illicita. n. 283.*
2 *Subditus in re dubia tenetur obedire. n. 284.*
3 *Potestas superioris est decernere quid sit agendum in dubijs. n. 285.*

Vnum 4 *Reli-*

4 *Religiosum non teneri obedire in dubijs dixit Palaus. n.286.*
5 *Reijcitur ab alijs, n.287.288.*
6 *Religiosus Prælatus maxime habet vt in dubijs decernat quid agendum. n.288.*
7 *In Prælato Religioso potestas iurisdictionis & voti extenditur ad dubiam materiam. n.289.*
8 *Subditus obedire debet vbi sit dubium an aliquid sit supra regulam. n.290.*

283 Dubitatur igitur, an quando subditus est dubius rationabiliter, an res præcepta per superiorem sit illicita, vel supra aut extra regulam, aut supra potestatem illius, teneatur nihilominùs ex vi voti obedire. Nam *Adrianus quodl. 2. puncto 2. & Vasquez p. 2. d. 66. c. 9. à num. 51.* tenent hunc sic dubium non posse obedire, nisi deponat conscientiam dubiam, quam tamen potest ex principijs extrinsecis deponere perpensa scientia præcipientis, & aliorum Doctorum placito, vel si sit vir simplex confidens integritate superioris. Ratio autem est primò, quia nullus potest agere dubius de honestate suæ actionis. Secundò quia cum superior non possit præcipere nisi honesta, vbi sit dubium de præcepti honestate possessio stat pro libertate ipsius subditi, qua non est priuandus, nisi Prælatus honestatem sui præcepti probet. Sic dubius an teneatur petenti aliquid reddere, non tenetur, donec id sibi constet. Et qui est dubius an vouerit, an iurauerit, an promiserit aliquid, non tenetur implere nisi dubio deposito. Tertiò quia in dubio an præceptum sit impositum non tenetur subditus obedire; sed qui dubitat an præceptum sit de materia iusta dubitat an præceptum sit impositum, quia de materia illicita nequit imponi. Quarto concurrentibus duobus præceptis incompossibilibus præferendum est id, quod magis obligat, magis autem obligat præceptum iuris naturalis, aut diuini; Vbi igitur dubium est an præceptum sit contra ius diuinū cessat obligatio iuris ecclesiastici seu superioris. Salas verò *p. 2. q. 21. tr. 8. disp. vnica sec. 17. num. 152.* distinguit, & ait, dubium debere inspicere an sit minus malum tunc obedire, vel maius, & teneri obedire si maius malum esset non obedire, non verò si esset minus malum. Quia vbi concurrunt duo præcepta incompossibilia, præponendum est id, quod magis obligat. Ideo vbi dubium esset an res præcepta esset contra ius diuinum, non esset obediendum, quia lex Dei magis obligat, quàm præceptum humanum.

284 Respondetur nihilominùs ex communissima DD. sententia, subditum in dubio an res quæ præcipitur sit licita, & honesta teneri obedire; quia dubium hoc speculatiuum est, & cum eo stat practicum iudicium oppositum dictans faciendum id, quod præcipitur. Ita *D. Thom. p. 2. q. 96. a. 6. ad 2. vbi Caiet. & D. Bonauen. 2. d. 39. a. 1. q. 3. ad vlt. Sotus de tegend. secreto memb. 3 q. 2. conclus. 1. Angelus v. Religiosus nu. 29. & v. obedientia num. 6. Syluest. v. religio 6. q. 8. v. obedientia q. 2. v. conscientia 1. q. 3. d. 3. Tabien. v. obed. q. 11 v. bellum & v. conscientia. Rosella v. obed. num. 16. Nauar. cap. si quis autem num. 114. de pænit. d. 7. & in Manual. cap. 13. num. 37. Suarez de legibus l. 6. c. 8. nu. 6. & tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 4. c. 15. num. 20. & tom. 3. d. 10. cap. 3. n. 15. Palaus tom. 5. trac. 1. disp. 3. p. 13. num. 1. Lezana tom. 1. c. 4. num. 25. Gloss. Innoc. Io. Andr. Baldus Panor. Neuo, Belamera, Henricus, Hostien.* quos refert, & sequitur *Sanchez l. 6 in Decal. cap. 3. Valentia, Sayr. Rodriq. Lessius, Layman, Gordonus, Portell. Tamburinus, Peyrinus Diana* quos sequitur *Bossius tom. 1. par. 2. tit. 1. §. 49. num. 1789. Anton. à Spir. Sancto trac. 3. disp. 6. num. 83. Colonius l. 4. contr. 6. n. 172. Don. tom. 3. tr. 17. q. 25.* Quia possessio stat pro superioris authoritate. Pro eo enim stat possessio, pro quo est iuris præsumptio, quæ stat pro superiore. Et ideo non est eadem ratio de debitore dubio an debeat aliquid, quia possessio pro illo stat, ideo non est eadem ratio quidquid sit de assumpto. Ita etiam dū quis dubitat an promiserit, possessio stat pro ipso & sic exemplum non est ad propositum quidquid sit de eius veritate. Modò in præsenti authoritas superioris reddit subditum securum. Nam superior authoritatem habet præcipiendi, nec tenetur reddere rationem & causam sui præcepti, & præsumendum est illum ex causa iusta agere, & præcipere, eo magis quòd & propter hoc datur superioribus authoritas præcipiendi & gubernandi subditos, ne ipsi errent. Neque hic concurrunt diuersa præcepta incompossibilia, quia nulla lex obligat subditum dubium de honestate materiæ vt non obediat superiori; & dato casu, quòd res illa esset illicita, subditus non peccat, & superior quasi videtur Dei interpres volentis vt in eo casu res illa fiat.

285 Sed huius veritatis ratio à priori desumitur ex *Deuteron. cap. 17. & 2. Paralipom. cap. 19. & Ezech. cap. 34.* vbi præcipitur, quòd in difficilibus & ambiguis iudicijs stetur iudicio sacerdotis. Hæc enim continent naturalem legem in hoc fundatam, quòd cum res humanæ circa particularia sæpius ambiguitate plena sint, & quid iustitia exigat & postulet honestas sit cognitu difficile & incertum, ideoq; ex hac ingeniorum diuersitate, & affectuum contrarietate agente futurum esset, vt implacabiles orirentur dissensiones, & interminabiles lites, necesse fuit vt darentur in mundo superiores, quibus commissa esset cura dirigendi alios in bonum, lites dirimendo, dissipando ambiguitates, contrarietates tollendo, quod fieri minimè potuisset, nisi isti superiores haberent facultatem determinandi quid in dubijs esset agendum, & decernendum pro bono subditorum. Ideo veritas conclusionis positæ non tam concluditur ex vi possessionis præcipiendi, quam habet superior, quàm ex natura facultatis superioris, & iurisdictionis illius, quæ ad dubia se extendit ex vi sua, & est ex sui natura, & ex naturali iure potestas decernendi quid in dubijs sit pro communi bono, pacis conseruatione, & felicitate reipublicæ agendum. Et hoc idem supponit S. Augus. relatus *cap. quid culpatur 23. q. 1.* vbi quòd Principis est iudicare quando & qua causa indicendum sit bellum, quoniam superioris est decernere quid in ambiguis subditi agere teneantur. Quod & approbauit S. Bernard lib. de dispensat. & præcepto circa principium, ibi. *Quid hoc tua refert, qui conscius non es, præsertim cum teneas de scripturis, quia labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore eius requirunt, quia Angelus Domini exercituum est.* Hic ergo verum est, quòd obedientia debet esse cœca, & habet locum illud Christi Matth. 23. *Omnia quæcumque dixerint vobis seruate, & facite,* quia & in dubio præceptum superioris

rioris

rioris præsumendum est iustum. *cap. quid culpatur. 23. q. 1. cap. in præsentia de renunc. & cap. 2. de maior. & obed. cap. ex tenore de sent. excommun.*

286 Sed hac communi doctrina supposita dubium est, an verificetur in Religioso: Nam in dubio an præceptum superioris sit de re illicita Religiosum non teneri probabile putauit *Palaus tom. 1. tom. 1. tract. 1. disp. 3. puncto 13. num.* 8. Quod probari videtur, quia communis sententia est vouentem non teneri exequi rem illam, de qua dubium est an ad illam votum extendatur quia hoc idem est, quod disputare an votum sit, in quo casu vouentis libertas possidet, vt tradit *Sanchez l. 2. de matrim. disp. 4 num. 3. & in sum. l. 4. cap. 1. num. 32.* Cum ergo Religiosus ex vi voti teneatur obedire Prælato, idẽ est illum dubitare an præceptum Prælati sit de re illicita, & an votum Religiosi ad illud præceptum extendatur; igitur ex vi voti non tenetur illi obedire. Nec valet recurrere ad promissionem seu traditionem, per quam Religiosus se tradidit Religioni, nam totum hoc ex voluntate Religiosi pendet, quæ nunquam videtur extensa ad casum dubium. Minùs obstat, quòd Prælatus præcipiat etiam in vi iurisdictionis, quam habet à Pontifice, quia neque hæc potestas est extensior voto, cum sit ad faciendum quòd Religiosus sua vota compleat, si ergo votum ad materiam dubiam non se extendit, neque ad illam se extendit iurisdictio Prælati regularis. Secundò quia secundùm *Suarez tom. 3. l. 10. cap. 3.* non est improbabile, quòd Abbatissa ex vi voti non possit obligare monialem in casu dubio de honestate rei præceptæ. Quod confirmatur ex differentia legis, & voti, quia necessitas legis est ex alterius voluntate vnde ex potestate, & iurisdictione iubentis metienda est, sed votum est ex vouentis voluntate, vnde eius necessitas ex vouentis mensuræ voluntate, & intentione, quæ non videtur extensa ad materiam dubiam. Tertiò quia in imponenda obligatione stricta est facienda interpretatio. *l. quidquid. ff. de verb. oblig. idemque desumitur ex cap. ex parte de censibus. vbi Panorm. nu. 2. & 4.* ait præsumi, vouentem se minùs grauare, & *Gloss. final.* ait pro vouente faciendam esse bonam interpretationem igitur debemus asserere, quòd Religiosus vouens non habeat intentionem se obligandi ad materiam dubiam.

287 Hanc sententiam habere probabilitatem respectu illius, qui extra Religionem per votum obedientiæ simplex se subdidit Confessario, vel alteri, respectu cuius potestas præcipiendi limitanda est iuxta votum, & intentionem vouentis, vt censet *Suarez tom. 3. l. 10. cap. 3. nu. 6.* dixit *Ildephonsus Baptista p. 2. tom. 3. de Consc. disp. 209. dub. 13. numer. 1364.* Sed loquendo de veris Religiosis censee eam singularem improbabilem, & perniciosam, quia periculosum est introducere, quòd potestas Prælati in Religione limitanda sit iuxta intentionem vouentis solemniter Religionem. *Bossius autem tom. 1. moral. par. 2. tit. 1. §. 49.* hanc Palai sententiam asserit repugnare consensui cæterorum omnium Doctorum, & immò omnium fidelium, & ipsorum Religiosorum, siquidem omnes censent Religiosos arctiùs obligari ad obediendum suis Prælatis, quam cæteri seculares nedum extensiuè, sed intensiuè, cum Religiosi pleniùs se tradant superioribus gubernandos, & regendos, & se priuent suo velle & abnegent semetipsos, vt Christum sequantur præsertim in dubijs; vnde & superiores censentur habere in hoc specialem Spiritus sancti gratiam, vt subditos regant.

288 Dicendum igitur est omnino indubitatum esse, quòd communissima sententia supra recensita comprehendit etiam Prælatos & subditos Regulares. Et quod immò præcipuè Religiosi in dubio an præceptum sit de re illicita teneantur obedire suis Prælatis, quia ex citatis DD. nedum quamplures expresse loquuntur de Religiosis, vt *Syluest.* & alij summistæ, *Suarez, Sanchez, Portel, Peyr. Tambur. Anton. à Spir. Sancto Coton. Bossius, Lezana, Donatus* & alij, sed cæteri omnes absolutè & indistinctè, vniuersaliter loquuntur, & ita sunt intelligendi. Nam & motiua Palai valde leuia sunt, & voluntariè contra omnem rationem limitat votum professionis. Etenim hoc votum liberum est quantùm ad exercitium actus, sed non quantùm ad specificationem, potest enim quis non vouere statum regularem si nolit, sed si vouere vult tenetur vouere obedientiam secundùm regulam talem qualem exigit perfectum gubernium communitatis ad vitandas dissensiones, lites, scandala, & ad conseruandam vnitatem subiectionis in vno capite in vinculo pacis. Primò verò obedientia consona communitati ex natura sua requirit extensionem ad materiam dubiam, quia immò vna ex præcipuis caulis ex quibus obedientia est necessaria, est vt superior in dubijs possit decernere quid sit agendum, & sic finire lites, & pacem conseruare. Cum igitur superioris conditio hoc postulet vt sit in ambiguis director, talem superiorem exigunt Religiosæ communitates. Et quidem eò magis, quò ad hoc vt subditi quietè, & sine impedimento possint procedere ad perfectionem, necesse est, vt adsit superior qui scrupulos abigat, & dissipet ambiguitates, & in casu dissensionum lites decernat, & pacem foueat. Improbabiliter igitur omnino asseritur, quòd votum Religiosorum sit limitatum ad rem certam. Et aliud est, quòd vouens dubitet an hoc, vel illud comprehendatur sub voto, & aliud est an sub voto comprehendatur obedientia in casu dubio, & quidquid sit de primo, Religiosus non potest dubitare de secundo. Sed est certus, quòd tenetur superiori obedire in dubio an res præcepta sit licita, quia hoc petit votum obedientiæ emissum in communitate Religiosa.

289 Sed & falsum est, quòd potestas iurisdictionis, quam habent Prælati a Pontifice sit limitata ad materiam certam. Nam eiusdem rationis est cum illa, quam habent alij Prælati Ecclesiastici, & ita absoluta. Cum enim Sedes Apostolica exemerit Religiosos a iurisdictione Episcoporum, non reliquit eos sine immediato Prælato, qui cum simili potestate illos regeret, sed hanc potestatem tribuit Prælatis regularibus, qui ac si essent Episcopi possunt illis præcipere quæ agenda sunt quantùm gubernatiua potestas pro bono communi requirit. Nec obstat si dicatur, quòd Prælati non possunt præcipere subditis nisi id quòd est secundùm regulam, & ad quod ex voto se obligarunt. Quia primò dicitur quòd ex vi huius iurisdictionis possunt illis præcipere quæcumque vel ex Clericali ordine, vel ex iure Canonico competit illis vt agant, Et licet hæc materialiter coincidant

quia & hæc omnia sunt secundùm regulam, tamen formaliter & per se hæc iurisdictio distinguitur à potestate dominatiua ex vi voti habita; quia hæc potestas spiritualis iurisdictionis respicit Religiosos proximè quo Ecclesiastici sunt & fideles non quo voto se obstrinxerunt; quamuis quia hæc potestas comprehendit sub se etiam obseruantiam votorum & ad illam ordinatur, ideo per eam præcipi possint etiam ea quæ ad votum pertinent. Deinde iam ostensum est, votum se extendere ad præceptum de re illicita dubia. Vnde non est vt quis imaginetur quòd Religiosus in dubio hoc non teneatur obedire superiori. Et non placet Ildephonsi Baptistæ mens, qui huius assertionis causam in solam conditionem iurisdictionis refert. Sed immò ex vi voti Religiosi præcipue veritas hæc stabilitur, quia talem obedientiam necessariò promittit Religiosus, qualis necessaria est & requiritur ad rectè ordinatam communitatem, & præcipuè ad communitatem quæ studet perfectioni, & qualia est obedientia quæ in alijs communitatibus præbetur etiam ex iure naturali. Hoc verò est, vt subditus in dubijs à superiore regatur.

290 Vnde multò magis tenetur subditus religiosus obedire, cum est certus materiam præcepti esse honestam, & dubitat an sit secundùm regulam, vel supra regulam, siue intra aut supra limites authoritatis superioris. Ideo tunc solùm eximitur subditus ab obligatione obediẽdi, cum ei est euidens, aut est certus præceptũ esse de re illicita, seu superante authoritatem præcipientis, vndecumque hanc certitudinem habeat. Nec tenetur subditus formare iudicium per quod iudicet superiorem id posse, vel deponere conscientiam suam dubiam, vt iudicet materiam illam esse licitam, quia huiusmodi dubium est speculatiuum, eoque existente, & non obstante subditus practicè iudicare debet esse obediendum, & obedire.

SVMMARIVM.

1 *Vbi sit opinio quod materia sit illicita, quod Prælatus non possit præcipere aliqui tenent. numer. 291.*
2 *Reycitur hæc opinio ex suis principijs, 292.*
3 *Vbi res sit indifferens potest præcipi à superiore, num. 292.*
4 *Soluuntur argumento sententia reiectæ. n. 293.*
5 *Superior est iudex proprius ad decernendum in dubijs etiam positiuis quid sit agendum. numer. 294. 295.*
6 *Subditus in dubio positiuo tenetur obedire superiori. num. 296.*
7 *Ex S. Augustino superiorum est consilium de ambiguis, cui subditus tenetur obedire. n. 297.*
8 *Idem ex S. Bernardo. n. 298.*
9 *Subditum non teneri obedire si probabilius sit rem esse illicitam dicunt aliqui. n. 299.*
10 *Explicatur, & probatur. nn. 300. 301.*
11 *Limitantur prædicta remissiue. n. 302.*

291 DVbitatur quartò quid dicendum vbi dubium sit positiuum, & probabile, quia verè vtrumque oppositorum est probabile, quia & est probabile materiam præcepti esse illicitam, & probabile est non esse illicitam. Non teneri in simili casu Religiosum obedire dixit *Lessius lib. 2. cap. 47. dub. 9. num. 76. Ledesma de statibus cap. 4. dub. 5. post 8. conclus. pag. mihi 82. Ledesma de statibus capit. 4. dub. 5. post 8. conclus. pagin. mihi 82. & apud Martinez de Prado cap. 1. quæst. 7. num. 15. Io: Franciscus Giragus de Regimine Regular. par. 3. dub. 30. conclus. 4. & Escobar Mendoza l. 2. Theolog. Moral. problem.* Item idem tenuit Franciscus de Lugo de conscientia *cap. 3. q. 13. num. 79. Anton. à Spir. Sancto in direct. p. 2. tr. 3. disp. 6. num. 164.* vbi hoc extendit etiam si subditus habeat aduersùm se probabiliorem opinionem, & num. 172. vt sit verum etiam si superior sit prudens, & discretus. Hancque probabilem putant *Palaus tract. 1. disp. 2. p. 6. num. 5. Diana part. 2. tract. 13. resol. 10. & p. 4. tract. 4. res. 31. Rocaful lib. 3. de conscient. cap. 14. n. 144.* Probatur verò hæc sententia. Tum primò, quia in foro conscientiæ Confessarius est superior, & tamen non tenetur pœnitens contra propriam opinionem sequi opinionem Confessarij. Secundo nam vnusquisque potest sequi opinionem probabilem, nec tenetur contra propriam operari; igitur subditus potest opinionem probabilem sequi, nec tenetur se conformare opinioni superioris, nulla enim est lex, quæ hoc præcipiat, & aliunde illud asserere est petere principium. Tertiò nec votum, nec iuramentum, nec lex quæcumque aut diuina, aut naturalis, aut Ecclesiastica obligat, quoties pensatis circumstantijs quis probabiliter iudicat materiam sub voto, aut iuramento, aut lege non contineri; ergo neque præceptum superioris obligabit subditum probabiliter opinantem rem imperatam esse illicitam, & ideo non contineri sub eius potestate. Quartò, quia superior non habet, nec possidet nisi probabiliter ius præcipiendi id quod probabiliter est illicitum, & ideo non habet tale ius nisi probabiliter; igitur non potest compellere subditum ad sui obedientiam, quoniam contra ius superioris probabile præualet ius & libertas subditi potentis sequi ex oppositis opinionibus probabilibus quam maluerit.

292 Hæc tamen sententia in suis ipsis principijs est improbabilis & se ipsam destruit. Nam dato eius principio, quòd vbi sunt contrariæ opiniones æquè probabiles, liceat sequi quamlibet illarum, sequitur per necessariam consequentiam, quòd talium opinionum contrariarum obiectum sit apud nos in statu indifferentiæ, ita quòd saluo ordine recti finis possit amari, & odio haberi, tanquam non comprehensum sub aliqua lege vel præcipiente, vel prohibente illud amari. Illicitum enim non est, nisi quod est aliqua lege prohibitum; nam aliàs quòd est aliqua lege præceptum sic se habet, quòd eius oppositum est ex eadem lege prohibitum, & sic illud est bonum. & hoc est malum, & sic id solum quod non est aliqua lege vel præceptum vel prohibitum est res indifferens; Vnde si semel verum est, quòd saluo ordine finis homo potest sequi ex probabilibus oppositis opinionibus quam voluerit, neutrum oppositorum est vel præceptum, vel prohibitum, sed vtrumque est in statu indifferentiæ & se habet tanquam res indifferens quæ eodem statu immutato potest salua iustitia amari, & odio haberi. Cum verò aliàs sit certum, & apud etiam præfatos DD. indubitatum, quòd etiā res indifferentes potest superior præcipere qua-

tenus

tenus aliàs fint secundùm regulam ; ergo certum quoque erit, & indubitatum, quòd poterit superior quodlibet oppositarum opinionum obiectum, si aliàs sit secundùm Regulam præcipere, & subditus tenebitur ei obedire. Declaratur hoc magis, quia sententia illa valde deficit, dum non distinguit inter obiectum opinionis probabilis secundùm se, & vt stat sub adiuncta circumstantia præcepti. Si sumatur secundùm se, seu etiam spectatis alijs circumstantijs secundùm quas non est extra nobis adeo clarè propositum, manifestatum, promulgatum, & intimatum vt sit certum illud comprehendi à lege aliqua præcipiente, aut prohibente, sic stante dictæ opinionis principio illud obiectum est in statu indifferentiæ, nec est necessarium bonum, aut necessarium malum sed est probabiliter vnum vel alterum, & ideo est in statu indifferentiæ vt amari vel odio haberi possit. Sed si consideretur vt habet adiunctum præceptum superioris præcipientis, vel prohibentis ; iam aliud ei adiunctum est ex quo fit vel bonum, vel malum necessarium, cum superior habeat ius vt possit præcipere, vel prohibere rem quamlibet indifferentem si aliàs sit secundùm regulam. Nec est vnde dicatur, quòd obiectum illud est in statu indifferentiæ probabiliter, quia iuxta principium dictæ sententiæ illud obiectum est tale, quòd per prudentiam certam, & infallibilem est amabile, vel abominabile, multò magis igitur sit materia præcepti superioris si illud sit aliàs secundùm regulam, nam superior habet quòd secundùm regulam suum subditum ad actus prudentes dirigere possit.

293 Hinc apparet, quòd eiusdem sententiæ motiua leuia sunt. Primum non est ad rem, dato & non concesso assumpto quod altiorem petit considerationem ; quia Confessarius non habet ius præcipiendi pœnitenti vt abstineat ab aliquo actu, nisi vel iniungat id in satisfactionem, vel id sit necessarium ex parte pœnitentis vt dispositio requisita, vt scilicet fateatur peccatum suum & proponat abstinere in futurum. Et quia ad mentem arguentis pœnitens potest sequi opinionem probabilem, ideo est sufficienter dispositus, vt peccatum vitet, si proponit se acturum iuxta probabilem suam opinionem. Nec propterea aliud sibi potest præcipere Confessarius, qui in hoc non habet nisi limitatam facultatem, quia in arguentis sententia pœnitens est sufficienter dispositus vt absoluatur, si vult non nisi ex probabili veritate operari. Secundum argumentum, vt ex dictis patet, militat contra arguentem, & tertium non distinguit, & non aduertit, quòd in principijs arguentis licet sit probabile quòd obiectum quod probabiliter est bonum & malum potest salua iustitia amari, & non amari, id tamen non est verum si ei adiungatur præceptum, & improbabile est quòd illud obiectum possit contra prohibitionem superioris amari, & iam non est obiectum dubium sed certum, & necessarium, cum certum sit ad tale obiectum extendi præceptum superioris; cum non sit certum in casu argumenti quòd obiectum sit comprehensum sub voto, aut iuramento & ideo non est eadem ratio, quidquid sit de assumpto de quo satis supra est dictum. Ad quantum dicitur, quòd certum est superiorem habere ius præcipiendi aut prohibendi quidquid est in statu indifferentiæ, vt salua iustitia possit amari vel odio haberi. Prædicta igitur sententia sic absolutè, & vniuersaliter intellecta etiam ex proprijs principijs conuincitur à veritate aliena. Quod multò magis ex dicendis apparebit.

294 Confirmantur prædicta ex eo quòd superior Ecclesiasticus præcipuè iuxta proportionem suæ facultatis & authoritatis habet, vt sit iudex, qui & dubia declarare valeat, & opiniones contrarias dijudicare & quid agendum sit in rebus ambiguis, & non certis, sed probabilibus decernere. Hic paulò attentiùs consideranda sunt loca scripturæ sacræ, quæ supra insinuata sunt. *Si difficile* (dixit Deus Deut. 17.8.) *& ambiguum apud te iudicium esse perspexeris &c. surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus : Venie\sque ad sacerdotes leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui tibi indicabunt iudicij veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram*. Sic & 2. Paralipom. 19. 10. superioribus iudicantibus dicitur. *Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum qui habitant in vrbibus suis inter cognationem, & cognationem vbicumque quæstio est de lege, de mandato, de ceremonijs, de iustificationibus, ostendite eis, vt non peccent in Dominum, & ne veniat ira super vos, & super fratres vestros : sic ergo agentes non peccabitis*. Bene video, quòd dicet aliquis, in his testibus sermonem esse de iudicibus ad dirimendas lites institutis. Id admitto & adnoto ex *D. Thom. p. 3. q. 105. a. 2. ad 7. quòd iudices ad hoc inter homines constituuntur, quod determinent quod ambiguum inter homines circa iustitiam esse potest*. Vnde proprium iudicii officium habet pro materia ambiguitates & eius propria actio est in ambiguis decernere quid sit agendum, neque hoc limitari potest ad dubia negatiua, aliter infinitæ lites remanerent interminabiles, cum infinitæ sint in quibus est ex vtraque parte probabilitas, & quidem talis, quòd vtraque pars habet pro se DD. & ex quibus rationabiliter mouetur ad litigandum, & ita vt sæpissimè tanta sit vtriusque partis probabilitas, vt non sit facile discernere ex qua parte iustitia sit. Et certè vbi est contrarietas opinionum ibi propriè habet locum ambiguum, & dubium; quia cum veritas sit vna, & indiuisibilis, & opposita non possit esse simul vera, si sunt pro vtraq; parte opiniones, veritas est dubia, & hoc solùm habetur quòd dubietas est rationabilis. Tamen hæc dubietas illa est, quæ est propria materia iudicis, eiusque proprius actus est dubietatem hanc dissoluere, & quid sit agendum decernere.

295 Et consideratur secundò quòd dari iudices in mundo, est de iure naturæ, aliter non esset prouisum paci & quieti humanæ naturæ, & cum non possint vitari quin in dies circa singularia contingentia infinitæ oriantur ambiguitates, plenus esset orbis terrarum contentionibus, vsurpationibus, iniustitijs, homicidijs, & infinitis malis. Et consideratur tertiò quòd hæc iudicandi facultas conuenit intrinsecè & ex officio superioribus iurisdictionem vel potestatem subditos dirigendi habentibus. Etsi iudicum delegatorum munus est ambigua determinare, multò magis est superiorum habentium ex officio ordinario facultatem dicendi ius.

ius. Nam & iurisdictio dicitur à iure dicendo, vt iurisdictio non sit nisi dictio iuris: & is dicitur habere iurisdictionem, qui potest dicere ius inter partes statuendo, & sententiando cum obligatione subditorum ad habendum id quód dicitur pro iusto. *Sylvest. v. iurisdictio*. At verò neque ad hoc, quòd superior dicat ius, semper est necessarium vt seruet solemnitates iudicij contentiosi, sed iuxta suam facultatem, & negotij seu materiæ exigentiam extraiudicialiter dicit ius præcipiendo, leges condendo, decernendo quid in casibus contingentibus sit agendum. Quia ius dicentis actus est, nedum ortas lites dirimere, sed iuxta amplitudinem suæ facultatis orituras impedire: & damna oritura contra pacem, aut bonum publicum præcauere, & ad hunc finem præcepta dare, aut leges condere. Hinc infertur quartò quód superioris sit leges tam naturalem quàm diuinam, & Canonicam declarare & in ambiguis in casibus singularibus quid sit agendum decernere. Et superioris cuiuscumque est pro sua authoritate videre quid in casibus contingentibus, & singularibus suæ communitati, & singulis de communitate conueniat & sic in casibus contingentibus auferre ambiguitates, & dissoluere dubietates. Quod est dicere, quòd superioris est videre, & in casibus contingentibus decernere secundùm quam ex opinionibus practicabilibus sine peccato sui subditi agere debeant, illosque ambiguitate ablata in rectum finem dirigere.

296 Licet enim interpretari leges generaliter, & authenticè, seu etiam directè ad legum conditores spectet, & solius Papæ sint interpretari hoc modo legem diuinam, & Canonicam, tamen incidenter, & in casibus singularibus hoc conuenit etiam inferioribus superioribus & iudicibus, per *Innocent. cap. cum specialis nu. 4. de appellat. & cap. 1. de postul. Prælat. in 6. Gloss. in cap. cum venissent in v. iudicari de Constitut. Et ibid. Innoc. Host. num. 9. Butr. num. 3. Borb. ver. aut quæri*. Ex quibus secundùm communem Canonistarum sententiam posse inferiores superiores super dubijs literarum Apostolicarum iudicare & pronunciare incidenter deducit *Reuerendiss. Fagnanus in cap. cum venissent num. 41. & 42. de Constitut.* Præterquam in duobus casibus. Primus si dubium sit arduum, & inexplicabile vt notat *Abb. in cap. 1. notab. 8. de suram. calum. & Dec. ad d. cap. cum venissent. nu. 20. & Bart. in l. omnes populi in 3. quæst. 6. quæst. principa. nu. 56 ff. de iust. & iure.* Secundus cum Papa est præsens in loco, quia tunc recurrendum est ad Papam pro interpretat. *Felin. in d. cap. cum venissent num. 1. post Bald. l. cum de nouo, C. de legibus*. Quando igitur incidit in casibus singularibus dubitatio circa legem, superioris immediati est per Glossas communes, vel communes opiniones, aut morales principia, & iuris regulas indicare quid sit agendum in tali casu. Et quatenus dubium sit ita arduum, vt probabili solutione non possit dissolui, adhuc superioris est videre, quid in tali dubio sit agendum pro interim donec dubij solutio habeatur; & eò magis, quód licet in foro externo interpretatio legis ad eum spectet, ad quem & legis editio, tamen in foro conscientiæ pertinet ad quemlibet pro facto suo, vt ex Archidiac. affirmat *Sylvest. v. scrupulus num. 3. fin.* Nam & vti epijcia omnibus licet, vt patet ex *S. Thom. sup. q. 120.* & supra explicatum est à *nu. 243*. Vnde & pro nunc iterum repeto, quòd vbi sit quæstio an lex obliget vel non obliget, vix est dabile dubium negatiuum, nisi in ignorante, & nesciente vti regulis generalibus. Quia vel pro obligatione datur ratio probabilis quæ suadere illam probabiliter possit, & non erit dubium negatiuum, vel talis ratio non est dabilis, & nullum est dubium; quia certum est legem non obligare, si nulla datur ratio, quæ obligationem possit suadere. Sicut econtra nullum est dubium legem obligare, si nulla est ratio probabilis, quæ legem non obligare suadeat. Quamuis ad hoc vt lex obliget necesse sit, vt actio omnibus examinatis saltem probabiliter, & non per simplicem suspicionem aut scrupulum sub verbis legis comprehendatur. Ideo communis sententia est, quòd spectata re per se, & præscindendo à circumstantijs extrinsecis absolutè subditus etiam in dubio positiuo & probabili, seu in concurrentia oppositarum opinionum an materia præcepti sit iusta, seu etiam in casu in quo sit probabilis opinio, quód materia præcepti sit illicita, tenetur superiori præcipienti obedire, quia solùm vbi subditus sit certus, quód materia præcepti sit illicita potest superiori obedientiam negare. Ita senserunt *Sylvest. v. conscientia q. vlt. Tabien. q. 3. Rosell. num. penult. Angelus nu. 5. Ioā à S. Thoma p. 2. disp. 2. a. 6. §. ad 2. Serra p. 2. q. 19. a. 6. dub. 4. Baptista p. 2. tom. 3. disp. 208. dub. 10. n. 785. Texeda tom. 1. trac. 2. Moromres. 4. n. 10. Cord. l. 3. q. 9. in principio. Valent. 1. 2. disp. 7. q. 3. p. 2. corol. 3. Sayr. lib. 1. clauis cap. 12. a. num. 2. Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 3. num. 6. Garz. de benef. par. 11. cap. 5. num. 366. Azor. p. p. lib. 2. cap. 17. q. 9. Layman. lib. p. tit. 1. cap. 5. num. 11. Lezana p p. cap. 4. num. 26. Portell. v. obedientia num. 6. 7. & 8. Miranda tom. 1. a. 1. concl. 8. & 2. Peyrinus de subd. quæst. 1. cap. 7. conclus. 2. Vasquez p. 2. disp 62. c. 1. & 6. Bossius tom. 1. moral. par. p. tit. 1. §. 24. num. 261. Coton. lib. 4. contr. 6. num. Antonius Perez, Torres, Granado, Lorca, Villalobos, Gordonus, Bresserus, Rodriquez. Reginaldus, Hieronymus Rodriquez* & alij quos refert *Bossius, vbi supr. & Diana p. 2. trat. 13. resol. 10. & p. 4. tr. 4. res. 3 1.* & apud eum *Prapositus, Oniedo, & Innipereus. Thomas Hurtado tom. 1. trac. 3. cap. 5. Montesinus p. 2 disp. 29. q. 5. §. 4.* quæ sententia iterum. *Probatur ex S. August. l. 22. contra Faustum cap. 74. & 75.* & refertur *cap. quod culpatur 23. q. 1.* vbi inter alia habet: *Ergo vir iustus, si fortè etiam sub Rege, & homine sacrilego militet, rectè potest illo iubēte bellare ciuica pacis ordinem seruans, cum quòd sibi iubetur vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit, certum non est, ita vt fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi*. Rationem autem huius paulò ante præmiserat ibi. *Ordo autem naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli authoritas, atque consilium penes Principes sit*. Ex hoc enim sequitur, quòd non est subditi inuestigare iustitiam belli, vnde vbi iniustitia non sit manifesta, iustus subditus Principis sine peccato potest bellare, & hoc est naturali legi conforme.

297 Dici autem potest, ex hac authoritate non probari intentum, quia S. Aug. inquit quòd iustus potest, non vero, quòd in hoc casu teneatur bellum agere. Sed responsio vim argumenti non tollit. Tum primò, quia consequentia hæc est necessaria, subditus sine peccato potest agere, ergo superiore

periore præcipiente tenetur agere, quia subditus tenetur obedire si sine peccato certò, securè, & sine dubio potest exequi quod præcipitur. Tum secundò quia ratio si quæ adesset, vt non teneretur esset, quia agendo & obediendo se exponeret periculo peccati, sed hoc periculum omnino de mente S. Augustini tollitur, quia sine peccato subditus exequitur quidquid sibi iubetur, & non est manifestum esse peccatum; igitur nulla est ratio quæ in eo casu subditum ab obediendo excuset. Tum tertiò quia de mente S. Augustini lex naturæ exigit vt suscipiendi belli authoritas & consilium spectet ad Principem; igitur Principe iubente non est, vnde subditus velit ipse de bello consilium sumere, aliàs si non teneretur obedire non solius Principis, sed etiam subditorum esset bellandi authoritas, & consilium, & sine subditorum consilio inaniter Princeps bellum indiceret. Tum quartò quia de mente S. Augustini quod innocentem reddit subditum bellantem in bello forsan iniusto est ordo seruiendi; hic autem ordo non importat solam potentiam, sed etiam obligationem agendi, seruus enim tenetur domino obedire. Tum quintò, quia August. vritur verbo *potest*, quia auxilio sua erat de potestate agendi sine peccato, & ideo inquit, quòd subditus rectè in eo casu potest bellare, quo tamen stante bene sequitur, quòd si potest, etiam teneatur id facere Principe iubente.

298 Secundò hoc idem probatur ex S. Bernardo opusc. de dispensatione & præcepto, in principio, ibi. *Quamobrem quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quàm si præcipiat Deus.* Et infra. *Ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his quæ apertè non sunt contra Deum audire debemus.* Hæc S. Bernardi regula plana est & manifesta, per quam statuitur quòd subditus obedire teneatur vbi non sit certum, & apertum quòd res præcepta sit contra Deum; ad non obediendum igitur non sufficit quòd subditus opinetur rem præceptam esse illicitam, sed necesse est quod hoc sit illi apertum, & certum.


299 Limitatur tamen communis assertio ab aliquibus, qui distinguunt & dicunt, vel probabilius esse materiam præcepti esse illicitam, vel est æquè probabile, aut minùs probabile. Si datur hoc secundum vera est præfata sententia, & subditus tenetur non obstante sua opinione Prælato præcipienti obedire, sed in primo casu si maior probabilitas sit manifesta, per se, & præciso scandalo non tenetur, quia & superior in præcipiendo tenetur sequi opinionem magis probabilem, vnde nec habet ius, nec est in quasi iuris possessione præcipiendi contra probabiliorem opinionem; quia hac facultatem non habet. Ita sentit *Martinez de Prado cap. 1. de conscientia q. 7. §. 7. num. 35.* quod valde probabile dixit *Suarez tom. 5. in 3. partem disp. 4. sect. 6. num. 6.* & probabiliorem asserit *Franciscus de Lugo de Conscientia cap. 3. q. 13. num. 97. & Card. de Lugo tom. 2. de iust disp. 36. sect. 6. nu. 91.* & in simili tenuerunt *Soto in 4. dist. 27. q. 1. a. 3. §. tunc ergo, & Henriq. lib. 2. de matrim. cap. 6. num. 7.* qui dixerunt coniugem, qui probabilius putat matrimonium esse nullum, non teneri reddere debitum. Probatur autem primò hæc opinio: Quia lex debet esse iusta ex *S. Aug. lib. 1. de lib. arbitr. cap. 5. & S. Thom. p. 2. q. 96. a. 4.* At verò lex iusta non est, quando manifestè probabilius est materiam præcepti esse iniustam, quia vt prudenter procedamus tenemur probabiliora sequi. Secundò quia vbi conscientia proponit aliquid vt obligans lege naturali, vel diuina magis obligat, quàm præceptum Prælati ex *D. Th. q. 17. de ver. a. 5. & 2. d. 39. q. 3. a. 3. & D. Anton. p. p. tit. 13. cap. 10. §. 4.* Quæ doctrina certa est etiam in conscientia erronea, & debet extendi etiam ad conscientiam opinatiuam; quia melius est, quando manifestè est probabilius hoc esse illicitum illud non facere, immò ad id superior tenetur: igitur præceptum superueniens nullius est obligationis. Tum tertiò quia non valent fundamenta contrariæ sententiæ: Superior enim nec habet ius, nec est in quasi possessione præcipiendi, quando probabilius est materiam esse illicitam, quia ex hac maiori probabilitate lex Dei præponderat ex parte subditi, vt non teneatur parere, quia superior est in quasi possessione minus probabili, quàm sit subditus. Tum secundò quia mandata & censuræ non cogunt quando probabilior excusatio est ex parte subditi, *argum. cap. 1. de postul. Prælator.*

300 Hæc sententia est vera. Vnde dicitur primò: quòd licet subditus opinione priuata, etiam authoritate aliquorum DD. munita teneat, quod sit magis probabile materiam præcepti esse illicitam, tenetur obedire sua opinione non obstante, si non est manifestum absolutè suam opinionem esse probabiliorem. Primò enim distingui debet obiectum secundùm se sumptum ab eodem vt vestitum circumstantiis præcepti: secundo attendi debet, quòd ad validè præcipiendum in his non est necessaria certitudo quòd res non sit illicita, aliter & falsum dixissent S. August. & Bernard. citati, & falsa esset communissima Theologorum, & Canonistarum sententia, quòd scilicet in dubio Prælato est obediendum, quia immò hoc iniquum esset, si vbi est dubium Prælatus non posset validè præcipere. Tertiò attendi debet quòd maior probabilitas non fert certitudinem, sed semper obiectum relinquit dubium, vnde vt supra probatum est, licet relinquere opinionem, quæ ab aliis iudicatur probabilior, & sequi minùs probabilem, si illa ex pondere rationum videtur probabilior operanti. Quarcò debet considerari, quòd licet cæteris paribus maior probabilitas præferri debeat, tamen subditus necessariò considerare debet duo, primum, quod hæc maior probabilitas sæpius & ipsis quoque doctis hominibus est incognita, & sæpe falsa sunt, quæ nobis videntur probabiliora, & quod probabilitas quæ est de obiecto secùdùm se sumpto potest vinci ex circūstantiis singularibus, ita vt ex eis habeatur vt ex quo prudentia respectu obiecti materialis non requirit certitudinem Epicia iudicet, quod melius sit, & magis conforme rationi rectæ stantibus circumstantiis, & stante quòd non potest haberi certitudo, operari cum minori certitudine de obiecto secundùm se, maiorē certitudine honestatis actionis in indiuiduo ferētibus circūstantiis adiunctis. Secundū & magis inspiciendū est, quod iudicium de maiori probabilitate obiecti in iis, quę sunt secūdū regulā, tā in indiuiduo, quàm secundùm se nō est commissum à Deo ipsi subdito, sed superiori. Et hoc est fundamentum considerandum in præsenti; subditi enim est duci, & regi: Et maximè hoc verum

tum est in Religiosis, qui se totos regendos tradūt superiori. In ijs ergo, in quibus liberi sunt à præcepto, considerent ipsi, quid melius sit, sed iudicium suum omne subdant Prælato. Et cum iam non amplius considerátur obiectum secundùm se, sed obiectum vt præceptum, simul videant, quòd ex vi præcepti maior longè probabilitas aduenit obiecto; quia aduenit iudicium eius ad quem spectat iudicare de maiore, vel minori probabilitate, & de quo præsumi debet, quòd præcipiat id quòd omnibus pensatis sit verè melius, & id de quo subditus non habet ius, vt decernat an sit, vel non sit melius; & ideo regula data à S. Aug. & Bernardo seruari debet, vt scilicet subditus teneatur obedire, vbi non sit certum, quod obedire, sit contra legem Dei.

301 Dicitur secundò, quòd Prælatus non potest præcipere subdito contra opinionem, quæ manifestè, & communiter habetur, vt probabilior. Ratio est, quia huiusmodi opinio censenda est certa moraliter. Et quatenus, vt talis non esset habenda, ex ratione est, quod non compellatur subditus agere id, quod communiter verius, & rationabilius habetur, vt illicitum. Quod maximè verum est, quia in proposito opinio probabilior manifestè est etiam tutior, quia nimirum communiter habetur tanquam probabilius, & tutius quod actio præcepta sit illicita. Vnde multò magis apparet non conuenire, quòd superior ex iudició proprio, etiam aliquorum DD. auctoritate forsan munito, velit obligare subditum ad id, quod manifestè ex communiori sensu probabilius est esse illicitum. Nam si alias probabilius esset, quod materia præcepti non esset illicita, posset sine dubio Prælatus eam præcipere, & etiam ex iusta causa prohibere, quia Prælatus etiam euidenter non illicita potest ex iusta causa prohibere. Tunc verò manifestum est probabiliorem, quando á viris doctissimis, & Magistris præcipuis communiter, vel magis communiter habetur vt talis, vnde etiam præsumi potest, quód secundum illam viri pij magis communiter viuunt. Nam certè, & absolutè illa opinio est probabilior practicè, quæ communius à pijs viris, & doctis seruatur. Vbi autem dubium non sit merum dubium iuris, sed concernens dubium facti, vt cum ex facto consurgit superioris potestas, vt vbi non potest validè præcipere, nisi hac vel illa causa præsupposita, & maximè vbi præceptum cōcernat damnum aliquod subditi, & dubium esse possit, an in facto superior iustè, & validè præcipiat, ex eo quod dubium sit, an simus in facto, in quo possit validè præcipere, si subditus ipse probabilius iudicet superiorem iustè præcipere, tenetur obedire, sed si probabilius iudicet oppositum, & nihilominus superior persistat in exigenda obedientia, obediendum est, nisi benè omnibus pensatis, & prudentibus consultis si opus sit, manifestum sit probabilius esse, & verius, quod Prælatus non possit præcipere, quod præcipit.

302 Veritas tamen in his duobus dubijs asserta variè limitatur, & de his limitationibus videndum erit in sequentibus.



SVMMARIVM.

1 *Vbi Prælatus potest in lege dispensare et in dubio est obediendum. num. 303.*
2 *In dubio an possit Prælatus tollere concessionem superioris, est ei obediendum. nu. 304.*
3 *In dubio debet subditus obedire Prælato præcipienti ne ieiunet. num. 305.*
4 *In dubio an sit dignus officio debet subditus obedire superiori iniungenti officium. nu. 306.*
5 *In dubio subditus debet deponere dubium practicum. num. 307.*
6 *Quid si non valet illud deponere? num. 307.*
7 *Si subditus certus est se non peccare non obediendo, debet non obedire. nu. 308.*
8 *Sufficit præceptum tacitum ad hoc, vt subditi teneantur obedire. num. 309.*
9 *Subditus non tenetur inquirere, an præceptum superioris sit illicitum. num. 310.*

Corollaria aliqua deducuntur.

303 EX resolutione tertij & quarti dubij, nonnulla deducuntur speciali consideratione digna. Et quidem primò sequitur, quòd dū dicitur subditum non teneri obedire si præceptū sit contra regulam, vel contra superioris ordinationem; hoc non valet si superior possit in regula aut præcepto maioris superioris dispensare, & ex causa iusta dispenset, vt tradit *Caiet. supra q. 104. a. 5. ad 3. Syluest. v. religio 6. q. 6. Tabien. v. obed. q. 11. n. 12. Nauar. sum. cap. 23. num. 38. Rosel. v. obedientia nu. 10. Angel. v. religiosus num. 19. Sanchez l. 6. mor. c. 3. n. 8. Donatus d. trac. 17. q. 20.* Ideo etiam si subditus sit certus præceptum superioris esse contra regulam, si tamen sit dubius an præcipiens vel possit in regula aut superioris præcepto dispensare, vel an habeat iustam causam dispensandi, debet subditus obediri, vt tradunt *Sylvest. Tabien. Rosel. Ang. Nauar. Sanchez citati.* Quia in dubio standum est Prælati iudicio, & pro eo præsumendum est in conscientia, vt tradunt *D. Thom. supra q. 88. a. 12. ad 2. Palud. 4. d. 38. q. 4. a. 4. num. 40. D. Anton. 2. p. tit. 12. c. 2. §. 9. notab. 3. Sylvest. verbo votum 4. q. 6. Nauar. sum. prælud. 9. nu. 13.* Quare dum *Caiet. supr. citat. & Tabien.* dicunt, non obediendum Prælato absque causæ discussione dispensanti, intelligendi sunt quando constet subdito eum sine iusta causa dispensare.

304 Sequitur secundò quòd vbi vel in regula, vel ex maioris superioris licentia conceditur subdito aliqua facultas aut licentia, si quidem hoc concedatur ablata libertate superiori immediato facultatem illam tollendi, aut moderandi seu limitandi ex iusta causa, non tenetur subditus obedire Prælato facultatem illam neganti vel in toto, vel in parte. Sed si non interdicitur superiori inferiori facultas limitandi aut tollendi illam licentiam, & sit dubium an superior inferior habeat iustam causam id faciendi, vel etiam sit dubium an habeat ad id facultatem tenetur subditus obedire, vt docent *Cordub. in reg. S. Franc. cap. 10. q. 6. dicto 6. & Sanchez loco citato. num. 9. Bossius p. 20. tit. 1. § 39. num. 810.* & apud eum *Bresserus.* Quia standum est in dubijs superioris iudicio.

305 Inde

305 Inde tertiò sequitur, quòd vbi religiosus dubitet an teneatur ieiunare, vel officium recitare, tenetur obedire Prælato præcipienti ne ieiunet, aut officium recitet: quia tunc Prælati præceptum est valida legis interpretatio, vt tradunt *Sot. de secret. membr.3.q.2.conc.2.p.Salas p.2.q.21.tract.8.disp.vnica sect.17.num.155. citans Cordubam, & Sanchez l.6. mor.c.3.num.10.Baptista d.disp.209.num.1348. Boss. dict. tit.1.nu.1811. Palaus tract.1.disp.3.p.13.nu.15.*

306 Sequitur quartò religiosum qui est dubius an sit dignus exercere aliquod officium vel concionatoris, vel Confessarij, vel Prælaturæ, quia dubitat an habeat scientiam, vel aliquod aliud necessariò requisitum, teneri obedire superiori tale officium iniungenti vt docent *Sylvest. v. Confessor 3. q.3.Navar.sum.cap.4.num.9.& 14.Med sum.l.1. c.5. Suarez tom.4.in 3.part.d.28. sect.2.nu.7. Rodriq.sum. cap.61. Boss. vbi supra num.1812. Sanchez l.6. c.3. num. 11.* Vbi non approbat quod refert ex *Palud.4. d.19.q.1.a.1.num.7.& D.Anton.3.p.tit.16.c 1 §.7.& tit.17.cap.16.§.1.& Sylvest.v.Confessor 3 §.2.fine*, scilicet minorem scientiam requiri in religioso audiente confessiones ex obedientia quā sua sponte, quia semper requiritur sufficiens scientia, neque superioris obedientia supplere potest ignorantiam confessarij. Sed licet hoc verum sit, tamen securiùs exercet officium Confessarij, qui id facit ex obedientia, licet cum minori scientia, quàm faciat, qui illud sponte haber carens securitate, quam iudicium superioris fert, & in hoc sensu intelligi debent DD. citati.

307 Quòd si dubium subditi non sit speculatiuum, sed practicum, quia verè dubitat an obediendum sit Prælato præcipienti rem hanc, de quā dubitat an sit illicita, tenetur subditus hoc dubium deponere, & sine dubio superiori obedire, quia habet iustam causam illud practicè deponendi, licet maneat dubium speculatiuum de re præcepta an sit illicita, vt docent *Mol.tom.1.de iust.disp.113. Sayr.in Clau.Regia l.1.c.13. num.19. Salas p.2.q.21. tract.8. sect.26.num.268.Sanchez l.6.mor.c.3. num.12.* Quòd si ita sit perplexus inuincibiliter ex erronea conscientia, vt dubium deponere non valeat, sicque dubitet an obediendum sit, vel non, si iudicet sibi licere facere quod sibi minùs malum videtur non peccare, vel si neq; hoc diiudicare valet, quia quidquid faciat non liberè facit, vt tradunt *Henriq. l.12. c.6.num.7.Sanch lib.6 mor.cap.11.num.14. Laym. l.1. trac.1.cap.4.num 4.Bossius p 4.tit.1.§.11.num. 54.Reginal.l.13.num.86.& 88.Bald.l.4.sum.d.nu.11.* quod tamen vt dictum est, verum esset si essemus in casu ignorantiæ, vel erroris inuincibilis; sed saluo libero vsu rationis casus est impossibilis, quia conscientia erronea libera est, & deponi potest, & continet errorē, seu ignorantiam vincibilem, & ideo si ex conscientia erronea sic vincibili subditus dubitaret an obediendum esset Prælato aliàs validè præcipienti peccaret siue cum tali dubio obediret, siue etiam præceptum trangrederetur, iuxta doctrinam *D.Th. q.17.de ver.a.5. Baptista p.2. disp.207.p.229.*

308 Sed si subditus sit certus se non peccare non obediendo, quia certus est materiam præcepti esse supra potestatem præcipientis, tunc omne aliud dubium debet deponere, vel si dubitat practicè an sit obediendum, vel speculatiuè an res sit illicita, debet non obedire, quia non obediendo securus est non peccare 13. *Decembris 1656. Corduba l.3. q.7. Rodriq. p.3. q.19. a.5. Salas trac.8. nu.156. Sanchez. d.cap.3.num.14.Peyr.d.subd.q.1.cap.7.*

309 Quæri autem potest quodnam præceptu requiratur, ad hoc vt religiosus subditus in dubio teneatur obedire. Respondet autem *Caiet. infra q.169.a.2.circa respons.ad 4. dub.2.* non esse necessarium præceptum expressum, sed sufficere tacitum, nimirum quia v.g. Rex indicit bellum contra alium regem. Tunc enim subditi etiam dubij de iustitia belli possunt sumere arma pro suo rege, quia eo ipso quòd rex bellum indicit, vult vt eius subditi arma sumant. Et Caietanum sequitur *Sanchez l.6. mor.c.3.num.17.*

310 Quæri quoque potest. An religiosus dubius saltem si potest teneatur inquire an præceptū sit honestum, vel potius statim possit obedire. Nam affirmant *Rosel.v. bellum num.4. & Angelus num.8. & Sylvest.1. q.9. & v. obedientia q.2.* Nam detinens rem, quam dubitat suam tenetur inquirere veritatem, sicut & coniux dubius de valore matrimonij tenetur eandem apponere diligentiam. Verùm dicitur, non esse eandem rationem; quia tam possidentis rem quam dubitat suam, quàm coniugis dubij est inquirere veritatem, sed subditi non est inquirere an superioris mandatum sit, vel non sit iustum, aut conueniens, sed eius est mandatum exequi, vt tradit *D.Thom.q.17. de verit.a.5.ad 4.* Nam aliàs subditi non essent à Deo remissi in dubijs cōsilio & iudicio suorum superiorum, si tenerentur aliorum consilium accipere. Sed immò ex hoc frequentius subditi occasionem non obediendi superiorib. in præiudicium disciplinæ regularis. Et ideo subditum dubium de valore præcepti superioris ex parte materiæ præceptæ non teneri aliud inquirere, sed posse statim obedire docent *Gabriel 4. d.13.q.4.a.2.Nauar.l.2.de rest. cap.2.d.12. nu.261.& 266.Valent.2.2.d.7.q.3.p.2.corroll.2.Sanchez l.6. mor. c.3.n.19.Boss p.2.tit.1.n.1820.Donat.to.3.tr.17.q.22.*

SVMMARIVM.

1 *Subditus in arduis humiliter potest replicare superiori. num.311.*
2 *Si superior persistat in præcepto obediendum est. num.312.*
3 *Superiori præcipienti illicita non est obediendum. num.312.*
4 *Vbi sit manifestum periculum scandali non est obediendum.num.313.*
5 *Potest peti consilium ad videndum an præceptum sit iniustum.num.313.*
6 *Peccat subditus ex ignorantia vincibili obediens præcepto de re illicita. nu.314.*
7 *Subditus Prælato rationabiliter præcipienti tenetur subditus obedire, etiam si certus esset, quod non faciendo quod præcipitur non peccat.nu.312.*
8 *Vbi superior sit dubius de iustitia præcepti non est ei in dubio obediendum.nu.316.*
9 *Nisi constet subdito de iustitia.nu.317.*
10 *In dubio huiusmodi admonendus Prælatus. numer.317.*
11 *Quando superior censendus sit dubius.nu.318.*
12 *Quid de superiore dubio dispensante. nu.319.*
13 *Dispensatione Papa non subreptitia secure quisque vtitur.num.320.*

14 *In dubio facti non est superiori obediendum; & quando, & quomodo. num.321.*

15 *In dubijs si materia sit valde difficilis non esse obediendum, quidam dicunt. nu.322.*

16 *Reijcitur. Difficultas non eximit ab obedientia. num.323.*

17 *Subditus non habet ius non obediendi in difficillimis. num.324.*

18 *In ijs non est necessarium consilium. nu.325.*

19 *Si ex obedientia immineat malum qualiter secundum aliquos sit obediendum. nu.326.*

20 *Vbi lex talis est, vt eius transgressio ex nulla causa possit excusari semper est obediendum, vel nunquam si pracipiatur contra legem. numer. 327.*

21 *In dubio circa fidem non licet Pralato obedire si pracipiat absolute vnam partem teneri. numer. 327.*

22 *In dubio cum damno sui subditum non teneri obedire, quidem affirmant. nu 327.*

23 *Vbi Pralatus procedit, vt director in bonum in dubio etiam cum suo damno tenetur subditus obedire, nisi sibi constet de irrationabilitate pracepti, num. 327.*

24 *Vbi superior procedit vt index, subditus cum sui periculo non tenetur ei in dubio obedire: numer. 328.*

25 *Si probabilius sibi est iudicem legitime procedere tenetur obedire. num.329.*

26 *Nec in damnum proximi tenetur subditus obedire iudici in dubio. num.329.*

27 *In dubia vbi minus malum timetur ex dilatione obedientia, obedientia differri potest, si tamen ex causa rationabili superior prasentem obedientiam non exigat. nu.330.*

28 *In dubio an conditio sit impleta praceptum conditionale non obligat, subditus tamen tenetur inquirere an conditio sit impleta. num.331.*

29 *Pradicta vera sunt etiam si superior pracipiat sub censura, &c. num.332.*

30 *Non posse Pralatum pracipere subdito, vt non operetur secundum opinionem probabilem, quidam dicunt. num.333.*

31 *Non potest subditus à Pralato prohiberi, quin opinetur circa obiectum opinabile. nu.334.*

32 *Potest Pralatus pracipere subdito, vt nec doceat, nec agat secundum aliquam opinionem probabilem. num.334.*

33 *Non potest Pralatus pracipere, vt subditus suam sequatur opinionem. potest vero prohibere ne contrarium doceat, vel ne operetur secundum contrariam opinionem. num.335.*

34 *Non sine magna discussione possunt Pralati habere hanc, vel illam opinionem, vt improbabilem, num.335.*

311 PRincipale tamen assertum hoc, quòd in dubijs necesse sit obedire Prælato multipliciter explicatur, & limitatur. Primò enim sic intelligi debet, vt vbi vel grauia præcipiuntur, vel ex quibus aliquod damnum, aut scandalum oriri potest, liceat humiliter replicare, & secundum vel tertium præceptum expectare donec constet de voluntate absoluta superioris. *Turrecrem. in cap.68. reg. S. Bened. & ibid. Caramuel num. & ex Aluarez, & Rodriq. Peyr. in subd. q.1. cap.14.* Nam & huius similis replicationis exempla manifesta habemus in *Abraham Gen.18. in Moyse. Exod.3. in Ezech 4. in Petro Apost. Act.10.* & id expressè docuit *S. Bened. in reg. c.68.* & probatur *ex cap. si quando de rescript. & cap. cum teneamur de prabend.* Quod locum habere potest etiam tunc, cum subditus præsumere potest in Prælato ignorantiam alicuius circumstãtiæ, vel aliquam falsam præsumptionem. In his enim casibus vtile, & bonum est, immò & necessarium si ex obedientia dubitetur de aliquo damno graui admonere superiorem. *Anton. tamen à Spir. Sancto num.* distinguit inter præceptum secretum, & publicè datum coram communitate. Et supradicta admittit de præcepto secretè dato, non tamẽ si præceptum detur coram communitate, nam in hoc casu, si subditus replicaret, & Prælatus præciperet, quòd taceret in virtute sanctæ obedientiæ, peccaret mortaliter subditus non tacendo, quia ad disciplinam regularem pertinet, vt res communitatis sine strepitu cum pace tractentur. Verùm aliud est, quòd subditus si replicet superiori præcipienti humiliter, superior possit illi præcipere vt taceat & ille teneatur obedire, aliud est, quòd non possit humiliter, & salua reuerentia replicare. Hoc secundum licet semper; siue præceptum secretò, siue publicè detur, & simul datur causa rationabilis replicandi, & replicatio non procedit ex contumacia, & rebellione, vel ex praua voluntate non obediendi, sed ex iusta causa ortum habet.

312 Sed si replicante subdito Prælatus persistit in præcepto, & præcipit subdito vt taceat, & obediat, ille debet obedire & tacere. In quo tamen distingui debet, quia si præceptum nihil aliud mali adiunctum habeat, nisi quòd est graue subdito, ille obedire debet. Sed si præceptum esset manifestè iniustum ex parte materiæ, quia obedire esset manifestum peccatum mortale, aut veniale subditus nedum non teneretur, sed nec posset licitè obedire Prælato, etiam coram communitate præcipienti, & licet tunc præcipiente Prælato abstinere deberet à contentione verbali, si esset indecens, aut superflua, tamen subditus constanter deberet obedientiam recusare, & aliàs salua omni modo possibili reuerentia erga superiorem, præceptum non obseruare.

313 Et idem dicitur, si ex obseruantia immineret manifestè aliquod scandalum. Nam in hoc casu etiam si præceptum superioris aliàs esset iustum, ei non esset obediendum, vt post *Panorm. in cap. t. de elect. num.7 Graff. p.p. lib.2. cap.67. num.14. Reginald. l.17. num.273. Angelum v. obedientia nu.2.* tradit *Peyr in subd. q.1. c.7. post 4. conclus. vers. sicut econtra.* Et probatur *ex cap. cum teneamur. de praben.* Et ratio est manifesta; quia lex de vitando scandalo est diuina, contra quam non valet hominis præceptum. Vbi tamen periculum non est manifestum, seu aliàs non constat præceptum superioris esse iniustum, si subdito humiliter replicante, superior non acquiescit, in dubio ei absolutè obedientiam exigenti parendum est. Et licet Brisserus apud Bossium putauerit, Religiosum posse sumere consilium an sit obediendum Prælato, quod posset esse vtile, si præceptum non vrgeret, & constare posset de iniustitia præcepti, nam ad hunc finem vtile posset esse huiusmodi consilium; tamen vt videtur *Bossio d. tit.1. nu.t821.* non licet accipere consilium ad nõ obedien-

obediendum in dubio, quia in his subditus non aliorum consilio, sed superioris præcepto stare debet, saluis limitationibus sequentibus.

314 Limitatur autem primò vt in ijs dubijs non sit obediendum Prælato in quibus ignorantia non excusat, *Anton. à Spiritu Sancto tractat. 3. disput. 6. numer.* 127. huius limitationis dat exemplum dicens, vt sunt articuli fidei, præcepta Decalogi, vota solemnia. Nam in huiusmodi si ignorantia non excusat, iam iniustitia præcepti est de se manifesta; & si forsan subdito sit dubia, erit hoc ex eius negligentia, & sic præceptum non est verè dubium nisi ex negligentia, & ideo in huiusmodi casibus peccat tã superior præcipiens, quàm subditus obediens contra diuinum præceptum ex ignorantia voluntaria. Vbi ergo subditus tenetur scire manifestam iniustitiam præcepti, peccat si ex ignorantia culpabili & vincibili præcepto iniusto obedit.

315 Limitatur secundò vt subditus non teneatur obedire in casu, in quo ex vna parte vel sciret, aut valde dubitaret esse peccatum id, quod præcipitur, & ex alia subditus certus esset se non peccare non obediendo. Ita ex *Rodriq. tom. 3. q. 19. a. 5. & Sanchez l. 6. c. 3. num. 14. & Salas p. 2. tract. 8. sec. 17. num.* 156. dicunt *Peyr q. 1. de subd. cap. 7. dicto 3. Tambur. de iure Abbatum tom. 2. disp. 21. q. 12. num. 4. fin. Anton. a Spir. Sancto trac. 3. disp. 6. num.* 128. Huius tamen limitationis prima pars non spectat ad limitationem assertionis, quia vbi manifestum est, & subditus propterea scit quòd obedire est peccatum manifestum est nos esse extra quæstionem, in qua solùm asseritur, quòd est necesse in dubio obedire, & pro constanti habetur illicitum esse parere, vbi constat de iniustitia præcepti; secunda autem pars sua difficultate non caret, quia sæpius contingit, quòd in dubio pars minùs tuta sit longè probabilior, & verior; vnde est, quòd in eo casu non est necesse sequi partem tutiorem, quæ est illa, in qua certum esset nullum esse peccatum: sed immò pars altera opposita verior, & rationabilior est sequenda, & hæc est illa, quæ debet censeri tutior, vt nouissimè tradit *Reuerendiss. Fagnanus cap. Ne innitaris num. 225. de Const.* Vbi ergo in dubio superior præcipiat secundùm partem iudicatam veriorem, & magis rationabilem immo vt dictum est supra num. 301. si non constat esse probabilius, quod res præcepta sit illicita, etiam si aliàs certum esset sequendo alteram partem nullum esse peccatum non obedire, tenetur obedire, quia superior rationabiliter præcipit, & subditus sequendo voluntatem præcipientis ad nullum periculum se exponit, & ideo cõscientiam erroneam deponere debet & obedire. Non ergo attendi debet si subditus sit certus, quòd non obediendo non peccat, sed considerari debet an superior rationabiliter præcipiat, & vbi non cõstet vel constare debeat de irrationabili præcepto superioris, in dubio est illi obediendum. Et subditus tunc est certus non peccare, quia est certus non peccare obediendo, vbi sibi nec constat, nec constare debet, quòd superior iniusta non præcipit. Et certe cum vbi est dubium an actio sit illicita, pars tuta, in qua est non peccatum, sit talem, actionem non habere, nunquam, vbi sit tale dubium, esset superiori obediendum, quod est falsissimum.

316 Limitatur tertiò si dubium de valore præcepti ex parte materiæ sit dubium, quia nedum subditus, sed etiam superior præcipiens dubitat, vel an res præcepta sit licita, vel an sit supra potestatem suam. Nam hoc dubium eneruat vim possessionis ipsius superioris, cum nec ipse sit certus se posse præcipere quod præcipit. Ideo subditum in hoc casu nec teneri nec posse obedire docent *Bannes 2. 2. q. 40. a. 1. d. 6. concl. 3. Petrus Ledesma 2. tom. tract. 3. cap. 13. conclus. 21. Salas loco sup citat. nu. 375. Rodriq. 1. tom. sum. c. 126. concl. 4. num. 7. Sanchez lib. 1. mor. c. 3. num. 21. Mercorus 3. p. praxis opinion. nu. 20.* nec obstat *cap. non culpatur. 23. q. 1. desumptum ex S. Aug l. 22.* contra Faustum vbi dicitur, quòd iniquitas præcipientis non excusat subditum ab obediendo; Hoc enim est verum quando superior est iniquus ex parte modi præcipiendi, vel ex fine, non verò quando iniusta præcipit, seu quando præcipit id, quod non potest præcipere, vel est dubius an præcipere possit, non puro dubio practico de honestate sui actus sed etiam dubio speculatiuo de honestate materiæ præceptæ.

317 Econtra enim si superior verè potest præcipere quod præcipit, licet ex errore de hoc dubitet, & subditus de honestate præcepti & eius validitate ex parte materiæ sit certus, & ex consequenti de præcipientis facultate, tenetur obedire. Sicut qui certus est rem esse alienã tenetur illam reddere domino dubitanti an sit sua. Et coniux certus de valore matrimonij tenetur reddere debitum coniugi petenti, licet ex errore dubitanti; Quia tunc obedientia verè est debita superiori, & hoc est certum subdito, & ideo tenetur obedire. *Sanchez vbi sup.* & idem dicendum est, si subditus saltem in rei veritate credat probabilius & verius esse, quòd præceptum sit de re honesta, quàmuis Prælatus ex errore credat, vel dubitet se rem non honestam præcipere. Et sic Prælato obediendum est, si rem honestam præcipit, vel si in dubio se rem honestam præcipere iudicat. Quod verò nonnulli hic distinguunt inter Prælatum doctum & indoctum, pium aut non pium; non iuuat ad negandam illi obedientiam; sed ad hoc, vt si subditus timeat præceptum fuisse inconsideratum, aut inuoluntarium admoneat Prælatum. Cui tamen obediendum erit, si in præcipiendo persistat.

318 Sed quando superior censendus est dubius de iustitia sui præcepti? Quando neutri parti adhæret, & nec iudicat se posse præcipere, nec iudicat se id non posse, sed est anceps, & suspensus. Plusquàm dubius verò est, si probabilius putat suum præceptum esse iniustum vel de hoc est certus. Sed quid dicendum si ipse vtramque opinionem oppositam iudicat probabilem? Si ipse ex parte sui vni adhæret ratione motus non est dubius, si tamen opinio cui adhæret est si non posse præcipere, plusquàm dubius est censendus si verò nulli adhæret est verè dubius de rei veritate, licet sit certus de probabilitate vtriusque partis. Quod si Prælatus sit eius sententiæ, quòd possit veritate non indagata sequi opinionem probabilem, & ex hac sententia sic non indagata aliter veritate, præcipiat credens se posse præcipere; nunquid ei est obediendum, si sit dubium præceptum esse de re illicita? Hoc idem est ac quærere, an sit obediendum superiori præcipienti ex errore, aut ignorantia. Admoneri igi-

tur debet, quòd si admonitus non examinato negotio in hoc resistat, vt ex solo iudicio probabilitatis præcipere velit ei in dubio non est obediendum; quia nec ipse id potest præcipere. Nec iudicium quod à superiore ex errore aut ignorantia voluntaria procedit, ex natura sua est tale, vt possit in re dubia conscientiam subditi assecurare. Sed quid si plenè examinato negotio adhuc superior manens perplexus circa rei veritatem, solùm ea iudicio probabilitatis se determinet vt rem dubiam præcipiat. Hunc casum nego esse possibilem, quia non est possibilis hæc omnimoda æqualitas motiuorum, & saltem nunc ex circumstantijs aderit vnde superior ad vnam partem se determinet, & ei erit obediendum. Ad hoc tamen vt subditus excusetur necesse est vt sit certus de dubio superioris, nec sufficit de hoc qualibet opinio etiam probabilior, quia vbi non sit certum Prælatum iniusta præcipere est illi obediendum, admonito priùs Prælato, vbi de eius errore, & ignorantia sit dubium, vt dictum est.

319 Eadem verò distinctione vtitur de superiore dubio, vel non dubio Mercorus vt soluat aliam quæstionem, an scilicet subditus licitè vtatur dispensatione sui superioris quando etiam superior est dubius an possit dispensare. In qua quæstione negat *Bonac. de legib. disp. 1. q. 2. p. 3.* sed affirmant *Sanchez lib. 4. sum. c. 45. & Syluest. v. dispensatio q. 10.* Sed in hac parte parum facere puto ad valorem dispensationis, si aliàs adest in superiore voluntas & potestas dispensandi, & in subdito causa iusta dispensationis, quòd superior dubitet an licitè, vel non licitè dispenset; Nam nec dispensatio esset inualida, si ex pessimo fine dispensaret, nec ad valorem dispensationis spectat quòd superior ex errore extraneo dispenset, dum adest causa legitima dispensandi, & voluntas id faciendi, & potestas. Potiùs aliter est distinguendum an scilicet Prælatus dispensando simul præcipiat subdito vt vtatur dispensatione, vel id non præcipit. Si id præcipit subditus non tenetur aliud inquirere, & potest & tenetur obedire iuxta dicta supra num. 303. sed si superior non præcipit, sed solùm dispensat, si verè est dubium de eius potestate, vera est opinio Bonacinæ, nec potest subditus vti dispensatione nedum si superior dubitat, sed etiam si nihil dubitat de potestate dispensandi; quia in hoc casu non intrat lex naturalis præcipiens vt in ambiguis stemus superioris sententiæ & aliàs dispensatio quæ est legis vulnus incerta est, nec licet contra legem certam ex incerta dispensatione agere. Si tamen in hoc casu dubium non sit merè negatiuum, sed positiuum, quia ex vtraque parte sunt opiniones probabiles, & Prælatus nec tacitè præcipit subdito vt vtatur dispensatione, sed in sua illum reliquit potestate, tunc adest casus an teneatur, vel non teneatur sequi opinionem probabiliorem, de quo satis supra dictum fuit.

320 Si verò loquamur de Papa dispensatore, de quo non est disputandum à subdito an possit, vel non possit dispensare, bene idem Mercorus art. 22. docet, quòd dispensatus tutò potest vti dispensatione, non obstante quacumque opinione in contrarium, quia omnem opinionem contrariam vincit factum Papæ non subrepititium, sed ex sufficienti notitia negotij procedens; si tamen dubitaretur de Pontificis voluntate, quia dispensatio fuisset subreptitiè extorta, dispensatio non valeret, non ex defectu potestatis, sed voluntatis; aliàs verò non est censendum quòd Papa sciens dispenset, nisi teneat se posse dispensare. Aliàs verò si posset omnibus pensatis, & supposita dispensatione esse verum dubium negatiuum de potestate Papæ dispensantis, dispensatio non valeret, quia dispensatio incerta non præualet contra certam legem.

321 Limitant secundò si dubium sit dubium facti, vt v. g. si quis dubitat an sit irregularis, & superior non potest in irregularitate dispensare; tūc enim si superior præcipiat id, quod impedit irregularitas, subditus non tenetur obedire. *Vasquez p. 2. d. 66. num. 50. Sayr. l. 1. c. 13. num. 38.* Quia irregularis in dubio debet se habere vt irregularem. *Sanchez l. 6. mor. c. 3. num. 22. Bossius num. 1822.* Sed hoc intelligi debet iuxta dicta supra num. 301. & 315. Et tamen vt Vasquez aduertit, cum multùm fidendum sit prudentiæ superioris, in eo etiam casu contingere posse, vt subditus debeat dubium deponere, & obedire.

322 Limitant tertiò si superior præcipiat subdito rem valde difficilem, & austeram, & iure merito multùm molestam vt longam abstinentiam, aut longum iter; quia in hoc casu saltem subditus dubius an res præcepta sit supra regulam, aut supra potestatem præcipientis, potest differre obedientiam donec consulat & videat & sibi constet se teneri obedire. Ita *Sotus de secret. membr. 3. q. 3. conclus. 2. Lopez l. 1. Instruct. cap. 56. Sayr. l. 1. c. 13. num. 40. & l. 12. c. 18. num. 7. & 18. Salas loco citat. num. 154. Sanchez loc. citat. num. 23.* quia in hoc casu magna difficultas stante dubio præponderat ex parte libertatis subditi. Idem tenet *Martinez de Prado cap. 1. de conscientia q. 7. §. 4. num. 20.* & apud eum *Medina p. 2. quæst. 19. a. 6. §. ex his principijs, Thomas Hurtado tract. 3. num. 28. Baptista disp. 209. dub. 13. concl. 3.* Ratio autem huius opinionis est, quia ex *D. Th. p. 2. q. 101. a. 1. ad 3.* ad impossibilia subditos non tenetur obedire, par verò potest esse difficultas in impletione rei difficilimæ ac in implendis multis mādatis de rebus paruis. Secundò quia *cap. si quis ingenuus 29. q. 2.* qui duxit fœminam quam opinabatur liberam, iuxta expositionem *D. Thom. in 4. dist. 36.* in expos. literæ non tenetur reddere debitum, ne sibi præiudicet, quod & docent *D. Bonau. & alij 24. DD.* quos refert *Sanchez lib. 2. disp. 43. de matrim. num. 2.* & qui in hoc tenent oppositum, ex hoc mouentur, quia putant talem non sibi præiudicare, ergo eum præceptum est nimis difficile excusatur, vt de re moraliter impossibili vel excedente authoritatem Prælati. Tertiò quia licet S. Benedictus in regula cap. 68. dicat, quod subditus etiam in grauibus, & impossibilibus debet obedire, hoc est consilium non præceptum, quoniam vt sumitur ex *D. Thom. 2. 2. hac quæst. a. 9. ad 3. & quodl. 9. a. 4.* & probant *Turrecrem. 3. p. tit. 16. & Syluest. v. Religio 1. q. 10.* non omnia contenta in Regula S. Benedicti cadunt sub præcepto.

323 Verùm cum supra probatum sit, quòd difficultas ex se non excusat ab obedientia, si aliàs quod præcipitur sit secundùm regulam, in hoc casu dicendum est quòd & verosimile & probabile iudicauit *Palaus tom. 1. disp. 3. q. 13. num. 8.* quia nimirum etiam si in materia dubia superior præcipiat difficil-

difficillima ei sit obediendum. Quia nec excusat difficultas, quia obedientia respicit omnia, nec est limitanda, & maximè ad iudicium, & indiscretionem subditorum, qui vt non obediant infinitas difficultates fingent; & qui ex vi voti tenetur ferre crucem non obligatur ad facilia, sed ad difficilia, & aliàs, vt probatum est etiam ad pericula vitæ se extendit obedientia. Nec excusat dubitas materiæ, quia immò hæc est propria materia superioris, vt in dubijs possit decernere quid sit agendum. Non est ergo vnde dicatur, quòd difficultas præponderat dubiæ possessioni superioris, quia nec ius, nec possessio superioris est dubia, sed super materia dubia iurisdictio superioris est certa, cum eius officium sit in ambiguis iudicare & determinare.

324 Quæ verò in oppositum adducta sunt non probant. Non quidem primum, quia D. Thom. loquitur de impossibili, nos verò de difficili, at verò manifestũ est, in immensum disparem esse rationem inter difficile & impossibile. Quod verò adducitur ex *cap. si quis autem 29. q. 2.* non est simile. Ibi enim agitur de præiudicio ad quod vitandum coniux habet ius contra alium coniugem, vnde coniux qui opinabatur fœminam esse liberã si non tenetur reddere debitum, est, quia habet ius vt sibi non præiudicet, & ideo si reddere debitum illi præiudicat, habet ius vt non reddat. Sed subditus nullum habet ius contra superiorem, vt sibi non obediat in difficilibus, nec difficilia sunt extra latitudinem obedientiæ, vnde non est simile. Quod verò ex S. Benedicto adducitur, bene ostendit quòd difficultas etiam si sit aliqua impossibilitas est materia voti obedientiæ, & dictum illud esto non cõtineat præceptum speciale & positiuum impositum per regulam, exprimit tamen legem connaturalem voti obligantem ad obediendum etiam in difficilibus.

325 Sed dices, nunquid tunc saltem non poterit subditus accipere interim consilium à viris doctis, vt videat, quid teneatur agere? At verò ad quid proderit hoc consilium? Non nego quin possit prodesse si ex hoc possit tolli dubietas, & apparere possit quòd certè materia præcepti sit illicita; sed stante dubietate non est, quòd consilium recipiatur, quia subditus obedire tenetur. Et si præceptum vrget, statim est illi obediendum.

326 Limitant quartò si ex obedientia immineat graue damnum subdito obedienti vel alteri, vt si subditus dubitet dubio tamen negatiuo, quia respectu veritatis rei in se sit suspensus, seu anceps an superior interroget iuridicè de suo vel alterius delicto, vel in alio simili casu. Imminentia enim damni notabilis supposito dubio rationabili de iustitia præcepti præponderat ex parte subditi. Quia etiam tunc censetur minus malum non obedire, quàm esse causam tanti damni. Et eò magis, quòd licet subditus non dicatur esse in possessione suæ libertatis, est tamen in possessione suæ securitatis & immunitatis, vnde non tenetur suæ securitati præiudicium facere nisi sibi constet superiorem iustè præcipere. Et ita tenent *Aragon. 22. q. 89. a. 2. Sotus de secr. membr. 3. q. 2. concl. 2. Bannes 22. q. 69. a. 2. Lopez p. p. cap. 56. Sayr. l. 1. Clauis reg. cap. 13. num. 41. Rodriq. 2. tom. c. 9. n. 3. Salas loco citato n. 125. Anton. a Spir. Sancto trac. 3. disp. 6. num. 127. & 146. Lessius l. 2. c. 41. dub. 9. nu. 77. Donatus tom. 3. trac. 17. q. 22. Sanchez l. 6. c. 3. num. 24.* & apud illum *Corduba, Tapia, Henriquez, Medina, Martinez de Prado cap. 1. q. 7. §. 6. num. 29.* & apud eum *Gregorius Martinez p. 2. q. 96. a. 4. dub. 15. Ledesma de stat. c. 4. dub. 4. post 8. conclus. Gallego de conscien. dub. 94. Thomas Hurtado tr. 3. cap. 2. resol. 5.*

327 Sed limitationem hanc non credo esse absolutè & sine distinctione admittendam. Respondetur propterea, & distinguitur. Nam vel superior procedit vt Pater & director salutis subditi, & ad bonum commune Religionis, vel procedit vt iudex. Si procedat vt director ex obedientis, vel præceptum non erit rationabile vt quia ex leui motiuo, rem valde periculosam præcipiat, & tunc si constet de præcepto irrationabili non tenebitur obedire, sed sibi id non constet tenebitur, quia præsumi debet superiorem non moueri nisi ex causa ad salutem subditi, vel ad bonum commune spectante & grauitate materiæ proportionata. Et quia in ordine ad bonum commune superior existente causa iusta proportionata potest præcipere difficilia etiam cum periculo, & etiam vsque ad mortem, in his attendi debet non tantum res præcepta, sed causa præcipiendi quæ si sit grauis, & proportionata rei præceptæ, subditus etiam cum suo graui damno tenetur obedire, & in dubio pro præcepti valore est præsumendum. Quamuis verò per se loquendo, vt supra num. 325. est probatum superior non teneatur reddere causam sui præcepti quod & dicit *Donatus tom. 3. trac. 17. q. 22. num. 3.* in valde arduis tamen, & vbi subditus valde graui damno exponitur, regulariter causa exprimi debet. Neque enim licet superiori ex eius arbitrio subditos grauis damni periculo exponere. Et propterea ratio ipsa postulat & vt superior ostendat se non indiscretè præcipere, & vt subditus non accipiat prætextus non obediendi, quòd causam, & necessitatem præcipiendi exprimat. Nam & licet per se præsumẽdum sit superiorem non moueri nisi ex causa rationabili, tamen hæc præsumptio contrarijs præsumptionibus potest vinci aut conquassari. Vnde si subdito constet superiorem non habere sufficientem causam præcipiendi, non tenetur obedire cum graui damno salutis corporis, aut honoris, aut famæ sue vitæ; Ad hæc enim bona conseruanda sibi ius habet. Dicetur verò constare, si probabiliùs manifestè appareat Prælatum ex causa iusta non moueri. Ideo vt supra etiam dictum fuit num. 301. In his dubijs, quæ non sunt meri iuris sed etiam facti, in quibus Prælatus non potest præcipere nisi in casu & facto tali, si manifestè vel ex rei veritate, vel plurium prudentium accedente iudicio manifestum sit probabilius esse, superiorem non esse in facto in quo præcipere possit, subditus non tenetur obedire.

328 Sed si sumus in materia iustitiæ, & vbi causa iusta nõ seruandi, id quod alias esset de lege vel naturæ, vel diuinæ, contra quã superior præcipit, non est nisi culpa subditi, in dubio nõ est superiori obediendum in graue sui, vel aliorum̃ præiudiciũ. Et in hoc sensu admitto limitationem positam. Quia subditus habet certum ius vt se, suam vitam, sua bona suum honorem, suam famam contra fallacia iudicia, & præsumptiones iudiciales, ex quibus sæpissimè innocentes capiuntur in compedibus interrogationum, & argumentationum, & cauillationum

tionum

tionum & ita sæpissimè accidat, vt onus probandi, quod competit fisco transeat in miserum innocentem, qui nec possit se defendere. Et ideo quando iudex præcipit ex præsupposita culpa, vel vt eam probet contra reum, vel vt rei extorqueat confessionem in dubio non est iudici obediendum, nec subditus tenetur credere superiori quòd habeat iustam causam illum interrogandi si de hoc sit dubium. De his præter DD. citatos vide *Caiet. & Arag. & Salon. supr. q. 69. a. 2. Sotum de secret. mem. 6. q. 6. concl. 3. & l. 5. de iust. q. 6. a. 2. Io. de Cruce in direct. p. p. pr. 8. a. 2 dub. 9. Sanchez in Decal. l. 3. cap. 7. nu. 15.* & alios quos sequitur & refert *Diana p. 3. trac. 5. res. 91. Nauar. cap. 25. nu. 35. & 36. Martinez de Prado cap. 24. q. 3. num. 5.*

329 Si tamen interrogatus à iudice probabilius credat iudicem legitimè procedere, tenetur ei præcipienti obedire, quia tunc non est dubius, sed si æquè probabile sibi sit vtrumque & verè sit anceps respectu veritatis rei, non obstante illo iudicio probabilitatis censendus est dubius, & obedire non tenetur. An verò hoc sit verum etiam vbi agitur de periculo damni alterius, dicendum est dubium de iudicis potestate, aut iustitia in præcipiendo, non teneri obedire in damnum proximi, vt citati DD. asserunt. Sed in hoc casu, in quo subditus potest non obedire in damnum proximi an teneatur etiam non obedire, ne ei damnum inferant, meritò affirmant *Palaus p. 1. tr. 1. disp. 3. p. 13. n. 16. & Antonius à Spir. Sancto tract. 3. disp. 6. n. 87.* Sed hæc pertinent ad tractatum de iustitia in iudicio, & consulendi sunt DD. de illa materia disserentes.

330 Limitant quintò, vt quando præcepti executio differri potest, & ex dilatione damnum minus timetur quam ex prompta executione, differendam esse executionem præcepti tunc cum est dubium de eius iustitia, donec examinetur an sit obediendum dixerunt. *Couar. regul. peccatum. p. p. num. 5.* ad finem *Sanchez l. 6. c. 3. num. 25. Palaus d. p. 13. num. 20. Boss. vbi supra num. 1825.* Militant enim rationes supra positæ. Verùm si obedientia non patitur dilationem, & superior eam de præsenti absolutè vult, & non est manifestum præceptum esse de re iniusta & causa præcipiendi non est manifestè irrationabilis; cur ei non est de præsenti obediendum? Si enim præceptum est rationabile, & ex causa proportionata ei est obediendum, non obstante damna etiam magna, nec potest contra voluntatem superioris differri obedientia. Vnde limitatio admitti nō debet nisi præsumi possit consensus superioris, vt obedientia differatur.

331 Limitant sextò si superior præcipiat aliquid sub conditione aliqua de qua est dubium an sit impleta: licet enim quia hoc videtur dubium facti, ideo *Salas loco citat. num. 177.* putet religiosum teneri obedire, tamen oppositum censent *Sanchez num. 26. & Boss. vbi sup. num. 1823.* quia in dubio an conditio sit impleta præsumendum est eam non esse impletam, vt probauit idem *l. 4. mor. c. 16. num. 3. & cap. 23. num. 29.* loquens de voto conditionali. Debere tamen subditum in hoc casu inquirere an conditio sit impleta dixit *Baptista d. disp. 209. num. 1355.*

332 Quæ verò dicta sunt de prædictis limitationibus, & casibus in quibus subditus ratione dubij non tenetur obedire superiori, vera censenda sunt, etiam si superior præcipiat sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vt tradunt. *Sotus de secr. memb. 3. q. 2. ante 4. conclus. & Sanchez l. 6. mor. c. 3. num. 27. Boss. vbi supr. 1827.* Quia excommunicatio imponi non potest nisi pro inobedientia, quæ in his casibus non reperitur, cum præceptum non obliget.

333 Sed potest ne Prælatus præcipere subdito, vt non operetur iuxta opinionem aliquam probabilem? Si v. g. in aliquo ordine prohibeatur, ne sustineatur opinio affirmans dari materiam paruā in voto castitatis, potest ne talis ordinis religiosus intus sustinere vt probabilem talem opinionem, & secundùm illam operari, & ita non exprimere in confessione actus venereos, de quibus ex ea probabili opinione sentit non esse peccata mortalia? Respondent quidam ex doctrina eorum, qui sustinent, actum internum non cadere sub præcepto, nisi inquantùm reluceat in externo, quòd probabilitas opinionis, cum sit actus internus non possit prohiberi. Nam licet etiam opinio probabilis erumpat in actum externum, non sufficienter tamen relucet in externo actu, quia stat quòd exercens actum externum iudicet se peccare, vnde non potest colligi quòd agat ex probabili opinione, per quam tenet se non peccare.

334 Dico primò, quòd non potest subditus prohiberi quin probabiliter opinetur, quidquid sibi videtur probabile, nam in hoc solius Pontificis est iudicialiter opiniones damnare, & tunc prohibetur etiam interiùs opinari oppositum, sed non ex solo præcepto Ecclesiæ, sed ex præcepto fidei, obligantis ad credendum, quæ ab Ecclesia credenda proponuntur. Et neque absolutè in potestate Prælati statuere, est vt non sufficiat ad agendum cognitio probabilis modo supra exposito, quia hæc sufficit ex lege Dei & ex recta ratione. Nihilominùs quia potest esse, quòd aliqua opinio probabilis sit periculosa, & occasio scandali, dico secundo quod possunt Prælati præcipere vt nullus subditus extrinsecus habeat eam vt probabilem. Et per hanc prohibitionem prohibetur exterior doctrina, & etiam exterior practicatio, quæ est quid magis, quàm doctrina.

335 Ex quo etiam soluitur alia quæstio; an scilicet superior possit cogere subditum ad sequendam suam opinionem probabilem. Solùm enim potest cogere subditum ad hoc, vt oppositum non doceat, nec publicè practicet. Immò nec censeo hoc conuenienter fieri sine magna causa, & cum grandi consultatione, & nec passim à quocumque superiore. Quia declarare opinionem probabilem, vel improbabilem non est opus proportionatum cuicumque superiori, & quod fieri possit sine magno examine, & consilio virorum eruditorum, & doctorum. Quamuis superior de facili possit prohibere ne fiat illa actio, quam ipse probabiliter malam iudicat, quidquid sit an opposita opinio sit vel non sit probabilis. Quia si potest prohibere illa quæ secundùm se alias sunt licita, multò magis potest prohibere dubia, & hoc modo potest cogere subditum ad sequendam suam opinionem. De qua re videri possunt *Sanchez lib. 6. mor. c. 3. n. 7. Rodriq. qq. regul. tom. 3. quæst. 19. art. 6. & Bordonus resol. 19.*

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Votum obedientiæ est essentialius statui Religioso. num.336.*


2 *Qui seruant paupertatem, & continentiam in seculo non sunt Religiosi simpliciter. num.336.*

336 Tandem ponitur secunda conclusio textus, deducta per modum corollarij, & dicitur ex prioribus dictis colligi, quòd votum obedientiæ sit essentialius religioni, quam vota paupertatis, & castitatis. Nam vota paupertatis, & castitatis sine voto obedientiæ non pertinent ad statum religionis, simpliciter quia religio est multitudo tendentium ad perfectionem sub regula aliqua, & regimine superiorum, & ideo ratione voti obedientiæ monasterium præfertur castitati, & virginitati, vt tradit S. *Aug. lib. de virg. cap.* 46. Cum verò supra à 4. ad tertium dictum sit, quod etiam sine voto paupertatis, & continentiæ non est status Religiosus simpliciter: Nihilominus est discrimen, quod modus viuendi sub obedientia, & regula approbata à Sede Apostolica etiam sine exacto voto paupertatis, aut continentiæ, est verè status Religiosus in genere, & in eo viuentes sunt Religiosi, & dicuntur tales, licet non sint Religiosi prout Religio antonomasticè dicitur, iuxta dicta à D. Thom. supra a. 1. quia hoc solum conuenit iis, qui per tria vota eotos se Deo immolat. Sed qui sine voto obedientiæ pauperes sunt, aut castè viuunt sub nomine Religiosorum non veniunt, nisi valdè communiter, & generalissimè.

SVMMARIVM.

1 *Papa nisi renunciet Papatui non potest priuare se plenitudine suæ potestatis. num.337.*

337 In responsione ad tertium, bene aduertit Caietanus, quod Papa licet secundum quid possit eximere aliquem sua potestate non tamen totaliter, & simpliciter. Potest quidem multis modis eximere aliquem secundùm quid à sua potestate. Vel excipiendo, & concedendo, ne subdatur Apostolico præcepto, nisi præceptum detur sub tali forma; vel concedendo priuilegium aliquod ex quo manet Pontifex obligatus ad illud seruandum, vel condendo legem communem ad quam etiam ille maneat suo modo obligatus, vel subijciendo se iudicio alicuius. Sed nihilominus adhuc retinet semper plenitudinem potestatis per quam potest legem, aut priuilegium, aut subiectionem sui ad iudicem reuocare, & ita vt licet contingere possit, quòd reuocatio ista sit peccatum, ipsa tamen sit valida, & efficax, vnde non potest à se abdicare plenitudinem potestatis, quam Christus illi contulit, nisi Papatui renunciet, & desinat esse Papa.



ARTICVLVS IX.

Vtrum Religiosus semper peccet mortaliter transgrediendo ea, quæ sunt in regula?

Ad nonum sic proceditur. Videtur, quod religiosus semper peccet mortaliter, transgrediendo ea quæ sunt in regula. Facere enim contra votum est peccatum damnabile, vt patet per id quod Apostolus dicit 1. ad Tim.5. quod vidua quæ volunt nubere, damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt. Sed religiosi voto professionis ad regulam astringuntur. Ergo peccant mortaliter, transgrediendo ea, quæ in regula continentur. sup. q. 88. ar. 11 ad 4. & qu. 185. art 8 & 4. dist. 38. q. 1. a 4. qu. 1. ad 3. & quodl. 1. a. 20.

2. Præterea, Regula imponitur religioso sicut lex quædam. Sed ille qui transgreditur præceptum legis, peccat mortaliter. Ergo videtur, quod monachus transgrediens ea quæ sunt in regula, peccet mortaliter.

3. Præterea, Contemptus inducit peccatum mortale. Sed quicumque frequenter aliquid iterat, quod non debet facere, videtur ex contemptu peccare. Ergo videtur, quod si religiosus frequenter transgrediatur id quod est in regula, peccet mortaliter.

Sed contra est, quod status religionis est securior, quam status secularis vitæ: vnde Greg. in prin. Moral. comparat vitam secularem mari fluctuanti, vitam autem religionis portui tranquillo. Sed si qualibet transgressio eorum quæ in regula continentur, religiosum obligaret ad peccatum mortale, status religionis esset periculosissimus propter multitudinem obseruantiarum. Non ergo qualibet transgressio eorum quæ in regula continentur, est peccatum mortale. lib. 6. c. 1.

Respondeo dicendum, quod in regula continetur aliquid dupliciter, sicut ex dictis patet. Vno modo, sicut finis regulæ: puta, ea quæ pertinent ad actus virtutum. Et horum transgressio, quantum ad ea quæ cadunt communiter sub præcepto, obligat ad morta- art. 7. ad 1. & 2.

mortale: quantum vero ad ea quæ excedunt communiter necessitatem præcepti, non obligat ad mortale, nisi propter contemptum: quia sicut supra dictum est, religiosus non tenetur esse perfectus, sed ad perfectionem tendere, cui contrariatur perfectionis contemptus. Alio modo continetur aliquid in regula pertinens ad exterius exercitium, sicut sunt omnes exteriores obseruantiæ: inter quas sunt quædam ad quas obligatur religiosus ex voto professionis. Votum autem professionis respicit principaliter tria prædicta, scilicet paupertatem, continentiam, & obedientiam: alia vero omnia ad hæc ordinantur. Et ideo transgressio horum trium obligat ad mortale. Aliorum autem transgressio non obligat ad mortale, nisi vel propter contemptum regulæ: quia hoc directe contrariaretur professioni per quam aliquis vouit regularem vitam: vel propter præceptum, siue ore tenus a Prælato factum, siue in regula expressum: quia hoc esset facere contra obedientiæ votum.

Ad primum ergo dicendum, quod ille qui profitetur regulam, non vouet seruare omnia quæ sunt in regula, sed vouet regularem vitam, quæ essentialiter consistit in tribus prædictis. Vnde & quibusdam religionibus cautius aliqui profitentur, non quidem regulam, sed viuere secundum regulam, id est, tendere ad hoc, vt aliquis mores suos informet secundum regulam, sicut secundum quoddam exemplar. Et hoc tollitur per contemptum. In quibusdam autem religionibus adhuc cautius profitentur obedientiam secundum regulam: ita quod professioni non contrariatur nisi id quod est contra præceptum regulæ. Transgressio vero, vel omissio aliorum obligat solum ad peccatum veniale: quia sicut dictum est, huiusmodi dispositiones sunt ad principalia vota: peccatum autem veniale est dispositio ad mortale, vt supra dictum est, in quantum impedit ea quibus aliquis disponitur ad obseruanda principalia præcepta legis Christi, quæ sunt præcepta charitatis. In aliqua tamen religione, scilicet ordinis Fratrum Prædicatorum, transgressio talis, vel omissio, ex suo genere non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem, sed solum ad pœnam taxatam sustinendam: quia per hunc modum ad talia obseruanda obligantur: qui tamen possent venialiter, vel mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine, seu contemptu.

Ad secundum dicendum, quod non omnia quæ continentur in lege, traduntur per modum præcepti: sed quædam proponuntur per modum ordinationis cuiusdam, vel statuti obligantis ad certam pœnam. Sicut in lege ciuili non facit semper dignum pœna mortis corporalis transgressio legalis statuti: ita nec in lege Ecclesiæ omnes ordinationes, vel publica statuta obligant ad mortale, & similiter nec omnia statuta regulæ.

Ad tertium dicendum, quod tunc committit aliquis vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas eius renuit subijci ordinationi legis, vel regulæ: & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam. Quando autem è conuerso propter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis vel regulæ, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiam si frequenter ex eadem causa, vel alia, simile peccatum iteret. Sicut etiam August. dicit in lib. de Natura, & gratia, quod non omnia peccata committuntur ex contemptum superbiæ. Frequentia tamen peccati dispositiue inducit ad contemptum, secundum illud Prouerb. 18. Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.

m.1.4.

a.7.ad 2.

1.2.q.88.ar.3.

cap. 27. in med. to. 7.

SVMMARIVM.

1 *Statum Religiosum non decet multitudo præceptorum. num.1.*

2 *Quatuor genera rerum continentur in regula. num.2.*

3 *Actus virtutum continentur in regula vt finis. num.3.*

1 VAlde aduertenda est à Prælatis efficacia authoritatis Gregorij relata à D. Thom. in argumento *sed contra*, ex ea enim habetur quomodo statum religiosum non decet multitudo præceptorum, quia aliter non esset portus quietis, & tranquillitatis, sed locus plenus scopulis, & vētis expositus, vnde naues non securitatem expectare valent, sed timere naufragium. Nam sub posita humana infirmitate,

mitate, & Dæmonis ac carnis, & mundi tentationibus, quæ semper nostræ menti impetum faciunt, multiplicare præcepta obligantia ad mortale est multiplicare syrtes, ac scopulos in quos mens religiosi impingat, & naufragium faciat. Vnde ex hoc optimè D. Thom. probat, quòd religionum regulæ non in omnibus obligent ad culpam mortalem, quia aliter religiones non essent portus tranquillitatis, sed esset status periculosissimus propter obseruantiarum præceptarum multitudinem.

2 Primò autem D. Thom. distinguit res contentas in regula quia vel sunt actus virtutum de præcepto, vel sunt actus virtutum de consilio, vel sunt exteriores obseruantiæ, quæ sint materia votorum, vel sunt aliæ obseruantiæ, ideo in textu affirmatur quòd transgredi præcepta virtutum est de se peccatum mortale, non verò non exequi virtutum consilia, & similiter peccatum mortale est violare vota, sed non obedire in alijs obseruantijs non est culpa mortalis, nisi transgressio vel fit ex contemptu, vel contra præceptum regulæ aut superioris præceptum.

3 Subdit verò D. Thom. quòd actus virtutum spectant ad perfectionem vitæ spiritualis, quæ est finis religionis; Nam D. Thom. hic docet, quòd actus virtutum pertinent ad religionem vt finis religionis siue regulæ. Verè enim sic est, quòd regula tanquam ad finem ordinatur ad hoc vt præcepta virtutum seruentur, exactè, & etiam cum maiori plenitudine quàm sit necesse ex lege. Et ideo actus virtutum & vt sunt de præcepto, & etiam ex superabundanti vt sunt de consilio, sunt finis regulæ.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus peccat mortaliter violando præcepta virtutum. num. 4.*

2 *Præcepta virtutum continentur in regula, sed non per hoc sunt præcepta regulæ. n. 5.*

3 *Præcepta virtutum omnia continentur in regula vt finis regulæ & non vt materia præcepta per regulam. num. 5.*

4 *Religiosus violans præceptum alicuius virtutis quod est etiam præceptum Regulæ peccat peccato quod est & contra illam virtutem, & contra Religionem. num. 6.*

5 *Religiosus violans præceptum alicuius virtutis contentum in regula vt finis regulæ non committit peccatum alterius speciei à specie illius virtutis. num. 6.*

6 *In dubio non est præsumendum quod præcepta virtutum contineantur in regula vt materia præcepti. num. 7.*

An prima conclusio textus sit vera formaliter.

4 Haec verò est prima artic. conclusio in qua asseritur tunc religiosum peccare mortaliter, cum transgreditur communia virtutum præcepta. Hic autem primò occurrit dubium an sermo iste authoris sit formalis, & an religiosus non obseruans præcepta communia peccet contra regulam, quia non omnis virtutum actus, qui sunt de præcepto continentur in regula, non enim regula præcipit omnes actus virtutum vt de se patet; & ita hæc prima conclusio non videtur. vera de religiosis nisi materialiter, quatenus quilibet homo obligatus ad præcepta legis diuinæ, non verò quatenus est religiosus formaliter. Vel si religiosus vt religiosus peccat mortaliter transgrediendo communia præcepta legis diuinæ, dicendum erit hæc præcepta nedum esse præcepta diuinæ legis, sed regulæ; quod certè falsum apparet.

5 Caietanus in præsenti aduertit, aliud esse, præcepta contineri in regula, & aliud est illa esse præcepta per regulam, quia stat quòd contineantur in regula per modum simplicis statuti, vnde talia præcepta non habent ex regula vim præcepti, sed solùm ex lege diuina vel Ecclesiastica. Et ita etiam docet *Sanchez l. 6. mor. c. 4. num. 6.* addens, aliquando in regula contineri præcepta communia solùm ad eorum commendationem, & vt reducantur in memoriam. Quæ doctrina vera est, sed ad dubij à nobis propositi solutionem aliud considerandum est, quia non ostenditur quomodo religiosus violando quodcumque præceptum legis diuinæ præcipientis actus virtutum formaliter qua religiosus peccet mortaliter, seu non ostenditur quomodo trangressio legis diuinæ sit verè transgressio regulæ, vnde hæc prima conclusio pertineat formaliter ad hunc articulum in quo de trangressione regulæ agitur. Respondetur igitur quod omnia præcepta virtutum continẽtur in regula non vt materia præcepta per regulam, sed vt finis regulæ. Et ideo ad ea regula se habet non materialiter, sed formaliter, quia illa continet vt finem suum, & religiosus, qui aliquod præceptum commune transgreditur deficit contra regulam, quia deficit à fine regulæ.

6 Hinc soluitur alia difficultas; An scilicet religiosus violans aliquod ex præceptis communibus peccet duplici peccato. Nam Caietanus loquens de præceptis communibus, quæ etiam continentur in regula, vt materia præcepta per regulam docet, quòd eorum transgressio non est in religioso duplex peccatum, vel peccatum habens circumstãtiam alterius speciei, licet tunc ex duplici capite religiosus teneatur illud præceptum seruare, quia multitudo præceptorum speciem non variat. Quod tamen est limitandum & intelligendum formaliter, quantùm sit ex multitudine præceptorum, *vt ex Valentia tradit Sanchez l. 6. mor. c. 4 num. 6.* Nam alias, vt docet idem *Caiet. supra q. 88 a. 5.* quem sequuntur *Sanchez loco citato, & Suarez tom. 3. de relig. l. 10. c. 6. 7.* ratione voti obedientiæ, qui violat præceptum regulæ est sacrilegus, vnde si hoc præceptum sit simul præceptum ex vi alicuius virtutis, & ex vi regulæ eius transgressio est peccatum circumstantia mutante speciem magis deforme quia continet malitiam sacrilegij, & malitiam contrariam illi virtuti ad quam spectat præceptum. Sed absolutè loquendo, ex hoc solùm quòd præceptum contineatur in regula tanquam finis, eius transgressio in religioso non est peccatum alterius speciei, licet sit aliquo modo grauius, vt dicetur artic. sequenti. Quia præceptum per modum finis vt dictum est supra *q. 184. a. 3. num. 112.* non obligat de præsenti, sed vt etiam D. Thomas dicit hic in se-

conda conclusione religiosus de præsenti non tenetur esse perfectus sed tendere in perfectionem.

7 Dubitari autem vlterius potest. An si non constet præceptum aliquod commune contineri in regula vt materiam præceptam, in dubio sit habendum vt contentum, & vt præceptum ex vi regulæ, vel non. Respondetur verò, præsumendum esse non contineri nisi vt finem regulæ, nisi regula id manifestè explicet, vel ex manifestis iudicijs colligatur, vt quia est de pertinentibus ad tria vota, vt v.g si prohibeatur fornicatio. Et ratio est, quia nouas obligationes inducere in eadem re ex genere suo iam damnum, quàm vtilitatem afferre potest, vnde non est præsumenda ea intentio legislatoris, qui summopere nititur spirituali subditorum vtilitati prospicere. Item quia in dubijs, & obscuris est amplectendum id, quod est minimum. *reg. in obscuris de reg.iuris in 6.* & ita tenent *Sanchez loco citato Anton.à Spir.Sancto trac.3.disp. 6.num.189.* Sæpe etiam regula & constitutiones côtinent præcepta virtutum per modum admonitionis, commendationis, & memoriæ.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus non peccat mortaliter non exercens actus virtutum, vt sunt de consilio.num.8.*

2 *Obseruatio virtutum, vt sunt de consilio pertinet ad regulam, vt finis regulæ.num.8.*

3 *Non tamen hoc intelligitur de actibus virtutum, vt sunt præcepti per regulam.num.9.*

8 SEcunda cõclusio articuli negat, peccare mortaliter religiosum, qui opera consilij nõ exercet, & hoc, quia religiosus non tenetur esse perfectus, sed sufficit quòd non contemnat perfectionem. Circa hanc conclusionem verò hoc primò notandum, quòd etiam obseruantia consiliorum dicitur pertinere ad regulam, vt illius finis, & huius ratio est, quia & consiliorum executio pertinet ad statum perfectionis ex eo quòd præceptum charitatis ex parte finis non habet mensuram vt supra q.184. a.3. ex D. Thoma probatum est, vnde finis creaturæ rationalis est diligere Deum sine mensura, & ex consequenti exercere sine mensura quemlibet actum virtutis ex dilectione.

9 Ideo in hac conclusione non loquitur D Th. de actibus virtutum, qui sunt de consilio, quatenus continentur in regula vt materia præcepta per regulam; quia hoc modo continentur sub tertia & quarta conclusione. Sed in prima & secunda conclusione loquitur D. Thom. de actibus virtutum prout continentur in regula per modum finis; loquitur enim vniuersalissimè de virtutum actibus siue sint de præcepto, siue sint de consilio.

SVMMARIVM.

1 *Contemptus perfectionis est peccatum mortale.numer.10.*

2 *Contemptus perfectionis est nolle perfectionem absolute.num.10.*

3 *Non est idem contemnere regulam, & perfectionem num.10.*

4 *Contemptus consiliorum est contemptus finis, & medij ad finem.num.11.*

5 *An præceptum tendendi in perfectionem sit aliud à præcepto viuendi secundum regulam diuersimode est opinatum.num.12.*

6 *Præceptum tendendi in perfectionem non est aliud à præceptis virtutum.nu.13.*

7 *Præceptum tendendi in perfectionem est commune omnibus num.13.*

8 *Præceptum tendendi in perfectionem absolute est aliud à præcepto viuendi secundum regulam. numer.14.*

9 *Præceptum tendendi speciali modo in perfectionem non est aliud à præcepto viuendi secundum regulam.num.14.*

10 *Potest contemni perfectio, & seruari regula secundum substantiam, non tamen modo perfecto, num.15.*

11 *Qui regulam violat, contemnit indirecte perfectionem, non vero directe. nu.16.*

12 *Quod nolle seruare consilia, & vitare venialia sit contemnere perfectionem aliqui sentiunt. numer.17.*

13 *Non est peccatum mortale per se nolle seruare consilia, & vitare venialia.nu.18.*

14 *Non reuocat animum ab intentione perfectionis, qui vult non peccare mortaliter.nu.19.*

15 *Religiosus non tenetur peruenire de facto ad perfectionem in via.num.19.*

16 *Idem est contemnere perfectionem formaliter, & agere contra illam ex contemptu. nu.19.*

17 *Non peccat mortaliter Religiosus contra præceptum tendendi in perfectionem, qui non se reddit idoneum ad munia sui ordinis, si alias seruat præcepta regulæ, & alia non transgreditur ex contemptu.num.20.*

Quid sit contemptus perfectionis.

10 EX quo tamen D. Thom. ait, quòd violatio consiliorum potest esse culpa mortalis ex contemptu quia religiosus tenetur tendere in perfectionem, vnde contemptus perfectionis in religioso est peccatum mortale, quæri potest, quid propriè sit contemptus perfectionis? Respondetur vero, quòd contemptus perfectionis est absolutè nolle esse perfectum. Contẽptus enim essentialiter est actus nolitionis & abominationis boni amabilis absolutè sumpti; ita quòd ratio formalis terminatiua actus abominationis sit ratio ipsa boni absolutè sumpta & vt mala apprehensa. Et sic contemptus formalis obedientiæ est nolle obedire absolutè. Huius enim nolitionis ratio formalis terminatiua est ipsa obedientia, quæ absolutè sumpta & quatenus talis reijcitur tanquam mala. Sic & contemnere perfectionem est nolle perfectionem absolutè & formaliter, & per se, ita quòd illius nolitionis obiectum est perfectio absolutè, quæ quatenus talis iudicatur mala, & appetitus ab ea fugit. Aliud tamen est contemnere regulam, & aliud est contemnere perfectionem, sicut aliud est contemnere medium, & aliud est contemnere finem, perfectio enim est finis regulæ, & licet, vt *Caiet.* docet hic initio commentarij, hi duo contemptus se se inuicem comitentur, tamen essentialiter distinguuntur

tur, quia contemptus perfectionis est contemptus finis, & contemptus regulæ est contemptus medij ad finem. Finis verò contemnitur, non ex hoc quòd non habetur, quando quis non est in statu habendi, sed quia absolutè non intenditur. Ideo contemptus perfectionis est habere intentionem non consequendi formaliter, & absolutè perfectionem, seu etiam non habere intentionem consequendi finem formaliter, & absolutè. Horum enim duorum primum semper est malum & opponitur præcepto tendendi in perfectionem quatenus est negatiuum. Secundum non semper est malum, quia non tenemur semper cogitare, & semper velle finem, sed est malum cum præceptum tendendi in finem vt est affirmatiuum vrget. Vnde necesse est quòd hæc intentio aliquando habeatur & semper habeatur, & duret quantùm necesse est, vt ex hac intentione religiosus regulam seruet, & in perfectionem tendat.

11 Dubitatur secundò an contemptus consiliorum formaliter & directè sit contemptus finis vel medij ad finem? Respondetur quòd actus virtutum in præsenti & sunt media ad obtinendam perfectionem, & sunt quid spectans ad perfectionem ipsam saltem vt illius ornamentum, & complementum vt explicatum est etiam *sup. q. 184. a. 2. nu. 93.* Ideo contemptus illorum est contemptus finis, & contemptus medij ad finem. Sic enim quatenus in regula continentur vt statuta vel consiliata per regulam, sic accipiuntur vt media ad perfectionem. Sed absolutè si considerentur vt actus virtutum pertinent ad perfectionem vt illius ornamentum. Et hoc modo considerantur in hac conclusione; quia de actibus virtutum vt sunt materia regulæ tractatur in conclus. 3. & 4. in respons. ad tertium.

12 Dubitatur tertiò an præceptum tendendi in perfectionem sit distinctum a præcepto seruandi regulam & constitutiones? Negantem enim huius quæst. partem tenet *Sanchez l. 6. mor. c. 4. nu. 5.* quem sequitur *Peyr. in subd. q. 1. cap. 4 not. 5.* & hoc probat primò; Quia omnes fatentur, religiosum ex vi huius præcepti non teneri ad aliquid amplius, quàm ad seruandam regulam & constitutiones, ergo signum est, quòd hoc præceptum non est distinctum à præcepto seruandi vota, & constitutiones. Secundò quia *Caiet. hic, & Corduba in reg. S. Franc. c. 1. q. 3. dicto 3. & Val. 22. d. 10. q. 4. p. 5.* tenent, quòd contemptus regulæ & perfectionis sese comitentur, vt non possit quis velle seruare regulam quin velit perfectionem, & econtra, ergo signum est hoc præceptum tendendi in finem non esse præceptum peculiare. Tertiò quia *D. Th. supr. a. 2. ad 2. & ibi Caiet. §. ad euidentiam, & Azor. l. 11. Inst. c. 15.* dicunt, tam de religioso, quàm de eo, qui talis non est, vtrumque iuxta statum suum teneri ad perfectionem obseruando sui status præcepta, & consilia non contemnendo, quia *Eccles. 9.* omnibus dicitur: *Quodcumque potest manus tua instanter operare.* At nullus dicit præceptum perfectionis in secularibus esse distinctum à præceptis alijs, ergo idem dicendum est de hoc præcepto respectu religiosi. Quartò quia aliter religiosus violans votum, vel regulæ præceptum committeret duplex peccatum, alterum contra votum, alterum contra hoc præceptum, quia duplex præceptum violaret. Quintò, quia præcepta & culpas non oportet absque ratione vrgenti multiplicare. At in oppositum videtur esse, quoniam *Caiet supra q. 184. a. 5. fine, Tabien. verbo relig. 4. num. 5. Corduba in reg. S. Francisci c. 1. q. 3.* tenent, quòd bene stare potest, quòd quis transgrediatur regulam, & tamen non peccet contra præceptum tendēdi in perfectionem; ergo de mente istorum DD. aliud est præceptum regulæ quod in hoc casu violatur, & aliud præceptum tendendi in perfectionem, quod non violatur.

13 Respondetur verò opinionem Sanchez in formalitate sermonis esse falsam. Verum quidem est quòd præceptum tendendi in perfectionem non est speciale, & distinctum à præceptis virtutum. Nam vt ex supradictis patet, perfectio consistit in actibus virtutum scilicet in obseruantia præceptorum, & præcipuè & formaliter in obseruantia præcepti charitatis, quod quia vt habet *D. Th. q. 184. a. 3.* obligat sine mensura, & respicit etiam quodammodo bona omnia supererogationis in intentione, ita quòd obligat ad habendam intentionem diligendi Deum quantùm potest diligi, & sine mensura & limitatione faciendi propter Deum etiam ex bonis supererogationis quidquid manus potest, seu quidquid vnusquisque facere potest, vt semper magis ac magis Deum diligat & maiorem perfectionem obtineat. Ideo præceptum tendendi in perfectionem non est distinctum à præceptis virtutum, & principaliter & formaliter consistit in præcepto charitatis obligantis nos ad diligendum Deum sine mensura, & ideo ad habendam voluntatem diligendi Deum & operandi propter Deum quantùm potest a nobis Deus diligi, & quantùm possumus ex Dei dilectione operari. Ideo vt benè tradunt *D. Thom. & Caiet. & Azor. loco supr. citato* hoc præceptum non est proprium religiosorum, sed est commune omnium hominum. Et in hoc est distinctio, quòd religiosus eligit media magis opportuna & propinqua ad huius finis assecutionem, & sic ex vi huius electionis se obligat speciali modo ad finis intentionem.

14 Ideo duo dicuntur. Primum est, quòd præceptum tendendi in perfectionem si secundùm substantiam & absolutè sumatur, est longè aliud à præcepto obseruantiæ votorum & regulæ, quia præceptum tendendi in perfectionem est principaliter præceptum charitatis, quod votum, & regula supponunt, & cuius obseruantia est finis votorum & regulæ. Ex eo enim quòd homines teneantur habere intentionem perfectionis, quia tenentur ad diligendum Deum si non actu saltem in intentione quantùm diligere possunt, ideo vt hanc perfectionem consequantur religiosum statum eligunt. Secundum dictum est, quòd religiosi speciali obligatione tenentur tendere in perfectionem, quia hanc intentionem profitentur in statu perfectionis. Sed hæc obligatio non est alia ab obligatione votorum, & regulæ; quia religiosi ex communi obligatione charitatis ad consequendam eius perfectionem eligunt vota & regulam, quod est eligere specialem viam tendendi ad perfectionem, & ex hoc speciali modo se obligare ad illam. Non quia voueant intentionem perfectionis, nec quia intentio perfectionis sibi ex speciali præcepto præcipiatur, sed quia præcipitur specialis modus tendendi in illam, & sic speciale præceptum non est de ten-

dentia in perfectionem, sed de speciali modo tendendi per specialem viam, & media determinata. Et sic verum est quòd omnes tenentur intendere perfectionem, quod simul verum est, quòd religiosi tenentur intendere illam speciali modo, nimirum vt acquirendam per votorum & regulæ obseruantiam. Et hoc speciale præceptum non respicit directè perfectionem vel eius intentionem sed respicit media ad perfectionem obtinendam electa. Vnde patet responsio ad ea, quæ Sanchez pro sua opinione refert. Solùm quantum ad illam concomitantiam contemptus perfectionis, & regulæ aliqua consideranda sunt, & ideo.

15 Dubitatur quartò an possit contemni perfectio, & seruari regula? Affirmant enim *Corduba loco citato, & Sanchez loco citat. num. 10.* quia potest esse, quòd quis velit seruare regulam, & contemnat esse perfectum. At contrarium hoc videtur verum, quia si contemptus perfectionis, & regulæ se comitantur: vt docent Caiet. hic, & alij supra citati, videtur, quòd non possit quis contemnere perfectionem quin regulam contemnat. Sed dicitur vtrumque verum esse sub distinctione. Nam si loquamur de perfecta obseruantia regulæ, hæc est quando quis seruat regulam non solum materialiter & secundùm substantiam, sed etiam seruat illam modo quo petit seruari, nimirum vt medium assumptum ad consequendam perfectionem. Et hoc modo impossibile est, quòd seruet regulam, qui perfectionem contemnit. Quoniam tamen regula non præcipit finem, sed media; ideo simpliciter seruat regulam, qui secundùm substantiam præcepta regulæ seruat. Vnde qui extra statum charitatis regulam seruat satisfacit regulæ, nisi vbi regula ex speciali præcepto præcipiat actum charitatis, & statum gratiæ, ideo cum obseruantia regulæ secundùm substantiam potest esse formalis contemptus perfectionis, & verum est peccare mortaliter, qui contemnit perfectionem etiam si seruet regulam secundùm substantiam. Sed hoc peccatum non est contra regulam, sed contra præceptum charitatis & virtutum.

16 Dubitatur quintò econtra, an qui regulam violat, simul violet præceptum tendendi ad perfectionem? Nam pro negatiua sententia videntur stare Caiet. & alij supra relati. quos tanquam asserentes non peccare contra præceptum tendendi in perfectionem, qui regulam violat, refert *Sanchez dicto cap. 4. num. 12.* Cuius tamen oppositum ipse sustinet, quia sicut seruare regulam est tendere in perfectionem, ita regulam transgredi, est contra præceptum tendendi in perfectionem *Anton. etiam à Spir. Sancto trac. 3. disp. 1. num. 30.* dixit peccare contra intentionem perfectionis, qui suo exemplo ducit ad relaxationem regulæ in re graui. At verior est sententia Caiet. & aliorum, quamuis vtraque in bono sensu sit vera. Nam præceptum tendendi ad perfectionem potest violari directè & per se, & indirectè, & per accidens. Consistit enim tale præceptum principaliter in præcepto charitatis, quòd quatenus obligat ad intentionem perfectionis violatur directè vel per oppositam voluntatem, quando quis deliberatè nolit perfectionem, vel omissionem voluntatis intendentis perfectionem, quando pro loco & tempore talis actus est habendus. Sed indirectè per omne peccatum violatur præceptum charitatis. Non potest igitur quis violare regulam & illam contemnere, quin indirectè & ex parte contemnat præceptum tendendi in perfectionem. Sed bene stat quòd quis regulam non seruet, immò & contemnat formaliter, & tamen directè per speciale peccatum non contemnat præceptum tendendi in perfectionem, quia potest contemnere regulam non quia fit medium ad perfectionem, sed quia est medium tale, quod sibi displicet, & si posset tenderet ad perfectionem per aliud medium.

17 Dubitatur sextò an qui habet animum seruandi omnia præcepta, at verò simul habet animam absolutum non vitandi peccata venialia, siue non sequendi aliquod consilium, dici debeat contemnere perfectionem, seu etiam peccare ex contemptu perfectionis, & ideo mortaliter peccet contra præceptum tendendi in perfectionem? In hac enim quæstione *Syl.u. v. religio 1. q. 3. Tabien. q. 4. nu. 5. fine, Corduba in regul. S. Franc. c. 1. q. 3. dicta* 3. distinguunt, quia aliud fit contemnere perfectionem, & aliud fit peccare ex contemptu perfectionis. Nam ille dicitur peccare ex contemptu, qui peccat ex contemptu formali, ex eo quòd non vult subijci Deo præcipienti, & consulenti, sed Dei consilia parui facit. Sed perfectionem contemnit, qui ad illam non tendit, & ad eam progressum non facit, etiam si id faciat ex negligentia, vel praua cupiditate. Ideo censent esse culpam mortalem contra votum obedientiæ, si quis habeat animum solùm vitandi peccata mortalia, & seruare præcepta, & de cætero nolit consilia seruare, & peccata venialia vitare. Quod probatur. Tum primò quia D. Thom. ad hoc vt religiosus peccet contra hoc præceptum, non dixit necesse esse quòd peccet ex contemptu perfectionis, sed quòd perfectionem contemnat. Tum secundò quia ex *D. Th. supra q. 184. a. 5. ad 2.* vbi ait religiosos esse facto mendaces, quando reuocant animum ab intentione status perfectionis. & *D. Thom. sequuntur. Alen. D. Anton. Angelus, & Sylvestr.* & quidem *Caiet. ibi & Nauar. Com. 2. de regul. num. 10. dicto 10.* censent D. Thom. sentire, quòd talis religiosus peccet mortaliter. Tertiò nam alias nullum esset discrimen inter religiosum, & sæculares, quia etiam sæculares mortaliter peccant, si ideo non sequuntur consilia quia parui faciunt Deum consulentem, seu quia peccant ex contemptu formali, & sic vanum esset, quod communiter dicitur, scilicet religiosos teneri tendere ad perfectionem.

18 Verùm opposita sententia est, voluntatem non seruandi regulam nisi vbi præcipit, seu voluntatem non seruandi consilia, seu non abstinendi à peccatis venialibus in religioso non esse peccatum mortale sed veniale stante voluntate seruandi omnia præcepta. Et hæc sententia vera est, & est conformis Doctrinæ *D. Th. supra q. 18 3. a. 2. & tam in hoc artic.* quam *dicto ar. 2. q. 184.* docet *Caiet.* quem sequitur *Sanchez l. 6. mor. c. 4. num. 9.* referens *Azorium l. 11. cap. vlt. q. 11.* & idem docet *Anton. à Spir. Sancto p. 2. direct. tract. 3. disp. 1. num. 43.* vbi quòd neque huiusmodi volitas est dispositio proxima ad mortale. *Peyr. in subd. q. 1. cap 4. not. 5. Ledesm. de stat. c. 4. concl. 10. pag. 88. & concl. 12. pag. 93.* Ratio autem pro hac conclusione ex dictis supr. a. 2. & alibi sæpe desumitur, quoniam præceptum tendendi in perfe-

perfectionem aliquid præcipit vt modò exequendum, & aliquid vt expectandum alio tempore; Et quidem non obligat ad habendam perfectionem in hac vita, & in hoc statu miseriæ, vt bene tradit *D. Thom. supra q. 184. a. 5. ad 2.* vnde bene ibidem docet, quòd religiosus non est mendax, si modò non sit perfectus, sed præceptum tendendi in perfectionem obligat pro nunc ad non ponendum impedimentum ad illam consequendam, & ad non repugnandum gratiæ Dei. At verò solum peccatum mortale excludit consecutionem perfectionis in altera vita obtinendam, peccata verò venialia diminuentia perfectionem charitatis, diminuunt etiam perfectionem in altera vita obtinendam, sed non tenemur sub mortali ad vitandam huiusmodi diminutionem, quæ non opponitur substantiæ perfectionis, aliter peccatum veniale esset mortale, si ex vi præcepti tendendi in perfectionem teneremur vitare illam perfectionis diminutionem, quam causant peccata venialia. Itaque quantùm necesse est ad vitandum peccatum mortale contra charitatem nos obligantem ad tendendum in perfectionem, sufficit ab omni peccato mortali abstinere, & sufficienter in perfectionem in altera vita obtinendam tendit, qui omnia & singula peccata mortalia vitat; igitur contra præceptum tendendi in perfectionem non peccat mortaliter, qui vult & intendit vitare omnia peccata mortalia, velit autem venialiter peccare & perseuerare in solo peccato veniali est solùm peccatum veniale præciso periculo se disponendi ad mortale, de quo infra erit sermo.

19 Ad primum in oppositum dicitur, quòd contemnere formaliter idem est quòd peccare ex contemptu, vt clarè docet D. Thom. hic ad tertium. Et nihilominùs quòd D. Thom. dixit supra a. 2. scilicet quòd contemnere perfectionem est peccatum, hic dicit quòd regula non obligat ad consilia, vel ad obseruantias regulæ nisi ob contemptum, vel nisi transgrediatur religiosus ex contemptu, vnde apud D. Thom. idem est contemnere regulam, vel perfectionem, quod agere contra illam ex contemptu, vt ipse clarè explicat ad tertium. Ad secundum dicitur quòd supponit falsum, scilicet, quòd intendere nunquam peccare mortaliter licet sit coniunctum cum voluntate peccandi venialiter, sit reuocare animum a tendentia ad perfectionem; quia immò est intendere perfectionem, ad quam consequendam sufficit quòd homo mortaliter non peccet. Et præterea argumentum supponit falsum, scilicet quòd præceptum tendendi in perfectionem obliget de præsenti, scilicet ad obtinendam perfectionem dum sumus in via, & sic quòd ex præcepto religiosi necessitentur ad hoc vt conentur esse tandem de facto aliquando perfecti in via, quod est falsum, & infelices religiosi si hoc onere sub culpa mortali premerentur. Sed obligamur ad tendendum in perfectionem per obseruantiam regulæ, sed non est viatoris illam obtinere vniuersaliter, & regulariter: Quàm pauci enim sunt qui adeo perfecti sint vt nec venialiter peccent nisi ex mera infirmitate? Sed in Patria hanc perfectionem obtinebimus, si post iustificationem numquam peccemus mortaliter. Ad tertium dicitur, tendentiam in perfectionem etiam secularibus esse debitam, discrimen verò esse, quòd religiosi per vias securiores ad illam pergunt, vnde manent etiam ex præcepto obligati ad tria vota, & regularem vitam, & propterea ad multa consilia, ad quæ non sunt obligati seculares: omnes tamen sufficienter essentialiter tendunt in perfectionem, si a peccatis mortalibus abstineant.

20 Ex his verò colligitur cum *Suarez loco cit. num. 11.* verum non esse, quod docet *Banæs sup. quæst. 33. art. 3. dub. 3. concl. 3.* scilicet religiosum peccare mortaliter contra hoc præceptum tendendi in perpectionem, si non se reddit idoneum ad præcipua munia sui ordinis. Etenim hoc dictum fundamentum nõ habet, sed sufficit cuicumque religioso ad vitandum mortale peccatum quòd seruet regulam suam quantùm ad vota & præcepta quòd & alia ex contemptu non omittat, seu tendentiam in perfectionem non contemnat.

SVMMARIVM.

1 *Ordo doctrinæ. num. 21.*
2 *Vota Religiosa dicuntur vnum votum. nu. 22.*
3 *Transgressio votorum est peccatum mortale. numer. 23.*
4 *Transgressionem regulæ non habere, nisi speciem inobedientiæ, seu sacrilegij quidam dicunt. numer. 24.*
5 *Alij volunt, quod contineat vlterius malitiam iniustitiæ, & infidelitatis. num. 25.*
6 *Per se loquendo transgressio præceptorum regulæ continet malitiam sacrilegij, & iniustitiæ contra promissionem, & traditionem factam homini. num. 26.*
7 *Ratione materiæ adest etiam malitia illius speciei, quam habet actus, si per se sit contra virtutem aliquam. num. 27.*
8 *Prælatum religiosum vtentem potestate iurisdictionis constituere actum prohibitum in specie peccati cõtra illam virtutem cuius intuitu actum prohibet, & ideo actum illum esse malum malitia spectante ad illam virtutem aliqui dicunt. num. 28.*
9 *Potestas iurisdictionis data Prælato regulari est in subsidium obedientiæ. num. 29.*
10 *Prælatus regularis quidquid præcipit intuitu regulæ, & religionis præcipit. nu. 29.*
11 *In actu malo, quia prohibito in Religioso non est malitia opposita alteri virtuti, quam religionis, & iniustitiæ. nu. 29. 30. 31.*
12 *Ex multitudine præceptorum non multiplicatur specie malitia actus. num. 30.*
13 *Inobedientiam formalem non committit Religiosus, nisi ex contemptu. nu. 32.*

21 EXpédita obligatione quæ est in religioso in ordine ad actus internos virtutum qui sunt finis regulæ, transit D. Thomas ad ostendendum quomodo religiosus obligatur ad actus externos, qui sunt materia præcepta per regulam. Et hos distinguit in illos ad quos homo tenetur ex voto, & in illos ad quos tenetur ex regulæ statutis.

22 Licet verò tria vota in professione emittantur, D. Thom. omnia tria comprehendit sub vno, quod vocat votum professionis, quia vt dictum est artic. superiori, omnia in vno voto obedientiæ continentur.

23 Tertia conclusio literæ est in qua asseritur, quòd trium votorum transgressio est peccatum mortale. Circa tamen hanc votorum obligationem aliqua quærenda supersunt.

24 Et quidem primò dubitatur, quænam sit obligatio votorum religionis, nimirum an transgressio votorum seu etiam præceptorum regulæ, & superiorum contineat vnam vel plures malitias specie distinctas, & quales. Nam huiusmodi transgressionem vnicam solam continere malitiam per se loquendo, scilicet malitiam sacrilegij contra votum docet *Soto l.7. de iust. q.2. a.3.* Et ratio eius est, quia per professionis votum soli Deo promittimus obedientiam Prælato reddendam, ideo non obediendo peccamus contra votum, & sic inobedientia est vnum simplex peccatum. Nihilominùs contrarium tenent *D. Thom. supra q.88. a.5. ad 3. Caietanus ibid. & Suarez tom.3. de relig. l.10. c.6. a. num.2.* Et ratio est, quia in professione duplex promissio interuenit; Nam prius est pactum & promissio per quam promittitur Prælato & religioni vita regularis, & obedientia secundùm illam, secunda est promissio facta Deo, per quam pactum initum cum religione confirmatur. Ideo violatio votorum religionis, seu præceptorum regulæ & superiorum habet malitiam duplicem specie distinctam, vnam sacrilegij, & aliam iniustitiæ; illa consurgit ex eo quód violatur votum, ista verò ex quo violatur pactum humanum. Et quidem de malitia sacrilegij non est difficultas sed certum est illam adesse, & esse vnicam.

25 Sed ex parte pacti initi cum religione, videtur quòd adsit non vna sed duplex malitia, altera iniustitiæ, & altera infidelitatis. Nam pactum initum in professione non videtur vnum, sed duplex, quia est traditio, & promissio. Quòd enim sit traditio inde apparet, quòd religiosus in effectu se ipsum tradit in seruum religiosum, seu in compartem totius vniuersitatis, obligans se ad vitam regularem; secundò ex D. Thom. loco citato inuenitur humana promissio per quam promittitur Prælato vita regularis, & obedientia secundùm illam. Igitur hic duplex malitia est, alia iniustitiæ contra traditionem & obligationem per quam religiosus tradens se in conciuem religiosæ reipublicæ ad eius leges se obligat, & alia infidelitatis contra promissionem. Duplex est autem modus respondendi. Primus admittit duo illa tanquam distincta scilicet traditionem, & promissionem. Nam v.g. sicut qui ex mutuo debet Titio centum, si promittat post mutuum illa reddere, hæc est vera promissio distincta à mutuo & confirmatiua obligationis mutui; ita posse contingere in professione admittit *Suarez dicto cap.6. num.4.* vt scilicet religiosus primò ea traditione se obliget ad vitam regularem, & postea hanc obligationem ex speciali promissione confirmet. Quo stante idem Doctor ait, quòd vel illa promissio consideratur præcisè intra rationem fidelitatis, vel vt transire potest in rationem iustitiæ. Si hoc secundo modo consideratur, transgressio illius continet malitiam iniustitiæ, sed eiusdem speciei cum alia, quæ consurgit ex violatione traditionis præfatæ, & sic augetur quidem aliqualiter malitia, sed intra eandem speciem. Sed si consideretur primo modo; non adest culpa mortalis, quia virtus fidelitatis præcisa iniustitia non obligat sub mortali, vnde violatio promissionis est quidem mala speciali malitia infidelitatis, sed hæc non est ex genere mortalis, vt tradit *Caiet. supr. q.88. art.9.* vt patet in mendacio pernicioso, quod præcisa iniustitia non habet ex virtute veracitatis cui opponitur, quod sit peccatum mortale.

26 Ideo est secundus modus dicendi, quem idem Suarez asserit esse ipsi rei, & veritati magis consentaneum, vt dicatur vnam tantùm esse obligationem ortam ex pacto præsenti. Quoniam traditio de præsenti alicuius rei ad vsus futuros est & traditio de præsenti, & promissio de futuro, quod eò magis est verum quando id quod datur est ipsa libertas voluntatis illius qui alteri se obligat, & se ipsam tradit. Nam obligare se ad alium tradendo se ipsum in obsequium, non potest fieri nisi per consensum, qui vt respicit futura obsequia vel vsus sit vera promissio; nec alia promissione est opus, quia obligare se ad futura obsequia est illa promittere. Quando ergo *D. Th. q.88. a.5.* inquit, quòd in professione adest promissio humana, promissionem vocat illud pactum per quod religiosus se tradit religioni veluti in conciuem, se obligans ad viuendum in futurum iuxta regulam. Et ita in huius pacti transgressione non continetur nisi malitia iniustitiæ, quia non est hic specialis promissio præter illam, quæ per se est annexa traditioni, qua religiosus se tradit de præsenti ad obsequia futura. Et ita quòd hic duplex tantum adsit malitia iniustitiæ & sacrilegij dixerunt etiam *Palaus tract.16. p.1. num.3. Donat. tom.3. trac.17. q.4. num.6. Anton. à Spir. Sancto trac.3. disp.6. num.15.*

27 Aliunde verò videtur, quòd in hac votorum transgressione sit alia malitia, nimirum malitia opposita virtuti illi ad quam pertinet superioris præceptum. Et quidem hoc est certum, quatenus votum & præceptum est de re aliàs necessaria ex aliquo alio legis præcepto. Sic enim transgressio voti castitatis præter duas malitias sacrilegij contra votum, & iniustitiæ contra promissionem & pactum initum in professione cum Religione, habet tertiam malitiam intemperantiæ si quis iungitur fœminæ solutæ, & vlteriùs nouæ iniustitiæ, si iungitur fœminæ maritatæ, & vlteriùs noui sacrilegij si hæc habeat votum castitatis. Sic ergo vbi materia voti vel præcepti sit necessaria ex naturali præcepto alicuius alterius virtutis, trangressio voti seu præcepti habet malitiam peccati oppositi illi virtuti.

28 Sed præter hanc malitiam videtur esse alia ex parte superioris præcipientis etiam si res non sit prohibita, quia mala, sed sit mala quia prohibita. Quia & superioris præcepta faciunt vt actiones sint bonæ bonitate virtutis intuitu cuius præcipiuntur, & transgressiones sint malæ malitia opposita; & ita semper erit verum, quòd transgressiones præceptorum erunt malæ triplici malitia, scilicet malitia prohibitionis, & sacrilegij, & iniustitiæ. Nihilominùs distingui debet in superiore religioso duplex potestas ea qua præcipit: Alia scilicet est potestas dominatiua, quam habet ex vi voti obedientiæ, & alia est potestas iurisdictionis, quam habet à Pontifice religionem confirmante. Potestas dominatiua quam Prælatus habet ex vi voti illique respondet, substernit materiam præceptam virtuti religionis;

gionis; exigit enim actum præceptum ex eo quòd ille est materia religionis promissa per votum Deo, & sibi etiam debitum ex pacto; ideo transgressio talis præcepti non habet nisi duplicem malitiam sacrilegij, & iniustitiæ. Sed si Prælatus vtatur potestate iurisdictionis dum præcipit, quia lex substituit actus quos præcipit virtuti ea cuius motiuo præcipitur, ideo tunc transgressio vltra malitiam sacrilegij, & iniustitiæ habebit etiam malitiam oppositam illi virtuti ad quam actus præceptus pertinet. Et ita hanc partem sustinet *Suarez num.6.* asserens Prælatum in præcipiendo posse vti vtraque potestate si velit, quamuis regulariter censendum sit quod in modo gubernandi quoad vim directiuam vtantur potestate dominatiua, & quoad vim coactiuam potestate iurisdictionis, sicut in irritando potestate dominatiua, & in dispensando potestate iurisdictionis. Et ita transgressio habebit diuersam malitiam secundùm quod præceptum est à superiore vt vtente diuersa potestate, ita tamen quod quando præceptum est à superiore vt vtente potestate iurisdictionis transgressio non sit mala malitia iniustitiæ, quia Prælati nunquam videntur velle obligare duplici titulo; quòd tamen facere possent si vellent. Et ita in substantia tenuerunt etiam vbi supra *Palaus num.3. Anton. a Spir. Sancto a num.16.*

29 Verùm hæc rationi consona non apparent. Potestas enim iurisdictionis quam habent Prælati est in subsidium, & adiutorium potestatis dominatiuæ, vt possit cogere ad obseruantiam votorum & regulæ, vnde est quòd considerata quacumque potestate ordinaria Prælati regularis, non potest præcipere nisi quæ faciunt ad obedientiam regulæ, & quæ sunt secundùm regulam, quod sibi competit ex virtute dominatiua. Ideo Religiosum non teneri obedire Prælatis nisi ratione voti obedientiæ dixit *Peyr. in subd. capit. 6. dicto 6.* id probans ex *D.Th.2.d.44.q.2.a.3. in vltim. argum. sed contra, & D.Bonau.a.3.q.2.c. Syluestr.v. Religio 6.q.6. Sanchez l.6.cap.2.num.2.* quia & potestas iurisdictionis Prælatorum supponit votum, & ad eius obseruantiam ordinatur. Ideo non est in Prælato regulari quod intuitu perfectionis alicuius virtutis primò, & directè aliquid præcipiat, sed debet respicere virtutem illam vt spectantem ad regulam, & vt promissam per professionem, & sic præcipere intuitu illius, vt est materia regulæ, & spectans ad regulam, & ideo vt materia promissa. Et propterea Prælatus præcipiendo ex quacumque potestate præcipiat nō substituit actum nisi virtuti religionis, seu iustitiæ, quæ iustitia dici potest obedientia ex pacto debita, vnde & transgressio præceptorum non habet aliam malitiam quàm sacrilegij & inobedientiæ seu iniustitiæ. Neque obstat dicere, quod Prælatus succedit loco Episcopi, vt habeat curam subditorum quasi Episcopalem, & quòd potestas iurisdictionis respicit subditum, non qua est religiosus, sed qua est Ecclesiasticus, seu fidelis; vnde Prælatus potest præcipere subdito nedum quæ decent Religiosum, sed quæ decent Christianum. Nam dicitur hæc vera esse, quia quæ decent Christianum decent Religiosum. Et sic licet Prælatus possit hæc omnia præcipere, & habeat potestatem quæ secundùm se respicit subditum, qua Christianus est, & per quam Prælatus potest intuitu cuiuscumque virtutis præcipere. Tamen quia hæc potestas data est illi in subsidium obedientiæ Religiosæ, ideo ordo petit vt Prælatus proximè non præcipiat nisi intuitu Religionis, & sic quòd non constituat actum nisi in specie religionis.

30 Itaque vel actus antecedenter ad præceptum regulæ aut Prælati est præceptus per legem diuinam, aut Ecclesiasticam, vel per nullam legem est præceptus, sed primò præcipitur per regulam, aut superiorem. In primo casu adest in trangressione etiam malitia tertia opposita virtuti ea cuius motiuo actus fuit præceptus; sed etiam si ea eodem motiuo præcipiatur à superiore regulari, nihilominùs transgressio non haberet specialem malitiam distinctam, quia multitudo præcipientium ex eadem motiuo aliquem actum non multiplicat malitias specie distinctas in actu transgressionis, sed eiusdem malitiæ cuius est transgressio præcepti naturalis est transgressio præcepti Ecclesiæ, & cuiuscumque alterius actum illum trangressionis ex eodem motiuo prohibentis vnde, vt ait idem *Suarez nu.8.* Furtum idem quod fit contra legem Dei naturalem, & positiuam diuinam, & humanam Ecclesiasticam & ciuilem, non habet nisi malitiam iniustitiæ. Igitur si antecedenter ad regulam, vel præceptum superioris actus sit ea aliqua lege prohibitus, si ex eodem motiuo prohibeatur à superiore non mutat malitiam, neque alterius speciei malitia ex hoc accedit. Si verò actus prohibetur primò per regulam vel per superiorem, hoc non potest fieri nisi ex intuitu virtutis religionis, vel intuitu obedientiæ promissæ; Antecedenter enim ad pactum, superior Prælatus nihil præcipere potest, Regula verò per se omnia ordinat immediatè in virtutem religionis, & in Dei obsequium & cultum, & licet actus virtutum præcipiat, præcipit illos ex virtute religionis, & regula nihil est quàm specialis modus colendi Deum, & Deo seruiendi ordinatus ad vitæ perfectionem consequendam. Huic verò regulæ superuenit pactū religiosi voto firmatum, quod pactum, & respicit regulam, vt spectantem ad virtutem religionis, & ex religioso voto firmatum, vnde ratione pacti, & promissionis humanæ in pacto & traditione clausæ admiscetur ratio iustitiæ, quamuis totum sit ea virtute religionis imperatum. Pacto verò superuenit præceptum Prælati, quod non potest habere pro materia nisi regulam, vel contenta in regula saltem implicitè, & indirectè, & ex consequenti obligationem quam liberè religiosus suscepit, nec pro motiuo habere potest, nisi quòd religiosus suæ obligationi satisfaciat; & ex consequenti superioris regularis præceptum non potest substituere actum præceptum alteri virtuti, quam virtuti religionis & iustitiæ, quia non habet potestatem nisi vel ortam ea pacto, vel in pacto religioso fundatam, & ad eius obseruantiam ordinatam. Et licet per hoc non negetur, quod intuitu alicuius virtutis tanquam ex fine remoto possit superior actum præcipere, quia hoc potest facere, ita tamen vt proximè respiciat illam virtutem vt spectantem ad regulam religiosam, & ideo vt à religioso promissam, & sic motiuum formale & proprium sit regulæ perfecta obseruantia, quia non est in potestate Prælati quod præcipiat supra, vel extra regulam. Nec fuit necesse dare illi aliam potestatem extraneam etiam iurisdictionis, quia intra regulam

gulam continetur, quidquid rationabiliter posset Religioso prohiberi aut præcipi; ideo sufficientrr prouisum est Religiosis dicta potestate iurisdictionis vt est subordinata, & deseruiens voto. Vnde dato etiam quòd Prælatus immediatè posset præcipere intuitu aliarum virtutum, tamen non est censendus vti tali potestate, sed solùm ea vti secundùm ordinem, secundùm quem est illi data, & quòd semper proximè intuitu obedientiæ religiosæ,& regulæ præcipiat.

31 Ideo bene *Caiet.supra q.*88.*a.*5.docet, quòd vbi actus aliquis ex natura rei non est necessarius ad aliquam virtutem, & ideo non est lege diuina præceptus, vel etiam vbi non est necessarius ex lege aliqua Ecclesiastica, aut positiua, ex vi solius præcepti Prælati regularis actus non subijcitur nisi voto obedientiæ, vel virtuti ad quam pertinet obseruantia seu promissionis factæ in professione, & trãgressio nõ habet aliam malitiam specie distinctam à malitia sacrilegij, & inobedientiæ, nomine inobedientiæ hic intelligendo vel fidelitatem purè promittentis, vel iniustam inobseruantiam pacti per quod religiosus se obligauit ad obediendum, seu ad religiosam inobedientiam. Et sic quotiescumque actus non est malus nisi quia à superiore prohibitus, tunc non est malus nisi malitia irreligiositatis, & malitia iniustitiæ. Ita tamen quòd ex duplici capite adest malitia contra virtutem religionis, scilicet ea voto, quod violatur, & ex materia promissa per votum, quæ est religiosa obligatio, & pactum religiosum ex obiecto; Quia regula formaliter ad religionis virtutem spectat, & non est nisi modus viuendi & colendi Deum, ex intentione diuini cultus, & obsequij eligendus; ideo præscindendo à religione voti; pactum ipsum quod fit in professione est pactum religiosum, continens religiosam obligationem, cuius inobseruantia formaliter est sacrilegium & secundariò est iniustitia.

32 Nihilominùs videri potest, quòd alia malitia inueniatur, scilicet malitia inobedientiæ formalis, & propriè dictæ. Sed constat ex *D. Thom. supra q.*105.*a.*1.*ad p.* hanc malitiam non inueniri in transgressione præceptorum, nisi sit per se intenta, quod euenit, quando quis transgreditur legem ex legis contemptu, & quia non vult subdi legi. Et ita bene verum est, quòd vbi religiosus regulam, vel præceptum superioris ex contemptu absoluto trangreditur, quòd peccat mortaliter etiam ex hoc capite, vt infra explicabitur magis. Et hæc malitia est specie distincta à malitia sacrilegij, & iniustitiæ. Sed non inuenitur ex simplici violatione voti & præcepti, sed solùm si quis violet votum ex contemptu voti, vel præceptum ea contemptu præcepti. Cæterùm simplex violatio præcepti cuiuscumque quæ non fit ex contemptu dicitur inobedientia communiter, & in proposito nostro dici potest inobedientia religiosa, quę per se duplicem malitiam habet scilicet contra religionem, & contra iustitiam. Constat igitur quòd religiosus violando vota per se dupliciter peccat, quia non seruat promissionem factam Deo & simul non seruat pactum religiosum initum cum religione, & ideo est & sacrilegus, & iniustè inobediens.

SVMMARIVM.

1 *Transgressio aliarum obseruationum à votis non est peccatum mortale, nisi adsit præceptum, vel contemptus. num.*33.

33 Quarta conclusio articuli est, in qua statuitur, quod transgressio aliarum observantiarum à materia votorum, quæ continentur in regula non est peccatum mortale, nisi ex duplici capite, vel quia fit ex contemptu, vel quia interueniat præceptum regulæ, vel superioris. Et hæc conclusio est communis, & quantum ad singulas eius partes explicatur in responsionibus ad argumenta. Interim verò colligitur, quòd ex genere suo per se regula non obligat ad peccatum mortale, immò in Ord. Prædicatorum,& similibus,nec per se obligat ad culpam. Immò absolutè de omni regula dici potest. Nam v.g. etiam Regula Minorum, aliqua continet vt consilia, non vt præcepta, vel vt mandata sub culpa obligantia. *Clem. exiui, de verb. signif.* Vnde non valet consequentia, hoc est in regula, ergo obligat sub culpa. *Ledesma de stat. cap.*4.*concl.*12.*Caramuel in Reg. S.Benedicti num.*54. Verum tamen est, quod quidquid est in regula positum,vt præceptum, vel vt statutum, obligat sub culpa mortali, aut veniali respectiuè, nisi Regula aliud explicet. *D. Thom.* hic ad primum, *& quodl.* 1. *art.* 1. *& Caiet.* hic ad secundum, *& tom.*1. *opusc. tract.*25. *quæst.*1. vbi vult, quod regula S. August. obliget ad veniale ratione verbi *præcipimus*, positi in principio, quod etiam sentiunt Vmbertus,& Io.Dominicus in expositione eiusdem regulæ *D.Anton.*3.*p.tit.*16.*cap.*1.*§.*5. *&* 6. & de regula S.Benedicti idem tenet *Turrecrem.tr.*5. *&* 6. & de regulis in communi *Suarez tom.*4.*de Relig.tract.*8.*l.*1. *cap.*3. *num.*8. & probatur *S.Bernard. lib.de praecept. & dispensat. cap.* 12. vbi distinguens inter consilia, & statuta, inquit, *Non iussa quidem licitè vtrumlibet, vel admittantur, vel omittantur, iussa verò sine culpa non negliguntur, sine crimine non contemnantur.* In regula autem S. Benedicti, & S.Francisci multa contineri, vt consilia non est dubium, sicut & in Regula Carmelitarum, Regulam autem S. Basilij magis continere consilia, & doctrinam,quam statuta aduertit Suarez vbi supra.

SVMMARIVM.

1 *Stat votum regulæ, & quod non omnis trangressio regulæ sit peccatum mortale. nu.*34.
2 *Qui profitetur promittit regularem vitam. numer.*35.
3 *Varij modi profitendi.num.*36.
4 *In Ord. Prædicat. regula non obligat ad culpam. num.*37.41.
5 *Religiosus non vouet omnia, quæ sunt in regula. num.* 38.40.
6 *Religiosus sub mortali non tenetur ad omnia, quæ sunt in regula.num.*38.40.
7 *Nec teneretur etiam si per errorem professus fuisset credendo se teneri.num.*39.
8 *Nec si vouisset seruare totam regulam. nu.*39.
9 *Quare Religiosorum aliqui cautius profitentur. num.*40.

AD PRIMVM.

34 MVlta ſcitu digna continentur in reſponſione ad primum, in qua optimè explicatur quomodo ſit votum regulæ, ſi non eſt peccatum mortale ſemper, & in omnibus tranſgredi regulam. Primò autem D. Th. explicat.

Quid voueat ille, qui profitetur Regulam.

35 ET tria aſſeruntur. Primum quod qui profitetur regulam non vouit ſeruare omnia, quæ ſunt in regula. Secundum quod vouet vitam regularem. Tertium, quod regularis vita eſſentialiter conſiſtit in obſeruantia trium votorum. Primum conſiſtit in hoc, quòd ea, quæ ſunt in regula non ſunt immediata materia voti: quod eſt valde conſiderandum: Ideo non eſt neceſſe, vt qui tranſgreditur particularia ſtatuta regulæ peccet mortaliter. Quid ergo vouet, qui profitetur? Reſpondet D. Thom. quod vouet regularem vitam. Vita verò regularis eſt vita habens pro exemplari ad quod formetur, & pro menſura à qua limitetur: regulam ipſam. Sed cum in profeſſione duplex promiſſio reperiatur, iuxta doctrinam *D. Thom. ſup. quæſt.* 88. *art.* 5. *ad* 3. quam ibi explicat Caietan. quia qui profitetur promittit homini, & promittit Deo, promittit Prælato, & religioni regularem vitam, viuere ſecundum regulæ præſcriptum, & promittit Deo ſeruare hanc promiſſionem Religioni factam, ideo promittere dicitur & vouere regularem vitam, viuere ſcilicet ad præſcriptum regulæ. Hoc verò viuere eſſentialiter & primariò eſt viuere ſine proprio, & castè ſub regimine & obedientia Prælatorum Ordinis.

36 Deinde D. Thom. ponit varios modos ſub quibus aliqui profitentur, nam ſunt qui profitentur regulam, ſed alij cautiùs profitentur viuere ſecundum regulam. i. tendere ad hoc vt aliquis formet mores ſuos ſecundùm regulam ſicut ſecundùm exemplar. Et tertiò alij cautiùs profitentur promittentes obedientiam ſecundùm regulam, ita quòd profeſſioni non contrariatur niſi tranſgreſſio præcepti quod eſt in regula; aliorum verò tráſgreſſio non obligat niſi ad peccatum veniale.

37 Pergit D. Th. & ait, quòd ampliùs in aliqua religione, ſcilicet in religione Prædicatorum tranſgreſſio aliorum à votis, & præceptis nó obligat ad aliquam culpam, etiam venialem, ſed ſolùm ad pœnam taxatam in Conſtitutionibus, licet poſſit contingere quòd religioſi etiam in iſtis peccent vel venialiter, vel mortaliter ex negligentia, vel libidine, ſeu contemptu.

38 Ex his igitur habetur hæc regula generalis, nimirum Religioſi ex ſua profeſſione, & voto obedientiæ ita tenentur ſeruare regulam, quòd tamen non omnis regulæ tranſgreſſio ſit culpa mortalis. Sed obligantur ad contenta in regula prout in ea ſunt contenta, nempe ſi continentur vt præcepta obligantia ſub mortali tenentur ſub mortali, & ſi continentur ſolùm vt obligantia ſub veniali, tenentur ſub culpa veniali, & ſi vt conſilia non obligantia ſub aliqua culpa, ad nullam culpam obligantur, vt fuit dictum in ſuperiore quæſtione ad finem num. 113. Quod totum probatur primò, quia cum fratres minores cum magno rigore profiteri videantur, quia promittunt ſeruare regulam S. Franciſci, nihilominùs de illis definitum eſt quod non omnis tranſgreſſio regulæ ſit in illis culpa mortalis ſed vel mortalis, vel venialis, vel etiam nulla ſecundum quod contenta in regula, vel ſunt præcepta rigoroſè per præceptum obligans ad mortale, vel ſunt communiter ſtatuta obligantia ſub veniali, vel ſunt conſilia ſub nulla culpa obligantia, vt habetur. *cap hæc ſi id. §. in primis quia, de verb ſignific. in* 6. *& in Clement.* 1. *§. cum igitur eodem titulo.* Et ratio eſt, quàm affert D. Thom. quia ſcilicet religioſus ex vi profeſſionis non vouet ſingula ſtatuta, ſed vouet in communi regularem vitam, ſcilicet teneri ad viuendum prout regula præſcribit, & ordinat; Et ſecundò. Nam cum in regula multa & minima contineantur, eſſet intolerabile iugum religio, ſi religioſi tenerentur ſub mortali ad ſeruanda ſingula, quæ ſunt in illa. Et ita regulam hanc & aſſertum tradiderunt *D. Thom. hic & 4. d. 38. q. 1. a. q. 1 ad ſecundum & quodl. 1. a. 20. Caiet. in præſenti Turrecremata in prolog. regul. S. Bened. Syluest. v. religio 1. q. 8. dic. 1. & q. 11. dict. 5. Vaſquez p. 2. d. 162. c. 4. Suarez tom. 3. de relig. l. 10. cap. 7. num. 6. & ſeq. Sanchez l. 6. mor. c. 4. num. 9. Caramuel in Reg. S. Bened. num.* 77. & communiter alij.

39 Quod adeo verum eſt, vt etiam ſi aliquis intenderet in ſua profeſſione ſe obligare ſub culpa mortali, & ex voto ad ſingula in regula contenta, credens ita exigere profeſſionem talis religionis, non eſſet magis obligatus, quàm alij. Ex errore enim eſſet dicta intentio, cum tamen aliàs ipſe ſimul intenderet ſe non obligare magis quàm vera profeſſio obliget. Ita *Sanchez ibid num.* 2. Addit verò *Caramuel in Reg. S. Bened. numer.* 94. quòd dato quòd ſuperior poſſet præcipere in virtute ſanctæ obedientiæ totam regulam, tamen hoc præceptum ſub mortali non obligaret ad leuia, & num. 96. ſubdit, quòd etiam ſi quis vouiſſet ſeruare totam regulam, non per hoc ſub mortali obligaretur ad leues.

40 At poſſet quis obijcere & dicere, quòd ſi vera eſt regula ſuperiùs tradita, fruſtra D. Th. in hac reſponſione conſiderauit varias formas profitendi, & docuit quòd aliqui religioſi cautiùs profitentur, non promittentes ſeruare regulam, ſed vel viuere ſecundùm regulam, vel obedire ſecundum regulam. Quia ſi vna eſt omnium profitentium conditio vt nó obligentur ſub mortali niſi ad præcepta, & ſub nulla culpa ad conſilia, nihil intereſt, quòd ſub vna vel alia forma verborum fiat profeſſio. Secundò quia idem *D. Th. quodl.* 1. *a.* 20. inquit, *quòd ſi religioſus profitendo voueret ſe regulam ſeruaturum, videretur ſe obligare voto ad ſingula, quæ continentur in regula, & ſic contra quodlibet illorum agendo peccaret mortaliter.* Vnde eſt quòd ipſe D. Th. ibi ob hanc cauſam putat nullam eſſe religionem, in qua emittatur profeſſio talis, quæ magis eſſet in laqueum, quàm in ſubſidium. Reſpondetur nihilominùs, regulam datam omni religioni eſſe communem; nec eſſe in re diſcrimen inter religiones niſi pro quanto in vna magis multiplicantur præcepta quàm in alia, vel etiam quia in aliquibus omne ſtatutum regulæ obligat ad aliquam culpam,

quod in alia non est verum. Sed in hac formalitate omnes religiones conueniunt, quòd religiosi non teneatur sub mortali ad obseruanda nisi vota & præcepta, & ad alia vel sub culpa veniali, vel sub nulla culpa teneutur. Et nihilominùs vna religio cautiùs profitetur quàm alia, non quia alio modo se obliget, vel minorem obligationem formaliter profiteatur, sed quia communem obligationem exprimit verbis magis clarè & manifestè suauitatem religiosæ seruitutis exprimentibus, & propterea difficultates auidentiùs dissipat, & scrupulos abigit. Quia enim in Ordine Minorum qui profitentur promittunt seruare regulam sancti Frācisci, & tantæ ortæ sunt difficultates, & tam grauesscrupuli, & tot aduersæ opiniones circa obligationem talis regulæ, quòd fuerit necesse consulere summum Pontificem, *vt patet ex Clem. 1. de verbor. signific.* Et modò regula nostra seu assertio est manifesta, quia definita à Pontif. pro ordine Minorum locis supra citatis, vnde multò fortiùs est vera de alijs ordinibus, qui cautiùs profitentur, neç promittunt seruare regulam, sed vel viuere secundùm regulam, vel obedire secundùm regulam. Vnde prima obiectio manet soluta. Ad secundam dicitur, quòd D. Thom. non asserit, quòd promittens seruare regulam, se obliget voto, sed quòd videtur se obligare voto ad singula, quæ sunt in regula. Et hoc est verum, non enim potest negari, quin ex forma verborum appareat profitentem sub illa forma se velle obligare ad singula, quæ sunt in regula; Nam hæc verba; *promitto seruare regulam*, verè hunc sensum habere possunt, ac si diceretur, *promitto non transgredi regulam*, quod est promittere obseruantiam singulorum quæ sunt in regula. Quod verò hic non sit sensus profitentium verum est, quia per promissionem regulę non intendunt promittere nisi vitam regularem, & obligationem viuendi sub regula eo modo quo regula præscribit. Et ideo D. Thom. ibi asserit, in nulla religione fieri tale votum, per quod religiosus maneat obligatus ad seruanda omnia quæ sunt in regula sub culpa mortali, & ideo assertio suprapposita vniuersalis est, & omni religioni communis.

SVMMARIVM.

1 *Non est necesse quod lex obliget ad culpam. num. 41.*
2 *Pœna est nedum, quæ datur pro culpa, sed pro non obseruantia pacti. num. 41.*
3 *Plures Regulæ non obligantes ad culpam. numer. 42.*
4 *Regula S. Augustini non obligat sub culpa. numer. 43.*
5 *In ordine Prædicatorum non est accepta, vt obligans sub culpa. 43.*
6 *Cur in Ord. Prædicatorum detur distinctio leuis, grauis, grauioris, & grauissimæ culpæ, si Constitutiones non obligent ad culpam. nu. 44.*
7 *Regula non obligans ad culpam, obligat sub culpa ad subeundam pœnam. nu. 45.*
8 *Contra talem regulam agere est peccatum si id fiat ex negligentia, seu tempore, & tepiditate. num. 46.*
9 *Et si in indiuiduo transgressio non sit ex honesto fine. num. 46.*
10 *Transgressio regulæ quomodo subsit pœnæ, si in indiuiduo sit actus virtutis. num. 47.*
11 *Peccatum est transgredi regulam ex libidine. numer. 48.*
12 *Et ex contemptu. num. 49.*

De regula non obligante ad culpam.

41 Singularem verò considerationem petit, quod de Ordine Prædicatorum asserit D. Thom. scilicet quòd regula & constitutiones eius vbi non continent votorum obligationem, & præcepta, ad nullam obligent culpam, quia prima facie hoc videtur impossibile quod detur lex quæ obliget ad pœnam, si non obligat ad culpam. Ideo *Io. de Neap. quodl. 14. q. 16.* tenet, Constitutiones Ordinis Prædicatorum obligare ad aliquam culpam, etiam non obstante quòd ipsæ aliter disponant, quia impossibile est esse leges religionis illas, quæ ad nullam culpam obligant. Et præterea nec pœna est pœna nisi supponat culpam, vnde non possunt obligare ad pœnam, quin priùs obligent ad culpam. *Peyrin. etiam in subd. q. 1. cap. 4. vers. obijcies*, arbitratur, quòd obedientia præstita legi non obliganti ad aliquam culpam non sit propriè obedientia. Alij etiam negant huiusmodi leges esse propriè leges, & ex *Sanchez, Suarez, & Bonacina censet Palaus tract. 3. p. 14. n. 6.* has neque esse propriè leges, neque propriè consilia, sed esse regulas & ordinationes, quæ dirigunt ad bonum, ostendendo quid faciendum, & quid vitandum. Sed horum primum est falsum. In ijs enim quæ obligationem non habent, tantùm quisque obligatur quantùm superior intendit obligare, vel quantùm vnusquisque ex pacto se obligat. Cum igitur istæ constitutiones sint de rebus aliàs non obligantibus, & legislator intendat non obligare ad culpam, & qui ingrediuntur huiusmodi ordinem ad ampliùs non se obligent, quàm ad id quod in Constitutionibus continetur, ideo vbi illæ ad nullam culpam obligant, trangressio illarum per se non est culpa. Nec quæ in oppositum adducuntur aliquid valent. De essentia enim legis est quòd possit obligare ad culpam, sed non est de eius essentia quòd actu obligent, quia lex eo modo obligat, quo legislator intendit. Sed & illud, quòd addebatur ex alijs DD. scilicet has non esse leges propriè, apparet non esse verum, quia verè obligant, & subijciunt & cogunt sub distinctione vel ad agendum quod præcipiunt vel ad suscipiendam correctionem, aut sustinendam pœnam, quam pro transgressione imponunt. Et ideo harum legum obseruatio non est actus consilij & bonum supererogationis, sed est vera legis obedientia. Et cum huiusmodi leges sint a legislatore, & dentur subditis, non est vnde negentur esse leges, quia directè & primò non obligant ad culpam, quia hoc non est de essentia legis. Quod verò dicebatur vlteriùs pœnam supponere culpam, respondetur, quòd pœnæ nomen communiter sumptum dicitur de omni illo quod imponitur propter quācumque transgressionem aut legis, aut pacti. Est enim quædam pœnalitas quæ contra voluntatem ex necessitate legis propter legis transgressionem incurritur. Et ita quod constitutiones Ordinis Prædica-

dicatorum excepta ea parte qua respiciunt vota, vel continent præcepta, & vbi res quas prohibent aliàs non sint malæ, non obligent ad culpam docent *D. Thomas hic, & Caiet. D. Anton. 3. p. tit. 16. §. 13. Syluest. v. relig. 1. quæst. 12. Tabien. ibi quæst. 12. Armill. num. 13. Soto l. 1. de iust. q. 6. a. 4. vers. sed soluenda. Viguer. instit. c. 17. §. 1. Vincent. Bandellus super stat. Ord. Prædic. Bartholom. Medina p. 2. q. 96. a. 4. & ibi Vasquez d. 158. cap. 3. Nauar. sum. c. 13. nu. 49. Suarez tom. 1. de Relig. l. 10. c. 7. num. 13. Valent. 2. d. 16. quæst. 4. p. 5. Sanchez l. 6. mor. c. 4. num. 11.* & plures alij.

42 Et quod dicitur de regula & Constitutionibus Ordinis Prædicatorum, verum esse de regulis Minimorum tradit *Passarel. in priuil. minim c. 25.* & idem dicẽdum de regulis Societatis constat *ex 6. parte constit. cap. 5.* & affirmant *Palaus trac. 3. disp. 1. p. 14. num. 5. & Sanchez loco citato.* Regulam quoque Sancti Benedicti non obligare ad culpam multis conatur probare *Caramuel a num. 79.* sed id non probat, cum planè falsum sit quod habet num. 89. dicens, Regulam non obligare in conscientia, quia ego non promisi obedire Regulæ, sed Prælato. Quasi Regula non sit mandatum Prælati, & non sit vera lex instituta à legislatore, qui potuit obligare in conscientia. Quòd ergo obedientia Prælato secundùm regulam ideo fit, quia Prælati qui regulam dederunt mortui sunt, & viuis non promittitur obedientia nisi intra limites Regulæ à prioribus Prælatis ordinatæ. Et idem dicendum de quacumque alia religione simile statutum continente tradit *Caiet. hic ad tertium dubium in fine.*

43 Neque obstat, quòd in Regula S. Augustini quam Prædicatores profitentur, dicitur. *Hæc sunt quæ vt obseruetis præcipimus.* Iam enim supra impugnatus est *Henricus quodl. 6. q. 17.* vbi voluit omnia contenta in dicta regula obligare sub culpa, nam primò dicitur ea *Caiet. tom. 1. opusc. trac. 25. q. 1.* illud verbum *præcipimus* importare quoddam debitum morale, non verò obligationem ad culpam. Secundò dicitur cum *Syluest. verb. religio 1. quæst. 12.* quòd illud verbum *præcipimus* respicit duo charitalis præcepta, quæ ibi præmiserat, vel si respicit omnia, sumitur largè prout idem est quod *monemus.* Hoc enim indicat multitudo rerum & paruitas earum, quæ in dicta regula continentur. Et tertiò additur, in Ordine Prædicatorum eam regulam non fuisse receptam nisi sub hac conditione, vt non obligaret ad culpam nisi in casibus in Constitutione expressis. Ideo dato quòd spectata regula illa secundùm se sit verum, quòd Caiet. tradit in hoc articulo circa responsionem ad secundum in fine, scilicet quòd illud verbum *præcipimus* importat obligationem ad culpam vel mortalem, vel venialem. Ab Ordine Prædicatorum non est illa regula suscepta sub hoc rigore.

44 Et neque obstat, quòd in his Constitutionibus contineantur specialia capitula de leui culpa, de graui culpa, & grauiori, aut grauissima culpa, & sub prioribus capitulis de leui, aut graui culpa multa leuia contineantur, quæ nullam culpam continerent nisi essent prohibita per Constitutiones. Respondetur enim primò ea Caietan. hic ad secundum dubium, quòd constitutio ista eximens transgressores a culpa edita fuit in secundo Capitulo Generalissimo anno 1237. post editas constitutiones, ideo remanserunt illa capitula sub illis nominibus culpæ leuis, aut grauis. Respondetur verò secundò, quòd cum Constitutiones vbi in prologo statuunt Regulam & alia ordinis statuta non obligare ad culpam, mentionem faciant Capituli de grauiori culpa, planè ostendunt quòd in illis capitulis hoc nomen *culpa* sumitur largè pro omni transgressione, vel eo vix sunt Constitutiones, quia in illis cõtinentur aliqua quæ aliàs de se sunt peccata, & ratione illorum totum capitulum obtinet titulum de leui, aut graui, aut grauiori, aut grauissima culpa.

45 Dubitatur verò secundò, an non ferre pœnam taxatam in constitutionibus sit aliqua culpa. Et non tantùm hoc quæritur de pœna taxanda seu ferenda, sed de pœna vel in constitutionibus taxata, vel à Prælato iuxta constitutiones imposita. Affirmant enim *D. Anton. loco sup. cit. & Castro de lege pœnali l. 2. c. 8. Azor. l. 5. instit. cap. 8.* Quia constitutiones negantes obligationem ad culpam, intendunt obligare ad pœnam, quod etiam apertè docent D. Thom. Syluester, & Nauar, loco supra citato. At verò si nulla culpa esset omittere pœnam, religiosos nec ad pœnam obligarent. Nihilominùs oppositum tenet Caiet. hic ad tertium dubium, quem sequitur *Sanchez lib. 6. moral. c. 4. num. 13. ex Armilla, Valentia, & Suarez, Anton. à Spir. Sancto tom. 3. disp. 6. nu. 293. Peyr. in subd. q. 1. cap. 4. not. 6.* vbi quòd in Ordine Minimorum, aliqua culpa est ex speciali declaratione pœnam actu à Prælato secundùm regulam impositam non exequi. Quia aliter constitutio eximens a culpa transgressionem quæ vel aliàs non sit culpa, vel non sit transgressio voti, aut præcepti, non esset vniuersalis, & valeret solùm respectu agendorum, & non respectu patiendorum, quod non est conforme constitutioni, quæ absoluté statuit non esse obligationem ad culpam extra dictos casus. Sicut igitur fractio silentij non est culpa, ita omittere pœnam impositam frangenti silentium non est culpa. Neque obstat quod adducebatur ex D. Thom. & alijs, scilicet quòd Constitutiones obligent ad pœnam, quia ad hoc sufficit, vt si religiosi ea se non subeant pœnam, possint ad illam sustinendam cogi per præceptum obligans ad culpam. Sed prima sententia absolutè vera est, nam regula ipsa, seu Constitutiones, ex quo decernunt se obligare non ad culpam, sed ad pœnam excipiunt transgressionem sustinendi pœnam ab illo vniuersali statuto, quod est non obligare ad culpam. Verum tamen est, quòd vbi pœnæ non continentur in regula nisi vt imponendæ à Prælato, vt sunt pœnæ graues, & maximè illæ, quæ cognitionem causæ & processum supponunt, non est culpa, si Religiosus eas ex se non suscipiat, sed solùm culpa est, si impositas à Prælato recuset. Sed si regula iniungat pœnam vt à Religioso subeundam absque alia impositione Prælati, illam tenetur Religiosus exequi, quia nequit intelligi quòd regula obliget, & nulla sit culpa obligationem non implere. Regula autem huiusmodi obligat verè sub disiunctione vel ad sui obseruantiam, vel ad subeũdam pœnam, ideo primo negato manet obligatio ad secundum.

46 Dubitatur autem tertiò ex quibus causis transgressio regulæ non obligantis ad culpam sit culpa ex parte operantis. Tres enim causas addu-

cit D.Thom. in textu, scilicet negligentiam, libidinem, & contemptum. Et ita D.Thom. sequuntur *Caiet. Val. disp.10. q.4. p.2. Sanchez lib.6. in Decal. cap.4. num.15. Ledesma de statib. cap.4. concl.12. Peyr. in subd. q.1. cap.4. §.2.* Nomine autem negligentiæ Caiet. duo intelligit, scilicet torporem mentis, qui sit causa transgrediendi regulam seu non faciendi quod regula præcipit, & tepiditatem mentis, quæ sit causa vt regula non seruetur bene & sicut oportet. Et sic culpa est, quando ex nulla alia culpa Religiosus trangreditur regulam, quam ex torpore, & tepiditate mentis. Potest etiam vniuersaliùs dici, quòd negligentia hic importet negationem honesti finis mouentis ad non implendum statutum regulæ. Negligitur enim statutum seu lex, si saltem sine causa iusta non seruatur, vt aduertunt *Valentia 2.2. d.10. q.4. p.5. Vasquez p.2. d.1154. cap.4. num.16. Sanchez l.6. mor. cap.4. num.24. & Peyr. vbi sup.* Sed hoc credo verum ex ratione communi ex qua de lege naturali est, vt si homo agit agat ex fine & motiuo honesto, non ex ratione speciali, quasi vbi lex aliquid præcipit, & si nolit obligare ad culpam, seu velit quòd sui transgressio ex suo genere non sit culpa, velit tamen vt saltem sui transgressio non sit ex malo fine, & non honesto motiuo. Nam ex vi legis non obligantis ad culpam executio legis relinquitur de se indifferens, vt sine culpa esse possit legis violatio, & sic illa transgressio secundùm substantiam non est culpa, quòd verò sit ex hoc, vel illo motiuo est circumstantia actus, quæ ex lege naturali debet esse bona, non verò ex Regula, quæ circumstantiam actus non præcipit, sed eius substantiam statuit. Cæterùm si ex honesta causa agit, transgressio regulæ tunc quæ non est culpa secundùm substantiam, sit actus virtutis ex virtuoso motiuo, sicut virtus est agere indifferentia ex iusta causa, & motiuo honesto,

47 Sed statim difficultas se se offert. Si enim religiosus ex honesto motiuo transgrediens regulam nedum non peccat, sed virtuosè agit, non potest esse obligatus ad pœnam; quia pœna non datur virtuti. Sed respondetur negando sequelam, & propositionem assumptam explicando. Pœna enim non debetur virtuti formaliter, potest tamen pœna communiter dicta deberi actui virtutis ratione alicuius imperfectionis in eo inuentæ seu sub ea ratione sub qua nec est nec non est virtus. Sic in contractu in quo relinquitur libertas à culpa aliquid agendi vel non agendi, sed tamen cum pacto, vt qui non agit aliquid soluat, omissio actionis si fiat ex causa honesta est actus virtutis, sed tamen omittens ex pacto tenetur ad solutionem quantitatis conuentæ. Sic qui transgreditur regulam non obligantem ad culpam, si actum à regula ordinatum omittat, vel prohibitum agat ex iusta causa & cum alijs circumstantijs debitis non peccat, sed habet actum virtutis, & tamen tenetur subire pœnam conuentam, & taxatam, quia non fecit id ad quod ex pacto inito cum Religione seu legislatore tenebatur. Nisi causa non seruandi legem sit talis, vt ex ea præsumi possit superioris dispensatio, vel per Epijciam interpretari possit regulam in eo casu non obligare.

48 Secunda causa ex qua trangressio regulæ potest esse culpa est libido, per quam *D. Anton. 3.p. tit.16. c.1. §.13.* intelligit complacentiam fruitionis, quam dicit esse culpam mortalem. Sed vt notat Caiet. cupiditas hic importat excessum voluntatis, per quem aliquid magis concupiscitur, quàm dictet recta ratio. quæ cupiditas ex suo genere est solùm peccatum veniale, vt docet *Sanchez nu.14.*

49 Tertia verò causa est contemptus, qui quidem ex genere suo importat peccatum mortale. Sed de hoc dicemus circa responsionem ad tertium. Quomodo verò superior non possit sine iusta causa præcipere obligando ad culpam ea, quæ ex regula ad culpam non obligant, dictum est *artic. super. num.114.*

SVMMARIVM.

1 *Non omnia contenta in lege obligant ad culpam. num.50.*
2 *Vnde cognosci possit, quòd regula obligat ad culpam. num.51.*
3 *Leuia non præcipiuntur sub mortali. nu.52.*
4 *Sæpius leuia ex circumstantijs sunt grauia. numer.53.*
5 *Ex quibus causis res leuis fiat grauis. nu.54.*
6 *Ex sola materia grauitate non colligitur obligatio sub mortali. num.55.*
7 *Superior rem grauem potest præcipere sub obligatione culpæ leuis, vel pœna. nu.55.*
8 *Lex natura obligat ad obediendum superioribus eo modo quo ipsi exigunt obedientiam. nu.56.*
9 *Obligare sub mortali sæpius est minus bonum, quàm obligare vel sub leuiori culpa, vel sub pœna. num.56.*
10 *Lex obligat ex intentione legislatoris. nu.56.*
11 *Ad videndũ an lex obliget sub mortali inspici debet intentio legislatoris. num.57.*
12 *Supposita grauitate materiæ obligatio sub mortali colligitur, vel ex verbis, vel ex pœna. numer.58.*
13 *Vbi ex consuetudine verba habentur, vt importantia obligationem sub mortali, lex eodem modo obligat. num.58.*
14 *Vbi lex est, aut consuetudo, vt lex non obliget sub mortali, nisi concipiatur sub verbis determinatis à lege, non obligat sub mortali, si vtatur alia forma verborum. nu.59.*
15 *Consuetudo est optima legis interpres. nu.60.*
16 *In Religionibus ex communi vsu est, vt superior non intelligatur obligare sub mortali, nisi præcipiat in virtute S. Obedientiæ, vel sub forma verborum æquiualenti. nu.61.*
17 *Si alia forma vtatur, & significet velle obligare, obligat sub mortali. num.62.*
18 *Quid dicendum in Ordine Prædicatorum remissiuè. num.62.*
19 *Quod dictum est de viris Religiosis, intelligitur de Monialibus. nu.63.*
20 *Quando superior mandat in virtute sancta obedientiæ non est necesse, quòd dicat Præcipimus, &c. num.64.*
21 *In dubio de materiæ leuitate præceptum obligat. num.65.*
22 *Si præceptum ex materiæ leuitate non obligat sub mortali, obligabit sub veniali. nu.65.*
23 *Formæ æquiualentes formæ verborum in virtute* S. Obedientiæ. *num.66.*

24 *Ver-*

24 *Verbum præcipio ex sua significatione absolutè sumpta non importat obligationem sub mortali, num.67.*
25 *Verbum præcipio ex vsu iuris habet vim obligandi ad mortale secundum aliquos, & secundum alios non. num.68.*
26 *Ex Clement.exiui non deducitur certè, quòd verba præceptiua obligent sub mortali.nu.69.*
27 .71. *Regula quod ex grauitate materiæ vniuersaliter debeat accipi, quod verbum præcipio obliget sub mortali incerta est, si illud verbum ex vi sua ad mortale non obligat.nu.70.74.*
28 *In dubio lex interpretari debet, vt obliget sub veniali.num.71.*
29 *Quæ consideranda, vt ex qualitate materiæ sumatur obligatio sub mortali. nu.72.*
30 *Princeps non quantum potest, sed quantum expedit intendit obligare.nu.72.*
31 *Non sunt impropriãda verba.nu.73.*
32 *Regula data de impropriandis verbis conuincitur falsa.num.73.*
33 *Quæ sint verba præceptiua.nu.75.*
34 *Verbum debet an sit præceptiuum? nu.76.*
35 *Verbum oportet an sit præceptiuum. nu.77.*
36 *Verba debeat &c. an sint præceptiua. nu.78.*
37 *Verba imperatiui modi an sint præceptiua, numer.79.*
38 *Verba communia, quæ sint.num.80.*
39 *Verborum præceptiuorum ambiguitas indiget Ecclesiæ determinatione. nu.81.*
40 *Legis naturæ, & diuinæ obligatio ex quibuslibet verbis imperatiuis innotescit.num.82.*
41 *Regula cognoscendi obligationem sub mortali ex grauitate materiæ valet respectu legis naturalis, & diuinæ.num.83.*
42 *Vbi lex positiua determinat legis naturalis, aut diuinæ indifferentiam, quantum ad modum sufficiens ad obligandum sub mortali etiam verba prædicantur communia.nu.84.*
43 *Non est eadem ratio de lege positiua necessitante ad indifferentia.num.85.*
44 *In dubio an materia legis sit grauis, habenda est vt grauis.num.86.*
45 *In dubio an lex contineat præceptum vel consilium, præsumi debet continere consilium. numer.86.*
46 *Respectu legis positiuæ inspicienda est vis verborum.num.87.*
47 *Indicium de opinionibus diuersis. nu.88.*

AD SECVNDVM.

50 CONclusio huius responsionis ad secundum est, quòd non omnia quæ continentur in lege traduntur per modum præcepti, sed quædam proponuntur per modum ordinationis cuiusdam vel statuti obligantis ad pœnam. Vnde aduertendum hic primò, de mente S. Thomæ esse quòd in legibus tam ciuilibus, quàm Ecclesiasticis non omnia obligant ad culpam, & quòd datur lex purè pœnalis obligans ad certam pœnam, absolutè enim ait, quòd non omnia quæ continentur in lege traduntur per modum præcepti, sed quædam proponuntur per modum statuti obligantis ad pœnam.

Vnde cognosci possit, quod lex vel superior aliquid præcipiens intendat obligare ad culpam, vel mortalem, vel venialem?

51 CIrca hanc responsionem proponit Caiet. quæstionem valde necessariam, vnde scilicet cognosci possit, quòd regula contineat aliquid vt præceptum obligans ad mortale, vel veniale. Quod est idem quod quærere in vniuersali, vnde intelligi possit quòd leges obligent sub culpa mortali, vel sub veniali, vel etiam sub nulla culpa. Plura enim assignãtur ex quibus hoc colligi possit.

52 Et ideo primò dubitatur an ex qualitate hoc possit cognosci? Nam non desunt qui hoc negent, quia tenent quòd legislator ad quamcumque leuem materiam possit obligare sub mortali, quod tenuit *Clauis regia l.3.c.7.num.17.* Quæ tamen sententia communiter reijcitur vnde Prælatum seu superiorem quemcumque non posse in leui materia obligare ad mortale, etiam si præcipiat in virtute sanctæ obedientiæ, vel sub pœna excommunicationis, tenent *Medina p.1. q.96. a.4. ad 3. Castro de lege pœnali cap.5.docum.1.Val.2.2. d.7.q.5.p.6. Azor. lib.5.Instit.c.6.num.5.Suarez l.3.de legib. c.25. nu.2. & tom.3.de relig.l.10.cap.4.num.9.& cap.7.num.10. Sanchez l.1.mor.cap.5.num.4.& l.6.c.4. num.24. Anton.à Spir.Sancto tract.3.disp.6.num.89. Tambur. de iure Abb.tom.2.disp.21. q.11.num.4. Peyrin. de subd. q.1.cap.5.§.4.concl.4. Ledesma de statibus cap.4. conclus.8. Salas p.2. quæst.96. tract.14. disp.10. sect.6. num 30. Coton. contr.1. cap.4. num.74. Palaus tom.1. trac.3. disp.1. p.14. num.3. Greg.Martinez p.2. q.96. a.4.dub.2.concl.3. Martinez de Prado cap.3. quæst.10. num.8. Donatus p.1.tract.1.q.39. Serra p.2.quæst.96. a.4.dub.2. Diana p.3.trac.5.res.34.& trac.6.resol.91.* Cuius ratio est, quia & culpa, & pœna debet esse proportionata transgressioni, at verò transgressio in leui materia talis est vt secundùm rectam rationem non sit magni facienda, ac propterea non est capax tantæ obligationis cui debeatur æterna pœna, & diuinæ amicitiæ priuatio.

53 Et nihilominus verissimum est, quòd res quæ est leuis ex genere, sæpe est magna ex circumstantijs, ex quibus habet quod in ordine ad bonum commune sit magnæ vtilitatis vel damni, & digna vt præcipiatur & prohibeatur sub mortali. *Donatus part.1.q.29.num.6.* Et propterea Prælati aliquando res leues etiã sub pęna excommunicationis præcipiunt. Et bene Valentia aduertit aliquos decipi putantes præceptum Prælati de seruando silentio non obligare ad mortale, quia silentium sit res parua, cum sit valde vtile ad finem religionis. Ideo Caiet. *v.præceptum* docet impossibile esse, quòd ex sola materiæ leuitate cognoscatur an lex humana obliget sub mortali, quia res quæ leuis videtur, & est talis in se spectata, fit grauis ex circumstantijs, quas sæpius solus superior cognoscit, & subditi ignorant, quòd frequentiùs posse in religionibus contingere aduertit *Suarez l.10. citato 4. nu.9.* propter commune bonum illarum. Solùm igitur si appareat rem præceptam esse omnibus pensatis leuem,

uem, poteſt argui quòd præceptum non obligat ad mortale. Hoc quoque ex *Suarez, Diana, Palaus, & Coton. adacriunt*, quòd vbi ſuperior rem leuem præcipiat ex intentione obligandi ſub culpa mortali, eſto hoc efficaciam nō habeat reſpectu culpæ mortalis, tale præceptum nihilòminus adminùs obligat ſub veniali. Nam & vniuerſaliter verum eſt, quòd aſſeruit *Leſſius l.2. c.41. num.74.* dum ſuperior præcipit, ſemper præſumitur eum velle obligare, ſaltem ſub veniali; niſi tamen vbi regula requirit quòd ſuperiorum præcepta non obligent ad culpam, niſi fiant ſub determinata forma verborum, & expreſsè ſignificetur.

54 Rem verò leuem fieri grauem dicendum eſt, ſi vel ab ea pendeat aliquod graue commune bonum, vel malum vitandum, vt ſi ob honeſtatem & bonum nomen Religionis, vel ad tollendum ſcandalum, vel ad auferendum periculum aliquod ſalutis, ſuperior præcipiat ne ſubditi ingrediantur talem domum, vel vt non loquantur cum tali perſona, vel vt non loquantur cum mulieribus in Eccleſia, vel vt non ingrediantur hortum, ſi eſt ibi periculum, vt cum inhoneſtis mulieribus tractent, vel ſi eſt periculum alicuius magni damni Conuentus, vel ſi ex aliquo leui actu poſſit grauiter perturbari pax. Ex Nauar. etiam & *Portel. Anton. à Spir. Sancto num.91.* inter graues cauſas ponit notabilem moleſtiam, aſſerens, poſſe ſub mortali præcipi ne furto tollatur fructus aliquis ſpecialis, qui ſit notabilis, vel particulari Domino deſtinatus, vel quid ſimile ex cuius furto ſuperior notabilem ſumet moleſtiam, vel ne res parua auferatur de cella alterius fratris, ratione magnæ moleſtiæ, perturbationis aut periculi, quod inde imminere poteſt. Vbi verò dubium ſit materiam eſſe leuem, neceſſe eſt obedire, & præceptum habebit vim obligandi ad mortale ex dictis ſupra, vt etiam aduertit *Peyrinus d.§.4. & Cord. Arag. & Sanchez* leuis etiam res poteſt præcipi ad experimentum obedientiæ, & in ordine ad notabilem profectum ſubditi.

55 Quæritur ſecundò, an ex ſola intentione præcipientis ſuppoſita materiæ grauitate cauſari poſſit quòd præceptum obliget vel non obliget ad mortale, ideoque vt appareat an præceptum obliget ad mortale inſpicienda ſit intentio præcipientis? Nam aliqui putant non eſſe in poteſtate præcipientis ſuppoſita materiæ grauitate, ſi præcipiat, non obligare ſubditos ad mortale, & liberum quidem eſſe ſuperiori præcipere, vel non præcipere, ſed ſi præcipiat neceſſariò velit, nolit, ex natura rei obligare ad mortale. Quod probatur primò: quia vis obligandi eſt in præcepto ex iure naturali dictante eſſe obediendum ſuperioribus; igitur ſi detur præceptum de re graui, illud velit nolit præcipiens, obligat ſub mortali. Tum ſecundò quia tam ſtulta voluntas eſt velle quòd præceptum de re leui obliget ad mortale, quàm quòd præceptum de re graui obliget ſub veniali, & ideo eadem ratione vtrumque eſt impoſſibile. Tum tertiò quia exiſtente cauſa exiſtit effectus, cauſa verò obligationis eſt ſubſtantia præcepti & eſſentia, quæ eſt prior obligatione illius; poſita igitur præcepti ſubſtantia non poteſt non poni obligatio. Et ideo hanc partem ſuſtinent *Victor. relec. de poteſ. ciuil. numer.19. Medina p.2. q.96. a.4. Vaſquez p.2. d.158. c.3. num.16. & cap.4. a. an.32 Bellar. tom.1. Controu.5. de membr. Eccleſ. milit. l.3. c.11. Salon 22. q.77. a.1. Controu.8.* Sed hæc ſententia deficit, quia immò tota præcepti efficacia ex voluntate præcipientis ſpectatur, qui ſicut rem grauem poteſt non præcipere, ſed conſulere, ita poteſt ordinare & ſtatuere, & non magis propriè præcipere, & vt dicit D. Thom. in hac reſponſione ad ſecundum, vt obligent ad veniale. Secundò: nam neceſſitas aliquid agendi, vel non agendi in ordine ad bonum commune illa eſt quæ mouet voluntatem ſuperioris ad hoc vt ordinet, vel præcipiat, ad bonum verò commune etiam modus præcipiendi, & modus obligationis ordinatur, & ſub directione ſuperioris cadit. Sicut igitur ſuppoſita materiæ grauitate & vtilitate in ordine ad finem communem adhuc in libertate ſuperioris eſt, rem illam ſtatuere & ordinare per ſtatutum quod obliget ſolùm ad pœnam, quia hoc ſufficit in ordine ad bonum commune, ad quod etiam fortè minùs conducit & vtile eſt quòd tranſgreſſores ſtatuti obligentur ad culpam; quia & hoc regulariter verum eſt, quòd qui pœnam grauem non timent, nec timent culpam. Ita in poteſtate ſuperioris eſt videre, an melius ſit præcipere ex tota voluntatis efficacia; & obligare ſub culpa mortali, vel potiùs obligare ſub culpa veniali.

56 Nec efficacia ſunt, quæ in oppoſitum adducuntur. Ad primum enim dicitur, ius naturale obligans ad parendum ſuperioribus ſupponere voluntatem ſuperiorum; quia imperium quod eſt actus rationis non habet efficaciam niſi ex præſuppoſita voluntate. Ideo ius naturale vult quòd non dum obediatur ſuperioribus, ſed quòd obediatur eo modo quo ipſi exigunt obedientiam, vnde ſi intendunt obligare ad mortale, & ſub pœna graui, ſic etiam ſub tali obligatione eſſe illis obediendum, ſed ſi intendant obligare ſub *veniali ad plus* ſubditi non tenentur. Ad ſecundum dicitur ſtante materia quæ omnibus penſatis ſit leuis, iniuſtum eſt omnino imponere præceptum ſub mortali. Quia ſi aliàs hoc poſſet eſſe iuſtum hoc eſſet, quia materia ſit notabiliter vtilis ad bonum commune, & ſic non eſſet materia leuis. Sed in re graui non obligare niſi ad veniale non eſt malum, immò poteſt eſſe reipublicæ vtilius, quia verè onus graue eſt obligare ſubditos multitudine præceptorum. Nam & ſubditi ex infirmitate humana legem tranſgredientes ſi non peccant mortaliter, nec gratia Dei priuantur, nec fiunt Dei inimici, diſpoſitiores ſunt ad emendandos defectus, & fortiores ad obedientiæ iter, ideo valde conuenit, & optimum eſt quantò minùs fieri poſſit imponere præcepta obligantia ſub priuatione diuinæ gratiæ. Ad tertium dicitur, quòd eſſentia præcepti tota per ordinem ad voluntatem legiſlatoris deſumitur, ex qua habet obligandi efficaciam, nec omne præceptum eſt eiuſdem rationis, nec deſunt qui dicant ordinationes, quæ non obligant ad mortale eſſe præcepta, quod alij negant; Et quidquid ſit de hac quæſtione de nomine, certum eſſe debet dari ordinationes obligantes ad mortale, & ordinationes obligantes ad veniale; Sed hoc pendet maximè ex efficacia voluntatis ſuperioris præcipientis, & ideo dari poteſt ordinatio de re graui, quæ obliget ad veniale, ſiue hæc vocetur, ſiue non vocetur præceptum. Et ideo præcepta habere vim obligandi ad mortale, non ex ſola materiæ grauitate, ſed ex intentione

præci-

præcipientis; posse verò dari vel præceptum, vel ordinationem de re graui, quæ ex intentione ordinantis obliget solùm ad veniale docent *Soto l.1. de inst.q.6.a.4. Ledesma 2.p.41.q.17.a.2.dub.5. Castro de lege pœnali l.1.c.5.& 12. Tolet. cap.19. num.3. Val. p.2.d.7.q.5.p.6.q.2. Sayro l.3.c.7. num.1. & 17. Less. l.2.c.41.d.9.nu.76. Suarez tom.3.de relig.l.10.cap.7. num.11. Sanchez l.6.mor.c.4.num.25. Donat. Anton.3. tr.17.quæst.14. Diana p.3. trac.6 resol.91. Coton. Controu.1.cap.4.n.76. vbi ex Suarez tom.4.in 3.p.disp 38. sec.2. num.5.* quòd Confessarius grauem pœnitentiam potest imponere sub veniali. *Martinez de Prado in q.9 moral.c.3.q.10.num.15.* & apud eum *Rocaful. Villalobos, Bonacina, Carbon, & Escobar Mendoza. Serra p.2.q.96.a.4.dub.2.concl.p.* & est sententia *Caiet.v.præcepti transgressio prope.*

57 Ideo regula generalis est, vt ad videndum an lex scripta vel animata obliget ad mortale, inspicienda sit intentio legislatoris, nec ex sola grauitate materiæ hoc colligi posse, sed obligare ad mortale, vel veniale iuxta voluntatem legem ferentis & ita hanc regulam tradiderunt præter citatos authores *Caiet. v. præcepti transgressio, Sylnester v.præceptum q.3. Armil.v.lex.nu.4. Angelus ibi nu.3. Nauar.sum.c.23.num.49.*

58 Dubitatur tertiò vnde cognosci possit intentio legislatoris obligandi vel ad mortale, vel ad veniale? Respondetur, quòd supposita grauitate materiæ, si legislator mentem suam expressis verbis non explicat, hæc duplici via maximè colligi potest, scilicet vel ex vi & efficacia significationis verborum quibus præcipit, vel ex pęna sob qua obligat. Quantum vero ad vtrumque modum plures regulæ dari possunt. Et quidem primò hæc est communis, quam tradit Caiet. hic vt nimirum vbi communis consuetudo & sensus subditorum est, quòd aliqua forma pręcipiendi non sit ambigua, nec æquiuoca ad plures sensus, sed intelligatur tanquam obligatiua sub mortali, vel veniali, lex quoque obliget sub mortali vel veniali, verba enim accipi debent secundùm quod ex communi vsu significant. Igitur si in vsu communi alicuius regni, vel Prouinciæ, vel Ciuitatis, vel Religionis est quod aliquod verbum importet præceptum obligans sub mortali, lex lata à proprio superiore & pro illo regno, vel Prouincia, vel Ciuitate, vel Religione obligabit ad mortale.

59 Et econtra vel si consuetudo est, aut etiam statutum in aliqua religione, quòd præceptum non intelligatur fieri vt obligans ad mortale, nisi fiat sub forma aliqua determinata verborum; sicut in Ordine Prædicatorum statuit Constitutio quòd nullum præceptum siue in regula siue à Prælatis factum possit obligare ad culpam mortalem nisi præcipiatur aliquid vel sub pœna excommunicationis, vel per hæc verba *præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ*, huiusmodi statuta seruanda sunt, & consuetudines attendendæ, vt docent *Caiet. hic Sylnestr.v.præceptum q.2. Armil.ib.num.7. Angelus v.lex. num.3. Vasquez p.2.d.158.c.3.numer.24. Sanchez l.6. mor.cap.4.num.28. Suarez t.3.de relig. l.10.c.4. nu.8.* Quæ tamen regula intelligitur quando præceptum fit à superiore proprio, regionis, seu religionis qui stare debeat consuetudini aut statuto; Nam de eo qui non subditur particularium regionum consuetudini aut legi, hæc regula non valet: Pontifex enim potest religioso Ordinis Prædicatorum præcipere sub obligatione ad mortale, etiam vtendo alia forma verborum, & omni ea, qua reliquos subditos obligare potest. Communem quoque sensum esse quale receptũ, vt Prælati tunc censeantur velle sub mortali, cum præcipiunt sub merito sanctæ obedientiæ, virtute Spiritus sancti, & sub excommunicatione maiori, dixit *Peyr. in subd. q.1.cap.5. §.4. dicto 3.* Sed certè in hoc considerandæ sunt leges & consuetudines Religionum: Nam in Ordin. Præd. præcipere in meritum sanctæ obedientiæ non est forma obligans ad mortale.

60 Secunda regula est, vt attendatur communis existimatio communitatis cui lex traditur. Quibuscumque enim verbis præceptum detur, si communis sensus eorum, qui eo lege tenentur eam intellexit, & acceptauit vt obligantem sub mortali, obligauit sub mortali, si verò vt obligantem sub veniali, obligabit sub veniali. Ita *Sanchez loco citato referens Caiet. hic & v.præcepti trangressi. Cast. l.1.de lege pœnali docum.6. Nauar. sum.c.23. num.58. Cordub.in regul.S.Franc.cap.10.q.3.p.1. Emanuelem Sà v.lex.num.3. Tolet.c.19.num.7. Valent.2.d.7.10. q.4.p.5.* Verùm hæc regula intelligi debet, si hic communis sensus sit legitima consuetudine præscriptus. Sic enim verum est, quòd consuetudo est optima legum interpres. Nam aliàs leges in vniuersum sicut non habent vim obligandi ex intelligentia, & acceptatione subditorum, sic nec consequuntur ex ea efficaciam obligandi ad mortale, vel veniale, sed consuetudine legitimè præscripta lex interpretatur, & tantùm obligat quantùm consuetudine præscribitur. Vnde non placet quod Sanchez ex Valentia asserit, scilicet hoc esse vnicum signum ex quo sufficienter colligi possit, legem omnibus consideratis obligare sub mortali, nempe communem populi receptionem pro maiori communitatis parte sic acceptantem, & intelligentem legem idque dignoscendum ex communi iudicio, & sensu bonorum, ac peritorum. Quia intentio legislatoris ex acceptantium sensu non pendet, & vna pars acceptantium etiam maior etiam bonorum, & peritorum non potest præiudicare alteri, nec facere vt ea sit intentio legislatoris, quæ non est, vel certum sit hanc esse, si ex forma verborum id est ambiguum. Ideo nisi sensus & intelligentia legis consuetudine legitima præscribatur, non est certus legis interpres.

61 Sed quia nunc absolutè de obedientia debita legibus à quocumque subdito non agimus, sed de obedientia religiosa, & vt testatur *Vasquez p.2. d.158.c.3 num.24.* in multis religionibus, vel vt ait *Suarez tom.3.de relig.l.10.c.4.num 11.* communi vsu religionum est receptum, quòd si superior simplici verbo præcipiat, non censeatur velle obligare sub mortali quantùm est ex suo positiuo præcepto, & ex obedientiæ voto, nisi dicat in virtute sanctæ obedientiæ, vel quidpiam æquiualens. Ideo hæc erit regula generalis, vt iuxta hunc communem vsum, nullum simplex verbum præceptiuum, & nec verbum *præcipio* significet intentionem Prælati esse se velle obligare subditum sub mortali, nisi præcipiat in virtute sanctæ obedientiæ, vel sub aliqua æquiualenti forma præcipiendi, ex qua sufficienter colligi possit talis intentio, vt asserit *Suar.cit.* & tenent *Less.l.2.c.41.n.74.& Fagund.l.8.c.6. nu.21.*

62 Sed si Prælatus non vtatur hac forma præcipiendi in virtute sanctæ obedientiæ, vel alia æquiualenti, & tamen intendat obligare, & constet de hac intentione, erit ne illi obediendum sub obligatione culpæ mortalis? Communiter loquendo tale præceptum obligabit ad mortale, quia superioris intentio talis est, & de ea sufficienter constat. Sed in Ordine Prædicatorum aut alio consimili in quo ex regula seu constitutionibus est præscripta forma præcipiendi sub obligatione ad mortale, nisi superior ea forma vtatur non valebit præceptum in rigore obligandi ad mortale, vt diffusè probo infra.

63 Cæterùm, quæ dicta sunt in communi pro religiosis, vera censenda sunt etiam respectu monialium, licet enim nonnulli sentiant, Abbatissam aut Priorissam non posse præcipere in virtute sanctæ obedientiæ, quia careat iurisdictione spirituali, tamen nedum hoc non est verum vt supra probatum est, quia potestas præcipiendi in virtute sanctæ obedientiæ non innititur iurisdictioni sed potestati dominatiuæ quæ consurgit ex voto obedientiæ, & quam habet Abbatissa, cui moniales obedientiam promittunt. Sed dato quòd in Abbatissa præcipere in virtute sanctæ obedientiæ esset ineptus modus præcipiendi, esset tamen sufficiens ad manifestandam intentionem eiusdem esse obligare sub mortali, & ideo sic obligaret, vt tradit *Sanchez dicto c.4. num.45.*

64 Quando etiam superior vtitur forma præcipiendi in virtute sanctæ obedientiæ non esse necesse vt vtatur verbo *præcipimus*, sed sufficere si vtatur verbis communibus & nullam ex se obligationem inducentibus, vt sunt verba *ordinamus*, vel *statuimus*, docet idem *Sanchez num.43. ex Gabriele, Castro, & Azorio.*

65 Et hæc vera sunt, etiam si sit dubium an materia sit ita grauis, vt sit capax obligationis sub mortali. Nam in dubio standum est iudicio superioris, & ita vbi non constat de materiæ leuitate, præceptum datum in virtute sanctæ obedientiæ obligat sub mortali. *Sotus 4.d.22.q.1.a.2.concl.1.corol.1. Cordub. in reg. S. Francisci cap.10. q.3. a.1. Aragon. 22.q.62.a.2. Vasquez p.2.d.158. c.5. num.40. Medina p.2.q.96. a.4. Sanchez num.46.* Immò si constaret materiam esse leuem præceptum tale obligaret ad veniale, quia intentio superioris est obligare quantùm potest, vt ex Corduba Sanchez aduertit.

66 Aliæ autem formæ præcipiendi æquiualentes præcepto in virtute sanctæ obedientiæ sunt plures, vt si dicatur *in virtute iuramenti præstiti, aut voti facti quia importatur obligatio iuramenti, vel voti Azor. tom.1.l.5.c.6.q.1*, vel *sub pœna præstiti*. Exigitur enim obedientia ratione iuramenti seu voti, *Sanchez loco citato num.43.* Item *in virtute Spiritus Sancti* quia vsus obtinuit, quòd talia verba importent obligationem sub mortali. *D. Anton. 3.p.tit.4. c.2.§.3. Armilla v. lex. num.4. Ledes.2. p.4.q 17. art.2. d.6.* Item *in nomine vel virtute IESV*, quia eadem procedit ratio. *Sanchez loco citato.* Item *sub interminatione gehennæ*, quia ea comminatio non conuenit nisi culpæ mortali *Castr.l.1. de leg. pœnal. cap.5. docum.4.* Item *sub pœna maledictionis æternæ*, quia hæc solis Dei inimicis conuenit. *D. Anton. Armil. Azor. citati, & Tabien. v. lex q.28. num.29. Syluest. v. præcep. q.3. Vasquez p.2.d.158 c.5. num.46.* Item *sub pœna indignationis Dei*, ob eandem rationem. *Syluestri. Tabien. Armil. Azor. & Vasquez citati.* Item *sub indignatione Apostolorum Petri & Pauli* ob eandem rationem. *Nauar. sum. c.23. num.53. Sayr. l.3. c.7. n.24. Val. t.2. d.7. quæst.5. p.6.q.3. Salon. 22.q.77. a.8.* Item *sub stricto Dei iudicio. Gab. 4. d.16. q.3. a.1.* Item *sub obtestatione diuini iudicij*, quia eadem est ratio. *Nauar. Val. & Sayr. citati.* Item si dicatur *stricte mandamus, aut præcipimus*, quia strictè mandare est grauiter obligare. *Azor. & Nauar. citati.* Verùm *Serra p.2.q.96.a.4.* hoc limitat vt sit verum, si præfata verba præceptum strictè sumptum denotent. Secus si solùm denotent incrementum præcepti communiter dicti, eiusque strictius vinculum, vt regulariter contingit. Item si dicatur *sub præcepto*. Sed hoc non approbat *Sanchez loco citato*, quia præceptum est commune peccato mortali, & veniali. Etenim in iure valde controuersum est an verbum *præcipio* & alia similia ex vi verbi importent obligationem præcipuè sub mortali. Ego DD. placita referam nihil definiendo ex mea sententia, quoniam cum Caiet. in hoc artic. existimo, quòd in hac quæstione omnimoda certitudo haberi non possit, nisi Sedes Apostolica quæstionem determinet.

67 Quantùm ad verbum *præcipio*. Hoc primò considerandum est, quòd potest eius vis attendi, vel ex eius significatione absolutè sumpta, vel sumpta, vt stat sub vsu iuris communis, aut municipalis. Nam quòd nullum verbum præceptiuum, nec etiam verbum *præcipio*, ex sua significatione absolutè sumpta importet obligationem sub mortali, hic probant *Caiet. & Nauar. cap.23. numer.50.* significant enim verba generalia obligationem, hæc vere communis est tam ad obligationem sub culpa veniali, quàm sub *culpa mortali*, & de facto multæ leges naturales, & diuinæ obligant tantum sub veniali, vt lex de non mentiendo, de non ridendo immoderatè. Et sic plura vitia sunt, quæ ex genere important solum peccatum veniale, vt auaritia quatenus est contra virtutem liberalitatis, vt habet *D. Thom. sup. q.118. ar.4.* & pariter timor malus non est ex genere, & semper peccatum mortale. *D. Thom. sup. q.125. art.3.* Et idem D. Th. in hac 22. quando tractat de præceptis fidei, spei, & charitatis, prudentiæ, iustitiæ, fortitudinis, & temperantiæ, multa sub præcepto comprehendit, ad quæ obligamur solùm sub veniali. D. etiam Aug. in sua regula vtitur verbo *præcipimus*, & tamen non omnia in ea contenta obligant sub mortali, itaque obligatio ad agendum est communis ad hoc quod est teneri sub veniali, & sub mortali, verba verò præceptiua ex sui significatione non important, nisi obligationem ad agendum, & imperium prudentiæ, præcipere enim ex Arist. 6. Ethicorum est actus proprius prudentiæ, qui respicit bonum opus, siue sit contrarium peccato mortali, siue veniali, igitur non valet consequentia, vt ex quo præcipere importat obligationem ad agendum deducatur, quod importet obligationem sub mortali. Nec valet, quod habet *Suarez lib.3. de legib. cap.26. num.7.* dicens, quod verbum *præcipio* habet vim ex sua significatione vt importet obligationem sub mortali, si materia sit capax; quasi dicendum sit, quòd sit per accidens, quòd non obliget sub mortali ex materiæ incapacitate & leuitate. Quia vt probatum est, legislator etiam in materia graui potest

test præcipere sub obligatione ad veniale, & ex intentione eius est quòd sub vno vel altero culpæ genere obliget. Nam & inspicere debet legislator, an ad finem suum & ad bonum publicum sit necessarium obligare sub pęna amissionis diuinæ amicitiæ, & æternæ damnationis, an veró hoc non sit necessarium, sed sine hac graui obligatione etiam in materia grauissima possit consequi finem suum; Ideo verbum *præcipio* de se & ex sua formali significatione absolutè sūpta habet non importare obligationem ad mortale etiam in materia graui.

68 An verò verbum *præcipio* ex vsu iuris communis Canonici importet obligationem sub mortali affirmant *Caiet. hic Sylu. v. præceptum q. 2. Armilla v. lex. nu. 4. Nauar. cap. 23. num. 52. 53. 54. Suarez lit. B. de legibus. cap. 25. num. 6.* & plures alij apud Sanchez *l. 6. in Decal. cap. 4. nu. 29. Bonac. de leg. disp. 1. q. 1. p. 7. §. 4. num. 4. fundantur in Clem. exiui, de verbor. significat. ibi. Aperte discreuit quòd quoad quadam ipsorum ex vi verbi transgressio esset mortalis, & quoad quadam alia non, cum ad quadam ipsorum verbum apponat præcepti, vel æquipollentis eidem, & quoad alia verbis alijs sit contentus.* Sed oppositum sustinent *Led. 2. p. 4. q. 17. a. 2. d. 6. Med. p. 2. q. 96. a. 4.* & ibi *Vasquez disp. 158. cap. 4. num. 3. & 35. Sanchez l. 6. in Decal. cap. 4. num. 30.* & apud eum *Salon. & Toletus.* nihilominus volunt isti DD. quòd vbi materia sit grauis adsit obligatio sub mortali, hoc enim tenent etiam huius secundæ sententiæ sectatores, inde est, quòd adest regula, quæ apud modernos DD. est valde communis, quia scilicet verbum *præcipio*, & alia verba præceptiua in materia graui obligent sub mortali. *Victor. relec. 3. de potest. Ciuili num. 13. Sanchez vbi supra,* & apud eum *Aragon. 2. 2. q. 62. a. 3. col. 6. §. Et si quis quæras. Molina tom. 2. disp. 344. Carbon de legibus l. 7. disp. 4. propos. 1. & Sayr. in Claui reg. l. 3. c. 7. nu. 15. Item Bonacina de leg. disp. 1. q. 1. p. 7. §. 4. num. 6.* & apud eum *Valentia. Salas. Sa. Azor. Donatus p. 1. tr. 1. q. 29. num. 6. Cotonius lib. 1. contr. 1. cap. 4. num. 82. Antonius à Spiritu Sancto in direc. p. 2. trac. 3. disp. 6. num. 197.* Sed isti DD. in substantia facti non tenent contrariam opinionem ei, quam sustinent *Caiet. & Nauar.* Nam nec illi dicunt quòd verbum *præcipio* in materia euidenter leui, si contingeret quòd lex eo vteretur, obligaret sub mortali, sed dicunt quòd vbi lex Canonica eo vtitur, habet intentionem obligandi sub mortali, quoniam tale verbum ex vsu id significat & simul supponunt ius commune non vti eo verbo ad leuia præcipienda.

69 Et tamen hoc est difficile intelligere, quòd ex vsu iuris communis verbum *præcipio* ex sua vi & significatione importet obligationem sub mortali: Nam non est textus in iure, ex quo hoc certè colligi possit. Quod enim adducitur, ex Clem. *Exiui*, licet videatur habere maximam vim, quòd non ita sit intendunt DD. pro secūda opinione relati, & pūctum stat, quòd Clemētina illa loquitur in casu speciali regulæ S. Francisci, in qua iam ex vsu & communi intelligentia verba præceptiua intelligebantur vt obligantia sub mortali, & dubium quod Pontifici proponebatur erat, an illius Ordinis Religiosi sub mortali obligarentur etiam ad consilia & ad totam regulam, conuenientibus omnibus sine hæsitatione in hoc, quod tenebantur sub mortali ad obseruantiam votorum & eorum quæ per verba præceptiua statuta fuerant, vt est manifestum ex eadem Clem. ibi. *Fuit hæsitatum, an fratres eiusdem Ordinis ad omnia tam præcepta, quàm consilia Euangelij ex professione sua regula teneantur. Quibusdam dicentibus, quòd ad omnia, alijs verò asserentibus, quòd ad sola illa tria consilia, scilicet viuere in obedientia, in castitate, & sine proprio, ad ea, quæ sub verbis obligatorijs ponuntur in regula, obligantur.* Itaque ex vsu illius regulæ & communi intelligentia verba præceptiua inducunt obligationem sub mortali: Quando igitur Pontifex interpretando regulam ait, *quòd quadam illorum ex vi verbi transgressio esset mortalis*, incertum est an intelligat ex vi verbi vt est in vsu iuris communis, vel potiùs vt est in vsu legis municipalis illius regulæ; & præferri debere videtur hic secundus sensus, quia verba intelliguntur iuxta subiectam materiam, & cum de obligatione legis municipalis tractaretur, conueniens fuit vt obligatoria verba inspicerentur ex vi quam habebant ex vsu illius legis, & non ex vsu iuris communis. Et hoc probat *Serra p. 2. q. 96. a. 4. dub. 2.* ex eo, quòd Pontifex declarat, quòd verbum *teneantur* in illa regula vim præcepti habeat, quia communiter Ordo sic sentit. Ex eo igitur textu non colligitur per certam consequentiam, quòd verba præceptiua ex sua vi & vsu iuris communis importent obligationem sub mortali.

70 Inde est, quòd semel dato quod secunda sententia tenet, scilicet quòd verbum *præcipio* ex vi suæ significationis non importet obligationem sub mortali, nec est certa regula à DD. eiusdem 2. sententiæ statuta nimirum ex grauitate materiæ sumi obligationem sub mortali; quia vt probatum est, obligatio sub mortali pendet ex intentione legislatoris, & sicut quàmuis omne peccatum mortale sit dignum morte, iuxta illud. *Qui non obedierit Principi morte moriatur, vt in cap. 2. de maior. & obed. & cap. quod præcipitur 14. q. 1.* tamen non omnis trangressio legis etiam in re graui punitur pœna mortis, ita non est necesse quòd omnis transgressio legis etiam in re graui puniatur pœna æternæ mortis, ideo liberum est legislatori vt considerato negotio, & inspecto an indictio pœnæ mortis æternæ sit vel non sit necessaria ad bonum commune obligare vel non obligare sub mortali, cui æterna mors est coniuncta. Et eò magis, quòd longe diuersa est ratio in lege naturali, & positiua. Nam quæ cadunt sub naturali lege, ex natura rei habent certam connexionem cum fine rectæ rationis, vnde iuxta materiæ grauitatem habent etiam grauem & considerabilem, & notabilem ordinem, & necessitatem ad finem, nec res grauis potest esse leuiter necessaria ad finem rationis rectæ. Sed quæ cadunt sub lege positiua indifferentia sunt, nec per se habent certam connexionem cum fine, sed hoc videre spectat ad Principem. Et quia res aliàs in se grauis potest non esse multùm necessaria ad finē legislatoris, non licet ex materiæ quantitate aut grauitate magnam obligationem deducere, sed intentio legislatoris inspici debet. Cum bene contingere possit quòd non expediat subditos obligari sub culpa mortali ad agendum, etiam si aliàs sit summè necessaria ad bonum commune. Nam & immò contingere potest quòd per legem purè pęnalem, & ad nullam culpam obligantem grauissima præcipiantur, vt fit in Religionibus Societa-

tis, Carmelitarum Discalceatorum, Ordinis Prædicatorum &c,

71 Et regula igitur illa est incerta. Alias verò ex solis probabilibus & incertis velle inducere obligationem sub culpa, & pœna omnium aliarum maxima nec valde conforme est regulis iuris tam naturalis quàm positiui. Et *Nauar. loco citato*, scilicet *cap.23. num.50.* docet, quod in dubio lex est intelligenda de culpa & pœna veniali, non de mortali, quia leges in dubio de minori pœna intelligendæ sunt, *l. interpretatione*, *& l. si præses. ff. de pœnis. & cap. in pœnis*, *de reg. iuris in 6.* & facit alia regula ibid. scilicet in obscuris minimum est sequendum. Quod etiam ex *Sayro l.3. cap.17. & Diana p.3. tr.6. ref.74. trnt Caton lib.1. contra. cap 4. num.565.*

72 Et nihilominùs admittendo dictam regulam attendi omnino debet, vt non consideretur res ipsa grauis præcisè secundùm se, sed consideratis omnibus alijs circumstantijs, & singulariter habitudine eius ad finem legis, si scilicet sit valde necessaria seu vtilis ad finem consequendum, & quàm maximè si ad finem conducat obligatio sub mortali, vel potiùs quantùm ad culpam sufficiat obligatio sub veniali, vel etiam sub nulla culpa: nec tam facilè induci debet obligatio sub mortali, quæ pœnam æternæ mortis secum fert. Ideo de singulis legibus iudicandum erit ao sub mortali obligent pleoè omnibus circumstantijs, & fine, & causa, & verbis legis inspectis. Et principium illud *Bonacina de legib. disp.1. q.1. p.7. §.4. num.13* scilicet quòd Princeps condens legem præsumitur eam condere secundùm plenitudinem suæ potestatis, planè falsum est sic absolutè dictum, quia præsumi debet quod eam condat quantùm conuenit, & expedit, ideoque & quantùm rationabiliter vult, & intendit. Quamobrem si semel verum est, quòd verbum *præcipio* neque ex vsu Iuris communis, aut municipalis per se importat obligationem sub mortali, ex sola qualitate & grauitate rei præceptæ secundùm se sumptæ non potest colligi obligatio sub mortali, nisi simul consideretur an lex esset iniustis, vel deficiens si omnibus pensatis non obligaret sub mortali, sed solùm sub veniali.

73 Quod autem verba aliquando etiam improprientur, & ita vt verbum rogo, significet idem quod præcipio, ex *cap.* Rogo 11. *q.3.* vt habet ibi *Glossa v. rogo*, & econtra verbum *præcipio* sumatur vt est idem, quod *moneo*, ex *cap.2. 12. q.1. & Gloss. ibid.* aduertunt *Panorm. c. nam conscientiam de Constitut. num.3. Syluestr. v. præceptum q.2.* Verùm ex dictis textibus hoc noo probatur; Nam in *d. cap. Rogo.* Greg. hortatur vt Clerus Salonitanus non communicet cum illis qui communicant cum excommunicato; bene verò potest superior absque nouo præcepto subditos monere hortari, & rogare, vt præcepta seruent, vt considerauit *Dec. ad d. cap. nam concupiscentiam in p. lec.21. & 22.* Vnde non est firma regula, quam ea *Innoc. & Anton.* afferi *Sanchez l.6. in Decal. c.4.* & quam latè prosequitur *Felin. d. cap. nam concupiscentiam à num.3.* vt scilicet, quando constat materiam esse præcepti, tunc quibuscumque verbis consilium importantibus textus vtatur, ea impropriè vsurpantur, vt præceptum importent, Vbi verò materia est consilij etiam verba præceptum importantia improprientur, vt consilium importent. Quando autem neutrum constat inspiciendus est rigor verborum & seruandus. Nam quid intelligunt per materiam præcepti? Vel enim intelligunt materiam quæ iam alia lege est præcepta; Et tunc nulla est necessitas impropriandi verba significantia consilium, sed immò illa sunt in propria significatione accipienda, quia signum est, quòd superior noluit addere præceptum præcepto, sed voluit, hortari, suadere, consulere, rogare vt præceptum iam positum obseruetur. Si verò materia per nullam legem est præcepta, iam illa de se est vel indifferens nec bona, aut mala, aut si bona est materia consilij ex nulla lege necessaria. Quòd si hoc stante verba præcepti improprientur deberent, vt sonarent in consilium non in præceptum, nullum esset præceptum legis positiuæ, nisi vbi præciperet ea, quæ sunt de præcepto legis diuinæ aut naturalis, quia alia ante præceptum positiuæ legis sunt de consilio. Non igitur huiusmodi improprietates verborum tutæ sunt, nec admittendæ nisi per accidens in casu in quo esset absurdum verba intelligere in proprio sensu: Sed immò debet summopere attendi proprietas significationis verborum, quæ sūt signa ea humana institutione instituta ad significandas internas conceptiones, passiones, voluntates. Quòd si stante præcepto legis adhuc communiter à viris doctis res præcepta se habet, vt de consilio non obstante præcepto, dicendum potius est verba præceptiua ex vi suæ significationis non obligare, nisi aliquo adiuncto, quod in eo casu deficiat, vel consuetudinem legi præualuisse, non verò Principem absiuè loquutum fuisse, & accepisse verbum *præcipio*, vt sit idem, quod hortor, & moneo. Et quod ex *cap.2. 12. q.1.* adducitur in exemplum, desumptum est ex epist. quinta Clementis Apocrypha, & *in qua scriptor vel corruptor* illius sumit verbum *præcipimus* valde propriè. Docet enim ibi, quòd apud fideles debent omnia esse communia, & inter hæc omnia numerat etiam coniuges. Et præmisso quòd tempore Apostolorum omnia fidelibus erant communia, subdit: *Quapropter hæc vobis cauenda mandamus, & doctrinis, & exemplis Apostolorum obedire præcipimus, quia hi, qui mandata eorum postponunt, non solùm rei, sed exterres sunt.* Hæc verò consulentis verba non sunt, sed præcipientis. Et Gloss. quæ conata fuit in bonum sensum vel vi trahere textum, meliùs dixisset illum vel non esse Clementis, vel fuisse corruptum.

74 Et hinc magis apparet, quòd vbi est sermo de lege positiua, regula desumpta ex grauitate materiæ non potest esse vndequaque secura, si verbum *præcipio* aliàs ex se non obligat sub mortali quia materia illius est res indeterminata, & quæ de se non habet necessariam, & determinatam connexionem cum virtute, sed ipsa lex est, quæ inducit hanc determinatam necessitatem secundùm majorem vel minorem obligationem ad arbitrium legislatoris. Et sic si consideratur materia hæc antecedeter ad legem, non habet necessitatem determinatam ad virtutem, nec aliam petit nisi quæ visa fuerit determinanda per arbitrium legislatoris; qui si præcipiendo constituat materiam illam in statu necessitatis ad virtutem, cum hoc ex eius arbitrio depēdeat eius intentio inspici debet, quàmuis non possit negari quin spectata re, & circumstantijs

stantijs vna materia non sit magis vtilis ad virtutem, quàm alia, & ideo magis apta vt legislator cum maiori rigore, & strictiori vinculo obliget ad illam. si videat periculum imminere, ne lex in præiudicium boni communis contemnatur, si sine rigore speciali lex præcipiat.

75 Communiter verò DD. admittunt, quòd præceptiua verba sint præcipio, iubeo, impero, edico, iniungo, vt patet per Felinum, qui latè de hac materia disserit in cap. Nam concupiscentiam a nu.5.de constit.& DD. quos sequitur Sanchez n.33. & prohibentia sint, prohibeo, inhibeo, veto, interdico. ex eodem Sanchez nu.34. Nihilominùs Emanuel Sà v.lex.num.6.voluit, quòd verbum iubeo non sit præceptiuum. De verbo etiam mando an sit præceptiuum difficultas est, affirmat enim Sanchez.num.35.ex Archid.cap fin.num.3. 33.q.1. Anton. cap.Nam concupiscentiam & alij ab eo relati in fine de Const.Vasquez p.2.disp.158. cap.3.num.21. & c.6. num.56.Barbosa dict.196. falsò pro hac sententia referens S.Anton. & se fundans in cap. cum tè, 7. & cap.mandatum 38.de rescript.& cap.mandato de præb. in 6. ex quib. sua sententia non deducitur. Sed oppositum sentiunt Syluest.v.lex q.8.D.Anton.p.2.tit.4. cap.2.§.3.& p.3.tit.16.c.1. §.9. fin. ex Archid. §.quisquis 24.q.5.Azor.lib.3.c.6.num.q.5. Sà v.lex. num.6. Card.Clem.final. num.3. propè finem de procuratorib. & in cap.quoniam Abbas, de off. delegati, & in Clem.1.not.8.de iudic.qui tenent,quòd verbũ mando non sit idem quod præcipio, & quòd importet obligationem sub veniali, non sub mortali. Felin. etiam, qui citatur à Sanchez pro priori sententia non est alienus ab hac secunda nam d.cap.nam concupiscentiam num.6. habet ex Gloss.in l. sæpe ff. de off. præsidis, quòd mandatum non importat necessitatem tam præcisam sicuti verbum præcipio, & n.7. quòd verbum mando non importat regulariter necessitatem. Et quòd mandatum sit vltra consilium, & citra mandatum, & quòd verbum præcipio differat à verbo mando ex multis DD. probat ibi Addit. Est igitur incertum an in iure positiuo præcipio & mando eandem necessitatem importent. Quàmuis in scripturis sæpissime mandatum & præceptum pro eodem sumantur, vt per totum Psalmum 118. & Eccle.41.& Io:13.& 15. & in p. canonica sua. Sed non mirum, quia respectu legis naturalis, & diuinæ quodlibet verbum iubentis est præceptum obligans ad mortale in re graui.

76 De verbo autem debet, quod æquipolleat v.præcipio affirmant Syluest. in summa v. præceptum q.2. Gloss. in v. non debet in cap.proposuit de appellat. Gloss. in v. debeant in Clem. attendentes de statu monach. Rota dec.79. num.1. & dec.276.num.2:p.1. recent. & quàmplures alij, quos referunt & sequuntur Sanchez d. l.6. c.4. num.36. & Barbosa, Dict.77. num.1. Felin.in d.cap.Nam concupiscentiam, de Constit. quàmuis hoc limitent vt non sit verum, quando materia aliud requirat, vt si sequeretur absurdum, vel cum dispositio est ad fauorem eius pro quo profertur, vel quando adiungitur particula importans consilium, vt dicendo humiliter teneatur. Sed idem Barbosa statim num.9.limitat alio modo assertionem adeo, vt ferè illam destruat, dicit enim, quando verbum debet ponitur in lege, quod tunc non importat necessitatem, sed decentiam, & vrbanitatem, & id probat ex l.non solùm §.1.ff.de noui operis nunciat.& l.3.C.de pignoribus. Burg.de Pace cons.46. & Card. Tus. lit. D.&concl.22. num.3. fatetur quòd non semper verbum debet inducit necessitatem. Et quidem est considerandum, quòd verbum debet aliquando assumitur vt explicet alterius legis necessitatem, & tunc eam necessitatem significat, quam fert lex illa. cuius obligatio per verbum debet explicatur. Sicut cap.oblata de appellat.dicitur, quòd literæ subreptitiæ non debent habere firmitatem, sunt enim tam ex iure naturali quàm de iure positiuo infirmæ. Sed quando assumitur verbum debet ad inducendam nouam obligationem, an æquipolleat verbo præcipio alij affirmant, id verò Barbosa negat, quando lex est, quæ tali verbo vtitur. Quòd si hoc admittitur, & cur non erit verum etiam quando illud assumit superior vt aliquid mandet, vel ordinet?

77 De verbo oportet etiam est controuersia an æquipolleat verbis præceptiuis. Affirmant plures quos referunt Sanchez vbi supra nu.37. & Barbosa dict.242.quos sequitur Bonac.de leg.disp.1.q.1. p.7.§ 4.num.9. Sed quòd hoc verbum sit indifferens, & aliquando significet necessitatem, & aliquando honestatem dixerunt Felin. ad d. cap. nam concupiscentiam num.5.Gloss.in cap.p.v.oportet, de præscript. in 6.& cap.1.v.oportet.23.q.1. vbi Archid. num.vnic. Turrecrem.num.2.Salon, & Carbon, quos sequitur Sanchez vbi supra.Gratian.discept.146.num.1 S.Giurba, quem sequitur Barbosa num.3. Sed & hoc verbum ex sua significatione aptius est ad exprimendam alterius legis præcedentis obligationem, quàm ad nouam inducendam.

78 Quod verbum teneantur æquipolleat præceptiuis & importet necessitatem ex Castro, Sà, Vasquez. Sayro, & Azor.dixit Sanchez. num.38. idem asserens de verbo obligentur. Sed quòd verbum teneantur habeat indifferentem significationem, sicut & verbum oportet & verbum debet, dixit. Barbosa dict.406.ex Gloss.cap.p.in v.oportet.de iudic.in 6.Anton.Monac.Lucen.dec.67.num.17. Pariter quòd præceptis æquipolleant omnia verba necessitatem significantia, vt necessariò, necesse est, ex Gloss.cap. Domino.v. necesse dist.50. & Archid. ibid.num.1. & DD. supra citatis tenet Sanchez d. num.38. idem putans dicendum de hoc verbo. non licet, & de verbo non potest, de quo multis DD.allegatis idem asserit. Barbosa d. dict.268. num.3, Quod verò hæc verba teneantur, obligentur, necesse est, debeant, non liceat, non potest, sint æquipollentia præceptis docent Bonac.de legib.disp.7.q.1. p.7.§.4. num.6. Anton.à Spir.Sancto p.2.tr.3.disp.6. num.198. Coton. lib.1.contr.1.cap.4.num.80. Iuuat verò aduertere, quòd huiusmodi dictiones sæpe adducuntur vel ad prioris legis significandam obligationem, vel ad denotandam necessitatem ad valorem actus, non verò ad significandam obligationem moralem seu necessitatem præcepti.

79 De verbis imperatiui modi, vt facite, faciant, non conueniunt etiam DD. alijs dicentibus importare necessitatem, vt Bonac. de leg. disp.1. q.1.p.7.§.4. num.10. Anton.à Spir. Sancto vbi supra num.200. alijs dicentibus importare obligationem sub veniali, vt Nauar.c.22.nu.49. alijs nullum importare præceptum, quia huiusmodi verba grammaticè non iuridicè dicunt præceptum, vt Caiet. hic, alijs quòd huiusmodi verba in iure communi,

& Concilijs important obligationem sub culpa ex qualitate materiæ diiudicanda, vt *Vasquez p.2. disput.158.c.3.nu.25.& Coton.lib.1.contr.1.cap.4.n.81.* Alijs quód standum est consuetudini Religionis acceptantis & intelligentis ea verba, vel vbi consuetudo non adsit, spectandam esse materiam vt *Sanchez d. cap.4.num.39. Felin.d.cap.Nam concupiscentiam num.8.de Constit.Syln. v.preceptum.q.2.Tabien.v.lex.nu.29. Armill.nu.4.Vasquez p.2.disp.159.cap.2.nu.10.* Hoc mihi aduertendum videtur, quód ex *Clem.exiui de verb.signif.* manifestum est, quód verba imperatiui modi non important præceptum, sed neque ex ea colligi potest, quód in materia grauí id importent, quia ibi Pontifex expressit multa obseruanda à minoribus tanquam de præcepto, quæ in regula continentur significata per verba imperatiui modi, sed hoc non fuit factum attenta sola vi significationis verborum, sed quia Pontifex iudicauit sic illis expedire, vt ex d. Clem. manifestum est.

80 Verba autem communia, quæ nec sunt præceptiua, nec æquipollent præcepto censentur verba, *hortamur, mouemus, ordinamus, stabilimus, Constituimus, innouamus, volumus, intendimus*, de quibus videri possunt *Panorm. in rubr. de obseruat. ieiunior. Felin.ad d.cap.Nam concupiscentiam. Angelus v. lex num.3.Armill.num.4.Tabien.num.29.Syluest. v præceptum q.2. Vasquez p.2. q.158. cap.3. Anton.à Spir. Sancto vbi supra num.198.* & plures alij, quos refert *Sanchez d. cap.4. num.40. vbi num.41.* dubitat de hoc verbo *Decernimus*, quia non æquiualere præcepto sentiunt *Archid.cap 1. nu.2.dist.76.& ibi Domin.& Turrecrem.ipse cum Panorm.cap.Nam concupiscentiam num.4. de Constit. Syluest.Tabien.Ang.* & alij tenentes esse verbum commune. Et cum Panor. loco citato, & alij sentiant hæc verba communia importare obligationem sub culpa veniali, quod & alij tenent, idem *Sanchez num.43. ex Anton.& Vasquez* censet per ea verba nullam obligationem ad culpam significari *Bonac.tamen de leg. disp.1.q.1.p.7.§.4.num.51.* existimat, quód huiusmodi verba importent præceptum in materia graui obligans ad mortale. *Serra p.2.q.96.a.4.d.2.* censet ex vi horum verborum non importari obligationem, quæ tamen adesse potest ex intentione legislatoris.

81 Hæc sunt, quæ de significatione verborum præceptiuorum plures sentiunt; ex quibus bene colligitur, quód ut habet Caiet. ad huiusmodi ambiguitates tollendas opus esse authoritatiua declaratione Pontificis. Nam aliàs nullius Doctoris est tribuere uerbis significationem legalem. Quàmuis quia verbis vtendum est vt plures, & consuetudo maximè valet ad determinandam verborum significationem, communis DD. intelligentia possit esse talis, vt consuetudinem significet, & importet; & aliàs etiam excellentium DD. intelligentia non sit parui facienda. Sed tamen vbi agitur de obligando humano genere, & imponenda necessitate sub pœna æternæ damnationis, non tam de facili est huic, vel illi Doctori assentiendum vbi loquitur sine textu, & attenditur forsan sola grammaticalis verborum significatio, cum hic attendi debeat significatio legalis.

82 Considerandum etiam est, quód ex parte legis est præcisa necessitas, vt sit clara, prout *artic. super.num.245.* est probatum, & ideo legis est manifestare se ipsam & se prodere, & intentionem suam claré significare. Et si id non facit, ipsa deficit. Lex veró naturalis, & diuina in hoc minimé deficiunt, quia legis naturalis principia sunt per se lumine naturæ euidentissima, & principia legis diuinæ supernaturalis sunt lumine fidei certissima. Vnde circa illarum intelligentiam non est difficultas nisi in applicatione, & discursu ad deducendas conclusiones ex principijs. Et tamen conclusiones istæ ad principia habent necessariam connexionem per certas consequentias deducibilem, vnde est quód materia harum legum ex parte rei est necessaria, si cadit sub lege, nec opus est venari intentionem legislatoris ambiguam, seu ambiguè significatam, quia est certissima legislatoris intentio se extendens ad principia vel euidentissima, vel certissima, & ad omne id, quod per necessariam consequentiam ab illis deducitur, seu deduci potest, & ex consequenti deduci debet. Ideo respectu naturalis, & diuinæ legis etiam verba imperatiua, & communia sufficientia sunt ad significandam necessitatem & obligationem; Vnde præcepta Decalogi data fuerunt per simplicia verba imperatiui modi. Dominus, inquit, vnus est, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua &c. Dominum Deum tuum timebis &c. Deut.6. Et inde est etiam, quód respectu harum legum sufficit, quód Ecclesia declaret & verbum *declaramus* est sufficientissimum ad inducendam obligationem legis in casu aliàs dubio; quia leges istæ, ex certa Dei authoris naturæ & gratiæ intentione obligant, & sufficit quód nobis innotescat certitudo consequentiæ, per quam particularior conclusio ex vniuersalibus principijs deducitur, vndecumque hoc innotescat, & fiat manifestum.

83 Hinc est, quód *respectu legis naturæ, & diuinæ* supernaturalis maximè vera est regula, quód obligationis forma ex qualitate, & quantitate materiæ accipi debet. Neque enim est ibi dubium vel esse potest de intentione legislatoris, & an conueniat legem de facto obligare sub mortali vel potiùs sub pœna temporali graui, quoniam intentio legislatoris certissima est obligandi sub culpa ad omne id, quod per certam consequentiam ex principijs legis deduci potest, & debet. Et ideo solùm ex leuitate materiæ obligatio sub veniali deducitur; nam alias, quod est contra huiusmodi leges est per se rationi contrarium, & à ratione dissonum, & nisi sit leue est valde dissonum, & ideo est culpa grauis.

84 Loquendo veró de lege positiua distingui etiam debet. Quia vbi lex positiua determinat indifferentiam legis naturalis, & diuinæ, sic vt Vrbanus octauus in sua constit. *cum eueniret.* quæ est 152. & data fuit 13. Octobris 1638. per sola verba *statuimus, & Ordinamus* mandauit, vt si contingat vigiliam S.Io: Baptistæ incidere in diem Corporis Christi, fideles non ea die, sed die antecedenti ieiunent. Et idem Vrbanus in sua Const.156. data Idibus Septembris 1642. per verbum *decernimus, & declaramus* numerum festorum dictum præfixit; nulli dubium est fideles sub mortali esse obligatos ad huiusmodi leges seruandas, vt v. gr. quando determinant legis indifferentiam, quantùm ad tempus, ad locum, ad quantitatem, & huiusmodi circumstantias, vt est in lege ieiunij, vel in determinatione modi colendi Deum per hos, vel illos

actus Religionis tali die, & forma habendis; non est necessaria ex parte verborum legis sic indifferentiam legis naturalis aut diuinæ determinantis tanta vis & efficacia præceptiua; quia in huiusmodi jam homines ex lege naturali, & diuina tenentur ad actus huiusmodi secundùm substantiam. Nam v. g. homines tenentur Deum extrinsecus colere, & fidem suam protestari & visibiliter ostendere, quod verò fiat, hoc vel illo die, sub hac vel illa forma, quòd ieiunium habendum sit hoc tempore, vel per tantum tempus, quòd audiatur sacrum in his vel alijs diebus, quòd hæc vel illa festa celebrentur, hoc quidem est ex determinatione Ecclesiæ, sed ad inducendam obligationem grauem circa huiusmodi non video cur non sufficiant verba imperatiui modi, aut etiam quædam verba, quæ inter communia numerantur, vt sunt verba *statuimus, Ordinamus, Decernimus, Volumus*, quia res ipsa ex natura sua continet obligationem grauem supposita Ecclesiæ determinatione, & ideo sufficiunt verba quæ determinationem Ecclesiæ significent, qua supposita lex ipsa naturalis, aut diuina obligat. Et ideo in istis etiam maximè ualet regula de colligenda graui culpa ex grauitate materiæ, nec est opus attendere an uerba ipsa ex sua significatione sint ualde præceptiua.

85 Sed ubi sumus in materia de se indifferente, etiam quantùm ad substantiam actus, & quæ præcipitur quia assumitur tanquam medium ad aliquam virtutem, ad quam illud medium per se non est necessarium, sed necessitas oriri debet ex lege, & præcipuè cum leges facillimè fiunt fundatæ in præsumptionibus, quæ fallaces esse possunt, seu fiunt ex eo quòd pauci abutuntur rebus, & hac occasione omnes obligantur, ab illis superioribus qui vitia coercere nesciunt nisi nouas leges imponendo communitati sine necessitate, & huiusmodi leges etiam sæpe educuntur ad huius vel alterius zelū habentis, seu etiam ostentantis, sed non secundùm scientiam, instantiam, & iudicium, non adeo de facili intelligi debēt istæ leges, vt imponant nouam obligationem sub pœna æternæ mortis, nisi hoc exprimant sufficienter.

86 Ideo in præsenti cum ex duplici capite possit oriri dubium an lex uel præceptum obliget sub mortali, uel se licet ex parte materiæ, uel ex parte uerborum legis. Quando dubium ex priori causa oritur, & certa est legis significatio sufficiens ex parte sui ad inducendam obligationem sub mortali, sed dubium est, an id locum habere possit ex eo quòd est dubium an materia sit leuis, & capax obligationis sub mortali, legi est obediendum, & censendum est legem sub mortali obligare, quia non inferioris, sed superioris est iudicare an materia sit grauis, uel leuis, & an sit ad finem uirtutis multùm uel parùm necessaria. *Corduba in regul. S. Franc. cap. 10. q. 3. p. 1. Arragon 22. q. 62. a. 3. col. 6. Sotus 4. d. 22. q. 1. a. 3. concl. 1. corrol. 1. Sanchez d. c. 4. num. 46.* Sed ubi dubium sit ex parte verborum legis an sint sufficientia ad significandam obligationem sub mortali, licet *Felin. d. c. Nam concupiscentiam, num. 8. limit. 3. ver. sed considera.* dicat, quòd in dubio uerba important præceptum ubicumque ratio subiectæ materiæ, uel uerba ipsa aliud non demonstrant; nihilominùs dicendum est, quòd ubi spectata materia & alijs circumstantijs, & ui significationis uerborum legis est dubium an lex obliget sub mortali, vel veniali; seu etiam an importet potiùs præceptum, quàm consilium accipienda est vt importet consilium. *Castr. l. 1. de leg. pœn. cap. 5. docum. 4.* quem sequitur *Sanchez dic. cap. 4. num. 37. fin.* & dictum est etiam *supr. num. 78.* Nam & hic locum habere potest regula, *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda.* Cum enim non desint formæ verborum indubitatæ, & certæ ad exprimendam obligationem sub mortali, si legislator ijs non vtitur, potiùs præsumendum est eum noluisse obligare.

87 Hinc etiam est, quòd vbi in interpretanda obligatione legis naturæ, & diuinæ maximè attendi debet grauitas materiæ, respectu tamen legis positiuæ valdè etiam considerari debet efficacia verborum legis ex legali vsu verborum, & summopere inspici debet non tam si materia secundùm se sit grauis, quàm si sit vtile aut necessarium ad bonum commune & finem legis, vt lex obliget sub mortali, vel potiùs alterius generis sufficiat obligatio.

88 Hinc potest in generali ferri aliquod indicium de duabus opinionibus extremis supra n. 68. relatis. Prima enim quæ sentit quòd verbum *præcipio* licet non ex sui absoluta significatione, & ex vsu tamen iuris communis importet obligationem sub mortali, est in iure magis fundata, quia habet pro se textum *Clem. exiui de verb. significat.* Quamuis non sit certa, quia ille textus probabilem habet intelligentiam in sensu contrario vt aduertit etiam *Caiet. hic & in sum. v. præcepti transgressio & Martinez de Prado cap. 3. q. 10. num. 16.* habet, quòd nisi verba sint valde clara ex se, vel ex vsu, valde ambiguum est hoc signum quòd sumitur ex verbis legis ad discernendum mortale à veniali. Iuxta illam etiam maximè saluatur differentia inter verba præceptiua, seu æquiualentia, & verba imperatiui modi, aut communia, quæ differentia habet non leue fundamentum in d. Clementina *exiui.* Eadem quoque sententia magis est conformis naturæ obiecti legis positiuæ, & eidem legi, quæ cum sit de re, quæ secundùm se est consilij, non nisi ex efficacia voluntatis legislatoris habet quòd obliget, & quòd tantùm magis, vel minùs, sub hac vel illa forma obliget, vel ad pœnam tantum vel sub culpa leui, vel sub culpa graui; & ideo vult illa sententia, quòd attendatur efficacia verborum legis, vt qualitas obligationis eius cognoscatur. Sed secunda sententia pro se textum non habet, & ex eo quòd verba præceptiua ex eorum significatione absoluta non importent obligationem sub mortali, non bene infert quòd illam non importent ex vsu iuris communis. Et ex illam sequentibus videri possunt plures ad eorum intentum probandum vel nullam rationem adducere, vel petere principium & conclusionem pro principio assumere. Inde est quòd iuxta illam ex sola grauitate materiæ colligitur obligatio sub mortali, & ex illam sequentibus aliqui inconsequenter loquuntur, ponentes differentiam inter verba præceptiua imperatiua & communia, cum tamen consequenter loquendo eadem sit ratio de omnibus, quia scilicet in materia graui semper importatur obligatio sub mortali, etiam si verba sint imperatiua, aut communia vt alij sentiunt & tamen alias ab antiquis Theologis, & Canonistis

nonistis communiter semper magni facta est distinctio inter verba præceptiua, imperatiua, & communia. Alia etiam inconsequentia aduerti potest. Quia DD. qui tenent, quòd superior iure graui non potest præcipere sub veniali, consequenter dicunt quòd in materia graui semper est obligatio sub mortali, siue sit lex Canonica siue ciuilis; sed qui tenent quòd etiam in materia graui lex potest præcipere nedum sub obligatione culpæ leuis sed ad solam pœnam, inconsequenter vtuntur regula de grauitate materię vt vniuersaliter vera, seu etiam inconsequenter distinguunt inter ius canonicum, & ciuile, cum consequenter loquendo, si aliàs non ex vi verborum, sed ex qualitate materiæ sumenda est obligatio sub mortali, inane sit attendere aut verborum, aut legislatorum discrimen. Vnde est, quòd prior opinio Caiet. & Nauar. est magis fundata, & secura.

SVMMARIVM.

1 *Pœna duplex spiritualis & corporalis. n.89.*
2 *Præceptum sub pœna excom. latæ sententiæ obligat sub mortali. n.81.*
3 *Pœna excommunicationis ferendæ est signum obligationis sub mortali. n.90.*
4 *Non tamen si non est ferenda sine præuia monitione. num.90.*
5 *An præceptum sub pœna interdicti, & suspensionis obliget sub mortali. n.91.*
6 *Præceptum sub pœna degradationis &c. qualiter obliget sub mortali. nu.92.*
7 *Lex pœnalis an obliget ad culpam. n 93.*
8 *Non est necesse quod legislator obliget sub culpa dum infert pœnam. n.94.*
9 *Leges pœnales regulariter non respiciunt actiones vt sunt priuata offensa Dei, sed vt sunt contraria bono communi. n.94.*
10 *Iustitia pœnæ legalis mensuratur ex culpa vt est culpa legalis bono communi contraria. n.94.*
11 *Ad iustitiam pœnæ legalis per se non est necesse vt transgressio sit culpa. n.94.*
12 *Obligare per legem pœnalem ad culpam regulariter non est notabilis vtilitatis ad legem seruandam. n.95. 96.*
13 *Leges pœnales obligare sub culpa est damnosũ. n.97.*
14 *In dubio dicendum est legem pœnalem per se non obligare sub mortali. n.98.*
15 *Vbi lex pœnalis ex intentione obligat ad culpam non interest an sit lata per verba communia &c., num 99.*
16 *Apud Regulares in vsu est vt superiores non intendant obligare sub mortali nisi præcipiendo in virtute S. Obedientiæ vel simili modo. n.100.*
17 *Quid dicendum in monialibus? nu.100.*
18 *Prælatus Religiosus obligat si vtatur alia forma æquiualenti. nu.101.*
19 *Hoc esse verum etiam in Ord. Præd. quidam asserunt. nu.101.*
20 *In Ord. Præd. superior non obligat sub mortali nisi præcipiat in virtute sanctæ obedientiæ. numer.102.*
21 *Constit. d. Ordinis voluit non licere vti formis æquiualentibus. nu.102.*
22 *Peccatum inobedientiæ formaliter quando sit reseruatum. num.103.*

89 SEd loquendo de lege aut præcepto pœnali, distingui debet pœna spiritualis a temporali. Et de spirituali loquendo hoc primò certum est, quòd lex sub pœna spirituali semper obligat ad aliquam culpam. Sed sub pœna excommunicationis minoris non obligat per se ad mortale. *Vasquez p.2.d.158.nu.40. Sanchez l.6. mor.c.4. n.48.* Sed sub pœna excommunicationis latæ sententiæ semper obligat ad mortale, vt communis fert sententia.

90 An autem lex seu præceptum datum sub pœna excommunicationis ferendæ obliget sub mortali, licet aliqui hoc negent, tamen affirmatiua opinio est communissima ex Caietano hic, nisi sub ea forma ederetur vt esset necessaria monitio seu citatio antequam pro præcepti trangressione infligeretur excommunicatio. Quia tunc transgressor non esset dignus excommunicatione nisi post monitionem, & illa pœna non esset sufficiens signũ obligationis sub culpa mortali donec ille monitus non cessaret. Et ita docent *Caiet. v. præcepti transgressio, Nauar. sum. cap.23. num 53. Corduba in reg. S. Franc. cap.10. q.3. Tolet. cap.19. num.6. Barthol. à Ledes. de excom. diffic.3. Sanchez l.6. mor. c.4. num.51.* Quod probabile putat *Vasquez p.2. d.158 c.5. n.43.* Vnde eadem est ratio, vbi ex materiæ leuitate vsus sapiẽtum latas leges & præcepta sub pœna excommunicationis interpretatur vt non habeant locum nisi præuia monitione. Quando enim excommunicatio non est infligenda nisi præuia monitione, non est signum quòd lex, vel præceptum obliget sub mortali ante monitionem. Sic enim *Caiet. v. Clericorum peccata*, docet aliqua sub pœna excommunicationis ferendæ Clericis præcepta non obligare sub mortali, *quia licet de rigore iuris sententia* excommunicationis ferri posset in trangressores sine alia monitione, tamen æquitas, & vsus sic ea præcepta interpretatur, vt transgressores excommunicandi non sint, donec moniti non desistant. Quod verum est etiam quotiescumque excommunicatio ponitur ad terrorem, non vt infligenda sine monitione, vt notant *Castro l.1. de leg. pœnali docum.4. Vasquez supra num.45. & Sanchez num.53.* Immò addit *Vasquez* in eo casu non valituram excommunicationẽ si superior mutato animo velit in transgressorẽ infligere excommunicationẽ non præuia monitione si aliunde tunc non appareat materia grauis, & existente etiam materia graui *addit Sanchez* eandem excommun. non valituram, si superior aliquo signo expresso fictam mentem illam per quam solum animum terrendi habuit significauit. Itaque quotiescumque excommunicatio non est infligenda nisi præuia monitione, ipsa non est sufficiens signum ad iudicandum, quòd præceptum obliget sub mortali.

91 De alijs verò pęnis spiritualibus, scilicet interdicto, & suspensione, seu etiam de irregularitate concertatio magna est, nam multi cum Caietano hic, & in *sum. v. præcepti transgressio* nimirum *Serra p.2. q.96. a.4. Nau. cap.23. nu.53. Cord. in Reg. S. Franc. cap.10. quæst.3. p.1. num.4. Valentia p.2. disp.7. q.5. p.6. num.4. Tamburinus. Salon Escobar, Azor. Sayr.* quos refert *Diana p.2. tract. de collat. Card. resol.15.* vbi horum DD. sententiam non improbabilem censet docent huiusmodi censuras, aut

pœnas

pœnas non esse signum præcepti obligatis ad mortale, quia etiam pro veniali peccato incurrantur. Sed alij cum *Vasquez p.2. d.158.c.5.v.nu.48.* oppositum tenent quia simul sentiunt huiusmodi pœnas non incurri pro delicto, nisi sit mortale. Et verè á solutione illius quæstionis pendet resolutio præsentis difficultatis; quia si huiusmodi censuræ pro nullo delicto incurruntur nisi illud sit mortale: absque dubio præceptum sub pœna illarum ad mortale obligat prout tenet sententia communis, quæ recipi debet. *D.Anton.2.p.tit.4.cap.3.§.3.Sylvest.v. præceptum q.3.Sanchez lib.6.in Decal.cap.4.num.54. Suarez.de cens.disp.4. sec.5.num.7.*

92 Et hoc esse verum etiam de pœna degradationis, quæ est verè g...issima, aduertit *Sanchez num.55.ex Castro, Medina, Ledesma, & Azorio locis supra citatis*, & de pœna priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ, quæ est modus quidam excommunicationis, hoc idem asserunt *Cas. Medina, Ledesma, & Sanchez ibid.* Idem etiam locum habere in pœna depositionis, seu priuationis ab officio tenet *Sanchez post D.Anton.& Sylvest.locis citatis*. Sed vt aduertit *Diana p.1.tr.10. resol.22.* multi tenent oppositum, sicut & de priuatione vocis actiuæ, & passiuæ. Sed & hæc quæstio dependet ab illa generali, an lex pœnalis obliget in conscientia.

93 Sic enim & de alijs pœnis temporalibus magna est concertatio, multis cum *Nauar. in sum cap.23.a.num.55.* tenentibus, legem pœnalem non obligare ad culpam, sed solùm ad pœnam, alijs cum *Gabiele 4.d.16.q.3.a-1.not.6.* absolutè dicentibus, omnem legem ad culpam obligare, alijs cum *Sanchez loco citato num.60.* distinguentibus inter legem pœnalem mixtam, & purè pœnalem, & sic docentibus primam obligare ad culpam non vero secundam.

94 Sed cum huius loci non sit omnes difficultates in materia obligationis legum examinare, hoc sufficiat aduertere, quòd non est necesse, vt author legis pœnalis intendat obligare in conscientia ad culpam mortalem nec ob iustitiam legis, nec vt lex magis teneatur, & diligentiùs obseruetur, sed potiùs hoc cedit in legis inobseruantiam, quod explicatur quantùm ad omnes partes. Et quidem primò, si spectemus institiam legis pœnalis, & distinguamus pœnam in eam quæ datur peccatori eò quia priuatè Deum offendit, & in eam, quæ datur in ordine ad bonum commune & propter actionem quatenus actio est offensiua boni communis, & cedit in damnum communitatis, certum quidem erit, quòd pœna quæ datur propter culpam quatenus est priuata offensa, & iniuria, qua peccator Deum offendit, debet talem culpam supponere & ei proportionata esse, & talis est illa quæ in foro conscientiæ infligitur. Sed regulariter loquendo leges positiuæ pœnales, quæ pertinent ad forum externum non respiciunt transgressiones quatenus sunt priuatæ offensæ Dei, sed quatenus sunt contrariæ bono communi Reipublicæ uel temporali, uel etiam spirituali, unde respectu talis pœnæ Dei offensa se habet materialiter, & concommitanter si consideretur ut est culpa priuata offendentis; quia lex bonum commune respicit. Ideo uel consideramus hanc legem pœnalem ut præcipit, uel prohibet id quod per legem Dei naturalem aut positiuam est præceptum, uel prohibitum, seu quod est ex Dei lege uel bonum uel malum, uel eam consideramus ut præcipit, uel prohibet rem de se indifferentem. Primo modo certum est, quòd ad incurrendam pœnam grauem necesse est quòd actio sit peccatum mortale contra Dei legem, sed hoc est per accidens ratione materiæ & concomitanter respectu legis humanæ; quia pœna grauis non debetur vel actioni non plenè deliberatæ, vel leuiter malæ; actio autem quæ excusatur a culpa mortali contra legem Dei, vel est indeliberata, vel adeo leuis vt non possit esse culpa mortalis. Cæterùm ad finem legis positiuæ respicientis per se bonum commune reipublicæ materiale quid per accidens est, quòd transgrediens legem Deum priuatè offendat; quia ipsa in offensa priuata respicit bonum commune. Et si per impossibile posset separari ratio offensæ priuatæ à damno, quod priuata offensa infert communitati, lex respiciens bonum commune prohiberet actionem illam etiam si homo Deum non offenderet. Et iustitia pœnæ inflictæ non mensuratur ex Dei offensa, sed ex offensa communitatis, & communitatis damno. Vnde est vt notat Caiet. hic, quod Ecclesia ipsa etiam pœna spirituali excommunicationis magis punit minora peccata & excommunicat percutientem clericum & non excommunicat blasphemum. Quia leges istæ non respiciunt actiones malas formaliter quatenus sunt offensa Dei priuata, sed quatenus sunt in præiudicium aliorum, & communitatis, & ideo ea magis puniunt, quæ in ordine ad bonum commune magis id requirunt. Et quamuis sub cura superioris sit procurare vt nullus Deum offendat, & sic offensa Dei, vt Dei offensa sit materia legis. Tamen lex positiua humana inquantùm dirigit ad bonum commune respicit offensam Dei sed formalitate boni communis, & non primò, & principaliter quatenus est priuata offensa Dei, seu quatenus est malum personæ. Nisi pro quanto lex spiritualis dirigit etiam in foro conscientiæ, & cura singulorum, vt singulorum spectat ad superiorem. Quam tamen curam non gerant regulariter superiores quatenus pro foro externo & bono communi condunt leges. Et sic patet, quòd vbi actio quæ per legem prohibetur est de se mala, supponit culpam mortalem vt infligat grauem pœnam, sed hoc est verum per accidens gratia materiæ & concommittanter, quia vbi talis actio non sit culpa mortalis contra Deum vel non est actio deliberata, vel est res valde leuis. Et nihilominùs contingere potest, quòd actio quæ secundùm se esset solùm peccatum veniale contra Dei legem, quia potest ex circumstantijs cedere in graue damnum communitatis prohibeatur per legem humanam. At verò ex his magis est manifestum, quòd vbi actio quæ per legem pœnalem præcipitur vel prohibetur est de se indifferens, ad iustitiam talis legis & pœnæ per accidens se habet, & per se nec est necesse quòd actio illa etiam concommitanter sit Dei offensa. Et sufficit legislatori, quòd actio illa iudicetur vt ad bonum commune necessaria, vel vt ei perniciosa ex hoc enim mouetur humana lex bonum commune respiciens vt actionem præcipiat, vel prohibeat. Ideo ad hoc vt hæc lex sit iusta, non est necesse quòd obliget in foro conscientiæ ad culpam & offensam Dei priuatam, sed sufficit quòd obliget ad culpam legalem fori externi, & ut transgres-

sores

fores legis iustè obligat ad pœnam impositam, quia cum lex actionem nó præcipiat aut prohibeat quatenus vel est necessaria ad priuatum cultum Dei, vel quatenus est Dei offensa, ideo nec iustitia legis ab hoc pendet; igitur neque est necesse quòd lex hoc attendat vt iusta sit; igitur neque est necesse quòd legislator intendat vt transgrediens legem culpabiliter in conscientia Deum offendat; vt pœnam incurrat, vel vt pœnæ indictæ sit dignus.

95 Sed dices; necesse esse, quòd superior intendat obligare in conscientia ad hoc vt lex pœnalis magis timeatur. Verùm hanc necessitatem non adesse in primis manifestum est respectu legis pœnalis præcipientis vel prohibentis ea, quæ per Dei legem præcepta sunt, vel prohibita. Ad hæc enim homines sub culpa mortali tenentur, nec noua lex est necessaria, quæ obliget sub culpa, sed ideo necessaria est lex pœnalis positiua, vt per timorem pœnæ temporalis vrgeat ad bonum, vel coerceat a malo eos, qui nec amore honestatis, nec timore pœnæ æternæ ad bonum agendum, & fugiendum malum mouentur. Sed si hoc consideremus & videamus quòd regulariter, & vt plurimùm loquendo maior pars hominum à malo coercetur timore pœnæ temporalis & de præsenti sustinendæ, quàm vel timore pęnæ æternæ, vel amore virtutis; & quòd vbi homines non timent pœnam temporalem regulariter & vt plurimùm nec timent pœnam æternam, quam sciunt se posse vitare quandocumque voluerint, & habituros Deum placatum si ad forum conscientiæ recursum habuerint, iam etiam apparet, quòd præcipere obligando ad culpam regulariter non magis iuuat, & communiter, quàm sine tali obligatione; quia vel homines timebunt pœnam temporalem, vel non: si timebunt ism obseruabunt legem, & securum erit commune bonum per legem intentum, si non timebunt pœnam temporalem regulariter si transgredi legem sit illis vtile notabiliter nec timebunt Dei offensam. Lex verò respicit quæ communiter eueniunt, quia & hoc bonum commune exigit; nam quæ rariùs eueniunt parum vtilitatis, vel nocumenti bono comuni inferunt.

96 Sed iterum dices posse contingere, quòd multi sint securi à pœna, vel quia occultè possunt agere, & res ad forum externum non deducetur, vt puniantur, vel quia potentes sunt, & pœnas non timent; vnde isti non possunt à malo coerceri nisi vel ex amore virtutis, vel ex timore pœnæ æternæ, & ideo necesse est, quòd legislator intendat in lege pœnali obligare etiam ad culpam in foro conscientiæ, vt qui sunt securi à pęna, ob culpæ timorem legem custodiant. Verùm quàm paruus sit hic fructus experientia ipsa demonstrat, vel enim se se offert magna occasio vtilis & delectationis, aut homo est habituatus in malo, vel nihil interest ad commodum temporale violare legem, seu violatio non est conformis vehementi passioni. Vbi vel ex parte rei, vel ex conditione & dispositione agentis non multum interest violare legem, eam regulariter homines seruant siue obliget in conscientia, siue non. Sed si valde intersit legem violare, non abstinent nec amore virtutis, nec metu gehennæ, & nec timore pęnæ grauissimæ temporalis, vnde qualis spes erit vt si sint securi de vitanda pœna temporali, abstineant ex solo timore culpæ? Experientia docet, paucissimos esse qui ex amore virtutis, & timore culpæ abstineant à violatione legis pœnalis, vbi ex vna parte sint securi contra pœnam, & ex alia valde illis intersit violare legem. Præterquàm quòd illi, qui ex amore virtutis, & timore culpæ sciunt agere & volunt, non indigent legum vi, & coactione, sed illis sufficit quòd lex aliqua adsit etiam obligans ad solam pœnam ad hoc vt iuxta legem operentur. Valde ergo parua & rara est vtilitas quæ sequi potest ex eo quòd lex positiua pœnalis obliget in conscientia ad culpam grauem, & moralem, sic ergo obligatio ad culpam non est necessaria respectu eorum, qui non ducuntur nisi amore virtutis, respectu verò aliorum non est sufficiens vinculum, quia isti si non timent pœnam, parui pendunt culpam.

97 Sed forsan non tam paruum, certè nec tam rarum est damnum quòd sequitur ex lege positiua pœnali obligante etiam in conscientia ad culpam mortalem, maximè vbi materia legis, vel non est valde grauis, vel lex est talis, quòd impunè potest violari à pluribus, & prohibetur res quæ valde est in hominum vsu; quia ex tali lege priuantur quàmplurimi gratia Dei inutiliter in ordine ad finem legis, vt experientia ipsa demonstrat. Et hoc vnum damnum est vniuersale, quòd homo si sciat se gratiam Dei perdidisse ex legis violatione; amissa gratia & charitate cæterisque virtutibus & remanet magis dispositus ad repetitas legis transgressiones, & magis infirmus vt in posterum nedum illam sed alias leges seruet. Ideo suauis prouidentia, & infirmitati humanæ proportionata gubernatio, & boni communis amor potiùs exigunt, quòd superiores per leges pęnales non obligent in conscientia ad culpam mortalem, nisi pœna sit talis, quæ ex sui conditione talem culpam supponat, qualis pœna est excommunicatio *latæ sententiæ*, vel *similes* pœnæ spirituales quæ supponunt voluntatem contumacem in inobedientia.

98 Hoc etiam in præsenti est considerandum, an in dubio vtrum lex pœnas sit obliget in conscientia ad culpam mortalem, lex sub culpa mortali sit obseruanda? Affirmant enim *Ledesma* 2.*p* 4. *q*.17.*a*.2.*d*.6.*Val.disp*.7.*q*.5.*p*.6.*Tolet.cap*.20. in fine. Quæ opinio vera est si dubium sit practicum, & dubitans illud non deponat. Quod tamen facere potest, & ideo vera & secura est opinio aliorum dicentium, quòd vbi pensatis pensandis remanet dubium an lex obliget in conscientia non teneniur in conscientia sub obligatione culpæ mortalis per se illam seruare. Primò, quia vera est regula *Caiet.v.præcepti transgressio*, & *Armilla v.præceptum num. vlt.* scilicet non tam latam præceptorum in iure obligantium sub mortali interpretationem sumendam esse, ne laqueus iniijciatur animabus. Maximè quòd vt supra probatum est, hæc obligatio parùm vtilis est reipublicæ in ordine ad finem legis. Secundò quia vera est altera regula *Nauar. sum.c*.23. *num*.50.*Philior.de offic.sacerd.tom*.1.*p*.2.*l*.3. *c*.2. *dicto* 5.*Sayr.l*.3.*c*.7. *num*.29. quam approbat *Sanchez l*.6. *mor.c*.4.*num*.66. uimirum, verba legis apta ad inducendam culpam venialem, & mortalem in dubio de veniali intelligenda; quia leges, quæ rectè de pœna minori, & maiori possunt intelligi, sunt in dubio de minori interpretandæ: *reg. in pœnis, de reg.iuris in* 6. Et ita hanc sententiam tenent *Molina t* 3.*d*.374.*num*.6.*Sanchez l*.6. *mor.c*.4.*num*.66. *Diana p*.1.

p.1. tr.10. n. 25. si tamen non sit dubium an lex obliget sub mortali, sed an obliget absolutè ad culpam, Sanchez ibidem oppositum tenet, scilicet in tali casu tenendum quòd lex obliget sub aliqua culpa saltem veniali, quia lex de se obligat ad aliquam culpam nisi constet de contraria intentione legislatoris. Sed qui tenent legem pœnalem ex intentione legislatorum non obligare ad culpam, dicerent in dubio potiùs præsumendum esse quòd lex pœnalis ad nullam culpam per se obliget, quamuis per accidens vix contingat quòd lex pœnalis violetur sine aliqua culpa.

99 Hoc etiam addendum, quòd vbi lex pœnalis ex intentione legislatoris obligat ad culpam mortalem, non interest quòd lex præcipiat per verba communia *volumus, statuimus &c.* quia pœna grauis, quæ pro sola culpa mortali infligi potest, satis indicat intentionem legislatoris esse obligare sub mortali. *Nauar. sum. c.23. num.52. Ledes. 2. p.4. q.17. a.2. d.6. Cast. l.5. de lege pœnali c.5. doc.4. Vasquez p.2. d.159. c.3. num.22. Azor l.5. c.6. q.5. Sanchez l.6. mor. c.4. num.56.*

100 Quid verò in particulari de regularibus sit dicendum circa huiusmodi signa ex quibus colligi potest intentio superiorum obligandi ad mortale, iam supra dictum fuit ex communi vsu introductum fuisse, quòd superiores quando volunt obligare sub mortali præcipiant in virtute sanctæ obedientiæ aut sub forma simili. Quem vsum etiam introductum fuisse in Ordine Minorum docet *Corduba in reg. S. Francisci c.10. q.3. p.1. n.3.* In multis etiam religionibus statutum esse vt præceptum superioris non obliget nisi fiat in virtute Spiritus Sancti, aut sanctæ obedientiæ refert *Vasquez p.2. d.158. cap.3. num.24. & D. Anton. p.3. t.4. §.3.* ait Prælatos volentes obligare sub mortali præcipere vel sub interminatione maledictionis æternæ, vel in virtute sanctæ obedientiæ. Ideo *Lessius l.2. c.41. d.9. num.76.* ait nisi aliunde constet, non censeri Prælatum religionis velle obligare sub mortali nisi præcipiat in virtute sanctæ obedientiæ. In religione tamen societatis, vt constat ex *p.6. constit. c.5.* in fine modus obligandi sub mortali est præcipere vel in nomine Domini nostri Iesu Christi, vel in virtute sanctæ obedientiæ. Addit etiam *Sanchez numer. 70.* quòd in Abbatissis, quæ non possunt præcipere in virtute sanctæ obedientiæ ad hoc, vt censeantur obligare sub mortali, sufficit quòd materia sit grauis, & multùm necessaria ad gubernationem monasterij, & verbis præcepti vel æquiualentibus vtantur, quia ipsæ nequeunt aliter voluntatem suam explicare. Sed supra diximus Abbatissas posse præcipere in virtute sanctæ obedientiæ. Verùm & quatenus in aliquo monasterio hoc non esset in vsu, periculosum esset relinquere moniales fœminas sub anxietate dubij an res sit grauis, vel non. Et magis apud moniales necessaria est aliqua forma determinata obligandi sub mortali, quàm apud religiosos viros. Et Sanchez ipse docuit Abbatissas posse præcipere in virtute obedientiæ sibi promissæ. Vbi verò præcepta sunt pœnalia, vsus Ordinis Prædicatorum, & fortè aliorum ordinum est, quòd cum superiores intendunt obligare sub mortali, priùs præcipiant in virtute sanctæ obedientiæ. Et in illo ordine certum est quòd solum præceptum sub pœna excommunicationis obligat sub mortali nisi superior præcipiat simul in virtute sanctæ obedientiæ, quia sic statuunt *Constit. in prolog. §.106.* vnde quod dixerunt *D. Anton. p.2. tit.4. cap.1. §.3. & Sylu. v. præceptum q.3.* scilicet quòd præceptum sub pœna grauioris culpæ in Religionibus obliget sub mortali, euidens est non habere locum in Ord. Prædicator.

101 Quærit verò *Sanchez loco citato nu.70.* An si superior in Ordine Prædicatorum & Societate IESV non præcipiens in nomine Domini nostri IESV Christi, vel in virtute sanctæ obedientiæ sed alio modo, ostendens se velle obligare sub mortali, vt v.g. præcipiens in virtute Spiritus Sancti, verè sic obliget? Et affirmatiuè respondet, quia ea constitutio non aufert potestatem aliter obligandi, quàm vtendo illis verbis, sed certam formam obligandi tradit. An verò hæc doctrina applicari possit Prælatis, & Religiosis Ord. Prædicatorum merità dubitari potest. Et quidem primò videtur, quòd eadem sit ratio. Quia Prælatus habet ius obligandi, & præceptum non est aliud quàm absoluta superioris voluntas sufficienter significata subdito, vt habetur ex *D. Th. supra q.104. a.2. c.* Nihil igitur interest, quòd Prælatus vtatur hac vel illa forma verborum si sufficienter suam voluntatem absolutam significat. Tum secundò quia non obedire non est aliud quàm voluntatem superioris cognitam voluntariè non exequi, hoc enim est præceptum superioris transgredi, quod est inobedientem esse. *D. Thom. supra q.105. a.1. & 2.* est igitur inobediens Religiosus Ordinis Prædicatorum si voluntati Prælati à se sufficienter cognitæ resistit. Tum tertiò nam quis negabit quòd si Prælatus in eo Ordine præcipiat aliquid in virtute Spiritus Sancti, vel in nomine IESV, vel sub pœna maledictionis æternæ, vel sub obtestatione diuini iudicij, vel sub præcepto formali, vel sub aliqua simili forma, subditos in hoc Ordine non teneri obedire sub mortali? Propterea *Ledesma de statibus c.4. concl.8. dub.7. vers. digo lo 2. pag.85.* existimat quòd etiam in Ord. Præd. sufficiat, si Prælatus in præcipiendo vtatur forma verborum æquiualenti huic, scilicet in virtute sanctæ obedientiæ.

102 Sed in contrarium vrgent valde verba in prologo. §.4. quæ sunt sequentia. *Præceptum autem in regula nullum (nisi quod de natura sua est ratione trium votorum, vel Diuinæ, aut Ecclesiasticæ legis) contineri volumus, & declaramus. Et idem in Constitutionibus: nisi vbi ponitur sententia excommunicationis, aut formaliter exprimitur per verbum (præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ) & hoc idem in Ordinationibus, & Prælatorum verbis, & literis intelligi volumus.* Lex autem ista non est affirmatiua, sed negatiua concepta per nomen *nullum* quod vniuersalissimam negationem importat, & significat quod sub quacumque alia forma verborum concepta ordinatio Prælati, vel lex vel statutum, non sit præceptum, nec habeat vim obligandi. Nec potest dici, quod non neget æquipollentes formas præcipiendi. Tum quia in hoc sensu nihil peculiare statueret Constitutio; quia de iure communi est, quod forma verborum importet præceptum si æquipolleat isti, scilicet præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, quam importare præceptum ex vsu communi est manifestum. Et sic nihil peculiare ex vi istius statuti haberet Ordo Prædicatorum sed standum esset iuri communi volenti

fam absolutè, & eam abominatur, & non vult absolutè obseruare. Et ita vt istius volitionis, & odij ratio formalis terminatiua sit ipsa regulæ bonitas sub ratione mali apprehensa. Ex hac ergo voluntate transgredi hoc vel illud præceptum, seu statutum regulæ est transgredi ex contēptu. Nolle autem subijci regulæ in hoc, vel in illo tantùm, non est contemptus nisi ratione materiæ, & secundùm quid. Hinc de mente S.Thomæ soluitur illa quæstio, an consuetudo transgrediendi legem sit contemptus, vel sit peccatum mortale. Et quidem simplicem consuetudinem, quasi accidentariam transgrediendi legem ex concupiscentia, vel alia simili causa non esse contemptum, nisi ratio transgrediendi sit nolle subijci regulæ, constat ex hoc textu, & docent *Caiet. Hil. Syluest. v.religio.p.q.8.* & communiter alij. Sed dubium est,

An consuetudo violandi regulam, licet non sit contemptus regulæ, sit peccatum mortale? & maximè.

An voluntas non seruandi, nisi tria vota, & præcepta contenta in regula, & de reliquo nolle seruare regulam, sit mortale peccatum?

105 ALiqui enim absolutè tenent, consuetudinem violandi regulam etiam vbi nō obligat sub culpa mortali esse mortale peccatum. Ita *Tabien. v. religio q.4.* & alij plures quos refert *Sanchez l. p.mor.c.5.num.2. & l.6.c.4.num.18.* Alij verò addunt, tunc consuetudinem hanc esse peccatum mortale, si adsit propositum non obseruandi principalia religionis statuta etiam ad culpā mortalem non obligantia. *D.Anton. 3.p.tit.15.c.1. §.9. citans Io: de Neap.Syluef.v.religio 1.q.12. d.4.Val.2. d.10.q.4.p.9. sed & Vasquez p.2.d.158.c.4. num.60.* censet transgressionem legis frequentem fieri mortalem, quæ aliàs semel aut iterum non esset. Sed veritas est quam ex *D.Thom.docet Caiet.hic*, & docent *Peyr.in subd.q.1.cap.4.§.1.Val.disp.10.q.4 p.5. Led de stat.cap.4.conf.12.pag.93.* scilicet quòd per se loquendo consuetudo & frequentia uiolandi regulam non obligantem ad mortale etiam centies millies repetitam non est peccatum mortale, ut supra etiam probatum est.

106 Per accidens tamen multiplici ex causa consuetudo, & multò magis si sit firmata propositoest peccatum mortale ratione notabilis relaxationis religionis, ad quam præbet occasionem, & scandalum, secundò ratione inquietudinis grauis aliorum religiosorum, quam causat. Tertio ratione indignitatis manendi in religione, & meriti expulsionis iustæ à religione ratione incorrigibilitatis. Quartò ratione dispositionis ad absolutum, & formalem contemptum regulæ, ad quem talis consuetudo per se disponit. Huiusmodi enim necessario moraliter sunt connexa proposito non seruandi regulam vbi non obligat ad culpam. Et sunt etiam connexa consuetudini non seruandi regulam quantùm ad principalia in regula contenta, vel quantùm etiam ad alia ex quibus alij religiosi inquietudinem notabilem accipere possint, & religio possit inobedientem vt incorrigibilem eijcere. Ita *Sanchez l.6.c.4.num.28.& seqq.*

107 Quædam tamen species contemptus esset, si religiosus regulam violaret in illis, in quibus non obligat, ex hoc fine, vt quantum in ipso est impediret finem ipsius legis, quia hic transgressor se habet proportionaliter ad finem legis, sicut se habet contemnens præceptum ad præceptum, quia hic contemnit finem sicut ille præceptum. Ita *Caiet. v. præcepti transgressio. Armilla v.præceptum. num.4. Val.1.2.d.7.q.5.p.6.Vasq.p.2.d.158.num.57.* & addie *Sanchez num.22.* hæc vera esse etiam respectu regulæ ad nullam culpam obligantis militat enim eadem ratio.

108 Sed numquid est contemptus, si religiosus Prælato iubenti respondeat *nolo parere*? Quidam referunt Reuerendissimum P. Generalem Societatis Aquauiuam declarasse, religiosum Societatis incurrere peccatum reseruatum inobedientiæ, si dicat *nolo parere*, quod ijdem extendunt ad similem formam respondendi dicendo, *hoc nullo modò faciam, numquam verum erit me id facturum*. Et hoc verum censent, si detur similis responsio etiam ministro Prælati, siue alteri nomine ministri iubenti. Verùm qualiter in hoc casu sit peccatum mortale inobedientiæ, si aliàs superior non præcipiat in virtute sanctæ obedientiæ vel simili forma, non video. Nam immò potest esse quòd religiosus habeat iustam causam non obediendi, & si eam non habeat, quòd habeat aliam causam, & quòd non ideo neget obedientiam, quia non vult obedire.

109 Quotiescumque tamen quis transgreditur regulam ex contemptu, peccatum habet duplicem malitiam inobedientiæ materialis, & formalis, & debet propterea id explicari in confessione.

110 Distinguendum etiam hic est inter contemnere Prælatum, & contemnere præceptum. Nam contemnere Prælatum esse semper peccatum dixit *Peyr.in subd.q.1. cap.5.§.1. dic.5.* si contemnatur Prælatus, vt præcipiens, non verò si contemnatur ratione non eruditionis, seu notabilitatis; ac verò contemnere præceptum rei grauis semper est mortale, si verò leuis potest esse veniale. Contemnere autem diuina præcepta etiam leuia sub ratione formali contemptus semper est culpa grauis, quia est mortalis blasphemia. Sed hic distinguendū est, nam contemptus alius est materialis, qui est non obedire non legi, quàm præcipienti, & hic est vel culpa grauis, vel leuis, vel nulla; prout lex vel præceptum obligat sub culpa graui, vel leui, vel nulla. Sed contemptus formalis multiplicitèr distingui potest, secundùm plura obiecta, & rationes formales contemnendi, & parui faciendi; Nam v. g. potest esse contemptus Dei vt veritatis primæ & primi magistri eorum, quæ sunt fidei, vel contemptus Dei vt principij rerum, vel contemptus Dei vt legislatoris, qui est inobedientia formalis. Sed in hoc non est distinctio inter Præcipientem, & præceptum, sed obiectum formale contemptus debet inspici. Nam contemptus præcipientis aut

præcepti absolutè est formalis inobedientia, & est peccatum mortale, & licet non obseruare præceptum leue de se non sit culpa grauis, non obseruare tamen præceptum leue, ex eo quòd absolutè quis non vult obedire præcipienti aut legi est peccatum grauissimum. Sed vbi formale obiectum inobedientiæ non est superior, aut lex absolutè, sed superior aut lex vt præcipiens in tali materia, hic nec est, nec potest esse inobedientia formalis, quia ratio non obediendi non est ex eo quòd subditus nolit subijci, sed ex tali vel tali materia sibi inuisa, circa quam non vult obedire, & sic non est hic propriè loquendo aliqua culpa grauis, vel venialis, quæ sit inobedientia formalis etiam si mandatum quod non obseruatur sit mandatum Dei; quia transgressio non venit ex inobedientia formaliter, sed ex materia præcepti, quæ displicet. Vnde tunc transgressio est solùm inobedientia materialis, quæ etiam nulla potest esse culpa. Nec obstat, si dicatur, quòd ex quo subditus non vult subijci in hac materia, iam secundùm quid non vult subijci, & sic saltem contemnit secundùm quid. Nam dicitur, quòd nolle subijci non est contemptus formalis, sed materialis, sed contemptus formalis est aliquem nolle subijci, quia absolutè non vult subijci. sed nolle subijci in hac materia, vel illa, non est nolle subijci, quia subijci displiceat formaliter, sed quia displicet materia illa & omnis inobediens nó vult subijci, & tamen pauci sunt inobedientes, qui ex contemptu non obediant, quia pauci sunt, qui nolint subijci, quia odio habeant subijci, sed quia odio habent obedire in tali materia. Quod igitur dicunt Caiet. & alij, quòd nolle subijci in hac, vel illa materia est contemptus secundùm quid, debet intelligi de contemptu materiali, & nullus est ibi contemptus, seu inobedientia formalis. Similiter quod alij dicunt, quòd peccare ex contemptu sit peccare ex malitia, & certa scientia, est impropriè dictum, nam peccatum ex eo quòd sit ex certa scientia, & malitia, non per hoc est ex eo quòd peccator absolutè nolit subijci, sed quia hoc vel illud agere illum delectat. Inobedientiæ verò potest adiungi contemptus alterius rationis, vt si inobediens iudicet, & teneat quòd superiori non sit obediendum. Sed hoc est peccatum hæresis. Vel si iudicet quòd præceptum seu lex imprudenter sit posita. Et si hoc iudicetur de Deo est hæreticum & blasphemum, sed respectu hominis potest nullum esse peccatum, & potest esse peccatum, & potest esse peccatum graue, si ex hoc notabiliter lædatur honor & fama superioris, vel si subditus rixetur cum superiori, & sit in eum contumeliosus. Sed huiusmodi cõtemptus ad aliud genus peccati pertinent, nec sunt inobedientia formalis, sed sunt peccata alterius generis grauia vel leuia iuxta materiæ grauitatem.



ARTICVLVS X.

Vtrum religiosus eodem genere peccati grauius peccet, quam secularis?

AD decimum sic proceditur. Videtur, quod religiosus eodem genere peccati non grauius peccet, quam secularis. Dicitur enim 2. Paral.30. Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum, & non imputabit eis, quod minus sanctificati sunt. Sed magis videntur religiosi ex toto corde Dominum Deum patrum suorum sequi, quam seculares, qui ex parte se, & sua Deo dant, & ex parte sibi reseruant, vt Greg. dicit super Ezech. Ergo videtur, quod minus imputetur eis, si in aliquo à sanctificatione deficiant. Supra quæst. 184. a. 8. co. & 4. dist. 14. q. 3. a. 3. q. 3. ad 1. Hom. 20. à med.

2. Præterea, Ex hoc quod aliquis bona opera facit, minus contra peccata eius Deus irascitur. Dicitur enim 2. Paralip. 19. Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris. Et idcirco iram quidem Domini merebaris: sed bona opera inuenta sunt in te. Religiosi autem plura bona opera faciunt, quam seculares. Ergo si aliqua peccata faciunt, minus contra eos Deus irascitur.

3. Præterea, Præsens vita sine peccato non transigitur, secundum illud Iac. 3. In multis offendimus omnes. Si ergo peccata religiosorum essent grauiora peccatis secularium, sequeretur quod religiosi essent peioris conditionis quam seculares, & sic non esset sanum consilium ad religionem transire.

Sed contra est, quod de maiori malo magis videtur esse dolendum. Sed de peccatis eorum qui sunt in statu sanctitatis, & perfectionis, maxime videtur esse dolendum. Dicitur enim Hier. 23. Contritum est cor meum in medio mei. Et postea subdit, Propheta namque, & sacerdos polluti sunt, & in domo mea inueni malum eorum. Ergo religiosi, & alij, qui sunt in statu per-

tu perfectionis, cæteris paribus, grauius peccant.

Respondeo dicendum, quod peccatum quod à religiosis committitur, potest esse grauius peccato secularium eiusdem speciei, tripliciter. Vno modo, si sit contra votum religionis, puta si religiosus fornicetur vel furetur: quia fornicando facit contra votum continentiæ, & furando facit contra votum paupertatis, & non solum contra præceptum diuinæ legis. Secundo, si ex contemptu peccet: quia ex hoc videtur esse magis ingratus diuinis beneficijs, quibus est sublimatus ad statum perfectionis: sicut Apostolus dicit ad Hebr. 10. quod fidelis grauiora meretur supplicia ex hoc, quod peccando filium Dei conculcat per contemptum. Vnde & Dominus conqueritur Hierem. 11. Quid est quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa? Tertio modo peccatum religiosi potest esse maius propter scandalum: quia ad vitam eius plures respiciunt. Vnde dicitur Hier. 23. In Prophetis Hierusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacij, & confortauerunt manus pessimorum, vt non conuerteretur vnusquisque à malitia sua. Si vero religiosus non ex contemptu, sed ex infirmitate, vel ignorantia aliquod peccatum, quod non est contra votum suæ professionis, committat absque scandalo (puta in occulto) leuius peccat eodem genere peccati, quam secularis: quia peccatum eius si sit leue, quasi absorbetur ex multis operibus bonis, quæ facit: & si sit mortale, facilius ab eo resurgit. Primo quidem, propter intentionem, quam habet erectam ad Deum, quæ etsi ad horam intercipiatur, de facili ad pristina reparatur. Vnde super illud Psal. 36. Cum ceciderit non collidetur, dicit Origenes, Iniustus si peccauerit, non pœnitet, & peccatum suum emendare nescit: iustus autem scit emendare, scit corrigere. Sicut ille qui dixerat, Nescio hominem, paulo post cum respectus fuisset à Domino, flere cœpit amarissime. Et ille qui de tecto mulierem viderat, & concupierat eam, dicere voluit, peccaui, & malum coram te feci. Iuuatur etiam à socijs ad resurgendum: secundum illud Ecclesiast. 4. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantem se.

Ho. 4. in Ps. 36 interpr. & med. to. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas illa loquitur de his, quæ per infirmitatem, vel ignorantiam committuntur: non autem de his quæ committuntur per contemptum.

Ad secundum dicendum, quod Iosaphat etiam cui illa verba dicuntur, non ex malitia, sed ex quadam infirmitate humanæ affectionis peccauit.

Ad tertium dicendum, quod iusti non de facili peccant ex contemptu, sed quandoque labuntur in aliquod peccatum ex ignorantia, vel infirmitate, à quo de facili releuantur. Si autem perueniant ad hoc, quod ex contemptu peccent, efficiuntur pessimi, & maxime incorrigibiles: secundum illud Hierem. 2. Confregisti iugum, dirupisti vincula, dixisti, Non seruiam. In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix. Vnde Aug. dicit in epist. ad plebem Hipponensem, Ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in monasterijs profecerunt, ita non sum expertus peiores, quam qui in monasterijs ceciderunt. epist 137. paruo ante fin. to. 2.

SVMMARIVM.

1 *Resolutio articuli. num. 1.*
2 *Peccatum Religiosi contra virtutem & votum habet duplicem malitiam. num. 2.*
3 *Religiosus diuersimode peccat fornicando, & furando. num. 3.*
4 *Ratione ingratitudinis peccatum Religiosi non est distinctum specie. num. 4.*
5 *Non est vniuersaliter maius peccatum Religiosi quia sit ex maiori* [illegible]
6 *Religiosi peccatum est maius ratione scandali. num. 6.*
7 *Peccatum occultum Religiosi leuius extensiue, & intensiue. num. 7.*
8 *Grande malum protegere Religiosos peccantes ex malitia. num. 8.*

1 Resolutio huius articuli est, peccatum religiosorum esse grauius si sit contra votum, si ex contemptu, & ratione scandali, si sit publicum. Aliud verò esse leuius, quia vel bonis operibus quasi absorbetur si sit veniale, vel faciliùs religiosus ab eo resurgit.

2 Si enim peccatum sit contra aliquam virtutem seu præceptum Dei aut Ecclesiæ, & vlteriùs contra votum, habet specialem malitiam sacrilegij, quam non habet peccatum secularis.

3 Nota

3 Nota autem quod diuersimodè contra votum peccat religiosus fornicando, quàm furando. Nam fornicando directè peccat contra votum, quia per votum promisit castitatem, quam violat fornicando. Sed per votum non promisit iustitiam, quam directè violat furando. Et ideo religiosus furando per accidens facit contra votum pro quãto accipit sine licentia alienum. *Ledesma de stat. cap.4.concl.8.dub.1.pag.77.*

4 Sicut etiã in omni mortali peccato nonnullus Dei contemptus reperitur, ita ex hoc habetur quòd omne religiosi peccatum mortale est aliquo modo grauius ratione ingratitudinis, quia cum maiora beneficia à Deo receperit, magis est ingratus, si Deum benefactorem offendit. Hic tamen benefactoris Dei contemptus magis manifestus est dum religiosus peccat ex malitia, & maximè si peccet ex contemptu formali. Et nihilominùs ex Valentia aduertit *Sanchez l.6. mor. cap.4. num.7.* hanc ingratitudinem augere peccatum intra eandem speciem, ita vt cæteris paribus peccatum religiosi ex ratione ingratitudinis non habeat malitiam specie distinctam; sed si eodem genere peccati religiosus & secularis peccent ex contemptu, peccatum religiosi est grauius ratione maioris ingratitudinis, sed hæc non est malitia speciè distincta ab ingratitudine secularis.


5 Aliqui etiam dicunt peccatum religiosi esse maius, quia ex maiori scientia, & ex consequenti ex maiori libertate peccat. Sed hoc non est per se & vniuersaliter verum, cum non desint seculares qui maiori scientia polleant quàm religiosi. Et ita ex beneficijs seu conditionibus particularibus non potest excessus peccati religiosi deduci, sed solùm ex beneficijs, quæ annexa sunt per se statui religioso, per quæ religiosus per se a secularibus distinguitur.

6 Non est verò dubium, quòd maiorem vim ad scandalizandum habet peccatum religiosi, cuius vitam vt exemplar virtutum seculares respiciunt.

7 Aduertit Sanchez citatus ex Valentia, ex hoc probari quòd peccatum occultum religiosi quod non fit ex contemptu, nec contra votum sit leuius extensiuè, quia ad breuius tempus durat, posse verò dici leuius intensiuè, quia religiosus non cadit, nisi ex vehementiori passione, & ideo ex maiori infirmitate; ex quo habetur quòd in se sit leuius, & maiori venia dignius, quia minùs voluntarium.

8 Ex responsione deducit Caietanus grande esse peccatum protegentium religiosos inobedientes, & contumaces, qui ex malitia peccant. Cum enim isti fiant pessimi, vt D.Thom. probat; qui illis fauent sunt causa tanti mali, & ideò participes malorum, quæ illi committunt.

Completum die S. Antonij 1662. ad laudem, & honorem Sanctissimæ Trinitatis, fauentibus sua intercessione Sanctissima Deipara, & S.P. Dominico, & Angelico Doctore S. Thoma Aquinate.



INDEX RERVM QVÆ HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

A

Subscri-

ALIENATIONIS CAVSÆ
necessitas, vel vtilitas.

Aliena-

ALIENATIO.

Quantum ad debitum restituendi.

ALIENATIO.

Quantum ad solemnitates iuris antiqui.

Chari-

Virgi-

C O N S V E T V D O.

C O N T E M P T V S.

C O N T I N E N T I A.

C O N T R A C T V S.

E P I S C O P V S
Regularis.

pi,

E P I S C O P V S
Titularis.

E P I I C I A.

E X C E P T I O.

E X C O M M V N I C A T I O.

E X P E N S Æ.

F

F A L S I F I C A T I O.

F I D E S.

F I N I S.

F O E M I N A.

F R V G T V S.
v. Alienatio. v. Alienari prohibita.

F V R T V M.

G

G E N E R A L I S
v. Obedientiæ votum. v. Parochus.
v. Prælatus.

G E N E R A T I O.

G R A T I A
v. Perfectio vitæ spiritualis.

Præla-

Qui

OBEDIENTIA
ad difficilia.

OBEDIENTIA.
In dubio.

PAROCHI

Residentia.

PARCE VIVERE.

PASSIONES.

S. PAVLVS.

PAVPERES.

PAVPERTAS.

PAVPERTATIS VOTVM,

Et quænam eius materia.

Admi-

Dictio

Sed

Distin-

STATVS EPISCOPALIS

STATVS

Perfectionis.

STATVS RELIGIOSVS

SVBHASTATIO.

SVBREPTIO.

SVBSCRIBENS.

SVPERIOR

T

TACITVRNITAS.

TEMPVS.

TESTAMENTVM.

FINIS.



